UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria et disputationes scholastica in Summam D. Thomae Aquinatis

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Tertia Pars Svmmæ Theologiae Angelici Doctoris S. Thomæ Aqvinatis, Cum Commentarijs, & Controuersijs Adm. R. P. F. Io. Pavli Nazarii Cremonensis, Ordinis Praedicatorvm, Sacrae Theologiae Magistri, ex ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-82325

Visual Library

TERTIA PARS
SVMMAE THEOLOGIAE
ANGELICI DOCTORIS
S. THOMÆ AQVINATIS,

Cum Commentarijs, & Controuersijs

ADM. R. P. F. IO. PAVLI NAZARII CREMONENSIS,

ORDINIS PRAEDICATORVM, SACRAE THEOLOGIAE MAGISTRI, ex Prouincia Vtriusque Lombardiæ.

TOMVS QVARTVS.

PROLOGVS.

QVIA Saluator noster Dominus Iesus Christus teste Angelo populum suum saluum faciens à peccatis eorum, viam virtutis nobis in seipso demonstrauit: per quam ad beatitudinem immortalis vitæ resurgendo peruenire possimus: necesse est, vt ad consummationem totius Theologici negocij, post considerationem vltimi finis humanæ vitæ, & virtutum, ac vitiorum, de ipso omnium Saluatore, ac beneficijs eius humano generi præstitis, nostra consideratio subsequatur.

Circa quam primò considerandum occurrit de ipso Saluatore. Secundò de Sacramentis eius: quibus salutem consequimur. Tertiò de fine immortalis vitæ: ad quam per ipsum resurgendo peruenimus.

Circa primum duplex consideratio occurrit. Prima est de ipso Incarnationis mysterio: secundū quòd Deus pro nostra salute factus est homo. Secunda de his, quæ per ipsum Saluatorem nostrum, id est, Deum Incarnatum sunt acta, & passa.

QVAESTIO PRIMA.

De conuenientia Incarnationis.

CIrca primum tria consideranda occurrunt. Primò quidem de conuenientia incarnationis Christi. Secundò de modo vnionis Verbi incarnati. Tertiò de his, quæ consequuntur ad hanc vnionem:

Circa primum quæruntur sex.

Primò, Vtrum conueniens fuerit Deum incarnari?

Secundò, Vtrum fuerit necessarium ad reparationem generis Humani?

Tertiò, Vtrum, si non fuisset peccatum seu homo peccator, Deus Incarnatus fuisset?

Quartò, Vtrum principalius sit Incarnatus ad tollendum originale peccatum, quàm actuale?

Quintò, Vtrum conueniens fuerit Deum incarnari à principio mundi?

Sextò, Vtrum eius incarnatio differri debuerit vsq; in finem mundi?

Ratio ordinis huius quæstionis, & articulorum eius.

PARTIS huius postremæ summę Theologicæ Doctoris Angelici, diuinæque voluntatis interpretis S. THOMAE AQVINATIS Theologorum omnium facilè Principis subiectum est Iesus Christus generis humani Redemptor: eius autem, quasi partes quædam sunt (vt in sequenti Controuersia declarabitur) non solùm potentiæ superiores, & inferiores, habitus, & virtutes eas perficientes; sed etiam operationes, siue actiones & passiones, vt Natiuitas in vtero, & ex vtero, eius manifestatio per Angelos & Stellam, Circumcisio, Baptismus, Conuersatio cum hominibus, tam iustis, quàm peccatoribus, Tentatio, Prædicatio, Miracula, Passio, Mors, Descensus ad Inferos, Resurrectio, Ascensus in cœlum, Iudiciaria potestas, Sacramenta gratiam veluti instrumenta continentia, ex Christi Domini institutione ab eius humanitate & passione vim conferendæ salutis trahentia; & demum perpetua fœlixq; vita per Christum electis omnibus communicanda.

NOMEN autem Christi personam vnam diuini Verbi significat in duabus naturis, diuina scilicet & humana, subsistentem, quæ proindè verè ac propriè sit Deus & Homo. Cùm autem Incarnati Verbi persona sit ab æterno cum Patre & Spiritu sancto subsistens in vna tribus communi Diuina natura, sola Verbi persona per assumptionem humanitatis, in tempore facta fuit in assumpta natura subsistens.

De hac assumptione igitur *primo* disserit S.D. quæ vnio quædam est in fieri; quam ex illo Ioan. dicto, *Verbum caro factum est*, Incarnationem Sancti Patres, & Theologi congruè nuncuparunt: eius proprius terminus est Deum esse Hominem, siue Christus Deus & Homo. *Deinde* de ijs, quas diximus esse veluti proprietates, ac passiones agit eodem ordine, quo quasi naturaliter sunt dispositæ. Ioan. 1.

Diuisio primæ quæstionis.

IN HAC igitur *prima Quæstione* sex articulos continente conuenientiam quærit Incarnationis, ac *primò* de conuenientia disputat absolutè. *Secundò* in ordine ad finem. *Tertiò* respectu circumstantiæ temporis: Primum, videlicet absoluta conuenientia *primo* examinatur *art.* Secundum autem, scilicet conuenientia in ordine ad finem duplicem habet difficultatem: alteram de fine in sacris litteris reuelato; ac proinde nobis magis noto, qui est humani generis reparatio; de qua *secundus* agit *articulus*, & alteram de fine minimè reuelato sed rationi satis consono, qui est humanæ naturæ ac totius vniuersi cumulata perfectio; de quâ, sicut & de comparatione vtriusque iam dicti finis *tertiò* disputatur *articulo*, quo simul etiam discutitur prioris finis sufficientia & adæquatio. Quâ stabilitâ relictoque pro constanti Verbi Diuini Incarnationem ad solam humani generis à ruina peccati reparationem fuisse necessariam siue conuenientem; cum duplex sit in homine peccatum, scilicet Originale quod omnibus est commune, & Actuale quod non omnibus ineſt; statim alia sese offert *artic. quarto proximè sequenti* quæstio disputanda; num scilicet principalius Incarnatio Verbi facta fuerit ad tollendum peccatum Originale, quàm Actuale? *Postremò* de conuenientia differit respectu circumstantiæ temporis *in duobus vltimis huius quæstionis articulis*, quærens *in quinto*, An conueniens fuerit Deum Incarnari à principio Mundi? *in sextò* verò; Num differri debuerit Incarnatio vsque ad finem Mundi?

A

B

C

PRIMA CONTROVERSIA.

An verbi diuini Incarnatio, siue Christus ad aliquam Theologicæ considerationis partem pertineat, vt eius obiectum? &c.

Sententiæ Doctorũ.

D

ALEXANDER ALENSIS *in tertia parte summæ Theologicæ, membro 1. & 2.* docet Incarnationis mysterium neque per Theologiam, neque per inditam Christi scientiam attingi posse; sed tantùm per aliam superioris ordinis scientiam, quam ipse vocat scientiam vnionis, & addit eam post Christi Incarnationem fuisse beatis Angelis infusam.

SVAREZ *in præfatione commentariorum, §. Interrogabit*, tria dicit. *Primum* est, de singularibus necessarijs scientiam esse, qualis Deus ipse est; Christum autem considerari in hac scientia diuina sub reuelatione diuina, sub qua necessitas quædam, & infallibilis rerum connexio & veritas reperitur; & ideò mirum non esse quod de ipso propria scientia instituatur. *Secundum* est: quamquàm Christus indiuiduum quoddam sit: ratione tamen Incarnationis, quę in ipso est, ex se vniuersalem esse & habere (vt ita dicam) naturam suam, & communem essentiam, causasque & effectus, & proprietates illam consequentes, ex quibus aptissima materia efficitur, in qua scientia versari possit. *Tertium* est, in hac materia res quasdam alias esse, quæ ad historiam potius, quàm ad scientiam pertinere videntur: vt sunt ea, quæ ad vitam Christi Domini, mortem, resurrectionem & alia huiusmodi mysteria contemplanda referuntur; de quibus in Theologia sermo habendus est, tùm propter earum summam nobilitatem; tùm etiam, vt eius, quæ in nobis est, fidei conuenientem rationem tradant.

E

SCOTVS *in quarto sent. dist. 10. q. 1.* & RADA *in sua octaua Controuersia secunda partis* docent, Angelos omnes lumine suo naturali posse cognoscere mysteria gratiæ iam à Deo facta; ac proinde Mysterium Incarnationis, quod est maximum omnium mysteriorum gratiæ. Ex quo sequitur, non esse necessarium Angelis lumen Diuinæ reuelationis Theologicum ad Incarnationem siuè vnionem hypostaticam Verbi cum humana natura cognoscendum.

CAIETANVS *in expositione tituli* affirmat Iesum Christum, id est, Deum Incarnatum esse proprium huius postremæ partis scientię *Theologicæ* subiectum: quę sequutus magister PORRECTA dicit huius partis subiectum esse Deum Incarnatum, id est, Christum cum suis actionibus, passionibus & circumstantijs; siuè Deum Incarnatum Sacramenta instituentem, & ad immortalitatem homines resuscitantem. Eandem Caietani sententiam sequitur VALENTIA, *puncto secundo*, & VASQVEZ *in priori sua dubitatione circa textum* & ALVAREZ re, magis quam verbis *in expositione articuli* dicens asserendum esse cum Caietano Verbi Incarnationem esse subiectum huius libri.

Incarnationis mysterium ab homine, & ab Angelo cognosci non lumine naturali, neque per scientiam nostræ Theologiæ subalternatam, sed lumine supernaturali Theologico, nec esse necessarium lumen, aut habitum altioris ordinis. & Deum etiam per scientiam practicam non naturalem, sed supernaturalem illud cognoscere. *Resolutio.*

DVæ sunt huius Controuersiæ partes: altera quærit *an sub Theologicæ scientiæ lumine cognosci valeat Incarnationis mysterium, vel ad eius notitiam necesse sit altioris ordinis lumen à Deo nobis infundi?* altera pars supposita prioris determinatione quærit, *an Incarnatio Verbi Diuini, seu Verbum Incarnatum, aut Christus sit alicuius, ac præsertim huius postremæ partis Theologicæ subiectum?* *Quæstionis status.*

Ad euidentiam igitur primæ partis: suppo- *Prior quæ-* nenda sunt *primo* ea, quæ latè diximus de cogni- *stio.* tione mysteriorum gratiæ *in 1. p. q. 57. art. 5. Controu. 1.*

Secundò sciendum est, Incarnationis Mysterium dupliciter posse considerari: *Vno modo*, quatenus est miraculum: *Alio modo*, quatenus est communicatio Dei ad creaturas; vtroque modo res omnes creatas, & creabiles sua dignitate transcendit. Nam quatenus miraculum est, cæterorum omnium etiam à Deo factibilium miraculorum maximum est, vt affirmant Aug. *libr. 17. de Ciuit. Dei, cap. 17.* Leo Papa *in serm. 8. de Natiuitate Christi.* Damascenus *lib. 3. de fide cap. 1.* S. Tho. *super Ioann. cap. 2. lect. 3. & super Epistolam ad Hebræos, c. 2. lect. 3. in fine. & in tertio sent. dist. 3. qu. 7. art. 2. & in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. q. 3. & in 4. contra gent. cap. 27. & de potentia, q. 6. art. 2. ad 4* cuius verba sunt: *Incarnatio Verbi est miraculum miraculorum, vt Sancti dicunt; quia est finis omnibus miraculis, & ad istud miraculum omnia alia ordinantur; & propter hoc non solùm est inducens ad alia credendum; sed etiam alia miracula inducunt ad hoc, quòd ipsum credatur.* Dictum hoc explicat S. D. *in 4. sent. loco notato*, vbi ait transubstantiationem, & creationem ex parte eius, quod transmutatur, esse difficiliorem & maioris virtutis ostensiuam, quàm quæcumque alia mutatio: sed ex parte eius, ad quod est mutatio, longè difficiliorem & alijs *Duplicitèr cõsiderat Incarnationis mysterium.* *Primo vt miraculũ.*

aliis omnibus mutationibus excellentiorem esse mutationem, quæ est in vnione humanæ naturæ ad Diuinam personam; *Vnde* (inquit) *est miraculum omnium miraculorum*. Qua loquendi forma significat Incarnationis mysterium absolutè loquendo opus esse excellentioris virtutis, & esse maximum omnium miraculorum. *In dist.* verò *8. quæst. 2. artic. 3. ad tertium* comparans Christi conceptionem cum transubstantiatione panis in eius corpus, distinguit dicens: *Si in Conceptione vnio includatur, quæ simul cum ipsa facta est, maior difficultas fuit in Conceptione, quàm in transubstantiatione; quia illa vnio est terminata ad esse diuinæ personæ: hæc autem transubstantiatio ad corpus Christi; quia panis non cõuertitur, nisi in corpus Christi. Si autem conceptionis opus includat tantùm conuersionem sanguinum purissimorum Virginis in corpus Christi, sic maior est difficultas in hac conuersione, quàm in Conceptione*, & c.

Secundò vt communicatio Dei ad creaturas.

Quatenus etiam Incarnatio communicatio quædam est, cæteras omnes excellit creatas emanationes, & opera Dei. Et de creatione quidem, cuius terminus est rerum ordo naturalis, nulla potest esse dubitatio; quia totus ordo supernaturalis, sub quo mysterium comprehenditur Incarnationis, dignior est toto ordine naturali, sub quo res omnes ad mundi naturalem integritatem pertinentes continentur. Comparatione verò cæterarum supernaturalium communicationum Incarnationem esse nobiliorem, probari facilè potest singulas enumerando: Tres enim sunt. *Prima* per gratiam, per quam Deus non solum dicitur esse in creatura rationali; sed etiam habitare in ea sicut in Templo suo, vt ait S. D. *1. p. q. 43. artic. 3.* *Secunda* communicatio spiritualis est per gloriam, in qua Deus per essentiam suam, vt speciem intelligibilem vnitur intellectui Beatorum. *Tertia* est per sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, per quod realiter, non solùm Christi corpus & sanguis nobis communicatur, sed etiam Diuinitas ipsa illis hypostaticè copulata. Has autem communicationes Incarnationis Mysterium sua nobilitate transcendit. *Primò*: quia nulla dictarum communicationum fit cum vnione substantiali Diuinæ Personæ cum tota natura nostra ex anima & corpore constituta, aut cum anima vel cum intellectu & voluntate: sed earum vnio est accidentalis; cùm communicatio per Incarnationem fiat cum vnione hypostatica siue substantiali; In prima namque vnitur nobis Deus, vt obiectum cognitum & amatum, & vt secundùm essentiam suam in nobis existens longè nobiliori modo, quàm communiter existat per essentiam in Creaturis, *vt in allegato artic. 3.* declarauimus. In secunda verò Beatorum intellectui copulatur, vt forma in esse intelligibili. In tertia autem datur quidem nobis Deus secundùm esse reale (secundariò tamen,) vt author est gratiæ: Sed hi omnes vnionis modi sunt accidentales. Est igitur Incarnatio rerum omnium creatarum, & creabilium nobilissima.

Resolutio quoad scientiam Dei. Differentiæ attributorũ Dei.

Ex His sequitur *Deum, vt auctor est naturæ, Mysterium hoc intellectu suo, quamquàm infinito secundùm perfectionem in tali ordine, non attingere. Ad cuius euidentiam considerandum est*, Dei prædicata tribus in Deo personis communia duplicis esse differentiæ seu rationis: *Quædam enim* nullum dicunt seu connotant respectum ad creaturas, vt bonitas, vita, immaterialitas, immutabilitas, & æternitas, & hæc singula vnius rationis sunt, nec distingui possunt in naturalia & supernaturalia; ita vt, v. g. sit duplex in Deo bonitas, & duplex vita, & c. altera naturalis, & altera supernaturalis; sed omnis in Deo ratio bonitatis, vitæ, ad rationem & perfectionem Dei pertinent naturalem, qua in suo esse constituitur simpliciter infinito. *Quædam alia* sunt diuina prædicata, quæ relationem connotant ad creaturas, vt potentia, scientia, prouidentia, prima causa finalis, exemplaris, & efficiens &c. & singula hæc necessariò distinguenda secundùm rationem sunt in naturalia & supernaturalia; non quidem respectu Dei aut perfectionum eius, sed in ordine ad creaturas, in quibus effectus causant eis supernaturales. Singula namque duplicis ordinis terminos producibiles seu obiecta respiciunt, scilicet naturalis & supernaturalis: exempli gratia, potentia Dei quædam efficit ad ordinem naturæ pertinentia, vt patet in creatione rerum, & conseruatione, & concursu ad earum opera naturalia: quædam verò facit supra totum ordinem, & facultatem naturæ; vt cùm per Moysen tot miracula facta sunt in AEgypto, & in deserto: & tempore Iosue, Deo principaliter imperante stetit Sol in medio Cœli: Et temporibus Heliæ, & Eliæi suscitati sunt mortui, & raptus Helias in Cœlum, & alia innumera, quæ passim narrantur in sacris litteris vtriusque Testamenti: Et ideò cùm peritioribus Theologis distinguenda est in Deo duplex potentia, scilicet naturalis & supernaturalis; & similiter scientia practica, prouidentia, causa finalis, efficiens & exemplaris, & cæt. adeò vt quæ Deus operatur in rebus secundùm potentiam naturalem, & vt causa naturalis, intelligatur non operari secundùm potentiam supernaturalem, & vt causa supernaturalis, & è conuerso. Quamuis enim Deus in infinita sui ratione, & quidditate contineat non solum essentiam cum omnibus perfectionibus absolutis; sed etiam quatuor relationes, & tres hypostases, quæ Deo conueniunt, vt est subsistentia supernaturalis; non est tamen creaturarum causa finalis, exemplaris, & efficiens sub ea ratione formali, qua relationes habet oppositas, & tres personas relationibus constitutas, & earum oppositione distinctas; quia relationibus vt sic nulla ratio conuenit agendi, vel quocumque modo causandi. Cum igitur Incarnatio Verbi diuini sit miraculum omnium miraculorum, atque adeò ad rerum ordinem pertineat supernaturalem, & locum teneat in eo supremum, non potest à Deo cognosci per scientiam practicam naturalem, sed per supernaturalem, qua scilicet cognoscit, & causat ea, quæ sunt ordinis supernaturalis; *quod facili ac euidenti demonstratione probatur*. Nam Deus, vt author naturæ res creatas sua scientia practica cognoscit, quatenus in ipsius Dei potentia naturali continentur: at Incarnatio Verbi diuini non continetur in potentia Dei naturali; sed tantùm supernaturali; ergo: *Maior* patet *ex prima par. quæst. 14. art. 5. & quæst. 17. art. 8.* Quibus in locis vide (si placet) ea, quæ post Caietanum, & alios expositores scripsimus pro declaratione doctrinæ D. Thom. & confutatione sententiæ Scoti. *Minor verò probatur*; *Prob. resol.*

quoniam Incarnatio ad ordinem pertinet supernaturalium ; cùm sit miraculorum omnium maximum ; igitur non continetur in potentia Dei naturali, sed in supernaturali. Itaque Deus, qui res oẽs creatas in seipso cognoscit vt in causa, mysteriũ Incarnationis intuetur in seipso, nõ per scientiam practicam naturalem, sed per scientiam practicam supernaturalem, qua scilicet res supernaturales causat, & in se ipso cognoscit, vt in causa supernaturali. Vt enim *in allegato artic. 5.* post Caietanum ostendimus, intelligere est id, quod primò fundat actiuam virtutem omnis intellectualis causæ, quatenus intellectualis causa est ; igitur, si Deus est causa supernaturalis respectu quorundam effectuum, erit etiam in Deo respectu eorum scientia practica supernaturalis, quamuis respectu Dei nulla sit in eo scientia supernaturalis ; quia nullus est ordo rerum aut perfectionum Deo superior.

Qvamvis autem, vt antè diximus, mysterium Incarnationis sit miraculum omniũ miraculorum : atque ideò præcipuum habeat locum inter opera Dei supernaturalia ; adeò, vt specialem constituat ordinem, vnionis scilicet hypostaticæ superiorem, & diuersum ab ordine cæterorum entium supernaturalium, puta gratiæ, & gloriæ ; *non tamen necesse est specialem scientiam vnionis nuncupatam, aut lumen altioris ordinis, quàm sit Theologicum,* quo cætera supernaturalia cognoscimus, à Deo nobis infundi ; aut ex principijs à Deo reuelatis acquiri : quod hic affirmat expressè S. D. & *in prima parte, quæst. 1. artic. 7.* vbi ait ; *in scientia Theologiæ tractari de Christo in ordine ad Deum :* & optima ratione *probatur* : Quoniam vni & eidem habitui, siue scientiæ Theologiæ Deum assignamus vt obiectum, & creaturas vt ad Deum ordinatas: & eadem visio beata Deum, prout in se ipso est, contemplatur, & res creatas, & fidei nostræ mysteria vt in ipso repræsentata; ergo etiam ijdem habitus singuli sufficient ad cognoscendam Verbi diuini Incarnationem nobis à Deo reuelatam. *Antecedens* quo ad primam partem patet *ex prima part. quæst. 1. artic. 3. 4. & 7* Quo ad secundam verò patet *ex eodem artic. 7. & 2. 2. quæst. 1. artic. 1.* quo ad tertiam verò partem asseritur à D. Thom. *in eodem libr. quæst. 12. artic. 8. 9. & 10. Consequentia* verò *probatur* ; quia mysterium Incarnationis non est altius Deo, nec inferius creaturis, sed quasi medium inter Deum & creaturas, de vtroque extremo participans, & ex vtroque compositum, ex natura scilicet humana, & persona diuina; igitur sub eodem lumine & eadem scientia, vel habitu cognoscitur, quo cognoscuntur extrema, nempè Deus & Creaturæ *Et confirmatur primò,* quoniam, vt ait S. D. *prima par. quæst. 1. artic. 3.* Vnitas specifica potentiæ, & habitus considerandæ est secundùm rationem formalem obiecti; at ratio formalis obiecti Theologiæ est diuina reuelatio mediata, sub qua cognoscitur non solum Deus & Creaturæ ; sed etiam Incarnatio Verbi & Christus Dominus, prout est principium omnium mysteriorum humanæ salutis; ergo ad mysterium Incarnationis cognoscendum non est necessarius altior habitus.

Ex quibus vlterius sequitur, *mysterium Incarnationis non cognosci à nobis viatoribus per scientiam aliquam Theologiæ nostræ subalternatam* ; quoniam, vt ostendimus post Caietanum, & alios *in prima par. q. 1. art. 2.* de ratione scientiæ subalternatæ est, vt eius principia sint in seipsis ineuidentia, sed euidentiam habeant in scientia superiori; at principia, quæ sunt articuli fidei ad humanitatem, & Incarnationem Christi pertinentes non habent euidentiam in nostra Theologia ; ergo scientia de Incarnatione non subalternatur nostræ Theologiæ.

Secundò confirmatur ; quia obiectum scientiæ subalternatæ addit ad obiectum subalternantis differentiam extraneam, & accidentalem: at Incarnatio seu Christus, de quo agitur in hoc tractatu non addit differentiam extraneam & accidentaliter dictam de Deo. *Probatur minor*; quoniam, vt ait S. D. *infra quæst. 16. art. 1. Hæc propositio, Deus est homo, non est, neque in materia remota, neque in materia contingenti, sed in materia naturali, & prædicatur homo de Deo, non per accidens, sed per se, sicut species de sua hypostasi, non quidem ratione formæ significatæ per hoc nomen Deus; sed ratione suppositi, quod est hypostasis humanæ naturæ.*

Iam verò de secunda parte propositæ Controuersiæ quærente ; *Num Incarnatio Verbi sit alicuius Theologicæ scientiæ partis subiectum?* breuiter agendum est.

Sciendum est igitur scientiam præsertim infusam vel à Deo reuelatam posse, non solùm ad vniuersalia ; sed etiam ad multa singularia secundùm eorum indiuiduales conditiones extendi. Cuius dicti ratio colligitur ex differentia inter scientiam infusam vel à Deo reuelatam, & scientias naturales, id est, virtute naturali luminis intellectualis acquisitas: nam quælibet scientia naturalis ex quidditate sui obiecti, veluti principio veritatum omnium ad ipsam pertinentium conclusiones deducit necessarias, in quibus scilicet subiectum ratione suæ quidditatis infallibilem habet connexionem, & causalitatem cum prædicato ; hæ verò tantùm illæ sunt, in quibus passio, seu proprietas aliqua naturalis dicitur de subiecto: hæc enim necessario sequitur ex intima subiecti natura sibi dimissa ; actiones verò singulares, & contingentes nullam habent in subiecto necessariam, & infallibilem causalitatem ; & ideò propositiones, in quibus actiones singulares, & contingentes de subiecto prædicantur, nulla possunt necessaria seu legitima & vera consequentia deduci ex quidditate subiecti: Scientia verò indita Christi, & nostra Theologia, non solùm ex rerum quidditatibus & ex principijs vniuersalibus, sed ex multis singularibus principijs, quæ sunt articuli fidei, aut etiam determinationes diuinæ voluntatis, quas Beati vident in essentia Dei, conclusiones deducit infallibilem, & necessariam cum his principijs connexionem habentes, quamquam secundùm se consideratæ sint contingentes.

Potest igitur *nostra Theologia, quatenus est scientia à Deo mediatè reuelata, ex principijs singularibus ad Christum, & eius Incarnationem, aut etiam opera à Deo prædestinata pertinentibus, singulares conclusiones, necessariam & infallibilem cum illis principijs connexionem habentes, inferre* ; exempli gratia, *ad Ephes. 1.* ait Apostolus: *Vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso.* Ex hoc autem singulari principio per necessariam consequentiam deducitur hæc conclusio singularis, & suapte natura contingens, videlicet ; ergo Deus in Christo restaurauit, & actu restau-

Resol. 2. quoad scientiam nostram.

Prob.

Conf. 1.

Corollarium resolutionẽ secundam illustrans.

A

B

C

D

E

Conf. 2.

Posteriùs quæstio.

Ex differentia theologiæ ab alijs scientijs ostenditur Incarnationis mysterium, & Christum istius esse partes huius Theologiæ subiectum.

Resolutio.

Probatur.

restaurat ruinas Angelorum assumendo homines ad ordines eorum. Quæ deductio videtur euidens & necessaria; quia supposita obstinatione malorum Angelorum, quorum casu ruina facta est in Angelicis Choris, & Hierarchijs, restauratio ruinæ, quam fecit Deus per Christum hominum redemptorem & glorificatorem, non aliter intelligi potest, quàm per assumptionem hominum ad ordines Angelorum. Et *Hebr. 10.* idem Apostolus de Christo sic loquitur: *Ideò ingrediens mundum dicit hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi*, &c. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Ex quo fidei principio sequitur per euidentem & necessariam consequentiam, Christum in primo suæ conceptionis instanti, & in sua passione meruisse. *Probatur hæc consequentia*; quia tam voluntas patiendi, & offerendi seipsum Deo pro peccatis nostris in satisfactionem, quàm ipsa passio fuit in Christo meritoria. *His adde* articulos omnes ad humanitatem Christi pertinentes esse principia fidei; ac proinde posse ex eis deduci conclusiones, non quidem vniuersales; quoniam ex principio singulari non sequitur veritas vniuersalis; igitur ex eis inferri poterunt tâtum veritates singulares ad actiones Christi pertinentes, & nostræ Theologiæ scientiam integrantes. *Eandem veritatem*, nimirum Theologiæ partem aliquam agere de Christo, vt eius obiecto, docet expresè S. D. *hic in prologo*, & post eum Caietanus; cuius veritatis rationem assignat idem S. D. *in 2. 2. qu. 1. artic. 3. ad secundum*, dicens: *Deum non incarnari secundum se consideratum fuit possibile etiam post tempus Abrahæ; sed secundum quod cadit sub præscientia diuina, habet quandam necessitatem infallibilitatis; & hoc modo cadit sub fide: vnde prout cadit sub fide, non potest esse falsum.* Qua doctrina Caietanus vtitur aduersus Scotum *in prima par. qu. 1. art. 3.* Vbi sic primum eius diluit argumentum: *Incarnatio, & alia huiusmodi secundum se contingentia, vt subsunt huic scientiæ, sunt necessaria; quemadmodum, vt scita à Deo sunt necessaria, vt in quæst. 14. patebit.* Non solùm igitur Incarnatio Verbi diuini, sed alia multa singularia, & secundum se contingentia in sacris litteris à Deo reuelata nostræ principia sunt Theologiæ, ex quibus verè ac propriè scibiles conclusiones inferuntur: exempli gratia; Mariam Virginem peperisse, principium est fidei, *Luc. 1. & Isaiæ 7.* nobis à Deo reuelatum. Ex quo necessariò sequitur duo corpora posse diuina virtute se inuicem penetrare, & similiter cum *Luc. 1.* pronunciat Angelus, Mariam esse gratia plenam, principium est fidei; ex quo sequitur gratiæ plenitudinem super omnes creaturas habuisse Mariam; quia per gratiam illam reddebatur idonea mater Dei.

Prob. 2.

Prob. 3.

Prob. 4.

Secundò considerandum est, hoc loco nomine Incarnationis, & Christi, non solùm hypostaticam vnionem Verbi cum humanitate, aut solum Christum huius vnionis terminum comprehendi; sed etiam actiones omnes, & passiones Christi ad humani generis redemptionem, & ipsius Christi gloriam, & exaltationem ordinatas, vt hic scitè notat magister Porrecta, ita vt obiectum huius Theologicæ partis sit Christus non omnino absolutè, aut præcisè; sed quo ad plura tum intrinsecè tum extrinsecè sibi conuenientia; de quibus distinctis quæstionibus, & articulis in hoc tractatu disputat sanctus Thomas. Hæc verò sunt Incarnationis conuenientia, modus, &c. gratia, scientia, potentia, defectus assumpti, voluntatis actus, meritum, oratio, sacerdotium, filiatio, prædestinatio, adoratio, respectus ad matrem, & matris ad ipsum cum omnibus matri conuenientibus, conceptio, natiuitas, prædicatio, passio, mors, resurrectio, &c. de quibus ordinatè disserit S. D. in hac tertia parte suæ summæ: ex his enim singulis veluti principijs singularibus & singulariter sumptis, ac fide notis nobis conclusiones deducit ad scientiam nostræ Theologiæ pertinentes; ac proinde falsum est, tam secundum, quàm tertium dictum Suarezij. Non solùm enim Christus, vt indiuiduum quoddam est; sed etiam Incarnatio, quatenus est huius personæ diuinæ, scilicet filij cum hac humanitate, in hoc tractatu consideratur; quamuis *in tertia quæst.* ad complementum doctrinæ disputet de vnione, & assumptione, quasi communiter, & specificè sumpta, quatenus scilicet potest attribui naturæ diuinæ, vel personæ, aut vni, vel pluribus, vel etiam omnibus, aut vni magis quàm alteri. *In quarta verò quæst.* de eadem agit in ordine ad naturam assumptibilem: num scilicet humana natura sola, vel etiam alia natura fuerit assumptibilis, & an humanitas à singularibus abstracta debuerit assumi, vel vt est in omnibus singularibus, &c. Quas omnes difficultates ex absoluta, & quasi specifica ratione assumptionis, & vnionis determinat sanctus Thomas.

Quid intelligatur nomine Incarnationis

Porrecta.

Contra Suarezij 2. & 3 dictum.

Conclusiones deductæ & probatæ.

PRIMA CONCLVSIO: *Neque homo, neque Angelus virtute, seu lumine sui intellectus naturali, neque Deus, vt author naturæ per scientiam suam practicam naturalem potest mysterium Incarnationis attingere.* Conclusionem hanc, quoad primas duas partes latè probauimus *in prima par. qu. 57. art. 5. Controuersia 1.* quo ad tertiam verò patet ex dictis.

SECVNDA CONCLVSIO: *Ad nostræ Theologiæ considerationem pertinet Incarnatio Verbi diuini:* hæc patet ex dictis, & *probatur*: quoniam, vt ait Augustinus *lib. 14. de Trinitate, cap. 1. Huic scientiæ attribuitur illud tantummodo, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Quod intelligendum est quo ad omnia mysteria diuinitus Ecclesiæ à Deo reuelata, vt probat S. D. *in prima parte, quæst. 1. artic. 8.* Ad nostram enim Theologiam pertinet, non solùm sua principia, quæ sunt articuli fidei, declarare; sed etiam ea, quæ infideles aduersus eadem fidei principia producunt, argumenta diluere: & quædam etiam fidei mysteria ex alijs, quæ confitentur infideles, arguendo probare, & ex singulis fidei principijs conclusiones ad habitum nostræ Theologiæ pertinentes inferre. Certum est autem Incarnationem Verbi diuini, vnum esse ex præcipuis fidei mysterijs nobis à Deo reuelatis: igitur circa illud explicandum, defendendum, & suo modo comprobandum versabitur nostra Theologia: & ex eodem etiam, vt principio Theologicas inferet conclusiones. *Secundò probatur*; quoniam ad Theologiam pertinet agere de Deo, quatenus communicatur creaturis: in Incarnatione verò summo modo possibili se ipsum Deus communicat creaturæ.

Aug.

S. Thom.

TERTIA CONCLVSIO: *Ad mysterium Incarnationis cognoscendum non est necessaria scientia altioris ordinis, quàm sit nostra Theologia.* Hæc patet ex dictis, & sequitur ex præcedenti.

QVARTA CONCLVSIO: *Mysterium Incarnationis non cognoscitur à nobis per scientiam aliquam nostræ Theologiæ subalternatam.* Hæc patet ex dictis.

VLTIMA CONCLVSIO: *Christus Dominus, seu Incarnatio in sensu iam explicato subiectum est huius tertiæ partis proprium, & adæquatum.* Ad cuius intelligentiam scito hic sumi Incarnationem cum suo termino totali, scilicet Christo ex vtraque natura composito: & ideo secundùm hæc in idem redit asserere Christum, aut Incarnationé esse huius Theologicę partis subiectum.

Argumenta, & solutiones.

Cont. concl. obijcitur 1. CONTRA PRIMAM *conclusionem*, quo ad primam, & secundam partem militant argumenta, quæ notauimus *in prima parte, quæst. 57. artic. 5. contra sextam conclusionem illius Controuersiæ.* Contra eandem conclusionem produci potest *hoc argumentum:* Incarnationem esse possibilem potest naturaliter ab Angelo, & ab homine cognosci; ergo cognitio mysterij Incarnationis non est propria nostræ Theologiæ. Consequentia euidens est; quoniam eodem lumine est cognoscibilis huius mysterij possibilitas, & eius existentia: *Antecedens verò probatur*; quia mysterium hoc esse possibile prouenit ex infinitate Diuinæ personę, propter quam illi conuenit, vt fieri possit in ea concursus diuersarum naturarum secundùm subsistentiam, vt ait S. D. *infra quæst. 3. art. 1. ad secundum*, sed hanc infinitatem naturaliter cognoscit Angelus & homo: Scimus enim omnem Dei perfectionem esse simpliciter infinitam: constat autem personalitatem esse perfectionem simpliciter: quoniam, vt ait S. Thom. *S. Thom.* *in prima parte, quæst 29. artic. tertio: persona significat, id quod est perfectissimum in tota natura, scilicet subsistens in rationali natura: ergo.* *Solut.* Respondetur falsum esse antecedens: Ad cuius probationem dico duplicem esse secundùm rationem infinitatem diuinæ personalitatis: *alteram* illi conuenientem, quatenus est quasi forma, qua diuina natura terminatur, & subsistit infinitè, non solum vt in se est, sed etiam vt principium quod totius ordinis naturalis in rebus à Deo creatis, vel creabilibus: *& alteram* illi conuenientem, quatenus est principium rerum supernaturalium, & alienam etiam potest terminare naturam. Ex his *ad probationem antecedentis dico*, primam eius propositionem esse veram de secunda infinitate: falsam autem de prima: secundam verò propositionem esse veram de prima; falsam autem de secunda infinitate.

Obijcitur 2. Contra eandem conclusionem, quo ad tertiam partem est *argumentum:* Quia Deus, vt author naturæ comprehendit infinitatem suæ personalitatis; ergò vt author naturæ cognoscit eam posse terminare alienam naturam; igitur vt author naturæ cognoscit hoc mysterium. Antecedens patet. *Prima consequentia probatur*: quoniam ex infinitate suæ personalitatis habet diuina persona, vt possit alienam naturam terminare: *secunda vero*; quia mysterium Incarnationis in hoc consistit, quod est terminare naturam humanam, quæ aliena est à diuina natura. *Respondetur* sicut ad præcedens: Nam, si sermo sit de secunda infinitate falsum est antecedens: si verò de prima admisso antecedente negatur consequentia. *Solut.*

CONTRA SECVNDAM CONCLVSIONEM sunt argumenta, quæ refert, & soluit Medina *in prima sua quæstione introductoria.* Contra eandem conclusionem est hoc *argumentum:* Scientia nostræ Theologiæ vtilis est ad salutem, vt probat S. D. *in prima parte, quæst. 1. articul. 1.* at notitia mysterij Incarnationis superuacanea est, & reprehensione digna, vt ait Basilius *in sermone de humana Christi generatione*, & eius consideratio perniciosa est inducens in varios errores, vt affirmat Athanasius *in libr. quod vnus sit Christus.* *Respondetur*, falsam esse minorem. Ad cuius probationem dico, sanctum Basilium, & Athanasium loqui de nimis curiosa, & temeraria perscrutatione huius mysterij, quæ scilicet soli innititur lumini naturali; non autem de inuestigatione & consideratione, quæ fit secundùm regulas fidei, & Ecclesiæ doctrinam, qualis est ea, quam tradit nostra Theologia. *Contra 2. concl. obijcitur. Medina.* *S. Thom.* *Solut. Basil. Athan.*

CONTRA TERTIAM *conclusionem* tria sunt argumenta. *Primum* est ex authoritate Cyrilli, & Agapiti Papæ. Nam Cyrillus *lib. 6. in Ioann. cap 1. 47. in fine* dicit, hoc mysterium à nobis cognosci non posse, nisi visione beatifica; quia *Ioann. 14.* scriptum est: *In illo die* (scilicet Patriæ) *vos cognoscitis; quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis*, scilicet ratione Incarnationis. Agapitus autem *in Epistola ad Antinoum* ait, veritates huius mysterij sola fide posse cognosci in via, sed lumen gloriæ, & fides sunt superiora lumine Theologico; ergo, *Respondetur* Cyrillum loqui de cognitione euidenti huius mysterij, quæ non habetur in via; sed expectatur in Patria: Agapitus autem loquitur de ijs, quæ pertinent ad substantiam Incarnationis, quales sunt articuli de humanitate Christi: Hi namque sola fide cognoscuntur. Vel potest eius dictum intelligi de fidei reuelatione, siue sit immediata, qualis est de fidei principijs, siue sit mediata, qualis est de conclusionibus Theologicis; hæc enim ex illa deriuantur. *Contra 3. concl. obijcitur 1. Cyrillus. Agapitus.* *Solutio.*

Secundum argumentum est: Mysterium Incarnationis siue Christus, qui est huius partis obiectum, est altioris ordinis, quàm sint res ordinis gratiæ vel gloriæ; ergo lumen, quo attingitur, est altius lumine Theologico, quo spectantia ad ordinem gratiæ cognoscuntur: Antecedens patet, & explicatur hic à Caietano, & alijs. *Consequentia verò probatur primò:* Quia res ordinis gratiæ ideo nequeunt attingi lumine naturali proportionato rebus ordinis naturalis; quia sunt ordinis superioris, quàm sit ordo naturalium; igitur cùm Incarnatio siue vnio hypostatica & Christus eius terminus sint altioris ordinis, quàm sit ordo gratiæ, non poterit cognosci per lumen & habitum nostræ Theologiæ, quæ est scientia proportionem habens cum ordine gratiæ. *Secundò probatur* eadem consequentia; quia sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci; ergo res superioris ordinis non potest cognosci, nisi per scientiam superioris ordinis. *Respondetur* nullam esse consequentiam: Ad cuius probationem negatur etiam consequentia; quia sicut duplex est ordo entium, seu obiectorum intelligibilium; quidam enim est naturalis, & qui- *Obijcitur 2.* *Solut.*

quidam supernaturalis, ita *duplex est ordo intellectuum*, formaliter loquendo: *alter naturalis*; *alter supernaturalis*. Intellectus naturalis est, cuius lumen & virtus naturalem habet proportionem seu consonantiam cum ente seu obiecto intelligibili ordinis naturalis; quia nimirum ipsum attingit secundum totam eius latitudinem; quamuis illud, quo ad omnes eius partes non comprehendat aut quidditatiuè cognoscat: Intellectus enim noster suo lumine naturali substantias separatas, & Deum attingit, licet nec hunc, nec illas quidditatiuè cognoscat: intellectus autem supernaturalis est, cuius lumen, & virtus proportionem habet, seu consonantiam cum ente, siuè obiecto intelligibili ordinis supernaturalis secundùm totam eius latitudinem: sit autem hæc proportio in intellectu creato Angelico, vel humano per additum lumen, & auxilium Dei supernaturale: sicut enim lumen intellectus nostri naturale participatio quædam est luminis, & intellectus Dei naturalis, quo scilicet naturalia cognoscit, & operatur iuxta illud Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine:* ita lumen iutellectus nostri supernaturale participatio quædam est intellectus Dei supernaturalis, quo scilicet supernaturalia cognoscit, & causat. Et quemadmodum Deus suo intellectu naturali, vt sic, totam entis naturalis latitudinem comprehendit, sic intellectus creatus suo lumine ac virtute à Deo participata ad totam extenditur entis naturalis latitudinem, licèt eam quo ad omnes eius partes non comprehendat. Cum igitur Incarnationis mysterium ad ordinem pertineat entis supernaturalis, poterit à nobis per intellectum supernaturalem, ideſt illustratum lumine supernaturali; ac proinde per habitum fidei, & per scientiam nostræ Theologiæ ex eo deriuatam cognosci, qua etiam cognoscitur Deus, vt author supernaturalium, & vt obiectum supernaturale. *Ad argumentum igitur in forma*, negatur consequentia. *Ad cuius probationem* negatur etiam consequentia; quia non eodem modo comparatur intellectus noster habēs scientiā Theologiæ cum ordine gratiæ, sicut comparatur intellectus noster solum habens lumen naturale cum ordine entis naturalis: Nam hic respicit ens naturale, vt obiectum suum adæquatum: ille verò non respicit ordinem gratiæ, vt obiectum suum adæquatum; sed totum ens supernaturale, quod comprehendit etiam mysterium Incarnationis, &c. Et ex his etiam satis fit *secundæ probationi* cōsequentiæ: Falsum est enim Incarnationem esse obiectum superioris ordinis, quàm sit obiectum scientiæ Theologicæ. Nam, vt diximus, sub eodem ordine, scilicet supernaturali continetur, vt pars quædam est obiecti adæquati scientiæ Theologicæ. *Secundò dico* propositionē illā: *Sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci*, nō ita esse intelligendam, vt lumen, & cognitio etiam comprehensiua rei, puta Incarnationis, debeant esse eiusdem ordinis cum ipsa re cognita, scilicet Incarnatione, si sermo sit de ordine, quasi in specie eo modo, quo ordo naturaliū distinguitur in ordinē substantiarū materialiū & spiritualiū creatarum, & substantiæ spiritualis increatæ, quasi in tres species, vel tria genera magis determinata, quam ordo naturalium in communi; quemadmodum etiam ordo supernaturalium in plures diuiditur ordines, scilicet gratiæ, gloriæ, vnionis hypostaticæ, & Dei, vt author est supernaturalium. De ordine igitur sic specialiter accepto loquendo non oportet lumen, & cognitionem esse eiusdem ordinis cum ipsa re cognita; quia lumen gloriæ, & visio beata, qua Christus videt Deum quidditatiuè, & Incarnationem comprehensiuè, non est eiusdem ordinis cum Deo clarè viso, qui est ordinis increati, neque cum ipsa Incarnatione, quæ constituit ordinem hypostaticum: & eadem ratione non intelligitur dicta propositio de esse rei cognoscibilis quo ad eius entitatiuam, & specificam perfectionem, & de cognitione quo ad lumen: quoniam Incarnatio, & visio beata comprehenduntur per lumen gloriæ, & forsitan etiam per scientiam inditam Christi, & tamen entitatiuè sunt perfectiores illis. *Duos itaque legitimos, ac veros sensus habet illa propositio: Primò* namque potest intelligi de esse, quod habet res in intellectu ratione speciei; nam, quo fuerit perfectior species, eo res erit magis cognoscibilis ab intellectu: & ideò superiores Angeli perfectiorem de se ipsis habēt cognitionem, quam de illis habeant inferiores; quia perfectiori specie, scilicet essentia sua seipsos intelligunt, quam sint illæ species, quibus ab inferioribus cognoscuntur. Hunc sensum exprimit S. D. *in prima parte, quæst. 14. art. 6. ad 1. Secundò* intelligitur dicta propositio de lumine, sub quo est elicienda cognitio: Necesse est enim lumen esse rei cognitæ proportionatum, non quo ad perfectionem entitatiuam, sed quo ad habitudinem ad illam, vt ad obiectum, vt ait S. D. *prima par. qu. 12. artic. 1. ad quartum, &c.* S. Thom.

Tertium argumentum est: Scientia Theologiæ, quam Angeli habuerunt à principio, fuit euidens, & illis indita fuit, veluti naturalis proprietas consequens naturam: cognitio verò, quam habuerunt de Christo, neque fuit indita, neque clara; ergo non fuit Theologica. *Antecedens* quo ad primam partem patet ex ijs, quæ diximus *in prima parte, quæst. 1. art. 2.* de Theologia Angelorum, *& quæst. 55. art. 2.* de speciebus, quibus intelligunt Angeli: Quo ad secundam verò partem est D. Tho. *in eodem lib. quæst. 57. art. 1.* Respondetur ex D. Thom. *prima par. q. 57. art. 5. ad primum:* falsum esse antecedens, quo ad secundam partem absolutè loquendo: Nam omnes Angeli à principio claram, & inditam habuerunt notitiam Incarnationis in generali, siuè quo ad eius substantiam & quidditatem, & de ijs, que ex ea necessariò consequuntur, quorum tamen cognitio non fuit in Angelis discursiua, vt contra Bannesium dixmus *in prima par. q. 1. art. 2. Controu. 3. concl. 4.* Quo ad speciales verò conditiones, & circumstantias, quæ cum hoc mysterio non sunt necessariò connexæ, non omnes Angeli à principio de omnibus sunt edocti in actu secundo. Sed quidā etiam superiores Angeli postea didicerunt, vt ex Isaia *cap. 63.* docet Dionys. *in 7. cap. Cœlestis Hierarch.* Cuius verba refert S. D. *in dict. quæst. 57. art. 5.* Hæc tamen, quæ postea didicerunt iam à principio quodammodo in actu primo, seu habitu cognoscebant, eo ferè modo, quo per species naturali cognitioni deseruientes cognoscunt Angeli rerum quidditates, quando voluerint in actu secundo. Singularia verò & eorum conditiones, & circumstantias cognoscere nó possunt in actu secūdo, nisi postquàm fuerint existentia in rerū natura; quæ tamē ab initio cognouerūt in actu primo, vt ostendimus *in prima parte, quæst. 57. artic. 2. Controu. 2.*

Psalm. 4. — Ad 1 prob. — Ad 2 prob. — Obijcitur 3. — Solut. — Isaiæ 63. — Dionys.

Cont. 4. concl. obijcitur. CONTRA QVARTAM *conclusionem* est hoc *argumentum*: Illa scientia, cuius obiectum addit differentiam accidentalem ad obiectum alterius, est illi subalternata, vt dicitur *in primo Poster. cap. 13.* at huius tractatus siue partis obiectum, scilicet Christus addit differentiam accidentalem ad obiectum Theologiæ, quod est Deus: ergo. *Probatur hæc minor*; quia Christus ad rationem Deitatis addit humanitatem terminatam per Verbum, vel vnctam oleo Deitatis, vt docent Augustinus *in lib. de Dono perseuerantiæ, cap. 24.* Cyrillus *in lib. de Incarnatione, cap. 25.* Damascenus *in lib. de Fide cap. 3.* & alij; sed hæc sunt accidentaria Deo; ergo. Respondetur maiorem non esse veram, nisi cum triplici conditione. *Prima* est, vt illa differentia accidentalis prædicetur de subiecto, cui additur in materia contingenti. *Secunda*, vt consideretur sub diuerso lumine. *Tertia*, vt principia subalternatæ manifestentur in lumine subalternãtis, quæ hic locum non habent; quia id, quod addit obiectum huius tractatus ad obiectum Theologiæ, prędicatur de illo per se, & constituit propositionem in materia naturali: Nam hæc propositio: Deus est homo, est in materia naturali, & est propositio per se ratione suppositi, vt supra diximus ex D. Tho. Deinde scientia de Christo Deo, & homine conclusiones deducit ex principijs eodem habitu, & lumine fidei creditis, quo nota & credita sunt alia principia nostræ Theologiæ; ac proindè sci entia de Christo sub eadem ratione formali obiecti, vt res est, & vt obiectum, scilicet sub ratione Deitatis, & sub ratione diuinæ reuelationis mediatè cognoscit suas conclusiones, sub qua suas considerat nostra Theologia. Est igitur scientia de Christo nostræ Theologiæ pars: non autem scientia ab ea diuersa, & illi subalternata.

August. Cyrill. Damasc. Solut.

Contra vltimã concl. obijc. CONTRA VLTIMAM *conclusionem* est *argumentum* iam supra solutum, videlicet: Christus est quoddam singulare contingens, & ens per accidens; ergo per se non pertinet ad scientiã Theologiæ. *Consequentia probatur*: quia scientia est de vniuersalibus, & necessarijs, & de entibus per se. *Antecedens verò probatur*; quia Christus est hic homo potens deficere & mori; & cùm duas includat naturas, scilicet diuinam & humanam non potest esse, nisi ens per accidens. *Et confirmatur*: quia de alijs singularibus in diuina scriptura reuelatis, vt de Abraham, Moyse, & Dauid, nõ est Theologia, sicut nec de Diluuio, & Arca Noë; quia sunt singularia contingentia. *Respondetur* falsum esse antecedens, iam enim supra dictum est scientiam esse posse de contingenti, si cognoscatur per infallibiles causas, quales sunt ordo diuinæ prouidentiæ, & omne decretum diuinæ voluntatis, nec Christus est ens per accidens, sed ens per se, vt ante diximus. *Ad confirmationem dico*, in diuina scriptura quædam singularia recensèri ad instructionem, & vtilitatem fidelium; & quædam etiam, ex quibus possunt deduci conclusiones, qualis est Beatissima Virgo Maria cum plenitudine gratiæ, & alijs perfectionibus in Euangelio narratis, & Ioannes, vt Christi Præcursor cum officio prædicandi, & baptizandi. Ex his enim veluti fide creditis nostræ Theologiæ principijs Sancti Patres, & alij Theologi scholastici multas deducunt conclusiones, quibus vt veritatibus mediatè reuelatis instruuntur fideles, & vt regulis in actionibus diriguntur. Quædam autem alia referuntur in eadem diuina scriptura singularia, ex quibus nullæ deducuntur conclusiones, & de ijs intelligendum est id, quod ait S. D. *in prima par. quæst. 1. art. 2. ad secundum.* Vbi sic loquitur: *Singularia traduntur in sacra doctrina, non quia de eis principaliter tractetur; sed introducuntur tum in exemplum vitæ sicut in scientijs moralibus, tùm etiam ad declarandum auctoritatem virorum, per quos ad nos reuelatio diuina processit, super quam fundatur sacra scriptura, siuè doctrina.* Quòd autem de talibus singularibus fermo sit, patet ex argumento illius articuli 2. In eo namque proferuntur distinctè tria tantùm singularia, scilicet Abraham, Isaac, & Iacob: Ex quibus non apparet in nostra Theologia deduci conclusiones, nisi fortè ratione aliquarum actionum ab ipsis, vel circa ipsos à Deo gestarum.

Ad conf.

S. Thom.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum conueniens fuerit Deum incarnari.

AD primum sic proceditur. *Videtur, quòd non fuerit conueniens Deum incarnari. Cum enim Deus ab æterno sit ipsa essentia bonitatis, sic optimum est ipsum esse sicut ab æterno fuit. Sed Deus ab æterno fuit absque omni carne. Ergo conuenientissimum est ipsum non esse carni vnitum. Non ergo fuit conueniens Deum incarnari.*

2. d. 1. q. 1. art. 2. Et 4. con. c 40. 49 53. 54. & 55. Et op 2. c 5 & 6. & opus. 3. c 207 & 208.

Præterea: Quæ sunt in infinitum distantia, inconuenienter iunguntur: sicut inconueniens iunctura esset, si quis pingeret imaginem, in qua humano capiti ceruix iungeretur equina. Sed Deus, & caro in infinitum distant: cum Deus sit simplicissimus, caro autem maximè composita, & præcipuè humana. Ergo inconueniens fuit quòd Deus carni vniretur humanæ.

Præterea: Sic distat corpus à summo spiritu, sicut malitia à summa bonitate. Sed omnino inconueniens esset, quòd Deus qui est summa bonitas, malitiam assumeret. Ergo non fuit conueniens, quòd summus spiritus increatus corpus assumeret.

Præterea: Inconueniens est, vt qui excedit magna, contineatur in minimo, & cui imminet cura magnorum ad parua se transferat. Sed Deum, qui totius mundi curam gerit, tota rerum vniuersitas capere non sufficit; Ergo videtur inconueniens, quòd intra corpusculum vagientis infantiæ lateat, cui parum putatur vniuersitas: & tamdiu à sedibus suis absit ille Regnator, atque ad vnum corpusculum totius mundi cura transferatur: vt Volusianus scribit ad Augustinum.

Sed contra: Illud videtur esse conuenientissimum, vt per visibilia monstrentur inuisibilia Dei: ad hoc enim totus mundus est factus: vt patet per illud Apost. Rom. 1. inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Sed sicut Damas. dicit in principio tertij lib. per Incarnationis mysterium monstratur simul bonitas, & sapientia, & iustitia, & potentia Dei vel virtus. Bonitas quidem, quoniam non despexit proprij plasmatis infirmitatem. Iustitia verò: quoniam homine victo non alio, quam homine fecit vinci tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem. Sapientia verò: quoniam inuenit difficillimi pretij decentissimam solutionem. Potentia verò siue virtus infinita: quia nihil est maius quam Deum fieri hominem. Ergo conueniẽs fuit Deum incarnari.

Lib 3. d. 1. q. 1 a 3. ad 3 & q 2. a. 2. ad 1. Et d. 4 q 1. art 1. q. 1. c. 2. ad 2.

Respondeo dicendum, quòd vnicuique rei conueniens est illud, quod competit sibi secundum rationem propriæ naturæ: sicut homini conueniens est ratiocinari, quia

ri, quia hoc conuenit sibi inquantùm est rationalis secundum naturam suam. Ipsa autem natura Dei est essentia bonitatis: vt patet per Dionysium primo cap. de diuin. nom. Vnde quicquid pertinet ad rationem boni, conueniens est Deo. Pertinet autem ad rationem boni, vt se alijs communicet: vt patet per Dionysium quarto cap. de diuin. nom. Vnde ad rationem summi boni pertinet, quòd summo modo se creaturæ communicet: quod quidem maximè fit per hoc quòd naturam creatam sic sibi coniungit, vt vna persona fiat ex tribus, scilicet verbo, anima, & carne. sicut dicit Augustinus. 13. de Trin. Vnde manifestum est quòd conueniens fuit Deum incarnari.

Infra q. 2. art. 6. ad 1. Et 3 dist. 1. q. 1. art. 1. ad 1.

Ad primum ergo dicendum, quòd Incarnationis Mysterium non est impletum per hoc, quòd Deus sit aliquo modo à suo statu immutatus, in quo ab æterno fuit: sed per hoc, quod nouo modo se creaturæ vniuit, vel potius eam sibi. Est autem conueniens, vt creatura, quæ secundum rationem sui mutabilis est, non semper eodem modo se habeat. Et ideo sicut creatura incepit esse cum prius non esset, ita conuenienter, cum prius non esset vnita Deo in persona, postmodum ei fuit vnita.

Ad secundum dicendum, quòd vnire Deo in vnitate personæ, non fuit conueniens carni humanæ secundum conditionem suæ naturæ: quia hoc erat supra dignitatem ipsius; conueniens tamen fuit Deo secundum infinitam excellentiam bonitatis eius, vt sibi eam vniret pro salute humana.

Ad tertium dicendum, quòd quælibet alia conditio, secundum quam creatura quæcunque differt à creatore, à Dei sapientia est instituta, & ad Dei bonitatem ordinata: Deus enim propter suam bonitatem cum sit increatus, immobilis, & incorporeus produxit creaturas mobiles, & corporeas. Et similiter malum pœnæ à Dei iustitia est introductum propter gloriam Dei: malum verò culpæ committitur per recessum ab arte diuinæ sapientiæ, & ab ordine diuinæ bonitatis: & ideo Deo conueniens esse potuit assumere naturam creatam, mutabilem, corpoream, & pœnalitate subiectam: non autem fuit ei conueniens assumere malum culpæ.

Ad quartum dicendum, quòd sicut Augustinus respondet in Epist. ad Volusianũ. Non habet hoc christiana doctrina, quòd ita sit Deus infusus carni humanæ, vt curam gubernandæ vniuersitatis vel deseruerit, vel amiserit, vel ad illud corpusculum, quasi contractam transtulerit: hominum enim est iste sensus, nihil nisi corporea valentium cogitare: Deus autem non mole, sed virtute magnus est: vnde magnitudo virtutis eius, nullas in angusto sentit angustias. Non est incredibile, si verbum hominis transiens, simul auditur à multis, & à singulis totum, quod Verbum Dei permanens, simul vbique sit totum. Vnde nullum inconueniens sequitur Deo incarnato.

Sensus quæsiti.

TRes sunt in hoc titulo termini, quorum significatio diligenter est obseruanda. *Primus* est dictio illa *Deum*, cuius in hoc loco significatio valdè communis est: abstrahit enim ab hoc Deo essentialiter subsistente communi Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & à quolibet diuino supposito personaliter, & relatiue subsistente: de hoc enim Deo tribus personis communi, & de singulis, ac simul etiam omnibus personis peculiares in quæstione tertia definiendæ superfunt difficultates. *Duo alij* termini sunt verbum illud *incarnari*, & nomen illud *conueniens*; quorum significationes explicant accuratè Caietanus, Valentia, & Vasquez *super hoc art.*

Caiet. Valentia Vasquez.

Forma Textus.

CONCLVSIO *est: Conueniens fuit Deum incarnari.* Probatur dupliciter: *Primo in argumento ad oppositum*: Illud videtur esse conuenientissimum, vt per visibilia monstrentur inuisibilia Dei; at per Incarnationis mysterium monstrantur inuisibilia Dei; ergo. *Maior probatur*; quia totus mundus ad hoc est factus, vt patet ex Apost. *Rom. 1.* dicente: *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Minor probatur* authoritate Damasceni dicentis per Incarnationis Mysterium monstrari simul bonitatem, sapientiam, iustitiam, & potentiam, &c. *Secundò probatur in corpore*; quia ad rationem summi boni, quod est Deus, pertinet, vt summo modo se communicet; ergò conueniens fuit Deum incarnari. *Probatur consequentia*; quia summum bonum, quod est Deus; per hoc summo modo communicatur, quod naturam creatam sic sibi coniungit, vt vna persona fiat ex tribus Verbo, anima, & carne, vt ait Augustinus; hoc autẽ est incarnari. *Antecedẽs autẽ probatur*: Quicquid pertinet ad rationem boni, conueniens est summo bono, quod est Deus (intellige modo suo,) sed pertinet ad rationem boni, vt alijs se communicet; ergo ad rationem summi boni, quod est Deus, pertinet, vt summo modo creaturæ se communicet. *Maior probatur*. Quia vnicuique rei conueniens est illud, quod competit illi secundum rationem propriæ naturæ; at ipsa natura summi boni, quod est Deus, est ipsa essentia bonitatis; ergo quicquid pertinet ad rationem boni, conueniens est summo bono, quod est Deus. *Maior huius argumenti probatur* exemplo hominis, cui conueniens est ratiocinari; quia hoc conuenit illi, inquantùm est rationalis secundũ naturam suam. *Minor* est Dionysij *in 1. cap. de diuin. nomin.*

Expositio Textus.

HIc *aduerte* PRIMO Vasquezium absque ratione, & non sine confusione plures syllogismos in textu sibi confingere; cùm tamen sit vnus, planissimusque discursus, vt patet ex forma supra notata, & ex ea, quam huic adhibet litteræ Caietanus. *Vasquez.* *Caiet.*

SECVNDO *obseruandum est* D. Thomam discursu præsentis articuli nolle probare mysteriũ Incarnationis iam esse factum, aut fieri debuisse; sed supposita reuelatione dicti Mysterij, rationem adducere probantem illud diuinæ maiestati fuisse conueniens.

TERTIO *circa propositionem illam* D. Thomæ: *quicquid pertinet ad rationem boni, conueniens est Deo*, nota subtilem Caietani expositionem: *Aliud est* (inquit) *loqui de ratione boni, & aliud de ratione talis boni, puta Angelici, Cœlestis, Humani, Leonini, & aliorum specialium bonorum: Ad rationem enim talis boni multa pertinet, quæ ad rationem boni, vt bonum est, non attinent: latrare namq; ad bonitatem pertinet Canis, & ratiocinari ad bonitatem hominis, quorum tamen neutrum ad rationem spectat boni simpliciter: atque ideò neutrum Deo conuenit: sed tantum illud omne, quod ad rationem boni pertinet absolutè sumpti, congruè Deo tribuitur, qui est ipsa bonitatis essentia.* Eandem expositionem sequitur Medina. Radix eius est communis illa differentia perfectionum. *Quædam* enim sunt, quæ in suo proprio, ac formali conceptu dicunt perfectionem cum nulla imperfectione; sicut substantia, intel-

Quo sensu sit accipienda illa propositio: Quicquid pertinet ad rationẽ boni conueniens est Deo S. Th. Caiet.

Medina.

intellectus,&sapientia;&hę dicuntur perfectiones simpliciter: *quædam* verò sunt, quæ in suo proprio ac formali conceptu claudunt imperfectionem, vt humanitas, risibilitas, & quælibet rerum creatarum species,& earum proprietates; quarum conceptus modum essendi claudunt imperfectum, quo res vna distinguitur ab alia, vt ait S. D. *prima par. q. 13. art. 3. ad 1.* & hæ nuncupantur perfectiones in genere, siuè secundum quid. Constat autem ex dictis *in prima par.* Deo non conuenire formaliter, nisi perfectiones simpliciter. Cum itaque bonum, vt bonum est, in sui ratione formali dicat perfectionem absque vlla imperfectione: tale verò bonum multiplicem in sui ratione claudat imperfectionem; consequens est, principium illud: *Quicquid pertinet ad rationem boni, conueniens est Deo,* de ratione boni, vt bonum est, siuè absolutè sumpti accipiendum esse; non autem, prout etiam extenditur ad tale bonum, quatenus tale est.

Vasquez obiectio. *Sed expositionem hanc,* vt minimè necessariam, & alienam à sensu D. Thom. reijcit Vasquez. *Nō enim* (inquit) *colligit S. Thom. quicquid est bonum, Deo conuenire; sed quicquid pertinet ad rationem bonitatis, hoc est, quicquid consentaneum est bonitati.*

Solutio. *Deo conuenire, qui est summa bonitas: ridere autem, & similia non pertinent ad rationem bonitatis; sed sunt quædam entia participantia bonitatem, & sunt bona alicui rei conuenientia secundùm naturam peculiarem ipsius.* Hæc Vasquez. Verùm hæc censura ex minus attenta textus inspectione procedit; quamuis enim non asserat S.D. Quicquid est bonum, Deo conuenire; non tamen ait: Quicquid pertinet ad rationem bonitatis, vt fingit Vasquez, sed: *Quicquid pertinet ad rationem boni, esse Deo conueniens.* Constat autem singulas rerum species, puta hominem, Leonem, Canem, &c. esse quædam bona, & ad rationem bonitatis eorum pertinere naturales eorum proprietates & differentias. vt patet *ex prima parte, quæst. 5. art. 1. ad primum;* quæ tamen ad rationem boni absolutè sumpti minimè pertinent. Potest igitur in illo principio: *Quicquid pertinet ad rationem boni, est Deo conueniens,* dupliciter accipi ratio boni: *Vno modo* pro ratione boni, quatenus bonum secundùm totam suam latitudinem ad omne boni genus, speciem, & modum est extensum: & hoc modo non sumitur hic à D. Thom. ratio boni: falsum enim esset illud principium; quia multa pertinent ad rationem specialium bonorum, quæ Deo non conueniunt, vt esse discursiuum, esse risibile, esse latrabile, &c. *Alio modo* sumi potest ratio boni, quatenus bonum haud extenditur ad hanc, aut ad illam boni naturam creatam; sed absolutè consideratur, & in hoc sensu verissimum est dictum principium, vt ostendimus.

Caiet. Debuit itaque Caiet. vt bonus expositor præmissa dubitatione, multiplicem terminorum sensum declarare.

Explicatur sensus illius propositionis: Pertinet ad rationem boni, vt se alijs cōmunicet. QVARTO, pro intelligentia illius minoris propositionis videlicet: *Pertinet ad rationem boni, vt se alijs communicet,* notandę sunt, & breuiter explicandæ quinque distinctiones. *Prima distinctio est;* communicare se alijs dupliciter potest ad rationem boni pertinere: *Vno modo,* vt existens de eius intrinseca ratione: *Alio modo,* vt eius naturæ conueniens: & in vtroque sensu benè potest intelligi communicationem pertinere ad rationem boni, vt ex statim dicendis eluceſcet.

A *Secunda distinctio:* Boni communicatio dupliciter sumi potest, scilicet in actu, & in aptitudine: secundùm actum dicitur bonum se communicare: secundùm aptitudinem autem dicitur esse communicatiuum. *Priori modo* sumpta communicatio non pertinet ad rationem boni, vt in eius propria, & intima ratione clausa, alioquin in Deo non fuisset ab æterno ratio bonitatis, cùm ad extra se non communicauerit ab æterno; sed in tempore: nullam igitur bono se communicanti perfectionem addit necessariò actualis boni communicatio, sed illi tantùm, cui fit communicatio: Vt enim ait S.D. *in 1. cont. gent. cap. 93. Finis vltimus, propter quem Deus vult omnia, nullo modo dependet ab ijs, quæ sunt ad finem, nec*

B *quantùm ad esse, nec quantum ad perfectionem aliquam: & ideò non vult alicui suam bonitatem communicare, ad hoc, vt sibi eximde aliquid accrescat; sed quia ipsum communicare est sibi conueniens, sicut fonti bonitatis. Dare autem, non propter aliquod commodum ex datione expectatum, sed propter ipsam bonitatem, & conuenientiam dationis est actus liberalitatis, vt patet per Philosoph. in 4. Ethic. Deus igitur est maximè liberalis, &, vt Auicenna dicit, ipse solus liberalis propriè dici potest: Nam omne aliud agens præter ipsum ex sua ratione aliquod bonum appetit, vel acquirit, quod est finis intentus.* Hæc ibi Sanctus Thomas. Non est igitur actualis communicatio ad intimam boni rationem pertinens, sed eius tantùm

C naturæ consentanea, vt *loco supra notato* declarat S.D. *Posteriori verò modo* accepta communicatio ad ipsam boni rationem, siuè naturam intimè pertinet: ratio enim communicatiui est ratio perfectiui, vt patet ex ijs, quæ latè diximus *in prima parte, quæst. 5. art. 1. Controu. vnica:* ac proinde bonum esse ad alterum communicatiuum idem est, quod esse alterius perfectiuum. Cum igitur ratio boni sit ratio perfectiui (hanc enim vt propriam addit bonum super ens, vt ostendimus *in allegata Controuersia*) consequens est, rationem communicatiui sicut & perfectiui ad intimam & essentialem boni rationem pertinere.

D *Tertia distinctio:* Duplex est boni communicatio: *Altera intentionalis;* & hanc bonum exercet, quatenus causam mouet agentem ad sui appetitum secundùm finalem causalitatem; sic enim bonum dicitur esse sui diffusiuum, vt ait S. D. *prima par. q. 5. ar. 4. ad secundum, & de Verit. quæst. 21. ar. 1. Altera est boni communicatio realis,* quæ duplex est; *quædam* enim est prorsus *extrinseca,* quam scilicet agit bonum media operatione causæ agentis ab eo motæ ad aliquid agenti simile producendum, vt ait S.D. *in primo cont. gēt. cap. 37. ratione 4.* Cuius verba sunt: *Ratio boni est ex hoc, quod est appetibile, quod est finis, quæ etiam mouet agentem ad agendum, propter quod dicitur bonum esse diffusiuum sui esse: hæc autem diffusio Deo competit: ostensum est enim supra, quod Deus est alijs*

E *causa essendi, sicut per se ens necesse esse.* Hæc S. Th. Quæ verba exponens Ferrariensis ait, boni cōmunicationem per vtramque fieri causalitatem, scilicet finalem, & efficientem, & Deum causam esse bonitatis in genere causæ efficientis; quia est primum agens, à nullo dependens, & in genere causæ finalis; quia est vltimus finis: cuius gratia omnia sunt, & fiunt; & ideò S. Thomam in vtraque causa, scilicet efficiente, & finali, ex ratione boni probasse propositionem illam: *Cōmunicatio esse, & bonitatis ex bonitate procedit,* vt ostenderet illam in vtraque causalitate veram: Cum enim omne agens, & aliud sibi simile producens, agat propter finem, & Deus, qui est

ipsa

ipsa essentia bonitatis, sit supremum agens & vltimus finis, secundùm vtramque causalitatem, nimirum finalem & efficientem, agendo scilicet propter suam bonitatem vt finem, producet Deus creaturam sibi similem suam illi bonitatem communicando.

Altera est boni communicatio realis, qua vna res seipsam, suamque indiuiduam entitatem alteri communicat, quæ ideò non incongruè nominatur *intrinseca*, quæ duplex est: *Vna* imperfectionem supponens in communicato, non minus ad eius perfectionem ordinata, quàm ad illius cui fit communicatio: & hæc sit tam secundùm genus causæ materialis, vt cum materia formam recipiens se ipsam illi communicat, quàm secundùm genus causæ formalis, vt cum forma materiam actuat, seipsam suamque perfectionem illi communicans, & sui esse in toto resultante complementum acquirens. *Altera* communicatio est nullam in communicato supponens imperfectionem, nec vllam eidem afferens perfectionem, sed illi tantùm, cui fit eiusdem numero bonitatis communicatio; *quod dupliciter* euenit; *quædam* enim æqualem naturæ, & perfectionis illi, cui fit communicatio, confert dignitatem, vt patet in essentiæ diuinæ communicatione, quam Pater generatione communicat Filio, & Filius vna sibi Patrique communi spiratione communicat Spiritui sancto: æqualem enim à Patre Filius, & ab vtroque Spiritus sanctus, accipit in omni perfectione naturam. *Quædam* alia communicatio est, quæ non eiusdem confert naturæ dignitatem, sed infinitæ præbet hypostasis vnitatem: quomodo diuina persona, quæ in vna tantùm fuit ab æterno Deitatis natura subsistens, cepit ex tempore diuina misericordia largiente in assumpta humanitate subsistere. Hunc autem esse summum ac perfectissimum communicationis modum inter eos omnes, quibus omnipotenti sua virtute potest se Deus communicare creaturæ, docet Angelicus Doctor in textu, & explicat eleganter, ac eruditè Caietanus, & post eum Medina, Suarez, & alij recentiores.

Quarta distinctio: Communicatio realis, & effectiua dupliciter sumitur: *Vno modo*, prout importat actionem metaphysicè sumptam, quæ agentis perfectio est, de qua latè disseruimus *prima parte, quæst. 25. art. 1. Alio modo*, prout importat illationem effectus extra ipsum agens: hic sumitur communicatio secundo modo, vt etiam Caietan. aduertit; quia de ea sermo est, quatenus effectum habet extra productum: Quæritur enim hic de Incarnatione, quæ non est actio Dei metaphysicè sumpta, quæ Deus est, sed est, Deum fieri carnem, siue hominem, cuius terminus est Christus Deus, & Homo, siuè Deum esse hominem, quod est esse substantiale in compositione consistens.

Vltima distinctio est: Communicatio duplex est: *Altera naturalis*, vt generatio Leonis ex Leone, & calefactio vel inflammatio ligni ex igne, & illuminatio aeris ex Sole: *Altera est voluntaria*, vt eleemosynæ largitio, aut cuiuslibet in alterum beneficij ex electione facta collatio. Ad hunc modum spectant omnes illæ communicationes, quibus Deus, tam vt agens siue principium rerum omnium pertinentium ad ordinem naturalem, quàm vt agens effectuum spectantium ad ordinem supernaturalem se multis ac miris modis creaturæ communicauit. Cùm igitur ait S. D. ad rationem boni pertinere, vt se alijs communicet, si de communicatione secundùm aptitudinem sermo sit, hæc ad eius rationem intimam, id est, ad essentiam pertinet. Si verò de communicatione intelligatur secundùm actum, hæc ad boni rationem eatenus dicitur pertinere, quatenus eius est naturæ consentanea. Deinde boni communicatio sumitur in ea propositione indistinctè, & absque limitatione ad modum aliquem determinatum, ex ijs omnibus, quos supra notauimus, nec de ea loquitur S. D. prout actio metaphysica est existens in agente, vt eius perfectio; sed quo ad illationem effectus extra ipsum agens, vt ante diximus cum Caietano. Denique de communicatione sermo est communiter & indistinctè, prout abstrahit à communicatione per modum naturæ, & per modum voluntatis siue libertatis. Nam quemadmodum bonum, & eius ratio transcendens est sub vna sua communissima ratione comprehendens, tam bonum secundùm esse naturæ, quàm bonam voluntatem; ac proinde bonum communiter acceptum sit abstrahens, ac indifferens ad vtrumque causandi modum, scilicet per modum naturæ & voluntatis, consequens necessariò est vt communicatio, quæ ad boni rationem dicitur pertinere, abstrahat ab vtroque causandi modo, nimirum per modum naturæ & voluntatis. Cùm igitur affirmat S. D. in textu ad rationem boni pertinere, vt se alijs communicet, indistinctè accipiendum est, ita vt vnicuique bono communicatio congruat secundùm illus modum; atque ideò deducta propositio, videlicet, *Ad rationem summi boni pertinet, vt summo modo se creaturæ communicet*, exponenda est addendo, siue subintelligendo, modo suæ naturæ congruenti, siue fiat communicatio naturaliter, siue liberè, vt admonet eruditè Caietanus, quem alij sequuntur expositores.

Ad cuius ampliorem euidentiam scito, diuinam bonitatem infinitam non minus conuenire personis, quàm essentiæ: Cùm igitur sit *triplex communicationis modus* Deo possibilis; *primus* intentionalis seu per modum finis; *secundus* per modum efficientis: *tertius* per modum termini personalis naturam creatam terminantis & personantis: omnes hi modi Deo summo bono, & simplicissimo conueniunt, sed non eadem ratione: Nam ratione diuinæ potentiæ communicatio Deo conuenit per modum efficientis: ratione verò bonitatis per modum finis: ratione autem personæ per modum termini naturam creatam terminantis, & suam illi subsistentiam tribuentis. Quamquam verum est, omnes hos communicationis modos ex summa Dei bonitate, quæ est ipsa Dei perfectio, veluti ex fonte deriuari. Cùm itaque probat S. D. Deo esse conueniens incarnari; quia ad rationem summi boni pertinet, vt summo modo se communicet creaturæ, nihil aliud intendit, nisi Deum posse tribus iam dictis modis se communicare, ac proinde conuenientem fuisse modum communicationis personalis iam factæ per Incarnationem: Cùm præsertim in hac vna tres omnes iam dictæ communicationes includantur: Deus enim omnipotenti sua virtute naturam humanam propter suam infinitam bonitatem hominibus manifestandam, & communicandam Verbo coniunxit in vnitate personæ simpliciter infinitæ, tam in essendo, quàm in terminando.

Quis sit sensus illius propositionis: summum bonum quod est Deus per hoc

POSTREMÒ explicanda est veritas illius propositionis assumptæ in probatione consequentiæ, vz. *summum bonum, quod est Deus, per hoc summo modo communicatur, quod naturam creatam sic sibi coniungit, vt vna persona fiat ex tribus, Verbo, Anima, & Carne.* Cuius sensum hic aperit subtiliter, &

summo modo communicatur, &c.

ter, & eruditè Caiet. §. *In tertia consequentia.* Et Medina *in responsione ad suum vltimum argumentum*, & Suarez *in Commentario.* Sed opere pretiũ erit eam ex diuinis litteris amplius explicare, & illi ex earum auctoritate robur adiungere. Et primo occurrit dictum illud Apostoli ad Ephes. *1. Proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, qua in Cœlis, & quæ in terra sunt in ipso.* Quod ideo dictum est: quia non solùm omnes rerum gradus, & ordines adunantur in Christo, & ad vnitatem Verbi diuini personalem eleuantur; sed etiam quia omnia propter hominem facta sunt, & eò reparato, omnia dicuntur restaurata, vt ait *in Commentario* S. D. & explicat *in 4. sent. dist. 48 q. 1. a 1.* Verbum autem *instaurare*, idem est, quod recapitulare seu colligere, vt ibi Caiet. aduertit: dicitur igitur Deus in Christo ea, quæ sunt in Cœlis, instauasse, id est ad Christum collegisse, quatenus omnes Angeli sub Christo capite & Domino sunt collecti, & quatenus eorum ruinæ per Christum fuere reparatæ locando homines in sedibus eorum, qui ceciderunt. Ea verò quæ sunt in Terra dicuntur ad Christum fuisse collecta: primò: quia totum genus humanum sub eius redemptione, iudicio & potestate fuit adunatum, & illi veluti membra suo corpori copulatum. Secundò, quia omnia sub rerum vniuersitate comprehensa sub imperio Christi colliguntur in miraculis, & in reuelatione sæculi post resurrectionem futuri. Quod etiam *Luc. 10.* Christus significauit, dicens: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo* s. meæ subdita potestati per eam examinanda, & restauranda; quia, sicut ait Athanasius à D. Th. relatus *in Catena aurea: Quemadmodum per Verbum omnia in principio introducta sunt in esse, ita cum Verbum caro factum est, in ipso omnia restaurantur.* per Incarnationis enim Myst. quandam excellentem acquirit vniuersum integritatem; quia nimirum ordinum omnium possibilium naturæ. s. gratiæ, & vnionis hypostaticę recipit complementum: ex totius verò perfectione ad singulas etiam eius partes perfectio deriuatur: quod etiam diuina scriptura significat, quæ cùm *Gen. 1.* de singulis operibus Dei dixisset *vidit Deus, quod esset bonum*, &c. De omnibus tamen illis operibus simul sumptis dicit *in fine cap. Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Cuius ratio iam dicta est; quia scilicet ex totius vniuersi complemẽto, & graduum omnium integritate in singulas etiam partes, & gradus redundat integritas, & ob hanc causam *Ioan. 3.* dicitur Incarnatio Verbi ex vniuersi dilectione procedere; *sic* enim ait *Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Quæ verba Caietanus exponens ait, ex Incarnationis Mysterio vniuersi, non per redundantiam, aut ex consequenti fuisse deriuatum; sed ex directa, & primaria intentione Dei mysterium hoc fuisse factum, & ad bonum vniuersi destinatum; & ideò Dominum dixisse: *Sic Deus dilexit mundum:* non autem, Sic Deus dilexit hominem; quia homo pars est mundi, & bonum partis pars est boni totius. Creatori verò mundi magis debuit assignari dilectio totius quam dilectio partis, & quemadmodum (inquit) Deus creando, singula creat vt partes vniuersi, atque adeò, vt vniuerso congrua, & propter illius bonum, ita instaurando singula facit vniuerso consona, vt intelligamus, ex ordine gratiæ nullum vniuerso accidere detrimentum, sed illi perfectionem, & complementum adiungi: Et ideò Iustinus *in expositione fidei*, & Damascenus *lib. 3. cap. 6.* Sacramentum Incarnationis vocant œconomiam, ideſt dispensationem totius vniuersi. Propterea *Marci vltimo* præcipit Dominus Apost. dicens: *Prædicate euangelium omni creaturæ:* nomine verò omnis creaturæ intelligitur homo, vt ait Greg. *Hom. 29. in Euang.* sicut etiam *Rom. 8.* cum dicitur: *omnis creatura ingemiscit & parturit:* eodem complexo vocabulo intelligitur homo, vt ait Augustinus *in lib. 83. Quæstionum, q. 67.* Ratio verò est; quoniam hominis natura præ cæteris sensibiliũ naturis nobilissima rerum omnium, tam corporearum, quam incorporearum continet gradus; & ideò, vno homine ad vnitatem Verbi Diuini personalem eleuato; ac per hoc summa perfectione decorato, omnes creaturæ censentur eleuatæ, & eadem perfectione decoratæ. Vnde propter illam rerum omnium continentiam *Sap. 1.* dicitur: *& hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis:* vbi Glossa per ea verba: *& hoc, quod continet omnia,* dicit hominem significari; & ob eandem causam *ibidem, c. 10.* vocatur Adam pater orbis terrarum; quoniam, vt ibi Lyranus exponit, gradus omnes rerum naturales in homine continentur. Et ideò *Io. 1. Matth. 5. & alibi* homines vocantur Mundus; quia scilicet intra sui naturã continent vniuersa; assumpta igitur, & eleuat ad vnitatem Verbi personalem humanitate, non illa tantum; sed omnes etiam aliæ creaturæ summam illi communicari possibilem perfectionem sunt adeptæ. Quare Nissenus *lib. de vita Moysi*, ait Christum in antiquo tabernaculo fuisse præfiguratum; eo quod typum gereret vniuersi ob graduum rerum omnium continentiam in humanitate.

Responsiones ad argumenta D. Thom. explicat latè Suarez *in suo Commentario ad hunc art.* &c.

Secvnda Controversia.

De sensu Conclusionis D. Tho. quomodo scilicet intelligendum sit Deo fuisse conueniens incarnari.

Sententia expositrũ. Prima sententia.

Dvæ sunt expositorum sententię. *Prima* est cuiusdam recentioris viri doctissimi, qui dicit quatuor. *Primum* est, Incarnationem Verbi fuisse conuenientem Deo, vt ortam ex principijs & essentia bonitatis diuinæ. *Secundum*, Incarnationem Verbi non conuenire illi necessario & semper; sed liberè iuxta naturam Dei, & in certa dispositione scilicet quando ipse decreuit. *Tertium* est hoc, quod est Deum se actu communicare per Incarnationem, saltem virtualiter, magis per se & magis naturaliter illi conuenire, tanquam ortum ex principijs suæ essentiæ & bonitatis, quam potentia ad incarnandum, & communicandum se. *Quartum* est, quod D. Tho. ait, ad rationem summi boni pertinere, vt se summo modo communicet creaturæ per Incarnationem, non loqui de potentia ad se communicandum, sed de actuali communicatione.

Secunda sententia Suarezij.

Secunda sententia est Suarezij dicentis, si sermo sit de actuali communicatione, posse dici esse de ratione boni se communicare, non vt intrinsecum, sed vt naturæ consentaneum & propensioni eius, licèt nec necessariò illi conueniat, nec perfectionem addat, sed supponat. Et hoc sensu (inquit) benè concluditur Incaratnionis opus esse conueniens Deo secundùm rationem bonitatis eius: ac si diceretur conueniens esse homini liberali bona sua cum alijs communicare: &c

re: & quia hæc videtur esse sententia D. Th. Caietani, Medinæ, & aliorum; ideo suppositâ Caietani doctrina, & ijs, quæ ad huius partis declarationem supra notauimus *in expositione textus*; alia quædam euidentiora ad huius veritatis probationem principia proponemus.

Resolutio.

Deo fuisse conueniens incarnari nõ per se, & naturaliter illi conueniens. nec vt ortũ ex principijs bonitatis, & essentiæ Dei, sed vt naturæ, & eius propensioni consentaneum. & vt actus diuinæ liberalitatis.

SCIENDVM est *primò* ex D. Tho. & Caiet. *1. 2. q. 10. a. 1. ad 2.* dupliciter aliquid esse naturale: *Vno modo*, vt consequens formam; & hoc semper actu inest, sicut calidum igni: *Alio modo*, vt consequens materiam seu potentiam; & hoc non semper actu inest; sed quandoque secundùm potentiam tantùm; sicut motus, qui est actus existentis in potentia, & ea quæ pertinent ad motum, vel quæ sequuntur motum in rebus naturalibus. Ignis enim non semper mouetur sursum, sed quando est extra locum suum; & voluntas creata, quæ de potentia ad actum volendi reducitur, non semper aliquid vult naturaliter, sed quando est in aliqua dispositione determinata. Voluntas autem Dei, quæ est actus purus, semper est in actu volendi, non solum naturali; sed etiam liberò. Deus enim ab æterno seipsum diligit naturaliter; creaturas autem liberè. Quamobrem, vt ibi Caiet. aduertit, & significat S. Th. differunt ea, quæ rei conueniunt per se & naturaliter primo modo, ab ijs quæ per se & naturaliter conueniunt secundo modo; quod in illis perfectas infert coæuitatem absolutè: in his verò non eam infert absolutè, sed in certa tantùm dispositione: ex quo sequitur, vt ibi notat Caiet. non solùm aptitudinem ad motum, & operationem inesse subiecto per se, vt grauitas & risibilitas; sed etiam motum ipsum, & operationem, sicut descensus & risus. Et ex his etiam patet D. Th. & Cai. *eo in loco* non loqui de liberis actibus, aut effectibus voluntatis; sed de naturalibus tantùm, vt patet ex argumento cui satisfacit ibi S. D. & ex titulo & materia illius artic. querit enim ibi S. Thom. vtrum voluntas ad aliquid naturaliter moueatur? Quod etiam ratione probatur: nam ea, quæ naturaliter alicui conueniunt, oportet vt illi per se in primo, vel in secundo modo conueniant; quæ verò per se insunt, necessariò ac semper insunt, eo modo, quo rerum naturalis exigit dispositio; vt explicat erudite Caiet. *in 1. Poster. c. 6. & 9.* Cùm igitur ait *in hoc art.* S. D. *ad rationem summi boni pertinere, vt summo modo se communicet creaturæ*: & hoc maximè fieri per hoc, quòd naturam creatam sic sibi coniungit, vt vna persona fiat ex tribus, scilicet Verbo, Anima & Carne; atque ideò conueniens esse Deũ incarnari; non ita accipiendum est, vt naturaliter, & per se conueniat summo bono actu se summo modo creaturæ per Incarnationis Myst. communicare: sic enim non esset libera, sed necessaria hæc Dei communicatio; nec Dei consilio, pietati, charitati, misericordiæ & liberalitati tribueretur; sed naturali propensioni bonitatis, & essentiæ eius; cuius oppositum frequenter enunciant sacræ litteræ, Patres, & Ecclesia. Quare primum, & tertium dictum primæ sententiæ satis apertè pugnant cũ secundo, & doctrinæ Philosophi *in alleg. 6. c. 1. Post.* sunt expressè contraria: Si namque fuit conueniens Incarnatio Verbi, vt orta ex principijs & essentia bonitatis diuinæ; & Deum actu se per Incarnationem cõmunicare, & magis per se, & naturaliter illi conuenit, quàm potentia ad incarnandum & communicandum; sequitur Incarnationem Verbo necessariò ac semper cõuenire, iuxta doctrinam Arist. *in illo cap.* Nec video, quomodo sententia illa possit ab erudito Theologo sustineri: Nam limitatio illa: *saltem virtualiter*; si propter naturalem potentiam ad communicandum apponitur, totam illam sententiam destruit; quia naturalitatem & perfectatem transfert ab actu communicationis ad ipsam bonitatis naturam, cui per se conuenit esse communicabilem. Si verò dictio illa *Virtualiter* idem pollet, quod conditionaliter, ita vt sit sensus tertij dicti Deum se communicare per Incarnationem magis per se, & naturaliter illi conuenit *saltem virtualiter*, id est, sub conditione, si videlicet non liberè, sed necessariò se communicaret, quàm illi conueniat potentia ad communicandum: hoc quidem verum est, sed nihil affert singulare, nec contrarium secundæ sententiæ, quam acriter impugnat hic auctor.

Refutatio 1. sententiæ.

Resolutio.

Dicendum est igitur cum D. Tho. *in 1. cont. gen. c. 93. rat. 6.* Communicare se ipsum esse Deo conueniẽs, vt fonti bonitatis, & tanquam actum diuinæ liberalitatis; quoniam, vt ait ibi S. D. clarè, non propter aliquod commodum ex datione expectatum, sed propter ipsam bonitatem, & conuenientiam dationis est actus liberalitatis, quo fit, vt Deus sit maximè liberalis, &, vt ait Auicenna, solus ipse sit liberalis, eo quod omne aliud agens præter ipsum, ex sua actione aliquod bonum appetat, vel acquirat, vt finem intentum.

Conclusio.

SIT igitur VNICA CONCLVSIO ex huiusque dictis illata: *Conueniens Deo fuit incarnari, non vt per se, & naturaliter illi conueniens, nec vt ortum ex principijs bonitatis & essentiæ Dei, sed vt naturæ consentaneum & eius propensioni, & vt actus diuinæ liberalitatis.*

Argumenta, & solutiones.

Obiect. 1.

CONTRA *concluſ.* quoad primam eius partem *argumentatur* auctor primæ opinionis. Magis per se & magis naturaliter conuenit subiecto actus consonus suæ naturæ, tanquam ortus ex principijs suæ essentiæ, quàm potentia ad illum; ergo Deum actu se communicare per Incarnationem saltem virtualiter, magis per se, & magis naturaliter conuenit illi, tanquam ortum ex principijs suæ essentiæ & bonitatis, quàm potentia ad incarnandum & communicandum se. *Antec. probatur* ex doctrina S. Tho. & Cai. *in 1. 2. paulò ante relata*, quam tamen suo modo interpretatur extendens eam ad actiones omnino liberas; cùm tamen D. Th. & Cai. loquantur de actionibus naturalibus, qua ratione naturales sunt.

Solut.

Respondetur nullam esse consequentiam; quia antecedens verum est de actionibus naturalibus: Consequens autem loquitur de actione omnino libera, qualis est communicatio per incarnationem.

Obiect. 2.

Secundò, contra secundam partem nostræ Conclusionis argumentatur primò: Quia ratio D. Tho. est hæc: Id est conueniens alicui, quod conuenit ei secundùm rationem propriæ naturæ; sicut homini conuenit ratiocinari; quia hoc conuenit illi ex proprijs principijs suæ naturæ, vt est rationalis: sed natura Dei est essentia summæ bonitatis, cui conuenit summo modo communicare se alijs; ergo etiam illi conuenit incarnari, quod est summo modo communicare se creaturis; Si autem in minori huius rationis non loqueretur de conuenienti, quod oritur ex principijs boni & essentiæ diuinæ, argueret in quatuor terminis; nam in maiori de conuenienti loquitur orto ex principijs essentiæ, quomodo

conuenit homini ratiocinari ; in minori autem A
de conuenienti, vt consono naturæ & non orto
Solut. ex principijs essentiæ. *Respondetur* non rectè formari rationem D. Th. quoniam in littera D. Th. non habentur illa verba *ex principijs naturæ* ; sed hæc : *In quantùm est rationalis secundùm naturam.* Nam, licèt actus ratiocinandi supponat naturam rationalem, & aptitudinem ad ratiocinandum, vt primum principium huius actus : non tamen ex ea prouenit naturaliter, aut tanquam ex principio sufficienti, sed media libera voluntatis electione; & ideò formaliter, propriè & absolutè loquendo non conuenit hic actus homini, vt ortus ex principijs naturæ rationalis, sed vt ortus ex rationalibus, & liberis eius potentijs vt proximis eius principijs ; ex natura verò vt primo B
principio ; ac proinde non conuenit hic actus homini naturaliter & per se, sed liberè tantùm, quamuis dici possit esse homini naturalis, prout naturale distinguitur contra supernaturale.

Obiect. 3. *Tertiò*, contra eandem partem sic argumentatur. D. Thom. *hic in corpore* ait, Incarnationem esse conuenientem Deo; & *in responsione ad secundum* ait, illam non esse conuenientem humanitati; quia est supra dignitatem illius. Si autem in *corpore articuli* loqueretur de eo, quod est conueniens solùm: quia decet, & consonat naturæ, non deberet negare Incarnationem conuenire hu- C
manitati; ergo. *Probatur secunda propositio* ; quia maximè decet humanitatem assumi à Deo, quæ per hoc maximè perficitur, & exornatur, vt docet S. Th. *inf. qu. 4. art. 1. Resp.* D. Th. *in responsione* *Solut.* dicere, non fuisse conueniens carni humanæ secundùm conditionem suæ naturæ; quia hoc erat supra dignitatẽ ipsius; quia nimirum, vt ait Cai. non habuit humanitas potentiam naturalem, nec vnde sibi vendicet conuenientiam ad vnionem cum Deo personalem. *Ad argumentum* autem dico cum Caietano, & alijs, conuenientiam Incarnationis posse referri ad duo, scilicet ad actum ipsum Incarnationis, & ad potentiam exercendi talem actum ; & si quidem conuenientia referatur ad actum, non significat nisi conuenientiam D
& decentiam; si verò referatur ad potentiam, significat ipsam summi boni rationem, aut naturalem proprietatem ex ea modo nostro intelligendi prouenientem. Si ergò nomen conuenientis, tam *in corpore*, quàm *in responsione ad secundum argumentum*, secundo modo sumatur, nullas vires habet argumentum contra nostram conclusionem, quæ loquitur in primo sensu : Si verò primo modo accipiatur, dico S. Thom. in illa responsione loqui de conuenientia actus radicaliter sumpti ; ratione scilicet sui primi principij intrinseci, quod est ipsa natura, & negare conuenientiam actus Incarnationis ex parte humanæ E
naturæ, vt fundatam in naturali potentia ipsius naturæ ; & eam affirmare de diuina persona, vt fundatam in propria ratione summæ, & infinitæ bonitatis, quamuis ex ea non sequatur naturaliter actus Incarnationis, sed liberè, media scilicet electione libera voluntatis.

Responsiones argumentorum explicant optimè Caiet. & Suarez.

Tertia Controversia.

An rectè prætermiserit S. D. articulum de possibilitate Incarnationis, & quomodo eam esse possibilem probari possit?

Rationes dubitandi, & sententiæ expositoris, quoad priorem contr. partem.

Caietanvs prioris difficultatis author duas affert rationes dubitandi. *Prior* est: quia possibile prius est naturaliter, quàm conueniens ; eò quod sit communius: secundùm Philosophi verò documentum *in primo Physic.* innata est nobis via à communioribus incipiendi ; igitur quæsitum, siue articulus de possibilitate Incarnationis præmitti debuit huic artic. de conuenientia. *Posterior* dubitandi ratio est : quia D. Thom. & alij Doct. Magistri sent. interpretes, quæsitum illud primo loco proponunt.

Caiet. sententia.

Cui dubitationi Caiet. duplicem adhibet solutionem. *Altera* est; nullam scientiam probare suum subiectum : huius verò partis subiectum esse Iesum Christũ, id est, Deum incarnatum; & ideò non debuisse quæri, num possibile sit Deum incarnari, sed veluti certum & constans præsupponi. *Altera* solutio est, D. Th. vno præsentis articuli discursu duplici dubitationi satisfecisse. Definiendo namque ex naturis extremorum, scilicet Dei, & humanæ naturæ conuenientiam Incarnationis, eam non esse impossibilem declarauit.

Ad priorẽ dub resp. Caiet.

Ad argumentum autem sumptum ex ordine scribendi Theologorum, & ipsius auctoris *in 3. sent.* Respondet Caiet. D. Th. & alios Doct. *in q. ad 3. sent.* non esse propriæ doctrinæ ordinatores, sed alienæ (scilicet Magistri) expositores: atque ideò quæstiones emergentes secundùm ordinem distinctionum, & capitum illius operis examinare. Sententiam hanc sequuntur Io. Dom. Montagnolius, Didacus, Aluarez, & Vasquez *super hoc art. dub. 1.*

Valentiæ sententia.

Sed Valentia *disp. 1. p. 2.* modum hunc dicendi multipliciter reprehendit. Eius autem opinio duobus potest dictis comprehendi. *Primum* est S. Tho. rectè, & conuenienter ordini doctrinæ satis fuisse facturum, si incepisset à quæst. de possibilitate. *Secundum* est, si omnino sit necesse D. Th. consilium probare in hac parte, malle se dicere ipsum rationem aliquam eius habuisse, quæ lateat, & quam studiosè inquirere non expediat.

Suarez sententia.

Suarez *in suo Comment.* duo dicit. Primum est, neutram Caietani solutionem propositæ dubitationi satisfacere. *Secundum* est, ideò D. Tho. illam quæst. omisisse *primò*, quia ratione demonstrari non potuit possibile esse Deum fieri hominem. *Secundò*, quia quæstio illa plenè ac perspicuè nequit expediri, nisi prius explicato vnionis modo inter Deum, & hominem, quamuis E
possent hic argumenta dissolui, quæ contra fidem huius Mysterij obijci solent ; atque ita ostendi illud non esse, aut non probari impossibile, quod hic efficit S. D. productis, & solutis quatuor argumentis.

Sententia Doctorum quoad posteriorem partem.

Ad Posteriorem verò difficultatem in inscriptione propositam respondet Valentia præmissa distinctione duabus conclusionibus. *Distinctio* est: Duobus modis cognoscere possumus aliquid esse possibile. *Primò*, si re vndequaque perspecta, nihil esse in ea intelligamus, quod obstet, quo minus à Deo fieri possit: & hoc (inquit) est cognoscere possibilitatem rei notitia perfecta, & absoluta. *Secundò*, si re non quidem perfectè cognita, sed quantum potest à nobis intelligi lumine naturali, nihil in ea ap-

Valentiæ sententia.

pareat,

pareat, propter quod videatur impossibilis, sed potius considerata ea cognitione, quæ de re haberi potest, videatur possibilis: quod est (inquit) secundum quid, seu sub conditione cognoscere rei possibilitatem, nimirum quantum sit ex parte eorum, quæ de re sciri naturaliter possunt, & nisi fortè aliquid nobis ignotum obstet. His præmissis statuit duas conclusiones. *Prima* est: Neque ab hominibus, neque ab Angelis cognosci, aut probari potest possibilitas absolutè huius Mysterij euidenter, sed tantùm ex sacris litteris & rationibus probabilibus. *Secunda conclusio* est: Potest huius mysterij possibilitas euidenter cognosci, & concludi conditionali, & imperfecta notitia.

Sed Aluarez *in sua p. Disp. ad hunc art.* contrariam huic 2. statuit conclusionem, asserens eam esse D. Thom. & omnium Thomistarum. Cui etiam consentiunt Scotus, & Durandus *in 3. dist. p.* & Suarez *in p. sua disput. ad hunc articulum.*

Resolutio.

Distinguuntur, & explicantur modi, quibus aliqua veritas probari potest, aut defendi.

SCIENDVM *est primò*, magnam esse differentiam inter eam notitiam, quæ ad aliquam veritatem probandam est necessaria, & eam, quæ requiritur, & sufficit ad argumenta diluenda, quæ contra veritatem aliquam proferuntur. Potest enim tribus modis veritas aliqua discursu rationis naturali probari. *Primò* necessariò, & euidenter, siue demonstratiuè; vt cùm ex rerum omnium creatarum bonitate deducitur in Deo rerum omnium causa perfecta & summa bonitas: & hic probationis modus certam & euidentem postulat cognitionem, non modo principiorum, ex quibus veritas in conclusione deducitur; sed etiam consequentiæ, qua posterior veritas ex prioribus infertur veritatibus. *Secundò* probari potest aliqua veritas topico, siue probabili tantùm argumento, & hic probationis modus, quamuis certitudinem & euidentiam admittat in antecedente, aut in altera præmissarum; nullam tamen habet consequentiæ necessitatem & euidentiam. *Tertiò* potest siue necessariò, siue probabiliter veritas aliqua probari tripliciter: primò quo ad eius esse possibile: secundò, quoad actualem eius existentiam: tertiò quoad eius credibilitatem, vt scilicet ostendatur eam esse credibilem. *Notitia* verò, quæ contra veritatem obiecta diluit argumenta, duplex est: *quædam supernaturalis*, scilicet fidei, vt si Philosophus disputans contra fidelem, propositionem hanc assumat: omnis res vna numero est vna hypostaticè; & fidelis respondeat, nego; quia Deus vnam habet essentiam numero, in tribus suppositis subsistentem. *Quædam* autem est ordinis naturalis; & hæc est scientia propositionum, quæ duplex est: *altera negatiua*, siue quo ad hoc, quia scilicet respondens scit negatiuè nullum produci posse medium efficax ad probandum oppositum veritatis ab eo defensæ. Consistit autem hæc notitia negatiua in non coactione intellectus in actu exercito; sicut si Theologus infideli prædictam propositionem assumenti respondeat eam non esse veram in re infinita. Quamuis enim nullam de contradictoria dictæ propositionis habeat scientiam, aut euidentiam; scit tamen negatiuè nullo medio efficaci propositionem illam posse probari. *Altera est scientia positiua*, & simpliciter dicta, qua scilicet respondens ex dictis simpliciter diluit argumenta. Vt, si Philosophus contra Theologum propositionem hanc assumat: Accidentis esse, est inesse, vt ex ea deducat accidentia non posse in Eucharistiæ Sacramento subsistere: & Theologus cum distinctione respondeat, dicens, quòd accidentis esse non est inesse actu, sed aptitudine: Cùm enim veritas non sit veritati contraria, nullius scibilis veritas potest veritati fidei contrariari. Et quia rerum naturalium veritates perfectè possunt ab intellectu nostro naturali cognosci: consequens est earum contrarietates ad veritates fidei non esse veras, sed apparentes: Cuius rationem affert Caiet. *2.2.q.8.artic.2.& 4.* Quoniam, aut talis contrarietas consurgit ex aliquo conceptu falso de creaturis habito: & tunc eius falsitas facilè deprehendi poterit; aut exurgit ex aliquo vero conceptu de Creatura; & tunc ex illius creaturæ veritate, & quidditate comprehensa perspicuè cognosci poterit, eam contrarietatem non esse veram, sed apparentem; ratio namque siue quidditas rei perfectè cognita difficultates omnes de re, & ex re diluit accidentes. Videnda sunt, quæ notat Caiet. & alij expositores *prima parte, qu. 1. art. 8.* & quæ latè diximus *in 2. tom. qu. 32. art. 1.* Ex dictis sequitur, veram, ac propriam differentiam inter notitiam ad veritatem aliquam probandam necessariam, & notitiam ad argumenta diluenda requisitam, illam esse, quam *in alleg. art. 8.* tradit Cai. inter probationis, & solutionis naturas. Probatio nāq; notitiam postulat euidentem; Solutio verò nullam exigit cognitionis euidentiam; sed sufficit ei negatiua cognitio in actu exercitu, consistens in non coactione intellectus ex aliquo medio ab aduersario producto; atque ideò potest tam simplex fidelis, quàm Theologus soluere ex ijs, quę non apparent esse falsa; tametsi non sciantur esse vera.

SECVNDO *notandum* est nostram omnem cognitionem naturali discursu acquisitam duobus actibus perfici. *Primus* est inquisitio cum apprehensione quæsitæ veritatis, *Secundus* est iudicium, & assensus certus, aut opinatiuus de eadem veritate.

TERTIO *sciendum est*, non omne quod humana fide est euidenter credibile, esse verum: sunt enim multa secundùm se falsa; quæ tamen sunt veris probabiliora: atque ideò multæ supernaturales propositiones demonstratiuè probantur esse euidenter credibiles; quarum tamen veritas probari non potest ex ijs tantùm, quæ sunt nobis nota lumine naturali: Ex duabus enim contradictorijs in materia supernaturali neutra earum habet euidentiam, vt patet discurrenti per singula. Et ideò quamuis earum altera scilicet reuelata sit euidenter credibilis: non hinc tamen efficitur eam esse euidenter veram, & certam; nam, vt Caiet. aduertit *2.2.q.1.art.4.* dicitur aliquid verum, & certum & scibile ex proprijs & intrinsecis: credibile verò dicitur ab extrinseco testimonio vel coniecturis.

Ostenditur quòd D. Tho. hoc vno articulo probauerit mysterium Incarnationis esse conueniens & possibile.

QVARTO *sciendum est*, dupliciter nos loqui posse de probatione possibilitatis Mysterij Incarnationis: *Vno* modo absolutè: *Alio* modo supposita reali eius exhibitione.

Quintò *obseruandum* est, duas has propositiones esse differentes, videlicet, Possibile est Deum incarnari; & possibile est Verbum incarnari: In illa namque sermo est de Deo absolutè sumpto, siue sit in vno supposito tantum, vt opinantur Gentiles & Iudæi, siue sit in tribus subsistens, vt docet Catholica fides: in hac autem, scilicet secunda sermo est de Verbo, quod est secunda in Trinitate persona; atque ideò euidens posterioris huius propositionis cognitio difficilior est: eo quòd notitiā mysterij sanctiss. Trinit. exigat euidentem.

SEXTO *considerandum est*, in conuenientia Incarnationis includi possibilitatem; ac proinde probando conuenientiam, probari simul etiam possibilitatem. Nam, si Incarnatio, siue vnio actiuè, & formaliter sumpta, prout scilicet dicit actionem vnicam & formalem subsistentiæ personalis communicationem ad infinitam pertinet Dei perfectionem & bonitatem, atque ideò illi maximè conuenit, vt ait S. D. *in hoc artic.* consequens necessariò est, vt sit etiam Deo possibilis. Nam quod non est possibile non est ens: quod verò non est ens, ad nullius pertinet perfectionem aut bonitatem; igitur in Incarnationis conuenientia clauditur possibilitas; vt hic scitè Caiet. aduertit: Licèt ergò possibile secundùm se latius pateat, quàm conueniens; quia hominem peccare est possibile; quod tamen non est conueniens; clauditur tamen in possibili, tanquam eius fundamento ab eo necessario præsupposito, sicut album supponit corporeum, & risibile supponit animal, immò conueniens videtur esse species, seu modus ipsius possibilis: Nam Aristot. *in 5. Metaphys. in cap. de potentia, & possibili*, ait dupliciter aliquid esse possibile: *Vno modo*; quia simpliciter fieri potest: *Alio modo*, quia bene potest fieri: dicitur autem aliquid bene fieri in moralibus quando conuenienter fit. Verùm si possibile & conueniens ad diuinam potentiam referantur, sunt idem re & adæquatè: adeò vt omne quod est Deo possibile, sit conueniens & è contra. Cuius ratio est; quia Deus, cùm sit agens perfectissimum, in sua ratione deficere non potest, sicut agentia creata: Et ideò quicquid Deus immediatè producit, naturæ diuinæ, quæ est ipsa bonitas & sapientia, conueniens est; ita vt etiam monstra, quæ per secundas causas producuntur à Deo, licet secundis causis comparata, sint eis inconuenientia: ad Deum tamen supremam & vniuersalem causam relata valdè conuenientia sunt; quoniam ad perfectam & suauem eius pertinent prouidentiam: & ideò S. D. *in hoc art.* vtrumque de Incarnatione personæ diuinæ simul ostendit; nam probat Mysterium hoc esse consonum infinitæ Dei bonitati, cui propter suam infinitatem conuenit posse congruè se infinito modo communicare creaturæ. Et *in solutionibus argumentorum* defendit & explicat non solùm illud esse conueniens, sed etiam esse possibile, sicut etiam argumenta aduersus vtrumque procedebant.

SEPTIMO, supponenda sunt ea, quæ de probatione existentiæ Dei, quòd est subiectum in Theologia, diximus *in prima parte, quæst. 2. artic. 3. Controu. 1.* quibus nunc addendum est, existentiam, & quidditatiuam rationem subiecti, quandoque per accidens probari in ea scientiæ parte, quæ magis fuerit opportuna; vt patet ex Philosopho *in secundo de Anima*, ibi demonstratiuo discursu colligit & probat Animæ diffinitionem: hæc autem pars, vt scitè Caiet. aduertit *in primo Poster.* ad principia pertinet ratione materiæ, quia scilicet principiorum doctrinam continet. Cùm itaque Mysterium Incarnationis esse possibile, & quæ sit eius propria ratio, ex solo vnionis modo, de quo secundam quæstionem instituit S. D. deduci aut explicari valeat, vt patet ex rationibus, quibus esse possibilem Incarnationem probat S. Tho. *in 3. s.* meritò debuit in hac prima quæstione supponi, & ad sequentem remitti, in qua non ex distincto quæsito peculiariue discursu, sed ex vnionis modo diuinæ personæ cum humana natura pluribus ibidem articulis explicato, liquidò constat diuinæ personæ Incarnationem esse possibilem, & quæ sit eius propria ratio.

VLTIMO *sciendum est*, Mysterium hoc diuersis argumentorum generibus posse probari; non eadem tamen omnibus, quibus cum agimus, aut disputamus esse proficua, sed alia fidelibus instruendis, alia conuertendis hæreticis; alia conuincendis Hebræis: alia denique persuadendis paganis erunt opportuna. Et *fidelibus* quidem edocendis, non solùm noui Testamenti narrationes; sed etiam Patribus à Deo in antiqua Scriptura factæ promissiones, ac Prophetarum oracula deseruient. Christi etiam miracula, quibus se Messiam in lege promissum, ac Dei filium illi consubstantialem esse probabat, fidelibus instruendis apprimè conferent; quæ omnia sapienti Gabrielis Archangeli discursu poterunt confirmari: his enim beatam Virginem alloquens, & eius consensum exquirens, & eius prudentissimæ interrogationi respondens duobus vtitur argumentis: Altero ex Dei omnipotentia: & altero ex exemplo Elisabeth accepto, quibus possibilem esse diuini Verbi Incarnationem cum integra Mariæ virginitate declarat, dicens: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi; ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei; & ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis; quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Luc. 2.

Quibus argumentis probari possit Mysterium Incarnationis ad fideles instruendos, & ad Hebræos, Hæreticos, & Paganos conuincendos.

Aduersus Hebræos autem, vt eorum perfidia conuincatur, scripturæ veteris ab eis receptæ testimonia sunt producenda; quæ summa diligentia collegerunt Lyranus *in tract. contra Iudæos, & in tract. contra impugnatores Matth.* & Galatinus *libr. 3. contra Iudæos, cap. 2. & libr. 4. cap. 2. & 3. & libr. 8. cap. 10.* Hieronymus *in illud Abacuch 3. Deus ab Austro veniet, & in Psalm. 96.* Athanasius *in lib. de Incarnatione propè finem.* Epiphanius *hæresi 30. 51. 54. & 69. & in Ancorato.* Medina *in ea parte, quæstionis tertiæ introductoriæ, cuius titulus est: Breuis demonstratio ex sanctis Scripturis contra Iudæos*, &c. Suarez *disp. 2. sect. 3.* & alij plurimi.

Aduersus hæreticos autem ex illis, quas recipiunt tam noui, quàm veteris Testamenti partibus poterunt argumenta proferri, quæ præter prædictos referunt Medina, & Suarez *locis supra notatis*: sed copiosius, & diligentius ea collegit Cardinalis Bellarminus *libr. 1. de Christo à cap. 4. vsque ad 9. inclusiuè.* Quibus addi poterunt Patrum testimonia ibidem ab eo, *cap. 10.* relata.

At contra paganos, qui neutrius Testamenti scripta recipiunt, aliorum, quos ipsi recipiunt, authorum dicta sunt producenda; inter quæ maximum apud eos authoritatis pondus habere videntur vaticinia Sybillarum, quæ referunt eorum scriptores, nimirum Cicero *libr. 2. de diuinatione.* Tacitus *lib. 5. Annal.* Dionysius *libr. 54. hist. Romanæ.* Suetonius *in Octauio, cap. 51.* Ex nostris verò eadem oracula referunt Augustinus *lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 13.* Sixtus Senensis *tom. 1. Bibliothecæ sanctæ libr. 2. in Verbo Sybillarum oracula.* Et Michael Medina *de recta in Deum fide, lib. 2. cap. 9.* Et alij ab his duobus posstremis authorib. nominati. Secundò loco proferri poterunt responsa Deorum Gentilium, ac præsertim Apollinaris Delphici; qui, vt referunt Suidas *in Verbo Augustus.* Et Nicephorus *libr. 1. cap. 17.* dixit Deum ex fœmina Hebræa carnem

nem sumpsisse. Tertiò his addi poterunt dicta Mercurij *in Epimandro*, & Hirospis, ex quibus hoc fidei nostræ Mysterium ab Apostolo Paulo fuisse probatum affirmat Clemens Alexandrinus *libr. 6. Stromatum.* His omnibus testimonijs aduersus Paganos vtuntur Lactantius Firmianus *libr. 4. cap. 15. & 18.* Cyrillus *lib. 8. contra Iulianum.* Postremò tandem vti poterit Catholicus Doctor nonnullis oraculis Prophetarum, quæ vera esse, Gentiles plena eis adhibita fide confitentur. De quibus Theodoretus *Orat. 10. de Prouidentia.* Quibus addi poterunt miracula, quæ narrant Gentiles Christum fecisse, vt suam hominibus Deitatem comprobaret. Nam, vt ait Apostolus *Hebr. 2.* loquens de veritate, & gratia noui Testamenti: *Innos confirmata est contristante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus:* certum est autem, Deum testem falsitatis esse non posse.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCLVSIO: *Nulla ratione naturali demonstrari potest Mysterium Incarnationis esse impossibile.* Probatur: Si ratione naturali probari posset Mysterium hoc esse impossibile, verum esset contrarium verò; consequens est absurdum; ergo, & antecedens. Consequentia probatur; quoniam omne, quod docet fides, est verum; cùm sit à Deo, vt à prima veritate dicente & reuelante; fide verò docemur, Dei Verbum humanæ naturæ personaliter fuisse coniunctum. Et rursus omne, quod naturali ratione cognoscimus euidenter, verum est à prima veritate quæ Deus est, deriuatum; ergò, si naturali demonstraretur ratione esse impossibile Mysterium Incarnationis, verum esset contrarium verò, ac proinde sequeretur etiam Deum mentiri, vel vt est author gratiæ, vel vt est author naturæ, quod est blasphemum. Omnis enim mentiens, vel ex eo mentitur quod fallitur, vel ad mentitur vt fallat: at æquè Deo vt summè sapienti repugnat falli, sicut ab eo vt summo bono alienum est quemquam fallere; ergo. Hanc conclusionem probat Suarez *disput. 3. sect. 1.*

SECVNDA CONCLVSIO: *Nulla vi intellectus, siue luminis, aut rationis naturalis potest homo, aut Angelus euidenter, aut probabiliter inuenire, probare, aut intelligere Mysterium Incarnationis esse possibile, siue ante, siue postquam factum est.* Probatur *primò*; quia Mysterium hoc est intimè supernaturale, & ex sola dependet Dei voluntate; igitur ex nulla causa, aut effectu principioue naturali deduci potest necessariò aut probabiliter huius mysterij possibilitas, aut existentia. *Secundò probatur* authoritate Apost. *1. Corinth. 2.* Vbi de hoc mysterio loquès ait: *Neq; oculus vidit, neque auris audiuit, nec in cor hominis ascendit,* &c. & Col. 1. *Mysterium, quod absconditum fuit à seculis, & generationibus; nunc autem manifestatum est.* &c. Eandem Conclusionem probant Suarez & Valentia multis argumentis.

TERTIA CONCLVSIO: *Neque etiam imperfecta, & conditionali notitia cognosci, concludive potest euidenter Incarnationis mysterium esse possibile.* Hæc conclusio sequitur ex præcedenti, & eisdem probatur argumentis. Deinde sic arguo; Oppositæ conclusio, quam statuit Valentia, continet implicantia; ergò vera est conclusio nostra. Probatur antecedens; quia dictus expositor ait, tunc euidenter, sed imperfectè cognosci rem aliquam esse possibilem, cùm in re non quidem perfectè cogni a, sed quantum potest à nobis intelligi lumine naturali, nihil in ea appareat, propter quod videatur impossibilis; sed potius considerata cognitione, quæ de re haberi potest videatur possibilis, & hanc ait, esse conditionatam cognitionem possibilitatis, quantum scilicet sit ex parte eorum, quæ de re sciri naturaliter possunt, & nisi fortè aliquid obstet nobis ignotum: Hac enim loquendi forma cognitionis destruit euidentiam. Quomodo namque potest homo, aut Angelus euidenter cognoscere rem aliquam esse possibilem, cuius nec perfectam habet notitiam, & in qua multa latere possunt eius intellectui minimè peruia, quibus res illa secundùm se reddatur impossibilis, quam imperfectè cognitam opinatur esse possibilem? Et confirmatur primò; Quoniam euidentia cognitæ veritatis omnem prorsus eliminat falsitatis oppositæ suspicionem, quæ secluſa fide ex imperfecta, & ineuidenti notitia pullulat. Secundò confirmatur: Quoniam, vt in probatione suæ conclusionis ait idem expositor, vt eo modo cognoscatur & concludatur aliquid esse possibile, satis est argumenta soluere, quæ fiunt ad probandum rei impossibilitatem: at non oportet, cognitionem ad hæc argumenta diluenda necessariam esse euidentem, cùm, vt ante diximus, sufficiat cognitio fidei, & notitia negatiua, id est, non coactio intellectus, quæ est negatio iudicij de efficacitate medij ab aduersario producti cum negatione assensus ad oppositum.

Contra Valentiam.

QVARTA CONCLVSIO: *Suppositâ fide Incarnationis, potest huius mysterij possibilitas, non solum similitudinibus, & exemplis declarari: sed rationibus etiam probabilibus suaderi.* Probatur hæc Conclusio; quia S. D. & alij expositores Magistri *in 3. sent.* multis suadent probabilibus argumentis, possibilem esse diuini Verbi Incarnationem, quod etiam præstant vberrimè recentiores *super hoc artic.* ac præsertim Valentia, & Suarez.

QVINTA CONCLVSIO: *Suppositâ fide huius mysterij, possunt demonstrationes Theologicæ probari, non solum ea, quæ tanquam proprietates ipsum quasi naturaliter consequuntur: sed etiam ea, quæ ad intimam eius constitutionem pertinent.* Prior huius conclusionis pars probatur ex doctrina S. Thom. *infra q. 7. & multis sequentibus,* vbi scientificè probat, Incarnato verbo, id est, Christo plurimas conuenire perfectiones, quæ personalem Verbi cum humana natura sequuntur vnionem, vt gratia, scientia, potentia, &c. Posterior verò pars probatur ex eiusdem sancti Tho. doctrina *à quæst. 2. vsque ad septimam exclusiuè:* Vbi rationibus demonstratiuis probat, vnionem illam non potuisse fieri in natura, Christi personam esse compositam, factam fuisse in Christo vnionem animæ & corporis, naturam humanam fuisse vnitam Verbo Dei accidentaliter, & vnionem illam esse aliquid creatum, ab assumptione differre, esse aliquo modo maximam &c. quæ omnia ad intimam Incarnationis naturam pertinent.

SEXTA CONCLVSIO: *Omnia argumenta, quæ produci, aut excogitari possunt contra possibilitatem Incarnationis, sunt euidenter solubilia.* Conclusio hæc sub altera generali comprehenditur, quam statuit S. Th. *prima p. quæst. 1. art. 8.* & probat eam ibi Caiet. & alij expositores. Præcipua eius probatio est. Omne argumentum non conuincens est euidenter solubile; at omne argumentum, quod produci potest aduersus Mysterium

sterium Incarnationis, aut contra quamlibet veritatem diuinitus reuelatam, est argumentum non conuincens; ergò. Probatur maior; quia proposito quolibet ciuscemodi argumento potest ostendi falsitas antecedentis, aut consequentis, aut saltem eorum alterum potest negari, vt minime conuincens intellectum; nec poterit vnquam insidesis argumentator ostendere verum esse, quod à fideli respondente negatur.

VLTIMA CONCLVSIO: *Rectè ac secundum artem à Caietano satis expressam S. D. prætermisit articulum de possibilitate Incarnationis*. Hæc patet ex supra dictis, & præsertim ex duabus solutionibus Caietani, & ex vltimo nostro notabili.

Argumenta, & solutiones.

Obijcitur cont. 1. conc.

CONTRA *primam conclusionem* sunt multa argumenta, quæ profert, & soluit Valentia *disp. 1. puncto 2.* Contra eandem conclusionem adduci possunt illa omnia argumenta, quæ notauimus *in prima p. qu. 32. art. 1. Contr. 1. contra tertiam concl.*

Obijcitur cont. 2. conc.

Contra secundam conclusionem produci possunt multa argumenta ex ijs, quæ notauimus *in dicta Controuersia, contra primam conclusionem.* Contra eandem conclusionem argumentatur Valentia. Vt hoc modo cognoscatur & concludatur aliquid esse possibile, satis est argumenta soluere, quæcumque fiunt ad probandam rei impossibilitatem; sed argumenta omnia, quæ ad probandam impossibilitatem huius mysterij ex ijs, quæ circa illud cognoscimus, fiunt possunt euidenter à nobis solui; ergò euidenter possumus cognoscere possibilitatem huius mysterij notitia imperfecta, & quantùm est ex parte eorum, quæ circa hoc Mysterium ipsi cognoscimus. Solut. *Respondetur* falsam esse maiorem propositionem; vt ostendimus *in probatione tertiæ conclusionis*

Obijcitur cont. 6. conc. 1.

Contra vltimam conclusionem, prout explicatur à Caietano, argumentatur Suarez. *Primò*; quia tunc scientia supponit suum subiectum esse, quando vel per se notum est, vel in superiori scientia demonstratur; at Incarnationem esse possibilem, neque est per se notum, neque demonstratur; ergò non debuit hic supponi Incarnationem esse possibilem. *Probatur minor*, quo ad priorem partem; quòn am Incarnationem esse sola fide creditur; quo ad secundam verò partem probatur; Quia Theologia suprema sapientia est; ergo non petit ab alia rationem sui subiecti, sed ipsamet illud sibi proponit, & prout potest iuxta materiæ qualitatem illius rationem reddit. *Et confirmatur*; quia licèt totius Theologiæ subiectum sit Deus: nihilominus S. Thom. *1 p. q. 2. art. 3.* quæsiuit: An Deus sit? *Respondetur* subiectum dupliciter posse supponi: *Vno modo* simpliciter; quando scilicet in nulla parte scientiæ probatur eius existentia actualis, aut possibilis, nec eius ratio declaratur, & in hoc sensu vera est maior, & minor propositio, & benè concludit argumentum: *Alio modo* potest supponi existentia, vel possibilitas, & ratio subiecti non simpliciter, sed in prima tantùm scientiæ parte, scilicet principiorum: in alio verò, vt magis opportuno loco probari, quod etiam Aristotelem fecisse constat *in secundo de Anim.* vt ante diximus. In hoc igitur secundo sensu falsa est maior propositio, cuius falsitatis etiam in præsenti materia specialem adduximus causam *in vltimo fundamento.*

Solut.

Obijcit. 2.

Secundò, Ratio, qua hic vtitur S. Thom. non probat sed supponit Incarnationem esse possibilem; ergò secunda illa ratio Caietani falsò innititur fundamento. *Probatur antecedens*; quia nisi id supponatur, nihil huius articuli discursu effici posset. *Respondetur* D. Thom. hic non probare primariò, directè & per se Incarnationem esse possibilem, sed secundariò, indirectè & quasi per accidens; ostendendo namque ex rationibus extremorum Incarnationis congruentiam, consequenter etiam ostendit probabiliter eam esse possibilem: & soluendo argumenta contra fidem huius mysterij militantia, ostendit etiam illud non esse, vel saltem non probari impossibile: satis enim est, vt eam habeat discipulus in hoc principio subiecti notitiam, quæ sequentibus scientiæ partibus addiscendis videtur esse necessaria; perfectior autem Incarnationis cognitio ex sequenti quæstione petenda est.

Obijcitur 3. Valentiæ.

Contra eandem conclusionem argumentatur Valentia: Et primò primam Caietani solutionem sic arguit: Quamuis pertinere non possit probatio subiecti scientiæ ad ipsum habitum scientiæ, cuius est subiectum: potest tamen pertinere ad eum ipsum, qui scientiam explicandam suscipit, maximè si de eius subiecti possibilitate & ratione sit propria Controuersia & difficilis; ergo potuit & debuit etiam probari possibilem esse Incarnationem. *Respondetur* hoc argumento solùm concludi, non supponi simpliciter possibilitatem Incarnationis, ac proinde posse & debere illam in aliqua parte probari, vt ante diximus. Solut.

Obijcit 4. Valent.

Secundò sic arguit: Non est eadem ratio de subiecto adæquato & formali alicuius scientiæ, & de subiecto materiali inadæquato, quale est illud quod in aliqua parte scientiæ explicatur; at hoc mysterium Incarnationis explicatur solú in quadam parte; ergo. *Probatur assumptum*; quia tale subiectú, scilicet partis potest concludi & probari, nõ modo ab ipso, qui scietiã aliquã explicat, sed etiã per assensum profectum ab eadem scientia; siquidem prior illo est assensus subiecti scientiæ inadæquati, cui proinde potest, tanquam principio & fundamento niti eiusdem probatio & Conclusio. Solut. 3. *Respondetur primò* eandem esse rationem proportionaliter in re præsenti. Primò; quia ratio adæquata subiecti Theologiæ, scilicet Deitas, non est nobis in hac vita perfectè cognita: Secundò, quoniam Incarnatio non est pars subiectiua Dei, aut Deitatis, quamuis ordinem habeat ad Deum, vt Incarnatum, & vt principium, & finem, Incarnationis Mysterium est longè diuersæ rationis à Deitate, & cùm ex sola Dei pendeat voluntate, & rationes implicet non solùm Creatoris, sed etiam creaturæ; non potest eius possibilitas, & ratio ex sola Deitatis ratione cognosci. Solut. 2. *Secundò dico* hoc argumento probari Mysterij Incarnationis possibilitatem non supponi simpliciter à Theologo, sed in aliqua Theologicæ scientiæ parte probari.

Obijcit 5. Valentiæ.

Tertiò, contra eandem conclusionem instat idem expositor reprehendens secundam Caietani solutionem; quia Caietanus tantùm declarat nõ esse reprehendendũ D. Th. quasi omnino disputatione depossibilitate huius mysterij prætermiserit, sed nõ reddit rationem, cur S. Tho. ab ea disputatione non sit exorsus. Solut. *Respondetur*, iam nos reddidisse rationem cur S. Thom. tractatus huius exordium ab ea disputatione non sumpserit, quam veluti satis perspicuam supposuerat Caietanus.

QVAR-

Quarta Controversia.

An Incarnatio, ideſt vnio hypoſtatica diuinæ perſonæ cum humana natura ſit poßibilis.

Infidelium error.

1. Cor. 1.

IVDEOS, atque Gentiles in Sacroſancti Myſterij Incarnationis cognitione per prædicationem illis oblata grauiſſimè lapſos fuiſſe docet Apoſtolus *1. Cor. 1.* dicens: *Iudæi ſigna petunt, Græci ſapientiam quærunt; nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.* Fuit tempore Chriſti Domini Phariſæorum opinio, Meſſiam, quem à lege promiſſum expectabant, futurum eſſe purũ hominem putantes, nec per Dei potentiam fieri poſſe, vt idem ſit Deus & homo; quem errorem ſequuntur ac mordicus tenent etiam huius noſtri temporis Hebræi: cumque multis editis miraculis eos ab hoc errore curaſſet auertere, & illi ſemper duritia ſuæ perfidæ mẽtis obſtitiſſent, quæſtione de Chriſto propoſita *Matth. 22.* reſponſionem eorum ſolius humanitatis notitiam præferentem eſſe deficientem oſtendit ex diuinæ ſcripturæ teſtimonio manifeſtè ſignificante Chriſtum eſſe Deum & hominem. Matthæi narratio eſt: *Congregatis autem Phariſæis interrogauit eos Ieſus dicens, quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? Dicunt ei, Dauid. Ait illis: quomodo ergò Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergò Dauid vocat eum Dominum, quo filius eius eſt? & nemo poterat reſpondere ei.* Phariſæorum errorem ſequuti ſunt Arriani, vt ait Athanaſius *ſerm. 4. contra Arrianos.* Alios etiam eius opinionis hæreticos Arrio antiquiores refert Alphonſus de Caſtro *in Verbo Chriſtus hæreſi 1.* & Suarez *diſp. 2. ſ. 2.* Eundem etiam errorem habuiſſe Gentiles affirmat Irenæus *lib. 4. contra hæreſes cap. 41.* dicens, Apoſtolum *1. Cor. 1.* ideò dixiſſe ſe plus omnibus laboraſſe; quia Myſterium Incarnationis multis gentium populis prædicauit, qui, cum illud negarent, non poterat eos Paulus ex diuina ſcriptura conuincere, quia illam, vt à Deo reuelatam non accipiebant. Hebræis autem poteſt huius myſterij veritas ex teſtimonijs veteris teſtamenti demonſtrari. Plures etiam hæretici circa Chriſti humanitatem, aut circa modum vnionis errabant ex eadem radice; quia nimirum arbitrabantur impoſſibilem eſſe Incarnationem eo modo, quo fides catholica docet ſcilicet per modum vnionis hypoſtaticæ Verbi diuini cum humanitate.

Nihil a.10.

TAMETSI quæſtio hæc eadem eſſe ferè videatur cum præcedente; verè tamen ab ea diſtinguitur eo modo, quo res in actu exercito aut particulariter ſumpta alia eſt, à ſe ipſa conceptè vel in communi conſiderata: Nam præcedens quæſtio communes tantùm, & quaſi conceptè ſumptos modos quęrebat, quibus probari poſſet Incarnationis Myſterium eſſe poſſibile; nunc autem quærimus; an Incarnatio ſit poſſibilis; Cuius quæſiti reſolutio ſpecialium poſtulat probationum exhibitionem & exercitium, & ſingularum etiam difficultatum ſolutionem.

Myſterium Incarnationis non eſſe appellandũ poßibile potentia phy-

SCIENDVM eſt autem *primò*, dupliciter aliquid eſſe poſſibile: *Vno modo* ſecundùm potentiam aliquam intrinſecam, realem, actiuam, aut paſſiuam, ſicut homini poſſibile eſt ambulare; quia potentiam habet intrinſecam gradiendi; ſed volare eſt illi impoſſibile; quia nullam ad volandum vim habet actiuam aut paſſiuam naturalem. Hæc igitur realis, & intrinſeca potentia dicitur potentia phyſica. *Alio modo* dicitur aliquid eſſe poſſibile ſecundùm habitudinem terminorum, & hoc eſt poſſibile logicum, de quo Philoſophus 5. *Metaph. cap. de Potentia,* ait ſecundùm nullam potentiam dici poſſibile. Nam, ſi terminorum ſignificata cohæreant ſiuè non repugnẽt, dicetur poſſibile id, quod propoſitione tales terminos continente ſignificatur. Si verò nulla ratione poſſint termini cohærere ſed repugnant, dicetur impoſſibile, vt Capreolus aduertit *in 1. ſent. diſt. 8. q. 3.* omnis enim differentia terminorum eſt ratione alicuius oppoſitionis; in omni verò oppoſitione affirmatio includitur & negatio; ac proinde in omni tali impoſſibili includitur affirmatio ſimul & negatio: hoc autem, quod eſt affirmationem & negationem eidem ſecundùm idem conuenire, per nullam fieri poteſt actiuam potentiam; quoniam omnis agentis actio per ſe primò terminatur ad eſſe; quamuis ad non eſſe quandoque ſecundariò terminetur; quatenus ſcilicet eſſe productum non compatitur aliquod aliud eſſe, ſicut eſſe ignis ex aere producti non compatitur eſſe aeris, nec eſſe calidi compatitur eſſe frigidi; & ideo calor agens primo facit eſſe calidum, & ſecundariò deſtruit eſſe frigidum: Hoc autem quod eſt, affirmationem & negationem eſſe ſimul, nullam poteſt habere rationẽ entis aut non entis; quoniam eſſe tollit non eſſe & non eſſe tollit eſſe; quod autem implicat ſimul eſſe & non eſſe, nullius poteſt eſſe potentiæ terminus; vt explicat etiam S. D. *de potent. q. 1. a. 3.* & quoniam obiectum actiuæ potentiæ Dei eſt res non implicans cõtradictionem, vt ait idem S. D. *in prima par. q. 25. a. 3.* ideò idem eſt aſſerere aliquid eſſe poſſibile potentia logica, & dicere aliquid eſſe poſſibile per ſolam Dei potentiam. Cum itaque Myſterium Incarnationis non ſit poſſibile per intrinſecam & naturalem potentiam, nec per ipſius Verbi potentiam ad hoc naturaliter ordinatam, ſed à diuina prouidentia ſupra totum ordinem naturæ directa ad operandum, non erit appellandum poſſibile potentia phyſica, ſed logica tantùm. Cuius oppoſitum quidam recentiores Thomiſtæ malè docuerunt.

ſica, ſed logica tantũ.

Deum duas tantùm in creatura perfectiones per ſeipſum ſupplere poſſe, ſcilicet ſubſiſtẽtiã, & exiſtentiam media ſubſiſtentia illi communicata.

SECVNDO *conſiderandum* eſt Deum in infinita ſui perfectione ſupereminenter continere rerum omnium perfectiones, ſiuè ſint perfectiones ſimpliciter, vt exiſtentia, ſubſiſtentia ſeu perſonalitas, intellectus, voluntas, ſapientia, bonitas, amor, &c. ſiue ſint perfectiones in tali natura, vt rationalitas, riſibilitas, calor, &c. Quas tamen omnes non poteſt per ſe ipſum Deus in creatura ſupplere, ſed duas tantùm, ſcilicet ſubſiſtentiam ſiuè perſonalitatẽ, & exiſtentiam media perſonalitate prius naturæ communicata: quia Deo tribuenda eſt omnis perfectio abſque vlla prorſus imperfectione: at ſupplere ſubſiſtentiam, & exiſtentiam creaturæ perfectionem in Deo ſupplente dicit infinitam, quamlibet autem aliam ſupplere creaturæ perfectionem, maximam in Deo diceret imperfectionem; igitur nullam præter duas illas perfectionem; igitur nullam præter duas illas perfectiones ſupplere poterit Deus in creatura. Maior euidens eſt: Minor autem duas habet partes; & probatur prima: quia ſupplere ſubſiſtentiam creatæ naturæ, puta humanitatis, aut lapidis, nihil aliud eſt, quam terminare naturam illam; hoc autem, quod dico terminare, non dicit imperfectionem potentiæ paſſiuæ; quia punctus li-

neam terminando non exercet officium potentiæ passiuæ; neque dicit imperfectionem formæ substantialis, aut accidentalis; quia punctus lineam terminando eam non informat; neque diuina subsistentia terminus est habens esse incompletum, sicut punctus; sed est in seipsa completissima; & ideò non est, sicut forma in subiecto recepta, quæ magis ab eo sustentatur, quàm ipsum sustentet; sed ipsa diuina personalitas naturam, cui communicatur, sustentat. Secunda verò pars minoris facilè probatur inducendo singulas perfectiones: Intellectus enim, & voluntas dicunt potentias animæ vitales ex ea procedentes & eidem inhærentes. Sapientia perfectio est intellectum creatum informans: bonitas substantialis intima est creaturæ; accidentalis autem eam informat. Amor denique actus est vitalis à voluntate procedens, & illam informans: nullâ verò ratione potest intelligi, Deum vires horum accidentium supplere, nisi creaturę substantiam, intellectum & voluntatem informando & illis inhærendo: bonitatem autem substantialem non alio modo supplere posset Deus, quàm se ipsum in entitatem creaturæ conuertendo, quorum vtrumque maximam in Deo diceret imperfectionem.

Personã diuinã ex duplici perfectione infinita, quam habet in terminãdo, posse plures, & plures in infinitũ creatas, & creabiles naturas terminare.

TERTIO *notandum est*, quòd persona diuina, puta filius, licèt dicat formaliter relationem; non tamen dicit solam rationem ad, quæ nullam dicit perfectionem, sed includit etiam rationem in, quæ in diuinis est essentia siuè substantia Dei, quæ perfectionem dicit simpliciter infinitam. Itaque persona diuina, siuè sumatur vt persona Diuina, siuè vt talis persona est, puta Pater, aut filius, aut Spiritus sanctus, perfectionem intrinsecè claudit infinitam. Sed obseruandum est perfectionem Diuinæ personalitatis seu subsistentiæ, vt sic consistere in terminando naturam; est autem natura duplex diuina personalitate terminabilis, scilicet diuina & creata, atque creabilis in infinitum; ac proinde duplex etiam est nostro modo intelligendi diuinæ personalitatis infinitas: Altera respectu diuinæ naturæ simpliciter infinitæ, quam terminat; altera respectu creatæ & creabilis naturæ, quam potest, si Deo placuerit, terminare; sed hæc secunda consequitur ex prima. Nam, quia diuina personalitas naturam terminat simpliciter infinitam; ideò perfectionem habet in ratione personalitatis & termini simpliciter infinitam, secundùm quam in se continet eminenter omnẽ creatam personalitatem, & subsistentiam; & quia terminare naturam, vt sic (quod est proprium subsistentiæ munus) nullam dicit perfectionem, vt ostendimus: ideò, si personalitas seu subsistentia fuerit infinita, qualis est diuina, non solum propriam, sed etiam alienam naturam poterit terminare; igitur ex hoc ipso, quod diuina personalitas terminus est infinitus naturam Dei infinitam terminans adæquatè, habet, vt possit etiam quamlibet creatam naturam terminare; diuinam enim essentiam terminat personalitas, vt infinita sit liciter in terminando; atque adeò vt creatas & creabiles omnes personalitates & subsistentias continens eminenter; ac per consequens, vt potens earum etiam naturas terminare, & vires omnium personalitatum & subsistentiarum excellentissimè supplere. Quamuis itaque videatur diuinæ personalitatis infinitas diuinã terminãdo naturã exhauriri; propriè tamen & absolutè loquendo non exhauritur, sed ea ratione tantùm qua est naturæ diuinæ terminatiua; quia non aliam posset simpliciter infinitam naturam terminare; quatenus autem creatam potest naturam terminare, nõ exhauritur ex eo, quod terminus est naturę diuinę; sed hoc ipso fit potens alias etiam naturas, scilicet creatas & creabiles terminare vsque in infinitum; quæ est alia ratio infinitatis diuinæ subsistentiæ. Quemadmodum etiam intellectui & voluntati Dei duplex tribui potest infinitas: *altera* ad intra, qua scilicet Pater intellectu, veluti potentia filium generat infinitum, & Pater simul & Filius per voluntatem spirant Spiritum sanctum, vtrique infinitate perfectionis æqualẽ: *altera* diuini intellectus & voluntatis infinitas nuncupatur ad extra; quia tres diuinæ personæ per intellectum & voluntatem possunt creaturas perfectiores & perfectiores producere vsque in infinitum. Et quamuis priorem intellectus & voluntatis infinitatem duæ iam dictæ, scilicet Filij & Spiritus sancti emanationes, adæquent & exhauriant; posterior tamen earundem potentiarum infinitas, integra semper & inexhauribilis perseuerat; quæ tamen in illa priori infinitate, veluti in radice & causa virtuali seu ratione fundatur. Vt enim ait S. Thom. *prima parte, quæstione 45. art. 6. Diuinæ personæ secundùm rationem suæ processionis habent causalitatem respectu creationis rerum.* Cuius rationem ibidem affert: *Quia Deus est causa rerum, per suum intellectum & voluntatem, sicut artifex rerum artificiatarum: artifex autem per verbum intellectu conceptum, & per amorem suæ voluntatis ad aliquid relatum operatur. Vnde, & Deus Pater operatus est creaturam per suum Verbum, quod est Filius, & per suum amorem, qui est Spiritus sanctus,* &c. Igitur ea virtutis infinitas, quæ diuino conuenit intellectui, & voluntati in ordine ad creaturas, ex ea nascitur infinitate, quam habet intellectus diuinus & voluntas in ordine ad personarum emanationes secundùm perfectionem simpliciter infinitas. Sicut ergò diuini intellectus & voluntatis infinitas, non quo ad omnem, sed quo ad vnam tantùm rationem adæquatur & exhauritur in emanatione Verbi, & amoris: remanet autem inexhauribilis respectu producibilis creaturæ, sic infinitas terminatiua, quæ conuenit substantiæ personali in actuali terminatione, diuinæ naturæ secundùm vnam duntaxat rationem adæquatur & exhauritur: non verò secundùm aliam, qua creatam & creabilem respicit naturam eâdem infinitâ subsistentiâ terminabilem.

Quanta sit Incarnationis nobilitas.

QVARTO *sciendum est*, Incarnationem ex duplici capite posse considerari, scilicet ex parte naturæ assumptæ, & ex parte personæ assumentis & assumptionem terminantis: si consideretur quo ad assumptam naturam finita est, & potest Deus effectum alium ea nobiliorem producere, puta, si naturam assumeret substantiæ spiritualis; sed quo ad assumentem personam, quæ terminus est assumptionis & assumptæ naturæ, nihil à Deo nobilius effici potest Incarnatione Verbi; quia terminus Incarnationis & assumptæ humanitatis est persona dignitatis simpliciter infinitæ, quæ Deus est. Ita D. Th. *1. p. q. 25. a. 6. & in 1. d. 4. q. 1. a. 3.* Vbi materiam hanc explicat diligenter.

Affertur ratio propria, cur in persona diuina, quæ per assumptionem humanæ naturæ fit homo, fieri mutationem sed in assumpta tantùm humanitate; cuius rationem assignat S. D. infra q. 16. a. 9. ad 4. & a. 6. ad. 2.

QVINTO *notandum est* in Incarnatione nullam in persona diuina, quæ per assumptionem humanæ naturæ fit homo, fieri mutationem sed in assumpta tantùm humanitate; cuius rationem assignat S. D. *infra q. 16. a. 9. ad 4. & a. 6. ad. 2.* dicens: *Fieri importat, quod aliquid prædicetur de nouo de altero; Vnde, quandocunque aliquid de nouo prædicatur de altero cum mutatione eius, de quo dicitur,*

mutatio; sed in assumpta tantũ humanitate cõstituntur quidã dicẽdi modi.

dicitur, tunc fieri est mutari; & hoc contingit in omnibus, quæ absolutè dicuntur: non enim potest albedo, aut magnitudo aduenire alicui, nisi per hoc, quod de nouo mutatur ad albedinem vel magnitudinem. Ea verò, quæ relatiuè dicuntur, possunt de nouo prædicari de aliquo absque eius mutatione; sicut homo de nouo fit dexter absque sua mutatione per motum illius, qui fit ei sinister. Vnde in talibus non oportet omne, quod dicitur fieri, esse mutatum, quia hoc potest accidere per mutationem alterius, & per hunc modum Deo dicimus: Domine refugium factus es nobis. Esse autem hominem conuenit Deo ratione vnionis, quæ est relatio quædam; & ideo esse hominem prædicatur de nouo absque eius mutatione per mutationem humanæ naturæ, quæ assumitur in diuinam personam, & ideo, cum dicitur, Deus factus est homo, non intelligitur aliqua mutatio ex parte Dei; sed solum humanæ naturæ. Hęc ibi S. D. Quorum verborum sensum tripliciter explicat Caiet. Nam *primò* in allegata *q. art. 1. ad quartum* ait non dixisse D. Thom. vnionem, ratione cuius est hæc prædicatio, esse relationem aut relatiuã, sed quod relationẽ importat, hoc est, connotat; & propterea, licèt vnio naturæ humanæ ad Deum sit substantialis; quia tamen connotat relationem; ideò nomen prædicatum secundùm illam non sequitur regulam absolutorum ab æterno. *Secundò* ibidem ait, exponi posse dicendo, quòd homo prædicatur de Deo ratione vnionis in persona, quæ vnio est fundamentaliter substantialis, & formaliter relatiua; sed prædicatio est ratione vnionis fundamentalis, quæ significatur per vnionem formaliter, sicut differentia per proprietatem solet significari, & quia illa fundamentalis vnio, quæ fundat prædicationem hanc, habet modum relatiuum, quo ad hoc, quod de nouo posita in persona Verbi nullam in illa mutationem ponit, nisi relatiuam, non relatione reali; sed rationis; ideò affirmat S. D. eam importare relationem; ac proindè non sequi regulam absolutorum ab æterno, quæ, si Deo de nouo apponerentur, aut ab eo tollerentur, in eo ponerent mutationem. Sed quoniam adhuc hæret anceps animus non videns per hæc explicari proprium, ac primum illius responsionis D. Tho. fundamentum: Propterea Caiet. *in eadem q. 16. art. 6. circa responsionem ad secundum* D. Th. *tertiam* adhibet expositionem dicens: Quamuis fieri hominem absolutè importet mutationem in subiecto acquirente humanam naturam, puta in materia; tamen personam aliquam fieri hominem non importare mutationem in persona acquirente humanam naturam: Cuius differentiæ rationem affert; quia subiectũ, quod fit homo, per trãsmutationem sui acquirit esse humanum: sed persona, quæ fit homo sola noua personatione humanæ naturæ fit homo; personare verò naturam humanam non est mutari, sed subsistere nunc primò in illa; & hoc modo Filius Dei, qui prius non erat homo, factus est homo; quia scilicet prius non personabat humanam naturam, & eam in tempore cœpit personare; & per hoc acquisiuit primò esse substantiale humanæ naturæ, & non solùm esse relatiuum. Quam doctrinam sequitur Medina *in prolego, quæst. 2. in responsione ad 2. arg. & in Commentario dicti art. 6.* Addit autem Medina non esse eandẽ rationẽ de Angelo, qui, si assumeret (inquit) naturã humanã, mutaretur & perficeretur: quoniã Angelus de se nõ habet illud esse substãtiale; sed tantũ per humanitatẽ: Deus autem omnem habet in se perfectionem sine humanitate præcisis omnibus imperfectionibus, quo fit, vt Deus nõ sit factus melior per Incarnationẽ, quã-

1. sent Cai.

Medina.

quam fortasse concedi possit factũ esse perfectiorem extensiuè.

Et hoc vt solido & per se sufficienti fundamento sibi proposito defendit Valentia *pũcto secundo*, Deũ per Incarnationẽ non esse mutatũ dicens, tunc fieri, vt res mutetur, quãdo aliter simpliciter & absolutè se habet, quã prius; quia mutatio est entis in potẽtia simpliciter; & ideò rem, quæ eminenter aliquid prius habebat, nõ mutari propriè, si illud acquirat postea formaliter; quia nõ simpliciter & absolutè illo prius carebat, neque rem mutari, nisi quando est in potentia receptiua simpliciter respectu eius, quod recipitur; Verbũ autem diuinum habebat prius rem, id est perfectionẽ humanitatis eminẽter, sic videlicet, vt posset illam efficere, & etiam sine illa facere, quidquid illa tãquam causa efficiens, vel coefficiẽs posset facere id, quod est perfectionis in humana natura.

Secũda sent. Valentia.

Sed, vt mihi videtur, hic secũdus dicendi modus omninò falsus est: Nam ad tollẽdã à persona carnem assumente mutabilitatem, neque sola sufficit hæc eminẽtialis assumptæ naturæ cõtinẽtia, neque est absolutè necessaria. Probatur: Nam Sol eminenter est calidus; & tamẽ vere mutaretur, si fieret formaliter calidus, & Angelus virtutes habet Cardinales secundùm eminentiores actus, quàm homo; & tamen, si haberet eas secũdùm actus homini conuenientes, mutaretur; quia id, quod prę habet eminenter perfectionem aliquam limitatam; si postea illam formaliter in se recipiat, aliquid habet de nouo quod ante nõ habebat: eo quod limitata perfectio dicit limitationem, & modum imperfectum, qui formaliter non includitur in forma, vel actu eminentiori: Deinde, si talis perfectio limitata reciperetur in subiecto, & illud actuaret, & illi nouum esse accidentale conferret: igitur ea recepta mutaretur. Secundum verò (scilicet non esse necessariam continentiam illam eminentialem, ne persona naturam alienam assumendo ad sui vnitatem mutetur) sic probatur: Angelus non continet eminenter humanam naturam; cum non possit ipsam producere, & tamen, si detur illum vniri personaliter humanitati nulla fieret mutatio realis: Nam vt Angelus vniatur humanitati sufficiet humanitatem ipsam mutari, & ad Angelicam subsistentiam eleuari hoc ipso, quod ab ea terminatur: quia terminare non est agere, aut actus secundus propriè loquendo, nec nouam addit termino præsertim subsistenti perfectionem, aut actualitatem, sed ipsum terminum adiungit rei, seu naturæ terminatæ, ita vt omnis noua perfectio fiat in natura terminata; igitur, si nostram Angelus assumeret humanitatem, nulla realis fieret in eo mutatio, sed tantum humanitate; tunc enim Angelus non per potẽtiam passiuã; sed sola personatione humanitatis acquireret esse hominem.

Refutatur Valentia.

Ex his patet, primò propositionem illã Caiet. videlicet: *Personã fieri hominẽ nõ importat mutationẽ in persona acquirete humanitatẽ*, esse verã de omni persona, siue careat, siue nõ careat potẽtialitate; quoniã in casu dato, quãuis impossibili, quod Angelus humanæ naturæ personaliter vniretur, potẽtialitas personæ Angeli nulla prorsus esset in ordine ad humanitatẽ, aut ad esse hominem; quia nõ vniretur, nisi ratione subsistẽtiæ, seu personalitatis, quatenus formaliter terminus est, qua ratione nulla conuenit ei potentialitas, aut noua aliqua addit actualitas, vt antè diximus: aliæ verò potentialitates Angelicæ personæ conuenientes merè per accidens; & imperti-

3. Sententia aliquorum Thomistarum.

pertinenter se haberent in ordine ad vnionem.

Secundò patet falsum esse, quod quidam recentiores Thomistæ dicunt, nimirum D. Tho. *in 3. d. 1. quæst. 1. art. 1 ad 1.* asserere Verbum, ideò in Incarnatione non fuisse mutatum; quia mutari est aliter se habere, vel de nouo aliquid acquirere ratione potentiæ passiuæ, quam habet; non autem, si aliquid acquirat de nouo ratione suæ actualitatis & potentiæ actiuæ, & ratione potentiæ passiuæ seu potentialitatis, quam habet res acquisita; sicut essentia diuina non mutatur; quia de nouo fit species intelligibilis beati, nec Deus mutatur, quando fit adiutor noster; quia hoc nouum fieri & nouum esse adiutorem, vel speciem conuenit Deo ratione suæ actualitatis, & nostræ potentialitatis passiuæ; sed mutamur nos; quia per receptionem speciei vel auxilij habemus de nouo aliquid absolutum ratione nostræ potentiæ passiuæ. Et quia (inquiunt) Deus factus est homo ratione suæ actualitatis, & ratione potentiæ passiuæ, quæ erat in humanitate: ideò humanitas mutatur, & non Deus. *Sed* D. Th. *l. cit.* manifestè docet oppositum: Nam ibi naturâ declarans relatiuorũ tertij modi ait, alterũ relatiuũ, puta scibile, dici de nouo relatiuè ad alterũ nulla facta mutatione circa ipsum scilicet scibile; quia scibile non dicitur per potẽtiam passiuam, quæ sit in ipso, sed per potentiam, quæ est in sciente; ita (inquit) Deus dicitur vniri non per mutationem sui, sed eius cui vnitur: & similiter, cũ dicitur vnibilis, hoc non dicitur per potentiam aliquam passiuam in Deo existentem; sed per potentiam, quæ in creatura est, vt vniri possit; & statim addit, dici non posse, quòd vnibile non dicit potentiam passiuam, sed actiuam; quia cum hæc actio, quæ est vnire, conueniat toti Trinitati, etiam vnibile, si dicit potentiam actiuam, erit commune toti Trinitati, & non soli congruet filio; Itaque modus ille dicendi, contrarius est doctrinæ D. Th. qui *loc. not.* potentiam quidem passiuam excludit ab altero relatiuorum; non tamen actiuam illi potentiam tribuit in ordine ad alterum; quia non est verum vniuersaliter, vt patet in Mysterio Incarnationis, in quo sola personatione, quæ non est actio, Filius Dei factus est homo; nec in humanitate ponit potentiam passiuam respectu personalitatis, sed dicit in ea esse potentiam, qua vniri possit: Verè enim non est talis in humanitate potentia; alioquin diuina personalitas esset eius actualitas, & forma, quod est absurdum. Quamuis autem nulla realis, & propriè dicta mutatio fiat in persona, quæ fit homo, per hoc, quod de nouo terminat humanitatem, & eius assumptionem ad vnitatem suæ subsistentiæ; non tamẽ sit consequens posse diuinam personam aut essentiam esse terminum transubstantiationis humanitatis in ipsum; quoniam, vt *q. 2. a. 1.* aduertit Medina, transubstantiatio semper est inter duas res, quæ communicant in entitate transmutabili, vt satis clare significat S.D. *infra q. 75. a. 4.* Igitur hæc mutatio fieri non potest, nisi inter res creatas. Secundò, id, in quod aliud ita conuertitur: incipit esse id, quod antea non erat scilicet id, in quod res creata conuersa est. Tertiò transubstantiatio est productio rei, in quam fit transubstantiatio, non simpliciter; quia iam præerat illa res secundùm se, sed quatenus de nouo est id, in quod aliud est conuersum; ac proindè, vt sic dependet ab actione agentis, & per eam producitur. Difficultatem hanc vberrimè versat, ac bene definit Suarez *tom. 3. disp. 50. s. 2.*

6. Tho.

Refelluntur.

Medina.

Suarez.

A Postremò supersunt multæ insignes difficultates, ex quibus pendet huius Controuersiæ plena resolutio; sed, quia non expedit eas ordine quæstionum, & articulorum, & totius huius tractatus doctrinæ turbato ex proprijs sedibus huc eas omnes euocare, ne Theologi nouitij confundatur intelligentia, suis eas locis duximus esse reseruandas, in quibus à D. Th. & expositoribus examinantur: interim videant, qui voluerint, quæ de proposita difficultate scribunt Medina *in 2. q. introductoria*. Valentia, *disp. 1. puncto 2.* & Suarez, *disp. 8. sect. 3.* nobis enim hæc pauca in proprijs sedibus vberius discutienda sufficiunt. Quibus præmissis probandum esset Incarnationis Mysterium per actiuam Dei potentiam, siuè secundùm potentiam logicam esse possibile; sed quia loca superius indicauimus, ex quibus desumi facilè possunt innumera cuiusque generis argumenta, ad eos fontes lectorem remittimus, vt inde, quæ sibi placuerint, hauriat; maxima verò omnium apud Catholicos probatio est, quòd Incarnationis Mysterium à Deo fuisse peractum diuina testantur eloquia; id verò, quod diuina potentia factum est, certè possibile fuit, per eam fieri.

Medina Valentia.

B

PRIMA CONCLVSIO *Mysteriũ Incarnationis docet fides catholica.* Conclusionem hanc latè probat Medina, & alij supra notati.

Conclusionem deducta & probata.

C

SECVNDA CONCLVSIO: *Mysterium Incarnationis est appellandum possibile non potentia physica, sed potentia logica, & consequenter etiam secundùm actiuam Dei potentiam.* Hæc patet ex dictis in primo Notabili.

Contra primam Conclusionem sunt argumẽta, quæ proponit, & soluit S. D *in 3. d. 1. q. 1. a. 1.* & alij antiqui scolastici *in eadem distinctione*; quibus adde ea, quæ referunt, & soluunt Medina, & Valentia *locis alleg.*

Arg. & sol. Obiectio cõtra 1. cõcl. 1.

D

Contra eandem Conclusionem est hoc *argumentum*: Deo, quia suprema veritas est & summa bonitas, repugnat falsitas & malitia, non solùm in natura propria, sed etiam in aliena; ergò, quia summa est immaterialitas, & immutabilitas, & vita, repugnat ei non solùm in propria, sed etiam in aliena natura esse materialem, mutabilem & mortuum; igitur ei repugnat incarnari. *Probatur hæc consequentia*: Quia Deo Incarnato conueniunt istæ conditiones, in assumpta, seu secundùm assumptam humanitatem. Et *Confirmatur primò*; quia, si possibile esset Deum incarnari, iam non intelligeretur, esse summè immaterialis & immortalis; ergò non intelligeretur Deus. *Consequentia* patet; quia Deus est id, quo nihil intelligi potest immaterialius & immortalius. *Antecedens* verò probatur. Quoniam illud intelligitur esse immaterialius & immortalius, quod neque in propria, neque in aliena natura potest esse materiale aut mortale, sicut illud intelligitur esse veracius, & magis impeccabile, quod neque in propria neque in aliena natura potest mentiri & peccare. *Secundò confirmatur*, quia magis distãt Deus & Creatura, quã assensus & dissẽsus; amor & odiũ eiusdẽ obiecti; & magis, quàm substantia & accidens. *Maior probatur*; quia illa non distant in infinitum; sed sunt eiusdem ordinis & aliquando eiusdem generis: Deus autem & Creatura non sunt eiusdem ordinis, sed distant in infinitum. Minor autem probatur; quia si quis haberet simul amorem & odium Dei, haberet simul duos vltimos & oppositos fines, & simul esset in gratia & in peccato, quod implicat

obiect. 2.

E

Conf. 1.

Conf. 2.

plicat contradictionem; & similiter, si substantia existeret per existentiam accidentis, simul haberet existentiam in alio & non haberet existentiam in alio sed per se; quæ sunt expresse cõtradictoria. *Respondetur* nullam esse consequentiam. Ad probationem negatur etiam consequentia; Cuius ratio est; quia priuationes inclusæ in differentijs specierum minus perfectarum, vel etiam puræ priuationes opponuntur tantùm quibusdam particularibus perfectionibus & bonis, sicut nigrum albo, irrationale rationali, mors vitæ, & in proposito materiale immateriali, & mutabile immutabili, vt sic; non autem Deo opponuntur, aut eius bonitate priuant, prout est in se ipsa, seu prout est bonitas Dei; at falsitas & malitia moralis Deo, prout in se ipso est, opponuntur: & ideò illa Deo non repugnant in aliena natura subsistenti; hæc vtroque modo Deo repugnant scilicet prout in se est, & vt est suppositum alienæ naturæ. Declarantur hæc; quoniam infirmitas & mors Petri opponuntur saluti & vitæ Petri; non autem aliorum hominum vel Angelorum aut Dei; quoniam hæ priuationes à solo Petro tollunt oppositas formas siuè bona; non autem à cæteris hominibus, & multò minus ab Angelis, aut à Deo; sed falsitas & malitia moralis, quia mala sunt intellectualis naturæ, quatenus intellectualis natura est, secundum eius, scilicet formalem rationem absolutè, & communissimè sumptam, quatenus scilicet communis est analogicè nobis, Angelis & Deo, non opponitur obiectiuè tantùm veritati & bonitati eiusdem subiecti; sed opponitur etiam veritati & bonitati ipsius Dei secundùm se. Ex g. falsitas hæc: homo non est animal, non tantùm opponitur huic veritati: homo est animal; & eam tollit ab eodem intellectu, adeò vt non possint simul in eodem intellectu conuenire; sed etiam quantùm sit ex se, opponitur etiam vnicuique verò iudicio, tam Angelico quàm Diuino & illud tollit. De malitia verò morali diuinæ legi contraria; ac præsertim de odio Dei perspicuè constat illud non opponi tantùm actui charitatis debito inesse subiecto habenti odium, sed etiam quantùm est ex se, opponi bono diuino & illud destruere: primò, quia præfigit voluntati alium vltimum finem, præter Deum; ac proinde tollit à Deo rationem vltimi finis & summi boni: & per consequens Deum, quantùm in se est, omninò destruit, licèt illum actu non tollat, eo quod sit ens simpliciter necessarium. Secundò, quia fundatur in iudicio falso, quod opponitur recto dictamini naturæ intellectualis, etiam diuinæ dictantis Deum non esse odio habendum, sed summè diligendum. Denique tam falsitas, quàm malitia moralis sunt mala naturæ intellectualis absolutè, & secundùm se consideratæ, etiam, vt est in Deo; quamuis natura diuina ob suam talem scilicet infinitam, & simpliciter necessariam perfectionem illam non admittat. *Ad primam confirmationem* negatur antecedens: Ad cuius probationem negatur assumptum; quoniam esse materiale aut mortale secundum naturam assumptam, nihil minuit de immaterialitate & immortalitate Deo secundùm propriam naturam, & vt Deus est, conueniente; sed indicat infinitatem Dei simpliciter secundùm esse, & secundùm personalitatem, qua potest terminare, quamcunque naturam etiam corpoream & corruptibilem, secundùm quam mutetur & moriatur: neque eadem ratio est de mendacio & de malitia morali, vt antè diximus. *Ad secundam confirmationem* negatur illatio; quoniam aliqua magis distare, quàm alia contingit dupliciter: *Vno modo* in ratione entis, & ita magis distant Deus & creatura, quàm assensus & dissensus, &c. *Alio modo* quo ad habitudinem seu proportionem illam, ex qua diuersarum rationum entia habẽt, vt possint ad inuicem conuenire; & hoc modo magis distant assensus & dissensus &c. quàm Deus & natura creata: & ideò possunt hæc in vno supposito conuenire: illa verò non possunt eidem simul inesse secundum idem, &c. Quemadmodum etiam materia & forma; substantia & accidens magis distant, in ratione entis, quam duæ albedines & duæ formæ substantiales; & tamen ille simul esse possunt in eodem; hæ verò minimè: quoniam in illis est habitudo, seu proportio, ex qua habent, vt possint in vnum conuenire, quæ non est in istis: materia namque habitudinem habet potentiæ, & subiecti ad formam, & substantia similem habet habitudinem ad accidens; talem autem habitudinem non habent duæ albedines, aut duæ formæ substantiales inter se: Sic itaque Deus & humanitas, quamuis in ratione entis distent in infinitum: habent tamen habitudinem inter se terminabilis & terminantis; & ideò possunt vniri in vna subsistentia personali: substantia verò non habet ad accidens habitudinem terminabilis & personabilis ab eo: neque accidens tantæ perfectionis est, vt eminenter in se præhabeat perfectionem subsistentiæ & existentiæ substantialis: & ideò impossibile est, substantiam existere aut personari per aliquod accidens, & similiter assensus & dissensus, &c. nullam habent habitudinem inter se ratione cuius possint simul eidem inesse, sed oppositionem habent naturalem, ex qua vnum extremum tollit rationem formalem alterius obiectiuam, qua sublata deficit actus, ex. g. amor ad rem fertur repræsentatam vt bonam; & ideò non potest terminari ad rem repræsentatam vt malam formaliter; è contra verò odium ad rem fertur repræsentatam, vt malam, & sub ratione mali & propterea contradictio est, vnam & eandem rem sub eadem ratione formali simul amari & odio haberi.

Alia argumenta, quæ difficultates implicant inferius suis locis examinandas, omittimus.

Solus. *Ad 1. Conf.* *Ad 2. Conf.*

Obiectio cõtra 2. Concl. & *S. Thom.*

CONTRA *secundam Conclusionem* probãt quidam recentiores Mysterium Incarnationis non esse possibile logicè: quia teste D. Tho. *in 1. p. q. 25. a. 3. ad 4. & q. 46. a. 1. ad. 1.* possibile logicũ est illud, quod est possibile ex habitudine terminorũ, qui ex se non repugnant ad inuicem, sed isti termini *Deus & homo* significant naturas distinctas & repugnantes in eodem supposito; ergo. Minor est D. S. *infra q. 16. a. 1. ad 1.* dicentis, propositionem hanc: Deus est homo, esse in materia repugnante ex parte naturarum.

Secundò probant Mysterium Incarnationis esse possibile Physicè: Quia teste August. *Epist. 8.* Incarnatio est possibilis ex omnipotentia scientis; sed omnipotentia Dei est physica; ergo. *Tertiò*, Incarnatio est physicè causata, & non ex natura extremorum, sed ab aliquo extrinseco; ergo datur potentia physica, per quam causetur, & sic possibilis. Probatur consequentia: nam alias esset effectus physicus sine causa potente illum causare physicè.

2. *Aug.* 3.

Respondetur ad primum, falsam esse minorem: Ad probationem dico D. Thom. in illa responsione *Sol. primæ S. Thom.*

sione oppositum docere; sic enim ait: *Quando formæ diuersæ non possunt conuenire in vnum suppositum, tunc oportet, quod propositio sit in materia remota, cuius subiectum significat vnam illarum formarum, & prædicatum aliam; sed quando duæ formæ possunt conuenire in vnum suppositum, non est materia remota, sed naturalis, aut contingens, sicut cum dico, album est musicum: Natura autem diuina, & humana, quãuis sint maximè distantes; tamen conueniunt per Incarnationis Mysterium in vno supposito, cui neutra illarum inest per accidens, sed per se; & ideò hæc propositio: Deus est homo, non est neque in materia remota, neque in materia contingenti, sed in materia naturali; & prædicatur de Deo non per accidens, sed per se, sicut species de sua hypostasi, non quidem ratione formæ significatæ per hoc nomen Deus, sed ratione suppositi, quod est hypostasis humanæ naturæ.* Hæc ibi S. Tho. ex quibus apparet secundùm eius mentem terminos huius propositionis: Deus est homo, non significare naturas repugnantes, sed maximè conuenientes in eodẽm supposito.

A

B

Sol. 2. *Ad secundum dico*, nullam esse consequentiam; quoniam possibile physicè dicit possibile per potentiam ordinis naturalis intrinsecam actiuam, aut passiuam: Mysterium autẽ Incarnationis neutro modo est possibile; nulla enim est in humanitate potentia naturalis actiua, aut passiua ad vnionem hypostaticam cum persona diuina, neque in diuina persona est aliqua potentia passiua, vt patet, neque actiua ad ordinem pertinens naturalem; quia potentia Dei ad affectus supernaturales Deo conuenit, vt agenti supernaturali: & proinde pertinet ad ordinem supernaturalem: est ergò Mysterium Incarnationis possibile, non per intrinsecam aut ordinis supernaturalis potentiam, sed ex habitudine terminorum, & per Dei potentiam actiuam supernaturalem, cuius obiectum est ens super naturale possibile logicè. Hæc verò potentia pars est omnipotentiæ, cuius obiectum est possibile logicè, tam ordinis naturalis, quàm ordinis supernaturalis.

C

Solut. 3. *Ad tertium* dico falsam esse consequentiam; ad eius probationẽ dico Incarnationẽ nõ esse effectũ physicũ, id est naturalẽ, aut ad ordinẽ naturalẽ pertinẽtẽ; sed est effectus omninò supernaturalis; & ideò non causatur ex potentia naturali actiua, aut passiua, sed ex actiua Dei potentia supernaturali, & ex potentia humanitatis obediẽtiali: potest tamen & debet Incarnatio dici effectus physicus, id est realis, & non ratione vel imaginatione confictus, sed effectui secundùm hunc sensum physico non respondet actiua potentia physica in nostro sensu, & multò minus passiua, sed potentia actiua physica, id est realis, quæ est omnipotentia Dei; sed de tali effectu, & tali potentia non loquitur conclusio nostra.

D

E

ARTICVLVS II.

Vtrum necessarium fuerit ad reparationem Generis humani, Verbum Dei incarnari.

2. 3. d. 4. q. 3. a. 1. ad 2. & 4 d. 10. a 2. ad 2. & d. 43 a. 2. q. 2. ad 2. Et 1. cont. c. 55. ad 2. Et pl. 45. cõ. 6.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd non fuerit necessarium ad reparationem humani generis verbum Dei incarnari. Verbo enim Dei, cum sit Deus perfectus (vt in primo habitum est:) nihil virtutis per carnem assumptam accreuit. Si ergo Verbum Dei incarnatum humanam naturam reparauit, etiam absque carnis assumptione eam potuit reparare.

Præterea: Ad reparationem humanæ naturæ, quæ per peccatum collapsa erat, nihil aliud requiri videbatur, quam quòd homo satisfaceret pro peccato. Sed homo, vt videtur, satisfacere potuit pro peccato: non enim Deus ab homine plus requirere debet, quam possit: & cum promptior sit ad miserendum, quam ad puniendum, sicut homini imputat ad pœnam actum peccati; ita imputare debet ad meritum actum contrarium. Non ergo fuit necessarium ad reparationem humanæ naturæ, Verbum Dei incarnari.

Præterea Ad salutem hominis precipuè pertinet, vt Deum reuereatur: vnde dicitur Mal. primo. *si ego pater, vbi honor meus? si Dominus, vbi timor meus?* Sed ex hoc ipso homines Deum magis reuerentur, quod eum considerant super omnia eleuatum, & ab hominum sensibus remotum: vnde in Psalm. 62. excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria eius, & posteà subditur; quis sicut Dominus Deus noster? Quod ad reuerentiam pertinet. Ergo videtur non conuenire humanæ saluti, quòd Deus nobis similis fieret per carnis assumptionem.

Sed contra: Illud per quòd humanum genus liberatur à perditione, est necessarium ad humanam salutem. Sed mysterium diuinæ incarnationis est huiusmodi: secundum illud Ioan. 3. *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ergo necessarium fuit ad humanam salutem Deum incarnari.

Respondeo dicendum, quod ad finem aliquem dicitur aliquid esse necessarium dupliciter. Vno modo, sine quo aliquid esse non potest: sicut cibus est necessarius ad conseruationem humanæ vitæ. *Alio modo, per quod melius, & conuenientius peruenitur ad finem:* sicut equus necessarius est ad iter. Primò modo Deũ incarnari nõ fuit necessariũ ad reparationem humanæ naturæ: Deus enim per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam multis alijs modis reparare. Secundò autem modo necessarium fuit Deum incarnari ad humanæ naturæ reparationem. Vnde Aug. dicit 13. de Tri. c. 10. *verum etiam ostendamus non alium modum possibilem Deo defuisse (cuius potestati omnia æqualiter subiacent) sed sanandæ miseriæ nostræ conuentiorem alium modum non fuisse.* Et hoc quidem considerari potest quantum ad promotionem hominis in bonum. Primò quidem quantum ad fidem: quæ magis certificatur ex hoc, quod ipsi Deo loquenti credit. Vnde Aug. dicit 11. de Ciuit. Dei. *Vt homo fidentius ambularet ad veritatem, ipsa veritas Dei filius homine assumpto constituit, atque fundauit fidem.* Secundò quãtũ ad spem: quæ per hoc maximè erigitur. Vnde Aug. dicit 13. de Trin. *Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quàm vt demonstraretur nobis, quantum diligeret nos Deus:* quid verò huius rei isto indicio manifestius, quàm quod Dei filius naturæ nostræ dignatus est inire consortium? Tertiò quantum ad charitatem: quæ maximè per hoc excitatur. Vnde Aug. dicit in lib. de catechizandis rudibus: *quæ maior est causa Aduentus Domini: nisi vt ostenderet Deus dilectionem suam in nobis?* Et posteà subdit. *Si amare pigebat, saltem reamare non pigeat.* Quartò, quantum ad rectam operationem: in qua nobis exemplum se præbuit. Vnde Aug. dicit in quodam sermone de natiu. Domini. *Homo sequendus non erat, qui videri poterat:* Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo exhiberetur homini, & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur: *Deus factus est homo.* Quintò ad plenã participationẽ diuinitatis: quæ vera est hominis beatitudo, & finis humanæ vitæ: & hoc collatum est nobis per Christi humanitatẽ: Dicit enim Aug. in quodam sermone de Natiu. Domini. *Factus est Deus homo:* vt homo fieret Deus. Similiter, & hoc vtile fuit ad remotionem mali.

Primò

Primò enim per hoc homo instruitur, ne sibi Diabolum præferat, & eum veneretur: qui est actor peccati. Vnde Aug. dicit 13. de Trin. Quando quidem sic potuit Deo coniungi humana natura, vt fieret vna persona: superbi illi maligni spiritus non ideò se audeant homini præponere, quia non habent carnem. Secundò per hoc instruimur, quanta sit dignitas humanæ naturæ: ne eam inquinemus peccando. Vnde August. dicit in lib. de vera Relig. Demonstrauit nobis Deus, quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, in hoc quod hominibus in verò homine apparuit. Et Leo Papa dicit in serm. de Natiu. Agnosce O Christiane dignitatem tuam: & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire. Tertiò, quia ad præsumptionem hominis tollēdam, gratia Dei nullis meritis præcedentibus in homine Christo in nobis commendatur: vt dicitur in 13. de Trinitate.

Quartò, quia superbia hominis, quæ maximè impedimēto est, ne inhæreatur Deo: per tantā Dei humilitatē redargui potest, atque sanari: vt dicit Augustinus ibidem.

Quintò ad liberūdū hominē à seruitute peccati: quod quidem, vt August. dicit. 13. de Trin. fieri debuit sic, vt Diabolus iustitia hominis Iesu Christi superaretur: quod factum est Christo satisfaciente pro nobis. Homo autē purus satisfacere non poterat pro toto humano genere: Deus autem satisfacere non debebat: vnde oportebat Deum, & hominem esse Iesum Christum. Vnde, & Leo Papa dicit in serm. de Natiu. Suscipitur à virtute infirmitas, à maiestate humilitas: vt quod nostris remedijs congruebat, vnus atque idem Dei, & hominum mediator, & mori ex vno, & resurgere posset ex altero. Nisi enim esset verus Deus non afferret remedium: nisi esset verus homo, non præberet exemplum. Sunt autem, & aliæ plurimè vtilitates, quæ consequutæ sunt, supra apprehensionem sensus humani.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit secundum primum modum necessary: sine quo ad finē peruenīri non potest.

Ad secundum dicendum, quod aliqua satisfactio potest dici dupliciter sufficiens. Vno modo perfectè: quia est condigna per quandam adæquationem ad recompensationem culpæ commissæ: & sic hominis puri satisfactio sufficiens esse non potuit pro peccato. Tum, quia tota humana natura erat per peccatum corrupta: nec bonum alicuius personæ, vel etiam plurium poterat per æquiparantiam, totius naturæ detrimentum recompensare. Tum etiam, quia peccatum contra Deum commissum, quandam infinitatem habet ex infinitate diuinæ maiestatis: tanto enim offensa etiam grauior, quanto maior est ille, in quem delinquitur. Vnde oportuit ad condignam satisfactionem, vt actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam: vtpotè ei, & hominis existens.

Alio modo potest dici satisfactio hominis esse sufficiens imperfectè scilicet secūdum acceptationem eius, qui est ea contentus, quamuis non sit condigna. Et hoc modo satisfactio puri hominis est sufficiens. Et quia omne imperfectum præsupponit aliquid perfectum, à quo sustentetur: inde est, quod omnis puri hominis satisfactio efficaciam habet à satisfactione Christi.

Ad tertium dicendum, quòd Deus assumendo carnē, suam maiestatem non minuit: & per consequens non minuitur ratio reuerentiæ ad ipsum, quæ augetur per augmentum cognitionis ipsius. Ex hoc autem quòd nobis appropinquare voluit per carnis assumptionem, magis nos ad se cognoscendum attraxit.

Sensus quæsiti.

EX duarum particularum sensu benè perspecto totius quæsiti pendet intelligentia. *Prior Naz. in D. Thom. 3. partem* est illa dictio *necessarium*. Cuius duplicem acceptionem explicat S. D. in textu: in hac autem inscriptione sumitur indistinctè, & cū abstractione ab vtroque modo necessitatis, quod euidenter ostendunt duæ conclusiones: altera primò, & altera secundò respondens modo necessitatis: & argumenta, ex quibus primum aduersus primam; secundum autem, & tertium aduersus secundam militant conclusionem; ex quo patet Suarezium non assignare causam sufficiētem, neque congruam, cum hic S. D. vsus fuerit termino necessitatis; non autem congruentiæ, sicut in quæsito præcedentis articuli, *Posterior* autem particula illis verbis continetur *ad reparationem generis humani*, quibus maximè quæsitum hoc, & articulus à præcedenti distinguitur, vt supra notauimus: In primò namque proposuit quæsitum S. D. de Incarnationis conuenientia absolutè sumpta: hic autem necessitatem inquirit respectu finis determinati, nimirum reparationis Generis humani. *Suarezij expositio reijcitur.*

Forma Textus.

PRAEMISSA distinctione duabus Conclusionibus quæsito respondet.

DISTINCTIO est: Ad finem aliquem dicitur aliquid esse necessarium dupliciter: *Vno modo*, sine quo aliquid esse non potest, sicut cibus est necessarius ad conseruationem humanæ vitæ: *Alio modo*, per quod melius, & conuenientius peruenitur ad finem; sicut equus necessarius est ad iter.

PRIMA CONCLVSIO: *Primo modo non fuit necessariū Deum incarnari ad reparationem humanæ naturæ.* Probatur: quia Deus per suam omnipotētem virtutem poterat humanam naturam multis alijs modis reparare.

SECVNDA CONCLVSIO. *Secundo modo necessarium fuit Deum incarnari ad humanæ naturæ reparationem.* Probatur primò, simul cum prima conclusione auctoritate Augustini *lib. 13. de Trinit. cap. 10.* Secundò probatur sola ipsa secunda conclusio tribus argumentis; quorum singula plura continent media; ex quibus plura confici possunt argumenta. *Primum argumentum est*: Per diuini Verbi Incarnationem promouetur homo ad bonum fidei, spei, charitatis, operis recti & Diuini consortij; ergo. Singulæ huius antecedentis partes clarè, & ordinatè probantur in textu.

Secundū argumentum est: Incarnatio Verbi fuit vtilis ad remotionem mali; ergo. Probatur antecedens enumerando quinque mala, & totidem modos, quibus per Diuini Verbi Incarnationē ab homine remouentur. *Tertium argumentum*: Sunt aliæ plurimæ vtilitates, quæ ex Incarnationis Mysterio consequutæ sunt supra apprehensionem sensus humani, &c.

Expositio Textus.

SVPPONIT hic S. D. vt fidei dogma certissimum, diuini Verbi Incarnationem ad humani generis in peccatum prolapsi redemptionem à Deo fuisse destinatum; quod diuina scriptura passim in vtroque testamento sæpissimè repetit. Psalm. septuagesimo primo *Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum* Isaiæ. 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit; & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum; ipse autem humiliatus* *Psalm. 71.* *Isa. 53.*

latus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Omnes nos quasi oues erravimus, & vnusquisque in viam suam declinauit. Et posuit in eo
Matth. 1. *Dominus iniquitates omnium nostrum.* Matth. 1. *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Lucæ 19. *Venit enim filius*
Luc. 19. *hominis quærere, & saluum facere, quod perierat,* & 1.
1. Tim. 1. Timoth. 1. *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Non defuerunt tamen insanientes hæretici, qui asseruerunt Christum nobis à
Hereticorũ dogma. Deo datum fuisse solùm in Doctorem, & in perfectæ virtutis exemplum; non autem in redemptorem; quorum præcipui fuerunt Petrus Abailardus. Cuius hæresim refert, & confutat D. Bernardus *Epist. 190.* In eodem errore fuisse Pelagium
Bernard. Augustin. Alphonsus de Castr. refert Aug. *in lib. de Gratia Christi contra Pelagium, & Cœlestium, cap. secundo, & Epist. 107. ad Vitalem; & de Hæresibus ad quod vult Deum, hæresi 88.* Quem etiam tenuisse quendam Bassum narrat Alphonsus de Castro, *Verbo Christus, hæresi 8.* Hanc hæresim latè confutat Vasquez *super hoc ar. d. 9. c. 1.* Vide etiam D. Tho. *in 3. d. 20. q. 1. a. 1. q. 3.*

De primæ, & secundæ Conclusionis veritate disputant hic recentiores vberrimè; ac præsertim
Medina Suarez Valentia Vasquez. Medina *dub. 1.* Suarez *disp. 4. & s. 1. & 2.* Valentiæ *puncto 5.* Vasquez *disp. 1. c. 2. 3. & 4.*

Circa secundam conclusionem *aduerte primò* eam non esse omnino absolutè intelligendam, sed stante rerum ordine, quem Deus indidit vniuerso, præsertim quo ad supernaturalia: huic enim maximè consonant omnes illæ rationes &
S. Thom. Aug. Damascenus. congruentiæ, quas S. D. ex sanctis Patribus Augustino, & Leone collectas in textu proponit, quibus addenda est etiam illa, quam ex Damasceno refert *in articulo præcedente.* Verùm, vt ait S. D. *in 3. d. 20. q. 1. a. 4. q. 2* quamuis ex parte nostra cõuenientior modus esse non potuerit: Deo tamen non aufertur potentia, quin potuerit alium modum conuenientiorem fecisse, cuius potentia limitata non est: sed hoc (inquit) esset secundum alium ordinem rebus impositum. Et *in eadem q.*
S. Thom *ar. 1. q. 3. ad 3. ait: Quantum est ex parte illius, qui peccauit, secundum ordinem, quem nunc Deus imposuit rebus, non potest peccatum congruè sine pœna dimitti.* Igitur alium posset Deus ordinem rerum instituere, cui liberalis congrueret pœnæ condonatio, & licet Incarnatione Verbi ea ratione, qua terminatur ad Verbum, quod est persona simpliciter infinita, nihil etiam per Dei potentiam melius effici possit, nec humano generi redimendo secundùm hunc rerum ordinem, quoduis aliud medium potuerit esse congruentius; potuit tamẽ Deus alium in rebus ordinem instituere, cui magis congruat gratiosa pœnæ condonatio, vel alius modus à labe & pœna peccati, liberandi genus humanũ, & in hoc sensu interpretanda sunt verba illa D. Augustini *in textu relata ex libro 13. de*
August. S. Thom. *Trin. cap. 10.* videlicet. *Verum etiam ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati omnia æqualiter subiacent, sed sanandæ miseriæ nostræ conuenientiorem alium modum non fuisse*: His enim verbis nihil aliud significant Augustinus & Sanctus Thomas, nisi Deum per suam omnipotentiam, cui subduntur æqualiter omnia non implicantia contradictionem, multis alijs modis humanam potuisse naturam reparare siuè liberare; sed ex omnibus modis diuinæ omnipotentiæ possibilibus, nullum magis, quàm Incarnationis mysterium fuisse huic rerum ordini congruentem; & ideò necessarium fuisse mysterium hoc; non quia sine eo non posset humana natura reparari, sed vt optimo modo possibili secundùm hunc rerum ordinem fieret reparatio. Ad cuius ampliorem explicationem.

Secundò considerandum est ex Diuo Thoma *in tertia distinctione vigesima, quæstione prima, articulo primo, quæstione prima, ad secundum.* in hominis reparatione, non tantùm culpam ab homine remoueri; sed etiam ad pristinam dignitatem humanam naturam integraliter reuocari; ita vt reparatio generis humani nõ dicat solam liberationem à peccato, & à potestate Dæmonis, nec solam redemptionem factam per pretij solutionem: sed super hæc addat integram restitutionem ad pristinam animæ dignitatem per peccatum amissam. S. Thom.

Ex quo principio *sequitur primò*, quòd si nos Deus sola sua misericordia & benignitate, culpam & pœnam remittendo liberasset, non propriè diceretur nos reparasse; nec ad pristini status integritatem & ad animæ dignitatem nos reuocasse; quia tunc genus humanum in nullo naturæ suæ supposito de Diabolo victoriã reportasset, nec suis operibus Deo pretium suæ redemptionis æquale persoluisset. *Secundò sequitur*, quòd si per imperfectam alicuius puræ creaturę, puta Angeli vel hominis satisfactionem Deus nos à perditione liberasset, ad antiquæ dignitatis apicem nos minimè reduxisset; tunc enim salutem suam non tantùm Deo, sed illi etiam liberatrici creaturæ deberet, & esset seruus illius, quod non habebat ante peccatum. *Tertiò sequitur*, quòd si Deus non nostram, sed aliam aliquam naturam ad hypostaticam vnitatem assumpsisset, & per eam nos redemisset, ac Deo reconciliasset, non esset adeò perfecta redemptio siuè reparatio, sicut est ea, quæ in assumpta nostra humanitate facta est; quia non ea restitueretur humano generi perfectio dignitatis, quam habuit ante peccatum, sed noua illi ratio seruitutis adderetur erga liberatorem & assumptam ab eo naturam, cuius operibus nobis salutis remedium afferret. Corollarium hoc tertium & secundum etiam colligitur ex Ambrosio *in expositione illorum*
Ambros. 1. Cor. 1. *Verborum 1. Cor. 1. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & satisfactio, & redemptio, vt quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino glorietur.* Et ex
Gregor. Greg. *lib. 18. moral. c. 26.* Quæ omnia intelligenda sunt perseuerante rerum ordine, quem Deus illis sua voluntate & prouidentia prædefiniuit.

Responsiones ad primum, & secundum argumentum declarat Suarez *in suo Commentario.* Suarez.

Secvndvm *argumentum cum sua responsione* multas implicat difficultates, ad quarum intelligentiam operæ pretium est, tam argumentum, quàm eius responsionem in forma proponere, vt hinc emergentes, veluti ex fonte Controuersias videamus, & ordinem, quo fuerint tractandæ, statuamus. *Est igitur argumentum:* Homo satisfacere potuit pro peccato; ergò non fuit necessarium ad reparationem humanæ naturæ Verbum Dei incarnari. *Consequentia* probatur: quia ad reparationem humanæ naturæ, quæ per peccatum collapsa erat, nihil aliud requiri videbatur, quàm quòd homo satisfaceret pro peccato. *Antecedens* autem probatur: Quia, sicut Deus homini imputat ad pœnam actum peccati, ita imputare debet ad meritum actum contrarium; ergò homo satisfacere potuit pro peccato. *Probatur hoc antecedens*, quia Deus non plus ab homine requirere debet, quàm possit, & pronior est ad miserendum, quàm ad puniendum; ergò. *Ad hoc argumentum*, præmissa distinctione respon-

Proponitur secundum argumentũ S. D. in forma, & explicatur eius responsio deducta ex ea orta Controuersijs.

respondet S. D. quatuor dictis, ex quibus solutio formalis argumenti deducitur. *Distinctio* est: Aliqua satisfactio potest dici dupliciter sufficiens. *Vno modo* perfectè; quia est condigna per quandam adæquationem ad recompensationem culpę commissæ: *alio modo* potest dici satisfactio hominis esse sufficiens imperfectè, scilicet secũdum acceptationem eius, quia est ea contentus, quamuis non sit condigna. *Primum dictum* est: Hominis puri satisfactio non potuit esse perfectè sufficiens pro peccato. Probatur dupliciter: Primò; quia tota humana natura erat per peccatum corrupta, nec bonum alicuius personæ, vel etiam plurium poterat per æquiparantiam totius naturæ detrimentum compensare. Secundò; quia peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habet ex infinitate diuinæ maiestatis offensæ; ergò oportuit ad condignam satisfactionem, vt actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam: ergò debuit esse actus Dei & hominis; ergò puri hominis satisfactio non potuit esse perfectè sufficiens. Antecedens probatur; quia tantò offensa est grauior, quantò maior est ille, in quem delinquitur. *Secundum dictũ*: Satisfactio Dei & Hominis, scilicet Christi, potuit esse sufficiens pro peccato. Probatur secunda ratione allata pro primo dicto. *Tertium dictum est*: Satisfactio puri hominis est sufficiens imperfectè, scilicet secundùm acceptationem Dei. Hoc relinquitur, vt constans. *Vltimum dictum*: Omnis puri hominis satisfactio efficaciam habet à satisfactione Christi. Probatur. Quia omne imperfectum præsupponit aliquod perfectum à quo sustentetur, ergo. *Ad argumentum igitur in forma respondetur*, antecedens verum esse de satisfactione imperfecta; falsum autem esse de perfecta: probatio verò antecedentis procedit de satisfactione tantum imperfecta. Consequentia vero ex antecedente priori modo sumpto falsa est, vt patet *ex corpore huius articuli*.

Ex hac responsione octo insignes emergunt Controuersiæ. PRIMA est, *an peccatum originale, vel actuale mortale sit malum simpliciter infinitum, quatenus est offensa Dei; ita vt habeat malitiam simpliciter infinitam?* SECVNDA est: *An opera Christi Domini tanti fuerint valoris, & efficaciæ, vt eis Deo pro nobis oblatis condigne, & secundùm leges veræ, propriæ ac rigorosæ iustitiæ satisfecerit pro peccatis humani generis:* TERTIA est: *An Christi humanitas in satisfactione pro peccatis fuerit principium quod, vel tantùm quo?* QVARTA est: *An homo purus per exclusionem tantùm diuini suppositi, id est qui non est Deus; habens tamen gratiam & charitatem, possit condignè & secundùm leges rigorosæ iustitiæ satisfacere pro peccatis humani generis?* QVINTA est: *An possit homo condignè pro se ipso satisfacere?* SEXTA est: *An saltem pro peccato veniali possit homo purus Deo satisfacere?* SEPTIMA est: *An purus homo, vt Christi membrum possit condignè Deo satisfacere pro peccato suo.* Vltima controuersia est: *An purus homo per exclusionem etiam auxilij diuinæ gratiæ de potentia Dei saltem absolutæ potuerit per opera ordinis naturalis satisfacere ex imperfecta iustitia pro culpa totius humani generis?* Quæ summa, qua fieri potest, breuitate, eodem ordine, quo fuere propositæ, sunt expediendæ.

PRIMA CONTROVERSIA.

An peccatum originale, vel actuale mortale sit malum simpliciter infinitum, quatenus est offensa Dei, ita vt habeat malitiam simpliciter infinitam?

LOCVS huius Controuersiæ proprius est in *1. 2. q. 87. a. 4.* Vbi de culpæ læthalis infinitate differunt expositores, quorum nouissimus Salas summa diligentia Doctorum omnium, tàm antiquorum, quàm recentiorum placita collegit opposita validis argumentorum iaculis dimicantia. Nos hic vastam huius Controuersiæ materiam ad pauca, sed euidẽtia solidaque principia redigemus, vt ex eis benè perspectis, tam veritas quàm falsitas in qualibet referenda sententia latens videatur. *Salas.*

TRES SVNT de proposita difficultate sententiæ. *Prima* est affirmans mortale peccatum habere malitiæ grauitatem simpliciter infinitam in genere mali moralis. Hanc sequuntur Alexander Alensis *in 3. p. suæ Summæ, q. 1. a. 2.* S. Bonauent. *in 3. dist. 20. q. 4.* & Ricardus *ibidem.* Caiet. *super hoc art. §. ad alteram.* Barth. Medina, *dub. 2. de satisfactione puri hominis ad 2. arg.* Io. Vincentius Ast. *in Select. de Gratia Christi, quæst. 5. pag. 301* & quidam alij recentiores. Eãdem sententiam quidam tribuunt Capreolo *in 4. d. 15. q. 1. in resp. ad 2. contra. 1. Concl.* Vbi tamen nec ipse formaliter hoc affirmat, nec ex eius verbis videtur posse benè deduci Io. Medina *in Codice de Pœnitẽtia, tract. 3. q. 1.* in principio negantem sequitur opinionem, in medio verò eiusdem quæstionis peccati malitiam docet esse simpliciter infinitam, quamuis non satis appareat, an ex propria, vel aliena loquatur opinione.

Sententiæ Doctorum. *1. Affirmat.* *Alex. Alẽsis.* *Bonauen.* *Ricardus.* *Caiet.* *Barth. Medina.* *Asturicensis.* *Capreol.* *Io. Medina.*

Secunda sententia, quam sequitur Aluarez, *disput. 3.* tribus concl. explicatur. *Prima* est; peccatum originale & mortale, inquantùm est malum hominis, eum auertens ab ordine rationis, non est malum simpliciter infinitum, etiam in genere moris. *Secunda* est: peccatum, vt est malum hominis auertens illum à bono infinito, scilicet à Deo, habet quidem grauitatem, & malitiam infinitam: illa tamen malitia sub eadem ratione nõ est infinita simpliciter, & intensiuè, sed extrinsecè, & obiectiuè etiam in genere moris. *Vltima conclusio* est: Peccatum originale, & actuale mortale, vt est offensiuum Diuinæ Maiestatis, & malum Deo intentatum, habet malitiam & grauitatem simpliciter infinitam eo modo, quo si daretur linea infinita, esset secundùm longitudinem simpliciter infinita. *Secunda sententia.* *Aluarez.*

Tertia sententia peccati mortalis malitiam docet esse tantùm secundùm quid infinitam in genere moris. Hanc tuetur Scotus *in 3. d. 2. q. 2. §. Contra ea, quæ dicuntur.* Paludanus *eadem d. q. 2. a. 2.* Conradus, & Medina *1. 2. q. 8. a. 4.* Valentia *puncto 5. in respon. ad 3* Vasquez *disp. 2. c. 2. & 1. 2. loco notato*, & *ibidem* Salas, Albertinus *Corollario 18.* Suarez. *disp. 4. s. 7.* neutram partem definit. Quæ omnes opiniones tametsi verbis dissidere videantur, in eo tamen, quod hic præcipuè quæritur, videntur mihi ad vnam facilè posse reuocari. Ad cuius euidentiam.

Resolutio.

*SCIENDVM *est primò* ad hoc, vt agens quacũque operatione siue immanẽte, siue trãseũte, siue

Vt agens quicũq; operatione, siue immanẽte, siue trãseũte, siue physica, siue moraliperfectè attingat obiectũ, necesse esse, vt modus essẽdi obiecti nõ excedat modũ essendi ipsius agẽtis, nec modum principij formalis agendi.

siuè physica, siuè morali perfectè attingat obiectum, necesse esse, vt modus essendi obiecti nõ excedat modum essendi ipsius agentis; ac proindè, nec modum principij formalis agendi aut virtutis operatiuæ. *Et quo ad actionem quidem im-*
S. Thom. *manentem* S. D. *in 1. p. q. 12. a. 4.* probat, nullũ intellectum creatum posse per sua naturalia videre diuinam essentiam, hoc argumento; quia, si modus essendi alicuius rei cognitæ excedat modum naturæ cognoscentis, oportet cognitionem illius rei, esse supra naturam illius cognoscentis: at modus essendi diuinę essentię excedit modum cuiuscunque creatæ naturæ cognoscentis; ergò illius etiam cognitio excedit naturalem facultatem cuiuscunque creati cognoscentis: Vt au-
Caietanus. tem ibi notauimus cum Caietano, sermo est de cognitione quidditatiua, non quocunque modo possibili, sed ex propria cognoscentis natura, vt causa per se sufficiente: & de modo essendi cognoscentis & cogniti, non secundùm rationem specificam, sed genericam aut genericæ similem, eo modo, quo ea quæ sunt vnius ordinis, dici possunt esse eiusdem generis, & de obiecto potentiæ adæquato, non extensiuè sed intensiuè. Et quoniam intellectus creatus, etiam cum lumine gloriæ inferiorem habet essendi modum (sub eodem tamen ordine, & quasi genere supernaturali comprehensum,) quàm sit modus essendi diuinæ naturæ secundùm se, ideò licèt illam quidditatiuè cognoscat; non tamen eam cõprehendit aut infinitè videt, sicut se ipsum Deus infinita virtute intellectiua compræhendit: modus enim operationis modum sequitur operatiuæ potentiæ & perfectionis eius. Et quamuis essentia diuina vniatur, vt species intellectui Beati, sitque in eo formale & efficiens principium visionis; quia tamen modus vnionis est secundùm mensuram & modum luminis gloriæ, quod in omni Beato finitum est: ideò finitum tantùm
S. Thom. efficit visionem: vt enim ait S. D. *in 4. d. 44. q. 2. a. 3. ad. 6.* forma, quæ est per se subsistens, habet aliquem modum, inquantùm est res quædam subsistens, & quendam modum, secundùm quod est actus talis subiecti; & hic modus accipitur secundùm mensuram qua perfectibile pertingit, vt perficiatur tali forma, & ex hoc modo mensuratur actio. Essentia autem diuina est per se subsistens; & ideò visio quæ per eam fit in intellectu creato, non mensuratur secundùm modum infinitum, qui est ipsius essentiæ secundùm se, sed secundùm modum, quo intellectus pertingit ad hoc, quod per ipsam perficiatur, ad hoc autem pertingit, inquantùm coniungitur ei per lumen gloriæ, quod est finitum; & ideo finita est ex parte videntis; quia si consideretur ex parte obiecti visi, scilicet essentiæ Dei infinita dici potest extrinseca denominatione, vt ait S. D. *1. p. q. 25. a. 6. ad 4.*

S. Thom. *Quo ad actionem autem transeuntem* S. Tho. *1. p. q. 45. a. 5. ad 3.* duo satis apertè significat: alterum est, necessarium esse proportionem potentiæ actiuæ ad eius effectum, & ad modum producendi; sic enim ait: *Virtus facientis non solum cõsiderat ex substantia facti; sed etiam ex modo faciendi; maior enim calor, non solùm magis, sed etiam citius calefacit.* alterum est gradum & modum potentiæ esse secundum gradum & modum essendi ipsius agentis; quod in fine dictæ responsionis S. D. affirmat dicens, nullam creaturam habere simpliciter potentiam infinitam, sicut neque esse infinitum: In *secundò* verò *cont. gent. cap. 21. ratione 8.* latius id exprimens, ait: *Cum omne agens agat, secundùm quod est actu, oportet modum*

A *actionis esse secundùm modum actus illius rei; vnde calidum, quod est magis in actu caloris, magis calefacit. Cuiuscunque igitur actus determinatur ad genus, & ad speciem, & accidens, eius virtutem oportet esse determinatam ad effectus similes agenti inquantùm huiusmodi; eo quod omne agens agit sibi simile.* Et in *capit. immediatè sequenti ratione tertia*, idem repetit; & *ratione quinta*, probat Deum esse omnipotentem ex hoc principio: *Quòd effectus aliquis non subsit potentiæ alicuius agentis, potest ex tribus contingere: Vno modo per hoc, quod non habet cum agente affinitatem, vel similitudinem; agens enim omne agit sibi simile aliquo modo; vnde virtus, quæ est in semine hominis, non potest producere brutũ, vel plantam; hominem autem potest, qui tamen prædicta excedit: Alio modo*
B *propter excellentiam effectus, qui transcendit proportionem virtutis actiuæ, sicut virtus actiua corporalis non potest producere substantiam separatam. Tertio modo propter materiam determinatam ad effectum, in quem agens agere non potest, sicut Carpentarius non potest facere Serram; quia sua arte non potest agere in ferrum, ex quo fit Serra. In 4.* etiam *sent. d. 49. quæst. 2. a. 3. ad 6.* sic loquitur: *Actio non attribuitur formæ tantùm, quæ est principium actionis, sed composito, sicut calefactio calido, non calori tantùm; & ideo actionem oportet mensurari non solum secundùm formam, quæ est principium actionis; sed etiam secundùm subiectum formæ: sed forma, quæ non est per se*
C *subsistẽs, &c.* Vide ibi. Deniq; *quolib. 3 art. 7.* eandem luculentius aperit veritatem dicens: *Vnumquodq; agens agit secundùm modum suæ naturæ: & ideo vbi ignoratur modus naturæ rei necesse est etiam, vt modus actionis eius ignoretur. Modus autem naturæ Angelicæ est nobis ignotus, secundum quod in se est &c.* & infra *Quanto autem natura intellectualis est superior, tanto est magis actualis, vtpotè Deo similior, qui est actus purus: vnde superiores Angeli possunt agere in inferiores Angelos, & in animas nostras, sicut id, quod est in actu in id, quod est in potentia.* Hæc ibi S. Tho. Ex quibus perspicuè patet in omnibus agentibus actione physica verissimum esse propositum fundamentum secundùm mentem Angelici nostri Doctoris, quem etiam sequitur Scotus
D *in 4. d. 1. q. 1. §. ideo dici potest. tertio modo. conclusione 3.* Cuius verba sunt. *Nulla forma materialis potest esse principium creandi aliquid probatur, quia sicut in essendo præsupponit materiam, in qua fit, ita in agendo præsupponit materiam, in quam agat; alioquin terminus actionis eius esset absolutior à materia, quàm ipsa forma:* Hęc ille. Scotus.

SVPEREST iam eiusdem principij veritatem ostendere in agente morali, cui suum discursum applicat S. D. *in allegato quolib.* Vbi de illuminatione loquitur Angelorum, quam moraliter, scilicet ad modum magisterij fieri diximus *prima p. quæst. 106. a. 1. Controuersia vnica.* Et quia præcipuè Controuersia est hic inter Expositores
E D. Tho. de satisfactione, & offensa, quas nulli dubium est sub genere actionum moralium contineri: in eis duntaxat hic sufficiet prædicti principij veritatem ostendere. Ad cuius euidentiam. *Nulli actui creato inesse posse bonitatem, aut malitiã intrinsecam simpliciter infinitam.*

Considerandum est primò, actus omnes humanos, tam bonos quàm malos in duplici specie, ac genere collocari, scilicet naturæ & moris, vt ait S. D. *1. 2. q. 1. a. 3. ad 3. & q. 18. a. 4. & alibi sæpè.* Sumitur autem species actus in esse naturæ ab obiecto absolutè sumpto, à quo dependet actus secundum suum esse naturale; species autem moralis ab obiecto sumitur rectæ rationi comparato, quatenus cum ea concordat aut ab ea discordat, vt ait S. D. *in dicto lege quæst.* *Prima distinctio.* S. Thom.

q. 18. a. 5. 6. 7. & 8. Si itaque consideretur actus humanus, siuè bonus, siue malus secundùm eius esse naturale, siuè prout est in specie naturæ, finitus est simpliciter; quia creatum omne secundùm suum esse naturale finitum est; at eidem actui, prout est in genere moris, siuè secundùm eius esse morale potest quædam infinitas conuenire, vt hic affirmat S. D. de peccato, & de satisfactione Christi Domini.

Secunda distinctio. *Secundò notandum est*, in peccato, prout est malum morale, triplicem posse malitiæ rationem considerari: prima est priuatio debiti ordinis ad rectam rationem. secunda est priuatio debiti ordinis ad summum bonum, cuius inhabitatio per gratiam tollitur per peccatum iuxta illud *Isaiæ.* *Isa. 59.* *59. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.* Tertia est offensa Dei, quem (ait S. Bernardus *in ser. 3. de Resur. Dom.*) *S. Bernar.* perimit peruersa voluntas peccatoris: *omnino enim* (inquit) *vellet Deum peccata sua, aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo non esse Deum, quæ quantum in ipsa est, vult eum, aut impotentem, aut insipientem Crudelis planè, & exercenda malitia, quæ Dei potentiam, iustitiam, sapientiam perire desiderat.* Hæc ille.

Tertia distinctio. *Tertio sciendum est* duplicem inesse peccato mortali grauitatem, alteram intrinsecam, & alteram extrinsecam; sicut etiam bonis actibus duplex potest bonitas conuenire, scilicet intrinseca & extrinseca: *peccati grauitas intrinseca* ex principijs & circumstantijs sumitur actionis peccaminosæ & præsertim ex actus intensione, ex priuationibus etiam debiti ordinis ad rectam rationem & ad Deum: ac proinde ex auersione à summo ac infinito & incommutabili bono (prout scilicet auersione priuatur anima vnione ad summum bonum), & conuersione ad finitum & commutabile bonum: ad intimam enim actus mali moralis rationem hæc omnia pertinet. Quauis enim habitus, obiectum, finis & circumstantiæ à quolibet actu morali sint extrinseca; dependentia tamen & commensuratio moralis actus ad hæc, ad eius intimam pertinent rationé, ita vt ab eis, nec per primam intellectus operationem valeat separari. Ad intrinsecam itaque malitiæ grauitatem pertinet primò tendentia in obiectum absque debito rationis & legis ordine. secundo exercitium actus cum priuatione debitę commẽsurationis secundum regulam rectæ rationis & diuinæ legis ad circumstantias: tertio intensio actus cum dictis priuationibus. quarto ipsæ per se priuationes ordinis ad rectam rationem & ad Deum, scilicet auersio à summo bono, quatenus priuat animam vnione ad summum bonum. *Extrinseca verò peccati grauitas* denominatio quędam extrinseca est ab offensæ personæ dignitate procedens, ita vt quanta dignitas est offensæ personæ, tanta in genere moris sit grauitatis in peccato denominatio: Et quoniam offensio aufert secundùm rem, aut secundùm affectum à persona offensa bonum aliquod ad eius pertinens dignitatem; ideò in idem redit asserere extrinsecam peccati grauitatem attendi secundùm magnitudinem dignitatis personæ offensæ, & (vt quibusdam placet) ex quantitate boni, quod offensio tollit ab offensa persona. Addunt alij etiam vilitatem personæ offendentis; quanto namque maior est offensæ personæ dignitas, tanto cæteris paribus, maior est quantitas boni, quod illi per offensionis actum re, vel affectu subtrahitur, & quo maior fuerit offendentis personæ vilitas, tanto maior erit secundùm æstimationem boni dignitatisque subtractio in offensa persona. Esse autem malo morali extrinsecam grauitatis denominationem illam, quæ ab offensæ personæ dignitate desumitur, affirmat Conradus *l. 2. quæst. 8. 7. art. 4.* Vbi *Conrad.* considerans auersionem secundùm omnes eius rationes & effectus, ex quibus præcipuus ac maximus est, quod est offensa Dei, auferens affectu infinitam à Deo bonitatem, ait, auersionem dici infinitam extrinsecè & quasi obiectiuè, sicut intellectio & visio beati dicitur infinita, quia circa infinitum versatur obiectum, sic auersio (inquit) dicitur infinita; quia aufert infinitum bonum, & separat hominem ab infinito bono; & quia durationè infinitam pœnam meretur, & infinitum damnum affert. Quod etiam affirmat Scotus *in fine 4. sent.* di- *Scotus.* cens, peccatum non appellari infinitum, nisi quia separat ab infinito; non autem quia malitia sit infinita; quia talis ac tanta est, quanta est bonitas, quæ nata fuisset inesse illi, si secundùm debitas circumstantias fuisset elicitus: hæc autem (inquit) non fuisset infinita, nisi quatenus infinito coniungit: Vt enim sapienter aduertit Medina *in allegato a. 4. q. 87.* ob- *Medina.* iectum non dat totam suam perfectionem, & nobilitatem actui humano: & ideò operatio hominis aut animæ separatæ circa obiectum infinitum non est infinita, ac proindè amor & visio Dei, quam habent in patria Beati, non sunt actus infiniti.

Nec oppositum affirmat S. D. *1. p. q. 25. a. 6. ad 4.* dicens, humanitatem Christi ex hoc quod est vnita Deo, & Beatitudinem creatam ex hoc quod est fruitio Dei, & Beatam virginem ex hoc quod est Mater Dei, habere quandam infinitam dignitatem ex bono infinito, quod est Deus, & ex hac parte non posse aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo: his enim vltimis verbis satis apertè significat se prædictis rebus creatis extrinsecam tantùm infinitatis denominationem prædictis rebus creatis tribuisse, cum ait, hæc habere quandam infinitam dignitatem ex bono infinito (subaudi simpliciter) quod est Deus, & ex hac parte non posse aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo: Si namque aliam ab ea, quæ Dei est, prædictis tribueret infinitatem illis intrinsecam, nullius valoris aut apparentiæ; imò & in illatione peccantem rationem adduxisset S. D. qualibet enim re creata infinitatem secundum quid perfectionis habente, potest Deus aliam meliorem efficere, vt patet de substantijs spiritualibus & earum speciebus.

Et ex his apparet primò nullam creatorum agentium actibus secundùm esse naturæ, aut secundum esse moris inesse bonitatem, aut malitiam simpliciter infinitam. Et de bonitate quidem naturali perspicuum est; nam alioquin sequeretur non esse tantùm vnum esse per essentiam, sed plura. De bonitate verò & malitia morali, quamquam ex dictis satis eluceat, ostendetur inferius optimis argumentis.

Secundò sequitur ex obiecti etiam infinita dignitate simpliciter, in humanos actus ad ipsum ordinatos bonitatem aut malitiam infinitam, nec etiam secundùm quid, quæ sit eis inhærens, minimè posse deriuari, sed eos esse secundùm se propriè ac verè omninò finitos; à pluribus autem doctissimis viris, actus illos appellari secundùm quid infinitos secundum bonitatem aut malitiam; eo quod non nisi diminutè, scilicet

Nullum mortalis peccati malitiam esse posse simpliciter infinitam.

scilicet extrinseca denominatione; ex obiecti nimirum infinitate dicatur infiniti, vel si magis placet, dicamus actus illos veluti altioris ordinis secundùm infinitos eorum gradus possibiles, aut imaginabiles superiores; atque ideò secundum quid infinitos fuisse nuncupatos; quantumuis enim crescat iustitiæ aut misericordiæ bonitas, nunquam adæquabitur charitati; & quantumuis crescat culpa venialis, nunquam ad lætalis criminis grauitatem attinget.

Non posse autem mortalis peccati malitiam esse simpliciter infinitam; sed esse secundum se verè, proprie ac omninò finitam perspicuè colligitur ex primo suprapositò fundamento; si namque modus essendi obiecti sit excellentior modo essendi agentis & virtutis eius operatiuæ, erit etiam altior modo operationis eiusdem agentis & potentiæ; ac proindè non poterit agens sua operatione perfectè & adæquatè illud obiectum attingere, adeò vt actionis modus adæquet modum obiecti naturalem; igitur actus mortaliter malus, quatenus est offensa Dei, non potest perfectè & adequatè Deum attingere, ita vt tanta sit eius intensio secundùm naturam, aut secundùm affectum ad Dei bonitatem, scientiam, iustitiam &c. destruendam, quanta est horum omnium in vna simplicissima Dei natura actualitas & perfectio, vt verè dici possit habere malitiam simpliciter infinitam: sed ex modo naturæ potentiæque tam intellectiuæ quàm volitiuæ, & rationum operandi, ac habituum vtriusque dictæ facultatis ad quemlibet actum peccati concurrentis modificatur offensa multò magis, quàm ex lumine gloriæ visio beatifica modificetur in Beatis. Nam, si trahere posset actus infinitatem simpliciter ex obiecto infinito simpliciter prorsus extrinseco, multò magis eam traheret ex diuina essentia veluti specie & forma secundùm esse intelligibile intellectui beato magis intimè vnita, quàm forma materiæ; cum præsertim sit intellectui ratio, & formale principium, & effectuum visionis beatificæ. Iam autem diximus hanc secundùm se finitam esse ob supradictam causam, sola verò extrinseca denominatione; quia, scilicet infinitum attingit obiectum, infinitam quodammodo nuncupari.

Alvarezij responsio. *Sed ait Aluarez*, longè diuersam esse rationem visionis beatificæ in ordine ad Deum clarè visum, & peccati in ordine ad Deum offensum; quoniam (inquit) infinitas Maiestatis diuinæ redundat in ipsum peccatum mortale in ratione offensæ, & tribuit illi infinitatem in genere moris: infinitas autem obiecti visi vel dilecti per actum charitatis, non redundat in conditionem ipsius actus; sed solùm est infinitas obiectiua & extrinseca. *Sed iam patet*, mortale peccatum in genere moris finitum esse simpliciter, dici verò denominatione tantùm extrinseca simpliciter infinitam. Quod alijs etiam efficacibus argumentis ostendetur inferius.

Refut.

Mortaliter peccãs vult Deum non esse. *Sed antequam* vlterius procedamus, operæ pretium erit explicare, an & quomodo quicunque lethaliter peccans velit explicitè, aut implicitè Deum non esse, & per hoc, quantùm sit ex se, destruat Deum. Ad cuius euidentiam.

Tertiò considerandum est, duplicem esse mortalium peccatorum differentiam; *quædam* enim sunt contra dictamen rectæ rationis, & contra legem Dei naturalem, aut etiam contra legem supernaturalem: quorum tamen obiectum non est Deus, sed creatura, qualia sunt vniuersa peccata in proximum aut in nos ipsos commissa: *quædam* autem sunt peccata, quorum obiectum est Deus eo modo, quo declarat Caiet. *in 1. 2. quæst. 87. art. 4.* qualia sunt infidelitas, blasphemia, desperatio, & odium Dei; quæ primò, & per se habent auersionem à Deo, vt ait S. D. *2. 2. quæst. 20. art. 3.* Manifestum est autem, odium Dei, si sit perfectum, quantum fit ex se, destructiuum esse Dei: odium enim Dei est actus voluntatis, quo quis vult malum Deo secundùm id, quod est in se ipso secundùm se; quemadmodum charitas illi opposita vult bonum Deo in se ipso, secùdùm id, quod est in se ipso: potest enim aliquis ex peruersa voluntate velle Deum non esse, quamuis sciat hoc esse simpliciter impossibile. Vt enim ostendimus *in 1. p. q. 63. a. 3. controu. 2.* id, quod est impossibile per se cognitum, vt impossibile potest appeti per se voluntate conditionata, quæ, licèt sit velleitas; maximum tamen peccatum est; esset enim voluntas hæc efficax, si posset, id est si non esse Dei, quod appetit, esset possibile, vt scitè Caiet. aduertit *2. 2. quæst. 34. a. 1.* & eadem ratio est de odio Dei minus perfecto, quo mala voluntas Deũ appetit non esse sapientem, iustum aut omnipotentem; vna siquidem à Deo remota perfectione iam Deus non est; omnes enim de Deo dictæ perfectiones vna sunt absolutissima simplicissimaque perfectio, vt *1. p q. 4. a. 2.* docuit S. Th. & eius expositores *ibidem*. Nos materiam hanc explicauimus *in eodem lib. q. 28. a. 2. controu. 1.* Alia verò peccata, quæ non feruntur in Deum secundum id, quod est in se ipso secundùm se, vel quibus per se non conuenit auersio à Deo, non sunt appetitiones per se directè & explicitè non esse Dei, sed per accidens indirectè & implicitè tantùm, & consequenter; quia nimirum peccans mortaliter conuertitur ad bonum commutabile, finem vltimum in eo constituens, & diuinam ei conferens dignitatem, & ex hoc aufert à Deo per accidens & indirectè, quantùm sit ex se, rationem vltimi finis & summi boni, ac proinde diuinitatem. Quamuis enim multæ sint lethaliter malæ volitiones, quæ ex apprehensione practica non esse Dei minimè procedant, atque ideò, nec in illud ferantur explicitè, nihilominus omnes in ipso suæ prauitatis exercitio, quantùm sit ex se, rationem summæ bonitatis ac vltimi finis à Deo per auersionem tollunt, & per cõuersionẽ in creatura constituunt, quamuis re ipsa diuinæ bonitati nullum afferant nocumentum. Sed quia modificatur actus omnis voluntatis ex modo suorum principiorum, quæ omnia finita sunt, & finitè tantùm agunt, vt antè diximus, ideò peccatum omne finitam habet malitiæ grauitatem, quamuis extrinseca denominatione dicatur infinita lethalis culpæ malitia ob infinitam, quę auersione contemnitur, bonitatem.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCLVSIO, *Nullum mortale peccatum, etiam prout est offensa Dei, est intrinsecè simpliciter infinitum.* Hæc conclusio probatur ex dictis. Et probatur ad huc. *Primò*. Si peccatum mortale haberet malitiæ grauitatem simpliciter infinitam, id maximè esset, quoniam (vt dicunt huius sententiæ defensores) peccatum tantò grauius est, quantò persona, contra quam est peccatum, maior est: & Deus, contra quem peccata committuntur, bonitatem habet & dignitatem simpliciter infinitam: ergo peccatum mortale grauitatem habet simpliciter infinitam: sed hæc ratio nullius est omninò valoris, ergo: Probatur hæc minor. Quoniam, vt in allegata *quæst. 87. artic. 4. in 1. 2.* animad-

Medina. animaduertit Medina, quamuis operatio circa melius obiectum sit melior, si cætera sint paria, non tamen tantò melior est, quantò obiectum melius est: alioquin visio Dei à creatura esset infinitæ perfectionis simpliciter. Cùm enim supremus Angelus beatus quidditatiuè videat omnes Angelos, ab infimo vsque ad ipsum supremum, & Deum etiam videat per essentiam, sequeretur secundùm calculationem illam, iuxta perfectionem & differentiam graduum in obiectis ab Angelo visis esse etiã perfectionẽ & differentiam graduum in visionibus: & cùm essentia Dei sit infinita simpliciter, Angelorum autem essentiæ sint finitæ, consequens fieret, visiones quidem ad singulos Angelos terminatas finitas esse simpliciter, visionem autem essentiæ Dei esse simpliciter infinitã. Illa ergo propositio: *Peccatum tantò grauius est quantò persona contra quam est peccatum maior est*, sub disiunctione intelligenda est, videlicet, vt vel sit tantò maior grauitas intensiua, vel sit altioris ordinis. Eo igitur argumento probatur, peccatum mortale, quod est offensa Dei, altioris ordinis esse, quàm sit offensa, quæ fieri possit cuilibet creatæ personæ vel creabili, non autem quod malitiam habeat simpliciter infinitam. *Secundò probatur conclusio*; Quia peccatum ex parte conuersionis est simpliciter finitum, vt ait S. D. *in dicto art. 4.* ergo etiam ex parte auersionis & quatenus est offensa Dei est finitum intrinsecè. Probatur consequentia. Quia quantitas priuationis ex eius positiui quantitate mensuranda est, ex quo causatur. Et confirmatur. Quoniam etiam ille, qui Deum odit, finitè tantum appetit Deum non esse, sicut etiam illum finitè cognoscit; quòd autem bonum, cui non esse, vel quoduis aliud malum appetit, sit infinitum simpliciter, non efficit, vt peccatum intrinsecè malitiam habeat simpliciter infinitam, sed extrinsecè tantùm, vel quòd sit altioris ordinis malitia æquiualens, & excedens infinitos malitiæ gradus ad inferioris ordinis actus pertinentes. Quemadmodum actus charitatis, quia altioris ordinis est quolibet actu moraliter bono naturæ viribus elicito, omnibus non solùm speciebus, & indiuiduis moralium actuum adæquatur, sed eos etiam excedit, adeò vt etiam, si perfectione & multitudine crescerent in infinitum, nunquam ad vnius charitatis actus perfectionem attingerent. *Tertiò probatur conclusio*. Quia peccato simpliciter infinito debetur pœna simpliciter infinita: At nullus pro quocumque peccato punitur à Deo pœna simpliciter infinita; ergo. Prima propositio patet ex ipsa ratione iustitiæ punitiuæ: Secunda verò probatur; quia pœna sensus, quæ conuersioni respondet, finita simpliciter est, pœna verò damni, quæ auersioni respondet, non est infinita simpliciter, sed duratione tantùm, vt *in allegato artic. 4.* docet S. Thomas.

A

B

C

D

E

„ Secvnda Conclvsio. *Omne mortale „ peccatum est per extrinsecam denominationem simpliciter infinitum.* Hæc patet ex dictis.

„ Tertia Conclvsio: *Omne mortale „ peccatum magis propriè dicitur secundùm quid infinitum, quàm dicatur per extrinsecam denominationem „ simpliciter infinitum.* Probatur. Quoniam esse, aut dici infinitum simpliciter extrinsecè, siue per extrinsecam denominationem est esse diminutè infinitum; dictio enim illa *extrinsecũ* addita huic prædicato *infinitum*, vel *denominationi*, conditio diminuens est. Iam autem ostendimus, peccatum mortale, vt est offensa Dei, infinitum esse simpliciter in genere mali moralis, extrinseca tantum denominatione; igitur magis congruè dicitur, mortale peccatum infinitum secundùm quid, id est non intrinsecè sed extrinsecè, quamquam dicatur infinitum simpliciter extrinsecè siue per extrinsecam denominationem.

Argumenta, & solutiones.

Obiectio cont. 1. conc. 1.

CONTRA PRIMAM *conclusionem* sunt argumenta, quæ referunt, & soluunt Medina, & Ioannes Salas *in prima secundæ quæst. 87. art. 4.* Et Albertinus *Coroll. 18. pag. 305.*

Obiectio 2. Aluarez.

Contra eandem conclusionem argumentatur Aluarez: sed eius argumenta probant extrinsecam tantùm peccati infinitatem, non autem intrinsecam. Vnum tamen est, quod specialem videtur postulare solutionem. Sic enim arguit: Dignitas personæ satisfacientis redundat in dignitatẽ satisfactionis, & valorem intrinsecum illius; & ideò satisfactio Christi Domini, quia procedebat à persona simpliciter infinita in ratione satisfactionis, erat simpliciter infinita; ergo similiter dignitas personę, quę offenditur, redundat in grauitatem & malitiam eiusdem offensæ; ergo offensa commissa contra maiestatem infinitam Dei, erit simpliciter ex hac parte infinita in ratione offensæ. *Et confirmatur* argumento ab eodem allato pro sententia Asturicensis. Quoniam, vt ait S. D. *ad 2. Tantò offensa est grauior, quantò maior est ille, in quem delinquitur; vnde oportuit ad condignam satisfactionem, vt actus satisfactionis haberet efficaciam infinitam, vtpote Dei & Hominis existens.* Sentit ergo S. D. grauitatem & malitiam peccati in genere mali moralis esse simpliciter infinitam, sicut satisfactio Christi Domini in genere satisfactionis fuit simpliciter infinita, *Probatur consequentia*: nam aliàs ex grauitate offensæ non benè colligeret S. D. ad condignam satisfactionem esse necessariam in persona satisfaciente efficaciam simpliciter infinitam. Probatur hæc illatio. Quia si grauitas peccati solùm esset infinita secundùm quid & extrinsecè, sufficeret satisfactio infinita secundùm quid, qualis reperitur in actu contritionis vel charitatis supernaturalis, cuius obiectum est quid infinitum simpliciter. *Respondetur*, nullam esse consequentiam; quoniam, vt latius explicabimus in sequẽti Controuersia, personæ dignitas intrinseca est satisfacienti, vt satisfaciens est: satisfactio namque pro offensa fit per submissionem & oblationem personæ satisfacientis in obsequium eius, cui fit satisfactio: voluntaria namque satisfactionis passione, supplici deprecatione, &c. fit non solius operationis submissio vel oblatio, sed ipsa etiã operatione summittitur, & offertur persona satisfaciens, adeò vt integra perfectaque satisfactio consurgat ex dignitate personæ summissæ, quæ satisfacit, & passione vel operatione, qua fit satisfactio: est enim personæ dignitas, velut actus quidam primus operationi satisfactoriæ moralem valorem conferens, sicuti naturalis formæ nobilitas actui secundo, ex ea, tanquam formali principio procedenti quandam sui gradus communicat dignitatem: personæ verò dignitas, ad quam veluti obiectum terminatur offensio, omninò extrinseca est ab offensionis actu; atque ideò nequit ex sua infinitate similem actioni infinitatem intrinsecè denominantem communicare, sed extrinsecè tantùm. Non est igitur eadem, sed differens valdè ratio dignitatis personæ satisfacientis respectu satisfactionis, & dignitatis personæ offensæ respectu offensionis: longè namque plus confert personæ dignitas ad valorem satisfactionis, quàm personæ offensæ dignitas ad offendentis malitiæ grauitatem.

Conf.

Solut.

Ad 1 of. resp. 1. *Ad Confirmationem* negatur consequentia ; ad eius probationem negatur illatio : ad cuius probationem negatur consequentia : quoniam, vt infra dicemus, sicut iniuria tantò maior est, quantò maior fuerit dignitas offensæ personæ, ita satisfactio tantò maior est, quantò fuerit maior satisfacientis personæ dignitas : & ideò, si grauitas offensionis fuerit infinita simpliciter, licet extrinsecè, sc. propter offensam personam infinitæ dignitatis, nunquam iustitiæ constituetur æqualitas, nisi satisfactio sit infinita, non quomodocunque, sed ex infinita simpliciter dignitate satisfacientis ; personæ verò creatæ dignitas infinitè minor est dignitate personæ diuinæ ; ac proinde, si persona creata per sua naturalia, vel etiam ex accepta diuina gratia Deo satisfacere conaretur, æqualitatem iustitiæ nunquam attingeret, quia quantò maior est grauitas offensionis ex infinita offensæ personæ dignitate, tantò minor esset valor satisfactionis ex defectu dignitatis in persona satisfaciente. *Resp. 2.* *Secundò respondetur*, cum Caietano, satisfactionem infinitam secundùm quid adæquare posse offensam infinitam secundùm quid, si satisfactor possit ex proprijs viribus talem actum exhibere Deo offenso ; cùm itaque nulla creatura satisfactionis actum infinitum secundùm quid ex proprijs viribus Deo valeat exhibere, oportuit satisfactorem esse Deum simul & hominem, cuius personæ dignitas infinita satisfactionis actibus valorem tribueret simpliciter infinitum ; hoc ipso namque, quòd satisfaciens Deus est, in eius satisfactionem infinitas simpliciter deriuatur. Itaque S. D. ex grauitate offensæ deducit, oportere satisfacientem habere efficaciam simpliciter infinitam, non immediatè, sed mediante vna tacita propositione negatiua, videlicet nulla creatura ex proprijs viribus potest Deo satisfactionem exhibere, quæ sit infinita simpliciter aut secundum quid.

Et eodem modo diluitur argumentum Asturicensis, *pag. 304.* ex communi omnium Sanctorum Patrum doctrina deductum, ac præsertim ex verbis S. Athanasij *in serm. de pass. Domini.* Quamuis enim pro peccatis humani generis satisfactio sufficeret infinita secundùm quid, quia tamen hæc ex proprijs viribus à nullo poterat exhiberi, nisi ab eo qui simul esset Deus & Homo, cuius satisfactio valorem habet simpliciter infinitum ; ideò sancti Patres affirmant, solius diuinæ personæ in humana natura satisfactionem ad peccati malitiam expiandam, & pœnam illi debitam exæquandam fuisse necessariam. Quamobrem dici potest, peccato & eius pœnæ delendæ satisfactionem secundùm quid infinitam fuisse sufficientem, per se loquendo : sed quia satisfactor ex proprijs est infinitæ dignitatis, cuius satisfactio est valoris simpliciter infiniti ; ideò quasi per accidens oportuit satisfactorem esse Deum & Hominem, & satisfactionem esse simpliciter infinitam. Huius argumenti difficultatem latè versat Asturicensis *in sua Relectione de gratia Christi. quæst. 5. pag. 312.* Sed de his in sequentibus disseremus vberius.

Obiectio 3 *Contra eandem* conclusionem producunt alij duo loca S. D. Primus est *de verit. q. 28. a. 2. in corp.* vbi sic loquitur : *Quicunque rem aliquam digniorem indigniori postponit, iniuriam ei facit, & tantò amplius quantò res est dignior : Quicunque autem in re temporali finem sibi constituit, (quod facit omnis mortaliter peccans) ex hoc ipso quantum ad effectum suum præponit creaturam creatori diligens plus creaturam quàm creatorem : finis enim est, qui maximè di-*

A *ligitur. Cùm ergo Deus in infinitum creaturam excedat, erit peccantis mortaliter contra Deum infinita offensa ex parte dignitatis eius, cui per peccatum quodammodo iniuria fit, dum ipse Deus contemnitur & eius præceptum. Vnde ad hanc offensam abolendam non sufficiunt vires humanæ, sed requiritur munus diuinæ gratiæ.* Secundus locus est *in 4. d. 46. q. 1. a. 3.* Vbi diluens sextum argumentum ait : *Pœna respondet culpæ propriè loquendo secundùm inclinationem, quæ inuenitur in ipsa, & non secundùm dignitatem eius, in quem peccatur ; quia sic cuilibet peccato redderetur pœna infinita intensione. Quamuis ergo ex hoc, quod aliquis peccat contra Deum, qui est author essendi, mereatur ipsum esse amittere, considerata tamen ipsius actus inordinatione, non debeat ei amissio esse, quia esse præsupponitur ad meritum & demeritum, nec per inordinationem peccati esse tollitur vel corrumpitur, & ideo non potest esse debita alicuius culpæ priuatio*

B *esse.* Respondetur *primum locum* explicari per ea, *Solut.* quę diximus *in probatione Conclusionis, & in responsione ad præcedens argumentum* ; solam enim infinitatem per extrinsecam denominationem ibi S. D. intendit. *Secundus* autem *locus* sub conditione loquitur, nimirum si peccato pœna responderet secundùm dignitatem eius, in quem peccatur, cuilibet peccato redderetur pœna infinita intensione : at nō concedit S. D. pœnam secundùm iustitiam respondere peccato ad æqualitatem dignitatis eius in quem peccatur, sed oppositum ibi significauit dicens, pœnam respondere culpæ propriè loquendo secundùm inordinationem, quæ inuenitur in ipsa, & non secundùm dignitatem eius, in quem peccatur : Cuius ratio patet

C ex dictis. Quoniam inordinatio peccatum in genere mali moralis constituit & intrinsecè denominat ; obiecti verò dignitas est ab actu peccati prorsus extrinseca : & ideò nō potest ipsum nisi extrinsecè tantùm denominare.

Secvnda Controversia.

An opera Christi Domini tanti fuerint valoris, & efficaciæ, vt eis Deo pro nobis oblatis condignè, & secundùm leges veræ, propriæ ac rigorosæ iustitiæ satisfecerit pro peccatis humani generis?

TRES habet partes præcipuas hæc Controuersia. *Prima* est de valore, & efficacia seu

D sufficientia operum Christi Domini ad condignè Deo satisfaciendum pro peccatis totius humani generis. *Secunda* de iustitia satisfactionis Christi Domini. *Tertia* de modo iustitiæ in eo- *Sententia* dem actu satisfactionis intentæ. *Doctorum.*

Ad quas omnes partes respondet Scotus *in 3. d. 19. & 20. Et in 4. d. 15. q. 1.* dicens non fuisse infinitè meritoriam, neque infinitè satisfactoriam, & fuisse quidem secundùm iustitiam, non tamen rigorosam, quæ scilicet diuinam promissionē, acceptationem ac liberalitatem excluderet ; ac proinde nec propriam, & veram in hac satisfactione fuisse iustitiam. Eandem sententiam sequitur Durandus. *in 3. s. d. 20. q. 2. Et in 4. d. 20. q. 1.* *Scotus.* *Durandus.*

E *Gabriel dist. 19. & 20.* Et Io. Medina *in Codice de Pœnitentia, Tract. 3. de satisfactione, q. 1.* Eandem explicat & tuetur Rada *in sua 3. parte, Controuersia 13. a. 3.* *Gabriel.* *Io. Med.* *Rada.*

Vasquez *disp. 5. c. 2.* dicit duo. *Primum* est, satisfactionem, & merita Christi ex se, & ex circumstantijs proprijs solùm considerata absque vlla Dei acceptatione, & fauore fuisse perfectè digna, quibus pro nobis Deo satisfieret. *Secundum* est, non solum sine acceptatione fuisse digna, sed etiam sine promissione, & pacto veram, & perfectam rationem meriti habuisse. Quibus *Vasquez.*

addit

addit alia duo *disp.7.c.20.* *Alterum* est, in Christi satisfactione nullam iustitiam propriè dictam, sed latiori significatione interuenisse. *Alterum* est, Christi satisfactionem solùm dici posse de rigore iustitiæ, quia secundùm rationem meriti, in quo est aliqua similitudo iustitiæ exactissima fuit, & nullo indiguit fauore acceptationis, & liberæ remissionis.

Suarez. Sententiam hanc, quo ad hæc vltima duo dicta Suarez *disp.4.Sect.5.* tribuit D.Tho. & omnibus eius discipulis, quamuis statim suo dicto moderamen adiungens dicat, oppositam sententiam, nimirum in Christi satisfactione seruatam esse propriam, & veram iustitiam, tam ipsius ad Deum, quàm Dei ad ipsum, esse magis consentaneam D.Tho. & eam ab omnibus eius discipulis fuisse complexam. Eandem sententiam sequitur Suarez, & alij omnes, tam antiqui, quàm recentiores Theologi, ex quibus præcipui sunt S.Bonauentura *in 3.sent.dist.20.qu.3.& 5.* Ricardus *ibidem, qu.4.* & Capreolus *eadem dist.qu.vnica, art.2. Conclusione 2.& 3.* Paludanus *in 4.sent.dist.15.qu.1. art.1.* Altisiodorensis *lib.3.tract.3.c.8.* Alensis *tertia p.q.17.membro 3.a.2.& membro 5.a.2.* Soto *lib. 3.de Natura, & Gratia, cap.6.* Vega *lib.7.in Concil. Trident.cap.8.* Barthol. Medina, Valentia, Pesantius, & Aluarez *super hoc articulo.* Et Albertinus *in allegato corollario*, quamuis ex recentioribus multi dissentiant in assignando principio eliciuo satisfactionis, & exprimenda ratione, modoque iustitiæ in Christi Domini satisfactione seruato. Nam Suarez existimat, virtutem illam, per quam Christus Deo satisfactionem æqualem exhibuit pro peccatis humani generis, non esse eiusdem rationis cum illa virtute, per quam alij homines satisfaciunt Deo, vel cum iustitia commutatiua, quæ est inter homines, nec opus esse specialem aliquam in Christo virtutem iustitiæ ad Deum constituere, quæ sit ab omni virtutis habitu in alijs hominibus existente distincta; sed virtutem illam, qua Christus Deo satisfactionem exhibuit, esse virtutem religionis, quæ inclinat ad reddendum omne debitum Deo.

S Thom. Bonauent. Ricardus. Capreol. Paludan. Altisiodor. Alensis Soto. Vega. Barth. Medina. Valentia. Pesantius. Aluarez. Albertin.

Asturicensis. Asturicensis autem *in allegata Relectione, qu.5. pag.268.* hanc statuit conclusionem: Actio Christi satisfactoria in esse morali considerata continet formaliter rationem iustitiæ, non tamen fuit elicita à virtute iustitiæ, neque ab vnica tantùm virtute: & *paulo infernus* negat animæ Christi infusam fuisse virtutem iustitiæ commutatiuæ erga Deum. *Et pag.274.* duas virtutes assignat, scilicet charitatem & religionem, quæ aliarum virtutum actiones in Christo ad satisfactionem Deo pro hominibus exhibendam dirigerent: sed charitas (inquit) fuit primaria radicalis origo, ex qua omnes Christi actiones in satisfactionem, & nostrum spirituale commodum fuerunt ordinatæ, & ad merendum nobis, & ad satisfaciendum pro nobis dispositæ: Religionis autem virtus proxima fuit regula cæterarum virtutum, quæ earum actiones satisfactionem pro peccatis nostris ordinauit, & direxit ad eum modum, quo pœnitentiæ virtus in quolibet nostrum ordinat aliarum virtutum operationes, si pœnalitatis quid habeant admistum, in satisfactionem pro peccatis nostris. *Eandem sententiam*, quo ad primam partem sequitur Vasquez. *disp.7.c.6.in fine* dicés duo. *Primum* est, nullam esse peculiarem virtutem in Christo ad satisfaciendum, aut merendum pro nobis. Quia sicut (inquit) in nobis non est virtus peculiaris, qua velimus bonis operibus & meritis emere nobis cœlum, sed ipsis bonis operibus, quæ ad varias attinent virtutes, illud emimus; eadem ratione non est in Christo peculiaris virtus constituenda ad emenda nobis gratiæ dona, sed bonis operibus, quæ pro nobis obtulit ex beneuolentia & misericordia erga nos, id effecit. *Secundum* est, etiamsi in Christo esset virtus illa specialis constituenda, non opus esse Christo ex illius peculiari affectu operari, vt diceretur per merita sua oblata pro nobis secundùm rigorem satisfacere; nam hoc ipso, quòd ex affectu charitatis postularet pro nobis à Deo gratiam, illam condignè secundum rigorem mereretur: & ita secundùm rigorem diceretur eam nobis emere & pro nobis satisfacere.

Vasquez.

Quidam recentiores dicunt sex. *Primum*: satisfactio Christi, & nostra exhibita Deo est actus determinatæ virtutis pertinentis ad iustitiam. *Secundum*: satisfactio, quæ offertur Deo pro offensa, siue perfecta sit siue imperfecta, non est actus religionis. *Tertium*: nostra satisfactio pro offensa Dei non est actus iustitiæ commutatiuæ, distributiuæ, vel legalis, quæ reperitur inter homines, neque actus iustitiæ vindicatiuæ. *Quartum*: satisfactio Christi, & nostra pro offensa non sunt actus eiusdem speciei, neque eliciti ab eadem virtute. *Quintum*: nostra satisfactio pro offensa est actus pœnitentiæ. *Sextum*: satisfactio Christi pro nostris offensis est actus iustitiæ commutatiuæ, quam habet in ordine ad Deum excellentiorem omni iustitia nostra: ad cuius probationem addunt duo dicta, quæ videntur pugnantia. Primum est, quia vna Christi actio, puta, oratio plurium virtutum habebat bonitates, scilicet religionis, charitatis, obedientiæ, & iustitiæ; ideò in Christo debuisse iuxta singulas dicti actus bonitates, singulas etiam esse virtutes speciales, quæ singularum essent propria principia bonitatum, quamuis ad illum actum, quoad substantiam eliciendam sufficeret sola religio. Secundum, quod huic videtur oppositum, est iustitiam Christi commutatiuam non esse solùm iustitiam, sed rationem etiam habere misericordiæ, liberalitatis, obedientiæ, religionis &c. eo quod ex diuinis attributis, quæ sunt vna tantùm & eminentissima Dei perfectio, fuerit exemplata & ad eorum similitudinem & eminentiam proximè accedat. Quod dictum satis perspicuè destruit primum; quòd plures ad vnum actum eliciendum virtutes speciales asserit esse necessarias.

Recentiorum quorundam doctrina.

Aluarez. Aluarez *disp.4.* hanc sibi constituit quartam conclusionem. Satisfactio Christi in ratione satisfactionis imperatur, vel regulatur à virtute iustitiæ commutatiuæ. Quæ sententia D.Tho. doctrinæ videtur esse consonantior.

Huius nos arduè Controuersiæ definitionem ex paucis, selectioribusque principijs diuinæ bonitatis auxilio, fauoreque subnixi facilè deducemus.

Resolutio.

Quæ sit ratio propria satisfactionis, & quomodo differat à merito, & quæ sit eius materia, & quis sit huius controuersiæ limes. Sotus.

PRima Controuersiæ pars satisfactionis Christi Domini valorem inquirens, trium præuiam exigit cognitionem. *Primum* est ratio satisfactionis. *Secundum* est eius materia. *Tertium* est disputationis limitatio.

De Nomine, & ratione satisfactionis agit Sotus *in 4.d.19.q.1.a.1.* & alij Doctores, *d.15.* Omissis autem varijs eius nominis significationibus ad rem nostram minimè pertinentibus, *satisfactio* hic nobis actionem iustitiæ significat æqualitatem inter offendentem, & Deum offensum

sum constituentem. Et quamuis satisfactionis actus omnis sit etiam meritorius, eo quod gratiam, quæ meriti principium est, requirat in satisfaciente, pluribus tamen *satisfactio distat à merito* differentijs: ex quibus quatuor præcipuè sunt. *Prima* est, quia meritum per se primò respicit bonum adipiscendum; mercedem enim siue præmium meremur, quod rationem habet finis, ac boni: satisfactio verò malum per se primò respicit propulsandum: pro malo namque commissæ culpæ Deo satisfacimus. *Secunda* differentia est, quia meritum per se cedit in bonum merentis; meretur enim quis apud alterum, offerens illi suum aliquod opus studiosum, vt ab eo veluti præmium recipiat bonum aliquod à præmiante communicatum: satisfactio verò in communi loquendo bonum per se primò respicit eius, cui fit satisfactio, cùm ad honoris eius, cui satisfit, iniustè factam læsionem reparandam dirigatur; tametsi quandoq; consequenter siue secundariò & quasi per accidens qui satisfacit, bonum aliquod ex actu satisfactionis acquirat; pœnam enim sibi iustè debitam media satisfactione nonnunquam euadit. Scito tamen ex satisfactione Deo facta, nihil ei secundùm se bonitatis adiungi; quia gloria, qua in se ipso gloriosus est, nec omnino tolli, neque vlla potest ex parte diminui: quamquam alio modo sumpta Dei gloria, prout scilicet claritas est ex ipso deriuata, minui possit, & augeri: sed hinc non Dei, sed nostra bonitas minuitur & augetur. Ex hac secunda differentia prædictis actibus secundùm se conueniente sequitur *tertia* ad modum loquendi pertinens: dicimus enim nos non alteri, sed nobis mereri: satisfacere verò dicimus non nobis, sed alteri; meremur enim non Deo, sed nobis à Deo; satisfacimus autem non nobis, sed Deo pro nobis, id est, pro peccatis in eum commissis. Et quia Christus mystici corporis Ecclesiæ caput est, & nos eius membra, sic nobis meruit, atq; si sibi ipsi mereretur. *Vltima* differentia est, quod meritum actum omnem virtutis, qui fuerit ex charitate productus, in viatore comitatur: satisfactio verò sola fieri potest operatione pœnali interiori aut exteriori, quæ scilicet exercetur ex displicentia offensæ in Deum commissæ, quales omnes fuisse Christi operationes piè satis & eruditè censet Asturicensis *in allegata Relectione, q. 5. pag. 318. & sequentibus.* Quo verò discrimine constituatur æqualitas in *satisfactione, & in restitutione*, docet vberrimè Sotus *in libr. 4. de Iustitia, & iure, q. 6. a. 1. in solutionibus argum.* vbi septem statuit differentias inter satisfactionem, & restitutionem.

Asturicensis.

Sotus.

Secvndvm huic parti præuium explicandum est *satisfactionis materia*. Ad cuius euidentiam sciendum est duo ex peccato mala deriuari: *alterum* ad hominem peccantem, à quo diuinam subtrahit gratiam, quæ vita est animæ spiritualis, & cum Deo per charitatem conciliat amicitiam, & consortes nos efficit sanctorum in lumine; ac proinde peccator infelix diuina gratia destitutus homini comparatur à Hierusalem in Hiericho descendenti, qui incidit in latrones, & ab eis spoliatus & vulneratus relinquitur in via semiuiuus; perdita siquidem vita gratiæ spirituali, cùm sola remanet naturali plagis horribilibus plena, & calamitatibus vndique circumsepta. *Alterum* ex peccato malum diuinæ maiestati, quantum sit ex peccantis affectu, ruinam intentat, vt antè diximus. Satisfactionis itaque materia peccatum non est, quatenus ipsi peccanti malum infert; satisfactio namque actus est iustitiæ, quæ ad alterum est non ad seipsum: sed materia satisfactionis peccatum est, prout diuinæ bonitatis est offensa, & eius, quantum in se est, gloriam minuit & destruit maiestatem: quod quidem malum satisfactione perfecta compensatur, & consequenter etiam prioris damni mala reparantur. Deus enim perfecta satisfactione placatus gratiam homini restituit peccato deperditam, vitam ei conferens spiritualem, & ipsius dilectoris amantem efficiens.

Tertivm huic parti præmittendum & explicandum est quæsiti limitatio. *Pro qua sciendum* est duas inter se contrarias hæreses fuisse Catholicam Ecclesiæ de Saluatore doctrinam oppugnantes. *Altera* fuit Pelagij, qui peccatum negans originale & gratiæ necessitatem, asseruit Christum Dominum fuisse nobis datum in Legislatorem & Doctorem, non autem in Redemptorem siue in satisfactorem, vt refert Augustin. *lib. 2. de gratia Christi, & peccato originali contra Pelagium, & Cœlestium, ca. 26. & epist. 107. ad Vitalem, & in libr. de Hæresibus, ad Quoduult Deum, hæresi 88.* Altera fuit Lutheri, Melanchthonis, & Caluini, qui Christi satisfactioni, pluſquam par est, tribuentes eam adeò exuberantem & efficacem esse prædicarunt, vt bonorum operum necessitatem & vtilitatem excluderent. Priorem confutant hic recentiores, ac præsertim Suarez, & Vasquez: posteriorem autem sacra Synodus Tridentina diuinis Scripturis innixa condemnat. *Sess. 14. cap. 8. & 9.* Hæc igitur prima Controuersiæ pars valorem & efficacitatem Dominicæ satisfactionis inquirens neutrius difficultatem erroris attingit; sed contra Pelagium certa fide confitens, & supponens Christum fuisse nobis à Deo datum in Redemptorem; contra Lutherum autem diuinarum Scripturarum, de bonorum operum, & satisfactionum nostrarum necessitate doctrinam fideli mente complectens, quærit, *An Christi satisfactio valorem habeat simpliciter infinitum, an verò finitum, aut secundùm quid dumtaxat infinitum?* quòd enim perfectio, & infinitas satisfactionis Christi bonorum nostrorum operum necessitatem non auferat, probat Sotus *in 4. d. 19. q. 1. a. 3.* & latissimè Cardinalis Bellarminus, *tom. 3. lib. 4. de iustificatione, siue de Iustitia operum.* His itaque præmissis, primæ nunc Controuersiæ parti manum apponamus.

Hæresis Pelagij.

August.

Hæresis Lutheri.

Syn. Trid.

Sotus.

Bellarm.

Prima Controversiae Pars.

An Christi satisfactio valorem habeat infinitum?

Ne autem sub nominis ambiguitate veritas inquisita deliteſcat, *sciendum est, duplicem esse valoris infinitatem: altera* est in genere entis, quæ dignitatem, siue præstantiam in essendi modo siue gradu denotat infinitam: & in hoc sensu non quærimus, An Christi satisfactio valorem habeat infinitum? constat enim solius Dei bonitatem & maiestatem in genere entis, siue secundùm essendi modum longè eminentiorem, quàm mens creata consequi valeat, esse simpliciter infinitam. *Altera* valoris infinitas est in genere moris, cuius acceptio potest esse duplex; *primò* namque sumi potest, prout omnium actuum valorem ad genus moris pertinentium comprehendit; sed hic non est sensus huius nostri quæsiti legitimus; perspicuum est enim Christi satisfactionem, vt satisfactio formaliter est, non habere formaliter meriti valorem, eò quòd alia sit ratio meriti & alia satisfactionis, ac proinde sit etiam valoris vtriusque ratio differens. De satisfactionis itaque *secundo* modo, id est,

Declaratur sensus, & status præpositæ Controuersiæ, & ostenditur diuersum esse principium illud, ex quo gratuitas oritur, & auretur offensa, ab eo, ex quo nascitur & augetur valor satisfactionis.

est, formaliter sumptæ valore quæstio est: an scilicet Christi satisfactio, prout formaliter, & precisè satisfactio est, sit infiniti valoris, adeò vt offensæ per peccatum in Deum commissæ secundùm iustitiæ rationem reparandæ nulla fieri cogitarive satisfactio possit vberior?

SECVNDO *obseruandum est*, duplicem esse posse valorem operis satisfactorij; *alter est intrinsecus*, qui scilicet illi conuenit secundùm se consideratо, præcisa quacunque eius, cui satisfit, acceptatione, promisso, pacto & obligatione, ita vt opus sui magnitudine valoris adæquet offensam, etiamsi nullus sit spondens vel acceptans, aut qui acceptare teneatur. *Alter est operis satisfactorij valor extrinsecus*, ex acceptantis liberalitate proueniens, qui tali, licet imperfecta, est satisfactione contentus. Quæstio hic est de valore satisfactionis intrinseco; Num scil. Christi Domini satisfactio secundùm se valoris fuerit infiniti, adeò vt esset æquiualens vniuersis hominum peccatis, etiam infinitis non solùm numero sed etiam malitiæ grauitate; atque adeò digna, quæ veluti æquiualens pro peccatis & offensionibus omnibus acceptaretur à Deo.

TERTIO *considerandum est*, longè diuersum, ac ferè contrarium esse principium illud, ex quo grauitas oritur & crescit offensæ, illi à quo nascitur & augetur satisfactionis valor. Vt enim docet hic Angelicus noster Doctor *ad secundum*, grauitas offensæ ex eius, quæ offenditur, personæ dignitate pensatur. *Peccatum enim* (ait S. D.) *quandam infinitatem habet ex infinitate diuinæ maiestatis; tantò enim offensa est grauior, quantò maior est ille, in quem delinquitur.* E contra verò satisfactionis valor, & magnitudo ex dignitate personæ satisfacientis attenditur: quod satis apertè significat S.D. sic ibi concludens: *Vnde oportuit ad condignam satisfactionem, vt actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, vtpote Dei, & Hominis.* Quod etiam clarius exprimit *inf. q. 48. a. 2.* vbi sic probat, Christū sua passione sufficiēter pro peccatis hominum satisfeciſſe: *Ille propriè satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id, quod æquè, vel magis diligit, quàm oderit offensam: Christus autem ex charitate, & obedientia patiendo magis Deo aliquid exhibuit, quàm exigeret recompensatio totius offensæ humani generis; primò quidem propter magnitudinem charitatis, & qua patiebatur, secundò propter dignitatem vitæ suæ, quam pro satisfactione ponebat, quæ erat vita Dei, & Hominis.* Sub qua ratione significatur etiam dignitas offerentis, vt ex dicendis patebit. Eandem doctrinam explicat, & tuetur Capreolus, *in 3. d. 18. 19. & 20. q. vnica, Conclusione 2. Et in solutionibus argumentorum contra eandem conclusionem.* Caietanus *hic dub. 3.* & alij expositores *super hoc art.* Asturicensis *in sua Relectione de gratia Christi, qu. 5.* & Albertinus *loco supra notato.*

Ex quibus facilè, *satisfactionis Christi* pro peccatis hominum probatur *infinitas*, sic arguendo. Operationes Christi satisfactoriæ proportionaliter in valore satisfactionis tantùm operationes nostras superant, quantùm persona Christi excedit quamcunque personam creatam: sed persona Christi in ratione personæ excedit in infinitum omnem creatam personam; ergo eius operationes in ratione satisfactionis excedunt in infinitum operationes omnes elicitas à creata persona. Minor est dogma fidei. Maior patet ex verbis D. Thomæ supra notatis, & manifestatur exemplo. Quia Regis aut Imperatoris humiliatio, puta genuflexio longè maioris est valoris in ratione satisfactionis secundum communem hominum æstimationem, quàm sit humiliatio vel genuflexio militis aut cuiusuis hominis ex infima plebe ciuitatis.

SED OPERAE PRETIVM est radicem, & modum inuestigare, quo valor operis ex dignitate personæ deriuatur. Ad cuius euidentiam scito, *duplex* esse formaliter loquendo, *principium operationis* scilicet quod, & quo. *Principium quod* est suppositum; hoc enim propriè & simpliciter denominatur operans, iuxta vulgatum illud assertum; actiones sunt suppositorum: *Principium autem quo* est forma, per quam suppositum operatur, sicut ignis calore calefacit, & homo intellectu, speciebus & habitu perfecto intelligit & discurrit. Cùm igitur humanarum actionum sit perfectio duplex, altera physica, & altera moralis, non ex eodem vtraque principio deriuatur, sed *physicæ perfectionis principium* forma est, à qua species etiam deriuatur operationis in esse naturali, vt ait S.D. *in 1. 2. q. 1. a. 3.* Sicut enim calefactio ex calore determinatur ad speciem, à quo fuit effecta, sic perfectionis suæ gradum, & modum ex eiusdem trahit perfectione caloris. Calefactio namque ad speciem caloris pertinet, & quo maior caloris fuerit efficacitas, eo maior efficietur caloris intensio. *Moralis verò perfectio ex suppositi, siue personæ dignitate* dependet. Qui namque satisfacit, non suam tantùm operationem, sed semetipsum etiam per actum subijcit humilitatis: itaque persona satisfaciens, cum tota sua dignitate ad ipsam satisfactionis rationem pertinet, vt valorem ei, quasi vt eius intrinseca forma, vel ad modum formalis principij conferens. Ad cuius ampliorem euidentiam aduerte moralem actus valorem, siue perfectionem non eodem modo ex obiecto, sicut ex persona deriuari; obiectum enim, circa quod humana versatur operatio, materia quædam est ab operatione prorsus extrinseca valorem ea sola ratione conferens operationi, qua principium est & subiectum: & quia de ratione satisfactionis est humiliatio siue submissio personæ satisfacientis ad eam, cui fit satisfactio; ideò personæ dignitas humilitate submissa satisfactionis actui modum quendam influit dignitatis, & valoris intrinsecum secundùm esse morale multò magis, quā forma, quæ principium est operationis, perfectionis modum illi conferat naturalem: forma namque principium solùm est operationis extrinsecum; persona verò satisfactionem efficit, non vt agens tantùm eius extrinsecum, sed vt eam ingrediens, ac veluti pars eius intrinseca; cùm, vt antè diximus, satisfaciens seipsum illi subijciat actu satisfactionis, cui satisfacit. Ex hac differentia inter operationis obiectum, & personam ipsam operantem oritur alia pertinens ad modum loquendi, siue nominandi: nam ex persona operante, non autem ex obiecto circa quod est operatio, propriè & vt plurimū fit operationis denominatio; operatio si quidem ab homine facta dicitur humana, & ab Angelo Angelica, quæ verò circa hominē aut Angelum est, non dicitur humana vel Angelica. Et ideò Dionys. *in 2. cap. de diu. nom.* Verbi incarnati operationem vocat Theandricam, id est, Dei virilem, siue diuinam virilem, cuius rationem affert S.D. *inf. q. 19. a. 1. ad 1.*

Pro cuius intelligentia *considerandum est* in supposito naturæ intellectualis *duplex operationum genus* inueniri: quædam enim suaptè natura super ipsius suppositi dignitatem reflectuntur; *quibusdam* verò talis reflexio minimè conuenit. Ex. g. Regis genuflexio coram milite, quem offen-

Quomodo satisfactionis valor, tā in puris hominibus, quàm in Christo Deo, & homine ex satisfacientis personæ dignitate deriuetur.

S. Thom.

Capreol.

Caiet. Asturicēsis. Albertin.

Satisfactionis Christi infinitas.

Dionys.

fendit, actio reflexiua est supra Regis dignitatem ; & hac ratione longè maioris est valoris, quàm alterius militis aut Ducis genuflexio, quoniam illa militi subijcit regiam dignitatem, quæ maior est priuati militis aut ducis dignitate : commestio verò & digestio non ita reflexiuæ sunt, quia non sunt in Rege digniores, quàm in milite . Itaque Christi satisfactio non ea solùm ratione est infinita, quòd elicita est à persona diuina; sed ob dictam præcipuè causam, quia scilicet reflexiua est super eius infinita dignitate : Christus enim Deo pro peccatis omniũ hominum satisfaciẽdo subiecit infinitã suæ personæ dignitatem, quantum subijcibilis est, non solùm Deo, sed etiam vilissimis hominibus illum verberantibus, & crucifigentibus: & eam in pretium obtulit Deo, quantùm offerri potuit. Quod euidentius explicatur; Nam ex hoc, quod actio eliciatur à persona diuina, non acquirit infinitum valorem; quia digestio cibi in Christo, vel Dei creatio, vt est actio transiens & physica, sunt actiones elicitæ à personis infinitis, nec ob id tamen sunt infiniti valoris . Deinde ex hoc, quòd actio versatur circa personam infinitam offerens illam in pretium non est infiniti valoris; Nam Beata Virgo & Simeon Deo in templo Christi personam infinitam obtulerunt : & Sacerdotes quotidie eandem offerunt in Missæ sacrificio, & tamen actiones istæ non sunt infiniti valoris, non ea tantùm ratione, quòd infinitum obiectum attingunt intensione finita (nam etiam Christus Deo semetipsũ obtulit actu intẽsiuè finito,) sed etiã, quia aliàs beatiss. Virgo, & Simeon nos redemissent infinitam Deo satisfactionem offerendo, & vno sacrificio vel oblatione Deo per Sacerdotem oblata recompensarentur ad æqualitatem offensæ , & pœnæ pro omnibus hominibus debitæ. Et si Christus assumpsisset Agni naturam, & eam nobis donasset, nosque illam pro peccatis offerremus Deo, esset hæc oblatio infinita coram Deo satisfactio, ac proinde non esset necessaria infinitæ personæ satisfactio, vt à peccato redimeremur; cuius oppositum verum esse patet ex dictis. *Probantur illationes.* Nam actiones istæ circa personam versantur infinitam , & illam in pretium offerunt Deo, veluti propriam offerentis, vt elucet in exemplo Agni nunc adducto; Consequens ergo est, vt si hoc satis est ad hoc, vt valor satisfactionis sit infinitus, prædictæ actiones sint infiniti valoris satisfactorij; igitur, vt satisfactio sit infinita, præter hæc exigit, vt per eam diuina persona se subijciat summo modo morali, quo subijci potest, & cum propria voluntate in assumpta natura subijci possit, consequens est, vt satisfactio ab ea sic elicita sit infiniti valoris satisfactorij; Et ex his sequitur primò actiones gratitudinis, humilitatis, obedientiæ, sacrificij vel religionis in Christo fuisse valoris infiniti, quia in his omnibus persona diuina subijciebatur Deo, quantum moraliter erat subijcibilis . Et de actione quidem gratitudinis id perspicuum est; nam Christus Deo gratias egit æquales, & ampliores donis acceptis in humanitate : illa verò quandam habuerunt infinitatem ; igitur & gratiarum actio. De cæteris autem actionibus idem ostenditur : nam Christus in illis semetipsum humiliauit, & personam suam obtulit infinitam, sicut ait Apost ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens, &c.* & ad Ephes. 5. *Tradidit semetipsum hostiam, & oblationem Deo.* Ex hoc verò nascitur operationis valor infinitus. Et eadem videtur esse ratio de actu charitatis Christi, eo quod amicus per actum amicitię se ipsum, & omnia sua secundum affectum perfectè offert amico ; igitur Christus per actum charitatis Deo perfectè suam obtulit personam infinitam: Ex hoc autem oritur satisfactionis valor infinitus.

Phil. 2. Ephes. 5.

Secundò sequitur, Christi satisfactionem in ratione satisfactionis specie differre à satisfactione nostra : Pro cuius declaratione duo sunt obseruanda. *Primum est*, in actu quolibet voluntario duplicem posse reperiri partialem bonitatem ; alteram essentialem ex obiecto specificatiuo : alteram autem accidentalem ex operantis persona desumptam, tanquam ex circumstantia, quis; quæ sunt duo distinctæ bonitates, cùm vna sit essentialis & alia accidentalis , & vna possit augeri sine altera; sicut patet ex eleemosyna Viduæ, *Luc. 21.* cuius bonitas aucta fuit ex circumstantia personæ, non autem ex obiecto. *Secundum est*, bonitatem actus essentialem distingui à ratione meriti, & satisfactionis : Quod patet ex bonis actibus Beatorum in Patria, qui suam habent infinitatem essentialem, cùm tamen nulla sit in eis ratio meriti, nec satisfactionis. Et præterea actus bonus ex obiecto, malus autem ex circumstantia, vel actus bonus carentis gratia bonitatem habet essentialem, nec tamen est meritorius, aut satisfactorius. Denique ratio meriti, vel satisfactionis vna tantùm est, & sumitur ex ordine ad præmium, vel recompensationem offensę; bonitas autem essentialis actus in multas diuiditur species, & sumitur ex obiecto; quod idẽ dicendũ est de bonitate personali actionũ Christi nunc in cœlo regnantis: habet enim infinitam bonitatem personalem, absque vlla ratione meriti vel satisfactionis. Cùm autem, vt ait S. D. *in 1. 2. q. 21.* ratio meriti sequatur ad bonitatem actus moralem, sicut duplex est bonitas actus, scilicet specifica & personalis; ita duplex poterit ei correspondere ratio meriti; altera ex bonitate specifica; & altera ex personali. Et quamuis ex hoc principio quidam opinentur duplicem esse valorem in Christi satisfactione; alterum finitum ex actus specifica bonitate desumptum; alterum infinitum bonitati Christi infinitæ personali correspondentem: Verior tamen est eorum sententia, qui dicunt, bonitatem operationum Christi ex obiecto desumptam non esse distinctam ab earum valore, seu bonitate personali, eo quod omnis valor, aut bonitas ex obiecto, & alijs circumstantijs accepta imbibitur in bonitate personali, quam scilicet actus habent ex infinita personæ Christi dignitate : nam & ipsa Christi persona transit in rationem obiecti, quatenus per actus illos totaliter Deo subijcitur: Certum est autem infinitam personæ dignitatem specie differre à finita cuiuslibet puri hominis dignitate: & quamuis Christus per physicam actuum intensionem potuerit magis physicè humiliari, non tamen moraliter; quia Christus propria sua voluntate totam suam infinitam dignitatem Deo subiecit : & ideò infinita personæ Christi dignitas actibus eius, quibus humiliatur, infinitam tribuit dignitatem.

Christi & nostram satisfactionẽ specie differre.

Luc. 21.

S. Thom.

Ad cuius ampliorem euidentiam, notandum est Christi satisfactionem secundùm totam suam entitatem, & perfectionem, tam physicam; quàm moralem elicitam à Christo fuisse, non solùm vt homo est, sed etiam, vt simul est Deus, & Homo: habuit enim Christi satisfactio physicam entitatem creatam & finitam, cuius principium quo, non erat diuinitas sed humanitas ; principium autem quod erat Christus, vt suppositum humanum, non vt diuinum præcisè: Eiusdem verò

rò satisfactionis valor moralis infinitus ab humanitate quidem fuit, vt infinitè deificata per vnionem ad Verbum, & vt à charitate & gratia Christi infinita procedens, principaliter tamen & radicaliter totum illum valorem à persona Verbi recepit; humanitas enim vel charitas aut gratia Christi talem non haberent, aut actibus tribuerent infinitatem; nisi essent vnita passioni diuinæ.

Infinitam personæ satisfacientis dignitatem non solùm sufficere ad recompensandam iniuriam à vilissima creatura Deo irrogatam, sed etiam superabundare. Luc. 2.

QVARTO *principaliter notandum est* hanc diuini suppositi satisfacientis infinitatem sufficere ad æqualiter recompensandam iniuriam à vilissima creatura Deo irrogatam; *quod dupliciter explicatur*; *primò*, ex Ricardo de Iancto Victore *in libr. de Incarnat.* Quia, sicut creatura vilis Deum offendit infinitum, sic infinita persona, satisfaciens, non tantùm se Deo subiecit, sed etiam hominibus: Nam *Luc. 2.* dicitur: *Erat subditus illis*. Et in passione Christus tradidit se vilissimis personis percutiendum & crucifigendum: quo fit, vt in eius satisfactione fuerit seruata proportio similis illi, quæ reperitur in offensa; quoniam in offensa, persona vilissima se Deo præfert; in satisfactione verò Deus subijcit se vilissimis personis. *Secundò declaratur*; Quia vilitas personæ peccantis non auget offensam Dei augmento ab eo distincto, quod ex infinita sumitur Dei maiestate: quod probatur primo. Quia S. D. *in 1. 2. quæst. 73. artic. 10. Et 2 2. quæst. 163. art. 3.* docet, personæ peccantis magnitudinem augere peccatum, & delictum Adæ creuisse ex perfectione status illius. Et quamuis peccatum omnium Angelorum fuerit in omnibus eiusdem speciei, & possit etiam in homine reperiri, in primo tamen Angelo peccante maiorem, quàm in cæteris habuit grauitatem, non ex intensione tantum actus, sed etiam ex dignitate peccantis, vt diuina Scriptura declarat *Ezech. 28.* Cuius ratio est, quia peccatum magis augetur ex ingratitudine, quàm ex vilitate peccantis, dicente *Psalm. 54. Si inimicus meus maledixisset mihi*, &c. *Tu verò homo vnanimis Dux meus, & notus meus*, &c. & Isaiæ cap. 1 *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem sprouerunt me*. Persona verò, quo fuerit excellentior, eo maiora beneficia debet Deo: ac proinde peccatum eius ex ingratitudine magis augetur; vt patet etiam inter homines; maior enim iniuria est, si beneficijs affectus irroget illam. Quando verò crescit offensa ex offendentis personæ vilitate, tunc simul augetur ex offensi dignitate, non vt ex diuersa, sed tanquam ex eadem circumstantia: Dignitas enim offensi, vel vilitas offendentis non attenditur secundùm se, sed secundùm alterius conditionem. E.g. si homo ignobilis, & Rex eandem personam iniuria afficiant, minuetur offensa ex parte Regis, quia vir offensus etiam illustris multò minoris est dignitatis, quàm Rex: augetur autem ex parte viri ignobilis; quia offensus est maioris dignitatis, cùm sit vir illustris, quàm offendens; nec vnquam augetur offensi dignitas supra offendentem, quin proportionabiliter reluceat magis vilitas offendentis infra dignitatem offensi: Quo fit, vt quantumuis crescat vilitas Deum offendentis in infinitum, & dignitas Dei offensi sit infinita, non tamen sit in offensa duplex infinitas, vna ex parte vilitatis offendentis, altera ex parte infinitæ dignitatis offensi; eo quòd excessus infinitus Dei supra offendentem inferat necessariò vilitatem offendentis esse infinitam modo statim explicando. Quia scilicet Deus illum in infinitum non excederet, nisi ipse minor esset in infinitum Deo: Quemadmodum, si quis infinitas ab alio furaretur pecunias, consequens esset illum habere pecunias in infinitum plures, quàm deberet habere: illum autem, à quo fuissent ablatæ, haberet infinitè pauciores, quàm habere deberet; quæ tamen non esset duplex infinitas iniustitiæ, sed vna tantùm infinitam continens inæqualitatem in vtroque extremo: Sic igitur in proposito vna est infinitas offensæ ex vtriusque extremi dignitate in infinitum distante consurgens; ita vt offendentis minima dignitas, seu vilitas ex se non sit infinita, sed infinitas tota sit ex parte Dei in infinitum excedentis creaturam; sicut etiam inter ens, & non ens est infinita distantia ex parte non entis, sed ex parte entis finita est, quia distat à non ente quantum + de perfectione, & entitate, quæ finita est; nec igitur ex parte Dei infinitus est excessus supra vilitatem offendentis; Cũ tamen huius vilitas secundùm se non sit infinita, quia habet aliquid perfectionis & dignitatis. Ex quibus sequitur ad rigorosam satisfactionem pro offensa Dei non requiri, vt satisfaciens excedat offensum in eadem infinita proportione, qua offensus excedit offendentem; sed satis esse vt excedat offendentem in eadem infinita proportione, qua Deus offensus excedit creaturam offendentem: sic enim humiliatio ex parte satisfacientis maiorem habet infinitatem, quàm offensa ex infinitate offensi; quia moralis coniunctio infinitæ personæ cum operatione reflexiua supra totam ipsius dignitatem, maior est quàm coniunctio offensæ respectu Dei, vel quàm fit auersio ab illo: Et ideò altioris ordinis ei tribuit infinitatem æqualem omni grauitati, quam habet offensa ex vilitate offendentis; & infinitati quam habet ex infinitate offensi. Ex quo sequitur vlterius, quod si per impossibile essent duo Dij, quorum vnus alterum offenderet, & qui offendit alteri se humiliaret, de toto rigore iustitiæ illi satisfaceret, & satisfactio hæc non solum esset æqualis offensæ, sed etiam superabundans ob dictam causam; quia scilicet longè maior est coniunctio moralis infinitæ personæ satisfacientis cum sua satisfactione, quam offensæ cum Deo. haberet igitur illa satisfactio infinitatem altioris ordinis, quàm sit infinitas offensæ, ratione cuius excessus posset etiam satisfaciens pro maiori offensa vilioris personæ satisfacere.

Postremò sequitur Christi satisfactionem non solùm fuisse æqualem offensæ, sed etiam superabundasse. Quod etiam probatur primò ex Apost. *Roman. 5.* dicente: *Sed non sicut delictum, ita & donum: si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit; & non sicut per vnum peccatum, ita & donum.* Et ne putemus hãc iustitiæ æqualitatem, & abundantiã in satisfactione Christi fuisse solùm respectu peccati originalis, & non respectu actualium, addidit. *Non sicut peccatum, ita & donum; nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Quia nimirum Christi satisfactione non solum æqualitas & recompensatio constituitur pro culpa Originali, sed pro peccatis etiam actualibus; Quæ est explicatio Agapiti Papæ *in Epist. ad Antimum.* Leonis *epist. 85.* Augustin. *in libr. 2. de Nupt. & Concup. cap. 27.* & Chrysostom. *hom. 10. in Epist. ad Roman.* Secundò probatur ex eiusdem Apost. dicto *ad Hebr. 10. Vna oblatione consumauit in æternum sanctificatos.* Quod Cyprianus *in sermone de ratione Circumcisionis*

Rom. 5.

Rom. 5.

Agapitus Papa, Leo Papa, August. Chrysost. Cyprian. Heb. 10.

cisionis exponens ait. Christi satisfactionem suffi- A cientem fuisse pro omnibus peccatis mundi.
Isa.40. Tertiò probatur idem ex verbis *Isa.40.c. Dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu duplicia pro omnibus peccatis suis*. In quorum verborum explicatione Iustinus *contra Tryphonem*, & Ambrosius *in Psal.118. serm.19.v.3.* dicunt Christi satisfactionem peccatis omnibus fuisse maiorem. Quartò probatur ex illo *Iob 6. Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret*. Super quo loco Gregorius *lib.7.Moral. c.2.* ait, ibi mysticè sermonem esse de Christi satisfactione, quam Spiritus S. affirmat peccatis omnibus, pro quibus offerebatur, esse maiorem. B Quintò probatur idem testimonio Sanctorum Pontificum, & Conciliorum. Nam Clemens VI. *in Extrau. Vnigenitus de Indulg.* ait vnam guttam Sanguinis Christi pretium esse copiosum pro omnibus peccatis. Et ideò in Concil. Triburensi dicitur, in calice multo vino misceri vnam aquę guttam, vt significetur valorem sanguinis Christi designati per vinum esse multò maiorem, quàm sint offensæ nostræ per aquam significatæ. Et in Concil. Trid. *sess.5.num.5.in cap.de peccato originali, & sess.6.c.2.3.& 7.* definitur Christum nostram meruisse iustificationem ab omni peccato, tam originali quàm actuali; non est autem Christi satisfactio minor illius merito. Denique probatur idem Sanctorum testimonijs. C Nam Agapitus Papa *loco supra notato*, & Leo *ser. 12.* & Ambros. *præfat. in Psal. 25.* affirmant Christi sanguinem esse diuitem ad pretium iuxta dictum illud Apost. *1. Cor. 6. Empti estis pretio magno*. Basilius in Psal. 48. ait, maiorem esse Christi sanguinem omni valore. Athanasius *lib. de humanitate Verbi* dicit, Christum soluisse, quod iustum est. Quod latius explicat Chrysostomus, *ser.11.in cap.5. ad Rom.* & Cyrillus *lib. 1. de recta in Deum fide ad Reginas, cap. Quod mors Christi est salutaris*. Et tandem Nazianzenus *orat.2.in Pascha*, ait Christum superasse Tyrannum per vim, id est, per abundantiam iustitiæ, vt exponit ibi Nicetas. Quibus argumentis, & authoritatibus pro maiori parte probatur etiam Christi satisfactio- D nem pœnis omnibus peccatis hominum debitis, non solùm æqualem extitisse, sed etiam superabundasse. Et ita docent Augustinus *lib.13.de Trinit.c.16.* Cyrillus *lib.12.in Ioan. cap.19.* Chrysost. *homil. 8. in Epist. ad Ephes.* Anselmus *lib.1.Cur Deus homo*.

Quo sensu verum sit Christi satisf. ętioné esse simpliciter infinitam.

Ex his intelligi facilè potest, veram esse D. Thomæ & communem Theologorum sententiam asserentem Christi satisfactionem fuisse simpliciter infinitam. *Duplicem enim rationem* in Christi satisfactione, sicut & in qualibet eius operatione consideramus: est enim *primò* quoddam ens creatum, & secundùm hanc rationem finita est, vt ante diximus. *Secundò* est etiam E actio diuinæ personæ, Verbi scilicet incarnati, quod est dignitatis simpliciter infinitæ, & secundùm hanc rationem est in genere moris, & est infinita simpliciter, vt satisfactio est; non ea tantùm ratione, quia commissas omnes in Deum offensas, & vsque in infinitum committi possibiles perfectione sui valoris excedit, sed ob eam præcipuè causam, quòd in sui ratione personam includit simpliciter infinitam, ex qua veluti forma morali satisfactionis actus redditur in genero moris secundum hanc illius determinatam speciem simpliciter infinitus. Vbi tamen subtiliter aduertendum est, in satisfactione simpliciter infinita duo esse formaliter distincta, scilicet infinitatem, & modum infinitatis significatum dictione illa, *simpliciter*, quæ non eodem modo satisfactioni conueniunt. Infinitas enim in ratione satisfactionis illi conuenit ex intrinseca perfectione, siue modo in eam ex vnione ad diuinam personam deriuato: & hæc præcisè sumpta, id est seclusis omnibus extrinsecis ab actu, non est infinitas, nisi secundùm quid; omnis enim infinitas ad genus, & ad speciem aliquam determinata est infinitas tantùm secundùm quid; igitur infinitas satisfactionis formaliter, & præcisè sumptæ, prout à persona distinguitur, erit infinitas tantùm secundùm quid, sicut infinitas lineæ, vel albedinis. Modus autem infinitatis significatus ea dictione *simpliciter*, quamuis quodammodo satisfactioni sit intrinsecus, sicut & ipsa persona, quæ secundùm moralem considerationem intelligitur esse quasi pars in satisfactione clausa, magis propriè tamen, ac verius est actui satisfactionis extrinsecus, sicut & ipsa persona, cui per se primò conuenit infinitas simpliciter, id est, absque vlla omnino limitatione, & ex ea deriuatur ad operationes in genere moris, quasi per extrinsecam denominationem. Dico autem *quasi*, quoniam, vt sæpè dictum est, persona satisfaciens est quodammodo intrinseca satisfactioni, & secundùm hanc rationem satisfactio denominatur intrinsecè infinita simpliciter, vt statim dicemus.

Capreol, Caiet.

C Hanc infinitatem Capreolus, Caietanus, & alij Thomistæ satisfactioni Christi sic tribuunt, vt non absolutè pronuntient eam esse simpliciter infinitam, sed dicant esse personaliter infinitam; & quia diuinæ personæ dignitas est infinita simpliciter, ideo satisfactio diuinæ personæ hoc ipso dicitur infinita simpliciter (non in genere entis, sed in genere moris) quod est satisfactio diuinæ personæ, cuius submissio satisfactioni, non præcisè sumptæ, sed prout personæ satisfacienti coniungitur, & eam intrinsecè claudit, valorem tribuit simpliciter infinitum, adeò vt infinitas cũ tali modo satisfactioni præcisè sumptæ, prout actio pura est, extrinseca tantũ denominatione conueniat: sumpta verò satisfactione, prout satisfacientem, & se subijcientem includit, de illa dicetur intrinsecè. Quemadmodum enim ex rebus & verbis in Sacramentis fit vnum per se, non in genere entis, sed in genere signi, ita ex persona satisfaciente & eius operatione, qua semetipsum alteri submittit, fit vna integra satisfactio simpliciter infinita in genere moris. Quamuis enim Deus homo satisfaciens, sit infinitus simpliciter in genere entis, non tamen hanc satisfactioni tribuit infinitatem; quia prout satisfactioni coniungitur, ita vt ea submittatur, principium est formaliter perfectionis, seu valoris illius in genere moris, non autem in genere entis.

Infinitum satisfactionis Christi valorem nõ ex dignitate tantùm personæ satisfacientis infinita, sed etiam ex oblatæ rei infinitate deriuari.

QVINTO sciendum est infinitum satisfactionis Christi valorem non ex dignitate tantùm personæ satisfacientis infinita, sed etiam ex oblatæ rei pro peccatis hominum infinitate deriuari, vt disertis verbis affirmat S. D. *infra quæst. 48. art. 2.* dicens: *Christi satisfactionem fuit totius humani generis offensam, non solum adæquasse, sed etiam valoris sui magnitudine superasse propter vitæ dignitatem, quam Christus pro satisfactione ponebat, quæ erat vita Dei & Hominis*: quod idem asserit *in 3. d.20.q.1.a.3.ad 2.* Cuius verba sunt: *Vita corporalis Christi habebat quendam infinitum valorem ex diuinitate coniuncta, in quantùm non erat vita puri hominis, sed Dei & Hominis.* *S. Tho.*

minis, & ideò poterat esse sufficiens recompensatio vitæ spiritualis, &c. Quam doctrinam explicat & tuetur Capreolus *loco superius allegato*. Et definit eam summus Pontifex *in Extrau. Vnigenitus.* dicens, vnam guttam sanguinis Christi nostræ redemptioni sufficere per vnionem eius ad Verbum: quod etiam non obscurè significatur *1. Pet. 1.* cùm dicitur: *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi*, &c. Valor autem, & æqualitas pretij redemptionis, quæ emptio quædam est, non ex offerentis personæ dignitate, sed ex pretij valore desumitur, sicut etiam Missæ sacrificium ex oblatæ rei magnitudine suam recipit dignitatem, vt patet ex Trid. Synodo, *sess. 22. c. 2.* Quare, si Sacerdos actione infinita, quæ rem adæquaret oblatam, in altari Christum offerret, haberet eius oblatio infinitam in satisfaciendo dignitatem; igitur idem de redemptione dicendum est.

1. Pet. 1.

Conc. Trid.

Ad cuius ampliorem euidentiam considerandum est, Peccatum originale, & quamlibet aliam mortalem transgressionem quatuor mala grauissima secum ferre. *Primum* est superbiæ tumor, quo contra Deum cor hominis exaltatur. *Secundum* est offensa Dei. *Tertium* est priuatio gratiæ & amicitiæ Dei, & contracta maculæ turpitudo. *Quartum* est infelix captiuitas, qua Deo iustè permittente, peccator diaboli seruus efficitur. Quibus quatuor malis quatuor efficacia remedia Christus opposuit. Ad primi namque mali remedium sacrificium crucis adhibuit semetipsum Deum humillime subijciens, ac quasi pro nihilo ducens, iuxta illud *Psalm. 21. Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Secundum malum iusta & exuberanti satisfactione curauit. Tertium malum per gratiam, & sanctitatem eiecit, quam sua nobis pretiosissima passione promeruit, & medijs sacramentis ex eadem passione deriuatis in nostris efficit animabus. Quartum denique malum redemptione destruxit, Deo proprium sanguinem, vitamque suam pretiosissimam, ac semetipsum totum, veluti pretium exuberantissimum offerens, sicque à diabolicæ seruitutis iugo nos liberans. Supponimus autem hic cum D. Tho. quatuor prædictos modos, non solùm formalem habere inter se distinctionem in re ipsa fundamentum habentem, sed etiam secundùm proprietatem, & non tantùm metaphoricè Christi passioni conuenire.

Quatuor peccatorum malis Christum totidè adhibuisse remedia.

Psal. 21.

Et Quia de sola redemptione quæstio est, quam de passione Christi metaphoricè tantùm dici Suarez *infra quæst. 48. art. 4.* & Vasquez hic affirmant, breuiter ostendo, eam à cæteris formaliter esse distinctam, & Christi passioni propriè conuenire. Id aût optimè fiet, si redemptionis diffinitione proposita, Christi eâ passioni, tanquam pretio nostræ liberationis oblato congruere probauerimus. Redimere propriè sumptum, idem est, quod iterato suum facere, quod in alterius potestatem venerat, pretio interposito, vt obseruat Medina *inf. qu. 48. ar. 4.* Est autem duplex alterius in alterum tyrannica potestas, & duplex ibidem seruitus potestati relatiuè respondens. *Vna enim potestas* est, quæ vitæ hominis corporeæ dominatur, eius viribus & actibus imperans, & eis ad fines sibi propositos vtens; cui seruitus correspondet personalis; quæ est institutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur; vt ex vtroque iure collegit Syluester *in Summa, Verbo Seruitus.* *Altera* est seruitus, siue dominium Tyrannicum in alterum spiritualis in eo vitæ perniciem intendens, & diuina iustitia permittente in multis diuinæ gratiæ subsidio destitutis efficiens: quam potestatem diabolus in hominem tentatione superatum Deo tradente, tanquam minister accepit, adeò vt Ioan. 12. dictus sit à Domino Mundi Princeps: *Nunc* (inquit) *Princeps huius Mundi eijcietur foras.* Triplicem autem in hominem diabolus acquisierat potestatem. *Prima* erat trahendi peccatorem hominem post huius vitæ terminum ad mortem in altera vita sempiternam: *Secunda*, quæ ad Sanctos etiam antiquæ legis homines extendebatur, erat detinendi quemlibet ex hac vita migrantem in subterraneo quodam sinu conclusum, velut in horrendo carcere. *Tertia* potestas est, viatorem hominem impugnandi atque tentandi, & speciali quodammodo virtuteque majori peccatores à Deo longè per deuia vitiorum aberrantes: de quibus ait Chrysostomus *in Matth. cap. 21. Sicut nauis fracto gubernaculo, non quo vult, vadit, sed quo tempestas impellit; sic homo diuina gratia destitutus in præcipitia peccatorum defertur.* Et Gregor. *Peccatum* (inquit) *quod per pœnitentiam mox non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Huic verò diabolicæ dominationi ea seruitus in homine relatiuè respondet, quæ quoad duos priores diabolicæ dominationis effectus, vim & coactionem importat in homine seruiente iam in huius vitæ termino constituto: vt enim ait S. D. *inf. q. 48. ar. 4.* ad seruitutem pertinet, quod aliquis patiatur, quòd non vult, cùm liberi hominis sit vti seipso vt vult: quò ad vltimum verò, scilicet impugnationem siue tentationem, dicit inclinationem ad peccatum vel etiam defectum virtutis naturalis, quæ sola peccati maculam nequit abluere. Quemadmodum autem diaboli potestas siue dominium illud triplex in hominem, non impropriè ac metaphoricè dicebatur, sed verum propriumque dominij nomen & rationem analogicè dictam habebat: ita seruitus illi correlatiua vera propriaque seruitus erat, quamuis seruituti legali non esset vniuoca: sicut humana sapientia verè ac propriè sapientia est, quamuis sapientiæ nomen, quod est ei cum Angelica diuinaque sapientia commune, non sit vniuocum.

Chrysost.

Gregor.

S. Thomas.

Christi redemptionē distinctam esse formaliter à sacrificio, satisfactione, & merito, & eam Christi passioni propriè conuenire. Suarez. Vasquez. Medina.

Et ex his patet, redemptionis diffinitionem, quoad priorem, eamq; præcipuam partem redēptioni Christi Domini propriè conuenire. Nūc de posterioris proprietate differamus. Sicut autem seruitus propriè dicta nomen est analogum ad seruitutem legalem communi consensu gentium inductam, & ad seruitutem animæ dæmoni iustitiæ Dei ministro tyrannoque seruientis; ita pretium animæ redemptiuum ab hoc genere seruitutis non minus propriè ac verè pretium est, quàm illud, quo seruus de iure gentium à legali seruitute redimitur, cùm tamen vtrique pretij nomen sit anologicè commune. Nam, quemadmodum in redemptione à seruitute legali valor, ac pretium redimendi serui æstimari solet ex robore corporis, prudentia, nobilitate & gradu, quem in Republica vel communitate sua gerit, ita pretium animæ triplici iam dicta seruitute diabolo seruientis æstimandum est ex animæ nobilitate, ex valore gratiæ, & statu innocentiæ, à quo suggestione dæmonis fuit Adam cum tota sua posteritate deiectus, & ipsius diaboli seruus effectus, & ex gradu singulis electis in Republica Beato-

rum diuina prædestinatione determinato, & à cæteris omnibus, si per eos non steterit, obtinendo. Quorum infinitum valorem sola Dei & Hominis vita veluti pretium ipsi Deo totius iustitiæ fonti ac patri misericordiarum oblata potuit adæquare. Et quis nesciat in serui redemptione nonnunquam personam cum persona commutari? & se ipsum nonnunquam vnum pro altero redimendo tradidisse, vt de sancto Paulino legimus? Sed præterea probantur hæc omnia; quia diuinæ Scripturæ voces in propria significatione sunt accipiendæ, nisi in ea sit aut ex ea sequatur absurditas. Porrò certum est sacras vtriusque Testamenti litteras in humanæ salutis mysterio declarando sæpè nominibus vti potestatis, dominij & principatus in hominem, & captiuitatis ac seruitutis humani generis sub diaboli potestate, & pretij ac redemptionis in passione Christi Domini. Diaboli namque dominatio & generis humani captiuitas significatur *Ioann. 12. Nunc Princeps huius Mundi eijcietur foras. Ad Colloss. 1. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum. 2. Petr. 2. A quo quis superatus est, huius & seruus est.* Vbi dicit Glossa. *& verè sunt serui acquisiti; quia, cùm prius liberi essent, modo coguntur seruire grauius, quàm antea. Isa. 61.* de Christo Saluatore dicitur: *Spiritus Domini super me, &c. vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem.* Quem locum Dominus *Luc. 4.* de seipso intelligendum esse declarat. *Ad Ephes. 4.* de Christo docet Apostolus intelligendum esse dictum illud *Psalm. 67. Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem:* quia scilicet Sanctos, quos diabolus tenebat in limbo captiuos, virtute passionis suos effecit cum summa libertate captiuos, vt ibidem exponit S. D. De redemptionis etiam nostræ pretio, multa sunt illustria diuinæ Scripturæ testimonia. Nam *Matth. 20.* de sepso Dominus ait: *Filius hominis non venit ministrare, sed ministrari, & dare animam suam in redemptionem pro multis.* Et *1. Cor. 6. Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro,* & 1. Petr. 1. *Scientes, quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati Christi.* Denique redemptionis rationem in salutari Christi passione verè & realiter extitisse frequenter affirmant diuinæ litteræ. *Psal. 25. Redime me Domine, & miserere mei. Psal. 30. Redemisti me Domine Deus veritatis. Psal. 129. Et copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Isa. 43. Noli timere, quia redemi te,* & *cap. 52. Gratis venundati estis, & sine argẽto redimemini. Luc. 24. Quia ipse redẽpturus esset Israel. Ad Tit. 2. Vt nos redimeret ab omni iniquitate. Apoc. 5. Redemisti nos Deo in sanguine tuo. Luc. 21. Quoniam appropinquat redemptio vestra. Rom. 2. Per redemptionem, quæ est in Christo Iesu,* &c. *Ephes. 1. In quo habemus redemptionem.* Hęc, & alia plura eiusdem significati vocabula passim occurrunt in vtroque diuinæ Scripturæ Testamento: quæ non solum absque vlla absurditate, sed cum maxima locutionis congruitate in propria significatione sumi possunt. Quemadmodum enim dominij, seruitusque nomina sunt analoga, sic & pretij ac redemptionis vocabula similem habent significationis multiplicitatem, ac proinde non minus quàm illa, vocis habere possunt proprietatem simul cum analogia. Et confirmatur, quoniam accidit redemptioni, quòd hoc aut illo pretio fiat; poterit igitur redemptio propriè dicta sanguine & vita, veluti pretio fieri redimentis, ac præsertim ex ea captiuitate, quæ ex eius offensione contracta est, cui pretium redemptionis offertur. Et quia redemptionis pretium esse non potest, nisi dominium super illud sit in offerente, aut eius mandato fiat oblatio, qui Dominus est, idcirco beatissima Virgo, si filium obtulisset pro nobis in mortem, vel alio quocunque modo, pretium non diceretur persoluisse Deo pro nobis infinitum, nec humani generis fuisse redemptrix; quia Christus illi datus fuit in filium, non autem in pretium ab ea pro redemptione generis humani Deo soluendum. Quare nescio, quo spiritu Vasquez subtilem ac solidam Magistri Asturicensis doctrinam nugas, & ineptias audeat appellare. *Vasquez. Asturicensis.*

Ex his elucet duplex differentia redemptionis à satisfactione, sacrificio & sanctificatione. *Altera* est, quia de ratione redemptionis est oblatio pretij, quod offertur & datur à redimente: satisfactio verò, quæ est iniurię, & offensæ compensatio, fit summissione, non pretio: sacrificium etiam nullius est oblatio pretij, sed humilis & religiosa summissio in Dei venerationem & celsitudinis eius recognitionem ordinata: postremò qui meretur, nullum vt sic illi, apud quem meretur, pretium offert, sed opera tantùm efficit præmio compensanda; ita vt merito, vt meritum est accidat, vt redimendæ personæ sit pretium, & eadem ratione per accidens est, vt præmium sit à seruitute liberatio. His adde redemptionem à tribus prædictis in hoc esse differentem, quòd redemptio per se primò fit in commodum redimentis: satisfactio verò, sacrificium & meritum in eius, cui offeruntur, commodum per se primò fiunt, vt *loco notato* Asturicensis aduertit. *Altera* differentia est, quòd valor redemptionis, vt præcisè redemptio est, non sumitur ex dignitate personæ redimentis, sed ex valore pretij, quod pro libertate captiuorum offertur; satisfactionis autem sacrificij & meriti valor ex dignitate personæ satisfacientis, sacrificantis & merentis accipitur. Et valorem quidem redemptionis ex oblati pretij valore, non ex offerentis dignitate pensari patet ex verbis Apostoli, & Diui Thomæ, supra notatis: & ratione probatur. Quia redemptio est quædam emptio; at emptionis, vt sic ratio & valor æstimatur ex pretio; ergo valor etiam redemptionis ex pretio iudicatur. Maior patet ex ipsa nominis ethimologia. Minor probatur: Quia secundùm communem hominum æstimationem & praxim negotiorum idem pretium, quod in emptione mercis exhibetur à mercatore, non plus valet, si soluatur à Principe, vel Imperatore: igitur valor redemptionis Christi, quatenus redemptio est, suam non habet infinitatem ex infinita Christi redimentis, prout redimens est, dignitate, sed totus redemptionis Dominicæ valor ex eiusdem Christi, vt pretij pro nobis oblati valore sumendus est. Secundò probatur eadem differentia quoad vtramque partem: Quia persona, quæ satisfacit, sacrificat & meretur, non actionem tantum, sed etiam semetipsam illi subijcit, cui satisfactionem sacrificium, ac meritum offert: at qui pretium exoluit redemptionis, non semetipsum sed solum pretium illi subijcit, à quo captiuum redimit, sicut & quilibet emptor, vt emptor est, solum pretium subijcit venditori non verò se ipsum; igitur satisfactionis & sacrificij ac meriti valor ex operantis personæ dignitate desumitur; redemptionis autem valor, non ex redimentis personæ dignitate, sed ex oblati pretij valore pen-

Differentia inter redẽptionem, satisfactionẽ & meritũ.

pensatur. Prima pars antecedentis patet ex ijs, quæ supra diximus de satisfactione, & ex ijs, quæ tradit S. D. *in 2. 2. qu. 81. & 3. p. qu. 83. art. 1.* Quæ subtiliter, & eleganter explicat Asturicensis *in alleg. qu. 5.* ex ijs quę docet S. Th. *in 1. p. 2. qu. 114. de ratione meriti.*

S. Thom. *Asturicēsis.*

Sed explicandum est, an in satisfactione eadem, vel diuersa sit valoris infinitas, quæ sumitur ex infinita satisfacientis personæ dignitate, ab ea, quæ ex eiusdem personæ, vt oblatæ Deo infinita dignitate desumitur. Et sanè diuersam non esse, sed eandem, facili probatione conuincitur. Quia Christi sanguis effusus & eius vita in Cruce consumpta in ipsa satisfactionis ratione clauduntur intrinsecè; satisfaciens enim seipsum actu ipso satisfactionis illi summittit, cui satisfacit; igitur satisfactio Christi in eius passione & sanguinis ac vitæ profusione consistens summissio quædam erat Christi satisfacientis humillima: ac proinde ad rationem intimam Christi satisfacientis, vt satisfaciens est formaliter, pertinet sanguis effusus & vita in cruce consumpta in Dei reuerentiam & honorem, quem secundum affectum abstulerat homo peccando

B

Quarto *notandum est* infinitatem valoris in Christi satisfactione non esse physicam aliquam entitatem infinitam, sed aliquid reale morale intrinsecum, & personale existens in ipso satisfactionis actu. *Prima huius dicti pars probatur primò.* Quoniam, vt ait S. D. *in 1. p. q. 7. a. 2.* nō potest Deus facere physicam aliquam entitatem, quæ sit actu infinita. *Secundò*: Quia principia proxima, & principalia talis satisfactionis, scilicet gratia, charitas, &c. finita sunt secundum physicam eorum entitatem; ergo non possunt effectum physicè infinitum producere. *Tertiò*: Quia talis satisfactionis infinitas toti conuenit sanctissimæ Trinitati, & non soli Filio; consequens autem manifestè falsum est, ergo. Probatur consequentia; quia res omnis, aut rei modus physicus à Deo producitur immediatè per potentiam toti Trinitati communem: ac proindè à tota Trinitate debet immediatè produci immediatione virtutis vel etiam suppositi. Falsitas verò consequentis probatur: quia tunc non solus Filius, sed tota Trinitas pro peccatis hominum satisfeciisset, quod est absurdum & falsum.

Infinitatem valoris in Christi satisfactione nō esse physicā aliquā entitatem infinitam, sed aliquid reale morale intrinsecum, & personale existens in satisfactionis actu. *S. Thom.*

C

D

Secunda verò pars eiusdem dicti, videlicet prædictam valoris infinitatem esse aliquid reale; *probatur primò* ex Damasceno *libr. 3. de Fide, cap. 15.* dicente Christi satisfactionem esse diuinitate perfusam, vel affectam: qua loquendi forma quædam in ea realis perfectio significatur. *Secundò*: Quoniam ex dicta valoris infinitate multi processerunt reales effectus; nimirum regna cœlorum aperire, mortem destruere, & secundùm æqualitatem iustitiæ satisfacere; sed hos effectus non habuit infinitas illa ratione entitatis physicè, sed ex propria sua ratione; ergo illa est aliquid reale, & non rationis, cùm ex ente rationis produci nequeant reales effectus: Minor autem, & consequens simul explicātur; quia Deum esse creatorem vel Dominum super potentiam & actionem realem Dei addit relationem rationis, per quam Deus neque creat neque subditos coercet, eo quod effectus isti sint reales, quos efficere non potest ens rationis, sed creat & coercet Deus per potentiam suam realem & operationē; ergo similiter in proposito: Si Christi satisfactio ratione suæ infinitatis effectus habet reales, non erit infinitas illa ens rationis.

Damascen.

E

Tertiò, Deus magis amat & acceptat Christi satisfactionem infinitam, quàm aliam quamlibet creaturam; igitur in illa maior est bonitas realis. Probatur consequentia: Quoniam amor non causat ens rationis, sed veram & realem rerum bonitatem, & complacet in ea producta. *Quartò*, quia ratio satisfactionis realis est cùm sit actus iustitiæ; igitur etiam eius infinitas est realis. Probatur consequentia: quoniam infinitas alicuius perfectionis dicit eandem perfectionem cum negatione termini; ergo, si perfectio illa realis est, etiam eius infinitas est realis, vt ex. g. infinitas lineæ, vel gratiæ Christi inesse gratiæ non aliam dicunt perfectionem, quàm lineæ, vel gratiæ Christi in esse gratiæ, cum negatione termini, vt est modus quidam realis lineæ, vel gratiæ. *Denique probatur*, & explicatur hoc idem: quia valor hic infinitus non est æstimatio, vel appretiatio Dei, vel hominum iudicio facta de Christi satisfactione; hæc enim extranea prorsus est ab ipsa Christi satisfactione, nec in ea ponit aliquid nisi rationis, sed est dignitas & perfectio appretiabilis infinitè: hæc verò dignitas est realis; importat enim talem satisfactionem esse operationem Dei & hominis, quam Theologi cum Dionysio Theandricam, i. Dei virilem appellāt: esse autem operationem Dei virilem est aliquid reale, sicut esse operationem Angelicam vel humanam: nam dicit aliquid reale, scilicet respectum transcendentalem ad personam elicientem, vt ad principium & ad obiectum, vel materiam oblatam, aut subiectam Deo: ordo verò actus ad principium, vel obiectum quædam relatio est transcendens, realis & intrinseca; ergo.

Tertia pars eiusdem dicti, videlicet infinitatem illam esse aliquid morale potest explicari dicendo esse dignitatem quandam ex Christi satisfactione procedentem ex hoc, quòd sit à persona diuina, & super eam reflectitur, illam subijciendo, quantùm possibile est. Et quamuis prædicti respectus ad principium, & obiectum talis operationis in esse physico sint finiti, moraliter tamen sunt infiniti valoris: operationem enim oriri à persona diuina cum dicta reflexione subijciendo illum, quantum subijci potest, sufficiens est fundamentum maioris æstimationis, quàm sit aliud quodcunque pretium creatum, & maioris amoris, quàm sit odium, quo Deus prosequitur offensam; sicut etiam dignitas moralis, quàm habet humanitas Christi ex vnione personali cum Verbo, condignum seu sufficiens est fundamentum maioris æstimationis, quàm sit cuiuslibet creaturæ Deo non vnitæ. *Sed obseruandum est* dignitatem hanc non esse entitatem realiter ab entitate satisfactionis physica distincta, sed est eadem entitas, prout à diuina persona procedit reflexiuè super illam; sic enim ex se sufficiens est æstimationis infinitę fundamentum: & cùm sit relatio transcendens, vt antè diximus, in hoc assimilatur relationi secundùm esse, quod sicut hæc, posito termino & fundamento, sequitur necessariò, ita valoris dignitas infinita non potest non sequi ad actionem Christi reflexiuam super ipsum; sicut etiam posita vnione humanitatis ad Verbum, non potest non sequi ad illam infinita dignitas humanitatis, tametsi dignitas hæc non sit relatio secundum esse.

Postrema pars eiusdem dicti, dignitatem scilicet illam infinitam esse personaliter intrinsecam satisfactioni Christi. *Probatur primo*: Quoniam hæc infinita dignitas in hoc posita est, vt satisfactio

factio Christi sit Deitate perfusa, vt ait Damascenus, & quendam habet transcendentalem respectum ad personam diuinam, vt ad principium eliciens, & materiam subiectam Deo quantum subijcibilis est; at respectus hic transcendentalis est intrinsecus tali actioni, vt dictum est; ergo. *Secundò probatur*; quia peccatum habet infinitam malitiam intrinsecam in ratione offensæ, cùm Deum offendat, quantum offendibilis est, licèt actus quo Deus offenditur, sit entatiuè & physicè finitus: sed quamuis actus satisfactionis Christi sit physicè & entatiuè finitus, subijcit tamen Deo personam infinitam, quantum subijcibilis est; igitur ea dignitas infinita personalis, quam habet, eidem est intrinseca.

Valorem satisfactionũ Christi, quadam ratione esse finitum, & quadam alia infinitũ, & earum infinitatem esse quodã modo vnã, & quodam modo plures.

POSTREMO *considerandum est*, valorem satisfactionis Christi ex tribus attendi posse, scilicet ex obiecto, & intensione, & ex ipsa Christi persona, quatenus elicitur ab ea & reflectitur supra totam eius dignitatem. Si secundùm duo priora satisfactionis valor consideretur, finitus est, nec æqualis in omnibus operibus Christi, sed maior in vna quàm in alia, iuxta maiorem aut minorem earum intensionem, aut dignitatem in ordine ad obiectum. At si valor attendatur ex dignitate personæ, operationes omnes Christi sunt æquales: quia cuilibet earum communicatur totus valor satisfactorius deriuabilis ab infinita Christi dignitate, quæ vna tantum est; ex quo sequitur satisfactiones omnes Christi simul sumptas non habere maiorem valorem personalem, quam vnã tantùm, quamuis maiorem habeant valorẽ ex obiecto aut circumstantijs, vel ex actus intensione deriuatum, aut etiam maiorem valorem personalem extensiuè, non autem intensiuè: hic enim vt ante diximus vnus & idem numero omnium est, quia tota dignitas personæ, à qua prouenit ille valor, æquè significat totam operationem & singulas eius partes; sicut etiam Pater in diuinis tantus est, quanta est tota Trinitas, vt ait S. D. *in 1. p. q. 30. a. 1. ad 3.* Et cũ infinitas cuiuslibet operationis Christi satisfactorię eandẽ infinitam claudat personæ Christi dignitatem infinitum illi valorem conferentem, erit quodammodo vna operationum omnium infinitas, & quodammodo plures, nam si de infinitate simpliciter sermo sit, vna tantùm vester omnium esse; si verò de infinitate secundùm quid, quæ sola propriè videtur intrinseca, non est vna, sed plures iuxta pluralitatem operationum, atque ita videtur facilè posse conciliari duæ oppositæ Thomistarum sententiæ; quarum altera affirmat, vnam esse tantùm omnium operationum Christi infinitatem; altera verò non vnam, sed plures esse contendit.

SECVNDA CONTROVERSIAE PARS.

An satisfactio Christi Deo pro nobis oblata, aut etiam illa, quam nos Deo pro peccatis nostris offerimus, sit actus iustitiæ specialis?

Explicatur nomen iustitiæ multiplex, & eius modi, siue partes. S. Thom. Arist.

SCIENDVM est *primò* ex Aristot. *in 5. Ethicor. cap. vltimo*, & D. Th. *2. 2. q. 58. art. 2.* nomen iustitiæ dupliciter sumi, scilicet propriè & metaphoricè. *Iustitia propriè sumpta* secundùm iurisperitos est perpetua, & constans voluntas ius suum vnicuique tribuens. Quam diffinitionem explicat S. D. *in allegata q. a. 1.* Aristot. autem eam diffinit dicens esse habitum, secundùm quem aliquis dicitur operatiuus iusti secundùm electionem. *Iustitia verò metaphoricè dicta* non est ad alterum suppositò distinctum, sed vni, & eidem homini dicitur inesse iustitia, quatenus ratio imperat irascibili, & concupiscibili, & quatenus hæc obediunt rationi, & prout vnicuique parti hominis tribuitur, quod ei conuenit, vt explicat optimè S. D. *in dicta iqu. art. 7.* & ad hanc pertinet iustitia, qua coram Deo iustificatur homo: hæc enim, vt ait S. D. *in 1. 2. q. 113. a. 1.* est rectitudo quædam ordinis in ipsa interiori dispositione hominis, prout scilicet supremum hominis subditur Deo, & inferiores animæ vires subduntur supremæ, scilicet rationi. *Iustitia verò propriè dicta duas habet species*: altera est iustitia, quæ est virtus *particularis*: altera est iustitia, quæ est virtus *generalis*, quæ etiam dicitur iustitia legalis; sed prior diuiditur in duas species, quæ sunt iustitia *commutatiua*, & iustitia *distributiua*: cuius diuisionis rationem assignat S. D. *in 2. 2. quæst. 61. artic. 1.* dicens: *Iustitia particularis ordinatur ad aliquam priuatam personam, quæ comparatur ad communitatem, sicut pars ad totum. Potest autem ad aliquam partem duplex ordo attendi: Vnus quidem partis ad partem, cuius similis est ordo vnius priuatæ personæ ad aliam: & hunc ordinem dirigit commutatiua iustitia, quæ consistit in ijs, quæ mutuo sunt inter duas personas ad inuicem: Alius ordo attenditur totius ad partes, & huic ordini assimilatur ordo eius, quod est commune, ad singulas personas, quem quidem ordinem dirigit iustitia distributiua, quæ est distributiua communium secundùm proportionalitatem*: Ad iustitiam autem commutatiuam pertinet iustitia iudicatiua, quæ versatur in constituenda æqualitate per actiones iniuriarum, siue per offensas oblata, vt explicat eleganter S. D. *in 2. 2. quæst. 61. artic. 3. & 4.* Iustitia verò legalis virtus est, per quam homo legi concordans ordinat actus omnium virtutum in bonum commune, vt explicat idem S. D. *eadem q. 5.*

Secundò notandum ex Aristot. *5. Ethic. c. 10.* Cicerone *lib. 2. de Inuentione.* Macrobio *super somnum Scipionis, libr. 1.* & D. Thom. *2. 2. quæst. 80. artic. 1.* esse quasdam virtutes aliquam habentes cum iustitia similitudinem, sed ab eius perfecta ratione deficientes; quæ ideò non sunt partes iustitiæ subiectiuæ siue species, sed dicuntur virtutes illi adiunctæ: hæ verò sunt religio, pietas, gratia, veritas, obseruantia, & aliæ plures, quas loco notato recenset, & explicat S. D. ad quem lectorem remittimus.

Aristot. Cicero. Macrob. S. Thom.

Quæ Deibus peccatis minuantur, & iniuriam Dei in omni peccato claudam tũ esse vnius specificæ rationis, sed diuersæ.

Tertiò sciendum est, bona Deo conuenientia esse duplicia: *quædam enim sunt interna*, vt substantia, intellectus, voluntas, sapientia, &c. quæ ad eius infinitam attinent perfectionem: & hæc nec augeri possunt, neque minui: *quædam verò sunt externa*, vt honor, gloria, & obedientia illi debita; & hæc augeri possunt, & minui: per actus enim religionis & obseruantiæ legis augentur, per peccata verò mortalia, quæ sunt diuinæ legis præuaricationes, minuuntur: his enim Deo subtrahitur obedientia & honor illi debitus, quatenus est vltimus finis; & ideò peccatum omne mortale iniuria quædam est & iniustitia contra Deum, vt etiam affirmat expresè S. D. *in 4. d. 14. q. 2. a. 1.* Quod etiam apparet ex diuina Scriptura, quæ peccatum appellat iniquitatem, & iniustitiam. *Sed cui nam iustitiæ parti opponatur iniustitia peccati?* non est facilè definire. Et quidem

S. Thom.

S. Thomas.

SVA-

Suarez; sententia. SVAREZ *Disp. 4.* docet, iniuriam Dei clausam in omni peccato vnius esse rationis specificæ, & esse oppositam illi virtuti, cuius est diuinum ius illæsum conseruare, aut iam læsum reparare: hãc verò ait secundum rem esse virtutem pœnitentiæ; *Reijcitur.* *sed hic modus dicendi falsus est. Primò*, quoniam, vt ostendemus inferius, non datur virtus vna secũdùm speciem, ad quam pertineat ius diuinum illæsum conseruare, & læsum reparare; ergo iniustitia, quæ clauditur in omni peccato, non erit vnius rationis specificæ. *Secundò* actus formalis & expressus voluntatis determinantis non seruare ius Dei non est speciale peccatum oppositum vni soli virtuti; ergo multò minus voluntas virtualis, seu materialis, aut participatiua nõ seruandi ius Dei, quæ reperitur in omni peccato, erit speciale peccatum: consequentia patet, quia maior vnitas conuenit formali, & expressæ volitioni, quàm virtuali, seu materiali, & participatiuæ.

S. Thom. sententia. S. Thomas *in 2. 2. q. 59. artic. 1 ad 8.* ait omne peccatum opponi diuinæ iustitiæ dictę per comparationem ad bonum diuinum: sed *in quæst. 58. art. 5. ad tertium* ait, quòd, sicut iustitia legalis secundùm quod ordinat ad bonum commune, potest dici virtus generalis, sic iniustitia potest

p. Io. 3. dici peccatum cómune; Vnde (inquit *p. Io. 3.* dicitur, quod omne peccatum est iniquitas. Demùm *in 3. d. 20. q. 1. a. 2.* ait offensam in Deum comitti per contemptum inobedientiæ. Quæ dicta, quamuis prima facie valde diuersa videantur, si tamen attentè considerentur, eundem habent sensum: Iustitia namque dicta per comparationem ad bonum diuinum ad iustitiam legalem pertinet, vt eius principium, & eius præambula, seu præparatoria ad actus eius, vt explicat optime Caietanus *in secunda secundæ quæst. 161. ar. 5. ad quartum dubium.* Et quoniam obediẽtia causat obseruantiam præceptorum, quam iustitia legalis ordinat ad commune bonum; ideò obediẽtia pertinet ad iustitiam legalem, & ideò iustitiæ opponitur inobedientia, vt ex articulo prædicto colligitur. Quamuis autem in quolibet mortali peccato violetur iustitia legalis modo dicto, non tamen in quolibet peccato est duplex malitia; quia non in omni peccato violatur per se & formaliter rectitudo plurium virtutum, vt patet in peccato gulæ, in quo per se violatur rectitudo temperantiæ illi oppositæ. Sed eodem etiam peccato violatur materialiter & per accidens rectitudo charitatis, obedientiæ, & gratitudinis Deo debitæ, & iustitiæ legalis, vt ait S. D. *2. 2. q. 107. ar.*

S. Thom. *2. ad 1 & 2.* Sed hæc violatio, & contrarietas ad dictas virtutes conditio quædam generalis est omnium peccatorum, & ideò non multiplicat peccati malitiam: de qua re videndus est S. Tho. *2. 2. q. 79. a. 2. & q. 104. a. 2. ad 1.*

Nostræ satisfactionis actũ propter peccata in Deũ commissa nõ esse actũ religionis. *Quartò notandum* est ex D. Th. *2. 2. q. 81. a. 1. 3. & 4.* religionem esse virtutem specialem ab aliis distinctam, cuius obiectum est exhibere Deo debitum honorem. *Honor autem*, vt *ibidem art. 3. & 4.* ait S. D. *debetur alicui ratione excellentiæ, Deo autem competit excellentia singularis, quatenus est primum principium creationis, & gubernationis rerũ, & inquantùm omnia in infinitum transcendit secundùm omnimodum excessum, & ideo ei debetur specialis honor, sicut in rebus humanis videmus, quòd diuersis excellentijs personarum diuersus honor debetur, alius quidem Patri, alius Regi, & sic de alijs. Vnde manifestum est, quòd religio est specialis virtus.* Cum itaque satisfactio pro offensa non exhibeatur Deo ob dictam eius excellentiam, vt patet in innocente, qui cultum Deo tenetur exhibere, vt primo rerum principio, & supremo domino, nec tamen illi tenetur satisfacere, consequens est satisfactionem Deo pro peccatis oblatam longè diuersam esse ab actu religionis formaliter loquendo. Deinde actus religionis, vt oratio aut sacrificium, tàm antiquæ, quàm nouæ legis, vt ordinantur ad satisfaciendum Deo pro peccatis imperantur à pœnitentia, vt ait S. D. *in quarto d. 15. q. 4. a. 7. q. 1. ad 2.* Et eleemosina, vt ait idem S. D. *in 2. 2. q. 32. a. 1. ad 2.* vt ordinatur ad satisfaciendum pro culpa, non est actus religionis; ergò satisfactio non est actus religionis; alioquin omnis actus, vt satisfactorius, vel eliceretur, vel imperaretur à religione, & nõ à pœnitẽtia, quod est absurdum.

S. Thom. Nostra pro peccato satisfactiõ non elicitur aut imperari à iustitia commutatiua, vel à distributiua, aut legali, quæ est inter homines, nec esse actum vindicatiuæ sed virtutis excellentioris. *Quintò videnda* est doctrina D. Tho *infra q. 85. a. 1. & 2. Et in 4. d. 14. q. 1 a. 1. q. 3 & d. 15 q. 1. a. 1. & 2.* Vbi probat pœnitentiam, & satisfactionem esse actus specialis virtutis. *Et in dicta dist. 85. art. tertio ad tertium* ait pœnitentiam, & iustitiam vindicatiuam sub iustitia commutatiua contineri. Et *in 4. d. 15. q. 1. a. 2.* ait, pœnitentiam esse quodammodo speciem iustitiæ vindicatiuæ: quę tamen non ita accipienda sunt, vt actum pœnitentiæ & satisfactionis existimemus esse actus alicuius speciei propriè sub iustitia commutatiua cõprehensæ, aut pœnitentiam esse propriè speciem vindicatiuæ; id enim omninò falsum est. Habet enim pœnitentia suum obiectum ab his, & ab obiectis aliarum iustitiæ partium verè distinctum: in partibus enim iustitiæ subiectiuis, scilicet cõmutatiua, distributiua, & legali reperitur æqualitas perfecta, & perfecta ratio meriti: in quibusdam verò partibus iustitię potentialibus non est, nisi imperfecta ratio debiti, vt in amicitia, & vindicatione: in alijs verò, quamuis sit perfecta ratio debiti, vt in religione, pietate, gratitudine, & obseruantia, non est tamen in eis debitum contractum ex actione iniuriosa, sed ex beneficijs, aut excellentia alterius: in satisfactione autem nostra, quam Deo pro peccatis offerimus, non est æqualitas iustitiæ; per quod differt à partibus iustitiæ subiectiuis. Et quamuis in ea sit perfecta ratio debiti, qua differt ab alijs virtutibus adiunctis iustitiæ, scilicet amicitia & vindicatione, ea tamen ratio debiti non exurgit ex alterius excellentia, aut beneficijs ab illo receptis, sed ex actione iniuriosa, & offensiua illius, per quod distinguitur à religione, pietate, gratitudine, ac obseruantia, & alijs similibus. Igitur satisfactio nostra, nec ad omnes, nec ad vnam aliquam ex dictis iustitiæ partibus attinet, sed pars quædã est iustitiæ specialis à prædictis omnib' separata: & ideò in diuina Scriptura specialia quędã sunt de pœnitẽtia & satisfactione præcepta. Nam *Luc. 13.* dicitur. *Nisi pœnitentiam egeritis,* *Luc. 13.* *omnes simul peribitis:* Et impœnitentia, vt dicit propositum non pœnitendi de quocunque peccato, est speciale peccatum in Spiritum Sanctum, vt ait S. Th. *in 2. 2. q. 14. a. 2.* Ex quo sequitur nostræ satisfactionis actum pro peccatis in Deũ commissis non elici, aut imperari à iustitia commutatiua, vel à distributiua, aut à legali, quæ reperitur inter homines, & eadem ratione non esse actum iustitiæ vindicatiuæ: Et de iustitia quædam commutatiua, & distributiua patet ex dictis, quoniam hæ debitum exhibent ad æqualitatem, nec reconciliationem, & gratiam offensi postulant, aut propositum eum amplius non offendendi: nostra verò satisfactio, nec pro Dei offensa illi reddit æquale, & gratiam Dei supponit acceptantis illam, & summo modo concurrit ad eam conciliandam, nec vera potest esse satisfa-

ctio sine firmo proposito Deum amplius non offendendi. Præterea virtus, quæ respicit ius debitum Deo, longè excellentior est quàm virtus, quæ respicit ius debitum homini; at satisfactio virtus est, quæ respicit ius debitum Deo; igitur non est actus iustitiæ commutatiuè, aut distributiuæ, quæ respiciunt ius debitum homini, sed est actus virtutis excellentioris. Minor est euidens; maior autem probatur: quia gratitudo ad Deum, ob eius beneficia; & reuerentia ad illum, ob eius excellentiam, & fidelitas in obseruandis ijs, quæ Deo sunt promissa, sunt actus religionis, quæ virtus excellentior est, quàm gratitudo, obseruantia & fidelitas ad homines; quia scilicet respicit ius magis debitum; & in ordine ad personam excellentiorem quacumque persona creata. Denique iustitia commutatiua inter homines ex ratione sui obiecti formalis requirit commutationem in datis & acceptis in vtroque extremo, B

Aristot. vt ait Arist. *in 5. Ethic. cap. 4. & 5.* at inter nos & Deum nulla talis potest esse commutatio: dicitur enim *Rom. 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Quibus verbis planè significatur Deum nihil nō suum à nobis accipere; aliòquin Dominus non esset omnium; iustitia verò distributiua in homines respicit ius debitum, vt commune distribuendum inter multos secundùm proportionem,

S. Thom. Caiet. vt explicant S. D. & Caiet. *in 2.2. q 61. a. 1. & alibi*; at nostra satisfactio non respicit ius Dei, vt commune distribuendum inter multos, sed recompensationē intendit particularis offensę in Deum C commissæ. Quòd autem satisfactio nostra non sit actus iustitiæ legalis, ex eo patet, quod iustitia legalis per se primò tendit ad promotionem, & cōseruationem boni communis creati: sed nostra satisfactio recompensationem per se primò intendit offensæ in Deum commissæ cum alijs conditionibus ad iustitiam legalem minimè pertinentibus. Postremò satisfactionem nostram non esse actum iustitiæ vindicatiuæ; probatur: quia iustitia vindicatiua est in iudice, vt in exequente actum illius; & in persona offensa, vt in petente

S. Thom Caiet. à iudice actum illius, vt ait S. D. *infrà q. 85. art. 3. ad 3. Et in 4. d. 14. q. 1. a. 1.* Et Caiet. *2.2. q. 108. art. 1.* Et præterea per se primò respicit pœnam, nec intendit amicitiam offensi, nec eam supponit, nec D propositum exigit emendæ: satisfactio verò, quā offerimus Deo pro offensa in eum commissa, per se primò respicit offensam, & supponit amicitiam offensi, & emendationem postulat offendentis. Cū igitur ait S. D. satisfactionē offensæ elicitā à pœnitentia sub iustitia commutatiua contineri, non loquitur de continentia speciei sub proprio genere, sed partis potentialis sub suo toto, sic enim pœnitentia pars est iustitiæ commutatiuæ, quia maiorem habet cum ea, quàm cum alia parte iustitiæ similitudinem. Vel dicitur pœnitentia sub iustitia commutatiua contineri, non se- E

August. Isidorus cundùm se totam, sed ratione sui actus secundarij, qui est satisfacere ad æqualitatem pro pœnis temporalibus, quæ peccatis ex diuinæ iustitiæ determinatione debentur. Propter quam causam Sancti Augustinus & Isodorus pœnitentiam dicunt esse vindictam; talis verò satisfactio similitudinem quandam habet commutationis. Ex dictis sequitur satisfactionem nostram Deo pro peccatis oblatam esse actum pœnitentiæ, vt

S. Thom. latè probat S. D. & eius expositores *in materia de pœnitentia, & satisfactione.*

Sextò sciendum est, ad hoc, vt satisfactio sit actus iustitiæ, saltem imperfectæ, non esse necessarium, vt ille cui debetur teneatur eam acceptare; sed sufficit vt ex libera promissione vel pacto velit eam admittere, vt e. g. qui detrimentum ab altero passus est in honore, non tenetur ab altero acceptare recompensationem in pecunia: si tamen præmissa promissione vel pacto de hoc satisfactionis modo conueniant; erit hæc satisfactio actus iustitiæ, & hunc satisfactionis modum habent actus pœnitentiæ nostræ Deo pro peccatis in eum commissis oblati. Sed quoniam, vt ait Apostolus *ad Rom. 3. gratis à Deo iustificamur per gratiam eius.* Et Concilium Tridentinum *Sess. 6. c. 4.* definit satisfactionem non esse pro pœna æterna, sed simul cum peccato remitti per Sacramentum, vel votum illius: quibus non videntur ea, quæ huc vsque diximus, posse cohærere; quia, si ex iustitia Deo satisfacimus pro peccato, etiam ex iustitia tollitur offensa, & pœna, quæ consequitur ad illam; ergò non remittitur gratis, sed ex iustitia ob meritum pœnitentis, quod est hæreticum. Ideò necesse esset hic explicare, quomodo dicamur à Deo gratis iustificari, nisi commodior esset locus in quinta Controuersia, vbi de hominis satisfactione pro culpa sua in Deum commissa disseremus. *Rom. 3, Conc Trid.*

Christi satisfactionē esse actum iustitiæ specialis commutatiuæ specie differentis à iustitia nostra.

Septimò sciendum est, satisfactionem Christi propriè, & formaliter esse actum iustitiæ specialis commutatiuæ; quæ tamen non erat eiusdem speciei cum nostra commutatiua iustitia, sed longe sublimior, vt ostendemus inferius. Quòd autem sit actus iustitiæ specialis, probatur, primò, ex diuersis scripturis. Nam *Rom. 3.* dicitur: *Iustificati gratis per redemptionem quæ est in Christo Iesu ad ostensionem iustitiæ suæ, &c.* Quæ verba exponens Caietanus, ait Deum remisisse peccatum *Rom. 3. Caiet.* per sanguinem Christi, vt ostenderet se in peccati remissione seruare iustitiam, illud sola Christi satisfactione remittendo. igitur Christus satisfactionem offerendo iustitiæ actum exercuit. Deinde *1 Cor. 1.* dicitur. *Qui factus est nobis redemptio, & iustitia*: dicitur autem Christus factus esse nobis redemptio, quia nos ex iustitia redemit: dicitur verò factus nobis iustitia: quoniam ex *1. Cor. 1.* iustitia satisfecit. Tertiò *secundæ Cor. 5.* dicitur. *2. Cor. 5.* *Eū, qui nō nouerat peccatū, pro nobis peccatū fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in illo.* Quo loco Caiet. *Caiet. Psal. 68.* ait, nos effici iustitiam Dei in illo, cū satisfactio Christi cōmunicatur nobis de iustitia respectu Christi. Quartò produci possunt scripturæ testimonia, in quibus dicitur Christum nos redemisse, aut pro peccatis nostris pretium exoluisse, vt *in Psal. 68. ad Rom. 3. primæ Cor. 7 Hebræorum 9.* *Rom. 3. Apoc. 5.* *primæ Petri 1. & secundæ Petri 1. Et Apoc. 5.* Quoniam, vt ait S. D. *infra q. 48. a. 4.* Christi satisfactio pretium est, quo nos redemit à peccatis; iuxta illud *Daniel. 4 Peccata tua eleemosinis redime*, id est satisfac pro illis per eleemosinas. His addi possunt Sanctorum dicta. Nam Augustinus *lib. 13. de Trinit. cap. 13. & 14.* & Dionysius *cap. 3. de Cœlesti* *Augustin. Dionysius.* *Hier.* docent, Christi satisfactionem actum fuisse iustitiæ: redemptionem verò & pretium extitisse pro nostro debito docent Cyrillus Alex. *lib. 11. in Ioan. circa illa verba ca. 18. si me quæritis, &c.* Cy- *Cyrillus Alex.* rillus Hierosol. *Catech. 3.* Basilius *in Psalmo* *Cyrillus Hierosol.* *48.* Nazianzenus *oratione 2. in Pascha. Nissenus* *Basilius. Nazianz.* *oratione Cathechetica cap. 23.* Christi verò *Nissenus.* passionem fuisse debiti satisfactionem affir- *Irenæus* mant Irenæus *libro tertio cap. 20.* Hilarius *Hilarius.* *Can. 24. in Matth.* Bernardus *Epist. 190. &* *Bernard.* *194.* & alij. Ex quibus sic possumus argumentari: Solutio veri pretij pro nostra redemptione est actus iustitiæ specialis sed talis est satisfactio Christi: ergò. Maior patet; quia est ad alterum cum æqualitate. Minor etiam

patet

patet ex dictis scripturarum, & Sanctorum supra notatis. Quibus addi potest illud *ad Coloss. secundo. Dolens quod aduersus nos erat, Chirographum decreti, &c. illud tulit de medio affigens illud Cruci; expolians principatus, & potestates, &c.* Nam, si Christus deleuit tale Chirographum nobis aduersum, soluit pro nobis pretium debitum; verumobseruat ibi S. D. *lect. 3.* & Ambrosius *lib. 5. de Sacramentis cap. quarto* Chirographum debiti non deleri, nisi pretio iustè persoluto: nec admittenda est expositio Vasquezij *disp. 7. cap. 7.* dicentis, relata testimonia loqui de iustitia generali omnē virtutem in se complectente; quia Sancti Patres allegati scripturas interpretantur de iustitia speciali; ad quam propriè pertinet pretij solutio, & redemptio. Quod etiam ratione probatur; Quia iustitiæ specialis est æqualitatem constituere in datis & acceptis, & in recompensatione iniuriæ; at Christi satisfactio recompensationem facit æqualem offensæ Dei, vt in sequentibus ostendetur, ergo.

Colos. 3.

S. Thom. Ambros. Vasquez. expositio reijcitur.

A

B

Tertia Controversiae Pars.

An iustitia satisfactionis Christi fuerit commutatiua.

TOTA partis huius difficultas ex propria nascitur ratione iustitiæ commutatiuæ; nam *prima p. quæst. 21. a. 1.* negauimus eam Deo in ordine ad creaturas conuenire; & ob multarum conditionum defectum non videtur Christo in ordine ad Deum esse tribuenda. Omnes itaque ad actum iustitiæ commutatiuæ formaliter, & propriè dictæ conditiones necessarias proponemus, vt deinceps, num Christo & eius satisfactioni respectu Dei, & Deo respectu Christi & hominum possint congruere videamus. Sunt autem quinque. *Prima* est, vt sit ad alterum, id est ad distinctam personam. *Secunda* est æqualitas dati & accepti, *Tertia* est obligatio ex parte eius, qui reddit æquale. *Quarta* est vt actus æqualitatem constituens sit ex vera & propria iustitia. *Vltima* est, vt ille cui tribuendum est aliquid ex iustitia, ius habeat non solùm respectu rei ab eo recipiendæ, sed etiam respectu dantis.

C

Quæ sint iustitiæ commutatiuæ, formaliter, & propriè dictæ conditiones.

D

Et primam quidem conditionem iustitiæ conuenire probat *S. D. in 2. 2. q. 58. a. 2.* Qualis autem esse debeat distinctio personarum, vt in actibus alterius ad alterum sit vera iustitia, dicemus inferius. *Secundam autem* explicat latissimè S. D. *in eodem lib. q. 58. a. 10. & in tota q. 61. Tertiam* exprimit *in eodem libro q. 80. a. vnico,* & colligitur ex definitione iustitiæ, quam ex Iuristis refert, & examinat S. D. *vbi supra q. 58. a. 1.* videlicet *Iustitia est perpetua & constans voluntas, ius suum vnicuique tribuens.* Si namque ius habet alter in id, quòd ei tribuendum est, necesse est in altero nimirum in eo, cui dandi munus incumbit, obligationem esse tribuendi. *Quartam* ex eadem diffinitione colligit *ibidem* S. D. *Ad hoc enim* (inquit) *vt aliquis actus circa quamcunque materiam sit virtuosus, requiritur, quòd sit voluntarius, & quòd sit stabilis, & firmus, quia Philosophus in 2. Eth. c. 4. ait quòd ad virtutis actum requiritur primò quidem, quòd operetur sciens, secundò autem quòd eligens, & propter debitum finem; tertiò quòd immobiliter operetur.* Hæc ibi. Quibus addit *in fine corporis* diffinitionem hanc eâdem ferè esse cum ea, quam assignat Philosophus *in 3. Ethic. cap. primo* dicens; *Iustitia est habitus, secundum quem aliquis dicitur operatiuus secundum electionem.* Et in responsione ad tertium:

E

S. Thom.

S. Thom.

Ariſt.

Voluntas potest dici perpetua dupliciter: vno modo, ex parte ipsius actus, qui perpetuo durat, & sic solius Dei voluntas est perpetua: Alio modo ex parte obiecti, quia, scilicet aliquis vult perpetuò facere aliquid: & hoc requiritur ad rationem iustitiæ. Non enim sufficit ad rationem iustitiæ, quòd aliquis velit ad horam in aliquo negotio seruare iustitiam, quia vix inuenitur aliquis, qui velit in omnibus iniquè agere; sed requiritur, quòd homo habeat voluntatem perpetuò, & in omnibus iustitiam conseruandi. Ex quibus sic argumentor. Vt actus æqualitatem constituens (qui proprius est effectus iustitiæ) sit virtuosus, oportet, vt liberè & ex electione & propter debitum finem eliciatur, cum intentione scilicet æqualitatē constituēdi, & perpetuò ac in omnibus iustitiam conseruandi: sed tantùm talis actus est ex vera & propria iustitia, ergò. Maior est D. Thomæ, & Aristotelis. Minor probatur. Quoniam actus morales specificantur & distinguuntur ab inuicem ex proprijs ob ectis & finibus: constat autem proprium obiectum & finem iustitiæ esse perfectam æqualitatem, & medium rei constituere inter personas; ille igitur tantum actus est, ex vera & propria iustitia, qui per se primò siue ex primaria agentis voluntate & intentione dictam constituit æqualitatem. *Vltima* demum conditio patet ex diffinitione iustitiæ supra notata, & ex prima conditione; quia scilicet iustitia per se primò est ad alterum, id est ad distinctam personam, non autem ad rem, nisi quatenus ab altero possidetur. Et hæc conditio correlatiuè respondet tertiæ; quia iuri in vno respectu alterius existenti respondet in altero, vt correlatiuum obligatio.

Primam iustitiæ conditionem, vt scilicet sit ad alterū Christi satisfactioni conuenire, reiectis quibusdam recentiorum opinionibus.

1. Opinio.

SED IAM nunc *à prima* rursus inchoantes, *An satisfactiom Christi Domini congruat?* videamus. Postulat igitur actus iustitiæ primò, vt sit ad alterum, ideſt ad distinctam personam. Quomodo autem satisfactio Christi fuerit ad distinctam ab eo personam, variè doctores exponunt. *Quidam* enim asserunt, Christu non sibi, aut toti Trinitati, sed Deo Patri tantùm satisfeciſſe, idque satis perspicuè colligi putant, ex varijs Christi Domini locutionibus, omnia ad Patrem referentis, & ex alijs diuinæ scripturæ locis, ex quibus duo præcipua sunt. Primus *ad Ephes. secūdo. Per quem habemus accessum ad Patrem.* Secundus est *ex prima Io. 2. cap. Aduocatum habemus apud Patrem Christum Dominum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* His accedit authoritas Clementis Sexti *in decretali incipiente Vnigenitus* dicentis, Dei Filiū humanam assumpsisse naturam, vt haberet vnde lapsum hominem redimeret & pro illo Patri satisfaceret. *Sed hæc opinio* communi iam Doctorū calculo fuit explosa. Peccatum enim, vt ante diximus, est offensa diuinæ Maiestatis, & bonitatis, quæ peccantis auersione contemnitur ac pro nihilo ducitur; Maiestas autem & bonitas communia sunt tribus Sanctæ Trinitatis hypostasibus attributa: Deo itaque tribus personis communi, cuius fuit offensa Bonitas & Maiestas, Christi Domini satisfactio debebatur, ac proindè nō soli Patri, sed Filio etiam & Spiritui Sancto, qui cum Patre sunt vnus Deus, Christi satisfactio fuit oblata, quamuis Patri, vt primo personarum diuinarum principio dicatur per quandam appropriationem Christus sua passione pro peccatis humani generis satisfeciſſe, & eadem ratione per ipsum patere nobis accessum ad Patrem, & apud eum esse hominum aduocatum. Veritatem hanc tuentur, & probant Suarez *disp. 4. sect. 5.* Asturicensis *in allegata quæst. 5. pag. 278. & sequentibus*, Vasquez *disp. 8. c. 7.*

Clemens Sextus.

Refut.

Suarez. Asturicensis Vasquez.

Dicunt

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

2. Opinio. Dicunt igitur *alij*, quos refert Suarez, satisfactionem non tantùm Verbo, sed eius etiam humanitati tanquàm operanti vt quod, esse tribuendam; cum enim sit humanitas realiter à Verbo distincta, potuit secundùm eos inter ipsam, & Verbum actus iustitiæ proprius exerceri. Quam opinionem quo ad partem, quæ asserit humanitatem Christi esse principium quod, satisfactionis, approbat Vasquez. *disp. 8. c. 2. & 7.* quamuis hoc dicat non esse sufficiens ad verè, ac propriè dictæ iustitiæ rationem in Christo constituendam, sed dominiorum etiam distinctionem esse necessariam. *Quam* opinionem confutat Suarez *in allegata disp. 4. s. 5.* & Aluarez *disput. 5.* Et nos specialem de hac difficultate controuersiam instituemus.

Vasquez. Suarez. Aluarez. Asturicensis

Refutatur.

Duos alios dicendi modos refert, & confutat Asturicensis loco notato.

Vera sentētia. *Postremus* iam superest dicendi modus omniū optimus, à viris doctissimis communiter approbatus; Qui dicunt diuinum Verbum, quamquā secundùm se sit vnum simplicissimum suppositum, quatenus tamen in duabus subsistit naturis, humana scilicet & diuina, duplicis rationem habere suppositi, diuini scilicet & humani, atque ideò secundùm leges & conditiones iustitiæ propriè dictæ posse Verbum ea ratione, qua suppositum est humanum, satisfacere sibi ipsi considerato, quatenus est suppositum diuinum. Cum enim vera & propriè dicta iustitiæ operatio, putà satisfactio, distinctionem exigat necessario & per se duarum naturarum & voluntatum, inter quas exerceatur, nec duæ subsantiales naturæ vel duæ voluntates in vna possint subsistere creata persona, consequens sit (sed tamen quasi per accidens), vt satisfactio secundùm veram iustitiam, qua vnus hominum alteri satisfacit, realem distinctionem exigat personarum. Itaque si duæ naturæ fuerint vna sola personalitate subsistētes ac proprias distinctasque voluntates habentes, poterit vnum idemque suppositum cum vnitate reali duplicis induere personæ rationem, & prout in vna subsistit natura, & secundùm vnam agit voluntatem, sibi tanquàm alteri satisfacere, quatenus in alia subsistit natura & aliam habet voluntatem. Quemadmodum si tutori, qui vices & personam gerit pupilli, debeatur aliquid ex bonis pupilli, sibimetipsi, velut alteri creditori satisfacere potest. Neque tamen Albertino consentio dicenti, ad rationem iustitiæ propriè dictæ distinctionem moralem sufficere suppositorum in diuersis iuribus, & dominijs fundamentum habentem, vt patet in allato nunc tutoris exemplo. Sicut enim tutor duarum scilicet pupilli, & creditoris personarum rationem habens, non potest sibi aliquod iniustum facere; sic neque potest erga seipsum actionem aliquam exercere iustitiæ.

Albertin.

Obijcies. Nec verum est, quod idem ait, nimirum Prælatum, qui se ipsum infamat, vt priuata persona, cùm sibi tanquàm personæ publicæ famam restituit, operationem erga seipsum exercere iustitię, vt asserit idem Author *Coroll. 17. puncto 3. in prima difficultate. pag. 322.* Ratio autem, quam affert pro sua statuenda sententia, nihil valet; sic enim arguit: Ratio iustitiæ formaliter consistit in adæquando iure, quod est supra rem, vel actionem debitam; ergò, si in vna & eadem persona duo concurrunt dominia, potest eadem persona sibi satisfacere. *Respondetur* enim ius esse per se primò respectu personæ, consequenter autem respectu rei, & ideò, si persona realiter non distinguatur à persona, neque in se distinctionem habeat subA stantialem naturarum & voluntatum, nullum verè & propriè dictum ius esse poterit, & consequenter nulla secundùm veram iustitiæ formā fiet æqualitas, & ideò formaliter loquendo, falsum est antecedens. Et potest etiam negari consequentia; quia ius supra rem nequit adæquari, nisi respectu personæ, quam ius per se primo respicit & obligatione deuincit. Denique falsum est id quod in antecedente supponitur, videlicet duo eiusdem rationis dominia in eadem numero creata persona, moraliter tantùm in se ipsa distincta posse concurrere: vt enim ait S. D. *infra q. 35. a. 5.* vnitas relationis vel eius pluralitas non attenditur secundùm terminos, sed secundùm causam vel subiectum; & ideò filius eadem relaB tione refertur ad patrem & ad matrem, & eadem (inquit) est ratio de Magistro qui docet multos discipulos eandem doctrinam, & de domino qui gubernat diuersos subiectos eadem potestate. Constat autem eiusdem rationis esse causas dominij conuenientis Petro, quatenùs tutor est, & quatenus est talis persona; nam, quatenùs tutor est, personam gerit pupilli, qui postquàm fuerit sui iuris, eiusdem rationis habebit dominium in propria bona cum eo, quod conuenit Petro circa sua. Si verò causæ dominij specificam habuerint diuersitatem, diuersa quidem erunt eiusdem personæ dominia, sed hæc nequaquam sufficient, vt eadem persona ad seipsam iustitiæ C possit actus operari, nisi duas habuerit substantiales naturas essentialiter differentes, quibus duæ distinctæ realiter insint voluntates, vt etiā aduertit Asturicensis *loco supra notato pag. 285.* Verbum ergo diuinum in duplici natura subsistens, diuina scilicèt & humana, quatenus in humana subsistit, id est vt Deus homo, & vt suppositum humanum, Deo in tribus subsistenti suppositis, ac proinde etiam sibi ipsi, vt in diuina natura subsistenti secundùm vere ac propriè dictæ iustitiæ leges satisfecit.

Secunda, & tertia iustitiæ conditiones, scilicet æqualitatē dati, & accepti; & obligationē ex parte Christi eius satisfactioni minimè deesse.

SECVNDA *ad actum iustitiæ* constituendum D conditio necessaria est æqualitas dati & accepti: Quam Christi Domini satisfactioni minimè defuisse demonstrant ea quæ de eius valore diximus *in prima parte Controuersiæ*, adeò vt nil amplius addere sit necesse.

AD TERTIAM *itaque iustitiæ conditionem* trāseamus: Hæc autem est obligatio ex parte eius, qui reddit æquale. Quam non esse necessariam multi etiam ex discipulis D. Thom. contendunt. Suarez *in allegata. disp. 4. s. 5.* docet ad exercendum proprium actum iustitiæ non semper esse necessarium operari ex propria & rigorosa obligatione iustitiæ, sed interdum satis esse operari ad constituendum proprium ac verum medium iustitiæ intuitu ipsius iustitiæ & æquitatis, etiamsi absque obligatione fiat. Aluarez nouissimus E S. D. interpres ait, ad veram & perfectam iustitiam, quantum est ex parte debiti, sufficere vt ille qui satisfacit, vel pro quo fit satisfactio, teneatur ex debito satisfacere, & per satisfactionē reddat æquiualens.

Sed conditionem hanc ad operationem iustitiæ propriæ dictæ constituendam esse necessariā affirmat S. D. loco suprà notato; atque ideò si Christi satisfactio fuit operatio iustitiæ propriè sumptæ, ex ipsius Christi satisfacientis obligatione Deo fuit oblata.

Ad cuius euidentiam obseruandum est, personam Verbi dupliciter posse considerari: *Vno modo* ante assumptionem humanę naturę, per quam Deus homo factus est & caput omnium hominum: & secundùm hanc durationis differentiam dicendum

Solutio.

dum est, Verbum increatum non ex obligatione, sed ex infinita charitate & misericordia nostram assumpsisse naturam & caput hominum ac præsertim fidelium & eorum Redemptorem ac pro peccatis eorum satisfactorem fieri voluisse, & sanguinem ac vitam suam pretiosissimam Deo pro nobis à peccatorum sordibus & ab æternæ damnationis pœna liberandis obtulisse. *Oblatus est enim, quia ipse voluit*, vt dicitur *Isaiæ 53. Alio modo* potest considerari persona Verbi, postquàm per assumptionem humanitatis caput hominum est effecta, & homines eius membra, ita vt ex capite & membris vna consurgat persona mystica; propter quam vnitatem ea nonnunquam, quæ capitis sunt, membris, & quæ membrorum propria sunt, capiti tribuuntur, vt patet *in Psal. 21. & Isaiæ 53. Vere languores nostros ipse tulit, &c.* Cũ itaque genus humanum pro peccatis tàm originali, quàm actualibus satisfacere teneretur, nec vllius puri hominis satisfactio adæquare posset offensam, Filius Dei carnem assumens absque peccato caput hominum factus est, vt ex ipso veluti capite & hominibus tanquam membris vna mystica persona constitueretur, quæ per actiones capitis innocentissimi & infinitæ dignitatis, æqualem iam Deo posset satisfactionẽ pro peccatis humani generis exhibere. Quamuis itaque Dei filius neque ante neque post assumptam humanitatem absolutè consideratus satisfacere teneretur, quatenus tamen hominum caput est, & vna cum eis persona mystica, pro membrorum offensis satisfacere tenebatur. Caput enim vt caput, licet perfectam habeat sanitatem, hoc ipso quod caput est tenetur pro sanitate membris læguentibus acquirenda laborare. Et qui Dux de nouo exercitus constituitur, tenetur veluti caput pro illis etiam iniurijs & offensis satisfacere, quas finitimis vrbibus prouincijs aut Regnis exercitus intulit, antequam ipse ductor esset. Sicut etiam Princeps ex hoc ipso, quod capitis munus assumit, satisfacere pro sui regni & principatus tenetur iniurijs illatis alteri regno, vel principatui etiam antequàm ipse caput esset. Christus igitur hoc ipso, quod hominum caput effectus est, pro eis omnibus peccato languentibus satisfacere tenebatur; ac proindè hoc ipso, quod Dei Filius factus est homo, satisfactionis obligationem, ad quam genus hominum tenebatur, assumpsit, cui in ipso conceptionis instanti liberum præstitit humanæ voluntatis assensum; & ex eadem radice dicitur languores nostros & peccata portasse, & veluti leprosus apparuisse, & alia similia, quæ *in allegato capite, & alibi* prosequitur Isaias. Quo etiam pertinet dictum illud Christi Domini clamantis à Cœlo, *Saule Saule, quid me persequeris?* quę verba exponẽs Chrysost. ait: *Caput è Cœlo pro membris clamat*, &c.

Christi satisfactionẽ actũ fuisse iustitiæ commutatiuæ formaliter & propriè dictæ, altioris tamẽ rationis quam nostra.

Quarta *conditio ad actionem iustitiæ* requisita est, vt actus æqualitatem constituens sit ex vera & propria iustitia. Hanc non esse necessariam arbitrantur Suarez, Vasquez, & Asturicensis *locis supra notatis*. Sed hæc opinio parum aut nihil videtur habere probabilitatis. Ex diffinitione namque iustitiæ superius assignata & ex doctrina D. Thomæ & Aristotelis explicata, perspicuè patet actionem omnem, qua iustitiæ constituitur æqualitas, rationem & modum non habere virtutis, nisi cum intensione fiat æqualitatem constituendi: constat autem æqualitatem rebus aut actionibus ad alterum constituendam proprium esse iustitiæ finem, ad quem nulla alia virtus, nisi fuerit ex imperio iustitiæ mota, suas dirigit actiones. Oportet igitur omnem actum æqualitatem iustitiæ constituentem elici, aut imperari à virtute iustitiæ, ac proinde Christi satisfactionem, per quam inter Deum & hominem æqualitas constituitur, à virtute commutatiuæ iustitiæ elici aut imperari. His adde loca scripturæ clarissima, quæ Christi satisfactionem asserunt ad ostensionem iustitiæ Dei fuisse directam, aut eius valorem peccatorum offensam omnem adæquasse. Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine eius ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore, vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi.* & 1. Cor. 1. *Factus est nobis iustitia, & sanctificatio, & redemptio,* & Psal. 129. *Copiosa apud eum redemptio,* & 1 Cor. 1. *Empti estis pretio magno.* Verba autem Apostoli de Christi satisfactione esse intelligenda patet ex communi Sanctorum expositione, & præsertim S. Th. *in Commentarijs ad dicta loca. Et infra q. 48. a. 4.* Cũ itaque diuinæ scripturæ verba semper in sensu proprio sint accipienda, si nulla sequatur absurditas, iustitiæ nomen in dictis Apostoli verbis propriè sumendum est; nihil enim habet absurdi vel incongrui. Et Arist. *in 5. Ethic. c. 4.* agens de iure commutatiuo emendatiuo, quod circa actiones iniuriarum versatur, docet in eo tunc iustitiæ æqualitatem seruari, quando id, quod pro illata exhibetur iniuria est illi æquale; iam autem constat Christi satisfactionem æqualem ac superfluentem fuisse peccatis omnibus humani generis: cum igitur eam Christus, vt talem Deo pro nobis obtulerit, vt nos à peccatorum sordibus & ab æterna damnatione redimeret, consequens est eum esse actum excellentis iustitiæ cõmutatiuæ. Et confirmatur: Christi satisfactio debuit elici suauiter & connaturaliter ab vna aliqua speciali virtute multò magis, quàm actus satisfactionis aliorum hominum; hæc autem virtus alia esse non potest, quàm iustitia cõmutatiua, vt patet ex dictis; igitur ab illa debet elici. Antecedens probatur; quoniam ad Christi Domini dignitatem pertinet, vt ex eius gratia plenissima deriuentur virtutes supernaturales ad omnes animæ potentias perficiendas in ordine ad omnes actus honestos secundum proprias eorum rationes, quibus obiecta respiciunt: ex. g. ieiunium oratio & passio Christi actus erunt ex diuersis virtutibus, secundum diuersas eorum rationes & bonitates, veluti ex varijs fontibus procedentes: Oratio namque non solùm habebat bonitatem religionis, & ieiunium temperantiæ, & passio patientiæ; sed hi omnes actus bonitates etiam habebãt charitatis obedientiæ satisfactionis, &c. vt igitur suauiter & quasi connaturaliter elicerentur, necessariẽ fuerunt in Christo speciales illæ virtutes, ex quibus vt proprijs causis dependent actus illi secundùm singulas suarum bonitatum rationes; ita vt in Christo esset virtus Religionis, temperantiæ, patientiæ, iustitiæ commutatiuæ, obedientiæ, &c. Postremò probatur etiam ratione, quartam illam conditionem Christi Domini satisfactioni non defuisse. Satisfactio Christi vel fuit elicita, aut imperata à virtute pœnitentiæ, vel à religione, vel à charitate, vel non ab vna tantùm virtute sed à pluribus iuxta plures ad eius integritatem & perfectionem actus concurrentes, vel à iustitia propriè dicta: sed non à virtute pœnitentiæ, neque &c. ergo à virtute iustitię propriè sumptę. Prima propositio patet ex sufficienti enumeratione principiorum satisfactionis Christi iuxta totidem Tgeologorum opiniones communiter hic

ab expo-

ab expoſitoribus relatas. Secunda verò, quo ad singulas eius partes probatur. Et primò Christi ſatisfactionem non fuiſſe à virtute pœnitentiæ elicitam, aut imperatam: quoniam, vt ait S. D. *infra q. 84. a. 7. ad 4.* in Christo nulla potuit eſſe virtus pœnitentiæ, ſicut nec vllum in eo potuit eſſe peccatum proprium, quod ſolùm eſt materia pœnitentiæ. Secundò probatur idem de virtute religionis; quia virtus religionis non habet Deum pro obiecto, quatenus eſt offenſus ab homine, neque vt ab eodem eſt ei debita & offerenda ſatisfactio, ſed quatenus primum principium eſt creationis & gubernationis rerum, cui ſumma debetur reuerentia & honor ac ſeruitus ob eius maximam excellentiam, qua cætera omnia tranſcendit in infinitum, vt ait S. D. *in 2. 2. q. 81 a. 3 & 4.* Eodem etiam medio probatur, Christi ſatisfactionem non fuiſſe elicitam aut proximè imperatam à charite; nam charitatis, obiectũ eſt Deus, quatenus in ſe ipſo bonus eſt, non verò quatenus eſt offenſus ab homine, & prout eius eſt ſatisfactione placandus. Quòd autem à pluribus virtutibus non ſit elicita, probatur: quia plurium virtutum actus nequeunt in vnum finem alicui virtuti proprium ordinari, niſi per eius virtutis directionem & imperium, quæ propriè ac per ſe primò reſpicit illum finem: at virtus, cuius proprius finis eſt illatam iniuriam ſatisfactionis æqualitate recompenſare, iuſtitia eſt cõmutatiua; igitur actus omnes humilitatis, temperantiæ, patientiæ, religionis, &c. ex quibus veluti partibus vna reſultauit integra Christi ſatisfactio, ex imperio commutatiuæ iuſtitiæ dependebant, & in hunc finem ab ea dirigebantur.

S. Thom. Prima propoſitio patet ex Doctrina D. Th. *in 2. 2. q. 3. a. 1. & q. 58. a. 5. & q. 81. a. 1. ad 1.* Secunda euidens eſt, & patet ex diffinitione iuſtitiæ ſuperius explicata.

VLTIMA *demum conditio* infertur euidenter ex quarta; atque ideò eadem probatione, qua Christi ſatisfactioni quartam ineſſe probauimus, eſt contenta. *Sciendum tamen* eſt, quòd licèt in Christo fuerit vera cõmutatiua iuſtitia propriè, & formaliter dicta, non erat tamen eiuſdem ſpecificæ rationis cum noſtra, ſed longè ſublimior: quòd probatur *primò*: quia vnitas & diuerſitas habituum ex actibus & actuum ex obiectis eſt accipienda; at obiectum iuſtitiæ Christi commutatiuæ longè altioris ordinis eſt, quàm obiectum iuſtitiæ noſtræ; ergò. Maior patet. Minor probatur: qui obiectũ noſtrę iuſtitiæ cõmutatiuę eſt actio humana conſtituens æqualitatem inter hominem & hominem, vt habetur ex Ariſt. *in 5. Ethic. c. 2.* at obiectum iuſtitiæ Christi commutatiuæ eſt operatio. Theandrica, id eſt Dei virilis, vt conſtituens æqualitatem inter Deum offenſum & humanum genus offendens; ſic enim vt Dei virilis, per ſe & intrinſecè valorem habet infinitum, qua culpę in Deũ cõmiſſæ infinitatẽ adæquat, quod nullius puri hominis actioni poteſt conuenire, vt latè ſupra probauimus. *Secũdò* probatur idem dictum: quoniam vbi ſunt diuerſarum rationum excellentiæ earum perſonarum, quibus aliquod ius eſt debitum, diuerſæ ſunt per ſe differentiæ debiti, vt debitum eſt: ac proinde virtutes, quæ diuerſas has debiti differentias reſpiciunt, neceſſe eſt ſpecie diſtingui. Cum itaque iuſtitia Christi reſpiciat debitum Deo, cuius excellentia ſupereminet omni creaturæ; iuſtitia verò hominis reſpiciat debitum homini, ſequitur Chriſti iuſtitiam commutatiuam ab hominis iuſtitia commutatiua ſpecie diſtingui: Antecedens eſt D. Tho. *in 2. 2. q. 101. a. 1.* Vbi probat, pietatem ab alijs iuſtitiæ partibus ſpecie diſtingui: quoniam (inquit S. Th.) *Homo efficitur diuerſimodè alijs debitor ſecundùm eorum diuerſam excellentiam, & diuerſa beneficia ab eis ſuſcepta; in vtroque autem Deus ſummum obtinet locum, qui & excellentiſſimus eſt, & eſt nobis eſſendi, & gubernandi primum principium: ſecundariò verò noſtri eſſe, & gubernationis principia ſunt parentes & Patria, à quibus, & in qua nati, & nutriti ſumus; & ideò poſt Deum eſt homo maximè debitor parentibus & Patriæ. Vnde ſicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita ſecundario gradu ad pietatem pertinet exhibere cultũ parentibus & Patriæ*, &c. & *in art. 3. eiuſdem quæſt. ad ſecundum* ait: quia Deus excellentiori modo eſt principium eſſendi & gubernationis, quàm Pater vel Patria: ideò virtutem religionis, quæ cultum exhibet Deo, eſſe diuerſum à pietate, quę cultum exhibet parentibus & Patriæ. Et *in q. 102. a. 1.* ex eodem principio diſtinguit obſeruantiã à religione, & pietate, & *q. 104. a. 2. ad 4.* docet eodem modo diſtinguendas eſſe diuerſas ſpecies reuerentiæ: qua etiam ratione Caietanus ibi diſtinguit obedientiam reſpectu Dei, & reſpectu hominis. *Poſtremò* probatur illud dictum; quia iuſtitia Christi commutatiua ad ordinem pertinet hypoſtaticum, & ſoli poteſt hypoſtaſi diuinæ in aſſumpta natura conuenire: noſtra verò iuſtitia commutatiua ad ordinem pertinet naturæ, vel gratiæ; igitur pluſquàm ſpecie differunt, & in vna tantùm analoga ratione formali conueniunt.

Caiet.

QVARTA CONTROVERSIAE PARS.

Quem Iuſtitiæ modum habuerit Christi ſatisfactio: An ſcilicet fuerit ſecundùm omnem rigorem iuſtitiæ.

MEdina *ſuper hoc articulo*, & Bannes *prima ſecundæ q. 21.* quibus conſentit Albertinus *in allegato Corollario 17. pag. 323.* Quæſtionem hanc exiſtimant à præcedente non diſtingui dicentes, eam omnem ſatisfactionem, quæ eſt ex iuſtitia, eſſe etiam de toto rigore iuſtitiæ. *Status controuerſiæ.*

Sed duas has quæſtiones eſſe ſpecie diſtinctas docent alij ferè omnes S. D. expoſitores & Theologi. Ad cuius euidentiam ſcito, *ſatisfactionem dupliciter dici poſſe rigoroſam: Vno modo* antecedenter & concomitanter, quæ ſcilicet nullam admittit gratiam offenſi factam ſatisfacienti: *Alio modo* concomitanter tantùm, quia ſcilicet ſecundùm ſe eſt æqualis offenſæ: adeò vt ille, cui debetur, non poſſit de iuſtitia maiorem exigere, quamuis non teneatur eam acceptare, niſi ex antecedenti gratuita voluntate decreuiſſet eam acceptare, ſicut euenit in alijs contractibus. Nam ſi quis ſeruũ bello iuſto captũ iuſto pretio, puta cẽtũ aureorũ vendiderit, dicitur illũ vendidiſſe ſecundùm iuſtitiam rigoroſam concomitanter, non autem antecedenter, quia nulla lege, iuſtitiauè tenebatur illum vendere, ſuppoſita tamen libera voluntatis determinatione aut pacto vendendi, non poteſt maius ab emptore pretium exigere. Sed prætereà *diſtingunt* recentiores *ſatisfactionem priori modo rigoroſam* in duas, quarum *altera* eas omnes habeat conditiones, quæ tam ex parte ſatisfacientis, quàm ex parte ipſius ſatisfactionis ſunt neceſſariæ, vt adæquet, aut etiam excedat offenſam, ita vt ſi creditor iniuriam vellet aliqua ſatisfactione compenſare, ſolam hanc iuſtè poſſet exigere. Tres verò præcipuè ſolent numerari cõditiones rigoroſæ ſatisfactionis hoc

Duplicitur dicitur rigoroſa ſatisfactio.

Ariſtot.

S. Thom.

modo

modo sumptæ: *prima* est, vt non sit ex gratia & liberalitate creditoris: *secunda*, vt sit ex proprijs non autem ex bonis eius, cui fit satisfactio: tertia, vt non sit ex per se debitis alio titulo creditori: & secundùm hunc sensum, certum est quæstionem hanc à præcedenti non esse differentem, vt etiam dicenda declarabunt. *Altera* est, quæ præter conditiones iam dictas hanc etiam habet, vt satisfactio illi, cui debebatur, oblata illum ad eam acceptandam obliget; quia scilicet condignam ei pro offensa satisfactionem oblatam acceptare tenebatur. Quam conditionem negant prioris sententiæ defensores ad perfectam & rigorosam satisfactionem esse necessariam: cuius oppositum alij plures tuentur, vt probabilius. Nobis via quędam ac modus dicendi medius inferius explicandus magis arridet.

Ad satisfactionem cõ comitanter solùm rigorosam non esse necessarias duas illas primas conditiones, videlicet, vt satisfactio non fit ex gratia creditoris, neque ex bonis eius, sed ex propriis satisfacientis.

PRIVS *autem de ea satisfactione, quæ non antecedenter, sed solùm concomitanter est rigorosa, dicẽdum est.* hæc enim, sicut humanis actibus, est cõmunior, sic etiam est intellectu facilior. Ad hũc autem rigorosæ satisfactionis modum, non omnes, sed vna tantùm, scilicet tertia ex prædictis conditionibus videtur absolutè necessaria. *Erat autem prima conditio*, vt satisfactio non sit ex gratia & liberalitate creditoris, quam conditionem, vt iacet, huic modo rigorosæ satisfactionis non esse necessariam *probatur primò*: quia quæ gratis à Deo donantur, non minus transeunt in dominium satisfacientis, quàm si non essent illi à Deo donata, sed aliũde habita. At, si aliunde ea satisfactor habuisset, sufficientem haberent valorem ad iniuriam condigne compensandam; ergò eandem habent dignitatem, licèt habeantur ex antecedenti & gratuita Dei donatione; quoniam ex Dei donatione nihil de eorum valore minuitur. *Et confirmatur* ac explicatur exemplo. Nam, si decem aureos mercator Petro donauerit, poterit Petrus ab illo pallium emere iusto pretio; ergò etiam si eidem mercatori pro iniuria sit à Petro satisfactio in pecunia facienda, poterit ei iustè & condignè satisfacere per pecuniam gratis ab eo receptam: probatur illatio; quia non minus requiritur dominium pretij quo pallium emitur, quàm dominium pecuniæ qua satisfit offensæ: At dominium pretij seu pecuniæ gratis & absque respectu ad cõtractum emptionis à mercatore donatæ sufficit ad contractum emptionis palij ineundum cum eodem mercatore secundùm rigorosam iustitiæ æqualitatem; ergò idem dominium sufficiet vt illius oblatione pecuniæ iustè & rigorosè compensetur offensa. *Secundò probatur* primam illam conditionem, sic absolutè sumptam, non esse necessariam. Quia quicunque Deo debet aliquid ex voto, aut ex alio præcepto religionis, non potest illud Deo reddere, nisi ex ijs, quæ gratis à Deo recepit, & tamen in hac satisfactione perfecta reperitur æqualitas; ergò, quòd homo pro offensa Deo satisfaciat, ex gratia charitate & alijs gratis ab eo receptis, nihil prorsus de satisfactionis æqualitate diminuit. probatur consequentia: quoniã vtrobiq; seruari debet æqualitas rei ad rem, licèt obligatio ex diuersis radicibus seu titulis oriatur, scilicet voto præcepto vel offensa. Antecedens verò probatur; quia Iacob. *Gen. 28. votum vouit dicens. Si fuerit Dominus mecum, &c. cunctorum, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Certum est autem Iacob votũ hoc ad æqualitatem fuisse seruaturum, & actu seruasse decimas offerendo ex his, quæ gratis fuerat accepturus, & actu postea recepit à Deo. Et Populus Israel ex diuino præcepto ad religionem pertinente tenebatur Deo decimas & primitias offerre; quod tamen ad æqualitatem seruabat ex acceptis à Deo gratis hæc offerendo. vnde *Deut. 26.* offerenti primitias hæc verborum forma præscribitur. *Profiteor hodie coram Domino, &c. & idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi. Tertiò probatur* idem: quia perfectio & æqualitas ac ratio iustitiæ & rigorosæ satisfactionis pro peccato veniali, & pro pœna temporali ex peccato relicta non tollitur aut minuitur ex hoc, quod est ex acceptis à Deo gratis; ergo neque ex hoc tollitur aut minuitur ratio rigorosæ satisfactionis pro peccato mortali. Antecedens probatur quia satisfactio pro veniali, & pro pœna temporali non fit ad æqualitatem, nisi mediante gratia gratis accepta. Consequentia verò probatur: quoniam ideò gratis accepisse principium satisfactionis non tollit ab eo condignitatem & æqualitatem iustitiæ, quia gratia & iustitia attenduntur hic secundùm diuersa. Gratia namque gratis à Deo recipitur, præmium verò de iustitia datur pro merito ex gratia procedente, & remissio venialis & pœnæ temporalis datur secũdùm æqualitatẽ iustitiæ pro satisfactione ex gratia procedẽte. At verò etiam si pœnitentia, qua satisfacimus pro culpa mortali detur gratis; tamen gratia & iustitia satisfactionis sunt respectu diuersorum: quia gratia est, quod gratis nobis à Deo confertur gratia & satisfactio; iustitia verò, quod pro satisfactione remittitur offensa, &c. *Quartò probatur*; quia per Indulgentias satisfacimus ad æqualitatem pro pœnis Purgatorij, & tamen in eis gratis applicatur nobis satisfactio Christi & Sanctorum, per quam pœnas nobis debitas recompensamus ad æqualitatem. *Quintò probatur idem*; quia nos vt membra Christi Deo satisfacimus de rigore iustitiæ pro peccato, quatenus est offensa Dei, & tamen hæc satisfactio est ex magna gratia, qua scilicet gratis, vt viua membra Christo capiti ad vnius corporis integritatem copulamur, &c. *Sextò* probatur, quoniam ad æqualitatem satisfactionis pro iniuria, satis est vt actus, qui in satisfactionem exhibetur offenso, liberè eliciatur & offeratur ab eo in honorem offensi, licèt etiam offensus illius actus dominium habeat. Differunt enim restitutio & satisfactio, quia illa versatur in rebus acceptis, in quibus debitor intẽdit læsam æqualitatem resarcire, & ideò fieri non potest ad æqualitatem per res, quæ sunt illius cui fit restitutio; sic enim facta restitutione nihil recipit eius, quod ante restitutionem illi debebatur; ac proinde remanet inæqualitas: hæc verò, scilicet satisfactio, in exhibitione versatur honoris, quæ per actionem liberam fieri potest, quamuis illa sit sub dominio Dei. Quemadmodũ enim per peccatum, quatenus eius actus sub domino est voluntatis humanæ, Deus offenditur, licèt sit etiam sub dominio Dei, prout entitas quædam est à Deo creata, ita è contra Christi satisfactio, quamuis esset sub dominio Dei, quatenus tamen liberè offerebatur à Christo, cedebat in gloriam Dei, & ideò perfectam habebat iustitiæ æqualitatem, & hæc est doctrina D. Th. *in 4. d. 15. q. 1. a. 2. ad 2. & ad Anibaldum ibidem art. 1. ad 2. Vltimo probatur* à simili in merito, ad quod non requiritur, vt actus, quos offerimus Deo sub eius dominio non contineantur, sed satis est vt titulo veræ ac propriæ libertatis nostri sint, licèt sit etiam Deus eorum Dominus.

Secunda conditio erat, vt satisfactio fiat ex bonis proprijs ipsius satisfacientis, non autem ex bonis eius, cui fit satisfactio, aut quæ ex illo valorem habent & dignitatem: Hanc verò

conditionem (vt iacet) ad iustitiam concomitanter tantùm rigorosam non esse necessariam. *Probatur primò*: Quia satisfactio Christi fuit perfectissimè rigorosa, & tamen fuit ex bonis, quæ erant sub dominio Dei. *Secundò*, quia satisfactio non ad hoc ordinatur, vt offensum constituat in dominio vel possessione illius actionis aut entitatis, quæ est satisfactio, sed eius finis est ablatum honorem offenso restituere, & hoc optimè fieri potest per actionem sub offensi dominio comprehensam; ergò. Maior probatur. Nam, qui pro conuicio in alterum dicto per verba satisfacit, non ad hoc verba profert, aut proferre debet, vt, cum ei satisfacit, in dominio vel possessione cõstituat suæ locutionis, qua retractat conuitium, vel alicuius entitatis, quæ fuerit per conuitium à Deo sublata, sed per retractationem subiectionem & veniæ petitionem plenè, & ad æqualitatem iustitiæ satisfacit, cum tamen actiones istæ non transeant in offensi dominium, sed maneant sub dominio satisfacientis: Quoniam, vt ait Philosophus *honor est in honorante*. & sicut Deum per peccatum inhonoramus, cuius tamen peccati entitas non subtrahitur à dominio Dei: ita è contra fieri potest satisfactio per actiones sub offensi dominio comprehensas. Minor verò probatur; quoniam honor Deo redditur per satisfactionem, puta pœnitentiam, non prout est à Deo, tanquam prima causa, sed vt est ab homine, tanquàm à causa proxima. At per hoc, quod Deo redditur honor per actum pœnitentiæ liberum, satisfit illi pro offensa; ergò satisfactio, quæ in iniuriæ compensatione & honoris restitutione consistit, optimè fieri potest per actionem sub offensi dominio comprehensam. Maior huius argumenti probatur; quia, licèt Deus omnem illius actionis entitatem & rationem efficiat, vt prima causa, non tamen ea actione Deus honorat aut satisfacit; quoniam actio illa rationem habet honorandi & satisfaciendi, prout exit à proxima causa, sicut etiam Deus, quamuis vt prima causa producat omnem entitatem & rationem meriti, comestionis & ambulationis, non tamen meretur, comedit aut ambulat; quia rationes seu denominationes istæ formales actui conueniunt tantùm, vt est causa proxima; homo enim per hoc Deo satisfacit, quòd illi per actum pœnitẽtiæ se subijcit in recompensationem offensæ secundùm æqualitatem iustitiæ; igitur actus pœnitentiæ satisfactorius est pro peccato ea tantùm ratione, qua liberè producitur à satisfaciente, non autem qua ratione sub Dei dominio comprehenditur, sicut etiam per actionem supernaturalem, cuius supremum dominium habet Deus satisfit illi pro culpa veniali & pro pœna temporali, &c.

Igitur absolutè loquendo dicendum est duas prædictas conditiones non esse necessarias ad eũ rigorosæ iustitiæ modum, de quo nunc loquimur, si tamen vtraque limitetur, erit vtraque huic satisfactionis modo necessaria; Et prima quidem dicens satisfactionem non debere esse ex gratia & liberalitate creditoris, ita debet intelligi, vt scilicet satisfactio de se minimè sufficiens, sed inæqualis offensæ non acceptetur ab offenso, tanquam sufficiens, tunc enim non erit condigna secundũ se: sed ita accipienda est prima conditio, vt satisfactio nõ fiat per id, quod gratis acceptum est, vt fiat illa satisfactio, quamuis fiat per id, quod satisfaciens operatur in virtute beneficij gratis accepti, vel etiam per id, quod gratis acceptum est sine ordine ad satisfactionem. Secunda verò conditio, vt huic modo iustitiæ sit necessaria, debet intelligi absque præcisione, siuè exclusione alieni dominij etiam illius, cui debet fieri satisfactio, ita, vt sensus sit: satisfactio debet esse ex proprijs id est ex ijs, quæ sunt sub dominio satisfacientis, licèt eadem bona sub eius dominio contineantur, cui debita est satisfactio: sic eam explicant Capreolus *loco supra notato*, & Asturicensis, *pagina 366*. & ratione probatur eius prima pars; quia, si non fieret satisfactio ex bonis satisfacientis, sed alterius, nulla pro offensa fieret æqualitas; quia verè, & propriè nihil ad eius recompensationem exhiberet; nullus enim dare potest, quod suum non est. Secunda verò pars probatur; quia sicut vniuersalis & prima Dei causalitas non tollit efficientiam in secũdis causis, sed eam causat & perficit, sic vniuersale dominium Dei in eius vniuersali causalitate fundatum, non tollit huius hominis particulare dominium.

Nunc de tertia conditione dicendum est, quam huic modo rigorosæ iustitiæ diximus esse necessariam, ea verò est vt satisfactio non fiat ex per se debitis creditori alio titulo iustitiæ particularis. Ad cuius euidentiam duæ particulæ sunt explicandæ. Prior est illa: *ex per se debitis alio titulo iustitiæ*; quæ ideò apposita est; quia potest etiam alijs iustitiæ titulis, quàm ex offensa esse debita satisfactio, non per se & ex obiecto, sed accidentaliter & imperatiuè, vt si quis debeat satisfactionẽ, vt quatuor, & iuret aut voueat, vel etiam ex speciali præcepto obligetur ad eam exhibendam, per hæc enim nõ efficitur per se debita satisfactio ex obediẽtia, & ex religione, cuius actus sunt iuramentũ & votum, sed accidentaliter tantùm & imperatiuè; quia prædicti tituli iustitiæ respiciunt eandem numero satisfactionem, supponentes obligationem ex offensione deriuatam, nec per se, & absolutè tendunt ad obligationem imponendã satisfactioni: cuius signum est, quòd non existente prima illa obligatione & offensione contracta nullum de tali satisfactione fieret iuramentum aut votum; sed ad prioris obligationis firmitatem, & ad promptioris solutionis effectum solent adiungi; ac proindè exhibendo satisfactionem, vt quatuor plenè & condignè satisfit non solùm primæ, sed alijs etiam accidentaliter additis obligationibus ad religionem & obedientiam pertinentibus. Altera particula est, *Iustitia particularis*, quæ ideò ponitur; quia, si eadem satisfactio debita fuerit ex iustitia legali supernaturali ordinante illam ad commune bonũ, per eandem vtrique satisfit obligationi. Primò quia iustitia legalis priorem supponit obligationem, & ideò accidentaliter illi superuenit. Secundò quia iustitia legalis, cum sit vniuersalis potest per imperium ferri in materias omnium virtutum: & simile ferè est obedientia, cuius ratio materialiter saltẽ inuenitur in omni virtutis actu sub præcepto cadẽte. *Quibus præmissis probatur dictã conditionem esse necessariam*: Primò quia satisfactionis æqualitas exigit, vt quod in recompensationem offensæ redditur illam adæquet, at si id quod per satisfactionem exhibetur offenso detur etiam pro aliquo alio, quod per se debitum est alio titulo iustitiæ particularis, non redditur ad æqualitatẽ offensę, nisi tantũ superexcedat offensam, quantùm redditur pro alio debito ex iustitia particulari; ergò. Declaratur secunda propositio. Nam, si offensa fuerit vt duo, & satisfactio fuerit vt quatuor, per duos satisfactionis gradus recompensabitur offensa ad æqualitatem, & secundum alios duos gradus valoris poterit alteri debitoex

Satisfactionem prædicto modo rigorosam necessario particulare, vt non fiat ex per se debitis creditori alio titulo iustitiæ particularis non tamen vt obligei, &c.

iusti-

iustitia vt duo satisfieri ad æqualitatem; si verò satisfactio valorem solùm habeat æqualem offensæ, & exhibeatur etiam pro alio debito ex iustitia particulari, quantùm redditur, pro illo alio debito, tantùm detrahitur recompensationi faciendæ pro offensa; atque ideo non poterit illam adæquare. Secundò probatur idem exemplis. Nam si Ecclesiæ debeo centum ex voto, & centum ex locatione seu conductione agrorum, & centum ex mutuo, & alia centum ex decimis, non satisfacio ad æqualitatem iustitiæ, si centum tantùm illi reddidero. Nam plures illi iustitiæ tituli multiplicant & augent debitum; adeò vt totum debitum simul acceptum sit quatercentum; igitur soluendo centũ non satisfacio ad æqualitatẽ; cum illi debeãtur adhuc trecẽtũ, &c.

Quarta verò conditio, nimirùm vt satisfactio condigna, & æqualis secundùm dictum iustitiæ rigorem illi, cui debetur oblata, illum obliget sine nouo pacto ad eam acceptandam, non est absolutè loquendo necessaria. Primo: quia satisfactio, quam nunc offerunt Deo iustificati pro pœnis temporalibus debitis peccato remisso, est æqualis & rigorosa modo prædicto, & tamen Deus absque addito pacto & promissione, quod esset ea contentus, illam acceptare non tenebatur, sed poterat aliam aut alias pro libito suæ voluntatis exigere absque vlla læsione iustitiæ. Si namque verum est, quod doctissimi quidem affirmant, vz pœnas Purgatorij per se primò peccatorum nostrorum satisfactioni fuisse deputatas, sed per Dei misericordiam in pœnas præsentis vitæ ijs, qui eas subire voluerint, commutari, patet non teneri Deum ad acceptandas pro satisfactione peccatorum huius nostræ vitæ pœnas & ieiunia, peregrinationes, &c. Quemadmodum si quis abstulerit alteri honorem aut equum; & pecuniam offerat secundùm moralem æstimationem æqualem honori vel equo, quem potest in propria specie restituere, non tenetur ille, qui læsus est, eam acceptare, quamuis satisfactio sit moraliter æqualis offensæ; si tamen libere consentiat, vt honor aut equus pecunia recompensetur, iustitiæ constituetur æqualitas & erit satisfactio iustitiæ rigorosæ modo dicto, licèt ea recompensatio gratis acceptetur; quoniam illa gratia, nihil de recompensationis æqualitate diminuit, sed propriam huius satisfactionis materiam in aliam mutat eiusdem æstimationis & valoris: sicut etiam Deus præcisa promissione vel pacto non tenetur vnius iusti satisfactionem acceptare pro alio, cui pœnæ debentur temporales; at supposita Dei promissione vel pacto potest vnus pro pœnis temporalibus alteri debitis ad æqualitatem iustitiæ satisfacere, & similiter qui iure belli captum habet seruum, non tenetur à volente illum redimere pretium acceptare, si tamen illud acceptet, vendere volens seruum, erit condigna & iusta recompensatio & satisfiet iniuriæ, quam captiuus ille intulerat communitati, contra quam pugnabat, quæ suum ius in eum transtulit, qui hominem iusto bello captum in seruitutem redegit, &c.

Satisfactionẽ perfectè rigorosam, quæ fit inter hominẽ & hominẽ, non exigere actualẽ acceptationẽ offensi, nisi quando fit in alia specie

IAM VERO *de secundo rigorosæ satisfactionis modò differendum est.* Et quoniam huiusmodi satisfactio multiplex est: quædam enim fit homini, & quædam fit Deo, & hæc duplex est, nam quædam fit ab homine puro, & quædam fit à Christo Deo simul & homine: de singulis in ordine ad dictas conditiones agendum est.

Et prima quidem satisfactio, quæ fit homini ab homine, vt rigorosa sit antecedenter & concomitanter, non exigit actualem acceptationem offensi, nisi quando satisfactio fit in alia specie ab ea, quæ debetur. *Primam huius dicti partem* tenent Vega *lib. 7. in Concil. Trid. c. 9.* Medina *Cod. de pœnit. T. 3. q. 1.* & Vasquez *disp. 9.* & probatur *primò.* Quia, si quis Petro inscio vel mortuo honorem abstulerit, potest illum ad æqualitatem resarcire, vt per se notum est; hæc enim erit satisfactio rigorosa, qua maiorem non potest Petrus exigere, & tamen fit nulla eius formali acceptatione interueniente. *Secundò* probatur: quoniam hoc interest inter iustitiam & alias virtutes morales; quod illius finis est medium rei, quod est inuariabile; nec attenditur per ordinem ad subiectum vel ad aliud extremum: harum autem intentio fertur ad medium rationis, quod est variabile secundùm subiecti dispositiones; & ideò, si Petrus debeat decem Ioanni & ea restituat, facit actum iustitiæ ad æqualitatem, quomodocũq; disponatur, aut secũdũ iustitiã & affectum vel alias dispositiones immutetur Ioannes siuè sciat siuè nesciat, siuè acceptet siuè non acceptet, sed satis est actus iustitiæ medium habens rei, quod est penitus inuariabile; igitur eo seruato erit satisfactio Petri secundùm æqualitatem iustitiæ rigorosæ, quomodocunque sit Ioannes affectus. *Tertiò* probatur; quoniam acceptatio non tribuit valorem satisfactioni, per quam adæquet offensam; ergò, si post acceptionem est æqualis, eandem, antequam acceptetur, habebit æqualitatem. Ea confirmatur; quia nullus bonus Theologus hominem, qui satisfactionem obtulit æqualem iniuriæ in materia debita, quam offensus renuit acceptare, ad vlteriorem satisfactionem obligabit; deberet autem obligari, si condigna non fuisset illius hominis satisfactio; igitur eius condignitas ex acceptatione læsi non pendet, &c. *Et ex his sequitur secunda eiusdem dicti pars*, videlicet, huic rigorosæ satisfactioni non esse necessarium, vt offensus eam acceptare teneatur, sed satis esse, vt non possit aliam maiorem exigere: quemadmodum etiam rigorosa emptionis & venditionis æqualitas non requirit, vt emptor aut venditor ex iustitia emere aut vẽdere teneatur; sed satis est vt in contractu perfecta seruetur æqualitas. *Tertia demum eiusdem dicti pars* probatur; quia satisfactio, quæ est in vna re debita, si fiat in alia, quæ sit etiam secundum moralem æstimationem æqualis, non constituit simpliciter æqualitatem à satisfaciente fieri debitã; igitur, vt obligationi satisfiat, necesse est, vt eam acceptet offensus: quod explicatur exemplo. Nã si Petrus tenetur iniuriam recompensare Ioanni honorem exhibendo, & velit oblata pecunia satisfacere, nõ plenè resarcitur honor Ioannis, nec debita constituitur æqualitas; quia honor sublatus, honore tantùm adhibito sua aptè natura restituitur. Itaq; nisi qui læsus est, sit ea satisfactione contentus, nunquã debita consurgit æqualitas.

Ea vero satisfactio, quam homo Deo debet ob offensam illi per peccatum illatam, exigit Dei beneuolẽtiam: quoniam, vt ait S. D. *in 1. 2.* offensa nõ remittitur alicui, nisi per hoc, quod animus offensi pacatur offendenti; Deus autẽ sola dilectione, ad quã sequitur infusio gratiæ, nobis pacatur, vt ibidẽ explicat optimè Caietanus, & per hoc differt ab ea satisfactione, quã vnus homo debet alteri; hęc enim cõsistit in æqualitate perfecta rei ad rem, quæ non variatur ex dispositione, vel actu alterius extremi; satisfactio verò, quæ Deo fit, ad amicitiam cum eo completè reconciliandam ordinatur: & ideò necessariò postulat eius beneuolentiam & gratiam.

ab ea, quæ debetur, quæ vero fit Deo, postulat eius beneuolentiã & gratiam.

Satisfactionis Christi cõuenire primã rigorosa iustitiæ conditionẽ; cui male Suarez tres adhibet limitationes.

SVPEREST *iam vna cæterarum omnium perfectißima satisfactio soli Christo Domino propria*, cuius gratia totam hanc proposuimus, & dispposuimus Controuersiam.

Est igitur prima conditio, vt satisfactio non sit ex gratia & liberalitate creditoris, quæ parum aut nihil differt à secũda, nimirum, vt sit ex proprijs eius, qui satisfacit; & ideò Caiet. *super hoc a.* Soto *de natura & gratia lib. 3. c. 6. & in 4. d. 19. q. 1. a. 2.* Medina *super hoc art.* Asturicensis, & Vasquez duas has conditiones in vnam coniungunt, quibus consentit etiam Albertinus *in allegato Coroll. 17. puncto 3. in prima difficultate, pag. 320.* Sed quia secundæ significatio latius patere videtur, quã primæ, ideò Capreolus *in 4. d. 15. q. 1. ad 1. Aureoli*, Ferrar *in 4. cont. gent. c. 5.* Suarez, Aluarez, & alij eam à prima distinguũt. Nos autem hic agentes de prima, ea de secunda tantùm attingemus, quæ sunt illi cum prima communia: quæ verò secundæ tanquam propria tribuit Suarez & alij, suo loco consideranda reseruamus.

Postulat ergo primò rigorosa satisfactio, vt non sit ex gratia, & liberalitate creditoris. Rationem huius conditionis assignat Sotus *loco notato de natura & gratia*: quia satisfactio est opus iustitiæ: ergo ex propria ratione distinguitur à gratia, ita vt quantò plus in opere fuerit gratiæ, tantò minor sit in eo ratio satisfactionis; igitur illa sola erit profecta & omnibus iustitiæ numeris absoluta satisfactio, cuius valor totus emanat à debitore, nulla perueniente vel interueniente gratia creditoris. Qui totus ferè discursus colligitur ex Apostolo *ad Roman. 4. cap.* cuius verba sunt. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum; ei autem, qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam, secundùm propositum gratiæ Dei* & capit. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* Ideò verò gratia satisfactionem præueniens iustitiæ minuit perfectionẽ; quia virtualis quędam est remissio debiti gratis à creditore facta debitori: quò verò maior hæc fuerit, eo plus satisfactio deficiet ab æqualitate iustitiæ. Et ideò, vt scitè Caietanus aduertit, omnis ea satisfactio, quæ prœuenientem supponit gratiam creditoris, satisfactio non est, nisi ex misericordia præueniente & quodammodo supplente, vt sit sufficiens satisfactio: Talis verò satisfactio contra eam distinguitur, quæ est per æqualitatem, & ex toto rigore iustitiæ, de qua modo loquimur; ac proinde contradictio manifesta est asserere, posse hominem Deo perfectè satisfacere pro commisso peccato, & eum id posse per charitatem ex diuina misericordia deriuatam; satisfactio namque perfecta non præsupponit vt principium, sed efficit & habet vt terminum diuinam reconciliationem; ad hanc enim per se primò dirigitur satisfactio.

Suarez.

Conditionem hanc sic explicatam Suarez tribus alijs conditionibus ait esse limitandam. *Prima* est, vt gratia siuè liberalitas creditoris ad hũc finem fiat debitori, vt possit creditori satisfacere; sic enim est virtualis quædam debiti remissio, sicut (inquit) si Petrus Paulo centum tribuat, vt sibi totidem soluat, quæ illi debebat, libera remissio potius est, moraliter loquendo, quàm iusta solutio: si verò donatio præcesserit absoluta, nullum habens respectum ad debiti solutionem, maior (inquit) intelligeretur esse perfectio iustitiæ, etiam si quis ex eadem re, quam à creditore dono recepit, illi debitum soluat; quia tunc in donatione & solutione non includitur virtualiter debiti remissio. *Secunda* limitatio est, vt per illam rem, quæ gratis à creditore datur, vt ab ipso datur, fiat recompensatio siuè solutio debiti; nam & si præcedat liberalis donatio creditoris etiam in ordine ad debiti solũtionem, si tamen (inquit) solutio non fiat ex eadem omninò re, quæ dono accepta est, sed ex alijs acquisitis labore & industria debitoris, hoc non ita repugnat perfectioni iustitiæ, quia iam debitor aliquid de suo habet, quo debitum soluit. Quemadmodum si quis centum Petro debeat & ab illo accipiat decem, quibus negotiari possit & lucrari, quidquid necessarium est ad soluendum debitum, tunc verè ex iustitia soluit: immò si tantum lucretur vt possit etiam id quod ad lucrandum accepit persoluere, erit perfecta iustitia & æqualis; quia nec totum debitum, nec pars eius formaliter aut virtute fuit gratis remissa, sed solùm antecessisse videtur quædam mutatio, quæ non repugnat perfectioni iustitiæ, si postea compensetur. *Tertia* limitatio est, vt hæc liberalitas fiat ab ipso creditore ei, qui debet satisfacere. Nam, si gratia supponatur alteri facta, non tamen ei, qui soluturus est debitum, nihil (inquit) hoc refert ad rationem iustitiæ, quia per huiusmodi gratiam, nihil debitori remittitur. Ex his limitationibus Albertinus *loco supra notato* primam negat esse necessariam; quia, si Paulo debitori verè donata sunt centum à Petro creditore, Paulus per gratiã donationis, quæ præcessit cõtractum solutionis, factus est Dominus illorum centum, & ideo donatio illa non videtur esse remissio virtualis. Sed hæc ratio valde friuola est; quamuis enim Paulus dominium acquisierit illorum centum, hoc tamen est ex gratia creditoris; & ideò Pauli satisfactio tota pendet ex gratia & liberalitate creditoris, qua fit potens ad restituendum, non autem ex propria Pauli facultate; ac proinde quamuis illa donatio non esset remissio virtualis, solutio tamen illorum centũ non erit satisfactio ex toto rigore iustitiæ.

Quod autem ait Suarez, donationem absolutam præcedentem, quæ scilicet nullum habeat respectum ad debiti solutionem, non minuere iustitiæ perfectionem, etiam si quis ex eadem re, quam à creditore dono recepit, illi debitum soluat, in humana iustitia, quæ scilicet est inter hominem & hominem, aut in rigoroſę solum concomitanter iustitiæ modo verum est. Sed in proposito superuacanea est ac minimè necessaria cõsideratio; iam enim diximus, vt satisfactio adæquaretur offensæ, necesse fuisse, vt satisfaciens esset Deus & homo, cui nulla fieri potest gratuita donatio. Qua etiam ratione cæteræ duæ limitationes ad rem propositam minimè pertinent; non enim de iustitia in communi aut humana, vel de altero minus propriè dicto rigorosæ iustitiæ modo, sed de iustitia perfectißimè rigorosa inter Deum & hominem sermo est; & ideò multi expositores & doctores in examinandis dictis limitationibus ad humanam duntaxat & minus propriè rigorosam iustitiam pertinentibus frustrà verba consumunt.

Hanc verò conditionem Christi satisfactioni minimè defuisse docẽt Capreolus, Caiet. Ferrar. Sotus, Medina, & alij S. Tho. discipuli, & expositores *super hoc artic.* Vnus est Vasquez, qui ingenij sui fisus acumine à cõmunis doctrinæ via diuertẽs per abrupta graditur dicens tria. *Primũ* est. Humanæ naturæ Deificatæ siuè sanctificatæ ipsa Deitate tribuẽdã esse satisfactionẽ, vt proximo principio quod satisfacit, & nõ tãtũ vt principio quo. *Secũdũ.* Propositionẽ hãc, Christo inquantum

quantum homini tribuenda est satisfactio, eandé esse cum præcedente, & eadem ratione concedendam. *Tertium* est. Humanam naturam & Christũ in quantum est homo, perfectissimè satisfecisse pro nobis & ex rigore iustitiæ, non quidem propriè, sed generalis, quamuis non ex proprijs, sed ex bonis acceptis à creditore satisfecerit; quia nimirum non solum humana natura, sed etiam Christus vt homo aut inquãtum homo indiguit gratia Dei, vt mereretur & satisfaceret, & eam accepit. Quorum examen ad sequentem remittimus Controuersiam.

Quod autem Christi satisfactioni non defuerit hæc prima conditio, probatur *primò*. Quia valor satisfactionis Christi ex dignitate personæ Verbi desumitur, at hæc dignitas non conueniebat Christo ex gratia, sed ex natura; erat enim Filius Dei non adoptiuus sed naturalis; ergò. *Secundò*. In Christo duplex est gratia, quæ principium est satisfactionis scilicet gratia vnionis & gratia habitualis: sed vtramque Christus habuit ex proprijs viribus. Verbum enim sua virtute seipsum vniuit humanæ naturæ, & ex hac vnione resultauit in anima Christi gratia habitualis, sicut splẽdor ex Sole; vt ait S. D. *infra q. 7. art. vlt.* Quod significatur *Ezech. 43.* cum dicitur. *Gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, & terra splendebat à maiestate eius.* Et expressius habetur *Io. 1. Vidimus gloriam eius gloriam quasi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* Quamobrem, vt Caietanus aduertit, gratia & charitas in Christo non se tenet ex parte Dei, vt cui satisfaciendum est, sed ex parte personæ satisfacientis, hoc est ex parte Dei, vt satisfactor est. *Confirmatur*. Quia gratia non est facta personæ Verbi, quæ simul cum Patre & Spiritu sancto fons est omnium gratiarum, sed est facta humanitati, cui nõ attribuitur satisfactio vt principio quod, sed tantùm vt principio quo, vt ostendemus *in sequenti Controuersia. Confirmatur secundò.* Quia concursus omnis & auxilium ad actus satisfactionis necessarium, ex virtute Christi satisfacientis, vt sic effluebant, non autem ex Deo, prout ei offerebatur vt debita satisfactio.

Christi satisfactionẽ fuisse æqualem offensæ.

Et ideò Christi satisfactio fuit æqualis offensæ, non ex sola Dei acceptatione, sed ex propria sua dignitate & valore, vt affirmant S. Doct. & Caietanus *infra q. 48. a. 2.* Et probatur *primò*: quia Christi satisfactio validior fuit Adæ peccato, vt patet ex Apost. *Rom. tertio.* Non esset autem validior si peccatum non adæquaret ex sua dignitate; ergò. Probatur minor: quoniam ex peccato Adæ contraximus peccatum secundùm totam eius deformitatem realiter, & non ex imputatione Dei. *Secundò*: quoniam *ad Colosſ. 2.* dicitur. *Delens, quod aduersus nos erat, chyrographum decreti*, &c. *Traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso*, &c. at si eius satisfactio non esset æqualis, non traduceret illos confidenter nec triumpharet in semetipso, sed in acceptatione Dei: posset enim timere suam satisfactionem, vt inæqualem absq; iniustitia à Deo posse repelli. *Et ad Hebr. quinto*, de Christo dicitur. *Cum clamore valido & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.* In cuius loci expositione notant Chrysostomus, Anselmus, Theophilactus & alij, exauditionem non tribui acceptationi Dei sed reuerentię Filio debitæ: eadem autem est ratio de quacumque alia Christi operatione satisfactoria. *Tertiò* probatur: quoniam *ad Hebr. 10.* dicitur. *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi*: At si Christi satisfactio per sanguinis effusionẽ ex suo valore non esset æqualis, sed ex acceptatione Dei, nostra fiducia non esset in sanguine Christi: quemadmodum deducunt Augustinus *lib. 13. de Trinit. cap. 14.* Et Cyprianus *in sermone de ratione Circũcisionis.* Et cõfirmatur ex Anselmo *libro secundo, Cur Deus homo capitulo sextò.* Nam si Christi satisfactio solùm esset æqualis ex acceptatione Dei, nulla esset quo ad valorem & dignitatem inter eam & antiquæ legis sacrificia differẽtia (hęc enim ex acceptatione Dei poterant esse peccatis æqualia, pro quibus offerebantur) quod omninò falsum est: quoniam Apost. in tota ferè Epist. ad Hebr ostendit sanguine Christi auferri peccata eo modo, quo per antiqua sacrificia non poterant expiari; & ideò *ad Galat. 4.* vocat ea *infirma & egena elementa. Quartò* probatur ratione Agapiti *in Epist. ad Antimũ*, & Athanasij *in libro de humanitate Verbi*; quoniam aliàs ad iustam & æqualem redemptionem nostram non fuisset necessaria passio Christi. Probatur illatio: quia ad æqualem satisfactionem ex acceptatione Dei sufficit satisfactio puri hominis, quam Deus vt sufficientem & æqualem potest acceptare, quãquam secundùm se non sit æqualis neque sufficiens. *Vltimo* probatur ex D. Thoma *infra q. 48. a. 2.* Et *quarto contra gent. c. 55. ad 24.* quia satisfactio ex se æqualis est illa, qua Deo offenso aliquid offertur, quod magis diligit, quam oderit offensam; ergò. Quo etiam argumento virtualiter vtitur Summus Pontifex *in extrauaganti vnigenitus* dicens, vnam guttam sanguinis Christi esse sufficientem satisfactionem propter vnionem ad Verbum: vbi manifestè satisfactionis æqualitatem refert non ad acceptationem Dei, sed ad dignitatem sanguinis Christi pro nobis oblati, &c.

Varie doctorum expositiones, circa secundam conditionem rigorosæ satisfactionis scilicet vt sit ex proprijs.

Secvnda *conditio erat, vt satisfactio sit ex proprijs*: quæ, vt à præcedente secernatur, intelligẽda est de bonis ita proprijs satisfactori vt satisfactor est, vt non sint actu creditoris qua ratione creditor est. Si namque debitor in satisfactionem offerat creditori id quod illius est, eadem quæ prius erat inter eos inæqualitas remanebit; quia nulla bonis creditoris ex ea satisfactione fiet accessio. Vt autem punctũ inquisitæ circa cõditionem hanc veritatis attingas, scito satisfactionem hoc modo rigorosam debere ex proprijs esse dupliciter. *Primò* vt non sit ex ijs, quæ sint sub dominio creditoris: *secundò* vt neque ipsa neque eius valor proueniat ex bonis creditoris. In quibus duobus proprietatis modis Christi satisfactioni tribuendis tot ferè sunt Doct. & Expositorum opiniones, quot capita. Nam Capreolus *in 4. d. 15. q. 1. a. 3. ad 1. Aureoli contra primã Conclusionem* tres supra positas conditiones rigorosæ satisfactionis enumerans ait, oportere primò vt satisfaciẽs sit principalis causa totius actus satisfactorij: secundò, vt satisfaciat per aliquid totaliter suum, vel saltem per aliquid, quod non sit principalius eius cui fienda est satisfactio, quam ipsius satisfacientis: tertiò, vt illud, quod exhibetur in satisfactionem, non teneatur alias exhibere propter alia debita: Quæ tria concurrebant (inquit Capreolus) in satisfactione Christi. Nam primò Christus erat principalis causa totius bonitatis suæ satisfactionis: secundò actio, & passio eius non erat potius alterius, quã eius, quia æqualiter Patris & Filij & Spiritus sancti, & non magis vnius personæ quàm alterius: tertiò ipse ex nullo priori debito & obligatione tenebatur reddere Deo, quod eidem obtulit in sua passione vel actione quacunque. Quam opinionem quo ad secundam conditionem recentiores omnes impugnant ac præsertim Suarez, Astu-

Capreolus.

ricensis, Vasquez, Albertinus & Pesantius. A

S. Thom. S. Thomas *in 4. d. 15. q. 1. a. 2. ad. 2.* ait, hominem ex hoc, quod est ad imaginem Dei, aliquid libertatis participare, inquantùm est Dominus suorum actuum per liberum arbitrium; & ideò ex hoc quod per liberum arbitrium agit, Deo satisfacere posse; quia, quamuis Dei sit, prout à Deo est illi concessum, liberè tamen traditum est, vt eius sit Dominus. Sed *ibid. in resp. ad 3.* ait, satisfactionem æquiualentem ab homine fieri minimè posse. Cui doctrinæ innitens Suarez, quo ad primum modum proprietatis ait, differentiam esse inter restitutionem & satisfactionē, quòd restitutio versatur circa res datas & acceptas, quia per eam reparatur damnum alteri illatum in bonis suis: at satisfactio versatur in actionibus, quia per eas intenditur iniuriæ recompensatio; quo fit vt in restitutione multum dependeat æqualitas ex dominio, quod restituens habet, vel in alterum transferre potest; quod tamen ad satisfactionis æqualitatem constituendam non est per se necessarium, sed sufficit illud dominium, quod est intrinsecum operi libero; quia satisfactio non fit, nisi per opus liberum, cuius operans est Dominus; quia ratio satisfactionis non consistit in translatione dominij alicuius rei, sed in hoc solùm, quod tantùm reuerentiæ & honoris impendatur, quantùm iniuriæ illatum fuit; atque ideò, quod Deus habuerit dominiū actionum Christi, non repugnat iustitiæ perfectę illius satisfactionis. Quo ad alterū verò modum, quo iustitia ex proprijs esse debet, ait, personam Verbi, quatenus est in propria natura subsistens, rationem habere creditoris, vt autem humanam sustentat naturam, & in ea subsistit, rationem habere satisfactoris.

Suarez.

B

C

Sed modum hunc dicendi, quo ad vtramque partem impugnat Vasquez *disp. 8. c. 4. & 5.* Albertinus autem *in allegato Coroll. pag. 226. & sequ.* eundem reijcit quo ad primam partem. Sentit autem hic author, Verbum habere quoddam dominium formale super operationes humanæ naturæ sibi vnitæ, quod non habet Pater & Spiritus sanctus illo modo, quatenus scilicet solum Verbum terminat naturam humanam, & operationes ipsius naturæ subsistunt quodammodo in Verbo, mediante natura humana; & ratione huius dominij potuisse Christum ex proprijs satisfacere. Quam sententiam sequitur Pesantius *disp. sexta.*

Vasquez. Albertin.

D

Denique Asturicensis *in allegata Relectione, q. 5. pag. 385. & seq.* dicit quatuor. *Primum* est. Satisfactio Christi cum suo infinito valore potest dupliciter considerari: Vno modo vt exit à diuino Verbo & prout ab ipso infinitatem sortitur, & sic nulli est debita neque etiam ipsi Deo; quia Verbum nihil debet Deo, &c. & ita (inquit) cōsiderata habet omnia necessaria, vt ingrediatur formalem rationem iustitiæ commutatiuæ. Alio modo potest considerari, vt est iam actu producta, & sic est sub vniuersali dominio Dei atque ideò fit inepta & improportionata ad inducendam iustitiæ obligationem in Deo: satisfactio autem (inquit) in ratione satisfactionis consideratur potius secundùm quod egreditur à satisfaciente, quam prout est operatio in facto esse; & ideò absolutè dicendum est, Christum satisfecisse ex proprijs & ex ijs quæ nullius subiacebant dominio.

Asturicensis.

E

Secundum est. Licèt actio humilitatis seu obedientiæ Christi sub vniuersali Dei dominio cōprehēdatur, nō tamē ipse Christus simpliciter loquendo, quia est verus Deus: satisfactio autem Christi fuit infinita, & ad æqualitatem satisfactoria, quatenus quasi reflectebatur supra ipsum Christum, prout scilicet Christus seipsum Deo subijciebat & humiliabat; & ideò Christi satisfactio ea ratione, qua infinitatem habuit, non fuit debita Deo nec sub eius dominio contenta. Non enim erat debita Deo illa reflexio supra personam Christi, ita vt Christus seipsum etiam secūdùm suppositum Patri humiliaret: & quoniā totum suum satisfactorium valorem ex illa extensione ad diuinum Verbum accepit ipsa Christi humiliatio, idcircò absolutè fateri debemus, Christi satisfactionem, qua ratione fuit infiniti valoris, ex proprijs fuisse & ex alijs indebitis. Quocirca Christi satisfactio duplici titulo fuit ex proprijs, & secundùm quod procedebat à Christo, vt est Deus & homo, & quatenus reflexione prædicta supra Verbum humanitatis suppositum reuertebatur ipsum humiliando & submittendo Maiestati Diuinæ. *Tertium est.* Licèt infinitus satisfactionis Christi valor desumeretur ex infinita dignitate & virtute Dei, quæ toti est Trinitati communis, non tamen desumebatur ab illa, vt communis est, sed tantum prout pertinet ad personam Verbi, quatenus est vna persona ab alijs duabus realiter distincta; quia Verbum non conferebat per se primò valorem infinitum operationi Christi, prout Deus est absolutè, sed prout tale suppositum est personaliter terminās humanitatem; & simul cū illa humanas efficiens & eliciens actiones. *Quartum est.* Quamuis valor satisfactionis Christi, si in ratione præcisè valoris infiniti consideretur, desumatur à Verbo vt est diuinum suppositum, si tamen consideretur vt contractus ad rationem valoris satisfactorij, sicut in proposito considerandus est, impossibile est vt desumatur à Verbo, nisi prout est suppositum humanum satisfaciens. Quæ ferè omnia impugnat Vasquez, & ex parte Albertinus. Ea tamen approbat, & sequitur Aluarez *in supra notata disp. 4.*

Quibus modo satisfactio Christi fuerit ex proprijs, & quomodo possint quædam doctorum sententiæ conciliari.

Et Quoniam hactenus relatæ Doctorum opiniones neque repugnantes omninò, nec à veritate prorsus videntur alienæ, ideò præmissis de more fundamentis enitemur eas ad concordiam, quo ad fieri poterit, reuocare.

Notandum est igitur primò in Christi satisfactione duo considerari, scilicet actum satisfactionis & personam satisfacientem: in actu satisfactionis duo sunt, scilicet substantia physica actus & esse liberum: quæ duo comparantur vt materiale & formale; substantia enim actus se habet vt materiale, esse vero liberum est veluti formale; pertinet enim ad genus moris, cuius ratio posterius conuenit actui, quàm eiusdem actus substantia naturalis. Rursus actus satisfactionis Christi tàm secundum esse naturale, quam secundùm esse morale siuè liberum potest dupliciter considerari; Vno modo prout exit à Christo satisfaciente; alio modo prout est iam actu productus. Persona verò Christi satisfacientis dupliciter potest considerari; Vno modo prout subsistit in diuina natura; Alio modo prout sustentat humanam naturam. Et hoc secundo modo dupliciter adhuc potest considerari; Vno modo prout est principium quod satisfactionis; alio modo prout in ipsa satisfactione quodammodo clauditur intrinsecè; quia nimirum, vt ante diximus, Christi satisfactio super ipsam Christi personam quodammodo reflectitur eam Deo summittens & humilians.

Secundò

Secundò sciendum est, dominium dupliciter dici; Vno modo generaliter (vt ita loquar) ac propriè: & hoc modo sumptum est ius habendi, possidendi, fruendi & vtendi aliqua re pro libito voluntatis simpliciter, vel secundùm aliquem determinatum modum ex quadam superioritate, vt patet apud Syluestrum *in Verbo Dominium*. Alio modo specialiter & minus propriè, & sic idem est, quod libertas voluntatis in ordine ad actus ab ea elicitos aut imperatos, & de hoc dominio loquitur S.D. *in 1.2.qu.1.art.1.* dicens: *Differt autem homo ab alijs creaturis irrationalibus in hoc, quod est suorum actuum Dominus: vnde illæ solæ actiones vocantur propriè humanæ, quarum homo est Dominus: est autem homo Dominus suarum actionum per rationem & voluntatem, &c.* Vbi Conradus ait, hominem non ita dici suorum actuum dominum, quòd eos possideat | tanquam Dominus, sed quia, cùm Domini sit imperare liberè seruo qui eius potestati subditur, homo etiam potest agere, & non agere, & agere hoc vel illud: ex quo patet, dominium hoc esse magis similitudinariè quàm propriè dictum.

De singulis igitur his distinctionibus, & earum membris ad inuicem copulatis breuiter, ac dilucidè, quantùm supernæ gratiæ lumen illuxerit, disseremus, vt vera discernamus à falsis, & vt quæ probabilia sunt in qualibet opinione, videamus.

Primum dictum. *Dico itaque primò*, actum satisfactionis Christi tam secundùm eius esse naturale quàm liberum, quatenus est actu productus, non ita personæ Christi proprium esse, vt solus habeat eius dominium generaliter & propriè sumptum. *Probatur hoc dictum.* Quia Dei omnipotentis Patris & Filij & Spiritus sancti virtus & dominiũ ad omne ens actu productum extenditur; potest enim illud pro libito suæ voluntatis conseruare, aut in nihilum reducere, & ad varios vsus sibi placitos ordinare. Actiones igitur Christi sub ea præcisa ratione, qua entia quædam actu producta sunt, vim seu rationem nequeunt habere satisfactoriam respectu Dei per peccatum offensi. Huic dicto nituntur omnia argumenta, quibus probant recentiores, fieri non posse, vt aliquis ex perfecta iustitia ex bonis sibi, & creditori communibus satisfaciat. Videndus est Suarez *in allegata disp.4.sect.7.* Asturicensis, Vasquez, & Albertinus *locis supra notatis*.

Secundum. *Secundò dico*, Actum satisfactionis Christi secundùm eius esse morale siue liberum, prout egrediebatur ab humana Christi voluntate, ita proprium fuisse Christi, vt solus haberet super eo dominium specialiter & minus propriè sumptum. *Probatur hoc dictum.* Quia dominium hoc modo sumptum idem est, quod libertas voluntatis in ordine ad actus ab ea elicitos aut imperatos, quatenus, scilicet potest agere & non agere, & agere hoc vel illud: at hæc libertas soli conuenit voluntati elicienti & imperanti; ergò. Maior patet ex dictis. Minor probatur: Quoniam actus liberi eliciti vel imperati ea tantùm ratione formaliter liberi sunt, qua dependent ex iudicio rationis, & ex electione voluntatis illius suppositi, quod eos elicit aut imperat. Quamuis enim creata voluntas, à diuina voluntate veluti per se primò libera, & prima causa libertatis moueatur ad liberè eligendum & imperandum, formaliter tamen non dicitur actus liber ex ordine, quem habet ad diuinam voluntatem, vt primam causam; sed ex eo, quod à creata voluntate producitur, vt causa proxima. Consequens ergo est, vt specialis hæc ratio dominij super actus elicitos, & imperatos soli sit propria creatæ voluntati. Et confirmatur. Quoniam his actibus vitalitas conuenit in ordine ad solam creatam voluntatem; ergò & libertas; ergò sola creata voluntas est eorum domina secundùm hanc dominij rationem minus propriè dictam. Antecedens patet. Prima consequentia probatur: Quia libertas actuum est quædam vitalitas nobilissima. Secunda verò probatur: Quia libertas voluntatis respectu actuum liberorum est specialis illa ratio dominij, de qua loquimur.

Tertium. *Tertiò dico*, Actus satisfactionis Christi, prout egrediebantur à diuina Christi voluntate, & à persona Christi vt principio quod, fuisse Christo proprios secundo modo; quia scilicet neque ipse, neque eorum valor proueniebat ex bonis Dei; quatenus ei satisfactio debebatur, siue quatenus erant tribus communia. *Probatur* primò. Quia satisfactionis valor infinitus desumebatur ex infinita dignitate, & virtute Dei, non tamen sub ea ratione, qua tribus personis est communis, sed qua ratione ad solam pertinet Incarnati Verbi personam, cuius relatiua, personalique proprietate, quasi modificatur, vt de subsistentia diximus, *prima parte, quæstione 39.articulo quarto, Controuersia prima*; ergo satisfactio Christi erat ex proprijs in secundo sensu. Probatur antecedens: quia Verbum ea ratione conferebat valorem operibus Christi satisfactorijs & meritorijs, qua naturam humanam terminabat, & in ea subsistebat; at Verbum terminabat naturam humanam, non ratione subsistentiæ communis tribus personis, nec quatenus Deus absolutè, sed quatenus talis persona à Patre & Spiritu sancto distincta realiter, ab hoc autem Deo tribus personis communi ratione in re fundamentum habente; ergo valor infinitus satisfactionis Christi desumebatur, &c. prout in antecedente. Et confirmatur: Quia satisfactionis Christi valor debet attribui principio proximo elicienti & agenti vt quod: at hoc est persona Verbi Incarnati; Deus enim tribus personis cõmunis non erat, nisi causa prima & vniuersalis earum operationum, quas Christus Deo pro nobis in satisfactionem offerebat: ex tali verò causa non desumitur valor operis moralis finitus aut infinitus, vt hic etiam Aluarez annotauit post Asturicensem.

Quartum. *Quartò dico*, Christi satisfactionem & eius valorem fuisse Christo propriam in secundo sensu, considerata satisfactione, quatenus non solùm à Verbi Incarnati persona procedebat, vt à proximo principio quod, sed etiam quatenus super ipsam Verbi personam reflectebatur, & eam quodammodo claudebat intrinsecè. Prior pars huius dicti patet ex tertio dicto. Posterior patet ex dictis *in prima parte Controu.* vbi cum Asturicensi diximus, Verbum Incarnatum satisfaciendo pro nobis Deo per actus humilitatis & obedientiæ, non solos eos actus cum humanitate, sed suam etiam personam Deo summisisse & humiliasse, quam proculdubio summittere, & humiliare minimè tenebatur.

Vltimum. *Postremò dico*, sententiam Capreoli dicentis, vt satisfactio sit de toto rigore iustitiæ, satis esse, vt fiat ex ijs, quæ totaliter sunt satisfacientis vel saltem per aliquid, quod nõ sit principalius eius cui fienda est satisfactio, quàm ipsius satisfacientis; actionem autem & passionem Christi æquè fuisse Patris & Filij & Spiritus sancti, intelligendam esse de principijs satisfactionis,

quo ad absoluta & essentialia, non autem quatenus proprietates connotant personales, & per eas quodammodo modificantur & determinantur. Iam autem diximus, Christi satisfacientis virtutē & dignitatē infinitā non conferre Christi actionibus & passionibus valorē infinitū, nisi quatenus intelligitur personali Verbi proprietate modificata. Quomodo verò filius in assumpta humanitate possit sibi ipsi satisfacere, quatenus est persona diuina, iā superius explicauimus.

Satisfactionem Christi fuisse ex alias non debitis, & sententias Doctorum circa præcedentē conditionem non esse discordes.

TERTIA CONDITIO erat, vt satisfactio sit ex alias non debitis ei, cui satisfaciendum est. Hanc limitat Suarez dicens intelligendam esse de debito iustitiæ & respectu eiusdem, adeò vt solutio debiti nequeat esse iusta & perfecta, nisi fiat ex ijs quæ non sunt debita eidem alio titulo iustitiæ: si verò debita fuerint alio aliquo titulo, putà gratitudinis, obedientiæ aut misericordiæ inter homines non minuit (inquit) perfectionem iustitiæ; quia huiusmodi alij tituli vel debita non minuunt æqualitatem iustitiæ. Sed hanc doctrinam cum suo fundamento reijcit Vasquez, *disp. 8. c. 6.* & multis argumentis falsam esse demonstrat. Cuius sententiam sequitur Albertinus *in sæpè allegato Corollario, fol. 317.* Sed, quamuis dicta limitatio respectu finitæ satisfactionis quæ sit de toto rigore iustitiæ, non sit admittenda, satisfactioni tamen infinitæ, qualis est satisfactio Christi, non est deneganda: In quo Vasquez absque sufficienti ratione sodali suo contradicit.

Ad cuius euidentiam *considerandum est primò*, personam Verbi esse dignitatis simpliciter infinitæ, ex qua non solùm ad singula merita, satisfactiones, gratiarum actiones & obedientias, valoris quædam deriuabatur infinitas, ita vt plura diuersarum rationum ex vno principio simpliciter infinito deriuarentur infinita, sed etiam ex eodem principio in vnam & eandem Christi operationem plures diuersarum rationum infinitates effluerent; ita vt sicut eadem numero operatio plures habebat rationes formales, ac species in genere moris, putà meriti satisfactionis, gratiarum actionis, obedientiæ, &c. sic plures haberet infinitates singulis illis rationibus & speciebus conuenientes, & ab inuicem formaliter differentes: ac proinde pluribus æquiualeret operationibus infinitis specie tam naturæ quàm moris realiter ab inuicem differentibus.

Secundò sciendum est, non esse necessarium, gratiarum actionē æquari beneficio secundùm valorem seu perfectionem in esse entitatiuo, sed satis esse, si secundùm rationem proprij generis proportionalem habeat æqualitatem, siue commensurationem (exempli gratia) vt maximo beneficio maxima respondeat gratiarum actio sic. n. suscepto beneficio æqualis erit gratiarū actio, non simpliciter siue in esse entitatiuo, sed in ratione gratiarum actionis.

Eadem igitur actio Christi plurium habens moralium actuum rationes formaliter differentes, plures etiam secundùm singulas habuit infinitates ratione diuersas, ex vna & eadem infinitate simpliciter diuini suppositi deriuatas; ac proinde Christus eadem actione & passione multis titulis infinita, scilicet meriti, gratiarum actionis, satisfactionis, obedientiæ, &c. sufficienter sibi nobisque meruit, pro totius Mundi peccatis plenè perfecteque satisfecit, & condignas ac proportionabiliter æquales Deo gratias egit pro gratia vnionis & alijs gratijs, dōnis ac beneficijs suæ humanitati collatis, vt scitè Caietanus aduertit: Verbo autem diuino naturam humanam assumenti, sicut nulla facta fuit gratia, sic neque gratiarum actio vllum est ei beneficium, sed naturæ tantum humanæ.

Conciliatur Doctorum sententiæ.

Ex his conciliari facilè poterunt relatæ Doctorū opiniones circa secūdam Iustitię rigorosæ conditionem. Et de sententia quidem *Capreoli* satis diximus. D. autem *Th.* de satisfactione loquitur imperfecta. *Suarez* dominium libertatis in operationem satisfactoriam non affirmat, aut intendit esse per se sufficiens absolutè ad æqualitatem iustitiæ constituendam, sed in genere suo: nec esse necessarium dominium propriè sumptum in operationem, quod sit in creditorem transferendum, neque etiam dominium propriè sumptum, quod habet Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus in operationem Christi satisfactoriam, pugnare cum æqualitate satisfactionis, si non desint aliæ conditiones: Et quamuis satisfactio ratione quadam sit restitutio, non fit tamen illa, sicut hæc per hoc, quòd alicuius rei dominium transferatur. Quod non aduertit, aut fortasse volens dissimulauit *Vasquez*, & post eum *Albertinus*: Qui priorem proprietatis modum cum secundò confundens ait, Verbum habere dominium quoddam formale super operationes humanæ naturæ sibi personaliter vnitæ, quod non habet Pater & Spiritus sanctus, &c. qua loquendi forma, nihil aliud significatur, quàm operationes Christi satisfactorias solius esse Verbi, tanquam suppositi satisfacientis, quod supra docuimus cum Asturicensi. Qui etiam affirmans, Christi satisfactionem consideratam prout exit à Verbo & prout ab ipso trahit infinitatem, nulli debitam esse neque etiam ipsi Deo, &c. eandem significat satisfactionis proprietatem illi conuenientem; prout à solo Verbo vt supposito in humana natura subsistente, & vt proxima causa producitur; sic enim ab eo solo speciali quadam ratione valorem accipit infinitum, & ab ea ius omne creditoris excludit. Quod quia Vasquez *in supradicta disp. 8. ca. 4.* minimè consideratum, friuola valdè ratione sententiam Asturicensis confutauit dicens, Christi satisfactionem in fieri non minus quàm in facto esse, sub Dei dominio contineri, & ab eius virtutis efficacitate pendere; quod omnino falsum est formaliter loquendo de operatione, quatenus ab Incarnati Verbi persona, veluti supposito ab alijs duabus diuinis personis realiter distincto & tanquam principio quod proximo deriuatur.

Vasquezij lapsus.

An Christi satisfactio Deo cui debebatur, oblata illum ad eam acceptandam obligauerit? Sententiæ Doctorum.

SVPEREST iam POSTREMAE CONDITIONIS examen. An scilicet Christi satisfactio præter conditiones iam dictas hanc etiam habuerit, vt Deo cui debebatur oblata, illum ad eam acceptandam obligauerit; ita scilicet vt Deus condignam ei pro offensa satisfactionem oblatam acceptare teneretur?

Anselmus *lib. 2. Cur Deus homo, c. 19.* affirmat Deum non potuisse Christi satisfactionem non acceptare. Verba eius sunt: *Eum autem, qui tantum donum sponte dat Deo sine retributione debere esse non iudicabis, immò necesse esse video, vt Pater filio retribuat: alioquin iniustus esse videretur, si nollet, aut impotens, si non posset: Quæ aliena sunt à Deo.* Eandem sententiam sequitur Sotus *in 4. sent. dist. 19. quæst. 1. art. 2.* dicens implicationem esse contradictionis non esse Deo acceptum id, quod illi Christus offerebat. Sed ait Vasquez nomen hoc, *acceptum* idem ibi significare, quod gratum: quod quidem (inquit) longè diuersum est ab eo, quod ait Anselmus, nimirum Christi satisfactionem non solum non potuisse non esse

Deo

Deo gratam ad effectum redemptionis nostræ, sed etiam non potuisse Deum non retribuere Christo opus nostræ redemptionis in præmium laborum. Verùm iudicio meo secundùm hoc sequitur ex primo; si namque Christi satisfactio non potuit non esse grata Deo ad effectum redemptionis, igitur non potuit eam non acceptare ad eundem effectum retribuendum, igitur ea per Christum exhibita non potuit Deus redemptionem non retribuere. Eandem opinionem sequitur, & explicat Valentia *super hoc art. qu. 5.* Quam, vt probabilem defendit Asturicensis *in allegata q. 5. p. 381.* cui fauet etiam Aluarez, *disp. 4. in resp. ad 7. argumentum*, quamuis non in ea persistat.

Oppositam sententiam sequuntur communiter omnes alij Doctores, ac præsertim Thomistæ & expositores huius articuli.

In Deo simpliciter loquendo fuisse obligationē ad acceptādam Christi satisfactionem, supposito incarnationis decreto, etiam præciso ordine ad redemptionē.

Pro *difficultatis huius resolutione cōsiderādum est primò*, dupliciter intelligi posse, oblatam à Christo fuisse Deo satisfactionem pro peccatis humani generis. *Vno modo* supposito decreto Incarnationis ordinatæ ad redemptionem, media Incarnati Verbi passione & pluribus alijs actionibus in ea terminatis & completis: & hoc pacto supponitur pactum & promissio, saltem implicita ex parte Dei acceptandi satisfactionem peccatis æqualem offerendam à Christo; ac proinde obligatio acceptandi, non ex virtute tantùm fidelitatis, sed ratione iustitiæ eminentissima; non enim hæc obligatio simplici innitebatur Dei promissioni, sed onerosæ respectu Christi, cui promittebat Deus iuxta illud Isai. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum:* sicut etiam nostris operibus corona ex iustitia reddenda promittitur *2. Tim. 4. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Quorum verborum explicatio videnda est *in Comm. S. Thom.* Quod etiam significat diuina Scriptura. *Psalm. 2.* dicens. *Postula à me, & dabo tibi, gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ.* Veritatem hanc latè probat Suarez *disput. 4. sect. 5.* cui tamen non assentimur asserenti, iustitiam commutatiuam Deo formaliter conuenire seclusis imperfectionibus; arbitramur enim cum D. Thom. in ratione iustitiæ commutatiuæ formali claudi imperfectionem superius explicatam. Quamobrem iustitia, quam Deo tribuimus in ordine ad Christum satisfacientem longè alterius rationis & altioris ordinis est, quàm iustitia commutatiua, tametsi modum quendam habeat iustitiæ commutatiuæ, sicut etiam respectu quorundam modum habet distributiuæ; immò & formaliter est distributiua, cùm huius iustitiæ ratio nullam intrinsecè claudat imperfectionem.

Alio modo possumus intelligere, Christi satisfactionem oblatam Deo fuisse, supposito decreto Incarnationis absolutè, id est absque siue præciso ordine ad redemptionem: & hoc etiam modo posset aliqua ratio obligationis ad acceptandam Christi satisfactionem in Deo cogitari. *Ad cuius euidentiam obseruandum est*, in Christo satisfactionem offerente quatuor esse consideranda. *Primum* est persona Verbi vt subsistens in humana natura, quæ scilicet persona est principium quod operationis satisfactoriæ. *Secundum* est diuina natura cum sua voluntate; quæ principium est quo remotum talis operationis. *Tertium* est humana natura cum sua voluntate quæ principium est proximum eiusdem operationis. *Quartum* est operatio cum infinito suo valore, quem trahit ab infinita suppositi dignitate. Igitur si duo tantùm operationis principia proxima considerem, nempe suppositum & humanam eius voluntatem, nullam ex parte Dei ad acceptandam satisfactionem possumus obligationem cogitare; nisi in ipsius Dei pacto & promissione fundatam, vt multis argumentis probant hic recentiores. At consideratis simul omnibus operationis principijs tam proximis quàm remotis, quæ tamen omnia erant intima Christo satisfacienti, dicendum est, nulla etiam supposita promissione vel pacto, non potuisse Deum oblatam Christi satisfactionem non acceptare. Quia cùm vna sit vnius Dei Patris & Filij & Spiritus sancti voluntas, hoc ipso quod vnum ex his tribus suppositis, prout est in aliena natura subsistens, per vnam in tribus numero voluntatem satisfactionem æqualem offensæ offert Deo Patri & Filio & Spiritui sancto, per illam eandem numero voluntatem acceptandam, non potest à Deo per eam non acceptari; alioquin à se ipsa discordaret diuina voluntas, mouet enim ad acceptandum volens efficaciter vt acceptetur; igitur implicat contradictionem satisfactionem sic oblatam à diuina voluntate non acceptari: vellet enim vt offerens illam à se acceptari, vt autem eidem offertur nollet eam à se acceptari. Et quia Christi satisfactio ex omnibus dictis principijs absolutè dependet, ideò simpliciter loquendo dicendum est, si consideremus Christi satisfactionem vt oblatam Deo, supposito decreto Incarnationis, præciso ordine ad redemptionem, eidem ex parte Dei correspondere obligationem ad eam acceptandam.

Christi satisfactionē ex parte sui iustitiæ perfectionem habuisse, nec tamen Deū ad eam acceptandam obligasse.

Sed, an hæc obligatio sit ex vera, & propriè dicta iustitia, diligenter inquirendum est. S. Thom. *1. p. quæst. 21. art. 1. ad 3.* in huiusmodi actibus iustitiam interuenire significat ex parte Dei minus propriè dictam; quam ait nuncupari condecentiam diuinæ bonitatis; Quia *debitum* (inquit) *est à Deo, vt impleatur id, quod eius sapientia & voluntas habet, & quod suam bonitatem manifestat: & secundùm hoc iustitia Dei respicit decentiam ipsius, secundùm quam reddit sibi, quod sibi debetur.* Hæc ibi S. Thom. Cum igitur diuina sapientia & voluntas non à Christo separata, sed illi essentialiter & intimè coniuncta hoc habeat, vt in satisfactione perfecta Deo pro peccatis humani generis oblata diuina bonitas secundùm attributa iustitiæ & misericordiæ manifestetur, in acceptanda satisfactione & retribuenda remissione non videtur esse ex parte Dei iustitia propriè dicta, sed ea tantum, quę dicitur condecentia suę bonitatis.

Verùm ex ijs, quæ supra diximus *in tertio dicto circa secundam conditionem*, perspicuè constat magnam esse differentiam inter debitum, quod Deo conuenit in ordine ad decretum suæ sapientiæ & voluntatis de operatione & effectu bonitatem eius manifestante, & obligationem acceptandi Christi satisfactionem supposito decreto Incarnationis, præciso ordine ad redemptionem. *Primò* namque Christus Deo satisfactionem offerebat non vt subsistens in natura diuina, sed vt diuina persona subsistens in humana natura siue vt Deus homo; quod satis esse diximus, vt Christi iustitia verè sit & dici possit ad alterum, scilicet ad Deum vt Deus est: in Deo autem ex decreto suæ sapientiæ & voluntatis in rebus operante propter suam bonitatem manifestandam, non potest similis distinctio designari. *Secundò*, Christus diuina sua voluntate, virtute & dignitate satisfactionem infini-

finitam offerens Patri ex ijs', non vt communibus, sed veluti proprijs', sua scilicet personali proprietate naturam humanam terminante modificatis modo superius exposito, valorem satisfactorijs suis operibus infinitum conferebat, & ea veluti propria, Deo in offensæ compensationem offerebat, ita vt satisfaciens & offerens esset Verbum, vt in humana natura subsistens: is autem cui satisfactio offerebatur, esset Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus in vna simplicissima diuina natura subsistens. Talem autem distinctionem non habet Deus, vt operans ex decreto suæ sapientiæ & voluntatis propter manifestationem suæ bonitatis. Maius igitur in Deo videtur esse iustitiæ debitum, & magis propriè dictum in acceptanda Christi satisfactione, quàm in implendo diuinæ sapientiæ & voluntatis decreto in operibus creationis. Sed quamquam hæc satis apparenter suadere videantur iustitiæ obligationem in Deo respectu Christi satisfactionem offerentis esse constituendam, non tamen id efficaciter ostendunt, vt mox dicenda declarabunt.

Suppositis igitur ijs, quæ de Christi satisfacientis obligatione diximus *in 2. parte Controuersiæ*, DICO PRIMO, cum Bartholomæo Medina & alijs recentioribus *nullam propriè, & simpliciter in Deo fuisse obligationem iustitiæ commutatiuæ ad acceptandam Christi satisfactionem.* Probatur *primò*: quoniam qui talem habet obligationem, eius, cui debet, subijcitur voluntati & est eo inferior; Deus autem nullo inferior est nec vlli subijcitur. Et confirmatur: quia talis obligatio & necessitas induceretur in Deum, non ab eius intrinseca tantùm & essentiali rectitudine diuinæ voluntatis, sed etiam ex oblatæ satisfactionis perfectione & æqualitate ad offensam. Vera enim esset hæc causalis: quia Christus satisfactionem obtulit æqualem offensæ, obligatur Dei voluntas ad eam acceptandam.

Obiectio. *Sed dices* satisfactionem tanti valoris exhibitam non esse rationem formalem inducendæ talis obligationis in Deum, sed esse conditionem requisitam, vt impleat Deus quod promisit sub talis operis conditione. *Solutio.* *At oppositum* indicat formalis commutatiuæ iustitiæ ratio in actu satisfactionis inuenta; hæc enim per se & formaliter satisfactionis ad offensam exigit æqualitatem; igitur illa diuinæ voluntatis obligatio ab extrinsecus oblata satisfactione deriuabitur.

SECVNDO DICO, *Christi satisfactionem illam ex parte sui & Christi satisfacientis iustitia perfectionem habuisse, vt sui valoris infinitate & æqualitate ad offensam Dei voluntatem obligaret, si in eam cadere posset obligatio.* In hoc dicto conueniunt recentiores omnes Thomistæ, & quidam extranei S. Doctoris expositores; & patet ex dictis & explicatur etiam à simili ex Caiet. *1.2. qu. vltima, art. 1.* Sicut enim comparando meritum hominis ad mercedem illi debitam secundum se, potest in ea iustum simpliciter inueniri: quia potest meritum æquari premio reddendo, in ordine verò ad Deum nulla merito potest inesse iustitia; quia hominis ad Deum non potest esse æqualitas simpliciter in aliquo, sed secundùm proportionem tantùm: Ita comparando Christi satisfactionem remissioni offensę per eam obtinendæ, æqualitas inter eas simpliciter inuenitur: at eadem satisfactio, quatenus etiam offertur à Christo, relata ad Deum offensum, non potest eum constituere debitorem, quia capax non est obligationis vt ante diximus. Ad cuius amplioren intelligentiam recolenda est doctrina Philosophi *in 5. Metaph. in c. de Ad aliquid.* & S. Thom. *p. 1. q. 13. art. 7.* quam ibi latè explicauimus cum Caietano, videlicet relationem quandoque in vno extremo esse rem realem, in altero verò esse rem rationis tantùm. *Quod contingit* (inquit S. Thom.) *quandocumq; duo extrema non sunt vnius ordinis, sicut sensus & scientia referuntur ad sensibile & scibile: quæ quidem in quantum sunt res quædam in esse naturali existentes, sunt extra ordinem esse sensibilis, & intelligibilis. Et ideò in scientia quidem, & sensu est relatio realis, secundùm quod ordinantur ad sciendum, vel sentiendum res, sed res ipsæ in se consideratæ sunt extra ordinem huiusmodi. Vnde in eis non est aliqua relatio realiter ad scientiam, & sensum, sed secundùm rationem tantùm, in quantum intellectus apprehendit ea, vt terminos relationum scientiæ, & sensus. Vnde Philosophus dicit in 5. Metaphys. quòd non dicuntur relatiuè eò quòd ipsa referantur ad alia, sed quia alia referuntur ad ipsa.* Et paucis interiectis: *Cùm igitur Deus sit extra totum ordinem creaturæ & omnes creaturæ ordinentur ad ipsum, & non è conuerso, manifestum est, quod creaturæ realiter referuntur ad ipsum Deum, sed in Deo non est aliqua realis relatio eius ad creaturas, sed secundùm rationem tantùm, in quantùm creaturæ referuntur ad ipsum.* Hæc ibi S. Thom. Similiter igitur in re proposita dici potest, ex parte Christi Deo satisfactionem, quæ operatio creata est, offerentis rationem inueniri commutatiuæ iustitiæ, quia conditiones omnes ad actum perfectæ & rigorosæ iustitiæ commutatiuæ necessariæ eidem satisfactioni verè conueniunt, vt ostendimus. At ex parte Dei nulla potest obligatio iustitiæ commutatiuæ respondere; quia Deus ex suæ naturæ dignitate & excellentia dominium semper habet vniuersale super omnes creaturas: Et ideo ex quauis operatione creaturæ nihil ei vtilitatis aut bonitatis adiungitur; ac proinde neque talis obligatio, sed potest eam absque violatione iustitiæ commutatiuæ pro libito suæ voluntatis acceptare vel repellere. Non itaque postulat essentialis & intima ratio commutatiuæ iustitiæ, vt ambo eius extrema mutuo sibi subijciantur & obligentur, sed satis est si vnum eorum alteri obligationis vinculo se subijciat; in hoc enim erit vera iustitiæ ratio, in altero verò minimè, sed aliquid excellentius.

TERTIO DICO, *obligationem illam*, qua diximus, Deum supposito decreto Incarnationis absolutè, id est præciso ordine ad redemptionem teneri ad acceptandam Christi satisfactionem, *ad iustitiam commutatiuam propriè dictam minimè pertinere, sed ad iustitiam minus propriè dictam, quam S. D. appellat condecentiam diuinæ bonitatis.* Prior huius dicti pars patet ex dictis. Posterior satis apertè colligitur ex pluribus diuinæ Scripturæ locis, quorum præcipuus habetur *Ro. 3. Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine eius ad ostensionem iustitiæ suæ*, &c. Deinde probatur ratione. Obligatio illa, quæ est ex parte Dei respectu Christi satisfacientis, pertinet ad iustitiam & non ad commutatiuam, neq; ad distributiuam, neque ad altiorem aliquam iustitiæ rationem, quæ verè sit ad alterum; ergo ad iustitiam pertinet minus propriè dictam, quæ est condecentia diuinæ bonitatis, secundùm quam Deus sibi debitor est, vt scilicet impleat suæ voluntatis decretum. Antecedés quoad primam partem patet ex diuinis litteris iustitiâ in ordine ad Christi sa-

Dei obligationem ad acceptãdam Christi satisfactionẽ suppositio Incarnatiõnis decreto præciso ordine ad redemptionẽ non pertinere ad iustitiam cõmutatiuam propriè dictã, sed ad condecentiam diuinæ bonitatis.

sti satisfactionem significantibus. Quoad secundam verò patet ex supradictis. Quoad tertiam est euidens ex ipsa ratione, seu forma iustitiæ distributiuæ, quæ locum non habet in Deo respectu Christi satisfacientis. Quo ad vltimam verò probatur. Quoniam hæc obligatio ex sola diuina voluntate procedit, quæ prout est in Christo, satisfactionem causat & offert pro peccatis hominum, vt acceptetur; vt autem est in Deo Patre Filio & Spiritu sancto, eam acceptat; igitur hæc iustitia non est nisi condecentia diuinæ bonitatis, secundùm quàm à Deo debitũ est ipsi Deo, vt impleatur id quod semel placuit eius volũtati. Nam & si verum sit id, quod supra quasi obijciendo dicebatur, vz. Christum diuina sua voluntate, non vt tribus communi, sed quasi vt propria & personali proprietate modificata satisfactionem causare, & eam Deo vt Deus est, offerre; quia tamen hæc obligatio diuinæ voluntatis ad Christi satisfactionem acceptandam ex nullo prouenit eorum, quæ Christo sunt propria, prout à Deo vt Deus est, & à Patre & Spiritu sancto & à seipso, vt est persona diuina distinguitur, sed ex eo tantùm, quod Deo commune est vt in tribus suppositis existenti, sc. ex ipsa diuina voluntate, vt diuina voluntas est, non autem prout est Incarnati Verbi quasi propria; idcircò hæc obligatio non est iustitiæ propriæ sumptæ, sed communiter & impropriè dictæ, quæ est condecentia diuinæ bonitatis modo superius explicato; nulla enim in Deum cadere potest obligatio, nisi quæ liberum voluntatis actum tribus communem propter summam eius rectitudinem naturali quadã sequela vel colligatione modo nostro intelligendi comitetur. Quæ verò sunt vni tantùm personæ propria, quatenus propria sunt, nullam respectu Dei aut alicuius existentis in Deo possunt habere formalem siue actualem aut virtualem causalitatem, sed ex diuinis attributis perfectionibus aut rationibus communibus & absolutis vna potest alterius esse causa virtualis in essendo, vt patet de immutabilitate respectu æternitatis. Et sicut debitum Dei ad voluntatis fuę decretum exequendum in rebus non oritur ex rebus ab ipsa voluntate decretis, sed ex ipsius diuinæ voluntatis intima rectitudine & immutabilitate, sic debitum seu obligatio diuinæ voluntatis ad acceptandam Christi satisfactionem, prout à Christo volita est diuina voluntate, & Deo per eandem oblata, non ex ipso creato satisfactionis actu iam producto, aut etiam à Deo præconcepto, sed ex ipsa diuinæ voluntatis rectitudine & immobilitate deriuatur. Sed cum in Deo sit ratio dominij, & iustitiæ punitiuæ, quamuis considerata ratione dominij possit Deus homines etiam innocentes in Infernum perpetuò torquendos detrudere, absque hoc quod vlla fiat eis iniuria; si tamen consideretur Deus præcisè, vt iustus iudex absque dominio, non potest secundùm hanc rationem innocentem absque iniustitia punire. Sic igitur in proposito nostro, licèt Deus peccatis nostris offensus possit vt supremus Dominus non acceptare, vel etiam annihilare Christi satisfactionem sine iniustitia; si tamen consideretur vt offensus præcisa ab eo potestate dominij tenetur Christi satisfactionem acceptare, vel aliam abundantiorem non petere, cùm illa sit superfluens, & ex proprijs, &c. & hoc satis esse videtur ad rationem satisfactionis de toto rigore iustitiæ; hæc tamen obligatio non videtur excedere condecentiam diuinæ bonitatis.

Ex dictis sequitur duplicem in Deo fuisse obligationem ad acceptandam Christi satisfactionem, quarum prima nullam sapit iustitiæ propriè dictæ rationem, sed est sola condecentia bonitatis: *Secunda* ad iustitiam pertinet supereminentem, cuius actiones modum nonnunquam induunt iustitiæ nostræ commutatiuæ, cuius ratio formalis Deo minimè congruit, nonnunquam autem distributiuæ, quæ Deo formaliter & propriè conuenit. Nam si Christi satisfactionem consideremus, vt oblatam aut offerri Deo possibilem per diuinam Christi voluntatem suppositio Incarnationis decreto absque ordine siue præciso ordine ad redemptionem, correspondet illi ex parte Dei obligatio iustitiæ minùs propriè dictæ, quæ est condecentia bonitatis: si verò eandem satisfactionem intelligamus, vt oblatam aut offerri possibilem suppositio decreto Incarnationis cum ordine ad redemptionem à Christo cognito, aut etiam posita promissione, vel pacto inter Deum & Christum, illi ex parte Dei respondet obligatio iustitiæ longè altioris rationis quàm sit iustitia nostra commutatiua.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCLVSIO: *Christi satisfactio quo ad intrinsecam perfectionem siue modum in eam ex vnione ad diuinam personam deriuatum non est infinita simpliciter in genere moris, sed tantùm secundùm quid, sc. in genere satisfactionis.* Hanc probant & explicant ea, quæ diximus *in 1. par. Controuersiæ.* Eandem tenet Capreolus *in 2 sent. dist. 18. q. vnica ad primum Scoti.*

SECVNDA CONCLVSIO: *Christi satisfactio, qua ratione personam Verbi connotat aut includit simpliciter infinitam modo superius explicato, scilicet quantùm ad formam valoris extrinsecam, dici potest simpliciter infinita, non in genere entis sed in genere moris & satisfactionis.* Hæc patet ex dictis *in prima parte Controuersiæ.* Et probatur *primò* ex Anselmo *lib. 1. Cur Deus homo, cap. 14. & 19.* & D. Tho. *infra q. 48. ar. 2. ad 3. Et quarto cont. gent. c. 54. & de Ver. q. 29. a. 7 & in tertio d. 18. q. 1. a. 6. Et ex allegata Extrauag. Vnigenitus de Indulgentijs.* In qua probat Sum. Pontifex thesaurum meritorum Christi esse simpliciter infinitum, & Basilius *in Psal. 38.* exponens illa verba *Frater non redimet*, &c. ait pretium satisfactionis Christi superare omnem valorem, quod est esse infinitum. *Secundò probatur*; quia aliàs sequeretur satisfactionem Christi non esse maiorem peccato Adæ, cuius oppositum affirmat diuina Scriptura *Rom. 5.* probatur illatio: quia peccatum Adæ ex se quandam habet infinitatem, qua scilicet ex se sufficiens est homines etiam infinitos inficere, si tot ex Adam nascerentur: at si Christi satisfactio non haberet ex se sufficientem valoris infinitatem pro peccatis infinitis, maius esset delictum quàm donum; ergò. *Et confirmatur*: quia satisfactio Christi verè sufficiens est pro totius mundi peccatis, etiam si multiplicarentur in infinitum; ergò. Antecedens est Ambrosij *Præfat. in Psal. 35.* Et probatur: quia Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ virtutem habent sufficientem ad vniuersa peccata delenda, quamuis multiplicarentur in infinitum: vt probat S. D *infr. qu. 68. a. 5. & q. 86. ar. 1.* at prædicta Sacramenta virtutem habent ex satisfactione Christi; ergò multò magis talem virtutem habebit ipsa Christi satisfactio: Consequentia verò probatur: quia nisi talis virtus esset infinita, possent adeò secundum numerum vel grauitatem peccata multiplicari, vt illam adæquare non posset Christi satisfactio, si esset finita; atque ita meritò timere

posse-

posſemus, ne Chriſti ſatisfactio minimè ſuffi- A ciens eſſet pro peccatis; ac præterea Summus Pontifex *in decretali prædicta* concludit non eſſe timendum, quod exhauriatur theſaurus ſatisfactionis Chriſti. *Poſtremò probatur*; quia ſi cauſæ proximæ alicuius effectus ſunt infinitæ, & in illum influunt ſecundùm totam ſuam virtutem moralem, producunt effectum moraliter infinitum; ſed cauſæ proximæ ſatisfactionis Chriſti ſunt infinitæ moraliter & influunt in ſatisfactionem ſecundùm totam ſuam infinitatem; ergò cauſant ſatisfactionem infinitam; Maior patet. Minor, quo ad primam partem aſſerẽtem cauſas proximas ſatisfactionis Chriſti eſſe moraliter infinitas, probatur: quia Chriſti ſatisfa- B ctio duo habet principia proxima: alterum vt quod; & alterum vt quo. Primum eſt perſona Verbi in aſſumpta humanitate, quam perſonam conſtat eſſe ſimpliciter infinitam. Secundum autem eſt multiplex: primùm humanitas vnita Verbo, quæ principium eſt ſatisfactionis per modum naturæ ſubſtantialis: ſecundum eſt gratia quæ eſt principium proximum quo per modum naturæ accidentalis; & hæc in Chriſto fuit infinita in ratione gratiæ: vt probat infra S. D. *q. 7.* tertium eſt charitas quæ principium proximum eſt per modum habitus imperantis ſatisfactionem: quæ licèt in ordine ad eliciendum amorem Dei fuerit finita; vt probat Aſturicenſis *in ſua Relectione de gratia Chriſti pag. 225. & 342.* in C ordine tñ ad eliciẽdam ſatisfactionem fuit infinita; vt ait S. D. *infra q. 48. a. 2. & in 3. d. 19. q. 1. a. 1. q. 1. & d. 20. q. 1. a. 3. ad 1. & 2. & alibi.* Et Capreolus *in tertio d. 20. q. vnica ad 4. Scoti contra primam concluſionem*, & ratio iam dicta eſt; quia ſcilicet per actum charitatis Chriſtus offerebat Deo infinitam ſuæ perſonæ dignitatem; & ideò ſatisfaciebat infinitè; quod idem dicendum eſt de alijs humanæ Chriſti naturæ virtutibus: nam, ex. g. temperantia licèt eſſet ex obiecto ſuo & intenſione finita, quatenus tamen eliciebat actum, per quem ſubijciebatur Deo infinita Verbi perſona, erat infinita. Quò ad ſecundam verò partem quod ſcilicet omnes prædictæ cauſæ influant in ſatisfactionem ſecundùm totam ſuam D virtutẽ, probatur: quoniam hic infinitus influxus nihil aliud dicit, quàm elicere actionem reflexiuam ſupra ſuppoſitum diuinum, humiliando totam eius dignitatem: ſed hæc principia talem actionem eliciunt, qua ſcilicet totam diuini ſuppoſiti dignitatem humiliant; ergò moraliter influunt ſecundùm totam ſuam virtutem: non enim eſt aut fingi poteſt, maior vel perfectior influxus moralis eo, quo ſubijcitur Deo infinita dignitas perſonæ diuinæ.

TERTIA CONCLVSIO: *Valor ſatisfactionis Chriſti ſimpliciter infinitus non ex ſola ſatisfacientis perſonæ dignitate deſumitur, ſed etiam ex oblatæ rei pro peccatis hominum infinitate deriuatur.* Hæc con- E cluſio latè probata fuit & explicata *in dicta prima parte Controuerſiæ.*

QVARTA CONCLVSIO: *Chriſti ſatisfactio fuit ex iuſtitia cõmutatiua propriè ſumpta.* Hæc patet *ex 2. parte Controuerſiæ*, & aſſerit eam Caietan. *in Com. 2. Cor. 5. in fine.*

QVINTA CONCLVSIO: *Chriſti ſatisfactio vt ſatisfactio formaliter eſt, regulatur à virtute iuſtitiæ commutatiuæ; quatenus ſcilicet ab ea elicitur aut imperatur.* Hæc patet ex dictis *in 2. parte Controuerſiæ in fine*; & probat eam Aluarez *in ſua 4. Concluſ.* multis argumentis.

SEXTA CONCLVSIO. *Iuſtitia Chriſti commutatiua in ordine ad Deum erat longè diuerſæ rationis & altioris ordinis, quàm iuſtitia commutatiua, quæ eſt inter homines*, hæc patet ex dictis.

SEPTIMA CONCLVSIO. *Chriſti ſatisfactio perfecta fuit, & ſecundùm omnem rigorem iuſtitiæ, quatenus tres illas habuit conditiones, quæ neceſſariæ ſunt, vt adæquet offenſam; adeò vt, ſi creditor iniuriam vellet aliqua ſatisfactione compenſare, ſolam hanc iuſtè poſſet exigere. Conditiones verò ſunt: vt non ſit ex gratia creditoris, vt ſit ex propriis, & ex non debitis alio titulo creditori.* Hanc probant vberrimè, quæ diximus *in 3. parte Controuerſiæ.*

OCTAVA CONCLVSIO: *Nulla propriè & ſimpliciter loquendo, fuit in Deo obligatio iuſtitiæ commutatiuæ ad acceptandam Chriſti ſatisfactionem.* Hæc patet *ex primo dicto tertiæ partis Controuerſiæ.*

NONA CONCLVSIO: *Chriſti ſatisfactio ex parte ſui, & ex parte Chriſti ſatisfacientis eam habuit iuſtitiæ perfectionem, vt ſui valoris infinitate & æqualitate ad offenſam poſſet diuinam obligare voluntatem, ſi in eam cadere poſſet obligatio.* Hæc patet *ex 2. dicto eiuſdem 3. partis.*

DECIMA CONCLVSIO. *Suppoſito decreto Incarnationis ordinatæ ad humani generis redemptionem cum eius decreti notitia in anima Chriſti, aut etiam pacto vel expreſſa Dei promiſſione in Deo fuit obligatio iuſtitiæ, non ſolùm quæ dicitur condecentia bonitatis, ſed etiam iuſtitiæ magis propriè dictæ, non tamen commutatiuæ, ſed eminentioris quæ modum habuit commutatiuæ, ſecluſis imperfectionibus.* In hac concluſione conueniunt omnes ferè iuniores S. D. Interpretes, Medina, Suarez, Valentia, Peſantius, Aluarez. Et habet fundamentum in D. Th. *2. d. 27. q. 1. a. 3. ad 4* eius verba ſunt: *Deus non efficitur debitor nobis, niſi fortè ex promiſſo; quia ipſe bona operantibus præmium repromiſit; & ideò non eſt inconueniens, ſi ab ipſo quis mereri poßit, ex quo aliquo modo debitor eſt.* Hæc ibi. Qui tamen *in 1. parte q. 21. a. 1. ad 3.* & alibi negat, Deum cuiquam eſſe debitorem, eo quod ipſe ad alia non ordinatur, ſed alia ad ipſum. De qua re videndus eſt Bergomas *in aurea Tabula, dub. 431.* & Caiet. *1. 2. q. 114. ar. 1. & 3.* Et ibi Conradus & Medina. Sed licèt Deus ab extrinſeco nequeat obligari, & alteri primò ac propriè non obligetur, ſed ſibi tantùm, hæc tamen obligatio, quàm Deus habet reſpectu ſui, in promiſſione fundatur homini facta ſub onoroſa conditione; ac proinde reſpicit hominem mœrentem aut ſatisfacientem tamquam alterum iuſtitiæ terminum vel extremum ſecundarium, & non tantùm vt materiam circa quam verſatur obligatio, quam Deus habet primò reſpectu ſui; longè ſiquidem eſt diuerſa ratio de creaturis, quoad earum perfectiones naturales in ordine ad Dei ſapientiam & voluntatem, & de homine prout intellectualis eſt & liberi arbitrij, qua ratione fiunt ei promiſſiones à Deo. Deus enim in ordine ad creaturas quoad E earum perfectiones naturales nulli poteſt eſſe debitor, niſi ſibi ipſi, vt probat S. D. *1. p. loco notato, & latiùs in 2. cont. gent. c. 29.* at in ordine ad creaturam rationalẽ cui fit promiſſio, quamuis non ſit Deus per ſe primò debitor, extenditur tamen ad eum quodammodò ſecundariò ratio debiti hoc ipſo, quod ei facta eſt promiſſio. Neque tamen ad eum Deus ordinatur, aut ei ſubijcitur; quia non ei per ſe primò debitor eſt ſed ſibi tantùm; nam ea tantùm ratione creaturæ rationali debitor eſt, quia ſemetipſum ad aliquid ei tribuendum obligauit: nam promiſſio à Deo creaturæ facta magis & prius fit ipſi Deo quàm Creaturæ; quia Deus æterno ſuæ voluntatis decreto ſibi primò loquitur, deinde illud

in tem-

in tempore sub forma promissionis creaturę manifestat.

VLTIMA CONCLVSIO. *Supposito decreto Incarnationis absolutè, id est præciso ordine ad redemptionem, intelligitur in Deo fuisse debitum siue obligatio iustitiæ minùs propriè sumptæ : quæ sc. est decentia bonitatis.* Hęc patet *ex 3. dicto vltimæ partis huius controuersiæ*

Argum. & Solutiones. Obi. 1. contr. 1. concl.

CONTRA *primam conclusionem* produci possunt argumenta, quibus probatur 2. & 3. conclusio, quæ nihil aliud concludunt, quàm satisfactionis actum hoc modo sumptum dici posse simpliciter infinitum extrinseca quadam denominatione ex diuino supposito simpliciter infinito deriuata, vt ante diximus.

Obiect. con. 2. concl.

CONTRA SECVNDAM *Conclusionem* sunt argumenta quæ referunt & soluunt Capreolus *in 2. d. 18. q. vnica*, Caietanus *super hoc art.* Barthol. Medina *in suo dubio siue q. de perfectione satisf actionis Christi*, Suarez *disp. 4. sect. 4.* Asturicensis *in allegata quæst. 5. dub. 2. fol. 292.* Vasquez *disp. 5.* Albertinus *in sæpè allegato Corollario 17 punct. 4. pag. 333.* & Aluarez *disp. 4.*

Obi. 1. Radæ.

Contra eandem Conclusionem argumentatur Rada *Controu. 13. art. 2.* probans meritum Christi ex sua ratione formali ex propria bonitate intrinseca non fuisse infinitum, nec infiniti valoris : eadem autem est ratio de satisfactione, cuius valor infinitus ex eadem radice deriuatur, nempè ex infinita suppositi dignitate. Sic igitur arguit.

Primò : Aut bonum velle Christi, quo per creatam meruit voluntatem, fuit acceptatum tantum quantum erat persona Verbi, aut non : Si secundum admittis, ergò ex se non habuit necessitatem acceptabilitatis, vt posset sufficere pro infinitis, & consequenter non erat infinitum : si primum concedis sequitur illud bonum velle Christi ratione suppositi habuisse rationem infinitæ acceptabilitatis, & consequenter erit infinitum bonum ; & tantùm quantum Verbum quod est absurdum. *Respondetur* verum esse secundum : Ad argumentum aduersus hanc partem negatur illatio, quia velle & satisfactio Christi hoc ipso, quod erat actio meritoria & satisfactoria diuini suppositi, habebat infinitatem in genere meriti & satisfactionis, licèt non in genere entis ; poterat enim Christus suæ voluntatis operatione mereri omne illud, quod potest cadere sub meritum & satisfacere pro omni quantumuis graui peccato vel offensa.

Salut.

Obiect. 2.

Secundò : Principium per se actionis meritoriæ Christi sumptum cum omnibus respectibus ad Verbum vel ad aliud est finitum intrinsecè, igitur & actio eius fuit formaliter finita & limitata ; ergò finitè acceptata. Antecedens patet. Quia principium illius actionis est voluntas Christi creata gratia finita informata, quæ ex respectu ad Verbum nullam induit infinitatem intrinsecam ; quia omnes hi respectus sunt finiti. Consequentia probatur ; quia à principio essentialiter & intrinsecè finito non potest oriri operatio formaliter & intrinsecè infinita, &c.

Solut.

Respondetur infinitatem operationum Christi in genere moris non desumi ex principio quo, sed ex principio quod, scilicet à supposito Verbi simpliciter infinito. *Sed contra* (inquit) Principium quod non agit nisi in virtute principij quo ; ergò quamuis principium quod sit infinitum, non potest ab eo oriri actio infinita, nisi prę-

Conf.

cisè iuxta mensuram principij quo. *Et cõfirmatur.* Quia agens quod per principiũ formale formaliter finitum in genere entis & naturæ nõ potest causare effectum formaliter infinitũ, nec elicere actionem formaliter infinitum ; ergò nec per principium quo formaliter finitum in genere moris & gratiæ potest elicere actionem formaliter infinitam in genere moris.

Sol.

Respondetur, nullam esse consequentiam, loquendo de infinitate moris, quamuis vera sit de infinitate actus in esse naturæ ; quia dignitas suppositi agentis se habet vt forma quædam extrinseca actus in genere moris, & ideò valor actus satisfactorij in genere moris secundùm agentis suppositi dignitatem attenditur, licèt in ratione efficientis suppositum non agat, nisi in virtute principij quo. Vnde ad confirmationem negatur consequentia ; quia dignitas suppositi non se habet, vt forma respectu actus in genere entis, sicut eius est forma in genere moris.

Instabis 1.

Sed responsionem hanc argunt Rada. Primò. Quia ratione personæ non acceptantur illi actus tantùm, quantùm persona, ergò.

2.

Secundò, Quia nullam bonitatem intrinsecam moralem vt suppositum sub ratione suppositi illis confert.

3.

Tertiò, Quia si illam tribuit, illa infinitas non est intrinseca actui sed extrinseca, ergò. Probatur hoc assumptum. Quia actus voluntatis Christi, cùm sit in specie moris, habet intrinsecam differentiam & proprietatem, qua limitatur & finitur in sua specie, nec intensionem habet infinitam : at supposita bonitate morali actus finita & limitata, valor eius intrinsecus non potest esse infinitus : quia tantùm acceptatur, quantum valet ex se & ex propria bonitate intrinseca ; ergò si bonitas actus est ex se & intrinsecè finita, non potest ex se acceptari pro infinitis.

4.

Quartò, Si circumstantia & dignitas personæ auget interdum intrinsecam bonitatem actus in ratione virtutis, hoc est, quatenus aliquo modo redundat in obiectum, augendo vel mutando bonitatem eius obiectiuam, vt quando pauper facit eleemosynam, illa circumstantia personæ auget bonitatem ; quia illud obiectum ad talem personam comparatum censetur difficilius & maioris quantitatis proportionalis. Et hinc fit, vt hæc circumstantia personæ, etiamsi infinita sit, non infinitè augeat hanc bonitatem, sed limitatur ex habitudine & modo, quo talis actus tendit in obiectum sic affectum, quæ necessariò est finita ; ergò licèt operatio creata Christi sit personæ infinitæ, non tamen est intrinsecè & formaliter infinita : quia sic auget bonitatem intrinsecam, non quidem vt suppositum, sed vt obiectum ; ex qua ratione non habet infinitatem intrinsecam actus.

Sol. 2.

Respondetur ad primum nullam esse consequentiam : quia persona non confert actui satisfactorio suam bonitatem in genere entis, sed tantùm confert ei bonitatem in genere moris modo superius explicato.

2.

Ad secundum negatur antecedens ; non enim assentior Vasquezio dicenti *in sua disputat. 6. cap. 2.* ex Deitate propter fundamentum vnionis personalis deriuari in naturam humanam per denominationem tantùm extrinsecam effectum quendam moralis sanctificationis, in quo ipsa Deitas tamquam forma includatur, sicut ferrum ignitum continet vt formam ignem ipsum ; nam præter extrinsecam hanc denominationem resultat in actu satisfactionis bo-

nitas quædam moralis illi non minus, sed longè magis intrinseca, quàm sit ea bonitas, quàm habet actus virtutis ex alijs eius circumstantijs rectæ rationis iudicio comparatis; quia multò magis operationi suæ persona coniungitur, quam locus aut tempus aut finis &c. consistit autem hæc bonitas moralis seu valor operationis in essentiali eius commensuratione ad tantæ dignitatis personam, à qua producitur secundùm regulam rectæ rationis: qua etiam ratione conuenit actui libero bonitas moralis in ordine ad alias circumstantias, quibus secundùm rectæ rationis regulas commensuratur. *Ad tertium* negatur assumptum. Ad eius probationem dico, bonitatem actus intrinsecam ex obiecto esse finitam, sed ei nihilominus adiungi posse bonitatem aliam, scilicet valoris infiniti ex circumstantia personæ actum elicientis, vt ex supradictis elucet. Vnde admissa maiori negatur minor, si loquatur de sola bonitate quam habet actus ex obiecto: si autem de omni actus bonitate loquatur, non admittimus id quod supponit, videlicet bonitatem satisfactionis in Christo esse omnibus modis finitam. *Ad quartum* negatur consequentia. Quia non eodem modo personæ dignitas auget propriam, & intrinsecam bonitatem actus in ratione virtutis, quo valorem auget satisfactionis aut meriti. Virtutis enim bonitatem actui confert, non per hoc quod fiat quasi forma ipsius actus secundùm se, sed quatenus redundat in obiectum, augendo vel minuendo propriam illius bonitatem, vt patet in adducto exemplo pauperis eleemosynam largientis: sed valor operis in ratione satisfactionis ab ipsa persona proximè & immediatè deriuatur; ex hac enim non extrinseca tantùm, sed etiam intrinseca denominatione Christi satisfactio dicitur infinita; quamuis longè maior sit infinitas extrinsecè denominans, quàm eidem intrinsecus adhærens vt supra notauimus.

3. 4.

Obiect. 3. Tertiò; Opera Christi non habuerunt infinitum valorem ratione infinitæ dignitatis personę Verbi; ergò nullo modo habuerunt infinitum valorem. Consequentia patet. Antecedens probatur primò. Quia non erat principium illius valoris, quatenus erat suppositum humanum, neque vt suppositum diuinum, ergo nullo modo. Antecedens quo ad primam partem probatur. Quia vt sic non dicit formaliter infinitam dignitatem. Quo ad secundam verò probatur: Quia vt sic nec satisfaciebat nec se tenebat ex parte satisfacientis, sed potius ex parte acceptantis satisfactionem. Præterea. Si concursum aliquem physicum habuit peculiarem suprà actiones humanitatis, ille non erat infinitus, quia non agebat infinitè sed finitè, ergò. Præterea. Vel persona diuina est causa secundùm se illius valoris in operatione humanitatis, vel vt vnita humanitati: at neutrum dici potest, ergò. Probatur minor quo ad primam partem; quia persona diuina secundùm se non potest esse satisfaciens, ergo nec potest pertinere ad materiam satisfactionis, nec dare operibus humanitatis valorem satisfactorium. Consequentia patet. Antecedens probatur. Quia persona satisfaciens vt sic est inferior eo, cui satisfacit: at diuinæ personæ repugnat esse inferiorem Deo. Quoad secundam verò partem probatur. Quia tunc valor satisfactionis non esset æqualis grauitati offensæ, vel saltem non esset infinitus. Sequela probatur. Quia dignitas satisfactionis non esset æqualis dignitati personæ offensæ: si quidem satisfaciens est persona diuina in quantum homo, offensus verò Deus secundùm se: At persona diuina inquantum homo non est tantæ dignitatis, sicut Deus secundùm se; nam Christus vt homo dicitur creatura & minor Patre.

Respondetur, personam diuinam esse causam illius valoris, prout est vnita humanitati. Ad argumentum in contrarium negatur sequela. Ad cuius probationem dico propositionem illam, *Satisfaciens est persona diuina in quantùm homo*, dupliciter intelligi posse: Vno modo, vt dictio illa complexa *inquantum homo* significet solam humanitatem esse principium satisfactionis, & ita falsa est dicta propositio, vt patebit *in sequenti Controuersia*. Alio modo, vt humanitas sit principium quo: persona verò diuina, pro qua supponit nomen illud concretum homo, sit principium quod, & sic vera est propositio, sed falsa est minor subsumpta videlicet personam diuinam inquantum homo, non esse tantæ dignitatis, quantæ est Deus secundùm se. *Secundò cùm aliys dici posset* ad argumentum, dictionem illam *vt* siue *in quantùm* dupliciter sumi posse: Vno modo *reduplicatiuè* & ita denotat significatum termini, cui applicatur, esse rationem siue causam per se talis valoris; & sic falsum est personam diuinam prout est vnita humanitati esse causam valoris; sic enim humanitas esset propria causa valoris. Alio modo sumi potest *specificatiuè*, quo modo significat terminum, cui applicatur, esse conditionem necessariò requisitam, vt persona Verbi sit causa valoris operationum humanitatis illi vnitæ: & in hoc sensu verum est, personam diuinam vt est humanitati vnita esse causam valoris operationum, quas exercet in assumpta humanitate: sic autem persona diuina satisfaciens est æqualis Deo, cui offertur satisfactio. *Sed hanc solutionem impugnat Rada. Primò:* quia illa conditio est modificatiua concursus, & quasi limitat ipsum. *Secundò:* Quia persona diuina sumpta, vt vnita humanitati in sensu concesso, est persona offensa & acceptans satisfactionem; ergò non concurrit ad tribuendum operibus satisfactionis valorem. Antecedens probatur. Quia persona sic sumpta secundum se est causa illius valoris infiniti; ergò satisfacit vt persona infinita, at quatenus persona infinita est persona offensa; ergò. *Tertiò*: Quia si persona Verbi secundùm se, licèt cum illa conditione det valorem operibus satisfactorijs humanitatis, illa satisfactio innititur gratiæ ipsius creditoris; ergò satisfactio Christi non fuit de toto rigore iustitiæ; quod isti negant. Prima consequentia probatur. Quia Verbum secundùm se est creditor. *Respondetur ad primum*, & negatur assumptum, loquendo de concursu valoris moralis in genere satisfactionis, vt satisfactio est, quamuis concursus absolutissimè sumptus limitetur ad tale genus, scilicet ad valorem actus in genere moris; quoniam ex dignitate suppositi in humana natura subsistentis & operantis, non potest valor operationis augeri in genere entis, sed tantùm in genere moris. *Ad secundum* negatur antecedens. Ad eius probationem negatur antecedens; non enim persona Verbi secundùm se præcisè est causa valoris operationis procedentis ab humanitate vt principio quo, sed quatenus habet iam dictam conditionem, vt scilicet sit vnita

Solut 1. *Sol. 2.* *Inst. 1.* 2. 3. *Sol. 1.* 2.

vnita humanitati. Deinde dico, persõnam infinitam cum tali conditione non esse persõnam offensam sed satisfacientem, vt latè superius explicauimus. *Ad tertium* negatur prima consequentia siue conditionalis : Ad eius probationem dico, Verbum secundùm se, id est vt est subsistens in diuina natura, esse creditorem, vt autem est vnitum humanæ naturæ & in ea subsistit, esse satisfactorem.

3.

Obiect. 4. *Quartò*, Si Verbum mereretur, aut satisfaceret per velle increatum solum mereretur aut satisfaceret infinitè & pro infinitis ; ergo cùm mereretur & satisfaceret per velle creatum, non merebatur & satisfaciebat infinitè & pro infinitis ex natura & valore actus. Probatur consequentia. Nam aliàs velle proprium Verbi non esset in se maioris bonitatis, quàm velle naturæ assumptæ in ipso. *Resp.* nullam esse consequentiam ; quia velle proprium Verbi præter valorem meriti aut satisfactionis infinitum, quod pertinet ad genus moris, haberet etiam infinitatem simpliciter in genere entis, quæ non conuenit actui creato.

Solut.

Obiect. 5. *Quintò* : Actus elicitus à voluntate creata Christi non erat infinitus in bonitate morali : ergò per illum Christus non meruit infinitè. Antecedens probatur. Quia differentia eius essentialis & intrinseca non erat infinitæ perfectionis ; ergò. Probatur hoc antecedens primò ; quia nihil aliud à Deo habet infinitam perfectionem. Secundò ; quia talis actus nec habet infinitatem in intensione, quia non est possibilis ; neque habet infinitatem in extensione, quia vnica ac simplici habitudine fertur in obiectum, quamuis infinitum. *Resp.* falsum esse antecedens. Ad probationem negatur consequentia ; quia bonitas seu valor moralis actus non attenditur penes intrinsecam & essentialem eius differentiam ; hæc enim sumitur ab obiecto, & pertinet ad physicam actus bonitatem, sed valor seu bonitas moralis operationis oritur ex operantis suppositi dignitate : nec correspondet valor hic operis intensioni aut extensioni, aut alijs qualitatibus & modificationibus actus intrinsecis, sed soli dignitati suppositi operantis. Et quemadmodum obiectum actus infinitum physicam actui confert infinitatem, si totaliter actus attingat obiectum, ita suppositum illi actui valorem moralem tribuit infinitum, qui morali attingentia totaliter attingit suppositum operans : fit autem hæc attingentia per hoc, quod non solùm egreditur actus à supposito, sed etiam supra ipsum secundùm totam eius dignitatem quadam ratione siue modo reflectitur, vt antè diximus.

Solut.

Vltimò Si meritum Christi fuit infinitum ex sui ratione formali & intrinseca, sequitur quòd potuit Christus plus mereri, quàm Deus potuerit præmiare seu remunerare : sed consequens videtur absurdum ; ergò antecedens non est concedendum. Sequela probatur. Quia meritum infinitum non potest habere præmium æquale, nisi sit etiam infinitum : at hoc Deus conferre non potest. Probatur hæc minor. Quia nec infinitam gratiam nec infinitam visionem sui potest efficere. *Respondetur*, nullam esse consequentiam. Ad cuius probationem negatur minor ; potuit enim Christus non solùm gratiam & alia dona hominibus & angelis mereri secundùm perfectiores & perfectiores gratiæ & donorum gradus vsque in infinitum, sed etiam mereri potuit, vt Pater aut etiam Spiritus sanctus humanæ naturæ personaliter vniretur, vel etiam vt Filius alias indiuiduales humanas, vel etiam angelicas specie diuersas naturas assumeret. De qua re disserit Vasquez *disp. 6. cap. 4.* & post eum latè & subtiliter Albert. *Coroll. 18. p. 4. n. 55. pag. 337. & seq.* *Secundò respondetur*, quod licèt Deus nequeat facere præmium vel condonationem offensæ simpliciter infinitam in ratione entis physici, potest tamen efficere præmium & condonationem offensæ infinitam in esse morali, & ita potest esse æqualitas inter meritum vel satisfactionem cum præmio & condonatione. Sicut enim non potest Deus facere præmium infinitum physicè & entatiuè ; quia tale infinitum non est factibile ; ita Christi meritum & satisfactio non sunt physicè infinita, sed cùm infinitatem habeant moralem, vt antè diximus, correspondet eis præmium vel offensæ condonatio moraliter infinita : Præmium quidem ; quia licèt claritas corporis, vel exaltatio nominis, quam Christus sibi meruit, finita sint entitatiuè ; quia tamẽ illi data sunt de omni rigore iustitiæ, sunt præmia quædam infinita in ratione præmij. Et similiter quod fiat offensæ remissio ad æqualitatem, & de omni rigore iustitiæ, est aliquid moraliter infinitum, & ita proportionabiliter sibi correspondent meritum & præmium, satisfactio & offensæ condonatio : cætera verò ad infinitatem meriti Christi Domini pertinentia inferius erunt examinanda, scilicet *quæst. 19.* Alia quædam eiusdem authoris argumenta iam antea ab alijs soluta prætermittimus.

Sol. 2.

CONTRA TERTIAM conclusionem nulla supersunt argumenta diluenda : nam quæ tangit Vasquez *disput. 6 cap. 2.* ex ijs, quæ diximus *in prima Controuersiæ parte*, facilè confutantur.

CONTRA QVARTAM *conclusionem* sunt argumenta, quæ referunt & soluunt Barth. Med. in *sua quæst. De satisfactione Christi*, & sunt argumenta apud eum primi ordinis : & ea quæ soluit Suarez *disp. 4. sect. 5.* & Asturicensis *in sua Relectione de Christi gratia q. 5. a. 2. d. 3.* Valen. & Aluar. *super hoc art.* & Albert. *in allegato Corollario 18. puncto 3.*

Contra eandem Conclusionem, quatenus satisfactioni Christi tribuit rationem iustitiæ commutatiuæ, *argumentatur Suarez*. *Primò* : ius diuinum est altioris ordinis, quàm sint omnia iura humana ; ergò virtus illa, per quam Christus exhibuit satisfactionem æqualem pro alienis peccatis, non est eiusdem rationis cum illa virtute, per quam alij homines satisfaciunt Deo, vel cum iustitia commutatiua, quæ est inter homines. Antecedens patet. Consequentia verò probatur à simili ; nam implere promissum Deo, etiam in Christo Domino ad aliam virtutem pertinet, quàm sit fidelitas inter homines, non quia non posset ad æqualitatem impleri, quod promissum est, sed quia promissio ad Deum inducit ius & obligationem altioris ordinis, quàm promissio ad hominem. *Resp.* nullam esse consequentiam ; nam, vt supra diximus, cùm actus iustitiæ sit ad alterum, si in vno tantùm extremo fuerint propriæ iustitiæ conditiones, alterum autem ob sui excellentiam earum aliquas non admittat, erit in vno tantùm iustitia commutatiua, & non in altero, quod defectu conditionum illius non est capax. Est igitur Christi satisfactio actus iustitiæ commutatiuæ formaliter, quamuis hæc sit altioris ordinis quàm nostra. Ad probationem negatur assumptum, loquendo de promissione & actu promisso formaliter, vt promissum est, quicquid sit de eo materialiter sumpto.

Obi. Suar. 1. cont. 4. conc.

Solut.

Obiectio 2. *Secundò*: Hæc virtus in Christo non est pœnitentia, sicut in alijs hominibus, & inclinat ad reddendum debitum Deo, ergò verisimile est, eam à virtute religionis non esse distinctam. Antecedens quo ad primam partem probatur. Quia pœnitentia significat propriè retractationem prioris facti vel prioris voluntatis; ergò in Christo Domino locum non habuit. Quoad secundam patet. Consequentia verò probatur. Quia virtus religionis inclinat ad reddendum omne debitum Deo. *Respondetur*, nullam esse consequentiam. Ad cuius probationem negatur antecedens; nam ad religionem pertinet exhibere Deo reuerentiam & cultum illi debitum, quatenus primum est principium creationis & gubernationis rerum, vt ait S. D. 2.2.q.8.a.3. Constat autem satisfactionem pro peccato non esse Deo debitam sub ratione cultus & reuerentiæ, quatenus est primum rerum principium, propriè & formaliter loquendo. Opinionem hanc Suarezij, nimirum Christi satisfactionem ad virtutem religionis pertinere, confutat acriter & vberrimè Vasq. *disp.7.c.4.& seq.*

Solut.

Obi. Vasq 1. cont eand. cone. *Contra eandem Conclusionem argumentatur Vasquez. Primò*, Christus non potuit reddere aliquid Deo, quod esset ei alicuius vtilitatis, aut commoditatis; ergò virtus, qua Deo pro nobis satisfecit, non est dicenda pars iustitiæ subiectiua sed solùm potestatiua. Probatur consequentia. Quia proprium est iustitiæ, vt id, quod redditur, sit vtile vel commodum ei cui redditur. *Respondetur*, nullam esse consequentiam. Ad eius probationem dico, assumptum verum esse, quando is, cui redditur æquale, capax est nouæ vtilitatis aut commoditatis: quòd si talis non sit in eo capacitas, erit quidem iustitia ex parte reddentis æquale, non autem ex parte eius cui redditur æquale, sicut in proposito, &c.

Obiect. 2. *Secundò*: Homines pro peccato in Deum commisso non debebant satisfactionem Deo ex iustitia; ergo nec Christus pro eis soluens potuit ex iustitia satisfacere. Probatur Consequentia. Quia Christus idem onus subijt satisfaciendi Deo, quod homines habebant; ergò si materia talis satisfactionis non fuit hominibus materia sufficiens, vt ex iustitia Deo satisfacerent, non potuit etiam Christo esse. *Quod si dicas*, homines non potuisse satisfacere Deo ex iustitia, quia non potuerunt reddere Deo æquale, Christum autem potuisse ex iustitia satisfacere, quia reddere potuit æquale: *hoc (inquit) responsum* facilè explodi potest. Quia Christus non potuit subire aliam obligationem erga Deum pro offensa & peccato ab eis commisso, quàm habebant homines: at homines non tenebantur obligatione iustitiæ ad solutionem; ergò neque Christus pro illis soluens obligationem iustitiæ ad id teneri potuit. Maior probatur: Quia Christus nullo alio titulo iustitiæ obligari poterat, nisi vt illorum debitum in se susciperet & persolueret. Minor verò probatur: Quia obligatio alicui satisfaciendi ex iustitia propriè ortum habet semper ex iustitia violata. Atqui homines peccantes peccato superbiæ aut intemperantiæ aut alio, non peccauerunt contra iustitiam propriè erga Deum; ergò homines non tenebantur obligatione iustitiæ ad soluendum. Maior huius argumenti probatur. Quia vbi iustitia violata non est, iustitia ipsa non postulat satisfactionem aut compensationem; fit enim hæc solùm ex iustitia ad reducendam aliquam inæqualitatem antea factam contra iustitiam ad æqualitatem, quam ipsa violata iustitia postulat. Minor verò probatur. Quia alioquin sequeretur homines in quouis peccato contra duplicem virtutem specialem peccare, ac proindè quodlibet eorum peccatum in duplici specie constitui, altera contra temperantiam aut humilitatem &c. altera contra iustitiam erga Deum violando ius illius: at hoc est absurdum. *Resp.* nullam esse consequentiam, loquendo de satisfactione ex perfecta iustitia. Ad cuius probationem benè respondet arguens. Ad impugnationem responsionis dico, falsam esse maiorem propriè & formaliter loquendo; nam quia non poterant homines ex proprijs & aliàs indebitis reddere Deo æquiualens pro offensa, non erat in eis obligatio perfectæ & commutatiuæ iustitiæ, sed imperfectæ tantùm scilicet ex virtute pœnitentiæ. Christus autem ob infinitam suæ personæ dignitatem poterat æqualem offensæ Deo reddere satisfactionem, & ideò ex obligatione perfectæ & propriè dictæ iustitiæ commutatiuæ satisfecit. Materialiter autem loquendo certum est eandem fuisse Christi & hominum obligationem; quoniam & hi pro proprijs, & ille pro eisdem vt alienis per actus humilitatis, doloris &c. satisfacere tenebatur. Sol. 1.

Secundò respond. falsam esse minorem dictæ impugnationis. Ad cuius probationem negatur minor: cuius ratio est; quoniam homo per actum intemperantiæ mortalem duplicem contrahit peccati deformitatem, alteram contra virtutem intemperantiæ ratione conuersionis ad obiectum à recta ratione & lege naturali dissonum, & iniustitiæ per auersionem à Deo summo bono, cui tamquam primo rerum principio & gubernatori ac vltimo fini summus debetur honor & reuerentia, non per actus tantùm religionis, sed per directionem omnium actuum voluntatis in ipsum, vt vltimum finem, qua dignitate quantum sit ex actu & intentione peccantis finem vltimum in re creata constituentis, Deus cum summa priuatur iniuria saltem implicita & virtuali ad iniustitiam reductiuè pertinente, ac per hoc iustitiæ æqualitate compensanda. Sol. 2.

Tertiò sic arguit: Christus non minus perfectè nec alio modo satisfaceret Deo pro nobis, etiamsi pro nobis non spopondisset, quàm nunc satisfecit spondens pro nobis: at si non spopondisset, non satisfaceret ex iustitia; ergò neque ex iustitia satisfecit. Minor probatur. Quia sicut de ratione iustitiæ est æqualitas seruanda cum alio, ita est debitum seruandi hanc æqualitatem: at si Christus non promisisset, nullo debito & obligatione teneretur ad satisfaciendum; ergò si non spopondisset, non satisfaceret ex iustitia. *Resp. primò*, falsam esse maiorem; quia si Christus non spopondisset aut debitum pro nobis satisfaciendi non suscepisset, non fieret eius satisfactio intuitu constituendi æqualitatem iustitiæ inter Deum offensum & hominem peccatorem; & ideò satisfactio Christi non pertineret ad iustitiam propriè dictam. Quemadmodum si Petrus debeat Paulo centum aureos, & Ioannes totidem donet Paulo titulo gratitudinis, non autem intentione satisfaciendi pro Petro, datio illa siue solutio non erit operatio iustitiæ neque satisfactio. Obiect 3. Sol. 3.

Secundò respond. falsam esse minorem loquendo de- Sol. 2.

do de expressa & non implicita tantùm promissione; iam enim diximus, hoc ipso Christum obligationem accepisse satisfaciendi, quod humani generis caput effectus est, quam tamen etiam libera promissione firmauit; itaque si Christus, nulla præmissa libera promissione Deo satisfactionem pro peccatis humani generis obtulisset, equalitatem inter nos & Deum iustitiæ perfectam constituisset. Et in hoc sensu videtur accipiendum id, quod ait Aluar. scilicet ad veram & perfectam iustitiam satis esse (quantum sit ex parte debiti) vt ille, qui satisfacit, vel ille pro quo fit satisfactio, teneatur ex debito satisfacere & satisfaciendo reddat æquiualens. Quare meritò Vasquez Suarezium impugnat asserentem, ad rationem iustitiæ propriæ satis esse operari intuitu constituendæ æqualitatis „ etiam si operans siue satisfaciens nulla ad operandum aut satisfaciendum obligatione teneatur; contrarium enim expresè docet S. Thom. *2. 2. quæst. 80. art. 1. & quæst. 108. art. 2. ad 1.*

Aluarez. *Suarez ij dicitur.* *S. Tho.*

QVARTO probat *in septimo cap. disput. octauæ* non satis esse distinctionem naturarum in eadem persona, vt ratione vnius naturæ possit sibi ipsi subsistenti in altera natura secundùm rationem iustitiæ propriè dictæ satisfacere: primò, quoniam ille, qui primariè satisfacit, idem est secundùm rem cum Deo, cui satisfactio exhibetur; ergò satisfactio non est vnius ad alterum. *Et confirmatur primò.* Quia dicentes eandem personam per alteram naturam satisfacere, & per alteram satisfactionem acceptare immutant diffinitionem aut conditionem Aristotelis dicentis iustitiam esse ad alterum; sic enim non esset ad alterum sed eiusdem ad seipsum per alteram & alteram naturam. *Secundò confirmatur:* Quia non satis est operationem esse ad alterum simpliciter, & natura & supposito distinctum, sed oportet etiam vt sit ad alterum, qui sit sui iuris, id est qui habeat bona propria, quibus satisfaciat: at satisfactio Verbi per humanam naturam non potest hoc modo dici ad alterum; ergo. Probatur minor: Quia bona, ex quibus exhibetur satisfactio Verbo, sunt ipsius secundùm valorem, licèt elicita sint ab humanitate, ratione cuius ipsa humana natura se habet comparatione Verbi sicut pars Patris, & sicut filius nondum emancipatus.

Obiect. 4. *Conf. 1.*

Solutio. *Respondetur,* nullam esse consequentiam; quia licèt sit idem suppositum, æquiualet tamen duobus ob duas substantiales naturas, in quibus subsistit; ita vt eadem Verbi persona sit diuinum suppositum & humanum, Deus & Homo. *Ad primam Confirm.* negatur assumptum; non enim immutatur aut destruitur illa Philosophi conditio, sed magis eleuatur & extenditur ad superioris ordinis extrema Philosopho minimè cognita. *Ad secundam Confirm.* nego minorem. Ad eius probationem dico primò, bona quibus satisfecit Christus esse propria Verbi prout ab hoc Deo & ab alijs personis distinguitur; quia scilicet satisfactio valorem habet ex propria & personali Verbi dignitate, vt ante diximus. Secundò dico, humanam naturam ratione dominij specialis, id est, libertatis respectu suarum operationum similem esse filio emancipato, & secundùm hanc rationem liberam omnem operationem esse illius propriam, vt perspicuè supra demonstrauimus.

Ad 1. Conf. *Ad 2. Conf.*

Obiect. 5. *Quintò* probat *in cap. 3. eiusdem disp.* Christi satisfactionem non fuisse ex proprijs ac proinde neque ex iustitia. *Primò*, Quia vera est hæc propositio: *Christus satisfecit, inquantum homo:* & licèt (inquit) addi possit, inquantum homo Deus, concedenda tamen est propositio illa sine additamento: At Christus inquantum homo non satisfecit ex proprijs, ergo. Maior probatur. Primò: Quia Sancti Patres illam concedunt & præsertim S. Thomas & nullus hactenus eam negauit. Secundò; quia Christus inquantum homo est Sacerdos & mediator, ergò etiam inquantum homo est satisfactor & redemptor. Minor verò probatur: quia Sanctitas non erat propria Christo inquantum homo, sed donata à Deo, ergò. Probatur hoc assumptum; nam quamuis concretum naturæ positum ex parte subiecti secundùm aliquorum opinionem supponat pro supposito, tamen positum ex parte prædicati iuxta omnium sententiam supponit pro natura: at natura gratiam & donationem accepit, ergo etiam Christus inquantum homo. Probatur prima propositio. Quia S. D. *infr quæst. 16. art. 10. & 11.* ait, quoties additur particula, *inquantùm vel secundùm quod*, terminum illum concretum, *homo*, magis propriè poni pro natura, quàm pro supposito, quia videtur esse ex parte prædicati; & quamuis dicat, terminum illum concretum, *homo*, posse supponi pro supposito in prædictis propositionibus, dicit tamen sensum illum esse minus proprium; igitur sanctitas non erat propria Christo inquantum homo, sed donata à Deo. *Secundò probatur idem assumptum.* Omnis creatura indiget gratia Dei, & eam gratis accipit vt mereatur: at Christus inquantum homo est creatura; ergo Christus inquantum homo indiget gratia Dei vt mereatur. Maior patet. Minor probatur ex dictis. Quia terminus ille, *homo*, se tenet ex parte prædicati, & stat pro natura non autem pro supposito nisi impropriè. *Tertiò probatur idem.* Christus inquantum homo prædestinatus est Filius Dei, hoc est ad vnionem hypostaticam: at prædestinatio est gratiæ præparatio; ergò Christo inquantum homo, fuit ab æterno gratia vnionis præparata; ergò Christus, in quantum homo gratiam accepit in tempore. Probatur hæc secunda consequentia. Quia quod ab æterno præparatur gratis, in tempore etiam datur gratis. Resp. propositionem illam, *Christus satisfecit, inquantum homo*, dupliciter sumi posse; Vno modo, vt hoc nomen homo sumatur in reduplicatione, vel specificatione ratione naturæ. Alio modo, vt sumatur ratione suppositi in humana natura subsistentis. Si primo modo sumatur, dupliciter adhuc potest intelligi; vno modo præcisè, alio modo absque præcisione. Si præcisè sumatur, sensus est: Christus satisfecit inquantum homo, id est, ratione humanæ naturæ (intellige gratia perfectæ) nullo alio concurrente, vt principio quo vel quod: & sic est manifestè falsa, quoniam excludit diuinum suppositum, ex cuius dignitate valor ad satisfactionem deriuatur infinitus. Si verò absque præcisione sumatur, vera est propositio & sensus est: Christus satisfecit per humanitatem (gratia perfectam) vt principio quo: per hoc autem non excluditur suppositum vt principium quod, sed magis in ipsa propositione significatur asserente, Christum id est, personam Verbi subsistentem in humana natura satisfeciisse. Vbi duo perspicuè denotantur principia, scilicet Christus agens vt quod, & humana natura agens vt quo. Si verò sumatur

Solut.

tur ratione suppositi in humana natura subsistẽ- A tis, verissima est, vt patet ex dictis, licèt sit minus propria. Ad argumentum igitur, admissa maiori in vtroque posteriori sensu, dico primò ad minorem, Christum inquantum homo, est, ideſt ratione humanæ naturæ vt principij quo, non satisfeciſſe ex proprijs, sed tamen Christum satisfacientem vt principium quod per humanam naturam satisfeciſſe ex proprijs, nisi quatenus liberè satisfactionis actus elicuit. Secundò dico, sumendo nomen illud *homo* ratione suppositi in humana natura subsistentis, falsam esse minorem; sic enim Christus inquantum homo, ideſt vt suppositum in humana natura subsistens, satisfecit ex proprijs. Et eodem modo respondendum est ad probationes dictæ minoris; concludunt enim Christum, inquantum homo est, ideſt ratione humanæ naturæ vt principij quo, non habuiſſe gratiam ex proprijs, nec meruiſſe B aut satisfeciſſe ex proprijs: sed quia ponendo principium quo, & aliquid de eo negando aut affirmando, non excluditur principium quod cum ijs, quæ illi conueniunt, & ijs, quæ ex eo deriuantur in operationem, sed in ipsa magis clauditur propositione dicente, Christum satisfeciſſe, scilicet vt quod. Cum enim dico, *Christus satisfecit, inquantum homo*, duo satisfactionis principia significo, alterum quod per ea verba, *Christus satisfecit*, alterum quo per illa verba *inquantum homo*. Quod vir acutus Vasquez non aduertit, aut consultò dissimulauit. Quem autem sensum habeat illa propositio, *Christus inquãtum homo est prædestinatus Filius Dei*, declarat S. D. *infra q. 24. a. 2.* & ibi Caiet. & alij expositores. C

CONTRA 5. *Concl.* sunt argumenta quædam Suar. & Vasq. quæ produximus contra præcedentem concl. & soluimus, & ea quæ refert & soluit Aluar *in 4. sua diſp.*

Obiect. Aſturicenſis primacout. 5 concl. Contra eandem conclusionem *argumentatur Aſturi. Primò*: In Christi anima non reperitur virtus iustitiæ commutatiuæ erga Deum; ergò satisfactio Christi nequit esse actio elicita aut regulata à virtute commutatiuæ iustitiæ. Conseq. est manifesta. Antec. probatur. Gratia Christi in esse physico considerata, & quatenus ex ipsa effluunt virtutes infusæ, est prorsus eiusdẽ D speciei cum gratia cuiusuis hominis iusti; sed in alijs hominibus iustis ex habituali gratia non oritur virtus commutatiuæ iustitiæ ergà Deum; ergò neque in Christi anima ex essentia habitualis gratiæ oritur habitualis commutatiua iustitia. *Solut. Responsi.* falsum esse antecedens. Ad eius probationem negatur conseq. quia subiectum gratiæ & virtutis principale est suppositum naturæ intellectualis; suppositum autem Christi erat infinitæ simpliciter dignitatis & æquale Deo, & ideò potuit esse virtus iustitiæ commutatiuæ in eo erga Deum, non autem in alijs hominibus, quorum suppositæ finitæ sunt perfe- E ctionis & dignitatis. *Secundò resp.* gratiam Christi habitualem in esse physico eiusdem esse rationis cum gratia cæterorum hominum, diuersæ verò rationis in esse morali propter coniunctionem ad suppositum simpliciter infinitum ex quo merita & satisfactiones valorem trahebant infinitum, atque adeo sufficiens ad æqualitatem iustitiæ constituendam. *Tertiò resp.* nullam esse consequentiam dictæ probationis; Quia licèt Christi gratia eiusdem esset speciei cum gratia cæterorum hominum, ad nobiliores tamen actus & terminos extendebatur in Christo, quam in alijs ob infinitam suppositi dignitatem, ex qua Deo reddere poterat æquiualentem offensæ satisfactionem ex proprijs & aliàs indebitis, alij verò minimè.

Obiect. 2. *Secundò sic arguit.* Si in Christi anima fuit iustitia commutatiua erga Deum, sequitur Christum satisfeciſſe, quatenus operabatur, vt æqualis Deo id est prout se gerebat in sua operatione, non vt subditum Deo, sed vt Deo æqualem: at consequens & rationi dissentit, & non videtur consentire catholicæ veritati; ergò &c. sequela est manifesta: nam iustitia commutatiua ex propria & essentiali sui ratione respicit æqualitatem; ergò eius operatio prout ab ipsa procedit, non est inferioris ad superiorem, sed æqualis ad æqualem. Falsitas verò consequentis seu minor quo ad primam partem probatur. Christus quatenus merebatur apud Deum, & ipsi satisfaciebat pro nobis, operabatur vt homo per voluntatem humanam, ergò vt minor Patre & inferior illo. Et confirmatur. Quia potissima operatio satisfactoria Christi fuit eius passio voluntariè pro nobis suscepta: sed Christus in acceptanda passione & morte gessit se vt minorem Patre; ergò. Secunda propositio probatur. Quia Christus passionem acceptauit ex obedientia Patris iuxta illud *Io. 14. Vt cognoſcat Mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater ſic facio; ſurgite, eamus hinc*; ad subeundam videlicet mortem, vt explicat Aug. *l. 13. de Trin. c. 14.* Deinde probatur eadem minor quo ad alteram partem, videlicet consequens illud non satis fidei veritati consentire, ex illo Pauli *ad Philip. 2. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* ergò Christus sui nominis exaltationem & corporis immortalitatem promeruit à Deo, non prout se illi æqualem gessit, sed ex humilitatis & obedientiæ actionibus, quibus suam humanam voluntatem diuinæ summisit. *Soluit. Reſpondetur*, nullam esse consequentiam; satisfecit enim Christus, vt æqualis Deo quo ad suppositum, & vt minor & subditus quo ad humanitatem. Sed rursus in supposito satisfaciente duo sunt consideranda; alterum est ipsum suppositum satisfaciens, & secundum hoc satisfecit, vt æqualis Deo. Alterum est modus satisfaciendi scilicet per humiliationem & summissionem non solum humanitatis, sed etiam ipsius suppositi vt subsistentis in humana natura, & secundum hanc etiam rationem satisfecit, vt subditus Deo. Sed quia summissio & humiliatio diuino supposito in humana natura subsistenti conueniebat non secundùm diuinam naturam, aut secundùm personalem eius dignitatem, ita scilicet vt ex ijs inesset personæ Christi secundum se ratio & capacitas summissionis, sed illi personæ summissio congruebat secundum humanam tantum naturam, ideò simpliciter ac absolute dicendum est, Christum vt Deo subditum illi satisfactionem pro peccatis humani generis obtuliſſe, ex quo magis perspicue patet falsitas dictæ sequelæ.

Deinde ad probationem consequentiæ dico eius illationem non esse veram. Nam falsa est in ea iustitia commutatiua, quæ versatur circa actiones iniuriarum satisfactione adæquandas; quia satisfactio hæc fit per summissionem personæ satisfacientis ad eum, cui fit satisfactio.

Obiect. 3. *Tertiò.* Si in humana Christi volũtate esset habit⁹ iustitię cõmutatiuę erga Deũ; ergo habitus ille saltem

saltem in esse physico esset finitus, & limitatus: ergò satisfactio Christi ab hac virtute iustitiæ elicita finitæ esset & limitatæ perfectionis, quatenus ab hac virtute procederet; ergò satisfactio Christi vt sic non esset ad æqualitatem, neque esset sufficiens ad compensandum pro vniuersis hominum peccatis; ergò non esset actio perfectæ iustitiæ; ergò neque esset actio iustitiæ commutatiuæ; ergò talis iustitiæ commutatiuæ virtus otiosè & impertinenter ponitur in Christo; prima consequentia probatur; quia non esset maior illius habitus perfectio, quàm gratiæ Christi habitualis: hæc autem nullam habebit physicam infinitatem. 2. 3. & 4. consequentiæ sunt euidentes. 5. verò probatur; quia iustitia commutatiua est perfecta & rigorosa iustitia. *Resp.* falsam esse tertiam consequent. Nam, etsi Christi Domini satisfactio, quatenus ab habitu iustitiæ vt principio quo, fuit elicita, finitam haberet perfectionem tam physicam quàm moralem, quatenus tamen à diuino supposito procedebat in humana natura subsistente, tanquam ab agente principali, valorem habuit infinitum in genere moris. *Sed hanc* responsionem Asturicensis impugnat hoc argumento: Propria iustitiæ commutatiuæ ratio & perfectio non ex dignitate subiecti, sed ex habitudine ad actum & obiectum pensanda est: at ex obiecto non sortitur infinitatem simpliciter; ergò non est infinita in ratione virtutis commutatiuæ iustitiæ. Prima propositio probatur. Quia propria aliarum virtutum ratio consideratur per ordinem ad actum & obiectum, & non per habitudinem ad dignitatem subiecti, in quo sunt; & ideò dignitas infinita personalis Christi non sufficit constituere eas infinitas in suis essentialibus rationibus; ergò etiam propria iustitiæ commutatiuæ ratio & perfectio, non ex dignitate subiecti, sed ex habitudine ad actum pensanda est. Secunda verò propositio probatur: Quia iustitia commutatiua Christi non attingit obiectum quantum est attingibile. Ex quo deducit idem author, quod admissa etiam in Christo virtute iustitiæ commutatiuæ, non posset infinitum valorem tribuere satisfactioni. Et ideò (inquit) impertinenter poneretur in Christo, eo vel maximè quòd Christus potuit satisfacere, sicut & actu satisfecit per operationes aliarum virtutum, scilicet humilitatis, obedientiæ & religionis. Resp. falsam esse primam propos. loquendo de perfectione morali. Ad cuius probationem respondetur, rationem essentialem & physic. omnium virtutum & etiam iustitiæ considerari in ordine ad actum & obiectum, moralem autem eorum valorem ex supposito principaliter operantis dignitate præcipuè dependere ob causas superius assignatas: valor enim moralis actus, non ex obiecto tantum rectæ rationi consono, sed etiam ex circumstantijs dependet eidem rationi comparatis, ex quibus vna est suppositum operans, cuius dignitas in actu satisfactionis, seu compensationis offensæ plurimi penditur; quoniam, vt ante diximus in actu satisfactionis ipsa persona summittitur & humiliatur. Ex quo patet iustitiam commutatiuam in Christo non esse impertinentem ad satisfaciendum, quamuis non ex eâ tantum sed etiam ex supposito præcipuè valor in actum per eam elicitum deriuetur. Aluar. *in resp. ad 5. suum arg.* ex alijs principijs diluit hoc arg.

Soluit. — *Replica Asturicensis* — *Soluit.*

CONTRA *sextam Conclusionem* sunt argumenta Scoti, Durandi & aliorum quæ referunt & soluunt Capreolus *in allegata dist. 18.* Caietanus, Medina, Suarez, Valentia, & Aluarez *super hoc articulo*, & Asturicensis *in supra notata relectione, quæst. 5. artic. 2. dub. 3. pag. 360. & seq.*

Contra eandem Concluſ. *argument* Rada *in allegata Controu. 13. artic. 3. Primò*, Omne meritum apud Deum dicit ordinem ad voluntatem Dei acceptantem; ergò etiam omne opus apud Deum satisfactorium dicit eundem ordinem ad Dei voluntatem; ergo actiones Christi non fuerunt satisfactoriæ de toto rigore iustitiæ. Antecedens (inquit) patet ex dictis *in artic. præcedenti.* Prima Consequentia probatur: Quia satisfactio supponit opus meritorium; ergò idem de satisfactione censendum est, quod de merito. Secunda verò consequentia; Quia rigor iustitiæ liberalitatem creditoris, & acceptationem eius per quam satisfactioni valorem conferat, omninò excludit. *Resp.* falsum esse antecedens Hoc ipso namque quòd actus est bonus vel malus moraliter, & procedit à gratia, habet rationem meriti vel demeriti coram Deo: nec indiget vlla superaddita ordinatione, vt scitè Caiet. aduertit *1 2. q. 114. a. 3.* Cuius sententiæ veritatem latè probat Vasq. *ibid. disp. 114. c. 18.*

Rada ob. 1. cons. 6. conc. — *Soluit.*

Secundò satisfactio Christi fundatur in gratia Dei, qui est creditor; ergò non est rigorosa. Consequentia patet ex dictis. Antecedens prob. Quia valor satisfactionis Christi vt procedens à supposito humanitatis, fundabatur in gratia vnionis, quam illi gratis & liberaliter contulit persona Verbi infinita. *Et confir.* Quia valor satisfactionis Christi proueniebat ex diuino supposito, cui fiebat satisfactio; ergò necessariò fundabatur in gratia creditoris.

Obiect. 2. — *Conf.*

Resp. falsum esse antecedens. Ad eius probationem dico, gratiam factam fuisse humanitati, quæ ex vnione ad Verbum maximam acquisiuit perfectionem & dignitatem, non autem eius supposito, cui naturalis est dignitas simpliciter infinita. *Sed hanc* responsion. dupliciter impugnat idem author. *Primò*: Quamuis supposito Verbi in humana persona subsistenti deberetur gratia vnionis, & alia dona ex rei congruentia, non tamen ex intrinseca rei natura nec ex aliquo actu meritorio, cui de condigno & iustitia corresponderet, ergò Christo vt satisfacienti aliqua gratia facta fuit. *Secundò* Christus vt satisfaciens non erat Deus sed homo: sed Christo vt homini facta est gratia, cùm ei dona supernaturalia fuere concessa; ergo Christo vt satisfacienti, Deus cui satisfaciebat aliquid gratiosè contulit. *Resp.* primam replicam esse valdè rudem & indignam Theologo vel mediocriter erudito. Sed omissa censura *dico primò*: nec vnionem nec alia dona debita fuisse Verbo; quia nihil ei poterat ex vnione ad humanitatem, & donis in ea receptis vtilitatis aut commoditatis vel perfectionis adiungi. *Secundò duco*, Verbum in humana natura subsistens virtute sibi propria modo superiùs explicato gratiam illam omnem habuisse, quæ ab eo simul cum Patre & Spiritu sancto collata fuit humanitati, vt hic aduertit Caiet. & alij.

Soluit. — *Replica.* 1. — 2. — *Soluit.* 1. — 2.

Tertiò Sic arguit Christi satisfactio non fuit facta ex bonis, quæ essent propria Christi vt satisfacientis, ita vt non essent propria Dei vt creditoris; ergò non fuit de toto rigore iustitiæ. Antecedens probatur. Quia satisfactio Christi facta fuit per opera humanitatis, quæ & secundùm suam substantiam & quo ad

Obiect. 3.

valorem, formaliter ſumptum, erant quid creatum; ergò fuit facta ex proprijs bonis Dei. Probatur illatio. Quia Deus omnium creaturarum habet plenum ac perfectum dominium. *Et confirmatur.* Quia & gratia & concurſus ſpecialis ad opera naturalia, quibus ad ea exercenda Chriſtus vt ſatisfaciens indigebat, nec vt homo ex ſe habebat, procedebant à Deo creditore; ergò ſatisfactio Chriſti per illa opera facta gratiæ Dei ac liberalitati innitebatur. *Reſp.* falſum eſſe antec. Ad eius probationem dico primò, Chriſti ſatisfactionem factam fuiſſe per opera humanitatis & voluntatis creatę vt principij quo, habenti ſuper ea ſpeciale dominium libertatis, quomodo non erant ſub dominio Dei vt antè diximus. Secundò dico, eadem opera fuiſſe elicita ſiuè producta à diuino ſuppoſito in humana natura ſubſiſtente vt principio quod, ex cuius vnione perſonali cũ humana natura veluti naturalis proprietas effluebat gratia cum omnibus virtutibus & donis ad ipſius humanæ naturæ ſic vnitæ perfectionem debitam pertinentibus. Tertiò dico, Chriſti ſatisfactionem prout egrediebatur à diuina Chriſti voluntate; & à perſona Chriſti vt principio quod, fuiſſe Chriſto propriam, vt ſupra declarauimus *in tertia parte Controuerſiæ.* Et per hæc ſatisfit etiam *confirmationi. Sed inſtat Rada,* Quia Verbum vt ſubſiſtit in natura humana reduplicatiuè, non includit infinitatem perſonæ, licèt ſit in ſe perſona infinita: & ſi illam includit vel præexigit, iam illud ab eo eſt vt creditore, & ſi confert operibus dignitatem & valorem, ſemper illam confert ratione ſuæ perſonalitatis & naturæ diuinæ, ratione quorum eſt verè creditor; ergò. *Præterea.* Verbum operibus humanitatis dat valorẽ vt eſt infinitę dignitatis perſona, ſed vt ſic habet rationem creditoris; ergò ſatisfactio Chriſti verè gratiæ creditoris innititur; ergo non fuit ex toto rigore iuſtitiæ. *Reſp.* falſum eſſe antecedens quo ad omnes partes, Implicat enim primò Verbum vt ſubſiſtens in humana natura ſpecificatiuè aut etiam reduplicatiuè non includere infinitatem; quia propria ratio ſubſiſtendi in humana natura eſt infinitas perſonæ in terminando, cuius conditionis defectu non poteſt vlla creata perſona in duabus ſubſiſtere naturis ſubſtantialibus. Secundò falſum eſt infinitatem perſonæ ſubſiſtentis in humana natura vt ſic, ſe tenere ex parte creditoris; vt enim ſupra diximus, Verbum vt ſubſiſtens in humana natura ſatisfacit ſibi ipſi vt ſubſiſtenti in diuina natura; igitur Verbum creditoris ſolùm rationem habet, quatenùs in diuina natura ſubſiſtit, vt vnus Deus ſimul cum Patre & Spiritu Sancto. Tertiò falſum eſt, Verbum ratione ſuæ perſonalitatis & naturæ diuinæ ſimpliciter & præcisè ſumptæ, operibus ſatisfactorijs valorem conferre; quamuis enim valor operationum ex dignitate diuinę perſonę, tamquàm ex ratione formali dependeat, exigit tamen vt conditionem, ſubſiſtentiam in humana natura. Et ideò Verbum non abſolutè, ſed vt ſubſiſtens in humana natura valorem contulit operibus Chriſti ſatisfactorijs. *Sed inſtat iterum Rada.* Si perſonæ dignitas eſt ratio valoris; ergò perſona ſatisfaciens erat Verbum ſecundùm dignitatem ſuæ perſonæ ſecundum ſe ſumptæ: Probatur illatio exemplo ignis; qui licèt ad agendum requirat applicationem ad paſſum tanquàm conditionem, tamen ipſe agit ſecundùm ſe & ſecundùm ſuam naturam, quæ eſt ratio per ſe operandi. *Deinde.* Si cùm dicitur Perſona Verbi vt vnita humilitati, tribuebat valorẽ operibus humanitatis, dictio illa, vt dicit conditionem requiſitam ad ſatisfaciendum vel tribuendum illum valorem; ergò Perſona Verbi non tribuebat infinitum valorem operibus humanitatis: Probatur ſequela; Quia ſic perſona illa infinita ſolùm ad ea materialiter concurreret, vel ſaltem ſolùm vt conditio: natura verò humana non ſolùm vt principium agendi, ſed vt ratio ac totalis cauſa valoris ſatisfactioni; quod eſt abſurdum. *Reſp.* cum dicitur, Verbum vt ſubſiſtens in natura humana confert valorem operibus Chriſti ſatisfactorijs, dictionem illam, *vt* dicere conditionem annexam rationi formali valoris; ita vt ratio ſit dignitas Verbi ſiuè Verbum ex ſua dignitate, hac tamen addita conditione, vt ſit in humana natura ſubſiſtens. Itaque dictio illa *Verbum* dicit rationem, ſpecificatio autem illa, *vt ſubſiſtens* dicit conditionem. Et per hæc *ſoluitur inſtantia, quo ad vtramque partem.* *Ad primam* enim negatur illatio. Ad probationem dico, exemplum nõ eſſe ſimile; quoniam applicatio nullum affert eſſe ſubſtantiale igni, ſicut ſubſiſtere in humana natura affert eſſe humanum, quod eſt ſubſtãtiale perſonæ in ea ſubſiſtenti. *Ad ſecundam* negatur conſequentia; quia dictio illa *vt* non importat conditionem, niſi vt annexam & quaſi vt modificantem rationem formalem, quæ eſt perſonæ dignitas; & ideò perſona diuina ſecundùm ſuam dignitatem non materialiter tantùm, ſed etiam formaliter concurrit ad valorem ſatisfactionis.

Conf. — *Solut.* — *Ad conf.* — *Replica.* — *Solut.* — *Replica. 1.* — *2.*

Alia eiuſdem Authoris argumenta valdè friuola & iam antea ab expoſitoribus D. Thomæ ſoluta prætermittimus; quibus etiam ea, quæ ſupra notauimus, abundè ſatisfaciunt.

Contra eandem Concl. argumentatur Vaſq. *c. 4. diſp. 8.* probans. *Primò,* opera Chriſti prout egrediebantur à diuino ſuppoſito ſatisfaciente eſſe ſub dominio Dei creditoris. Quia opera Chriſti tam in fieri, quàm in facto eſſe ſuaptè natura à Deo dependent, ita vt ſine illius efficacitate eſſe aut fieri nequeãt: ſed hac ratione Deus dicitur in omnes res Mundi habere dominium, nimirum iure Creationis & conſeruationis; ergò. Præterea. Valor operum pendebat ex ipſa Deitate, ſicut ex forma ſanctificante; quoniam operatio Chriſti denominatione ſolùm extrinſeca dicebatur infinitè digna & Deo grata. *Reſp. ad primum* opera Chriſti, prout egrediebantur à diuino ſuppoſito, vt principio quod proximo eis valorem largiente ad ſolius Incarnati Verbi dominium pertinuiſſe, vt ſupra declarauimus, quamuis eadem opera materialiter ſumpta, & prout à Deo vt prima & remota cauſa procedebant, & ab eo conſeruabantur in eſſe, ſub eius vniuerſali dominio comprehenderentur. *Ad ſecundum* negatur antec. formaliter loquendo; Valor enim operum Chriſti non ex Deitate formaliter, quæ tribus eſt communis, ſed ex perſonali Verbi Incarnati dignitate ſumebatur: & per hoc alia quædam eiuſdem expoſitoris argumenta diluuntur, quæ profert contra modum dicẽdi Suarezij ſuperius approbatum. *Secundò ſic arguit.* Satisfactio quæ exhibetur in materia iuſtitiæ, veram habet rationem reſtitutionis; ergo fit tribuendo aliquid commodi ei, cui ſatisfactio exhibetur ad reſarciendum damnum illatum; ergo poſtulat vt ille, qui ſatisfacit faciat eſſe aliquid ſub dominio eius, cui ſatisfacit, quod ad ipſum aliàs non pertinebat, neque pertineret iure proprio: at Chriſtus nihil tale poterat Deo tribuere; ergò Chriſti ſatisfactio apud Deum non fuit in materia iuſtitiæ propriè, ac proinde neque ex rigore huius iuſtitiæ. *Reſpondetur* falſum eſſe antecedens.

Vaſq. c. 4. diſp. 8. — *Ob. 2.*

tecedens, vt patet ex differentia satisfactionis & restitutionis superius explicata.

Obiect. 3. *Tertiò probat*, in Christi satisfactione non fuisse tertiam conditionem, nempè vt fiat ex non debitis alio titulo. Quia licèt Christus nulla obligatione iuris naturalis teneretur vt subiret mortem, tamen Deus qui est auctor vitę & mortis, multis titulis poterat mortis obligationem Christo imponere; ergò licèt non satisfecerit pro nobis ex ijs, quæ actu deberet Deo, quia re vera mortem illi non debebat alio titulo, tamen negari nequit satisfeciſſe ex ijs, quæ alio titulo Deus ab eo iustè exigere poterat: At conditio necessaria ad satisfactionem perfectam videtur esse, vt non solum fiat ex alias non debitis, sed etiam ex ijs, quæ alias exigi non possunt à creditore. *Resp. primò*, opera Christi, prout egrediebantur à diuino supposito modo superius explicato, nec Deo fuisse debita, nec illis obligationem, siuè debitum imponi potuisse; non enim operi libero imponitur obligatio, nisi quia eadem primò imponitur operanti: suppositum autem diuinum sic obligari non potest, quamuis alia ratione iam explicata debitum pro nobis satisfaciendi susceperit. *Secundò dico*, eandem Christi operationem sub multis rationibus formalibus consideratam, puta meriti, satisfactionis gratiarum actionis, obedientiæ &c. multiplicem habuisse infinitatem ex eiusdem suppositi infinita dignitate deriuatam. Et ideò, quamuis multis alijs titulis, vt debita solueretur, adhuc in ratione satisfactionis ex infinito suo valore perfectè satisfaciebat. *Sed contra* responsionem hanc produci potest aliud argumentum Vasquezij, *cap. 5.* Nam si quis voluisset loco sacro rem aliquam pretiosam, & in cultum Dei eam dicaret, ex contractu verò aut delicto tantumdem etiam pretij & valoris eidem deberet, nō posset sola illa re satisfacere pro debito, ex cō tractu aut delicto, sed vt solueret debitū voti & cōtractus aut delicti tātundem simul cum re illa soluere deberet; ergò etiā in proposito, &c. *Resp.* nullā esse consequētiā. Quia vna Christi Domini operatio, quæ infinitatem habet ex diuino supposito, multas formali ratione distinctas continet operationes moraliter infinitas: & ideò potest pro multis debitis Deo soluendis vna sufficere: non est autem eadem ratio de re vel actione finita. Et eodem modo satisfit alijs exemplis ibidem allatis.

Sol. B

Replica. C

Sol. D

Alia verò eiusdē expositoris argumenta contra Suarezium asserentem, religionem qua Christus colebat Deum, esse veram & propriam iustitiam erga Deum, benè concludunt.

Obiect. 4 *Quartò.* *Probat disp. 9. c. 1.* tres illas conditiones non sufficere, vt satisfactio sit de toto rigore iustitiæ, nisi addatur quarta, scilicet obligatio creditoris ad acceptandum satisfactionem. Sic igitur arguit. Hoc ipso quòd offertur æqualis solutio soluitur debitum, neque in potestate creditoris manet illam refutare, retento debito; ergò non potest esse satisfactio condigna & perfecta in materia iustitiæ pro soluendo debito, si creditor liber sit ad acceptandam illam, retento adhuc debito ipso contra debitorem. Antecedens patet in debitis pecuniarijs, in quibus si creditor nolit solutionem æqualem, quam ipse rectè nouit æqualem, hoc ipso debitor amplius non tenetur. Quod etiam manifestius elucet in debitis honoris & famæ; Nam si quis læsit honorem aut famam alterius, & eam exhibeat satisfactionem, quæ ex natura rei æqualis sit ad resarciendum damnum, velit nolit creditor, soluitur omninò debitum & nulla amplius manet inæqualitas, & iniustitia reducenda ad iustitiam & æqualitatem. *Resp.* antecedens verum esse de oblatione iustæ solutionis factæ creditori legibus humanis & deuinis subdito & obligato: at verò Deus supremus est omnium Dominus, & nulla prorsus lege sed suæ tantùm tenetur rectitudine voluntatis; & ideò quamcumque oblatam pro satisfactione offensæ recompensationem potest, absque iniustitia refutare, retento debito contra debitorem. Quare non est omninò contemnenda distinctio illa, quam *disp. 9. c. 2.* sine solido fundamento reijcit Vasq. nimirum duplicem esse satisfactionem perfectam, *alteram in potentia proxima*; hæc autem est omnis operatio valorem habens æqualem offensæ, quæ tamen neque ex natura rei neque ex conuentione aut consensu creditoris sortita est, vt æqualitatem actu constituat, pacto autem siuè consensu creditoris accedēte, plenè satisfaceret. *Alteram esse dicunt satisfactione perfectā in actu*, quæ est omnis operatio qua reipsa & de facto perfectè tollitur inæqualitas, & satisfit offensæ. Primum tamen huius distinctionis membrum soli crediderim satisfactioni Christi secundùm vnam eius considerationem posse congruere; alterum verò eidem conuenit absolutè, sed tamen pluribus etiam humanis satisfactionibus est commune. Si namque Christi Domini satisfactionem consideremus, præcisa omni Dei ordinatione & promissione siuè pacto, cum esset infiniti valoris, & longè superexcederet offensæ quantitatem, perfecta dici potest in potentia proxima, siuè quasi in actu primo, quæ tamen actum non exercet perfectæ satisfactionis; quia deest ex parte Dei creditoris conditio necessaria, videlicet ordinatio siuè promissio vel pactum, quibus accedentibus iam erit in actu secundo perfecta satisfactio; nō quia promissio vel pactum operationi valorem adiūgat (erat enim, vt diximus, infinitus) sed quia satisfactio illa, quantumuis æquiualens, Deum respicit creditorem, qui supremus est omnium Dominus, & nulla lege tenetur; & ideò satisfactionem etiam æqualem offensæ potest absque læsione iustitiæ & rectitudinis non acceptare. Itaque Christi satisfactio ex parte sui, & ex parte Christi satisfacientis tantam habuit iustitiæ perfectionem, vt sui valoris infinitate & æqualitate ad offensam posset diuinam obligare voluntatem, si in eam cadere posset obligatio: sed quia capax obligationis ab extrinseco non est diuina voluntas ob dictam causam, ideò post oblatam æqualem offensæ satisfactionem libera manet, potens eam repellere vel admittere. Si verò eandem Christi satisfactionem consideremus, supposito diuinæ sapientiæ & voluntatis decreto de Mysterio Incarnationis pro redemptione peccatorum, aut etiam addita diuina promissione vel pacto, iam satisfactio Deo per Christum oblata perfectionem suam habet in actu secundo, quem actum constituendo æqualitatem exercet. Et ex his dilui possunt argumenta multa Vasquezij tam *hic*, quàm *in 1 2. disp. 223. ca. 5.* quæ contra dicta Suar. militant nimis lata, non autem contra ea, quæ diximus ita restrictè.

Sol. E

Valent. CONTRA *septimā conclusionē* produci potest argumentū Valentiæ, *disp. 1. puncto. 5. in sua q. 5.* vbi sic arguit. Compensationem pro remittenda iniuria oblatam, tunc aliquis etiam absolutè acceptare secundùm iustitiam tenetur, cùm eiusmodi sunt vedequaque circumstantiæ, vt alienum prorsus à recta ratione appareat

reat compensationem talem respuere, & abstinere ab illo exercitio, iustitiæ, quo pro compensatione remittatur iniuria: sed in proposito huiusmodi prorsus circumstantiæ vndequaq; fuerunt; ergò debuit Deus etiam absolutè acceptare ex iustitia compensationem à Christo oblatam. Maior probatur. Quoniam hic est vnicus & certissimus modus cognoscendi in quacunq; materia virtutem, si videlicet secus facere rectæ rationis iudicio sit deforme. Minor sic ostenditur: si vel ad ipsam compensationem oblatam, vel ad illum qui compensationem obtulit, vel ad illos pro quibus oblata fuit, respiciamus, planè videtur futurum quoddam deforme & abhorrens à Dei natura atque bonitate, vt Deus compensationem Christi non acceptaret; ergò. Probantur singula. Nam compensatio non tantùm fuit æqualis sed etiam abundans: persona offerens fuit Deus & homo: conditio hominum pro quibus est oblata fuit calamitosissima: Denique Deus cui compensatio oblata est, is etiam erat, qui vt finem sibi in hominum creatione propositum ad effectum perduceret, nihil poterat conuenientius facere, quàm si oblatam compensationem acceptaret. *Resp.* falsam esse minorem absolutè loquendo; quamuis enim, vt ait Augustinus in textu relatus, nullus sanandæ miseriæ nostræ modus fuerit conuenientior, quàm vt per Incarnati Verbi satisfactionem diuinæ maiestatis adæquaretur offensa, & iustitiæ simul ac misericordiæ satisfieret, non defuere tamen Deo sapientissimo plures alij modo possibiles & conuenientes, quibus genus repararetur humanum: non tenetur autem Deus semper eligere, quod optimum est; alioquin Deus non posset rebus à se factis creare meliores; quod est erroneum. Itaque si Deus, reiecta Christi satisfactione, modo aliquo alio sibi placito genus humanum peccato collapsum repararet, non esset hoc à recta ratione discordans, sed infinitæ suæ sapientiæ, prouidentiæ ac bonitati maximè consonans; non enim necesse aut possibile est, nos angustæ nostræ mentis intelligentia diuinæ sapientiæ ac prouidentiæ secreta penetrare.

Sol.

Obiectio vasquez contra 9. conci.

CONTRA NONAM *concl.* præter argumenta Vasq. *super hoc a. disp. 9.* quorum solutio patet ex dictis, produci potest aliud eius argumentũ *ex prima par. disp. 86. c. 6.* Vbi sic arguit. Quantumuis Deus promittat nobis gloriam suam, nos semper manemus sub illius potestate, sicut seruus sub potestate Domini, qui nihil habet quod Domini non sit, ideò si Dominus non seruet promissum seruo, aget quidem contra fidelitatem non tamen contra iustitiam; ergò si Deus gloriam & aliquod aliud promissum homini denegaret, infidelis quidem esset sed non iniustus; ergo ex sola promissione nulla inter ipsum & nos oritur obligatio iustitiæ ad implendũ promissum. *Resp.* promissionem acceptandæ compensationis per se primò factam fuisse Christo, tanquam capiti totius humani generis; persona verò Christi non erat serua sed libera & æqualis Deo, cui satisfactionem obtulit ex propriis, vt sæpè diximus: quare falsa est argumenti consequentia; non enim puris tantùm hominibus, nec ipsis primò, sed Christo tanquàm capiti & per eum cæteris, vt eius membris facta est promissio, non quidem simplex sed onerosa; ac proinde, non ex sola fidelitate, sed etiam ex obligatione iustitiæ, seclusis imperfectionibus, tenebatur Deus implere promissum; Nam & si Patribus veteris testamenti sæpè Deus promisit Saluatorem, non est tamẽ ea promissio ab ea, quæ Verbo iam incarnato facta est, omninò distinguenda, sed tanquàm vna in lege naturæ inchoata, & sub lege scripta continuata, & tandem sub lege gratiæ completa recipienda, ita vt promissio facta Christo satisfactori in primo conceptionis eius instanti sit præcedentium omniũ promissionum complementum, ac veluti sigillum manu regis impressum tot promissionibus veluti vni perfectè stabilis, ac perpetuæ robur firmitatis adiungens.

Contra eandem conclusionem sunt argumẽta; quæ referunt & soluunt Medi. Suar. Valen. & Aluar. *super hoc artic.*

TERTIA CONTROVERSIA.

An Christi Humanitas in satisfactione pro peccatis fuerit principium quod, vel tantùm quo?

Sententia Doctorum, Sententia Vasquez.

VAsq. *disp. 8. c. 2.* sequens And. à Vega *lib. 7. super Conc. Trid. c. 9.* docet, humanæ Christi naturæ, vt Deitate sanctificatæ tribuendam esse satisfactionem nostram, tanquam proximo satisfacienti; suppositò autem diuino remotè per communicationem idiomatum, quatenus opera humanitatis tribuuntur suppositò diuino sustentanti illam: neque solùm satisfactionem tribuendam esse naturæ humanæ, vt principio quo, sed etiam vt principio quod. *Quam opinionem* vt falsam, & communi sententiæ SS. & Theologorum aduersam confutant Suar. *disp. 4. s. 5.* Asturic. *in sæpè allegata q. 5. dubio 3. pag. 379.* & Aluar. *disp. 5.* optimis argumentis. Mihi verò nedum falsa, sed etiam erronea, & hæresi proxima videtur hæc opinio. Nam præter communem Sanctorum & Scholasticorum sententiã illi contrariam, diuinarum etiam scripturarum oracula manifestè testantur, Verbo diuino Incarnato, non autem eius humanitati, vt principio quod, satisfactionem nostram secundum locutionis proprietatem esse tribuendam.

Resolutio. Præmissa 4. fundamẽta in prob. 4. arg. generibus erroneã esse opinionẽ V. asserentis humanæ Christi naturæ, vt Deitate sanctificatæ tribuẽdam esse satisfactionem nostrã tanquã proximo principio quo, & quod.

VT AVTEM, quod diximus, facilius ostendamus, *quatuor* à Theologis communiter cõcessa, & in doctrina Sanctissimi nostri D. notissima *fundamenta præmittemus*; ex his enim verborum diuinæ scripturæ, Sanctorum Patrum, & Conciliorum euidentius sensus & veritas eluceſcet, & vis argumentorum, quæ pro eadem veritate confirmanda proferemus, erit apertior.

Notandum est igitur primò ex D. Th. *infra q. 16. a. 1.* Nomen omne significans naturam communem in concreto posse supponere pro quolibet contentorum sub natura communi; sicut hoc nomen homo potest supponere pro quolibet homine singulari, & eadem ratione hoc nomen Deus ex ipso modo suæ significationis potest supponere pro persona filij Dei: cum ergò de quolibet suppositò alicuius naturæ possit verè & propriè prædicari nomẽ significans illã naturam in concreto, sicut de Petro & Paulo propriè & verè prædicatur homo: & cũ persona filij Dei, pro qua supponit hoc nomen Deus, sit suppositũ naturæ humanæ, consequens est posse verè & propriè hoc nomen homo prædicari de hoc nomine Deus, quatenus supponit pro persona Filij Dei. Et *in art. 2.* sic loquitur. *Suppositum veritate vtriusq; naturæ diuinæ, scilicet & humanæ, & vnione in persona, & hypostasi, hæc est vera & propria: Homo est Deus, sicut & ista: Deus est Homo. Hoc enim nomen homo potest supponere pro qualibet hypostasi humanæ naturæ, & ita potest supponere pro persona Filij Dei, quã dicimus*

dicimus esse hypostasim humanæ naturæ: manifestum est autem, quod de persona Filij Dei verè & propriè prædicatur hoc nomen Deus, vnde relinquitur, quòd hæc sit vera & propria, Homo est Deus. Et in articulo quarto proposito quæsito; Num ea, quæ conueniunt filio hominis, possint prædicari de Filio Dei, & è conuerso? respondet affirmatiuè: *Et huius* (inquit) *ratio est, quia, cum sit eadem hypostasis vtriusque naturæ, eadem hypostasis supponitur nomine vtriusque naturæ: siuè ergo dicatur Homo, siuè Deus, supponitur hypostasis diuinæ, & humanæ naturæ; & ideò de hoc dici possunt ea, quæ sunt diuinæ naturæ, tanquam de hypostasi diuinæ naturæ, & de Deo possunt dici ea, quæ sunt humanæ naturæ, tanquam de hypostasi humanæ naturæ. Sciendum tamen, quod in propositione, in qua aliquid de aliquo prædicatur, non solùm attenditur, quid sit illud, de quo prædicatur prædicatum, sed etiam secundùm quid de illo prædicetur: quamuis ergò non distinguantur ea, quæ prædicantur de Christo, distinguuntur tamen secundùm id, secundùm quod vtraque prædicatur. Nam ea, quæ sunt diuinæ naturæ, prædicantur de Christo, secundùm diuinam naturam, ea autem, quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de eo secundùm humanam naturam. Vnde Augustinus dicit in primo de Trinit. Distinguamus, quid in scripturis sonat secundùm formam Dei, & quid secundùm formam serui, & infra quid, & propter quid, & secundùm quid dicatur, prudens & diligens & pius lector intelliget.* Hæc ibi S. D. & *in a. 5.* eandè repetens doctrinam ait: *Nomina verò concreta supponunt hypostasim naturæ, & ideò indifferenter prædicari possunt ea, quæ ad vtramque naturam pertinent de nominibus concretis: siuè illud nomen, de quo dicuntur, det intelligere vtramque naturam; sicut hoc nomen Christus, in quo intelligitur, & diuinitas vngens, & humanitas vncta, siue solam diuinam naturam; sicut hoc nomen Deus, vel filius Dei, siue solam naturam humanã; sicut hoc nomen homo, vel Iesus. Vnde Leo Papa in Epistola ad Palestinos: Non interest, ex qua Christus substantia nominetur, cũ inseparabiliter manẽte vnitate personæ idẽ sit, & totus filius hominis propter carnẽ, & totus Filius Dei propter vnã cũ Patre Deitatẽ.* Hæc ibi. Eandẽ doctrinã habet *in a. 9. ad 3. & a. 10. ad 2.*

Secundò recolendum est illud commune dictum sæpius à D. Tho. commemoratum, videlicet *Actiones sunt suppositorum*; sic enim ait S. D. *in 1. d. 5. q. 1. a. 1. Actiones sunt suppositorum, & essentia non agit, sed est principium actus in supposito; non enim humanitas generat, sed Sortes virtute suæ naturæ. In creaturis autem essentia realiter differt à supposito, & ideò nullus actus propriè de essentia prædicatur, nisi causaliter, &c.* Eandem doctrinam habet S. D. *in 2. 2. q. 58. a. 2. & infra q. 19. a. 1. ad 3. & q. 20. a. 1. ad 2. & de Verit. q. 20. artic. 1. ad. 2. & alibi sæpè.* Quam propositionem colligunt recentiores ex Arist. *lib. 1. de Anima, tex. 64.* dicente: *Dicere autem animam irasci vel timere, simile est atque si quispiam animam texere dicat vel ædificare: Nam melius est fortasse dicere non animam, sed hominem anima misereri vel discere vel ratiocinari.* Sed obseruandum est Aristotelem ibi procedere supponendo Platonicorum opinionem dicẽtium, quod gaudere, tristari, irasci, sentire & etiam intelligere sunt motus animæ, & fiunt per organum determinatum, vt ibidem explicat. S. D. *tex. 63.* Allegat Suar. in huius doctrinæ confirmationem dictum illud Arist. in proœmio Mataph. *Actiones, ac generationes omnes circa singulare sunt.* Quòd prædictæ communi propositioni minimè suffragatur; in illa enim de principio actionis sermo est, dictum autem Philosophi manifestè loquitur de termino, siuè de materia, circa quam versatur actio: Potest tamen ea propositio ex

A dicto Philosophi sic arguendo deduci. Actio quælibet transiens, prout est in actu exercito, vendicat sibi singularitatem ex parte materiæ, circa quam versatur; ergò etiam ex parte principij, quod est suppositum ex quo deriuatur. Probatur consequentia. Vna & eadem numero actio est, quæ effluit ab agente, & recipitur in passo; ergò, sicut non potest esse, nisi circa materiam singularem, ita nec potest esse nisi ab agente singulari. Et confirmatur: Quia, sicut actio specificatur à forma agentis, quæ est eius principium, ita ex eiusdem formæ indiuiduatione primam habet suæ indiuiduationis originem, & consequenter ab agentis singularitate, cui primò conuenit indiuiduatio. Confirmatur

B secundò: Quoniam actionis singularis circumstantiæ omnes sunt singulares; ergò etiam agens necessariò est singulare. Patet consequentia; quoniam agens præcipua quædam est actionis circumstantia. Quod autem singulare actionis principium sit suppositum, probatur. Quoniam operatio sequitur ad esse ipsius operantis singulare: at esse existentiæ per se primò & immediatè conuenit supposito; ergò singulare, quod est actionis principium, est suppositum. Prima propositio est D. Th. *in 2. d. 37. q. 2. a. 2.* Secunda verò est eiusdem S. D. *infra q. 17. a. 2.* Et confirmatur vis argumenti. Quia res nunquàm intelligitur completa ad operandum, nisi prius intelligatur completa ad existendum; at natura singu-

C laris, antequàm suppositalitate terminetur, non intelligitur completa ad existendum, postquam autem ea fuerit terminata, iam vltimum habet complementum, quo capax efficitur existentiæ; ergò natura singularis, puta hæc humanitas secundùm se non est principium quod operationis, sed tantùm suppositum, quod suppositalitate naturam singularem terminante cõstituitur. Eandem propositionem habet Damas. *lib. 3. Orthod. fidei, cap. 15.* & Ioan. Theologus *in Concilio Flo. sess. 18.* ea vtitur, vt principio à Theologis omnibus approbato.

Tertiò supponendum est, humanitatem Christi non habuisse propriam & creatam existentiam;

D sed quemadmodum erat diuini Verbi personalitate subsistens, sic & existentia eius increata erat existens; quod efficaciter probat S. D. *infra q. 17. a. 2.* & ibidem expositores Thomistæ.

Postremò supponendum est, valorem satisfactionis Christi infinitum ex infinita diuini suppositi dignitate deriuari, prout ostendimus *in præcedenti controuersia.*

Quibus præmissis, iam facilè opinio Vasq. quatuor argumentorum generibus conuincetur erroris, & oppositæ sententiæ S. Th. veritas patescet. *Primum autem genus* ex varijs diuinæ scripturæ locis proferemus, in quibus redemptionis opus non humanæ Christi naturæ tribuitur, sed

E Verbo in humana natura subsistenti. *Primus* locus est *Io. 6. Quia descendi de Cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, Patris, vt omnẽ, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.* Vbi dicit Glossa interlinearis. *Per me mediatorem vult Pater dare credentibus vitam æternam.* Hic ergò loquitur Christus de seipso, tanquam de mediatore & Saluatore de Cœlo descendente, & à Patre misso ad redimendum genus humanum; ille igitur idem, qui de cœlo descendit, qui fuit à Patre missus, mediatoris opus exercet redimit & satisfacit: at qui de Cœlo descendit à Patre missus, est persona Filij Dei, non humana natura; ergò

redi-

redimens & satisfaciēs vt quod est diuinum suppositum in humana natura subsistens, non autē humana natura. *Secundus* Locus est *Rom. 3. Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ propter remissionem præcedentium delictorum, &c.* Quibus verbis opus nostræ redemptionis, non humanæ naturæ, tanquam principio quod, sed personæ Verbi in humana natura subsistenti tribuitur; illi namque tribuitur redemptio, vt principio quod, quem Deus proposuit propitiatorem per fidem: at non humanam naturam, sed diuinum suppositum in ea subsistens proposuit Deus propitiatorem per fidem; ergo. Maior est diuinæ scripturæ. Minor probatur: Quia fides, de qua loquitur hic Apostolus, ea est, de qua *ad Ephes. 3.* dicitur: *Christum habitare per fidem in cordibus vestris* vt ait S.D. *in Commentario:* hæc autem est de Verbo in humana natura subsistente, & in ea ac per eam pro nobis satisfaciente. *Tertius* Locus est *ad Philip. 2. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.* Ex quibus construi sic potest argumentum. Ille, qui erat in forma Dei & æqualis Deo, & qui seipsum exinaniuit formam serui accipiens, & qui factus est homo, ille (inquam) humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. At ille, qui in forma Dei erat æqualis Deo, & qui factus est homo, est persona Filij Dei; ergo, qui semetipsum humiliauit factus obediens vsq; ad mortem, est eadem persona Filij Dei: Cum igitur in hac humiliatione & obedientia consistat perfecta satisfactio pro peccatis & offensis humani generis, sequitur euidenter principium satisfactionis, vt quod, fuisse Dei filium in humana natura subsistentem, non verò naturam ipsam humanā. *Quartus locus est ex Ep. ad Tit. 2. Expectātes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Vbi Diuus Apostolus eum, qui semetipsum obtulit, ac dedit in passionem & mortem, & ea pro nobis Deo satisfecit, & ab omni redemit iniquitate, non ait humanam fuisse Christi naturam, sed magnum Deum & Saluatorem nostrum Iesum Christum, idest Dei filium in humana natura subsistentem. *Quintus* Locus est *ex Epist. ad Hebr. 1. c. & seq.* in quibus Apostolus, postquam multis argumentis probauit Iesum Christum esse verum Deum, subdit *in 2. capit. Eum autem, qui modico, quàm Angeli, minoratus est, videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consumare, &c.* Et capit. 3. *Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te, quemadmodum, & in alio loco dicit, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech: qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesq; ad eum, qui posit eum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia: & quidem cum esset filius Dei, didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam, & consumatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus a Deo Pontifex secundùm ordinem Melchisedech.* Constat autem hæc nō ad humanam naturam, sed ad hypostasim Verbi in ea subsistentem esse necessariò referenda, & *cap. 10 Ideò ingrediens Mundum dicit, Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, ecce venio: In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Et post pauca. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Quæ verba exponēs ibi S.D. ait: *Quia propter nos factus est humanæ naturæ suppositum, dicitur ingredi in Mundum propter eius assumptionem.* Hoc autem idem suppositum ait Apostolus nos per sui corporis oblationem sanctificasse. Non igitur humanæ naturæ tanquàm principio quod, sed Dei filio in humana natura subsistenti, opus redemptionis & satisfactionis tribuitur ab Apostolo. *His adde* plura diuinæ scripturæ loca, quæ Christo Domino tribuunt actiones, aut passiones ad humani generis redemptionem pertinentes. Ad Gal. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictū.* 1. ad Timoth. 2. *Vnus est mediator Dei, & hominū homo Christus Iesus* Hebr. 1. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata* 1. Pet. 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* & 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Et alia similia passim in diuinis scripturis obuia. Iam autem diximus, nomina concreta naturarum supponere pro suppositō, quod nominibus singularibus significatur, quale est hoc nomen Iesus Christus.

SECVNDVM *genus argumentorum* ex communi Sanctorum Patrum consensu desumitur. S. Iren. *lib. 3. c. 22. Cognoscat* (scilicet homo) *semetipsum, quoniam mortalis, & infirmus est, intelligat autem, & dominum, quoniam in tantum immortalis, & potens est, vt & mortali immortalitatem, & temporali æternitatem donet.* Et infra. *Propter hoc ergò signum salutis nostræ, qui ex Virgine Emanuel ipse Dominus, quoniam ipse Dominus erat, qui saluabat eos, quia per semetipsos non habebant saluari.* S. Iustinus *in expositione fidei de vera, rectaque confessione: Filius, qui & Deus esset, & homo, Adæ peccatum deleuit.* Et infrà. *Hoc autem ipso, quod Deus erat, id quod dissolutum, mortuumque erat, restituere, & mortem funditus euerteret.* S. Athanasius *in lib. de Incarnatione Verbi: Cuius opera ad reparandam istam gratiam requirebatur, nisi solius Verbi? eius etiam fuit id, quod corruptibile erat, iterum ad incorruptibilitatem reducere, & pro omnibus id, quod æquum, rationique consentaneum erat, Patri præstare.* S. Cyrillus Alex. sæpè contra Nestorium, & Euthycetem probat, Christum esse verum Deum & Hominem, quia si non esset verus Deus & Homo, insolutum adhuc maneret humanæ redemptionis pretium; nā si verus homo nō fuisset, neque mereri neque satisfacere potuisset, si autem non esset verus Deus, infirma & imperfecta esset operatio, neque pro tanto debito æquale pretium potuisset exsoluere. Et *in libro ad Reginas cap. Quod redempti sumus per sanguinem Christi: Sed si quidem* (inquit) *vt homo communis,* (idest purus) *intelligeretur Christus, quomodo corpus eius ad rependendam omnem vitam sufficeret?* Idem *in libro contra Antropomorphitas cap. 22.* ait *humanitatem Verbi per se non operari, sed Verbum per illam,* quod etiam repetit *libro primo ad Reginas cap. Quod mors Christi sit salutaris,* vtitur eodem locationis modo Cyrillus Hierosol *Catech. 13.* & Irenæus *lib. 3. cap. 20.* qui non humanitatem, sed suppositum diuinum affirmant pro nobis satisfeciisse. S. Basilius *in Psal. 48.* exponens

verba

verba illa, *Non dabit Deo placationem suam, &c.* sic ait. *Neque igitur fratrem quære in redemptionem, sed eum, qui excedit naturam tuam, neque hominem nudum, sed hominem Deum Iesum Christum, qui etiã solus placationem dare potest pro omnibus nobis.* S. Theodotus Ancyrorum Episcopus *in oratione de Natiuitate Saluatoris, quæ inter appendices habetur Tom. 6. Concilij Ephesini* sic loquitur contra Nestorium. *Sed hominis (inquis ô hæretice) passiones non præsumo Deo coniungere, ergò neque sanare eum passiones hominum dices, neque Cruce expoliasse virtutem Diaboli, neque nostrum peccatum adfixisse ligno, neque propriis passionibus sanasse hominum passiones, nec morte dices eum destruxisse mortem; si enim non fecit Deus proprias passiones, vnde passionibus Christi tantarum correctionum sunt factæ virtutes? quomodo peremptа esset mors, nisi Deus propriam eam fecisset, &c.* Et in Hom. Natiuitatis Domini: *Mors* (inquit) *veluti ipsius Dei facta mortem demolitur, nam qui moriebatur, simul Deus, & homo erat.*

S. Theod.

Leo Papa

S. Leo Papa *in serm. primo de Natiuitate* sic loquitur. *Talis natiuitas decuit Dei virtutem, & Dei sapientiam Christum, qua nobis, & humilitate congrueret, & diuinitate præcelleret. Nisi enim esset verus Deus non adferret remedium, nisi esset verus homo, non præberet exemplum.* S. Damascenus *lib. 3. de fide cap. 5. Non enim* (inquit) *humano modo sanctificabat, vt qui non homo solum, sed etiam Deus. Vnde etiam ipsius passiones viuificæ, & salutares extiterunt* His addi potest Augustinus *in Enchiridio c. 108.* dicens. *Nam neque per ipsum liberaremur vnũ mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, nisi esset & Deus.* S. Dionysius *in Epist. 4. ad Caium.* Christi operationes appellat Theandricas, & post eum Concilium Late. sub Martino 1. *Consultatione 5. can. 15.* & Damascenus *lib. 3. de fide c. 15.* quia scilicet Dei, & hominis erant operationes. Ex quibus firmum, & irrefragabile cõstruitur argumentum hoc modo. Locutiones S. Patribus communes in re grauissima secundum proprietatem sunt accipiendæ: At Patres communiter affirmant, Deum seu Verbum aut Dei Filium in humana natura subsistentem, aut Deũ & Hominẽ Deo satisfeciſſe; ergò tales locutiones secundũ sermonis proprietatẽ sunt accipiendæ; ergò. Patres actũ satisfactionis nõ tribuũt humanæ naturę; tanquã principio quod, sed tantũ suppositо Prima propositio satis euidẽs est. Quis enim nisi planè proteruꝰ ac temerariꝰ asserat, Sãctos Patres in rebus omnium grauissimis communi condicto improprijs vti locutionibus? Secunda patet ex Patrum dictis ad verbum relatis. Prima consequentia sequitur euidenter & secũdum artem ex præmissis. Secunda verò probatur; Quoniam in his Patrum propositionibus. *Ipse Dominus erat qui saluabat; Filius, qui & Deus esset & homo, Adæ peccatum deleuit. Mors veluti propria ipsius Dei facta mortem demolitur; nam qui moriebatur, simul erat Deus & homo: Nisi esset verus Deus, non adferret remedium:* In his inquam propositionibus, & alijs similibus terminus in subiecto positus secũdum locutionis proprietatem apud doctos & indoctos stat pro suppositо denotans ipsum esse principium quod proximum operationis: quod etiam deducitur ex duobus prioribus fundamentis supra positis. Et confirmatur: Quia dictæ locutiones & aliæ, quas ex diuinis litteris supra notauimus, exponi nequeunt de natura, tanquam principio quod, nisi cũ maxima violentia & improprietate. Quis enim ferret exponentem, Ipse Dominus erat, qui saluabat, id est ipsa natura vnita Dominio erat, quæ saluabat: Filius, qui & Deus esset & homo, Adæ peccatũ deleuit, id est humana natura filio Dei & Deo vnita nos à peccato mundauit? Quis in Theologicis aut Dialecticis vel mediocriter eruditus hæc tã absona & absurda deliramẽta Theologorum, aut fideliũ auribus obijceret & pro sana doctrina venditaret?

A

TERTIVM *genus argumentorũ* trahi potest ex Concilijs Ephesino *1. Can. 4.* Calced. *actione 5.* & ex 5. Synodo generali *can. 2. & seq.* & ex 6. Synodo *per multas actiones*, & ex Cõcilio Florentino *in principio*, in quibus regulæ tradũtur prædicationũ circa ea, quę pertinent ad mysterium Incarnationis, quas refert & explicat Medina *infra q. 16. a. 5.* ad quem lectorem remittimus.

QVARTVM *genus argumẽtorũ* ex ratione desumitur. Sit igitur *prima ratio:* Terminus cõcretus positus à parte subiecti supponit pro suppositо: at diuinæ scripturæ S. Patres & Catholica fidei doctrina in symbolis Apostolorum, Concilij Niceni, & Athanasij in mysterio redemptionis humanæ fidelibus proponendo dicũt, Christũ, Verbũ incarnatũ, Dei filiũ, Deũ & hominem pro nobis passum, mortuũ & sepultũ fuisse, nos à peccati & dęmonis seruitute liberasse, nobis apud Deũ veniã impetrasse, ac nobis vitã æternã meruisse, & Deo pro peccatis totius humani generis perfectè & cumulatè satisfeciſſe; igitur his & similibus locutionibus manifestè significant, actus redẽptionis, meriti & satisfactionis diuino suppositо, nõ autẽ humanæ naturæ vt principio quod esse tribuendos. Prima propositio patet ex primo fundamento. Secũda verò constat ex locis diuinæ scripturę, & Sanctorũ suprà notatis, & ex symbolis Apostolorũ Concilij Niceni, & Athanasij. Et cõfirmatur. Quoniã illi verè & propriè tribuenda sunt vt principio quod opera redẽptionis & satisfactionis pro totius humani generis offensa Deo facta, de quo verè & propriè dicitur esse sepultũ & descensus ad Inferos: sed hæc de persona Verbi in corpore, & anima ab inuicem separatis subsistente vt principio quod, non autẽ de humana natura verè & propriè verificantur; ergò & illa. Minor probatur ex Ecclesię doctrina in symbolis supranominatis, in quibus eodem contextu, & de eodem subiecto scilicet Iesu Christo affirmantur descensus è Cœlo, conceptio & natiuitas ex Virgine, passio, sepultura & descensus ad Inferos. Minor verò probatur. Quia de ratione humanæ naturæ est vt anima corpus informet; igitur postquã anima Christi fuit à corpore separata, desiuit esse humana natura, ac proindè neq; sepulta fuit, neq; descẽdit ad inferos, igitur in sepulchro poni Verbo conuenit ratione corporis illi personaliter vniti, descensus autẽ ad Inferos eidẽ conuenit ratione animæ à corpore separatę, Verbo autẽ personaliter vnitæ. *Secũda ratio ex secundo fundamento:* Actiones sunt suppositorũ; ergò satisfactiones & merita Christi à diuini Verbi suppositо in humanitate subsistente procedebant, tanquàm à principio quod satisfaciente & bene merente pro nobis; ergò ab humanitate non erant, vt principio quod, sed tantũ vt principio quo. Antecedẽs cũ prima consequentia patet ex dictis. Secunda verò consequentia probatur: Quoniam eiusdem actionis impossibile est esse duo proxima, & totalia agentia, vt quod: at Christus siuè suppositum Verbi in humana natura subsistens est agens totale proximum, vt quod, ergò talis agẽdi modus nõ potest humanę Christi naturę cõuenire. Et cõfirmatur. Quia omne suppositũ agẽs agit per aliquã formã, & per suã naturã, tãquã per rationẽ agẽdi, seu principiũ quo, igitur humanitas Christi in

B

C

D

E

G

sti in actionibus redemptionis concurrit solum vt principiū quo. *Tertia ratio.* Satisfactio Christi ideò est infiniti valoris, & adæquat offensam, quia non solū est actio personæ infinitæ dignitatis, sed ipsam etiā personā includit, quatenus eius humiliatione & summissione ac oblatione cōpletur; ergò satisfaciens vt quod nō est humana Christi natura, sed persona in assūpta humanitate subsistens & per eā operans, vt per principiū formale quo. *Quarta ratio.* Verbū in humana natura subsistens supplet excellenter munus personæ creatæ. at persona creata est agens proximū & principale, cui tamquam principio quod tribuitur operatio, eius autem natura est principiū quo persona operatur, ergò etiā Verbum in humanitate subsistens est principiū quod & agens proximū ac principale satisfactionis, humanitas autē est principiū quo. *Quinta ratio.* Si Verbum non est principiū quod satisfactionis proximū, sed humanitas quatenus est vnione ad Verbū sāctificata, sequitur omnes illas locutiones, quibus diuinæ scripturæ, Sancti Patres & Cōcilia Christo seu Verbo diuino incarnato aut Deo in assūpta humanitate tribuunt opera meritoria aut satisfactoria, putà Ieiuniū, fatigationē, passionē, aut orationē, nō esse proprias sed improprias: at cōsequens non est admittendū; igitur nec antecedens. Consequentia probatur. Quia si dictæ operationes humanitati Christi conueniunt vt principio quod, persona Verbi non concurreret, nisi vt sustentans humanitatē satisfacientē; ergò sicut aq uæ calidæ substantia siuè suppositū non verè ac propriè calefacit, sed solus calor, qui in ea tāquam in subiecto sustentatur, ipsa verò aqua nō verè neque propriè, sed denominatione tantùm extrinseca dicitur calefacere, ita Verbū non verè nequè propriè dicetur satisfacere, sed extrinseca tantùm denominatione, quia nimirū sustentat humanitatē satisfacientē. *Sexta ratio.* Christus nos redemit, & pro nobis meruit ac Deo satisfacit, vt mediator Dei & hominū; ergò vt Deꝰ & homo, siuè vt diuina persona in humanitate subsistens. Antecedens patet ex *1. ad Timoth. 2. Vnus est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.* Consequentia verò probatur. Quia, cū mediator medij ratione exerceat inter extrema vtrinquè posita, oportet, vt cum vtroq; conuenientiā habeat; ergò Christus vt Dei & hominū mediator, debuit cū hominibus ratione assumptę humanitatis, cum Deo verò ratione personalitatis in diuina natura ab æterno subsistentis conuenire; igitur persona Verbi per assumptā humanitatem, actus exercebat mediatoris. Videnda sunt, quæ de mediatore scribit Suarez *infra q. 26. a. 2.* Vbi mentem S. D. explicat eruditè.

VLTIMA RATIO. Si diuino supposito satisfactio cōuenit tantū remotè per cōmunicationē idiomatū, vt ait Vasquez; ergò diuinū suppositū maiorem nō habuit efficientiā respectu satisfactionis, quàm humanitas habeat concretè sumpta respectu Creationis Vniuersi: at consequēs est erroneū, cùm destruat seipsum & proprietatē locutionum diuinæ scripturæ & Sanctorum Patrum, ac totius Ecclesiæ Catholicæ confitentis, Christū siuè Dei Filium, aut Deum in assumpta humanitate nos redemisse, pro nobis meruisse & satisfeciſſe, ergò sententia illa Vasquezij non est toleranda. Sequela maioris probatur. Quia, demonstrato Christo, vera est per communicationē idiomatū hæc propositio. Hic homo creauit cœlum & terram, ergò si ob eandem causam precisè verum est, filium Dei in assumpta humanitate subsistentem nos redemisse, pro nobis meruisse & satisfeciſſe, sequitur eum non maiorem efficientiam habuisse respectu redemptionis nostræ, quàm Christi humanitas habuerit respectu creationis Vniuersi.

EX DICTIS sequitur vnica CONCLVSIO, videlicet: *Persona Verbi in humana natura subsistes fuit principium quod satisfactionis: Humanitas autem eiusdem satisfactionis fuit tantùm principium formale quo.* *Conclusio.*

Argumenta, & solutiones.

CONTRA conclusionē argumentatur Vasquez. *Primò* Athanasius *in Epist. ad Epictetum ubi. 1. in confessione fidei sub finem* inquit: *Corpus igitur, quod nostri causa gestauit dominus opus est & creatura, idq; gentium est nobis* (vt inquit Paulus) *ex Deo sapientia, & sanctificatio, & iustitia, & redemptio.* Nomine verò corporis intelligit Athanasius totam ipsam naturam per figuram synechdochē: Ex ipsius igitur sentētia humana natura in Christo facta est nobis redemptio & sanctificatio, certè non alia ratione nisi quia ipsi vt redemptrici tribuitur nostra sanctificatio & redemptio, quæ fuit effectus satisfactionis; ergò & satisfactio eodem modo tribuenda est humanitati vt satisfacienti. *Respondetur* nullam esse primam consequētiam; non enim ideò Christi humanitas dicitur nobis à Deo effecta esse sanctificatio & redēptio, quia ipsi vt redemptrici seu vt principio quod redēptio nostra tribuatur, sed ob supradictā cā, quia nimirum est formale principiū quo satisfactionis. *Solut.*

Secundò Elias Cretensis *in oratione 10. Nazianzeni* sic loquitur: *Se autem, vt hominem mundum viciſſe dixit, non vt Deum: nam si vt Deus vicerit, nihil ad nos, si autem vt homo, nos quoque in ipso vicimus.* Particula *vt* est nota specificationis & determinationis significans naturam, cuius est operatio redēptionis & satisfactionis; ergò significat humanam Christi naturam esse principium redemptionis & satisfactionis vt quod. Probatur consequentia; quia dictus auctor ait: Christus vt homo vicit Mundum, quod idem est, atque Christus vt homo satisfecit, non autem dicit, Christus vt homo Deus, neque vt Deus & homo. *Respondetur*, nullam esse consequentiam; ex illis enim verbis cum nota specificationis nil aliud sequitur, nisi Christi humanitatem esse principiū satisfactionis formale quo. Ad probationem dico, Christum satisfeciſſe vt hominem, id est ratione humanitatis, vt principij proximi quo satisfactionis, cuius principium proximum quod erat ipse Christus Deus & homo. Vt enim supra diximus ex D. Th. & S. Augustino, in propositione, in qua aliquid de aliquo prædicatur, non solùm attenditur quid sit illud de quo prædicatur, sed etiam secūdùm quid de illo prædicetur. Cùm igitur aliquid de Christo prædicatur, attendendum est, secundùm quid de illo prædicetur; nam ea, quæ sunt diuinæ naturæ, prædicantur secundum diuinam naturam; ea autem quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de eo secundùm humanam naturam; sicut in proposito satisfactio & redemptio, quæ fit per actiones humanitatis vt principij quo. *Obiect. 2.*

Tertiò Carolus M. *in Epistola ad Epilandum, quæ est in Concilio Francf. in confessione fidei de Christo*, ita scribit. *In forma Dei creator, in forma serui redemptor*: non dixit, in forma Dei & hominis redemptor, quod perindè esset, ac dicere secundùm quod Deus homo, sed dixit, In forma serui, hoc est, vt homo vel secundùm *Obiect. 3.*

natu-

Solut. naturam humanam; ergò. *Respondetur*, nullam esse consequentiam; non enim his verbis significatur, nisi Christi humanitatem fuisse principiũ formale quo, vt ante diximus.

Obiect. 4. ex variis locis S. Th. *Quartò* S. Th. *infra q. 48. a. 5.* inquit, proximum nostrum redemptorem fuisse Christum inquantùm homo est, ad Trinitatem verò remotè pertinere rationem redemptionis, vt ad primam causam: De suppositio autem Christi nihil dixit. Et *q. 26. a. 2.* docet, Christum non fuisse mediatorem secundùm quod Deus est, sed solũ secundum quod est homo. Ex hoc dicto sic arguit. Si satisfecisset non tantùm secundùm quod est homo, sed secundùm quod homo Deus, non vteretur particula *solùm*, nec diceret solum fuisse mediatorem secundùm quod est homo. Præterea inquit S. Th. duo esse de ratione mediatoris: vnum est vt habeat rationem medij respectu extremorum; ac proindè ab eis distinguatur; ita scilicet vt mediator, secundùm quod mediator est & exercet munus mediatoris, non sit extremum, cum quo alterum coniungendum est. Alterum est, vt vnum extremum ad aliud deferat & cum eo coniungat: vtrumque autem dicit Christo conuenisse solùm secundùm quod homo erat, dum satisfecit pro nobis: vbi iterum vtitur particula *solùm* & rectè quidem; nam, si, vt aduersarij volunt, Christus non satisfecisse exactè quatenus homo, sed quatenus homo Deus, non fuisset vllo modo mediator; quia licèt, quatenus homo, distinguatur ab extremis, non fuisset functus munere coniungentis & deferentis vnum extremum ad aliud, eo quod defecisset ei perfecta satisfactio: si autem solùm exactè satisfecisset, quatenus homo Deus, non fuisset mediator; quia mediator distingui debet ab extremis: Christus autem vt homo Deus non distinguitur

3. à Deo. Præterea *q. 2. a. 3. ad 1.* de Christo ait. *Et ideò, inquantùm eius humanitas operabatur virtute diuinitatis, illud sacrificium erat efficacissimum:* nõ dixit, ratione personæ sed diuinitatis, quia ab illa sanctificabatur, & ita ab ea accipiebat dignitatem, non autem à persona. *Respondetur ad primum locum,* D. Thomam cum ait *q. 48. a. 5.* proximum nostrum redemptorem fuisse Christum, inquantum homo est, vtrumque significasse, scilicet suppositum vt principium quod, dicens proximum nostrum redemptorem fuisse Christum, & naturam vt principium quo, addens *inquantùm homo. Ad secundum locum ex q. 26 a. 2.* eodem modo respondetur. Ad primam autem rationem in contrarium negatur sequela; nam illa particula *solùm* non excludit principium quod proximum, sed excludit aliud principium formale quo proximum. Ad secundam dico, mentem D. Th. non esse, mediatorem vt mediator est, debere ita distingui ab extremis, vt secundùm suppositum non sit realiter alterum extremum, sed satis est si secundùm naturam, quæ formale satisfactionis principium est, ab vtroq; extremo distinguatur: Christus autem secundùm humanitatem gratia perfectam ab vtroque distinguitur extremo, vt ibidem explicat S. D. & quemadmodum Christus, vt homo conuenit quidem cum hominibus in humanitate simpliciter sumpta, differt autem secundùm eandem humanitatem, vt dignitate gratiæ & gloriæ perfectam; ita Christi persona conuenit quidem cum Deo secundùm naturæ & subsistentiæ dignitatem, sed ab eo differt, prout subsistit in assumpta humanitate. Et quoniam hoc nomen, Christus, significat Deum hominem, simul includens Dei personam & humanam naturam, ideò verè Christus mediator à Deo distinguitur, absolutè loquendo, quamuis tota ratio distinctionis sit humana natura, quam Christus includit, non autem Deus; propter quam causam vtitur S. D. illa particula *solùm. Ad tertium locum* dico, S. Th. vsum fuisse nomine diuinitatis & non personæ, quia dignitas vnde satisfactionis valor accipitur, primò conuenit diuinitati, & per eam ad personas deriuatur: secundò dico, in ratione diuinitatis completè sumptæ & prout est à parte rei, includi personas vt ostendimus *in 1 p. q. 28. a. 2. Controu. 1.*

Obiect. 5. *Quintò.* Vera est & congrua hæc propositio: Christus satisfecit secũdùm naturam humanam, vel secundùm humanitatem: non autem hæc, Christus satisfecit secundùm humanitatem & Deitatem; ergò sola humana natura in Christo principium erat operationis satisfactoriæ. Probat antecedens quo ad vtranque partem longo discursu: *sed illud nos* facilè concedimus cum illatione deducta in sensu iam expresso, videlicet inde sequi, solam humanitatem esse principium quo proximum satisfactionis. Et eodem modo soluitur aliud argumentum, cuius antecedens est: Christus secundùm quod homo satisfecit; in hoc enim denotatur, humanã naturam esse principium quo proximum satisfactionis, suppositũ autem esse principium vt quod. Solutio.

Obiect. 6. *Sextò.* Non solum dicimus: homo aut hic homo satisfecit pro nobis, sed etiam: humanitas aut hæc humanitas satisfecit pro nobis; ergò non solùm tribuitur talis operatio naturæ humanæ vt principio quo, sed etiam vt principio quod, nõ tamen concretè significatæ, sed etiam abstractè. *Et confirmatur:* Quia, cum concretum *homo* ponitur etiam ex parte subiecti, non supponit pro supposito, connotata natura, sed pro natura, cõnotato supposito; ergò.

Solut. *Respondetur*, falsum esse antecedens, propriè loquendo. Actiones enim, vt diximus, non sunt formarum aut naturarum, sed suppositorum. *Ad confirmationem* negatur antecedens, cuius oppositum verum esse probauimus in primo fundamento.

Quarta Controversia.

An Homo purus per exclusionem tantùm diuini suppositi id est, qui non est Deus, habens tamen gratiam & charitatem, possit condignè & secundùm leges rigorosæ iustitiæ Deo satisfacere pro peccatis & offensis humani generis?

Sententiæ Doctorum. TRes in hac Controuersia possunt Doctorũ opiniones recenseri. *Prima est* Aureoli *in quarto d. 15. a. 2.* dicentis, purum hominem cum gratia & charitate potuisse Deo ad æqualitatem & de toto rigore iustitiæ pro totius humani generis offensis satisfacere.

Secũda huic opposita, quam ferè omnes Thomistæ, & alij plures extranei S. Doctoris interpretes & Doctores sequuntur est, nullam puram creaturam etiam cum gratia & charitate posse satisfacere de condigno, siuè ad æqualitatem perfectam, & multo minus de toto rigore iustitiæ, sed imperfectè tãtũ pro peccatis humani generis. Hanc tuentur Capreolus *in tertio d. 18. q. Vnica & latius in 4. d. 15. q. 1.* Io. Medina *in Codice de satisfactione pro peccatis, q 1.* Ferrar. *in 4. cont. gent. c. 54.* Barth. Medina *super hoc articulo, dub. 3.* Valentia *puncto 5. in 3. quæsito,* Vasquez *disp. 4. c. 3.* Pesantius *disp. 4.* & Aluarez *disp. 6.* quæ videtur esse sententia D. Tho. *in hoc articul. in responsione ad 2.*

Tertia sententia media inter duas prædictas incedens affirmat, potuisse purum hominem habentem gratiam & charitatem pro cęterorum hominum offensa Deo satisfacere de condigno siue ad æqualitatem perfectam, non tamen de toto rigore iustitiæ. Ita Caiet. *dubio 1. super hoc art.* Quem sequitur Sotus *libro 3. de natura & Gratia, & in quarto d. 1. q. 5. a. 4.* & Suarez *disp. 4. s. 7.* Quibus etiam consentit Rada *in sua tertia parte, Cont. 13. a. 1. Concl. 5. & 6.* In eandem sententiam inclinat Magister Porrecta dicens, Adamum post peccatum non potuisse pro tota sua posteritate satisfacere, quia gratia post peccatum Adæ collata non erat capitalis, & opus fuisse dari vnum hominem qui esset caput omnium hominum ad hoc, vt satisfactio per æqualitatem corresponderet offensæ: Cum itaque non videatur impossibile gratiam puro homini capitalem infundi, consequens est, non esse impossibile secundùm hunc expositorem, purum hominem Deo ad æqualitatem pro cęterorum hominum peccatis satisfacere. In qua tamen explicanda sententia non conueniunt. Sed singulos dicendi modos, & eorum differentias recensere non expedit.

Resolutio. Status quæstionis.

Qaestio hæc non est de potentia Dei ordinaria, de qua nulla potest esse difficultas, sed de potentia Dei absoluta; num scilicet per infinitam Dei potentiam effici possit, vt homo purus habens tamen gratiam & charitatem, vt Deo condignè & de toto rigore iustitiæ satisfaciat pro peccatis & offensis humani generis? Ad cuius euidentiam.

Considerandvm Est Primo duplicem esse satisfactionem de condigno, *altera* est absolutè perfecta, &, vt aiunt, de toto rigore iustitiæ: & hæc ea est, cuius valor & adæquatio ad offensam nullo modo se tenet ex parte illius cui fit satisfactio, sed ex parte solum satisfacientis: & hanc fatentur omnes, vno excepto Aureolo, non esse per infinitam Dei potentiam creaturę communicabilem; quia personam exigit satisfacientem, quæ sit infinitæ simpliciter dignitatis, & quæ sit Deus homo, vt hic ait S. D. *ad secundum.*

Posse purè hominē per excellētem gratiam à Deo receptā cōdignè Deo satisfacere pro totius humani generis offensis, non tamen ex toto rigore iustitiæ.

Altera est condigna perfecta & æqualis offensæ, non simpliciter & absolutè, sed ex suppositione gratiæ à Deo receptæ, & hæc per absolutam Dei potentiam potest creaturæ communicari, vt perspicuè docet S. D. *infra q. 64. a. 4.* dicens, Christum Dominum potestatem excellentiæ illi, inquantùm homini conuenientem potuisse ministris communicare, dando eis tantam gratiæ plenitudinem, vt eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, vt ad inuocationem nominum ipsorum sanctificarentur sacramenta, & vt ipsi possunt instituere sacramenta, & vt sine ritu sacramentorum, effectum sacramentorum scilicet gratiam solo vocis, aut etiam mentis tantùm imperio conferre; ac proindè possibile Deo fuit tantam Petro aut cuilibet alteri gratiæ plenitudinem elargiri, vt eius opera tamquàm satisfactiones humani generis offensam adæquantes acceptarentur à Deo. Sed quia satisfactio hæc fundaretur in gratia gratis à Deo recepta, non se teneret simpliciter ex parte satisfacientis; atque ideò non esset absolutè perfecta, sed ex suppositione tantùm, vt ait Sotus *in 4. d. 1. q. 5. a. 4.* qui perfectionem hanc satisfactionis non tribuit promissioni, pacto siue conuentioni, vt Suarez, aut acceptationi diuinæ satisfactionis operibus superadditæ, vt Scotus & alij, sed ipsius gratiæ virtuti & efficaciæ. Addit autem Suarez, quem sequitur Rada, *controu. 13. art. 1.* potuisse Deum constituere hominem aliquem caput aliorum in esse gratiæ, & omnium voluntates in eo ponere, vt illo satisfaciente, omnes in illo, & per illum satisfacere existimarentur, quemadmodum nunc dicuntur omnes in Adam peccasse.

An autem hęc gratia eiusdem esset rationis & speciei cum gratia cæteris hominibus iustis à Deo collata, discerni posse videtur ex ijs, quæ de Christi gratia tradit S. D. *infra q. 7. artic. 9. & seq.* & ibi Caietanus. Docet enim S. Th. Christum dupliciter habuisse gratię plenitudinem; *Vno modo*, quia eam habuit quo ad totam eius intensionem, siuè secundum perfectissimū modum, quo haberi potest: *Alio modo*, quia plenè gratiam habuit quo ad eius virtutem, quia scilicet eam habuit quo ad omnes operationes & effectus gratiæ, eo quod ei collata fuit gratia, tanquàm cuidam vniuersali principio in genere habentium gratiam: virtus autem primi principij alicuius generis vniuersaliter se extendit ad omnes effectus illius generis; sicut virtus Solis, qui est vniuersalis causa generationis, se extendit ad omnia generabilia. Hæc verò gratia, ait Caietanus *in a. 11. dictæ quæst.* eiusdem est speciei specialissimæ cum gratia cæterorum hominum quo ad essentiam, licèt eius ratio quo ad essendi modum sit diuersa, eo quod in Christo sit, vt in toto eam adæquante secundùm se, siuè vt in subiecto & in principio vniuersali gratiæ, in alijs autem vt in particulariter participantibus. Quo fit, vt, quantumuis augeatur aliorum hominum gratia, nunquàm gratiæ Christi quantitatem intensiuam aut extensiuam valeat adæquare; sicut calor aeris aut misti quantumcunque crescat, nunquàm ignis calorem adæquabit, licèt sub eadem specie contineatur; quoniam ignis subiectum & principium est calorem adæquans secundùm se, aer autem & mistum deficienter illum ac limitatè participant. Sic igitur ad propositum quæsitum dici potest, gratiam illam excellentem puro homini à Deo concessam, vt per eius virtutem & operationes Deo pro totius humani generis offensa satisfaceret, eandem specificam essentiam cum gratia cæterorum habituram, sed in essendi modo fore differentem; quia scilicet in eo homine perfectam haberet intensionis quantitatem, & ad omnes gratia possibiles extenderetur effectus, salua semper ea differentia inter purum illum hominem & Christum Deum & hominem, quòd gratia fuit Christo naturalis ex eo, veluti ex fonte deriuata, illi verò homini esset à Deo merè gratis communicata.

Huius igitur hominis gratia cum satisfactione ex ea proueniente, si consideretur, prout se tenet ex parte Dei, cui fit satisfactio, quatenus scilicet ab eo gratis fuit huic homini collata, vim aut valorem non habet sufficientem, vt adæquet offensam; quoniam vt sic est ex gratia & liberalitate creditoris, & non est ex proprijs ipsius satisfaciētis, sed ex bonis quæ sunt actu ipsius creditoris. Ex parte namq; satisfacientis nihil remanet secundùm hanc considerationem, nisi vires eius naturales, quas cōstat non esse per se sufficiētes ad actum satisfactionis adæquantē offensam; accedente verò charitate & gratia diuinæ misericordiæ gratificantis, ac per hoc acceptātis opus hominis pro satisfactione peccatorū, sufficientiā quandā & perfectionē in ratione satisfactionis acquirit: adeo vt considerata diuina gratia, charitate & misericordia Dei gratificantis & acceptātis opus, prout gratia se tenet ex parte

parte satisfacientis, veluti complementum seu magis ratio valoris operis satisfactorij, sit iam illius puri hominis satisfactio perfecta & æquialens offensæ totius humani generis. Nam, & si talis satisfactio innitatur gratiæ &auxilijs à Deo receptis, atque ideò non sit de toto rigore iustitiæ, quia tamen suppositа gratia & auxilijs in operante, satisfactio iam est æqualis valoris, nec ex gratia acceptatur, sed ex iustitia, ideò verè perfecta est & æqualis offensæ. His adde, satisfactionem hanc non fieri formaliter per ipsam gratiam & auxilia Dei, sed per actus, qui veluti fructus ex gratia, charitate, donis & auxilijs à Deo receptis deriuantur, quorum dominium habet homo per liberum suæ voluntatis arbitrium, & quos homo Deo actu non deberet alio aliquo titulo iustitiæ, vel religionis, &c. licèt eos ab homine Deus exigere potuisset titulo religionis & gratitudinis, aut etiam aliam obligationem eis imponere iustitiæ, vel aliquam illi virtuti æquialentem. Esset igitur hæc satisfactio verè condigna & suo modo perfecta, vt ex dicendis apparebat.

Explicatur, & defenditur interpretatio Caietani de puro homine aduersus recentiores.

Ex His defendi facilè potest interpretatio subtilissimi nostri Caietani dicentis, purum hominem hic apud D. Th. intelligi non solùm per exclusionem coniunctionis cum diuino suppositо, sed etiam per exclusionem diuinæ misericordiæ gratificantis opus hominis ad hoc, vt sit Deo acceptum; exclusionis enim nomine non realem separationem, sed per intellectus nostri considerationem intendit, ac si diceret: Purus homo intelligitur, qui nec sit coniunctus diuino suppositо, nec habeat gratiam se tenentem ex parte ipsius hominis satisfacientis, quamuis verè & realiter habeat gratiam se tenentem ex parte Dei, cui fit satisfactio. Hanc autem esse mentem Caietani perspicuè patet ex illis verbis. *Patet secundò differentia aliorum ab authore; nam alij Doctores charitatem, seu gratiam ad satisfactionem concurrentem ex parte hominis satisfacientis posuerūt; & ideò dixerunt, purum hominem posse pro peccatis satisfacere: Author verò gratiam, & charitatē ex parte diuinæ misericordiæ gratificantis, ac per hoc acceptantis opus humanū posuit, hominemque purum cum suis viribus ex parte satisfactoris posuit, & ideò dixit, illū nō posse, Christūverò posse satisfacere.* Quib. verbis planè significat Cai. purū hominē, de quo loquitur hic S. D. habere gratiam & charitatem gratificantem opus satisfactionis, ac proinde realiter inhærentem ipsi homini satisfacienti & opus eius informantem. Non enim aliter per gratiam & charitatem potest opus hominis gratificari, sed in hoc ait esse differentiam inter D. Tho. & Scotum ac alios quosdam Doctores, quod S. D. gratiam ad satisfactionem realiter concurrentē, & ipsi homini inhærentem, ac opus eius informantem posuit ex parte Dei gratiam & charitatem misericorditer largientis & per eam opus hominis gratificantis, & sic per gratiam & charitatem gratificatum acceptantis: alij verò gratiā & charitatem ex parte hominis satisfactoris posuerunt: Vtrique ergò gratiam & charitatem in homine illo puro posuerunt, sola eiusdem gratiæ & hominis consideratione differentes; quia S. D. gratiam & charitatem puro homini inhærentem cum Deo creditore, tanquàm eius munera computabat: alij verò hæc cum ipso puro homine satisfactore, vt virium eius naturalium perfectiones & complementa quasi propria, licèt à Deo donata computabant, & ideò dicebant, posse purum hominem pro totius humani generis offensa perfectè satisfacere. Quos meritò dupliciter esse reprehensibiles affirmat Caietanus. Primò: Quia mentem S. Thomæ minimè percipientes sententiam suam ei vt contrariam opposuerunt. Secūdò: Quia non sunt locuti formaliter de puro homine vt satisfactore, prout à Deo homine satisfactore distinguitur. Hic enim, quia gratiam & charitatem habet ex proprijs, simpliciter & absolutè satisfacit, ita vt eius satisfactio sit æquiualens simpliciter offensæ: ille verò, scilicet homo purus habens à Deo gratiam non propriè dicitur absolutè satisfacere, sed cū addito, scilicet secundùm acceptationem diuinę misericordiæ gratificantis opus; quod eo ipso Deo fit acceptabile, quòd ex diuina gratia & charitate illud informante procedit. Purus enim homo gratiam habens præcisè & formaliter sumptus, id est quo ad ea, quæ sunt illius propria, siue quæ se tenent ex parte eius, vires suas tantùm habet naturales, quibus absque diuina gratia nulla vis potest inesse merendi vel satisfaciendi: ea verò diuinitus addita, valorem habent earum actus satisfaciendi, non simpliciter sed ex diuina misericordia gratificante, &c. Adeo vt considerata gratia & charitate & auxilijs, prout se tenent modo dicto ex parte puri hominis satisfacientis, dixerit S. D. *in 4. d. 15. q. 1. a. 2. ad 1. Sicut offensa habuit quandam infinitatem ex infinitate diuinæ maiestatis, ita & satisfactio accipit quandam infinitatem ex infinitate diuinæ misericordiæ, prout est gratia informata, per quam acceptum redditur, quod homo reddere potest.*

Et quia satisfactio hæc ex suppositione diuinæ gratiæ consideratę, prout se tenet ex parte satisfactoris, quamuis sit æquiualens offensæ, vt ostendemus, non tamē est absolutè perfecta, nec de toto rigore iustitiæ ob supradictam causam; quia nimirum innititur gratiæ à Deo, cui fit satisfactio, receptæ, quæ propriè & simpliciter loquendo se tenet ex parte Dei; ideò S. D. *hic ad 2.* ait, puri hominis satisfactionem esse sufficientem imperfectè, & Caietanus ad tertiam obiectionem Scoti respondens ait, huiusmodi satisfactionem distingui contra satisfactionem per æqualitatem, & idem esse, satisfactori concedere gratiam, qua actus eius fiat satisfactio & satisfactionem illius insufficientem ex misericordia acceptare, & esse implicationem in adiecto, asserere, posse hominem satisfacere simpliciter Deo pro commisso peccato, & hoc posse per charitatem ex diuina misericordia faciente de attrito contritum; quia ipsum informari charitate ex gratia Dei constituit, non præsupponit satisfactionem, ac proindè talem satisfactionem non esse sufficientem, nisi ex acceptatione diuina, quæ distinguitur contra satisfactionem simpliciter. Quæ non aduersantur alteri dicto, quod paulò ante Caietanus Scoto concesserat, videlicet puri hominis satisfactionem esse sufficientem ad æqualitatem, considerando purum hominem satisfacientem, prout includit diuinam misericordiam acceptantem eius opus per gratiam, &c. hæc enim satisfactio neque est de rigore iustitiæ, neque est absolutè sufficiens & æqualis offensæ, sed ex suppositione tantùm diuinæ gratiæ consideratæ, prout quodāmodo se tenet ex parte hominis satisfacientis. Et ex his patet, posteriores omnes S. Doctoris expositores mentem Caietani non attigisse, & eorum obiecta aduersus eius doctrinam sic explicatam non militare.

Secvndo Sciendvm Est, satisfactionem puri hominis, quam, suppositа diuina gratia, diximus esse sufficientem & peccatis humani *Prædictam puri hominis satisfa-*

ctionem tres conditiones omni condignæ satisfactioni necessarias modo sibi congruo postulare.

generis æquiualentem, tres illas exigere conditiones, quas in omni satisfactione de rigore iustitiæ diximus esse necessarias. Sed quoniam hæc satisfactio, quamquam possit offensas omnium hominum erga Deum adæquare, non tamen totum admittit iustitiæ rigorem, ideò conditiones quidem easdem requirit, sed mitioris cuiusdam intelligentiæ temperamento moderatas.

Est autem prima conditio, vt satisfactio non sit ex gratia & liberalitate creditoris: Cui Suarez trium limitationum moderamen adiungit, de quibus satis supra diximus *in tertia parte, secunda controu.* Ex quibus duæ tantum mihi videntur esse necessariæ, ne ex huius conditionis defectu satisfactio puri hominis debita sibi careat perfectione, licèt ex toto nequeat esse rigore iustitiæ, videlicet secunda & tertia, quas ibidem explicauimus; vbi aduersus Albertinum diximus primam etiam esse necessariam, vt satisfactio sit ex toto rigore iustitiæ: cui non repugnat, quod modo diximus de satisfactione perfecta ex suppositione diuinæ gratiæ.

Secunda conditio est, vt satisfactio sit ex proprijs. Hanc verò conditionem secundùm omnẽ eius modum puri hominis satisfactio non requirit, vt eam, quam diximus, habeat perfectionem, sed satis erit si sit ex proprijs, id est ex ijs quæ sub aliquo satisfactoris particulari dominio cõtinentur; quales supra diximus esse operationes omnes liberas, quarum homo speciale dominiũ habet per voluntatem. Vide, quæ de hac conditione diximus *in allegata Controuersia* cum D. Thom. quem sequitur Suarez, quamuis, vt ibi notauim⁹, cõditio hæc sic præcisè expositа satisfactioni, quę sit ex toto rigore iustitię, nõ sufficiat.

Tertia conditio est, vt satisfactio sit ex aliàs nõ debitis, quæ in præsenti materia necessariò intelligenda est de debitis tantùm actu quocunque alio titulo, scilicet iustitiæ, religionis aut obedientiæ, &c. quamuis ex non debitis per additam obligationem à Deo rerum omnium Dominio debita fieri possent. Ex hoc enim, quod quidam actus ab homine puro Deo minimè debiti lege seu præcepto diuino valeant obligari, nõ destruitur aut minuitur eorum valor, quo possunt tanquàm satisfactiones offerri pro peccatis, quamuis satisfactio puri hominis per eos effecta nequeat esse de toto rigore iustitiæ, vt diximus *in allegata 2. controu.*

Puri hominis satisfactionem posse esse sufficientem, & æqualem offensæ totius humani generis erga Deum.

POSTREMO ex his, quæ diximus, ostendendum est satisfactionem puri hominis posse esse sufficientem & æqualem offensæ totius humani generis erga Deum. Id autem probatur tribus optimis argumentis. *Primum est.* Quoniam offensa non est infinita, nisi secundũ quid; ergò per satisfactionem ex gratia & charitate puri hominis procedentem potest adæquari. Antecedens latè probatum est *in prima Controuersia ad hunc articulum.* Consequentia verò probatur; quoniam actus ex gratia, præsertim excellenti & capitali puri hominis, in Deum vt obiectũm & bonum summè dilectum ordinati, essent infiniti secundum quid: Et quemadmodum gratia illa puri hominis capitalis comparatur ad gratias aliorum, vt virtus vniuersalis ad virtutes particulares, eo quod omnem habeat gratiæ perfectionem intrinsecam & extrinsecam, & ideò nullius alterius hominis gratia quantumcunque cresceret, ad illius vnquam pertingere posset æqualitatem; sic & quilibet actus ex illa gratia per habitũ charitatis illi proportionalem procedens ad cęterorũ hominũ actus per charitatem elicitos compararetur, vt virtus vniuersalis ad virtutes particulares; ac proindè sicut actus singuli cęterorum hominũ ex gratia & charitate procedentes singulas peccatorum malitias adæquarent, ita solus vnus actus ex gratia illa puri hominis capitali productus vniuersali sua virtute malitiam omnem adæquaret peccati tàm actualis quàm originalis. *Secundum argumentum est.* Quia, si puri hominis satisfactio non posset esse condigna pro totius humani generis offensis, id maximè esset ob eam rationem, quam *hic ex responsione D. Th. ad 2.* colligunt recentiores, quia scilicet iniuria crescit ex dignitate personæ offensæ, satisfactio verò ex dignitate personæ satisfacientis, igitur vt satisfactio proportionẽ habeat æqualitatis cum iniuria, necesse est vt dignitas personæ satisfacientis eandem habeat proportionem cum dignitate personæ offensæ, hanc autem habere non potest persona creata, quantumuis sancta & grata: At hæc ratio qua Suarez & alij vtuntur vt demonstratiua, quamuis optimè probet, nullam puri hominis satisfactionem esse posse de toto rigore iustitiæ, non tamen probat eam suppositа gratia à Deo recepta, non posse offensas omnium hominum in Deũ commissas adæquare; ergò. Minor probatur. Primò: Quia non eadem ratione pensatur iniuriæ grauitas ex dignitate personæ, qua ex eadem satisfactionis valor attenditur: Nam peccati grauitas ex offensæ personæ dignitate sola quadam extrinseca denominatione dependet, vt ostendimus *in prima Contr.* At satisfactionis valor ex satisfacientis personæ dignitate, tanquam actui satisfactionis coniuncta, & in eo intimè clausa deriuatur, vt diximus *in præcedente Contr.* dignitas ergò personæ satisfacientis infinita nõ est absolutè necessaria, vt satisfactio adæquetur offensæ, sed sufficeret actus ex gratia & charitate procedens, qui per extrinsecam ex obiecto denominationem esset infinitus; quem si purus homo ex proprijs, ideſt nulla Dei gratia præuentus Deo posset offerre, per illum non ad æqualitatem tãtùm, sed etiam ex toto rigore iustitiæ Deo pro totius humani generis offensa satisfaceret, vt hic affirmat Caietanus. Verùm, quia nec homo nec quæuis alia pura creatura talem actum ex proprijs suæ naturæ viribus Deo potest exhibere, ideò benè & efficaciter ex infinitate secũdũ quid offensæ S. D. deducit *hic ad secundum* oportere satisfactionem esse actum personæ simpliciter infinitæ, vt haberet efficaciam (scilicet ex proprijs) infinitam, vt hic etiam aduertit Caietanus; cuius oppositum gratis affirmat Suarez *disp. 4. s. 7. §. Hinc constat:* Quem sequitur Aluarez *disp. 6.* Et confirmatur: Quia licèt in multis, non tamen in omnibus satisfactionibus valor satisfactionis ex dignitate personæ satisfacientis accipitur, vt probat Vasquez *disp. 2. c. 3.* neque semper in ijs, in quibus valor ex tali dignitate desumitur, ex ea præcisè aut necessariò deriuatur, sed aliud etiã totale & sufficiens, aut plura simul sũpta sufficiẽtia potest habere principia, puta gratiã, charitatẽ & obiectũ simpliciter infinitũ. Secũdò probatur eadẽ minor: Quia peccator Deum offendẽs nullũ malũ infert Deo secũdũ se, aut dãnũ aliquod affert bonis eius intrinsecis, sed Dei tantũ lędit honorẽ, quod bonũ eius est extrinsecũ & finitũ: cuius lęsionis quantitatẽ actus satisfactionis ab excellenti puri hominis charitate procedẽs poterit adęquare: quãquã, vt sępè diximꝰ, nõ erit hęc satisfactio de toto rigore iustitię.

Tertium argumentum desumitur ex auctoritate S. D. supra notata, *ex quarto d. 15. q. 1. art. 2. ad 1.* Vbi satisfactionis infinitatem infert ex infinitate gra-

te gratiæ & charitatis Deum simpliciter infinitum suis actibus attingentis ; dicens enim ibi, satisfactionem accipere quandam infinitatem ex infinitate diuinæ misericordiæ , prout est gratia informata , manifestè significat , satisfactionis infinitatem ex diuina misericordia, quatenus est extrinseca causa , non esse sumendam, sed ex eius effectu , scilicet gratia & charitate; cuius actus ex obiecto simpliciter infinito, quem attingit , dicitur extrinseca denominatione secundum quid infinitus.

Conciliatio. Ex hucusque dictis perspicuè constat, secundam opinionem *in principio Controuersiæ* relatam non esse à tertia in rei veritate, sed verbis tantùm ac solo loquendi modo differentem, & conciliari facilè posse, vtendo dist. Caiet. & Soti sup. notata.

Cõclusiones deductæ & probatæ. PRIMA CONCLVSIO : *Nulla fuit hactenus pura creatura , quæ ad æqualitatem Deo satisfecerit pro peccatis aliorum mortalibus.* Hæc conclusio est fidei dogma certissimum : & *probatur primò* argumento Augustini *in Enchiridio , cap. 108.* quia alioquin possemus in ea gloriari contra dictum illud Apost. *1. Corinth. 10. Qui gloriatur in Domino glorietur :* & possemus in illius creaturæ nomine baptizari; vt infert idem August. *tract. 5. in Ioan.* contra id, quod ait Apostolus *1. Corinth. 1. Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis , aut in nomine Pauli baptizati estis?* Quod idem latius prosequitur idem Apostolus *in eadem epist. cap. 3.* & possemus in eum credere, iuxta illud *ad Rom. 4. Credenti in eum , qui iustificat impium :* at in Deum solùm credendum est, vt ait S. D. *in 2. 2. q. 2. a. 2.* ergò. Et confirmatur: quia alioquin non esset verum illud *Actorum 4. Nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus , in quo oporteat nos saluos fieri:* Neque illud *ad Rom. 5. Per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem. Secundò probatur conclusio* ex Apost. *ad Rom. 3.* Vbi cùm ostendisset homines omnes esse prorsus inutiles ad alios redimendos, subdit de Christo : *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum, &c.* Vbi declarat Apostolus solùm Christum ad æqualitatem potuisse pro totius humani generis offensa satisfacere , eò quòd ipse solus satisfactionem offerre Deo potuerit infinitam; qualem diximus esse necessariam ad hoc vt sit æqualis offensæ. Eandem conclusionem latè probat Augustinus *libr. de Spiritu & Littera cap. 6. & lib. 10. de Ciuit. Dei, à cap. 22. vsque ad 32. & lib. de Peccatorum meritis & remissione c. 14. & 27. & lib. de peccato originali contra Pelagium c. 29.* Vbi probat sicut à Sodomis nullus fuit liberatus nisi per duos Angelos; ita nullus à peccatis liberatur nisi per Christum. Eandem veritatem probat Rupertus Abbas multis in locis, sed præcipuè *in Oseam, c. 4. & in Michæam, & Zach. in princip.* Vbi obseruat in diuinis scripturis frequenter hominum peccata repeti, & tamẽ toties ostendi illa per solum Christum remitti: igitur nulla pura creatura hactenus pro illis satisfecit.

» SECVNDA CONCLVSIO: *Purus homo non potuit etiam per absolutam Dei potentiam pro peccatis humani generis ex toto rigore iustitiæ satisfacere.* Hęc est contra Aureolum: sed est expressa D. Th. & omnium SS. Patrum & Scholasticorum sentẽtia, & patet ex dictis tam in hac quàm in præc. Contr. & eam multis argumentis probant Medina & alij recentiores sup. nominati.

TERTIA CONCLVSIO. *Simpliciter loquendo non potest purus homo etiã per absolutã Dei potentiã, & cæterorũ hominũ offensis Deo perfectè seu ad æqualitatẽ satisfacere.* Hęc est D. Th. *in resp. ad 2.* Et Caiet. dicẽtis, esse implicationẽ in adiecto, &c. quã doctrinã sequũtur & explicãt oẽs recẽtiores *sup. hoc art.* & nos eã *in Coroll. ad 1. fundam.* declarauimus. Pro hac concluſ. faciunt argumẽta quibus probat Aluar. suã 1. concl. & ea omnia quibus probari solet 1. nostra conclusio. Eandem cõclusionem probat Vasq. *disp. 4. c. 3* ex pluribus SS. dictis. Et præterea docent eã Aug. *in Ench. c. 108. & lib. 1. de conf. Euang. c. 35. Et ser. 12. de Pas.* Iustin. *in expos. fid.* Agapit. Papa *in ep. ad Antig. quæ habetur to. 2. Concil. post Conc. 2. Tolet.* Et S. Theodict. *in orat. de Natiu. Saluat. quæ habetur to. 6. Concil. in Conc. Ephes. append. sec. 2.* Deinde probatur etiã his argumentis *Primò*: quia satisfactio puræ creaturæ sicut & eius dignitas est finita; offensa verò est infinita. *Secũdò*: quia satisfactio puræ creaturę esset Deo debita ex gratitudine pro donatione ipsius satisfactionis; ergò nõ esset æqualis de rigore iustitiæ pro offensa: ita vt vtrumq; debitũ adæquaret, sc. ex gratitudine & offensa; qua rõne vt sit S. Th. *in 4. d. 15. q. 1. a. 2. in arg. 3. & eius solut.* Tertiò probatur: quia aliàs Christus gratis mortuus esset : at consequens est erroneũ; ergo. Conseq. probatur ex Apost. *ad Heb. 7.* probante Sacerdotiũ Leuiticũ non potuisse homines iustificare: quia alias non fuisset necessariũ Christi sacerdotium: Et *ad Gal. 2.* probat legẽ veterem non potuisse homines iustificare; Quia sequeretur Christũ gratis mortuum fuisse: nam & si per Christum melius homines iustificarẽtur, quã per antiquæ legis obseruantiã, tñ non fuisset necessariũ iustificari per Christum, si potuissent homines per legem veterẽ iustitiã adipisci; ergò similiter quamuis per Christum offeratur Deo satisfactio superabundãtior, quàm per quamlibet purã creaturã possit offeri : satisfactio tñ Christi gratis & absq; vlla necessitate Deo fuisset oblata, si à pura creatura satisfactio sufficiẽs posset offerri. *Postremò probatur* Conclusio ratione Adriani Papæ *in ep. ad Episc. Galliæ & Hispaniæ*, quam etiam rationẽ tangit Conc. Francford. *in lib. Sacrosyllabo*; hæc autem est; quia nulla pura creatura potest habere, nisi gratiã adoptionis; ergò nulla pura creatura potest satisfacere pro alijs ad æqualitatem & ex condigno. Antecedens patet; Conseq. verò probatur: qm̃ adoptionis gratia non extẽditur ad acquirendum alijs ex condigno gratiã vel remissionẽ offensæ; sed hos effectus solũ habet in ordine ad suum subiectum in quo recipitur , vt probat S. D. *1. p. q. vlt. a. 6.* & ibidem expositores.

QVARTA CONCLVSIO. Purus homo per absolutã Dei potentiã potuit pro totius humani generis offensis Deo satisfacere perfectè seu ad ęqualitatem non simpliciter sed ex suppositione diuinæ gratię à Deo receptę, prout gratia se tenet ex parte satisfaciẽtis, & quatenus tãquam vnũ cũ eo constituẽs actionis principium consideratur.

CONTRA *secundam Concl.* militãt multa argumenta, quę referunt & soluũt Capreol. *loc. sup. not.* Caiet. Medin. Aluar. & alij *sup. hoc art.* His aũt argum. probatur optimè 3. nostra concl. & ideò per distinct. Caiet. & Soti supra notatã sunt diluẽda. *Argum. & Solut. Obiect. con. 2. concl.*

CONTRA *tertiam conclusionem* eadem militãt argumenta quæ contra secundã, & ea quibus sup. probauimus 4. concl. Quorũ solutio patet ex dicta distinctione Caietani & Soti. *Contra eandem concl.* produci possunt hęc argum. *Primum est*: quia gratia Christi habituails fuit eiusdẽ at omæ speciei cũ nostra: at per gratiã Christi anima mouebatur à Deo ad merendũ & satisfaciendũ de condigno pro alijs ; ergò ad eundẽ effectũ per gratiã potest moueri anima puri hominis. *Resp.* Gratiã Christi habitualẽ quidẽ eiusdẽ esse speciei physicæ cũ nostra, nó tñ eiusdẽ speciei moralis: qm̃ in *Obiect. con. 3. concl. 1.* *Solut.*

Christo principium est actionis reflexiuæ supra A suppositum diuinum, ex quo valorem habet infinitum, ad ordinem hypostaticum pertinens, ratione cuius moueri potest ad merendum vel satisfaciendum ad æqualitatem pro alijs; gratia verò nostra talem non habet moralitatem; & ideò ad talem effectum moueri non potest: De qua re legendus est Asturicensis *in Relectione de gratia Christi q.3.a.2.pag.231.*

Obiect.2. *Secundum argumentum* est: quia per gratiam adoptionis homo iustus à Deo mouetur, vt satisfaciat pro pœnis temporalibus ab altero debitis; igitur gratiæ adoptionis non repugnat vt homo per illam à Deo moueatur ad satisfaciendum pro alijs.

Solut. *Respondetur* ex D. Tho. & Caiet. *inf. q.48.a.2.ad* B *1.* negando consequentiam: quia satisfactio pro pœna consistit in quadam externa æqualitate rei ad rē: hāc verò potest vnus homo pro alio facere, si fuerint per charitatem vniti: satisfactio verò pro alterius offensa interiorem subiectionem offendentis ad offensum requirit: nam sine offendentis humiliatione non fit in animo illius æqualitas: & quia humiliationem hanc facere nequit vna creatura pro alia; ideò neque satisfacere neq; ad satisfaciēdum moueri potest pro alterius offensa. *Secundò respondet* idem S.D. *in quarto dist. 20.q.1.a.2.q.3.ad 1. & 2.* & negat consequentiam, eandem ferè assignans differentiam: quia nimirum satisfactio pro pœna alterius nullam in eo C notam dispositionē requirit, sed hoc tm exigit, vt sit in charitate, & vt pro illo exhibeatur æquale pœnæ quam debet: satisfactio verò pro alteris offensa postulat, vt is pro quo satisfit modo supradicto disponatur secundum affectum & subiectionem ad Deum, nulla verò pura creatura disponere potest aut immutare alterius affectū, vt Deo subijciatur: Christus autem id potest; ideò solus Christus à Deo mouetur, vt pro alterius offensa satisfaciat; pura verò creatura solùm moueri potest ad satisfaciendum pro pœnis ab alte-

Obiect.3. ro debitis. *Tertium est*: Quoniam in gratia ado- D ptionis est obedientialis potentia ad omnia, ad quæ Deus mouerit illam; ergo non repugnat illi moueri ad satisfaciendum pro alijs. *Respondetur* in gratia adoptionis esse potentiam obedientialem vt ad ea moueatur, quæ naturæ ipsius gratiæ non repugnant; gratiæ verò existenti in supposito finito repugnat elicere satisfactionem infinitam, ac proinde etiam satisfacere ad æqualitatem pro alterius offensa mortali.

Obi.cont 4. conc.1. Vasquez. CONTRA *quartam conclusionem* argumentatur Vasquez *disput.5.cap.5.* Si vna pura creatura pro peccato alterius condignè posset satisfacere, non alio modo id efficeret quàm condignè impetrando illi gratiæ auxilia, quibus tandem à peccato iustificaretur, aut impetrando ei ipsam formam iustificantem absque vlla alia ipsius prę- E paratione, qua peccatum & offensa contra Deum deleretur: At nulla pura creatura potest alteri auxilia gratiæ aut ipsam formam iustificantem condignè impetrare; ergò neque pro peccato illius condignè satisfacere. Probat minorem: Quoniam aut talia auxilia, & formam iustificantem impetrare posset condignè ex proprijs viribus aut ex gratia: non ex proprijs viribus vt constat: neque ex gratia Dei; quia vel gratia Dei quæ esset fundamentum condignitatis in satisfactione, esset gratia adoptionis, vel esset gratia vnionis cum diuina persona: non potuit esse gratia vnionis; quia sic non maneret communis, nuda & pura creatura, vt posuimus; ergò debuit esse gratia adoptionis, qua creatura iusta apud Deum, vt filia eius constituitur, cum qua deberent etiam esse auxilia ad bona opera: At hæc gratia quantumuis intensa per quæcumque auxilia gratiæ communicata non potuit esse principium condignæ satisfactionis pro peccato alterius; ergò. Probatur hæc subsumpta propositio. Quoniam illa gratia eiusdem esset rationis cum gratia, quam modo iusti habent: at nunc (vt omnes fatentur) nullus iustus condignè meretur alteri primam gratiam, sed solùm sibi vitam æternam & incrementum ipsiusmet gratiæ; ergò neque illa gratia mereri tunc potuisset alteri primam gratiam, nedum toti generi humano.

Respondetur, falsam esse minorem. Ad cuius pro- Solut. bationem dico, talem puram creaturam posse gratiam iustificationis & alia auxilia cæteris promereri ex gratia adoptionis, quam, vt supra diximus, haberet secundùm totam eius intensionem & perfectissimum modum quo haberi potest, & quo ad omnes operationes & effectus gratiæ tali homini conuenientis, tanquam vniuersali Dei ministro quo mediante salutis remedia cæteris omnibus impertiret, ita vt ex hoc veluti ex principio non primo simpliciter aut principali, sed ministeriali tantùm per merita, satisfactiones &c. gratia redemptionis deriuaretur ad alios. Esset enim in eo gratiæ plenitudo, veluti in subiecto ministeriali ipsam adæquante, & tanquam in principio vniuersali, non principali sed ministeriali & quasi instrumentali gratiæ, in alijs autem vt in particulariter participantibus; & ideò, quemadmodum gratia Christi eiusdem est rationis specificæ cum gratia cæterorum hominum & Angelorum, sed differt quo ad essendi modum iam dictum, ita puri illius hominis gratia solo differret essendi modo à gratia cæterorum hominum & Angelorum. Et ideò per eam posset ille purus homo cæteris gratiam & auxilia condignè mereri, alij verò minimè. Et sicuti gratia Christi eo quòd ipsi diuino supposito, & Deo gratiarum omnium fonti coniungitur, modum habet essendi perfectissimum, & ad omnes gratiæ possibiles effectus extenditur; ita gratia illa puri hominis, eò quòd esset in illo tanquam in Dei ministro & veluti instrumento gratificationis vniuersali, quòd ipsi Deo gratiarum fonti velut vnum conprincipium vnione ministeriali, & instrumentali maximè iungeretur, modum quendam haberet perfectissimum & ministeriali, ac instrumentali, sua virtute in omnes gratiæ possibiles extenderetur effectus: instrumentum autem hic intelligimus non merè naturale sed liberum & morale. Hoc ipso namque, quod gratia modum omnem habet suæ perfectionis possibilem, virtutem habet ad omnes gratiæ possibiles effectus extensam; ac proinde vim habet cæteris gratiam & auxilium promerendi; hi namque sunt effectus gratiæ nobilissimi: Ex hoc verò quòd infunderetur homini puro, qui non potest esse causa gratiæ principalis, consequens fieret vt ad eos effectus producendos vim tantùm haberet ministerialem seu instrumentalem. Existimandum est enim gratiam neque ex ratione suæ speciei, nec secundùm quemlibet essendi modum, aut perfectionem vim sibi vendicare ad omnes effectus gratię simpliciter & absolutè possibiles, sed solùm secundum modum suum supremum ac perfectissimum; sicut calor non in quocunque gradu aut essendi modo, sed perfectissimo, qualem habet in igne, principium est vrendi & in ignis naturam corpora transmutandi; vnde etiam calor in ferro receptus in gradu perfecto eūdem in tactis ab eo

cor-

corporibus producit effectum. Itaque si Deus gratiam homini puro secundùm perfectissimum essendi modum infunderet, ad omnes gratiæ eo modo, quem diximus, extenderetur effectus: sicque posset homo ille cæteris gratiam & auxilia promereri. Quod etiam manifestè significat S.D. *inf. q. 64. a. 4.* vt supra notauimus. Et ex his euanescunt argumenta Vasquezij; supponit enim gratiam adoptionis eosdem in quouis essendi modo sumptam effectus habere, quod est falsum.

Obiect. 2. *Sic enim argut.* Varius gradus intensionis non variat naturam formæ neque ei tribuit virtutem ad effectus diuersæ rationis, sed tantùm ad varios effectus eiusdem speciei maiores aut minores; ergò solùm incrementum intensionis, etiam vsque in infinitum non sufficit, vt dicamus, eandem gratiam secundùm naturam suæ speciei in vno gradu esse principium condignè merendi alteri primam gratiam, in alio verò gradu non esse. Antecedens probatur exemplo. Nam si granum tritici est suaptè natura semen tritici, maius granum erit semen maioris, non tamen erit semen alterius fructus; hoc enim esset naturam illius immutare. *Et confirmatur*, quoniam Apostoli & præsertim beata Virgo habitualem iustitiam & gratiam adoptionis in gradu perfecto habuerunt, & tamen non fuerunt condignè promeriti alicui minimum auxilium gratiæ. *Solut.* *Respondetur primò* nullam esse consequentiam, quoniam effectus alteri merendi primam gratiam, vitam æternam & auxilia non differt specie propriè & formaliter loquendo ab alijs effectibus gratiæ, qui sunt mereri vitam æternam & augmentum gratiæ ipsius merentis; quia gratia vt aucta, & gratia simpliciter non differunt specie, sicut etiam eiusdem speciei est beatitudo propria & aliena: auxilia verò non propter se sed propter gratiam & vitam æternam cadunt sub meritum: & ideò eadem efficacia, qua gratia vnius potest esse principium merendi gratiam & vitam æternam alteri, potest etiam esse principium merendi illi auxilia ad gratiam & beatitudinem assequendam necessaria. *Secundò negatur* antecedens, quo ad eam partem, quæ asserit varium formæ gradum, includendo etiam summum, non tribuere illi virtutem ad effectus diuersæ rationis, vt patet in exemplo de calore, qui in igne causa est vrendi & generandi in externa materia alium ignem, quem effectum non habet calor in aere vel aqua receptus. Ad probationem dico, exemplum non esse simile; nam nec tritici perfectio substantialis, nec virtus eius generatiua naturalis potest intendi vel remitti, sicut gratia, quæ ad genus attinet qualitatis. Deinde effectus ex tritico generationis actu productus est naturalis, sed effectus ex gratia procedentes non sunt effectus naturales, sed morales ex ea medio liberæ voluntatis actu procedentes; & ideò possunt esse multiplices & plures ex gratia summè perfecta, quàm ea quæ gradum siue modum suæ perfectionis habet limitatum; qualis fuit etiam gratia Apostolorum & beatissimæ Virginis, quamuis gratia cuilibet sancto homini vel Angelo concessa fuerit excellentior.

Obiect. 3. Aluarez. *Contra eandem conclusionem* produci potest argumentum, quo probat Aluarez suam primam Conclusionem: cuius præcipua vis consistit in verbis D. Tho. *in respons. ad 2.* dicentis, ad perfectam satisfactionem de condigno esse necessarium, vt actus satisfacientis habeat efficaciam infinitam, vtpotè Dei & hominis. *Sed mentem* D. *Solut.* Thom. supra cum Caietano satis exposuimus: loquitur enim ibi S. D. de satisfactione perfecta simpliciter & ex toto rigore iustitiæ, & non ex suppositione diuinæ gratiæ consideratæ, quatenus se tenet ex parte satisfacientis, vt loquitur conclusio nostra.

Qvinta Controversia.

An pœnitens, cum actu iustificatur, Deo propriè, & ex iustitia satisfaciat pro culpâ mortali in eum commissa per actum contritionis & charitatis?

Sententiæ Doctorum. Dvae Svnt extremæ sententiæ, & quinque mediæ. *Prima extrema* fuit Caietani *in opusculo de fide & operibus contra Lutheranos cap. 11.* dicentis, nulla opera nostra esse satisfactoria pro peccatis nostris, quoad culpam. Quam opinionem secutus est Medina *super hoc articul.* Eandem Nugnus tribuit Soto *lib. 3. de Nat. & Grat. ca. 6.* sed immeritò.

Altera extrema sententia fuit Alexandri Alensis *3. par. q. 1. memb. 5. a. 2.* Paludani *3. d. 20. q. 2. a. 2.* & aliorum antiquorum quos refert Vasquez *disp. 2. c. 1.* dicentium, pœnitentem per actum contritionis & charitatis condignè Deo satisfacere pro peccato mortali in eum commisso. Huic opinioni proximè accedit Scotus *in 4. sent. dist. 15. q. 1.* dicens, purum hominem potuisse Deo æquiualens reddere pro peccato; quia quantum malum fuit auersio à Deo per peccatum, tantum bonum est conuersio ad Deum per charitatem. Cui ex parte videtur assentiri Caietanus dicens: Si ponamus gratiam & charitatem ad satisfactionem concurrentem ex parte hominis satisfactoris, posse purum hominem pro peccato satisfacere, & loquitur indifferenter de peccato tam proprio quàm alieno.

Sententia media est S. Thomæ *hic ad 2. & infra q. 85. a. 3.* Quam sequuntur Capreolus *in 4. s. d. 15. q. 1. a. 1. Conclusione prima, & a. 3. ad argumenta contra primam conclusionem*, Ferrariensis *in 4. contra gent. cap. 54.* Caietanus *super hoc artic.* & Soto *in 4. d. 14. qu. 2. art. 2.* & alij. In hac tamen explicanda sententia non conueniunt, sed valdè dissident recentiores, ita vt quinque possint mediæ sententiæ numerari. *Prima est Suarezij*, qui *disp. 4. sect. 8.* dicit sex. Primum est. Dici non potest eandem peccati remissionem, quæ facta fuit gratis ante satisfactionem, postea etiam fieri per satisfactionem; quia repugnat idem debitum gratis remitti & per iustam solutionem. Secundum est: Remissio peccati mortalis est speciale gratiæ beneficium, quod Deus confert homini pœnitentiam agenti distinctum à gratia contritionis, vel dilectionis, per quam homo ad ipsam peccati remissionem suscipiendam disponitur. Tertium. Remissio peccati mortalis, quæ confertur homini contrito & conuerso ad Deum per actualem dilectionem, in se & formaliter est gratia, non solùm quia est supernaturale donum, sed etiam quia gratis datur, & non ex vera & propria iustitia. Quartum ex tertio deductum. Potuit Deus de potentia absoluta non remittere peccatum homini contrito si promissionem secludamus. Quintum. Nullus homo potest Deo satisfacere ad æqualitatem pro culpa mortali ab ipso commissa, atque adeò ex vera & propria iustitia illius remissionem consequi. Vltimum. Imperfectè & vt aliqui loquuntur de congruo dici potest peccator satisfacere Deo pro peccato per veram conuersionem & contritionem ex auxilio gratiæ profectam, ita vt Deo illam

illam acceptante & propter illam remittente offensam gratis tamen remittatur à Deo peccatum.

Vasquez. *Secunda sententia* est Vasquezij *disp.2.cap.6.* dicentis, contritionem pœnitentis, licèt posterior sit in ordine efficientis ipsa infusione gratiæ habitualis, dicendam esse satisfactionem pro peccato nostro; quia non videtur esse de ratione satisfactionis, vt virtute illius debitum dimittatur, quia post debiti remissionem exhiberi potest, vt etiam in debitis pecuniarijs accidit, dici verò satisfactionem, quia ex parte eius qui illam exhibet, satis videtur factum pro tali debito; ac proinde licèt per gratiam habitualem prius natura intelligatur remissa culpa & offensa; nihilominus contritionem, quæ ordine naturæ consequitur infusionem gratiæ habitualis, dicendam esse satisfactionem; quia homo, quem pœnitet peccasse, satis videtur fecisse vt remitteretur sibi peccatum & offensa, nisi iam remissa esset: in fine verò capituli ait mereri nos remissionem peccati meritò congrui.

Tertia sententia est asserentium, Contritionem, vt antecedit gratiam habitualem, satisfacere ex iustitia imperfecta pro culpa, quatenus autem subsequitur gratiam habitualem, satisfacere pro eadem culpa satisfactione perfecta. Hanc refert Aluarez *3.loc.*

Nugnus. *Quarta sententia* prædictæ proxima est Didaci Nugni *inf.qu.85.art.3.d.2.* qui dicit quatuor. Primum. Contritio est verè & propriè satisfactio pro peccato mortali & pro pœna æterna. Secundum. Contritio duplici modo est satisfactoria pro peccato, scilicet inquantum est prior natura quàm gratia, & etiam inquantum est posterior natura. Tertium. Hæc tamen satisfactio est imperfecta & non de rigore iustitiæ; vnde non est in specie iustitiæ commutatiuæ, sed habet suam propriam speciem scilicet pœnitentiam, quæ est pars potentialis iustitiæ. Quartum. In priori naturæ antè infusionem gratiæ pœnitens est in via & in tendentia ad dignitatem, quod sufficit ad satisfactionem imperfectam: in posteriori verò naturæ, licèt intelligatur remissum peccatum secundùm quod est intrinsecè malè afficiens hominem, non tamen secundùm quod est iniuria & offensa facta contra Deum; quoniam sic formaliter tollitur per contritionem, & ad hoc ordinatur satisfactio.

Aluarez. *Vltima sententia* est Aluarezij quatuor ab eo conclusionibus explicata. Prima est. Pœnitens per actum contritionis non satisfacit ex iustitia etiam imperfecta pro peccato, quatenus est malum hominis peccantis, siue quantum ad habitualem deordinationem & maculam, sed sub hac ratione peccatum ita omnino gratis dimittitur per infusionem gratiæ, vt nulla præcedat satisfactio pro illo. Secunda est. Pœnitens per actum contritionis, vt ordine naturæ præcedit gratiam iustificantem, non satisfacit ex iustitia etiam imperfecta pro culpa in quantum est iniuria Deo illata. Tertia est. Per actum charitatis & contritionis, vt sequitur gratiam iustificantē, satisfacit ex iustitia imperfecta pro culpa mortali propria, quatenus est malū Deo intentatū, & quatenus est formaliter offensa & iniuria illius. Vltima est. Pœnitens per actum charitatis, & contritionis, vt informatum gratia iustificante non satisfacit Deo ad æqualitatem siue ex iustitia perfecta.

Resolutio. Explicatur sensus quæstionis, & assignantur diuersæ partes iustitiæ, & declaratur quòd pœnitentia sit quodammodo pars subiectiua, & quodammodo potentialis eius.

Ad Hvivs subtilissimæ controuersiæ definitionem *supponendæ primò sunt distinctiones* illæ satisfactionis in perfectam & imperfectam, & eius quæ perfecta est in perfectam simpliciter & A in perfectam ex suppositione diuinæ gratiæ, de quibus latè supra diximus. *Deinde aduertendum est*, quæstionem hanc esse non de potentia Dei absoluta sed ordinaria, & de satisfactione non absolutè perfecta sed ex suppositione tantùm diuinæ misericordiæ gratuito mouentis hominem ad contritionem, aut etiam gratiam illi largientis vt Deo pro peccato satisfaciat. Quibus præmissis.

Considerandum est primò ex D. Th. *2.2.q.48.a.vnico*, quòd sicut animali triplicis generis partes assignantur, scilicet partes subiectiuæ vt homo, leo & bos: integrales vt caput, pedes &c. & potentiales vt vegetatiuum, sensitiuum &c. ita cuilibet ex quatuor virtutibus cardinalibus, quarum vna est iustitia, partes attribuuntur subiectiuæ, & per quandā similitudinem etiā integrales & potētiales. Sūt igitur iustitiæ partes subiectiuę species sub ea directè contētæ: hæ verò sunt iustitia commutatiua, distributiua, & legalis. Integrales verò sunt declinare à malo & facere bonum, vt ait S.D. *2.2.q.80.a.1.ad.2.* potentiales verò sunt religio, pietas, obseruantia, veritas, gratia & aliæ quas enumerat S.D. *in dicto art.* Dicuntur autem partes hæ potentiales virtutes adiunctæ iustitiæ, quæ virtus est principalis: quoniam in aliquo cum ea conueniunt, sed ab eius perfectione deficiunt, vt *ibidem* explicat S. D. Qui tamen *inf.q.85.a.3.* pœnitentiam ait speciem esse iustitiæ directè sub ea positam, licèt inter Deum & hominem affirmet esse non posse iustum & æquale simpliciter, sed tantùm secundùm quid. Ex quo deducit S.D. *in 2.2.q.8.a.1.* religionem esse virtutem adiunctam iustitiæ; quia scilicet Deo non potest reddere quantum debet: propter quam causam idem S.D. *in 4.dist.14 qu.1.a.1.quæstiuncula 3.* pœnitentiam ait esse partem iustitiæ, non quasi speciem, sed quasi potentialem. Verba D. Thomæ sunt: *Sicut religio ponitur pars iustitiæ à Tullio, non quidem quasi species, sed quasi pars potentialis, inquantum aliquem modum iustitiæ participat, ita etiam pœnitentia pars iustitiæ debet poni.* Quod etiam alibi sæpius exprimit. Hanc apparentem contradictionem conciliat Bergomas *dub.1017.* dicens, pœnitentiam esse partem iustitiæ potentialem, quia modum aliquem iustitiæ participat, sed tamen propriè dici debere speciem iustitiæ commutatiuæ. Quod manifestam implicat contradictionem. Iustitia nāq; commutatiua pars est subiectiua iustitiæ sub ea tanquam species sub genere collocata, ac proinde non modum tantùm aliquem iustitiæ participat, sed perfectam eius habet rationem & æqualitatem, quæ speciebus etiam omnibus propriè sub ea constitutis necessariò conuenit; alioquin non verè & propriè dictæ species eius essent, sed partes tantùm potentiales.

Dicendum ergò videtur, duplices esse virtutes adiunctas iustitiæ. Nam *quædam* sunt quæ totam eius rationem participant, licèt ex parte deficiant; *quædam* non totam iustitiæ rationem admittunt, sed modum quendam ac similitudinem videntur habere iustitiæ. Ratio namque iustitiæ est vt alteri reddat, quod ei debetur secundùm æqualitatem; quam totam rationem participant religio, pietas, obseruantia, & pœnitentia, quamuis ex parte deficiant ab vltima conditione, quia reddere non possunt æquale simpliciter, sed tantùm secundùm quid siue proportionabiliter. At veritas & affabilitas siue amicitia, quas *in allegata q.80. in 2.2.* S. D. ait cum Cicerone adiunctas esse iustitiæ, veluti partes eius potentiales, non totam neque veram aliquam & propriam iustitiæ

ratio-

rationem participant, sed quandam tantùm eius habent similitudinem & modum. Neque enim in eis est debitum legale, quod est iustitiæ proprium, sed morale tantùm, nec vlla propriè dicta in eis apparet æqualitas. Quamuis itaq; propriè, verè & absolutè loquendo tàm illæ, quàm istæ sint iustitiæ partes tantùm potentiales, non autem species: priores tamen, quæ totam participant iustitiæ rationem, licèt ex parte deficiant, dici possunt iustitiæ partes subiectiuæ & species sub ea directè positę comparatione posteriorũ, quibus nulla propriè conuenit iustitię ratio, nisi quod ad alterum sunt, sed modus tantùm quidã eius & similitudo. Est igitur pœnitẽtia virtus adiuncta iustitiæ, quæ ad commutatiuam reducitur, vt imperfectum ad perfectũ; & ideò S. Doct. *infra q. 85. a. 3. ad 3.* ait pœnitentiã sub iustitia cõmutatiua cõtineri, vel dicas *vt sup. in 2 p. 2. Cont.*

Distinguitur duplex ratio peccati, & varius ordo a fidei iustificationis.

Secundò obseruandum est ex D. Th. *in 4. d. 14. q. 2. a. 4.* peccatum dupliciter posse considerari. *Vno modo* quatenus est malum hominis peccantis priuans illum diuina gratia, quæ vita est animæ spiritualis & causans maculam in anima & deordinationem post actum peccãti perseuerantem. *Alio modo* quatenus est iniuria & offensa Dei modo superius explicato. Cum itaque de satisfactione loquimur pœnitentis pro peccato, non est sermo de peccato priori modo sumpto; sic enim peccatum per infusionem diuinæ gratiæ dimittitur, nulla præcedente satisfactione, quam supra diximus, non in bonum satisfacientis, sed eius, cui satisfactio fit, ordinari; satisfactio nãq; actus est iustitię, quę ad alterũ est nõ ad seipsum.

Tertiò notand. est ex D. Th. & Cai. *1. 2. q. 113. a. 8.* Iustificationem impij fieri hoc ordine, vt primo sit infusio gratiæ, secundò motus liberi arbitrij per actum dilectionis in Deum, tertiò motus liberi arbitrij per actum odij in peccatũ, quartò assecutio iustitiæ, quintò remissio culpæ. Cuius ratio est; quoniam actio, qua Deus peccatori gratiam infundit, idest infusio gratiæ duo habet officia formaliter distincta: Alterum est inducendi bonum, & alterum est expellendi malum. Et quoniam in adultis hæc non efficit tantùm per modum actionis naturalis, sed etiam medio libero arbitrio, ideò ad infusionem gratiæ quatenus inductiua est, sequitur motus in Deum per actum dilectionis, & consecutio iustitiæ quæ consumatur in remissione culpæ, vt est offensa Dei: Quatenus autem expulsiua est, sequitur ex ea motus liberi arbitrij in peccatum, & expurgatio à peccato quatenus est malũ ipsius peccatoris. Vt autem ibidem ait S. D. *ad 1.* recessus à termino & accessus ad terminum dupliciter considerari possunt: Vno modo ex parte mobilis, & sic recessus à termino præcedit accessum ad terminum, quia prius est in subiecto mobili oppositum, quod abijcitur, & postmodum est id, quod per motum assequitur mobile: sed ex parte agentis est è conuerso; nam agens per formam in eo præexistentem agit ad remouendum contrarium, Sicut Sol per suam lucem agit ad remouendum tenebras; & ideò ex parte Solis prius est illuminare, quàm tenebras remouere, ex parte autem aeris illuminandi prius est purgari à tenebris, quã cõsequi lumẽ ordine naturæ, licèt vtrũq; sit simul tẽpore. Cũ igitur infusio gratiæ & remissio culpæ dicãtur ex parte Dei iustificãtis, cõsequẽs est, ordine naturæ priorem esse infusionẽ gratię, quã culpæ remissionẽ: at ex parte hominis iustificati enim è cõuerso; prius est enim ordine naturæ liberatio à culpa, quam cõsecutio gratiæ iustificãtis. Ad quorũ ampliorẽ intelligentiã recolenda est doctrina Philosophi *in 2. Phys.* dicentis, causas esse sibi inuicẽ causas, quo fit, vt secundũ diuersas suas causalitates vna sit altera prior, & è cõtra, vt patet in causa finali & efficiẽti; nã sanitas prior est in genere causę finalis sũptione medicinę: hęc verò prior est sanitate in genere causę efficiẽtis. Similiter etiã vẽtus iuuè aer ingrediẽs prior est apertione fenestrę in genere causæ efficientis; at in genere causæ materialis seu dispositiuæ prior est apertio fenestræ quàm aeris ingressus. Forma item substantialis prior est in genere causæ efficientis seu principij formalis dispositione vltima eam in materia comitante; sed in genere causæ materialis prior est vltima dispositio. Igitur secundùm ordinem naturæ ex parte agentis primò est infusio gratiæ, secundò expulsio peccati, quatenus est malum peccatoris, maculam & deordinationem inducens in animam, tertio est motus liberi arbitrij in Deum summè dilectum; quartò est motus liberi arbitrij in peccatum summè odio habitum: quinto inductiò iustitiæ, cuius consumatio est condonatio culpæ, quatenus est offensa Dei, vt patet ex D. Th. *in allegata q. 113. a. 6.* Ex parte verò hominis iustificati priores sunt actus pœnitentiæ, vt procedunt à libero arbitrio. Et quemadmodum materia prima formam pręcedit in genere causæ materialis, à qua tamen habet existentiam in genere causæ formalis, & dispositiones vltimæ ad formam præcedunt illam in genere causę materialis, & tamen ab ea præcedũt in genere causæ efficientis seu principij formalis: sic actus pœnitentis, quibus disponitur ad gratiam, sunt ea priores in genere causæ materialis, sed tamẽ ab ea virtutem habent ad gratiã ipsam vltimò disponendi. Vt enim ibi subtiliter Caiet. aduertit, infusio gratię, quatenus operatur per modũ liberi arbitrij, gratuitè mouet liberũ arbitriũ ad dilectionẽ Dei & detestationem peccati: sicq; præuenit ordine causalitatis materialis seu dispositiuæ non solũ eosdem actus, vt informatos gratia, sed etiam seipsam vt gratum faciẽtẽ; ita vt Deus vnica tamẽ actione, qua gratiam infundit, gratuitè moueat voluntatem ad dictos actus & gratũ faciat, & quatenus gratuitè mouet liberum arbitriũ, disponit hominem ad gratiam vltima dispositione. Cum igitur actus pœnitentiæ tripliciter possint considerari, primò vt procedunt à libero arbitrio, secundò vt sunt ex infusione gratiæ mouentis ad dictos actus & per eos disponentis ad ipsam gratiam, vt est gratum faciẽs; Tertiò quatenus iam sunt informati gratia, sicut primo modo sũpti præcedũt seipsos secũdò modo sumptos in genere causæ materialis siuè dispositiuæ, & à se ipsis secũdo modo sũptis præueniuntur in genere causæ efficientis & quasi formalis, sic eijdem actus secundo modo sumpti seipsos materiali causalitate præcedunt tertio modo sumptos; qui tamen hoc tertio modo sũpti seipsis priores sunt formali causalitate secũdo modo consideratis.

Sed quoniam, vt antè diximus cum D. Tho ex parte hominis iustificati prius est liberatio à culpa, quam consecutio gratiæ iustificantis, ideò post dictorum actus pœnitentiæ secundo modo sumptos sequitur ordine naturæ tertio loco liberatio à culpa, quatenus est malum hominis inducens maculam &c. & quarto loco est gratia gratum faciens, ac proindè vt informans actus illos, & in eodem instanti naturæ sunt actus illi vt informati gratia. Ex parte igitur hominis, qui iustificatur primò sunt actus pœnitentiæ, quamuis ex libero arbitrio proce-

procedunt; secundò sunt idem actus, vt procedunt ex infusione gratiæ mouentis voluntatem, seu liberum arbitrium ad dictos actus, & ita disponentis ad gratiam; tertiò est liberatio à culpa vt est malum hominis; quartò est gratia vt gratum faciens, & vt informans dictos actus, & in eodem instanti naturæ sunt actus illi, vt informati gratia; quintò est consecutio iustitiæ, quæ consummatur in remissione culpæ prout est offensa Dei; sic enim remissio culpæ intelligitur esse terminus iustificationis, vt colligi facilè potest *ex a. 6. d. q. 113.* addita illi doctrina *a. 8. eiusdem q.* non enim est hic locus hæc latius explicandi.

Qua ratione, & ordine pœnitens, & iustificatur Deo procula fatisfaciat, & tamen eius remissionem non mereatur, sed gratis à Deo iustificetur.

Ex His iam facilè poterit explicari ac benè dissolui modus propositæ Controuersiæ. Existimandum est enim Deum vnico quasi totali, & eo gratuito suo beneficio peccatorem iustificando illos omnes effectus veluti partes vnius totalis, perfectique beneficij eo ordine, quo diximus, in eius anima causare: Et quemadmodũ vnica Dei operatio, quæ est infusio gratiæ, iustificatio est, in prioribus quidem effectibus habẽs esse veluti in fieri & inchoatum ac incompletũ, sic ijdem actus pœnitentis vna satisfactio sunt pro culpa quatenus est offensa Dei, primò quidem imperfecta ac veluti in fieri & inchoata, tandem verò perfecta & consummata. Cũ enim Deus gratiam infundens, liberum hominis mouet arbitrium ad detestationem peccati propter Deum summè dilectum, iustificationem inchoat, quam prosequitur gratum hominẽ sibi reddendo, illum emundando à culpa, prout est eius ipsius hominis malum, & tandem complet iustũ illum efficiendo & culpam ei vt est offensus gratis condonando. Similiter homo peccator à Deo motus satisfactionem inchoat pro peccato per actus pœnitentiæ à libero arbitrio procedentes, quatenus ex diuinæ gratiæ motione virtutem habent ad ipsam gratiam, vt gratum facientem vltimo disponendi: Sed perficitur hæc satisfactio per eosdem actus, quatenus iam sunt informati gratia; sic enim verè & propriè ac perfectè in suo genere, quamuis non ex rigore iustitiæ, neque perfectè simpliciter pro culpa satisfaciant, quatenus est offensa Dei. Et idem dicendũ est de amicitia hominis, qui nunc iustificatur, cum Deo; cum enim infusione gratiæ moueatur hominis voluntas ad actus pœnitentiæ iam dictos, inchoatur hominis amicitia cum Deo, per gratiam autem gratum facientem, quatenus gratum efficit hominem Deo, magis perficitur, per remissionem autem iniurię siuè offensæ completur; adeò vt in vltimo tantùm instanti naturæ siuè signo rationis, in quo intelligitur offensa remitti, dici possit homo perfectè & completè Dei amicus. Ad effectum tamen merendi & satisfaciendi pro offensa in Deum commissa satis est, hominem esse Dei Filium per gratiam illam à peccatorum sordibus abluẽtem, & amicum Dei quo ad præcipuas essentiales amicitiæ conditiones constituentem, quamuis nondum intelligatur vltimum amicitiæ complementum attulisse, quod in iniuriæ seu offensę remissione consistit; quæ tamẽ in gratia gratũ faciẽte radicaliter cõtinetur. Et quia iustificatio peccatoris, infusione gratiæ mouentis hominis voluntatem ad actus pœnitentiæ inchoata, & in effectu constituendi hominem Deo gratum, & eum à peccati labe mũdandi magis perfecta, & in iustitiæ collatione & remissionis offensæ complemento consummata vnicum est quasi totale Dei beneficium triplici modo conceptum scilicet vt inchoatum, vt actum, & vt perfectum, ideò verè & propriè dicitur homo gratis à Deo iustificari. Actus enim illi duo pœnitentis, quibus homo peccator Deo satisfacit pro offensa in eum commissa, præterquàm quòd sunt Dei beneficia gratis à Deo collata, neque gratiam aut iustificationem, neque peccati aut offensæ remissionem promerentur, sed gratiæ infusionem sequuntur gratis à Deo manantem, & peccati maculam abluentem. Declarat autem sacra Synodus Trid. *sess. 6. c. 8.* ideò gratis nos à Deo iustificari, quia nihil eorũ, quæ iustificationem præcedunt, siuè fides siuè opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Deindè pœnitentis actus nullam per se vim habent satisfaciendi Deo pro offensa, nisi quatenus informantur diuina gratia & charitate. Cur autem actus illi pœnitentiæ in iustificatione peccatoris cum infusione gratiæ concurrant, iam supra diximus; quia nimirum Deus gratiam infundens & iustsficans non operatur per modum naturæ, sed suauiter agens cum homine libertate donato liberam eius voluntatem mouet efficaciter ad actus pœnitentiæ, quibus ad effectum gratiæ præcipuum scilicet esse Deo gratum disponitur, & pro culpa seu offensa satisfacit in Deum commissa, & præmium simul æternæ beatitudinis promeretur.

Sed fortasse dices, eadem ratione posse hominem, qui iustificatur, eisdem actibus pœnitentiæ gratiam aut saltem remissionem offensæ promereri. *Sed nulla* ac vana prorsus est illatio ob disparem valdè rationem illorum actuum respectu gloriæ, & respectu gratiæ aut remissionis offensæ. Nam prima gratia principium est meriti, & ideò non potest cadere sub meritum. Deindè contradictionem implicat, esse gratiam & ex operibus & meritis acquiri, vt ait Apostolus *ad Rom. 7. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* Remissio verò peccati vt est offensa Dei, ad completam pertinet personæ dignitatem, & iustitiam eius & ad amicitiam cum Deo constituendam; ex quibus tota ratio meriti coram Deo deriuatur: iam autem diximus, actus illos pœnitentiæ priores esse iustitia peccatoris, qui iustificatur, & remissione peccati, prout est offensa Dei: at gloria posterior est etiam remissione peccati, & quamuis actibus illis pœnitentiæ homo gloriam mereatur, non tamen eam intelligitur mereri antè iustitiæ complementum, ideſt peccati remissionem, nisi fortè inchoatiuè. Quomodo peccati remissio non potest cadere sub meritum, vt scilicet eius meritum inchoetur antè remissionem, & postea consummetur; quia peccati remissio ad ipsum attinet iustitiæ complementum, sine quo meritum esse non potest: cum itaque præmiũ sit quid posterius omnibus ad meritum requisitis. consequens est, vt habita iam offensæ remissione nullum possit esse meritum ad eam ordinatum. Satisfactio verò ad æqualitatem iustitiæ constituendam, & ad amicitiam ineundum cum eo, cui debita est, ordinatur; & ideò sufficit in satisfaciente diuina gratia gratum faciens & maculam peccati delens, vt per actus contritionis eâdem gratia informatos Deo satisfaciat pro peccato, quatenus est offensa in eum commissa, ad obtinendam ab eo remissionem. Ad quorũ ampliorem euidentiam.

Declaratur amplius, & probatur peccatorem Deo procula fatisfa-

Qvarto Sciendvm Est ad iustificationem concurrere fidem supernaturalem habitam ex gratia & opera, præcepta, puta contritionem, dilectionem, & alia, non ita tamen, vt fides, aut opera iustificationem condignè vel congruè

tere cum à Deo iustificatur, & tamen suâ iustificationem non mereri.

gruè mereantur; *gratis enim,* vt ait Apost. *Rom. 3. Iustificamur per gratiam Dei, & per redemptionem, quæ est in Christo Iesu*; quia scilicet nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsa iustificationis gratiam promeretur, vt diffinit Conc. Trident. *sess. 6. c 8.* sed per fidem dicimur à Deo iustificari; quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire, vt eadem Tridentina Synodus ibi declarat: ex operibus verò quædam ad hominis iustificationem concurrunt vt dispositiones ad gratiam; sicut contritio & dilectio, & hæc cum cæteris omnibus ex charitate factis vt consequentia, & conseruantia, & augentia gratiam à Deo gratis acceptam, vt idem Concilium decernit *cap. 10.* in quo sensu docet esse intelligẽdum dictum illud Apostoli Iacobi *in eius epist. c. 1. Videtis, quoniã ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum.* Et illud Apoc. vltimo: *Qui iustus est iustificetur adhuc.* Et illud Eccl. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.*

Quintò considerandum est hominem ante exhibitam actu Deo satisfactionem pro culpa per actus dilectionis & contritionis non intelligi iustum in actu secundo & completo; quia non intelligitur constituisse æqualitatem inter se ipsum & Deum: sed in illo tamen priori naturę, cùm illi Deus infundit gratiam, vt per hanc illum emundet à macula & moueat ad actus contritionis & dilectionis Dei intelligitur iustus & Deo gratus, quasi incompletè & in actu primo & veluti in fieri: non enim pro illo signo intelligitur, vt exercens actus iustitiæ & amicitiæ erga Deum, sed vt habens principium sufficiens, scilicet gratiam ad eliciendos, quando necesse fuerit, actus iustitiæ & efficaciam habens tunc ad exhibendam actualem satisfactionem Deo pro offensa; quia gratia, prout est in infundi, est auxilium efficaciter mouens ad eliciendos actus dilectionis & cõtritionis; sed antequam hi actus intelligantur eliciti, Deus intelligitur, vt offensus, nec homo tunc intelligitur esse amicus Dei completè & in actu secundo, sed incompletè tantùm & in actu primo. Vnde S. D. *in 4. d 15. q. 1. a. 1. q. 2. ad 1.* ait satisfactionem perducere ad æqualitatem amicitiæ cum Deo, quia scilicet perducit ad eam in actu secundo & vltimatè completo: charitas enim & pœnitentia, quæ in ratione dispositionis gratiam præcedit, non intelligitur, vt satisfaciés, nisi prout est posterior gratia, sic enim efficit actus amici, quos Deus vt amicus acceptet in recompensationem offensæ: oblata verò satisfactione per actus charitatis & cõtritionis debetur homini de iustitia non gratia, qua tollitur peccatũ, vt causat maculam & vt est malum peccatoris (hanc enim ante prædictos actus vt satisfactorios intelligitur à Deo recepisse) sed hoc ei tantum debetur, ne scilicet amplius exigatur ab eo satisfactio pro offensa iam semel à Deo remissa. Neque tamen asserendum est hominem per prædictos actus satisfactorios mereri remissionem offensæ, quoniam operationi gratia informatæ dupliciter aliquid debetur ex iustitia: *Vno modo,* ita vt id quod debetur operationi, non sit formaliter factum per eam; & sic operibus bonis ex gratia & charitate procedentibus debetur, vt meritis æterna vita, tanquam præmium; non enim meritum facit formaliter præmiũ. *Alio modo* debetur aliquid operationi ex iustitia, ita vt formaliter fiat per ipsam operationem: & respectu huius non habet operatio rationem meriti; quoniam, vt ait S. D. *in 1. p. quæst. 62. art. 4.* operatio, quæ est factiua finis (intellige sufficienter & immediatè) non exceditur à virtute finis, atq; ideò non est meritoria finis; inæqualitas autem offensæ per dictos actus pœnitentiæ reducitur immediatè & sufficienter ad æqualitatem, saltem ex acceptatione diuinæ misericordiæ, vt ait S. D. *in 4. d. 14. quæst. 1. art. 2.* igitur per satisfactionem, nec meremur gratiam, quæ satisfactioni præsupponitur, nec remissionem offensæ quo ad ablationem inæqualitatis; quam satisfactio formaliter efficit, meritum autem non facit formaliter præmium, vt ante diximus. Ex his facilè intelligitur dictum D. Thom. *inf. q. 85. a. 2. ad 3.* nimirum virtutem pœnitentię expellere peccatum effectiuè; ratio enim illius est, quia pœnitẽtia ex primaria operantis intentione tendit immediatè ad tollendam rationem offensæ recompensando illam formaliter, & faciendo formaliter æqualitatem offensæ ex acceptatione Dei, quod charitati minimè conuenit respectu odij, quia charitas ex prima sua intentione non tendit ad destructionem odij Dei in eo subiecto, in quo recipitur, quia Christus Beata Virgo & Angeli actum habent charitatis, qui tamen in eis non tendit ad destructionem odij Dei, & ideò in eis nulli possunt esse actus pœnitentiæ, vt ait S. D. *in 4. d. 14. q 1. a. 3. qu. 2.* quia talis actus per se primò immediatè & efficaciter tendit ad tollendam offensam in Deum commissam recompensando illam per modum satisfactionis: in illis autem nulla fuit offensa contra Deum; igitur pœnitentia per actus suos non meretur offensæ remissionem, quia per se primo & immediatè tendit ad eam efficaciter adæquandam, & recompensandam; ac proinde dicitur etiam effectiuè peccatum expellere.

Postremò sciendum est meritum non esse actum alicuius determinatæ virtutis, quoniam eius ratio non ex obiecto sumitur, à quo virtus & eius actus specificantur; sed ex supposito quod est Deo gratam, & ex electione refert opera sua in obsequium illius; satisfactio verò per se primò tendit ad æqualitatem, quæ est obiectum iustitię constituendam.

Cõclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCLVSIO: *Homo, cùm à Deo iustificatur, non meretur per actus pœnitentiæ remissionem peccati, quatenus est malum hominis, aut quatenus est offensa Dei, sed verè ac propriè gratis iustificatur.* Probatur: quia quod datur ex merito, non confertur ex gratia: at *Rom. 3.* dicimur *Iustificati gratis per gratiam Dei, quæ est in Christo Iesu*, ergò. Conclusionem hanc latè probat Medina in sua conclusione 3. & multò plures probationes eius colligi possunt ex Suarezio *disp. 4. sect. 8. in 2. & 3. dicto.* Priorem tamen partem negat Vasquez *disp. 5. c. vlt.* dicens, iustificationem peccatorum non esse sine meritis, sed eam nos mereri merito congrui.

SECVNDA CONCLVSIO: *Homo per actus pœnitentiæ consequentes peccati remissionem, quatenus est offensa Dei, non satisfacit propriè pro peccato, sed tantum pro pœna peccati.* Hæc est contra Vasq. Prob. Quia secundùm propriam sui nominis significationem, & secundùm communem loquentium vsum, & prout nunc de ea loquimur, causam important remissionis offensæ sufficientem, ad eam moraliter causandam; igitur, si iam fuerit offensa remissa, non poterit homo per actus pœnitentiæ subsequentes pro ea propriè Deo satisfacere.

TERTIA CONCLVSIO: *Per actus pœnitentiæ, quatenus ordine naturæ præcedunt gratiam iustificantem,*

rem, & prout sunt ex libero arbitrio, licèt intelligatur homo satisfactionem inchoare per quoddam initium actus minimè per se sufficiens, non tamen sic propriè dicitur satisfacere etiam imperfectè pro culpa, quatenus est offensa Dei. Prima huius conclusionis pars probatur. Quia contritionis actus ex sui ratione satisfactio est pro culpa, quatenus est offensa Dei; igitur inchoatio contritionis est inchoatio satisfactionis: inchoat autem contritio non solùm à diuina gratia præmouente, sed etiam ab ipso libero arbitrio moto, & seipsum mouente: quod tamen non est sufficiens principium verę satisfactionis pro peccato; ergò. Secunda verò pars prob. Quia contritio, prout à libero hominis arbitrio præcisè concepto deriuatur, nullius est omnino valoris ad satisfaciendum; ergò.

QVARTA CONCLVSIO. *Si consideretur actus contritionis, quatenus est à voluntate à Deo mota per infusionem gratiæ, quatenus mouens est prius natura, quam gratum faciat, sic magis propriè dicetur homo per actum contritionis satisfactionem inchoare, & etiam aliquo modo satisfacere.* Probat. Quia homo talem actum eliciens non exhibet actum satisfactionis cum omni, quod ei debetur, complemento, cum adhuc non intelligatur diuina gratia, & charitate formatus, sed offert actum ex sufficientibus in suo ordine causis agentibus procedentem: hæ verò sunt Deus, vt causa supernaturalis per infusionem gratiæ mouens (quamuis pro illo signo non intelligatur gratia, vt gratum faciens) & liberum arbitrium à Deo motum; igitur in illo priori naturæ dici poterit homo satisfaciens satisfactione quasi existente in fieri, & non in facto esse; quia deest ei complementum, seu valor, qui ex gratia, & charitate in posteriori signo informante dependet. Qui tamen quasi radicaliter in infusione gratiæ mouentis continetur.

QVINTA CONCLVSIO. *Per actus pœnitentiæ, quatenus ordine naturæ sequitur effectum gratiæ gratum facientis, satisfacit homo pro sua culpa mortali, quatenus est offensa Dei, ex imperfecta iustitia.* Conclusio hæc est expressa sententia D. Thomæ *locis sup. not. at. & in p. p. q. 21. a. 4. ad 1.* ait: *In iustificatione impij apparet iustitia, dum culpas relaxat propter dilectionem, quam tamen ipse misericorditer infundit, sicut de Magdalena legitur Lucæ 7. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quæ verba iuxta sensum nostrę conclusionis ibidem exponit Bannes. Glossæ verò, quas eis adhibet Medina, non solùm menti S. Th. sed etiam plano ac formali verborum sensui sunt aduersæ, vt hic scitè notauit Aluarez *disp. 7. concl 3.* Apud quem lege, si placet, alias eiusdem conclusionis probationes. Eandem doctrinam S. D. habet *in 4. d. 14. q. 1. a. 1. q. 5. & q. 2. a. 1. & 2. & dist. 15. q. 1. a. 2. ad 1.* nos satisfacere pro peccato, vt est offensa Dei; & vt auertit à Deo quod etiam affirmat *in sent. ad Anibaldum ead. dist. & q.*

VLTIMA CONCLVSIO. *Pœnitens per eosdem actus, quatenus eodem ordine naturæ consequuntur effectum gratiæ gratum facientis, satisfacit ex iustitia perfecta, non simpliciter, sed ex suppositione diuinæ misericordiæ gratificantis actus illos.* Hæc conclusio patet ex dictis *in præc. Controu.* & præsertim *ex 3 Concluſ. ibi latè probata, & explicata.* Et probatur primò: quia diuina Scriptura & SS. Patres affirmant homini contritionem habenti promitti ex diuina misericordia remissionem offensæ; ergò. probat. conseq. quia si ea contritio esset satisfactio æqualis de rigore iustitiæ, iam non ex misericordia, sed ex iustitia illi responderet offensæ remissio: Ant. verò prob. *ex Isaia 55. Reuertatur ad Dominum* (scilicet per contritionem) *& miserebitur eius.* & *Hier. 31.* Populo dicenti, egi pœnitentiam, &c. respondetur, Dominus misericors miserebitur eius, &c. & *Matth. 18.* seruo roganti pro venia ait Dominus se ex misericordia debitum dimisisse. *Et Lucæ 15.* Quamuis Filius prodigus veniam petierit, dicitur tamen Patrem illius misericordia motum illi fuisse reconciliatum. Ex Patribus etiam id plures affirmant, & præsertim Aug. *in Ench. c. 65.* Hier. *in epist. 46. & in Michæam cap. 16.* Ambros. *lib. 1. de pœnitentia cap. 4.* Chrysostom. *ho. 26. in Genesim, & hom. 80. ad populum*, Et alij plures quos refert Athanasius *in epist. ad Ioannem, quæ habetur Tom. 3. Conciliorum antè septimam Synodum*. His addi potest Caietanus *inf. q. 85. a 2.* Et Ferrarien. *4. contra gent. cap. 54.* & Vega *libr. 15. in Conc. Trident. cap. 4.* Et Marsilius *in 4. dist. 10.* & alij. Secùdò prob. quia pœnitentia, per quam Deo satisfacimus, pars est iustitiæ potentialis, quia Deo non reddit æquale; ergò. Tertiò: quia non possumus Deo reddere cultum æqualem; ergò, neque satisfactionem æqualem. Ant. patet ex Isaia *c. 40.* dicente: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, &c. Lybanus non sufficiet ad incendendum, & animalia eius non sufficient ad holocaustum, omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo.* Et confirmat. quia religio, qua redditur Deo cultus, est pars potentialis iustitiæ: quia scilicet non reddit Deo cultum æqualem. Cons. verò prob. quoniam, ideò non reddimus Deo cultum æqualem; quia dignitas Dei est infinita, quam nostro cultu non possumus adæquare; sed etiam satisfactio debet infinitæ dignitati Dei, quæ offensa est, proportionari; quam adæquare non potest dignitas satisfactionis finita; ergo. Et confirmatur ratione Anselmi *libr. 1. Cur Deus homo, cap. 21.* quoniam offensa mortalis Dei est infinita, vt ante diximus; at nulla puri hominis satisfactio est infinita, cùm dignitas illius sumatur ex dignitate satisfacientis; omnis verò dignitas puri hominis Deo satisfacientis sit finita, Eadem prob. eadem concl. quia sequeretur Christi incarnationem non fuisse necessariam ad exhibendam Deo condignam pro peccatis humanæ naturæ satisfactionem: Nam secundùm oppositam sententiam, quilibet purus homo poterat ad æqualitatem satisfacere pro suis offensis: Consequens falsum est; ergo.

Non placet autem ea ratio, quam cęteris omnibus reiectis adducit Vasquez *hic disput. 2. cap. 5.* dicens: quia per peccatum contraximus offensam Dei, & debitum carendi omni auxilio, & sancta cogitatione; qua conuertamur ad Deum; & antequam eliciamus contritionem, qua Deo satisfaciamus, accepimus ab illo sanctam cogitationem, & auxilium ad illam eliciendam; ideò, antequam satisfaciamus, iam gratis esse dimissam partem aliquam nostri delicti, eam scilicet qua carere debebamus omni auxilio; & ideò nos Deo non satisfacere ad æqualitatem pro toto debito, sed pro parte illius; *Quæ ratio* longè minus mihi videtur efficax, quàm illi videantur infirmæ omnes aliæ rationes ab eo confutatæ. *Primò*: quia non est hic quæstio, an possit homo ad æqualitatem satisfacere pro pœnis, quas meremur propter peccatum: sed, an possit homo satisfacere pro offensa, ratione cuius illi pœnæ debętur; Debitum autem illud carędi auxilio, & sancta cogitatione, pœna est, non autem culpa; ergò, licèt ea ratione probet Vasq. hominem non posse satisfacere pro dicta pœna; non inde tamen ostenditur hominem pro offensa non posse ad æqualitatę satisfacere, cùm sint res distinctæ; & vna gratis à

Vasquez. ratio reiicit.

Deo

Deo dimissa possit homo pro alia satisfacere. *Secundò* oblato gratis auxilio, & exhibita satisfactione ex dono Dei, illa non est æqualis offensæ; quia non est infinita sicut offensa, & est actus partis potentialis iustitiæ; & post illius exhibitionem ex Dei misericordia remittitur offensa, vt ex Scripturis & Patribus ostensum est; ergò non ob eam solùm causam homo satisfacit ad æqualitatem pro offensa; quia non satisfacit pro debito carendi auxilio, sed etiam quia non satisfacit pro ipsa offensa; alioquin tenebitur Vasq. docere cum Medina posse hominem ad æqualitatem satisfacere pro offensa mortali; quia, licèt habeat satisfactionem ex gratia, illa tamen est æqualis offensæ. *Tertiò*, homo existens in gratia B non habet debitum carendi auxilio, quo satisfactionem eliciat; & tamen contritio & satisfactio, quam elicit homo iustificatus non est æqualis offensæ; quia non est infinita sicut offensa, & est actus partis potentialis iustitiæ; igitur impotentia satisfaciendi pro offensa mortali, non oritur ex hoc, quod homo debitum habeat carendi tali auxilio, & illud gratis à Deo dimittatur. Et confirmatur; quia nunquam homo contritionem & satisfactionem elicit, nisi iustificatus per gratiam, homo verò sic iustificatus debitum non habet carendi prædicto auxilio, cùm illud iure connaturalitatis gratiæ debeatur: Nam quemadmodum per peccatum incurrit debitum carendi tali auxilio, sic etiam C debitum incurrit carendi gratia, & ipsa satisfactione & ipsa etiam vita, iuxta illud *Thren. 3. Misericordia Domini, quòd non consumpti sumus*; ergo non est maior ratio, quod satisfactio non sit ad æqualitatem ex eo, quod gratis dimittitur primum debitum, quàm eo, quod gratis dimittuntur cætera. *Denique probatur*: quia homo per peccatum non solum incurrit debitum carendi auxilio sibi intrinseco, quo posset ipse per se satisfacere pro offensa; sed etiam debitum incurrit, ne alteri conferatur auxilium quo satisfaciat pro illo; sed non obstante, quòd hoc debitum, etiam secundùm sententiam ipsius Vasquezij sit gratis dimissum, cùm vt ipse ait *hic disp. 8. c. 2.* humaD nitas Christi sit, quæ satisfecit pro nobis, & illi gratis collatum fuerit auxilium ad sic satisfaciendum, tamen satisfactio eius fuit æqualis & superabundans omnem offensam & pœnam, vt ibidem ait Vasq. ergo, quod Deus gratis dimittat illud debitum per gratuitam auxilij prædicti collationem, non infert purum hominem ad æqualitatem pro offensa mortali non posse satisfacere.

Argum. & Solutiones. Conc. 1 conc. obi Vasq.

CONTRA *primam Conclusionem* sunt multa argum. Vasq. *in 1. 2. q. 114. a. 5. disp. 218.* quæ, ne limites propositæ controuersiæ transeamus, suo loco diluenda reseruamus. Sed non est prætereundum argumẽtum, quod *hic disp. 7. c. 6.* pro sua sententia E constituit idem auctor ex August. *epist. 105.* cuius verba sunt. *Sed nec ipsa remissio peccatorum, sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neq; enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat; Deus propitius esto mihi peccatori: & descendit iustificatus merito fidelis humiliatus; quoniam qui se humiliat, exaltabitur, &c.* Hæc August. ergò teste Augustino, remissio peccatorum fit ex præcedenti merito fidei. *Sol.* *Respond.* cum D. Thom. *in allegat. artic. 5. ad 1.* D. Augustin. *libr. 1. retract. cap. 23.* seipsum explicasse dicendo, se aliquando in hoc fuisse deceptum, quod credidit, initium fidei esse ex nobis, sed consummationem nobis dari à Deo: *Et ad hunc sensum* (inquit S.D.) *videtur pertinere, quod fides iustificationem mereatur: sed si supponamus, sicut A fidei veritas habet, quod initium fidei sit in nobis à Deo, tam etiam ipse actus fidei consequitur primam gratiam, & ita non potest esse meritorius primæ gratiæ per fidem; igitur iustificatur homo, non quia credendo mereatur iustificationem, sed quia dum iustificatur, credit, eo quòd motus fidei requiritur ad iustificationem impij.* Hæc ibi S.D. ex quibus apparet Vasq. haud fideliter Augustinum allegasse, qui declarationem eius ab Angelico nostro Doctore notatam, & cuilibet vel mediocriter erudito Theologo perspectam præteriuit. *Vasq. dolus.*

CONTRA *secundam concluſ.* argumentatur idem expositor. Quia non est de ratione satisfactionis, vt virtute illius debitum remittatur; ergò. Probatur antecedẽs: Quoniam in debitis pecuniarijs satisfactio post debiti remissionem exhibetur. *Et conf.* ac explicatur idem antecedens: Quia satisfactio post debiti remissionem ideò dicitur satisfactio; quia ex parte eius, qui illam exhibet, satis videtur factum pro illo debito; ergò, licèt per gratiam habitualem prius natura intelligatur remissa macula culpæ & offensa, nihilominus contritio quæ ordine naturæ consequitur infusionem gratiæ habitualis, dicenda est satisfactio; quia homo, quem pœnitet peccasse, satis videtur fecisse, vt remitteretur sibi peccatum, & offensa, nisi iam remissa esset. *Resp.* falsum esse antecedens loquendo de satisfactione propriè dicta & de ea præsertim, quæ Deo exhibetur ab homine. Ad probationem negatur assumptum; quia debitum non intelligitur remissum, nisi constituta æqualitate iustitiæ inter creditorem & debitorem, quæ non est ante debiti solutionem. Deinde negatur etiam consequentia; quoniam offensæ remissio coram Deo non fit, nisi medio actu voluntatis humanæ peccatum summè detestantis & Deum super omnia diligentis, quibus contritio, quæ satisfactio est pro culpa vt est offensa Dei, constituitur: quam quidem offensam post dictos actus diximus secundùm D. Thom. à Deo remitti. *Ad confir.* dico, ea solùm probari aut suaderi, talem satisfactionis modum esse possibilem, non autem sic esse de facto, & secundùm Dei potentiam ordinariam ob iam dictam causam; quia scilicet actus illi, quibus mediantibus fit offensæ remissio, sunt formaliter ipsa satisfactio.

Con. 2. conclus. obi. Vasq. *Conf.* *Sol.* *Ad conf.*

CONTRA *quartam concl.* produci possent argument. quibus probat Aluarez suam secundam conclusionem: sed ea probant tantum actus contritionis, antequam informentur gratia gratum faciente, non esse absolutè loquendo satisfactiones etiam imperfectas: nos autem asserimus, esse satisfactiones vt inchoatas & vt in fieri.

Con. 4. conclus. obijcit Aluar.

CONTRA *quintam, & sextam* concl. sunt argumenta Medinæ & aliorum, quæ referunt & soluunt Nugnus & Aluarez locis supra notatis: sed expositis fundamentis facilè diluentur.

SEXTA CONTROVERSIA.

An saltem pro culpa veniali possit homo purus, & iustus Deo ad æqualitatem satisfacere?

Sententiæ Doctorum.

DVæ sunt in hac Controuersia Doctorum extremę sententiæ & duæ mediæ. *Prima extrema* sententia est Petri à Soto, qui *in suo tractat. de Institutione Sacerdot. lect. 18. de Pœnitentia* hanc sibi primam statuit conclusionem: Venialium etiam peccatorum remissionem diuinæ gratiæ opus esse, & non meritorum vel satisfactionis nostræ, scripturæ & rationi fidei valdè conue-

nit. Ex quibus verbis apparet, dictum authorem nullum gradum aut modum satisfactionis admittere in peccatore respectu venialium, atque ideò non satis fideliter eius sententiam à Suarez. & Vasq. fuisse relatam. Quod euidentius etiam eiusdem authoris argumenta declarabunt inferius adducenda.

Secunda sententia in alio extremo posita est Scoti *in 4. d. 21. q. 1.* Maioris & Gabr. Biel *dist. 16. q. 5.* & Dur. *eadem d. q. 2. & d. 21. q. 1.* dicentium, posse peccatorem non solùm per vires & auxilium diuinę gratiæ, sed etiam per vires naturæ plenè satisfacere pro peccato veniali & ab eo mundari.

Prima sententia media est Suarez. *disp. 4. sect. 9.* qui duo dicit. *Primum* est hominem iustificatum posse simpliciter & absolutè satisfacere de condigno pro veniali peccato atque adeò ex iustitia, & non merè gratis illius remissionem consequi. *Secundum est*, satisfactionem hanc puræ creaturæ pro peccato veniali non esse tã exactam & perfectam, quin satisfactio Christi pro peccato veniali perfectior fuerit, sistendo etiam intra rationem iustitiæ eiusque perfectionem; ita vt satisfactio Christi meritò dici possit de rigore iustitiæ, non verò puræ creaturæ satisfactio.

Secunda sententia media est Vasquezij *disput. 7.* Qui postquam vniuersa ferè principia seu fundamenta, quibus sententia Suarezij nitebatur, euertit suam quatuor explicat propositionibus. *Prima est.* Perfecta & condigna satisfactio ab homine iusto pro suo peccato veniali potest exhiberi, non tantùm quæ sufficiens sit ad delendam maculam offensę & pœnam, sed etiam talem quæ licet gratiam supponat, nullam tamen supponat cõdonationem alicuius debiti peccati venialis. *Secũda* propositio. Differt hæc nostra opinio à sententia Suarezij; quia ita concedimus homini iusto pro suo peccato veniali cõdignam & perfectam satisfactionem, vt ea non indigeat fauore Dei condonantis peccatum, vel aliquid illius aut acceptantis satisfactionem, sed talis sit, vt ex natura sua deleat maculam & pœnam peccati venialis. *Tertia* propositio. Satisfactio hominis iusti pro suo veniali peccato perfecta est, non quia tanti valoris sit contritio aut charitas, per quam satisfacimus, vt perfectè conuertat hominem ad Deum tamquam ad vltimum finem: peccatum autem veniale non auertat hominem ab ipso, nec quia sit personæ iustæ & dignæ Deum, nec quia habeat promissionem; sed ob eam causam, quòd homo iustus, vel etiam peccator per peccatum veniale ex se consideratum non incurrit debitum carendi in perpetuum auxilio gratiæ, & ideò nulla fit peccatori condonatio, aut gratuita remissio alicuius debiti contracti ex veniali, & per actum contritionis seu dilectionis, quem habet ex auxilio gratiæ Dei absque vlla condonatione & fauore, sed ex natura ipsius actus à peccato veniali iustificatur. *Vltima* propositio. Satisfactio Christi licèt sit infinita, & ex hac parte vberior & abundantior, quàm satisfactio hominis iusti pro suo peccato veniali, tamen cùm istius satisfactio ex auxilio gratiæ efficacior sit ad eluendum maculam peccati venialis, sequitur non esse perfectiorem satisfactionem Christi, quàm sit satisfactio hominis iusti pro suo peccato veniali in genere satisfactionis ad effectum delendi peccatum, & extinguendum debitum illius, licet satisfactio Christi in ratione operationis & meriti perfectior sit.

Resolutio. SVPPONENDAE *hic primò* sunt illæ differentiæ culpæ venialis à mortali, quas statuit & explicat S. D. *in 1. 2. qu. 72. ar. 5. & q. 88. art. 1. & ibidem* expositores. Sũt verò tres: vna essentialis & principalis, & duæ quasi secundariæ ad eam consequentes. Est igitur *prima* differentia inter peccatum mortale & veniale, quòd peccatum mortale est cum auersione à Deo vltimo fine & cum conuersione ad creaturam vt ad vltimum finem, & ideò vitam gratiæ tollit ab anima & hominem Deo constituit inimicum: peccatum autem veniale nec à Deo auertit, nec vltimum finem in creatura constituit, nec vitam gratiæ aut homini cum Deo amicitiam destruit. Sic enim ait S. D. *in allegato a. 5. Quando anima deordinatur per peccatum vsque ad auersionem ab vltimo fine, scilicet Deo, cui vnimur per charitatem, tunc est peccatum mortale; quando verò fit declinatio citra auersionem à Deo, tunc est peccatum veniale: sicut enim in corporibus deordinatio mortis, quæ est circa remotionem principij vitæ, est irreparabilis secundùm naturam; inordinatio autem ægritudinis reparari potest propter id, quod saluatur principium vitæ: similiter est in ijs, quæ pertinent ad animam: Nam in speculatiuis, qui errat circa principia imperfuasibilis est: qui autem errat, saluatis principijs, per ipsa principia reuocari potest. Et similiter in operatiuis, qui peccando auertitur ab vltimo fine, quantum est ex natura peccati, habet lapsum irreparabilem, & ideò dicitur peccare mortaliter, æternaliter puniendus, qui verò peccat citrà auersionem à Deo, ex ipsa ratione peccati reparabiliter deordinatur, quia saluatur principium; & ideò dicitur peccare venialiter; quia scilicet non ita peccat, vt mereatur interminabilem pœnam.* Hæc ibi S. Doct. quod idem repetit *in quæst. 88 art. 1. supr. notato.*

Assignatur 3. differentia inter peccatum veniale & mortale.

SECVNDA *differentia est*, quod peccatum mortale, propriè & simpliciter loquendo, est contra legem; quia scilicet est contra finem intentum à lege, & ab eo simpliciter ac absolutè discordat: peccatum autem veniale est præter legem; non quia contra nullam sit legem, sed quia non est simpliciter contra finem legis, qui est dilectio Dei & proximi, sed tantùm secundùm quid. Hanc differentiam constituit S. D. *in dicta q. 88. a. 1. ad 1.* quam ibi subtiliter explicat Caietanus. Eandem etiam differentiam assignat Magister *in 2. distinct. 55.* & S. D. *in eodem lib. dist. 42. q. 1. a. 3.*

TERTIA *differentia* est, quod mortale peccatum dicitur peccatum secundùm perfectam rationem peccati ab Augustino traditam: peccatum autem veniale dicitur peccatum secundùm imperfectam rationem peccati & in ordine ad mortale; sicut accidens dicitur ens in ordine ad substantiam secundùm imperfectam rationem entis, vt ait S. D. *in allegato art. 1. ad 1.* dicens, peccati diuisionem in veniale & mortale non esse diuisionem generis in species, quæ æqualiter participant rationem generis, sed analogi in ea, de quibus prædicatur secundùm prius & posterius; & ideò peccatum veniale comparatione mortalis non est peccatum, nisi secundùm quid, licèt in sacris litteris dicatur absolutè peccatum. *Eccl. 7. Non est homo, qui non peccet, & 1. Ioann. 1. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est: si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus vt remittat nobis peccata nostra &c.* De qua re legendus est Caiet. *in expos. dict. resp. ad 1. & ibid.* Barth. Med. *& in alleg. q. 72. a. 5.* His addi posset differentia secundùm reatum, de qua S. D. agit *in eod. art. 5. & ibid.* Expositores. Sed hæc ad præsentem difficultatem, de qua disputamus, minimè pertinet.

Secun-

Posse purũ hominem iustum Deo pro suo peccato veniali condignè satisfacere, sed vim satisfactionis eius ex Christi satisfactione deriuari.

Secundò sciendum est, principium illud: *Grauitas offensæ ex dignitate sumitur personæ*, in quam peccatur, valor aũt satisfactionis ex satisfaciẽtis accipitur personæ dignitate, verùm esse propriè ac simpliciter in ea satisfactione, quæ Deo fit ex toto rigore iustitiæ, cui proportio conuenit æqualitatis exacta; cuius conditiones in tertia Controu. declarauimus: in alijs verò satisfactionibus, quæ sunt inter hominem & hominem, etiamsi sint ex toto rigore iustitiæ, aut etiam in ijs, quæ Deo fiunt ab homine, non tamen ex toto rigore iustitiæ, principium illud quo ad secundam eius partem non est absolutè necessarium, vt patet ex ijs, quæ diximus de satisfactione condigna, non absolutè sed ex suppositione diuinæ gratiæ, in quarta & quinta Controu. Quod etiam probatur in re proposita. Quoniam actus contritionis ex diuina gratia & charitate procedens, præterquam quod est operatio Filij Dei per adoptionem, cuius dignitas naturalem omnem & politicam personæ dignitatem excedit, Deum etiam attingit modo nobilissimo, cùm ad eum vt summè dilectum terminetur, prout in se est, licèt ex imperfecta & obscura viatoris de Deo cognitione procedat: è contra verò peccatum veniale Deum non offendit secundùm se, cùm nullum inferat ei secundùm eius intrinseca bona nocumentum, neque simpliciter & absolutè sit offensa, sed tantùm secundùm quid & secundùm quandam analogiam ad mortale, vt antè diximus; quia peccantem non auertit à Deo vt vltimo fine: Leuiores autem offensiones, & illæ præsertim quæ personam offensam non attingunt secundum se, licèt personam respiciant infinitæ dignitatis, longè minorem habent malitiæ quantitatem, quàm sit dignitas seu valor contritionis ex gratia & charitate Dei super omnia dilecti promanantis, & actus humiliationis filij per Dei adoptionem Deo se per actus pœnitẽtiæ summittentis. Contra hæc verò sic explicata non militant argumenta, quę Vasq. obijcit Suar. principium illud non ita restrictè sed vniuersalius assumenti.

Tertiò considerandum est, satisfactionem quam iustus offert Deo pro culpa veniali, hoc ipso acceptabilem Deo reddi, quod exhibetur à persona diuinæ naturæ consorte, Dei Filio per adoptionem & eius amico per actus feruidæ charitatis ac profundæ humilitatis; adeò vt satisfactio iusti pro veniali, vt sit æqualis offensæ, nulla Dei superaddita egeat acceptatione, sed Deus gratiam & charitatem peccatori conferens ante hoc veniale commissum gratis dat ei semen & radicem valoris in quemlibet actum satisfactionis pro venialibus deriuandi, quæ post acceptam gratiam fuerint ab eo commissa. Sic enim ex diuina misericordia, non merè extrinsecus acceptante, sed per infusam gratiam & charitatem gratificante, & acceptabile seu potius acceptum opus reddente, satisfactio illa dicitur acceptari.

Vltimò notandum est, Christi satisfactionem propriè, simpliciter & catholicè loquendo, perfectiorem esse quacunque puri hominis satisfactione possibili tam pro mortali peccato, quàm pro veniali, vt expresè docet hic S. Th. *ad 2.* dicens, Christi satisfactionem infinitam efficaciam habuisse, eo quod esset actio Dei & hominis, & imperfectum ómne præsupponere aliquid perfectũ, à quo sustentẽtur; & ideò omnem puri hominis satisfactionem efficaciam habere à satisfactione Christi. Quod etiam vt dogma fidei contra Lutheranam hęresim sacra Synodus Tridentina definiuit, *sess. 14. c. 8.* dicens: *Neque verò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsoluimus, vt non sit per Christum Iesum; nã qui ex nobis, tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo, vnde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfaciamus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Quamuis igitur necessarij sint adultis actus fidei, spei, charitatis, humilitatis, pœnitentiæ &c. ex diuinæ gratiæ fauore promanantes, vt eis Christi satisfactio iuxta dictorum operum modum applicetur, tota tamen eorum virtus ex Christi meritis & satisfactione deriuatur. Et quemadmodum Solis virtus vniuersalis ad animalis generationem medio particularis agentis actu concurrens longè perfectiorem habet operationem ad illud animal producendum, quàm sit actio proximi generantis, sic & Christi satisfactio suæ perfectionis infinitate quamlibet puri hominis satisfactionem excedit, eo quod ea tanquam ex vniuersali principio vim habeat satisfaciendi puri hominis operatio. Minus itaque piè, ne dicam, parum catholicè, docet Vasquez puri hominis iusti satisfactionem pro suo peccato veniali perfectiorem esse, & efficaciorem in genere satisfactionis ad effectum delendi peccatum, & extinguendi debitum illius, quã sit Christi Domini satisfactio, licet hæc sit in ratione operationis & meriti perfectior.

Conc. Trid. *Vasquezij lapsus.*

PRIMA CONCLVSIO: *Non potest homo ex suis naturalibus satisfacere pro peccatis suis venialibus.* Probatur primo: quia scriptura diuina venialium remissionem refert ad speciale Dei beneficium, & orationem Christi: iuxta illud *Psalm 31. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*, quem locum Glossa exponit etiam de venialibus. Idem significatur *in 1. Ioann. 1.* cùm dicitur: *Fidelis est & iustus* (scilicet Deus,) *vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Et *cap. 2. Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse propitiatio est pro peccatis nostris*, &c. Quæ loca Augustinus *ibi tractat. 1.* & Concilium Milleuitanum, *c. 6. 7. & 8.* Et Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 11.* exponunt de peccatis venialibus iustorum. Secundò ratione probatur: quia venialium remissio conducit ad beatitudinem; ergò est opus gratiæ. Probatur illatio: quia Concilium Milleuitanum & Arauxicanum definiũt opus esse gratiæ id omne, per quod perducimur ad beatitudinem; de qua re videndus est Caiet. *infra q. 87. a. 4.*

Conclusiones deductæ, & probatæ. *Psal. 31.* *1. Ioan. 1.* *1. Ioan. 2.* *August. Conc. Milleuit.* *Conc. Trid.* *Conc. Milleuit.* *Conc. Arausic.* *Caiet.*

SECVNDA CONCLVSIO: *Purus homo iustus ex virtute gratiæ potest pro suo peccato veniali satisfacere.* Hæc patet ex dictis, & probatur amplius, primò ex D. Tho. *inf. quæst. 87. art. 2. & 3.* dicente, peccatum veniale tolli per actum pœnitentiæ, qui est satisfactio; quod autem sit hæc satisfactio æqualis offensæ veniali probatur: quoniam ille satisfacit ad æqualitatem, qui illi quem offendit aliquid offert, quod ei magis placeat quàm displicuerit offensa; at iustus per se actum charitatis & pœnitentiæ offerens Deo, offert aliquid illi quod ei magis placeat, quàm displicuerit venialis offensa; ergò. Maior est D. Thom. *inf. q. 48. art. 2.* Minor verò probatur: quia venialis offensa Deo displicet, quasi secundùm quid: quia subiectum cui inest non reddit Deo simpliciter offensum; actus verò charitatis & pœnitentiæ Deo simpliciter placet, cùm illi

S. Thom. *S. Thom.*

S. Tho.

secundùm se totum simpliciter & absolutè placeat, nec possit esse nisi in subiecto, quod Deo simpliciter placeat. Et manifestatur hoc: quoniam actus mortalis odij, vel impœnitentiæ Deo displicet, plusquàm veniale peccatum; sed actus charitatis vel pœnitentiæ Deo tantùm placet, quàtùm illi displicet actus mortalis odij vel impœnitentiæ; ergò plus Deo placet, quàm displiceat illi veniale peccatum. Minor probatur; quia Deo tantùm placet actus aliquis bonus, quantùm illi displicet actus oppositus; ergo Deo tantùm placet actus charitatis & pœnitentiæ, quantùm displicet illi actus contrarius & mortalis odij vel impœnitentiæ. Secundò probatur conclusio: quia venialis offensa non est infinita; igitur homo iustus pro illa reddere potest æquale. Consequentia patet: quia non apparet cur homo iustus ex gratia Dei reddere Deo non possit bonum limitatum & finitum, quod adæquetur offensæ veniali & finitæ. Antecedens verò probatur; quia licèt venialis offensa sit contra personam infinitam, non tamen attingit illam, quantum est attingibilis & offendibilis: Cùm nec etiam secundùm affectum auferat ab illo rationem vltimi finis, sicut aufert mortalis offensa: ex ijs autem, quæ supra diximus, satis constat solum obiectum infinitum suam actui, quo attingitur, quantum attingibilis est, infinitatem communicare.

A

B

„ TERTIA CONCLVSIO: *Non potest homo iu-*
„ *stificatus simpliciter & absolutè loquendo, satisfacere*
„ *de condigno pro suo veniali peccato, sed ex suppositione*
„ *tantùm diuinæ gratiæ considerate, prout se tenet ex*
„ *parte satisfacientis.* Hæc patet ex ijs quæ diximus *in quarta Controuersia* cum Caietano, & Soto de satisfactione puri hominis pro totius humani generis offensis.

C

„ QVARTA CONCLVSIO: *Christi satisfactio est*
„ *infinitè perfectior & efficacior, quàm sit satisfactio ho-*
„ *minis iusti pro suo peccato veniali in genere satisfactio-*
„ *nis ad effectum delendi peccatum, & extinguendi debi-*
„ *tum illius.* Hæc est contra Vasq. & patet ex littera S. Thom. & ex definitione Concilij supra notata. Et probatur ad hominem. Quia Christi satisfactio in ratione operationis & meriti perfectior est satisfactione puri hominis, vt ait Vasq. ergò etiam in ratione satisfactionis perfectior & efficacior est ad venialis peccati maculam eluendam. Probatur consequentia: Quia sicut operatio Christi vt meritum est, virtutem habet & sufficientiam vniuersalem singulis per sacramenta & operationes applicandam, & nihilominus perfectius & efficacius est merito puri hominis ad mercedem illi promissam obtinendam, sic eadem operatio Christi vt satisfactio, vim habet & sufficientiam vniuersalem eisdem modis hominibus applicandam; ergò si perfectior & efficacior est Christi satisfactio vt operatio & meritum, quàm puri hominis satisfactio pro peccato veniali, perfectior etiam erit & efficacior vt satisfactio est, quàm sit puri hominis satisfactio pro veniali. Et confirmatur primò: Quia causa prima & vniuersalis vehementius influit, quàm secunda & particularis; ergò. Secundò: Quia Christi satisfactio vt satisfactio est, perfectior est quàm satisfactio puri hominis pro sua culpa mortali; ergò etiam perfectior erit satisfactione puri hominis pro culpa veniali. Tertiò confirmatur: Quia Christi satisfactio vt satisfactio est, totum habet iustitiæ rigorem, quem non habet puri hominis satisfactio pro veniali.

D

E

Argumenta CONTRA *secundam conclus.* quoad eius priorem partem argumentatur Petrus de Soto. Primò: quia S. D. oppositum docet *inf. q. 87. a. 4. Resp.* verba D. Tho. esse; *Remissio culpæ cuiuscunque nunquam fit, nisi per virtutem gratiæ, quia, vt Apostolus dicit Rom. 4. ad gratiam Dei pertinet, quòd Deus alicui non imputet peccatum, quod glossa ibi exponit de veniali.* Quibus verbis S. D affirmat remissionem peccati venialis virtute gratiæ, non tamen negat hominem iustum per actus charitatis ex gratia procedètes satisfacere Deo pro culpa sua veniali.

& solutiones.
Pet. de Soto obiecit cont. 2. concl. 1.
Sol.

Secundò in oratione Dominica de quotidianis maximè peccatis (vt Patres exponunt) dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*: vbi duo sunt oppositam sententiam confirmantia. Primum, quod oramus vt dimittantur; oratio verò cùm innitatur diuinæ gratiæ, excludit merita omnia, vt affirmant Patres antiquiores & Concilia contra Pelagium congregata. Secundum est, verbum remissionis; quia debitum quod remittitur, non soluitur. Nam *Matth. 18.* dicitur, *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me*: rogauerat autem cùm non esset soluendo; igitur vera fides & orans Deum, & vtens verbo remissionis confitetur ex gratia remitti peccata venialia. *Respondetur* ex his omnibus Soto concessis nihil sequi contra nostram conclusionem. Non enim affirmat Conclusio, hominem iustum per actus charitatis mereri remissionem venialium, neque negat illa ex gratia dimitti, sed tantum ait hominem iustum posse pro eis Deo satisfacere. Sed quoniam actus pro venialibus satisfactorius elici non potest absque auxilio diuinæ gratiæ, ideò in oratione Dominica, illud à Deo postulamus dicètes, *Dimitte nobis, &c.* Deinde, quod nos agimus auxilio diuinæ gratiæ, dicitur Deus prius & magis operari, iuxta illud Apost. *ad Philip. 2. Deus est enim, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Deinde facta per gratiam à nobis satisfactione, qua peccatum expellitur, vt est malum hominis, dimittitur à Deo, quatenus est offensa.

Obiec. 2.
Sol.

Tertiò Augustinus *tract. 50. super Ioann. in verba illa Christi: Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet,* idem confirmat. Et de peccatis venialibus intelligens illud *1. Io. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis, & iustus est vt dimittat,* asserit Christum esse, qui ab his peccatis nos abluit, sicut tunc dignatus est pedes lauare discipulorum. Et *in Enchir. ad Laurentium* satisfacere dicit orationem hanc fidelium pro quotidianis, leuibusque peccatis; sed notum est, quomodo verbum satisfaciendi sumat, nimirum pro obtinere remissionem. *Respondetur primò,* verba Augustini sensum illum admittere, secundùm quem verba Dominicæ orationis diximus esse intelligenda. *Secundò dico,* nomen satisfactionis, quod ex Enchiridio refertur, secundùm proprietatem suæ significationis esse sumendum. *Tertiò dico,* nullam esse argumenti consequentiam; quia Deus animam iusti ab illis venialibus culpis emundat, pro quibus feruido charitatis actu satisfecit.

Obiec. 3.
Sol.

Quartò, Peccatum veniale nonnullam habet separationem à Deo, quamquam non perfectam, nec æterna damnatione dignam: At pro offensa in Deum commissa, quamuis leuissima, nihil in nobis est, quod offerre aut quo conuerti ad Deum, vel tantillum ab eo auersi possimus; ergò. Probatur minor; quoniam hæc omnia diuinæ gratiæ opera sunt, sicut & bona omnia alia ad salutem conducentia. *Respondetur primò.* Peccatum veniale nullam efficere separationem, aut auersionem à Deo: *Secundò dico,* remissionem culpæ venialis habitam media satisfactione pœnitentis effectum esse diuinæ gratiæ; quia iustus

Obiec. 4.
Sol.

ſtus per actus ex gratia & charitate gratis à Deo collata pro venialibus ſatisfacit.

Obiectiones aliæ cont. 2. concl. 1.

Contra eandem Concl. produci poſſunt etiam hæc argumenta. *Primum*: quia ſequeretur, quòd virtus qua mediante iuſtus Deo pro venialibus ſatisfacit, ſit pars ſubiectiua & perfecta iuſtitiæ. Probatur conſequentia: quia poteſt homo iuſtus pro venialibus ad æqualitatem ſatisfacere; quamuis non de toto rigore iuſtitiæ. *Reſpondetur* nullam eſſe conſeq. Ad cuius probationem dico, pœnitentiam qua iuſtus homo pro venialibus ſatisfacit, per ſe primò reſpicere offenſam mortalem, pro qua non poteſt purus homo æquale Deo reddere: & licèt pro veniali reddat æquale, non reddit illud ex proprijs omnino; vt ſcilicet non habeantur ex gratia offenſi, nec ſub eius dominio maneant, nec ſint ei debita alijs iuſtitiæ titulis, ſicut ſoluere decimas ad æqualitatem non eſt actus alicuius ſpeciei perfectæ iuſtitiæ; quia religio, cuius ea ſolutio actus eſt, per ſe primò reſpicit cultum Dei, qui non poteſt adæquari infinitæ eius maieſtati; & quamuis ſecundariò reſpiciat decimarum ſolutionem, qua reddit æquale; id tamen quod redditur manet ſub dominio Dei, & poteſt eſſe debitum alijs iuſtitiæ titulis, vt gratitudinis, &c.

Sol.

Obiect. 2. *Secundum arg.* eſt: quia ſi ſatisfactio pro veniali eſt ad æqualitatem; ergò Deus offenſus nõ poteſt de iuſtitia maiorem ab eo petere ſatisfactionem, neque illa exhibita poterit non remittere offenſam. Patet conſequentia: quia iam facta eſt æqualitas. *Reſp.* Deum dupliciter poſſe cõſiderari. Primò, vt ſupremus Dominus & vt benefactor. Secundò vt iuſtus iudex. Si primo modo conſideretur, poteſt Deus petere pro omni debito, quod illi debetur ab homine recompenſationem maiorem, quàm ſit ſatisfactio æqualis exhibita pro veniali; & poſt eam exhibitam poterit vt ſupremus Dominus hominem pro offenſa illa veniali in æternum punire; ſicut etiam, vt offenſus culpa mortali, maiorem ab homine poteſt exigere ſatisfactionem, quàm ſit ea ſatisfactio, quam illi exhibet homo per pœnitentiã: nam cum illa ſit inſufficiens, quod ea exhibita remittatur offenſa mortalis, nouum eſt Dei beneficium. Si verò ſecundo modo conſideretur, ſcilicet vt iuſtus iudex offenſus peccato veniali, & puniens ad æqualitatem pro illo non poteſt non iudicare ſatisfactionem, quam exhibet iuſtus pro veniali per contritionem vel actus charitatis eſſe æqualem illi. Atque ideò illa exhibita ſic conſideratus non poteſt non condonare venialem offenſam. Et quia talis offenſa ex ſe nõ priuat gratia, per quam elicitur prædicta ſatisfactio; & ipſi gratiæ titulo connaturalitatis debetur auxilium ad eliciendos actus, quibus iuſtus æqualiter ſatisfecit pro veniali: ideò verè ac propriè dicitur peccatum veniale ex ſe eſſe remiſſibile, ideſt, non tollere principium intrinſecum, per quod peteſt remitti & elici ſatisfactio æqualis pro illo, in quo diſtinguitur à mortali; vt patet in materia de peccatis. Sed tamen: quia ad hæc omnia ſupponitur gratuita collatio gratiæ, auxiliorum & ſatisfactionis, qua remittitur venialis offenſa: ideò rectè petimus in Oratione Dominica, vt dimittat nobis Deus debita venialia; quia per hoc à Deo poſtulamus, vt det nobis ſatisfacere pro illis; & ideò, licèt ſatisfactio ſit æqualis offenſæ; quia tamen ſupponit gratiã, non eſt de rigore iuſtitiæ, ſicut ſatisfactio Chriſti, ſed ſolùm condigna eſt & æqualis, vt patet ex his, quæ diximus *in præcedenti Controuerſia*.

A

B

C

D

E

Contra Tertiam concl. produci poſſent argumenta Suarezij pro primo ſuo dicto, ſed ea non probant purum hominem iuſtificatum poſſe ſimpliciter & abſolutè ſatisfacere de condigno pro veniali peccato, ſed tantum ex ſuppoſitione diuinæ gratiæ, prout ſe tenet ex parte ſatisfacientis, vt ait noſtra Concluſio. Argumentum autem, quod contra ſuum dictum affert & ſoluit Suarez, quod etiam militat contra noſtram concluſionem, ex dictis facilè ſoluitur.

Contra Qvar. concl. argumentatur Vaſq. *Primò* Homo iuſtus per ſatisfactionem redditur formaliter magis iuſtus & amicus, atq; à peccato veniali reconciliatus: per ſatisfactionem autem Chriſti non poteſt formaliter iuſtus aut magis iuſtus conſtitui, neque reconciliatus à peccato, ſed per eam tantùm Chriſtus nobis mereri potuit condignè auxilia gratiæ ad ſatisfaciendum; ergò ſi ſemel conceditur, hominem iuſtum pro ſuo peccato veniali dignè & perfectè ſatisfacere, non debet dici ſatisfactio Chriſti perfectior quàm propria. *Reſp.* nullam eſſe conſequentiam; quia licèt homo iuſtus actu ſatisfactionis reddatur formaliter magis iuſtus ac magis amicus, & à veniali reconciliatus, hunc tamẽ effectum non habet in homine iuſto ſatisfactio, niſi in virtute ſatisfactionis Chriſti actu illo ſatisfactionis applicatæ, vt ait S. Doct. *ad ſecundã*, & Sanctæ Synodus *loco notato*. Confutabitur hoc argumentum euidentius ex ijs, quæ dicentur *in ſequenti Controu.* *cõt. 4 cõcl. obiect. 1. arg. quæſij.* *Sol.*

Secundò. Chriſti ſatisfactio non eſt dicenda perfectior ex eo, quod Chriſtus ſatisfecerit ex proprijs, homo autem iuſtus pro ſuo veniali ſatisfecerit ex acceptis, nec quia Chriſtus ſatisfecerit ex ijs, quæ ipſe alio titulo non debebat, aut debere poterat, homo autem ex aliàs debitis aut quæ alio titulo ab eo poterant exigi; ergò. Antecedens quo ad vtramque partem probat *in ſua diſputatione octaua*. *Reſp.* falſum eſſe antecedens quo ad vtramque partem. Cuius probationes *in tertia Controu.* confutauimus. Reliqua huius Authoris argumenta, aut ex dictis facilè diluuntur, aut militant contra ſocium eius Suarezium, cui quædam etiam imponit eius intentioni contraria. *obiect. 2.* *Sol.*

Septima Controversia.

An purus Homo, vt Chriſti membrum poſſit condignè Deo ſatisfacere pro peccato ſuo?

Vaſq. *diſp. 10. c. 7.* dicit quatuor. *Primum* eſt: Si quæſtio ſit de opere proximè à nobis elicito, dicendum eſt eodem modo fuiſſe ſufficiens & perfectum ad merendum & ſatisfaciendum, prout eſt procedens ex gratia communicata nobis per Chriſtum, & innitens meritis Chriſti, ac ſi proceſſiſſet ab eadem gratia ex ſola Dei voluntate, & non intuitu meritorum Chriſti donata, neque quidquam amplius dignitatis habuiſſe. *Secundum* eſt. Sicut ſatisfactio noſtra pro noſtro peccato mortali non fuit perfecta & ex rigore, etiam quatenus procedit ex gratia Dei, ita neq; perfecta eſt aut ex rigore, quatenus innititur meritis Chriſti. *Tertiũ* eſt. Cum meritũ iuſtorum ad vitam æternã, & ſatisfactio eorum pro pœna tẽporali relicta pro ſatisfactione ſit perfecta & ex rigore, quia eſt cõdigna & omninò æqualis, hic rigor iuſtitię ea ſolũ ratione, eſt tribuẽd' meritis Chriſti, quatenus ex illis habuimus gratiã ad ſatisfaciendum; qui ſanè eodem modo ex rigore & *Sententiæ Doctorum.*

perfectè mereremur & satisfaceremus, si eandem gratiam sine meritis Christi accepissemus. *Vltimum* est. Si sermo sit de ipso opere proximè à Christo elicito, dicendum est per illud nos satisfeciſſe Patri perfectiſſimè & ex rigore, sicut ipse Christus satisfecit, eo quod nobis tamquam membris Christi capitis eædem ipsius actiones tribuuntur, sicut etiam ipsi tribuuntur nostræ secundùm regulam Ticonij. Quam sententiam multis corroborat argumentis idem Author *in 1. 2. q. 114. a. 3. disp. 214. c. 7.*

Suarez. Suar. *disp. 4. sect. vltima* dicit quatuor. *Primũ* est. Homo dicitur satisfacere, vt membrũ Christi, non quia illi imputetur satisfactio Christi, sed quia reuera ipse satisfacit per gratiam propter Christum acceptam, quam videlicet Christus influit tamquàm caput in membra: & præterea, quia puri hominis satisfactio in Christi meritis & satisfactione fundatur. *Secundum* est. Dicitur nostra satisfactio fundari in Christi meritis & satisfactione, non solùm quia fundatur in gratia habituali propter Christum data, sed etiam quia ipsamet actualia auxilia ad satisfaciendum propter Christum dantur; tùm etiã quia nostra opera propter Christi iustitiam ex diuina promissione acceptantur, tùm denique quia, si quid valoris & dignitatis deest in nostra satisfactione, totum id suppletur & compensatur ex coniunctione ad satisfactionẽ Christi. Vt enim idem Expositor ait *infra disput. 41. sect. 3.* probabile est, nunc opera iustorum, qui sunt membra Christi, referri ad maius præmium, quàm de se postularent. *Tertium* est. Videtur mihi propriè loquendo & exclusis methaphoris passiuè (vt ita dicam) rectè posse nos, vt Christi membra iustificari, nobis remitti peccatum, nostras dispositiones vel satisfactiones acceptari ex perfecta, & rigorosa iustitia; quia scilicet Christus ex perfecta iustitia meruit illa omnia, & pro nobis perfectè satisfecit, vt nobis peccata ex perfecta iustitia remitterentur, ex perfecta (inquam) iustitia ipsi debita, non nobis. *Vltimum* est: Rectè dici non potest actiuè nos vt Christi membra verè & propriè satisfacere de rigore iustitiæ, præsertim pro mortalibus peccatis, quia Christus vt caput non influit in sua membra virtutẽ ad satisfaciendum perfectiſſimo modo sibi proprio sed alio inferiore.

Caiet. Caietanus *hic in solutione dubij 4.* dicit duo. *Primum* Christus Dominus dupliciter causat satisfactionem nostram: primò vt causans charitatẽ & gratiam in nobis, qua satisfactio nostra acceptatur: secundò vt satisfactor perfectè pro peccatis totius Mundi: & ex hoc satisfactio mea habet ex duobus capitibus efficaciam, primò ex charitate in me, qua fit & est Deo accepta: secũdò ex hoc quòd innititur satisfactioni Christi: & neutro modo satisfactio mea est satisfaciens simpliciter, sed secundùm acceptationem; quia charitas se tenet ex parte Dei acceptantis, & communicatio satisfactionis Christi misericorditer mihi fit, non transferendo æqualitatem simpliciter in meam satisfactionem, sed plus & minus participantem Christi satisfactionem constituendo. *Secundum* est. Quia ex Christo capite & nobis membris constituitur vna persona mystica, ideò satisfactio mea coniuncta satisfactioni Christi fit æqualis simpliciter, vt est satisfactio mysticæ personæ, immò & quandoque super excedit. Suam hanc opinionem latiùs explicat *in opusculis Tomo 3. tract. 10. c. 9.* Eandem sententiam sequitur Sotus *in 4. dist. 19. q. 1. a. 2. Concl. 3.* & Hosius Card. *in Confeß. cath. cap. 73.* Et eam explicat & tuetur Medina *super art. dubitatione vltima.*

A

Hvivs arduæ Controuersiæ definitio, quæ multas aliundè petitas secum trahit difficultates, magnam afferet lucem ad nostrorum operũ valorem, & passionis Dominicæ fructum intelligendum, & ad Catholicæ fidei doctrinam, & confessionem ab hæresi Lutherana distinguendam. *Resolutio.*

Considerandvm *est igitur* Primo ex D. Th. infra *q. 8. a. 1.* & Cai. *in opusc. supra notato*, totam Ecclesiam dici & esse vnum corpus mysticum, cuius caput est Christus, fideles autem in gratia constituti viua sunt membra. Quemadmodum enim in corpore naturali multa sunt membra, quorum vita connexio virtus motus & regimen in agendo dependet à capite propter spirituum perfectionem & sensitiuam ac motiuam facultatem ibi dominantem, ita in Ecclesię corpore mystico multa viua sunt membra, quorum vita spiritualis, scilicet gratia, connexio in charitate & vitales operationes scilicet merita & satisfactiones coram Deo ex vno capite Christo vitæ spiritualis, ideſt gratiæ plenitudinem habente deriuantur, vt ait diuina scriptura *Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Et paucis impositis addit, *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia; quia lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Metaphoram hanc mystici corporis Ecclesiæ ex naturali corpore desumptam D. Apost. in suis Epistolis non semel expressit. Nam *ad Rom. 12. c.* sic loquitur. *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Eandem similitudinem latè ac eleganter prosequitur idem Apostolus *in 1. ad Cor. 12. cap. Sicut enim* (inquit) *corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sunt multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus, &c.* Et *ad Ephes. 4. Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iunctu*ram *subministrationis secundùm operationem in mẽsuram cuiuscunq; membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Quorum verborum expositio videnda est in commentario S. Th. Denique *ad Coloss. 2.* ait: *Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis, in quo, & circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis.* Habet autem Christus Ecclesiæ caput duplicem instruendi modum in membra, scilicet moralem & phys. vt enim ait S. D. *in allegato art. ad 1. Dare gratiam aut Spiritum sanctum conuenit Christo secundùm quod Deus authoritatiuè, sed instrumentaliter conuenit etiam ei, secundùm quod homo, quatenus scilicet eius humanitas instrumentum fuit diuinitatis eius, & ita* (inquit) *actiones ipsius ex virtute diuinitatis fuerunt nobis salutiferæ, vtpotè gratiam in nobis causantes, & per meritum, & per efficientiam quandam.* Quorum verborum sensum & veritatem explicat & tuetur Aluar. eruditè *in sua disp. 38. Ex dictis sequitur*, longè maiorem habere similitudinem ad corpus naturale corpus Ecclesiæ mysticum, quàm corpus politicum, quod ex ciuibus & rectore vel Principe ciuitatis aut reipublicæ constituitur; nullum enim habet rector aut Princeps physicum in ciues influxum, sed solum

Ecclesiã esse vnũ corpus mysticũ, cuius caput est Christus, fideles autẽ sunt membra, ad quæ dupliciter ex capite deriuatur influxus.

B

C

D

E

mora-

moralem, ab huius nempè Christi capitis influxu valdè diuersum: nec tanta colligatione ciues sibi tãquam capiti, aut eos inter se connectit vt membra, quanta Christus Dominus fideles suos per gratiam & charitatem tàm sibi tàmquam capiti, quam inter se tanquam vnius capitis & corporis membra connectit, vt amplius etiã ex dicendis apparebit.

SECVNDO *Notand. est*, ex Christo vt mystico corporis Ecclesiæ capite dupliciter aliquid ad membra deriuari. *Vno modo* per modum participationis media causalitate morali & effectiua: *Alio modo* per modum vnionis attributionis & denominationis.

Quomodo ex Christo capite aliquid in membra deriuetur per modum participationis.

Priorem modum hic breuiter explicat Caietanus dicens, satisfactionem nostram dupliciter à Christo Domino causari: primò vt à causante in nobis charitatem & gratiam, qua satisfactio nostra Deo grata redditur & acceptatur. Secundò vt à satisfactore perfecto pro peccatis humani generis, quo fit vt puri hominis satisfactio ex duobus capitibus habeat efficaciam, scilicet ex charitate per Christum in homine recepta, qua satisfactio Deo fit grata & accepta: secundò ex hoc, quod innititur satisfactioni Christi, vt ait S. D. *in textu*: neutro tamen modo sufficiens est simpliciter puri hominis satisfactio, sed secundum acceptationem tãtum; quia gratia & charitas gratis à Deo collata se tenet ex parte Dei, cui fit satisfactio, & communicatio satisfactionis Christi fit homini puro vt eius membro misericorditer, non tamen secundùm totam eius virtutem seu valorem, sed secundùm aliquam eius participationem iuxta dispositionem & modum recipientis. *Ad cuius ampliorem* euidentiam considerandum est, gratiam & charitatem à Deo per Christum eius membris influxam dupliciter posse considerari: Vno modo, prout à Christi humanitate præcisè vt instrumento coniuncto causatur in nobis, & secundum hanc rationem gratia & charitas à Deo per Christum in nobis causata eiusdem est quantitatis & valoris, cuius etiam esset, si à Deo immediatè nobis infunderetur; quoniam instrumentum vt sic non auget sed potius quandoque minuit perfectionem illius effectus, quem potest per se ipsam immediatè producere causa principalis, ac præsertim prima, cuius virtus à nullo dependet. Alio modo potest eadem gratia & charitas considerari, prout à Christi humanitate vt instrumento meritorum infinitate & satisfactionis pro culpis humani generis sufficientia, & gratiæ capitalis dignitate perfecto deriuatur in membra: & hoc modo gratia & charitas nobis per Christum influxa longè maiorem habet perfectionem, quam si nullo medio instrumento Deus per se ipsum in nobis eam immediatè causaret: & eadem ratione multò perfectiora sunt omnia merita & satisfactiones, quatenus ex gratia & charitate à Christi humanitate prædictis modis perfecta deriuãtur, quàm quæ ex gratia & charitate procedunt à Deo solo causata, vel etiam media Christi humanitate, quatenus consideratur præcisè vt instrumentum. Probatur hæc veritas primò ex sacris litteris. Nam *Io. 10.* dicitur. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Quæ verba quãuis communiter exponantur de vita gratiæ in præsenti, & de vita gloriæ in futuro quæ perfectior est, congruè tamè intelligi possunt de maiori abundantia gratiæ & gloriæ per Christum habita, quàm nobis conferretur à Deo si nos sine Christi redemptione saluaret. Quod etiã significat Apostolus *ad Rom. quinto*, dicens. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.* Et paucis interpositis. *Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia; vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum Dominum nostrum.* Vbi notandum est verbum *superabundauit*: eo namque significatur, longè maiorem gratiæ quantitatem nobis à Deo per Christum fuisse donatam, quàm quæ ad peccatorum nostrorum maculas abluendas & ad offensas in Deum commissas remittendas esset necessaria, aut quàm dispositio Deo mouente facta postularet. At si Deus sine Christi satisfactione nobis peccata remisisset, non superabundantem, sed sufficientem nobis ad ea delenda contulisset: Nulla enim in hoc satisfactionis modo sese offert abundantioris gratiæ ratio, sicut in Christi Domini redemptionis modo, cuius merita & satisfactiones Deo pro nobis oblatæ valorem habuerunt infinitum ob infinitam suppositi dignitatem: Adeò vt hoc ipsò, quod gratia qua Deus nobis peccata dimittit, ad nos per Christi satisfactiones & merita deriuatur, sit gradu ac magnitudine suæ quantitatis exuberantior, quàm si per ipsum immediatè Deus eam infunderet. Quod his etiam probatur argumentis. Nam primò Sancti Patres, quantò secundum tempus Christo propinquiores extiterunt, tantò clariorem diuinorum mysteriorum notitiam & gratiæ abundantiorem plenitudinem habuerunt; igitur gratia nobis per Christum collata maior est, quàm si nobis à Deo immediatè fuisset infusa. Consequentia patet: Quia si gratia per Christum accepta non esset maior, quàm si Deus eam infunderet immediatè, nulla esset ratio, cur ex maiori secundùm tempus ad Christum propinquitate gratia maior in antiquis Patribus inferretur. Antecedens quo ad primam partem est S. Greg. *Hom. 6. in Ezech.* dicentis, secundùm incrementa temporum creuisse scientiam Sanctorum Patrum, & quantò viciniores aduentui Saluatoris fuerunt, tantò eos Sacramenta salutis plenius percepisse. Quod eleganter explicat S. D. *in 2. 2. q. 1. a. 7.* qui etiam *ibi ad 4.* ait. *Vltima consumatio gratiæ facta est per Christum; vnde & tempus eius dicitur tempus plenitudinis ad Gal. 4. & ideò illis, qui fuerunt propinquiores Christo, vel ante, sicut Ioannes Baptista, vel post, sicut Apostoli, plenius mysteria fidei cognouerunt: quia & circa statũ hominis hoc videmus, quod perfectio est in iuuentute, & tanto habet homo perfectiorem statum ante, vel post, quanto est iuuentute propinquior.* Ex quibus etiam patet altera pars antecedentis; quæ secundo probatur: Quia noua lex principaliter est ipsa gratia Spiritus sancti, quæ datur per fidem Christi, vt dicitur *Rom. 8. Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis.* Quod etiam probat & explicat S. D. *in 1. 2. q. 106. a. 1.* nec potest esse aliquis perfectior status præsentis vitæ, quàm status nouæ legis; quoniam hæc immediatè in finem vltimum introducit; nihil autem vltimo fini potest esse propinquius, quam quod immediatè in ipsum vltimum finem introducit, vt ait S. Doct. *in allegata quæst. art. 4.* addens in fine corporis, non esse expectandum, vt futurũ aliquẽ statũ, in quo perfectius gratia Spiritus sancti habeatur, quã hactenus habita fuerit, maximè ab Apost. qui primitias Spiritus acceperunt, & tempore prius & cæteris abundantius, vt ait Glossa *Rom. 8.* vbi S. D. *lect. 10.* declarans illa verba, *Nos ipsi primitias spiritus habentes*, ait. *Vnicuique autem*

Gratiam, & charitatem à Deo per Christũ Ecclesiæ caput in eius mẽbra deriuatã esse longè maiorẽ, quã si solus Deus eam per seipsum immediatè causasset.

A B C D E

Rom. 5.

autem dat (Deus per Christum) *gratiam proportionatam ei, ad quod eligitur, sicut homini Christo data est excellentissima gratia, quia ad hoc est electus, vt eius natura in vnitatem personæ diuinæ assumeretur, & post eum habuit maximam plenitudinem gratiæ Beata Maria, quæ ad hoc est electa, vt esset Mater Christi: inter cæteros autem ad maiorem dignitatem sunt electi Apostoli, vt scilicet immediatè ab ipso Christo accipientes alijs traderent ea, quæ pertinent ad salutem.* Hæc ibi S. D. Itaque si Deus per Christum gratiam confert abundantiorem ijs, qui tempore vel officio aut speciali aliqua electione fuerunt illi propinquiores, consequens est, non exiguam gratiæ nobis à Deo collatæ perfectionem adiungi ex hoc, quod medio Christo, vt homine physicè & moraliter agente nobis donatur. Deinde Christi Domini dicitur fuisse copiosa redemptio, non ea tantùm ratione, quod fuerit infiniti valoris ob infinitam redimentis suppositi dignitatem, vel quòd multis actibus & modis plenè pro culpis humani generis satisfecerit, sed ea etiam præcipuè ratione, quòd ex ea gratiæ in nos copiosa ac superefluentia carismata redundarint. Quem vt proprium Christi redemptionis effectum Dauid exaltat & pijs vocibus Ecclesia repetit. Præterea. Caput in membra specialem aliquem habet virtutis influxum. Denique sententiam hanc præter Authores supra nominatos tenent alij Doctores grauissimi, quos *in alleg. disp. 214. c. 2.* refert Vasq.

Quomodo ex Christo capite aliquid in mẽbra deriuetur per modum vnionis, attributionis & denominationis.

Posterior modus, quo ex Christo vt mystico corporis Ecclesiæ capite aliquid in membra deriuatur, est per modum vnionis, attributionis & denominationis. Ad cuius euidentiam duo præmittenda sunt. *Primum* est regula illa Ticonij cuiusdam hæretici, quam refert & approbat Sanctus Augustinus *libro tertio de Doctrina Christiana, c. 31.* videlicet. Aliquando in sacris litteris vnâ capitis & corporis, ideſt Christi & Ecclesiæ nobis personam significari, & nonnunquàm à capite transiri ad corpus, & à corpore fieri transitũ ad caput, nec tamen ab vna eademque persona recedi: *Vna enim* (inquit) *persona loquitur dicens, Sicut sponso imposuit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento; & tamen, quid horum duorum capiti, quid corpori, ideſt quid Christo, & quid Ecclesiæ conueniat, vtique intelligendum est.* Hæc ibi Augustinus. Quo modo accipiendum est illud *Psalm. 21. Longè à salute mea verba delictorum meorum*, vbi Christus delicta membrorum sibi tribuit asserens esse sua. Et ideò sacra Scriptura passiones, & actiones membrorum Christi viuentium asserit esse passiones, & actiones Christi capitis. Nam de passionibus *Act. 6.* dicitur: *Saule Saule quid me persequeris?* cum tamen Saulus Christi membra persequeretur. Et *ad Galat. 4.* dicit Apostolus Christum in eis fuisse crucifixũ, quia scilicet cruciatus fuerãt perpessi pro Christo. De actionibus autem *2. Cor. 13.* ait Apostolus. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Et *ad Gal. 2. Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* E contra etiam, quæ Christi capitis sunt, membris nonnunquam scriptura tribuit, vt *Ephes. 2. Cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo* (*cuius gratia estis saluati*) *& conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.* Quæ verba exponẽs Caietanus *in suo Commentario* ait, nihil aliud esse, conuiuificatos fuisse in Christo, quã accepisse Christum in caput, quia capitis est viuificare membra, quorum est caput. Eandem veritatem explicat S. D. locis infra notandis. *Secundò præmittendum est*, Christum esse veluti hypostasim

Mystici corporis hypostasis est Christus. 1. Cor. 12.

A sui corporis mystici, quod est Ecclesia. Nam, vt ait Caietanus *in suo Commentario prioris ad Corin. cap. 12.* exponens illa verba, *Omnia membra vnius corporis, cum sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus*, Sicut dicendo, *ita & ego* comprehenditur corpus meum cum omnibus suis membris (quia ego nomẽ est hypostasis meæ) sic dicendo, *ita & Christus*, comprehendit corpus eius mysticum cum vniuersis membris eius; quia Christus tenet locum hypostasis sui corporis mystici. Cõstat autem actiones & passiones tàm capitis, quã membrorum eidem hypostasi tribui, cuius sunt caput & membra. Petrus enim capite suo phantasiatur & loquitur, manibus operatur & pedi-
B bus ambulat. Quemadmodum igitur Verbum Incarnatum vna persona est in duabus naturis subsistens, diuina scilicet & humana, atque ideò cum maxima sua vnitate duplicis habens hypostasis rationem, diuinæ scilicet quatenus in diuina natura subsistit, & humanæ quatenus in humana natura subsistit, & propter hypostasis idẽtitatem de homine prædicantur ea, quæ dicuntur de Filio Dei, & è conuerso, vt ex Concilijs & Patribus ac ratione probat S. D. *infra q. 16. a. 4.* Ita Christus in corpore mystico vnum est suppositum mysticè consideratum, quasi duplicem habens rationem subsistendi, alteram in se ipso tanquam in capite, alteram in fidelibus gratiam & charitatem ex eo participantibus: & quatenus
C in seipso subsistit, vnum est re & ratione suppositum singulare, quatenus autem mysticam habet in membris subsistentiam, rationem seu vices gerit tam singulorum suppositorum quæ sunt viua eius membra, quàm simul plurium aut etiam omnium. Cum itaque Christus sit suppositum duplicem habens subsistendi rationem, alteram propriè dictam in duabus naturis, diuina scilicet & humana, & alteram mysticam scilicet in fidelibus vitam gratiæ participantibus vt eius membris, de illo tanquàm de vno & eodem supposito in pluribus diuersa ratione subsistenti prædicantur non solum ea, quæ sunt diuinæ & humanæ naturæ illi personaliter ac propriè
D copulatæ, sed etiam actiones & passiones, quæ sunt membrorum propriæ, non tantùm bonæ sed etiam malæ, vt patet ex locis diuinæ scripturæ supra notatis. In quibus tamen quædam differentia est; ex illis enim locutionibus nonnullæ sunt, quæ Christi mysticam in membris subsistentiam non exprimunt sed supponunt, sicut istæ: *Longè à salute mea verba delictorum meorum*, Et, *Saule Saule quid me persequeris?* Aliæ verò sunt, quæ Christi mysticam in membris exprimunt subsistentiam, sicut istæ, *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*: Et, *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? 2. Cor. 13.* particula enim illa *in me* Christi mysticam in Paulo spiritualiter viuente & loquente subsistentiam
E significat. Et eadem ratione (inquit Caietanus *in Opusculo superius allegato*) dicere possum, Mereor ego, iam non ego, meretur autem in mẽ Christus: satisfacio ego, iã nõ ego, satisfacit vero in me Christus: ieiuno ego, iam non ego, &c. Et sic de alijs operationibus volũtarijs, quas Christi membra viua exercent propter Deũ; quo fit, vt meritum æternæ vitæ non tam operibus nostris tribuatur, quã operibus Christi capitis, & suppositi mysticè in nobis subsistentis & per nos operantis.

Differentia inter suppositũ corporis mystici, & naturalis.

Ad cuius ampliorem intelligentiam obseruãda est *differentia inter suppositum corporis naturalis & suppositum corporis mystici*. Conueniunt enim, quod vtrique attribuuntur actiones membrorum,

rum, & è contra suppositorum actiones, quas exercent per membra, membris tribuuntur; sicut enim dicitur Petrus videre per oculum, & oculus Petri videre, sic dicitur Christus in homine iusto mereri, satisfacere &c. & homo iustus in Christo, siuè vt membrum Christi mereri & satisfacere. Sed *tripliciter differunt. Primò.* 1. differētia. Quoniam operatio suppositi corporis naturalis secùdùm eandem perfectionem membro tribuitur, secundùm quam supposito conuenit; visio namque secundùm eandem perfectionem exit ab oculo & illi tribuitur, secundùm quam elicitur à supposito. At operatio mystici suppositi scilicet Christi duplex est: Quædam illi conueniens secundùm se siuè secundùm eam rationem, qua suppositum quoddam est in esse suo naturali subsistens in duabus naturis, diuina scilicet & humana: secundùm quam rationem fundat rationem capitis distincti à membris, & hæc simpliciter & absolutè loquendo, conuenit ipsi supposito & capiti vt à membris distinguitur, ipsis verò membris non tribuitur nisi ratione cuiusdam complementi, quod in membrorum operationibus ex vnione cum operatione capitis in vno mystico supposito consurgit: membri tamen operatio sic completa, sicut non est ipsa propria capitis operatio, nec eam formaliter includit, ita non adæquat eam sua perfectione, sed ex vnione cum ea recipit complementum, vt infra declarabitur; dicitur enim Christus passus crucifixus ac mortuus, & per hoc infinitè meruisse & satisfecisse, quæ tamen mystici corporis eius membris neque simpliciter neque propriè tribuuntur. Alia est operatio Christo conueniens, quatenus mysticum est suppositum mystici corporis, & hæc est operatio membri, quatenus membrum est, quæ supposito tribuitur quasi principaliter operanti, vt patet ex verbis Apostoli supra notatis, *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Et, *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* & *Rom. 15. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus, &c.* Et quamuis suppositum hoc mysticum sit secundùm se persona infinitæ dignitatis, operationes tñ illius, quatenus mysticum suppositū est, ex eo non habent valoris infinitatem. Cuius ratio est; quoniam istæ actiones verè non sunt ab illo secundùm se elicitæ, sed à fidelibus vt eius membris per gratiam & auxilium ex eius influentia receptum; & ideò iuxtà mensuram gratiæ & auxilij est etiam modus & quantitas valoris inoperatione. Et quia per gratiam ex Christi capitis influxu receptam constituimur illius viua membra, quorum membrorum Christus non solùm est caput, sed etiam suppositum, vt ante diximus; ideò hoc ipso, quod nos meremur & satisfacimus, vt membra Christo capiti vnita, & vt existentia in Christo tanquàm in communi supposito, dicimur mereri & satisfacere de toto rigore iustitiæ; quia secundùm hanc considerationem non tam nos meremur & satisfacimus in Christo, quam Christus vt caput & vt mysticum suppositum, mereatur & satisfaciat in nobis: Constat autem satisfactionem nostram hoc modo sumptam esse ex proprijs & ex aliàs minimè debitis. Cum enim vna & eadem sit operatio, quæ à supposito & à membris producitur, vt ab vno integro perfectoque principio, si prout est, à supposito, est ex proprijs ac indebitis, eodem etiam modo procedet à membris in 2. differētia eodem supposito quasi subsistentibus. *Secundò differunt* suppositum corporis naturalis & suppositum corporis mystici; quoniam in corpore naturali suppositum differt realiter à capite, in corpore verò Ecclesiæ mystico eadem persona secundùm rem suppositum est & caput. Ratio huius differentiæ colligitur ex S. Th. *in 3. d. 13. q. 2. a. 1. ad 6.* vbi ait, caput in corpore naturali non solùm dici caput, sed etiam membrum, siue commembrum, quia non solùm influit alijs membris, sed etiam ab alijs recipit nutrimentum & alia obsequia: Christus autè quatenus homo nihil recipit ab alijs membris Ecclesiæ, sed solùm à Deo; & ideò non potest dici membrum aut commembrum, secundùm quod caput Ecclesiæ dicitur ipse secundùm humanitatem, quamuis (inquit) dici possit membrum secundùm humanitatem, quatenus ipse est caput Ecclesiæ secundùm diuinitatem. In quo sensu dicit Apost. *1. Corinth. 12. Vos estis corpus eius, & membra de membro.* Caput igitur in corpore naturali suppositum esse non potest, quia membrum est; Christus verò membrum Ecclesiæ nō est, & ideò nedum caput sed etiam suppositum eius est. *Tertia differentia* est in modo loquendi; 3. differētia quia suppositum corporis naturalis verè & propriè dicitur operari per membra, dicitur videre per oculos, audire per aures, operari per manus &c. suppositum autem corporis mystici non ita propriè dicitur operari per membra; non enim satis propriè & congruè diceretur, Christum mereri per nos, satisfacere per nos, ieiunare per nos, orare per nos &c. quamuis in actionibus miraculorum; in quibus homo est veluti instrumentum, & in effectibus gratiæ gratis datæ, dicatur congruè Christus per Sanctos operari & miracula facere & populos ad fidem conuertere, vt patet ex verbis Apostoli supra notatis *ex Epist. ad Rom. 15.* Congruè verò dicitur Christus in nobis operari, in nobis mereri, satisfacere &c. vt supra notauimus cum Caietano.

Sed explicandum est diligentius, quomodo Christi merita, satisfactiones, & similia fidelibus, vt eius membris vita gratiæ & charitatis ex eo participata viuentibus tribuātur. In hoc enim præcipua videtur esse posita Controuersiæ difficultas propter periculum hæresis Lutheranæ, cui simillima quibusdam videtur affirmatiua sententia Caietani paulò ante relata & nunc vberius explicanda. Ad cuius euidentiam notanda est differentia meriti, propter quod paruulis baptizatis debeatur beatitudo, ab illo merito, propter quod idem præmium æternæ vitæ debetur adultis. Nam infantibus baptizatis applicantur Christi merita medio Baptismi Sacramento; propter quæ sola debetur illis æterna beatitudo. Adultis autem eadem Christi merita dupliciter applicantur, scilicet medio baptismate & alijs Sacramentis per Ecclesiæ ministros eis collatis, & per actus fidei, spei, charitatis, humilitatis, pœnitentiæ &c. quos existentes in gratia veluti fructus emittunt, quibus vt meritis Deus ab æterno præmium Beatæ Vitæ perpetuò duraturæ præparauit.

Explicatur vberius prædictus attributionis, & denominationis modus, & ostenditur eius differentia ab hæresi Lutherana.

Adultis ergò duplici iure debetur beatitudo, scilicet iure meritorum Christi, quæ per proprias suas operationes, ac præcipuè per voluntariam passionem, & mortem sibi cæterisque comparauit, & iure bonarum operationum seu meritorum, quæ adultus in Christo vt membrum Christi, & Christus in adulto vt eius caput operatur.

Ad quorum ampliorem intelligentiam *considerandum est*, Christi merita & satisfactiones

nes nobis per Sacramẽta vel etiam per actus nostros dupliciter applicari: *Vno modo* per quãdam virtutis eorum determinatam participationem in infantibus quidem baptizatis æqualem, in adultis autem iuxtà modum cooperationis voluntatis eorum à Deo motæ ad actus supernaturales & meritorios: & hæc applicatio fit per iustitiam animabus nostris inhærentem, quam paruulis medio Sacramento Baptismi Deus infundit, adultis autem donat, media voluntaria ac deuota Sacramentorũ susceptione, & auget Sanctorum operum exercitatio. Et quia per hanc iustitiæ Christi & meritorum ac satisfactionum eius participationem efficimur actu & formaliter eius viua membra, quorum Christus non solùm est caput, sed etiam hypostasis, vt ante diximus, ideò modum hunc applicationis alius necessariò consequitur seu potius concomitatur, quo Christi merita secundùm seipsa nobis, vt eiusdem corporis, capitis & suppositi membris applicantur, & quodammodo tribuuntur, vt etiam affirmat S. D. *infra q. 48. art. 1.* vbi sic loquitur. *Christo data est gratia, non solùm sicut singulari personæ, sed inquantum est caput Ecclesiæ, vt scilicet ab ipso redundaret ad membra; & ideò opera Christi hoc modo se habent tàm ad se, quàm ad sua membra, sicut se habent opera alterius hominis in gratia constituti ad ipsum. Manifestum est autem, quod quicumq; in gratia constitutus propter iustitiam patitur, ex hoc ipso meretur sibi salutem secundum illud Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; Vnde Christus per suam passionem non solùm sibi, sed etiam omnibus membris suis meruit salutem.* In a. 2. eiusdem q. in resp. ad 1. ait. *Caput, & membra sunt, quasi vna persona mystica, & ideò satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet, sicut ad sua membra.* Et q. 49. a. 1. *Quia enim* (inquit) *Christus est caput nostrum per passionem suam, quam ex charitate, & obedientia sustinuit, liberauit nos tamquã membra sua à peccatis, quasi per pretium suæ passionis, sicut si homo per aliquod opus meritorium, quod manu exerceret, redimeret se à peccato, quod pedibus commisisset.* Et hoc est, quod ait Cai. *in 2. suo dicto supranotato*, quod explicat & tuetur egregiè Med. *in solutione postremæ suæ dubitationis*, quam lege, si placet.

Quantum autem doctrina hæc distet ab hæresi Luther. patet ex definitione sacri Concilij Trid. *sess. 6. c. 7. & Can. 10. & 11.* Nam c. 7. decernit, causam vnicam iustificationis formalem esse iustitiam Dei: *Non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, quia videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cuiusq; dispositionem, & cooperationem.* In Can. verò 10. sic definit. *Si quis dixerit, homines sine Christi iustitia, per quam nobis meruit, iustificari, aut per eam ipsam formaliter iustos esse, anathema sit.* Et Can 11. *Si quis dixerit homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum diffundatur, atque illis inhæreat, anathema sit.* Ex quibus apparet, Concilium eos condemnare, qui fideles sola Christi iustitia iustos esse pronunciant absque vlla iustitia eorum animis inhærente, non autem eos, qui Christi fidelibus vt eius membris gratiam & charitatem suis animis inhærentem ex eo tanquàm capite deriuatam participantibus affirmant Christi merita & satisfactiones modo superius explicato esse tribuenda; non enim per ea dicunt, fideles iustos formaliter effici, quamuis vt ait hic S. Doct. *ad secundum* puri hominis satisfactio efficaciam habeat à satisfactione Christi, & vt imperfecta in ea sustentetur, tanquàm in absolutè perfecta; ita vt cuiuslibet hominis satisfactio, prout est membrum Christi, sit æqualis offensæ simpliciter, vt ait Caietanus; quoniam vt sic est satisfactio mysticæ personæ ex capite Christo & cæteris fidelibus vt viuis eius membris constitutæ, cuius mysticum suppositum, cui totius huius corporis mystici tribuuntur actiones est Christus: Certum est autem actiones mystici suppositi siuè corporis per caput exercitas membris aliquo modo tribui, vt patet de actionibus à Principe aut Duce vel Rectore factis; quæ Republicæ Ciuitati vel Communitati tribuuntur, sicut etiam membrorum actiones factæ, mouente capite mystico, non solùm membrorum sed etiam capitis esse dicuntur; quod enim agunt milites mouente Duce, & ministri iubente Principe, dicitur Dux feciſſe vel Princeps.

Sed obseruãdum est diligenter membra mystici corporis seu corpus ipsum dupliciter posse considerari: *Vno modo* quatenus membra seu corpus est capiti coniunctum, & ab eo vitam participat, non tamen vt caput ipsum includit, sed prout est ab eo distinctum secundùm singulorũ membrorum substantiam, officia & operationes: *Alio modo* possunt eadem membra siuè corpus considerari non solum prout est capiti Christo coniunctum, sed quatenus simul cum eo vnum integrum ac perfectum Ecclesiæ corpus constituit, siue quatenus corpus caput etiam includit. Si membra siuè corpus hoc posteriori modo sumatur, dici verè & absolutè potest corpus hoc mysticum non solùm satisfeciſſe per suum caput, siuè ratione capitis ex toto rigore iustitiæ, sed superabundasse & satisfactionem eius esse infinitam ob infinitam capitis dignitatem. Quod probatur: quia satisfactio Christi condigna est & ex toto rigore iustitiæ, nec eius valor imminuitur ex eo, quòd nostra satisfactio illi coniungatur; igitur nostra simul cum illa est de toto rigore iustitiæ. Et explicatur exemplis; nam etsi quilibet de concilio non habeat infallibilitatem in definiendis fidei veritatibus; quia tamẽ Sum. Pontifex, qui caput est Concilij illam habet, verè ac propriè dicimus Patres Concilij cum suo capite in definiendis fidei veritatibus errare non posse; & similiter licèt exercitus vincat ob vnius militis vel Ducis prudentiam aut fortitudinem; dicitur tamen totus exercitus vincere; ergò simili ratione quamuis satisfactio puri hominis iusti finita per se sumpta non sit de toto rigore iustitiæ, si tamen accipiatur vt satisfactioni Christi coniuncta, vnum habebit cũ ea valorem, ac proindè verè dicetur eam ratione satisfactionis Christi esse de rigore iustitiæ: sicut etiam, cum dicimus Thesaurum satisfactionis Christi & Sanctorum esse infinitum, non significamus satisfactionem Sanctorum, etiam vt fundatam in satisfactione Christi, velut ab ea procedentem esse infinitam, sed infinitatem conuenire aggregato ex vtraque satisfactione propter vnius partis infinitatem, scilicet satisfactionis Christi. Sed hoc loquendi modo non attribuitur Christi satisfactio membris eius formaliter & propriè, vt ab ipso sunt distincta, sed solum toti integro corpori membra simul & caput includenti siuè supposito per caput. Si verò priori modo membra sumantur & corpus, dicendum est, satisfactiones membrorum Christi ex

fti ex coniunctione cum Christo capite morale quoddam sui valoris accipere complementum; adeo vt sic acceptæ sint ex toto rigore iustitiæ, non tamen infinitę vt supra diximus. Satisfactiones igitur & merita membrorum siuè corporis hoc modo sumpti dici possunt satisfactiones & merita Christi, non absolutè sed ratione complementi, quod eis ex vnione membrorum cum capite, & satisfactionum membrorum cum satisfactione capitis quasi formaliter conuenit. Probatur autē sententia nostra sic explicata. Quia totum Ecclesiæ corpus, quatenùs est vnitum suo mystico capiti & supposito, quod est Christus, quasi propriam & connaturalem habet gratiam & charitatem; ergò Deo satisfacit ex toto rigore iustitiæ pro peccatis, quatenus sunt offensa Dei; ergò etiam vnumquodque membrum vt vnitum capiti satisfacit pro peccatis suis, quatenus sunt offensa Dei, de toto rigore iustitiæ. Antecedens probatur; quia licèt valor satisfactionum mystici corporis, seu membrorum ex capitis dignitate & eius participatione dependeat; hoc ipso tamen quod fideles satisfacientes membra sunt vnius corporis, cuius Christus caput est, quasi connaturalem ac propriam habent vitam gratiæ & volorem operum, quibus Deo satisfaciunt, sicut membris humani corporis vita, virtus & operis modus, seu perfectio est naturalis & suo modo propria, licèt à capite sit dependens; igitur cùm satisfacit homo vt membrū Christi, dici potest ex proprijs quodammodo satisfacere; propria namque membri reputantur ea, quæ illi, vt membrum est, formaliter debita sunt, & quibus, dum membrum est carere, non potest. Fidelis enim sublata gratia & charitate, iam non est membrum corporis Christi viuum sed mortuum; igitur satisfactiones membri viuentis separari non possunt à valore, quem habent ex vnione cum capite per gratiam & charitatem. Prima verò consequentia probatur. Quia licèt membrorum Ecclesiæ satisfactiones per se sumptæ sint insufficientes, addita tamē eis Christi satisfactione, debiti valoris accipiunt complementum quo ad hoc, vt dici possint & sint de toto rigore iustitiæ. Additur autem membrorum satisfactionibus complementum ex satisfactione Christi hoc ipso, quod Deo satisfaciunt, vt Christi mystici capitis & suppositi corporis ecclesiæ membra per gratiam, charitatem & auxilium ex eo deriuatum: adeo vt sicut fideles, vt viua membra per gratiam & charitatem Christo capiti & corporis Ecclesiæ mystico supposito connectuntur, ita satisfactiones singulorum membrorum Christi satisfactioni copulentur: & quemadmodum gratia, quæ est animæ vita spiritualis hoc ipso, quod hominem, cui per Christum infunditur, efficit membrum Christi Deo gratissimi, constituit hominem illum, cui donatur, Deo gratiorem quàm si fuisset eidem sine Christo collata, ac proindè nec hominem illum constitueret membrū Christi, nec tamen est formaliter infinita, sed intra limites suos se cōtinens moralem quandam accipit dignitatem, & vim constituendi specialiter hominem Deo gratum, scilicet vt membrum Christi; ita membrorum satisfactiones ex hoc, quod Christi satisfactioni sunt coniunctæ, morale quoddam valoris accipiunt complementū: adeo vt pro culpa propria, quatenus est offensa Dei, quilibet homo vt Christi membrum vno contritionis actu Deo satisfaciat, non solùm ad æqualitatem, sed etiam ex toto rigore iustitiæ. Dixi autem pro culpa propria, quia nullus homo etiam vt membrum Christi secundùm legem Dei ordinariā pro culpa alterius hominis satisfacit. Dixi, quatenus est offensa Dei; quia pro culpa propria, quatenus est malum hominis gratiæ nitorem auferens & maculæ deformitatem inducens non satisfacit homo Deo per actum contritionis aut dilectionis, &c. sed tantùm, quatenus est offensa Dei. vt *supra Controuersia quinta* satis ostendimus. De pœna verò alia ratio est; nam pœna æterna peccato mortali debita in ipsa peccati remissione condonatur: pro pœna verò temporali satisfacit homo per singulos actus charitatis & pœnitētiæ quo ad aliquam ipsius pœnæ partem; ita vt quęlibet satisfactio pro illa, cui adæquatur, pœnæ parte Christi satisfactioni coniuncta modo iam dicto, sit de toto rigore iustitiæ. *Secunda verò Conseq. principalis entimematis prob.* Quia sicut se habet totum corpus Ecclesiæ mysticum constās ex omnibus suis membris cum capite Christo, seu quatenus sunt capiti Christo coniuncta, ad actus omnes satisfactionis pro offensis in Deū commissis, ita se habet vnumquodque eiusdem corporis membrum, vt Christo capiti coniunctum ad satisfactiones suas particulares pro suis offensis in Deum Commissis: ergò si totū simul Ecclesiæ corpus, vt capiti Christo coniunctum pro culpis omnibus satisfacit ex toto rigore iustitiæ, singula etiam eiusdem corporis membra pro singulis suis in Deum offensis Deo satisfacit ex toto rigore iustitiæ. Et Confirmatur ac explicatur vis eiusdem consequentiæ; quia non ita dicitur totum Ecclesiæ corpus pro culpis omnibus Deo satisfacere, quasi quodlibet membrū pro suis & alienis offensis satisfaciat; hoc enim falsum est, vt sæpè diximus, sed ita vt quodlibet pro suis tantùm satisfaciat; sumptis verò simul omnibus membrorum satisfactionibus, prout vniuersali Christi satisfactioni sunt coniunctæ, perfecti valoris ex ea complementum accipiant, vt dici verè possint ac sint satisfactiones pro peccatis omnibus ex toto rigore iustitiæ.

Cōclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCLVSIO. *Opus puri hominis ex gratia per Christum accepta procedens maiorem habet cæteris paribus efficaciam ad merendum, & valorem ad satisfaciendum, quam si ex gratia à Deo immediatè recepta procederet.* Hæc est contra Vasquezium, & patet ex dictis.

SECVNDA CONCL. *Si mystici corporis Ecclesiæ membra considerentur, quatenus simul cum Christo capite vnum integrum & perfectum Ecclesiæ corpus constituunt, dici verè & absolutè potest corpus hoc mysticum per suum caput satisfeciſſe de toto rigore iustitiæ & superabundasse, non ob eam tantum causam, quod Christus qui caput est mystici corporis, sufficienter, & de toto rigore iustitiæ pro membris satisfecerit, sed ea etiam ratione, quod membrorum satisfactiones Christi capitis satisfactioni coniunctæ, & vt vna completa satisfactio cum ea consideratæ perfectionem accipiunt; ita vt considerata satisfactione ex parte Christi cum extensione secundùm suæ virtutis participationem ad omnes & singulas membrorum satisfactiones à Christi satisfactione dependentes, dicatur Christus tam secundùm se, quam in membris suis satisfacere, mereri, ieiunare &c. consideratis verò membrorum satisfactionibus, vt satisfactioni Christi coniunctis, dicantur membra sufficienter & ex toto rigore iustitiæ satisfacere pro peccatis, quatenus sunt offensa Dei; sic enim quasi consequenter satisfactio Christi membris tribuitur, & ex parte membrorum se tenet, & cum eorum satisfactionibus computatur.* Ab hac conclusione sic explicata nescio aliquem ex Theologis dissentire.

TERTIA CONCL. *Si considerentur mystici corporis Ecclesiæ membra siuè corpus Ecclesiæ, vt capiti coniunctum, & vt ab eo vitam gratiæ participans, non tamen vt caput ipsum includens, sed tanquàm ab eo distinctum, dici potest, Christi satisfactiones & merita esse satisfactiones & merita membrorum seu corporis, non absolutè sed ratione perfectionis & complementi, quod habent ex vnione cum perfectissimis Christi meritis & satisfactione.*

VLTIMA CONCLVSIO. *Cuiuslibet puri hominis satisfactio Christi satisfactioni coniuncta modo, quo diximus in præcedente conclusione, verè dici potest, & est ex toto rigore iustitiæ.* Hæc est contra Suar. & Vasq. & patet ex dictis.

Argumenta & solutiones. Vasquez. Obijcit cõt. 1. cõcl.

CONTRA *primam concluſ.* argum. Vasq. *in 1. 2. diſp. 114. c. 7.* Aut nostrorum operum dignitas crescit ex eo, quod gratia nobis collata per Christum est maioris dignitatis, quam si à solo Deo sine Christo nobis donaretur, aut quia opera nostra reputantur esse opera Christi, quod simus membra illius, & veluti palmites ipsi tamquam viti per gratiam coniuncti, & ab eo influxum iugiter recipientes fructificemus: At neutrum horum potest esse causa, vt opera nostra verè crescant in dignitate & valore coram Deo; ergò. Probatur minor *quo ad priorem partem*: Quia tam habitualis gratia quàm auxilium gratiæ mouentis, quod datur per Christum, eiusdem naturæ omninò est, ac si daretur à Deo sine Christo: & quisquis oppositum asserit, nullo potest inniti solido fundamento. *Altera verò pars minoris probatur: Primò*: Quoniam opera dicuntur valorem, & dignitatem accipere à persona, à qua proximè procedũt, nõ autẽ à persona, à qua prouenit gratia & auxilium, quod ab ipsa confertur: At opera nostra non alia ratione tribuuntur Christo tanquam capiti mystico, nisi quia ab eo accipimus gratiam, iustitiam & auxilia omnia, nequaquam autem tanquàm elicienti illa; ergò non accipiunt dignitatem neque incrementum dignitatis à Christo, sed solùm à persona eliciente secundum dignitatem iustitiæ & sanctitatis. *Secũdò* probatur eadem pars: Quia alioquin sequeretur, opera nostrã esse infiniti voloris, eo quod dum procedunt à gratia Christi, ipsi Christo tanquàm capiti tribuuntur, ac proindè mereri nobis multò magis gloriam atque adeò infinitã, si infinita esse posset. *Tertiò* probatur: Quia sequeretur nos mereri alteri de condigno iustificationem. Probatur sequela; quia Christus condignè meruit hominibus remissionem peccatorum & iustificationem; quinimmò diceremur mereri de rigore iustitiæ, hoc est secundùm perfectam æqualitatem & abundè satis hæc omnia, sicut ipse Christus operibus ab ipso elicitis meruit. *Resp.* ex prima causa simpliciter, ex secunda verò, vt explicatur in secunda nostra conclusione, crescere nostrorum operum dignitatem seu valorem coram Deo. *Ad argumentum contra priorem* partem negatur consequentia; quamuis enim gratia & auxilium à Deo per Christum nobis influxum, sint eiusdem naturæ; modum tamen quendam dignitatis & augmentum suæ perfectionis acquirunt ex hoc ipso, quod à Christo capite deriuantur in membra, quatenus ei coniunguntur, vt per se primò gratiam habenti, merenti & satisfacienti; habere namque gratiam & charitatem vt membrum Christi, nonnullum dignitatis augmentum siuè modum adiungit supra gratiam simpliciter à Deo receptam; hoc enim quod est esse membrum Christi, modus quidam est seu dignitas addita gratiæ nobilissima, quæ præter communem effectum gratiæ, qui est reddere gratum Deo, habet etiam vt speciali modo Deo gratum reddat, nimirum vt Christi membrum: Certum est autem cæteris paribus eum esse Deo gratiorem, qui gratiam habet vt Christi membrum, quàm esset ille qui gratiam haberet à Deo non vt Christi membrum; quoniam esse membrum Christi Deo gratissimi ratio est particularis gratificandi, ac proindè qui sic habet gratiam, vim etiam habet ampliorem ad merendum & satisfaciendum. *Ad probationes verò secundæ partis* minoris dico, eas non procedere contra nos qui non asserimus opera nostra valorem accipere ex dignitate personæ Christi; quia scilicet reputentur esse opera Christi, sed dicimus opera nostra operibus Christi coniuncta ex eis accipere complementum & efficaciam ad merendum & satisfaciendum maiorem, quàm eis per se sumptis & à Christi meritis & satisfactione separatis conueniret, sicut eitiam de gratia diximus per Christum accepta.

Vasq obie. cõt. 2. cõcl.

CONTRA *secundam concl.* produci potest argumentum Vasq. quod obijcit Cai. & Hosio asserentibus, dici posse: mereor ego, iam non ego, meretur verò in me Christus, &c. Quia durior videtur modus ille loquendi. Nam licèt Christus operetur in nobis merita nostra, non sola nostra virtute, sed sua præcipuè; tamen cùm ipse etiam habeat meritum, & suis operibus proprijs mereri dicatur, cùm dicimus: meretur verò in me Christus, videmur nullum aliud meritum nobis concedere, quàm meritum elicitum à Christo, quasi per imputationem nobis applicetur, quod valde absurdum est. Cùm verò dicimus, Christum in nobis loqui eo quod moueat linguam nostram, nihil absurdi ex hoc modo loquendi sequi videtur; nam & Christus & Deus ipse in scriptura dicitur loqui per nos, tãquàm per interpretes, & ita loqui in nobis non denotat nos non habere loquelam, sed solùm significat, nos ad eam per Christum & per Deum excitari. *Respondetur* propositionem illam & similes acceptas in sensu nostræ secundæ conclusionis illis planissimo nullam præ se ferre duritiem, sed suauitatem catholicæ doctrinæ valde consonam; nam considerata satisfactione ex parte membri satisfacientis, dici potest, *merebr ego*; sed, quia satisfactio, vt ex hoc membro etiam gratia informato procedit, imperfecta est & complementum accipit ex satisfactione Christi perfectissima, quæ ab ipso elicita seu facta vt capite suæ virtutis extensione procedit in membra, quæ ad opera meritoria mouet & eis valorem confert, ideò congruè subditur, *iam non ego, meretur verò in me Christus*; vt scilicet totum præcipuè capiti meritum tribuatur, quod operi conuenit huius membri, non ex se sed ex motione capitis & meritorum eius valore deriuatum. Vel dicas, satisfactionẽ mẽbri cõpleri ex hoc, quod operatio membri est in Christo existens, tanquam in supposito.

Sol.

Suarez obijcit cont. cõc. vlt.

CONTRA *vltimam concl.* argumentatur Suarez. Quia nos vt Christi membra non possumus Deo satisfacere neque pro culpa mortali, neque pro culpa veniali; ergò. Antecedens *quo ad primam partem* probatur. Quia homo non satisfacit pro culpa mortali vt viuum Christi membrum; ergò non potest vllo modo satisfacere de condigno. *Quo ad alteram verò* partem probatur. Quia satisfactio

ctio pro veniali procedens ab homine iusto ex se non est de rigore iustitiæ; ergò neque per relationem ad Christum, & imputationem extrinsecam potest dici de rigore iustitiæ, neque habere maiorem condignitatem, quam habeat vt est à proximo operante: *Confir.* Si per illam mysticam coniunctionem propria perfectio satisfactionis Christi, quæ est rigor iustitiæ, membro Christi etiam viuo tribui potest, pari ratione posset dici, membrum Christi infinitè satisfacere, & vna gutta sanguinis Martyris vt mẽbri Christi posset dici infiniti valoris, sicut vna gutta sanguinis Christi, quod tamen concedere absurdissimum est. Sequela probatur; quia non est minus proprium Dei hominis de rigore iustitiæ satisfacere, quàm infinitè; ergò. *Resp.* falsum esse antecedens quo ad vtramque partem. Ad probationem *primæ partis* negatur antecedens; vt enim *in quinta Controu.* diximus, homo per gratiam à Deo receptam satisfacit pro culpa mortali, quatenus est offensa Dei. Ad proba. *secundæ partis* dico, nos non asserere satisfactionem puri hominis per extrinsecam imputationem esse de rigore iustitiæ, sed ob eam causam, quia nimirum purus homo satisfacit, vt membrum Christi, cui scilicet puro homini, vt est membrum Christi formaliter, gratia est quasi naturalis & propria, vt antè diximus Ad probationem ergò, omissa illa particula, per imputationem extrinsecam, negatur antecedens. *Ad confir.* negatur illatio. Ad eius probationem negatur assumptum, si sermo sit de Christo vt est caput contra membra illi per gratiam vnita distinctum; quia licèt satisfacere de toto rigore iustitiæ per se primò conueniat Christo, conuenit tamen etiam eius membris, vt eius formaliter membra sunt per se secundò, & ideò non est illi proprium quarto modo. Si verò sermo sit de Christo, prout dici mysticum suppositum mystici corporis, admisso antecedente, negatur consequentia; quia mysticum illud suppositum ratione capitis, idest satisfactione à capite elicita satisfacit infinitè, satisfactionibus verò membrorum, id est à membris elicitis finitè satisfacit, & tamen tàm suppositum ipsum, quàm eius membra vt illi coniuncta satisfaciunt de toto rigore iustitiæ.

Conf. *Sol.* *Ad Conf.*

A B C D

Octava Controversia.

An purus homo per exclusionem etiam auxilij diuinæ gratiæ de potentia Dei absoluta potuerit per opera ordinis naturalis satisfacere ex imperfecta iustitia pro culpa totius humani generis?

DIFFICVLTATEM hanc proponit Aluarez *in vltima sua disp. ad hunc articulum*, & breuiter eam ac eruditè definit, opinionem sequens negantem, vt magis probabilem. Eam itaque disputationem vide, si lubet; nihil enim ei nobis addendum occurrit.

E

Articvlvs III.

Vtrum si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

3. dist. 1. q. 1. a 3, et 4. d. 43. a. 2. q. 1. 2. Et ve

AD *tertium sic proceditur. Videtur, quod si homo non peccasset, nihilominus Deus incarnatus fuisset. Manente enim causa, manet effectus. Sed, sicut Augusti. dicit 13. de Trinit. alia multa sunt cogitanda in Christi Incarnatione præter absolutionem à peccato, de quibus dictum est. Ergo etiam si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.*

Præterea, Ad omnipotentiam diuinæ virtutis pertinet, vt opera sua perficiat, & se manifestet per aliquem infinitum effectum. Sed nulla pura creatura potest dici infinitus effectus, cùm sit finita per suam essentiam, In solo autem opere Incarnationis videtur præcipuè manifestari infinitus effectus diuinæ potentiæ (per quam in infinitum distantia coniungitur, inquantum factum est, quod homo esset Deus) in quo etiam opere maximè videtur perfici vniuersum, per hoc quòd vltima creatura, scilicet homo primo principio coniungitur, scilicet Deo. Ergo etiam si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

Præterea, Humana natura per peccatum non est facta capacior gratiæ. Sed post peccatum capax est gratiæ vnionis quæ est maxima gratia. Ergo si homo non peccasset, humana natura huius gratiæ capax fuisset. Neque Deus substraxisset humanæ naturæ bonum, cuius capax erat. Ergo si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

Præterea, Prædestinatio Dei est æterna. Sed dicitur Roman. 1. de Christo, Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. Ergo etiam ante peccatum necessarium erat filium Dei incarnari ad hoc, quòd Dei prædestinatio impleretur.

Præterea, Incarnationis mysterium est primo homini reuelatum: vt patet per hoc, quod dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. quod Apostolus dicit esse magnum sacramentum in Christo, & in Ecclesia: vt patet Ephes. 5. Sed homo non potuit esse præscius sui casus, eadem ratione qua nec Angelus: vt Augst. probat super Gen. ad litteram. Ergo etiam si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

Sed contra est, quod Augst. dicit in lib. de verbis Dominis, exponens illud, quod habetur Luc. 19. Venit filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat. Ergo si homo non peccasset, Filius hominis non venisset. Et 1. ad Timoth. primo, super illud verbum, Christus venit in hunc mundum, vt peccatores saluos faceret, dicit glossa, Nulla causa veniendi fuit Christo domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est medicinæ causa.

Respondeo dicendum, quod aliqui circa hoc diuersimodè opinantur. Quidam enim dicunt, quod etiamsi homo non peccasset, Dei filius incarnatus fuisset.

Alij verò contrarium asserunt. Quorum assertioni magis assentiendum videtur. Ea enim quæ ex sola Dei voluntate proueniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam diuina voluntas nobis innotescit. Vnde cùm in sacra Scriptura vbique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, conuenientius dicitur Incarnationis opus ordinatum esse à Deo in remedium contra peccatum, ita quòd peccato non existente Incarnatio non fuisset: quamuis potentia Dei ad hoc non limitetur, potuisset enim etiam peccato non existente Deus incarnari.

Ad primum ergo dicendum, quòd omnes aliæ causæ, quæ sunt assignatæ, pertinent ad remedium peccati. Si enim homo non peccasset, perfu-

ri q 29 art 4. ad 3. 2. Tim. 1. co. 1. si c. 17. to. 5. Ar præc.

Lib. 11. ca. 18. to. 3.

Ser. 36. & de ver. A- post ser. 8. to. 10.

Aug ser. 9. de ver. ap. tom. 10.

Ar. 1. & præ ced.

perfusus fuisset lumine diuinæ sapientiæ: & iustitiæ rectitudine perfectus à Deo ad omnia necessaria cognoscenda, & agenda. Sed quia homo deserto Deo, collapsus erat ad corporalia, conueniens fuit, vt Deus carne assumpta etiam per corporalia ei salutis remedium exhiberet. Vnde dicit August. super illud Ioan. Verbum caro factum est, Caro te obcæcauerat, caro te sanat: quoniam sic venit Christus, vt de carne carnis vitia extingueret.

Ad secundum dicendum, quòd in ipso modo productionis rerum ex nihilo diuina virtus infinita ostenditur. Ad perfectionem etiam vniuersi sufficit, quòd naturali modo creatura ordinetur in Deum sicut in finem, hoc autem excedit limites perfectionis naturæ, vt creatura vniatur Deo in persona.

Ad tertium dicendum, quòd duplex capacitas attendi potest in humana natura. Vna quidem secundum ordinem potentiæ naturalis, quæ à Deo semper impletur, qui dat vnicuique rei secundum suam capacitatem naturalem. Alia verò secundum ordinem diuinæ potentiæ, cui omnis creatura obedit ad nutum: & ad hoc pertinet ista capacitas. Non autem Deus omnem talem capacitatem naturæ implet, alioquin Deus non posset facere in creatura nisi quod facit: quod falsum est, vt in primo habitum est. Nihil autem p. p. q. 105. art. 6. *prohibet ad aliquid maius humanam naturam productam esse post peccatum: Deus enim permittit mala fieri, vt inde aliquid melius eliciat. Vnde dicitur Rom. 4. Vbi abundauit delictum, superabundauit, & gratia. Vnde & in benedictione cerei Paschalis dicitur, O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.*

Ad quartum dicendum, quòd prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum. Et ideò sicut Deus prædestinat salutem alicuius hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam prædestinauit opus Incarnationis in remedium humani peccati.

Ad quintum dicendum, quòd nihil prohibet alicui reuelari effectum, cui non reuelatur causa. Potuit igitur primo homini reuelari Incarnationis D. 67. *Mysterium, sine hoc quòd esset præscius sui casus. Non enim, quicunque cognoscit effectum, cognoscit, & causam.*

Ratio, & sensus quæsiti.

RATIONEM & sensum quæsiti diligenter explicant Valentia, Vasquez, Suarez, Pesantius & Aluarez. Nos ea, quæ necessaria sunt, dicemus *in exordio controuersiæ ad hunc articulum.*

Forma Textus.

RELATIS duabus oppositis Theologorum opinionibus, respondet quæsito duabus Conclusionibus. *Prima opinio* est eorum, qui dicunt, quòd etiam si homo non peccasset Dei filius Incarnatus fuisset. *Altera* opinio est contrarium asserentium.

PRIMA CONCLVSIO est. *Conuenientius dicitur, Incarnationis opus ordinatum esse à Deo in remedium contra peccatum, adeo vt peccato non existente, Incarnatio non fuisset.* Probatur. Ea quæ ex sola Dei voluntate proueniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere A non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur: Ac in sacra Scriptura vbique Incarnationis ratio ex peccato primi parentis assignatur; ergò conuenientius, &c. Minor patet. Maior probatur, quia per sacram Scripturam diuina voluntas nobis innotescit.

SECVNDA CONCLVSIO. *Potuisset etiam peccato non existente Deus incarnari.* Probatur: Quia Dei potentia non limitatur ad hoc, videlicet vt Incarnatio sit in remedium contra peccatum.

Expositio Textus.

B TRIA sunt in textu declaratione digna. *Primum* est prima Conclusio, cuius terminos & sensum explicat Cai. Cubians.

Secundum est illa maior propositio assumpta ad probationem dictæ Cõclusionis, videlicet *Ea, quæ ex sola Dei voluntate proueniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra scriptura traduntur.*

Videtur enim Sanct. Doct. doctrinam omnem à Deo reuelatam & in sacris voluminibus minimè descriptam excludere; quod fidei Catholicæ manifestè repugnat, quæ diuinas traditiones, vt certas veritates à Deo reuelatas amplectitur, & summorum Pontificum C ac vniuersalium Conciliorum definitiones in ijs, quæ ad fidem pertinent, vt certissima dogmata recipit à Deo reuelata. *Cui difficultati* respondet Suar. dicens, D. Th. nomine sacræ Scripturæ comprehendere omnem reuelationem, seu omnem fidei regulam infallibilem, siuè sit scripta siuè non scripta traditio, aut Ecclesiæ definitio. *Sed melius fortasse* dici posset, sacram scripturam hic à D. Th. sumi strictè pro reuelatione tantùm scripta: per ea verò, quæ ex sola Dei voluntate proueniunt, hic non intelligi res ipsas secundùm se, sed quo ad earum causas seu rationes volendi. Nam hic etiam de Incarnatione quæstio est, non tam ratione sui quam ratione causæ seu rationis volendi in ordine ad diuinam voluntatem eo modo, quo vnum bonum potest esse ratio volendi aliud bonum in ordine ad diuinam voluntatem, vt explicauimus *in 1. p. q. 19. a. 5. in prima Contr.* Reuelationes verò diuinæ nõ scriptæ siuè traditiones nõ versantur circa causas aut rationes, propter quas aliqua bona supernaturalia ad hominum salutem pertinentia sint à Deo volita, sed circa multa diuina mysteria nobis vtilissima aut etiam necessaria, quæ non erant omnibus indiscretè propalanda, quales sunt plures materiæ & formæ Sacramentorũ; plurimi ritus Ecclesiæ & multorum diuinæ scripturæ locorum intelligentia, cuius etiam totius diuinæ scripturæ verum & legitimum sensum E habet Ecclesia Catholica. Causæ verò seu rationes vnius, vel plurium à Deo volitorum vel ex reuelatione scripta petendæ sunt, aut per discursum ex ea colligendæ. Et hoc iudicio meo significare voluit S. D. in dictæ maiori propositione; sermones enim Doctorum iuxta materiam, de qua loquuntur, sunt interpretandi: iam autẽ diximus, hic sermonem esse de causa seu ratione, propter quam diuini Verbi Incarnatio sit à Deo volita. Suarezij responsio. Solutio melior.

Tertium est minor eiusdem arguméti propositio, videlicet, *In sacra scriptura vbique Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignatur.* Cuius ter-

ius terminos & sensum explicat Suar. Sed eius intelligentia colligitur ex responsione S. D. *ad primum argumentum*, ex qua diluitur etiam obiectio cuiusdam expositoris aduersus hanc minorem, qui sua solutione satis fauet priori sententiæ in textu relatæ.

Controversia Vnica De Veritate primæ Conclusionis.

An scilicet hominis peccato non existente, Deus Incarnatus fuisset?

Status Controuersiæ & opiniones Doctorum.

TRIBVS modis potest hæc Quæstio proponi. Primus est. *An peccato primi parentis non existente, potuisset Deus carnẽ assumere* & de hoc sensu nulla prorsus est apud Theologos dubitatio; certum est enim apud omnes, potuisse Deum nullo existente peccato carnem assumere, vt etiã affirmat S. D. secunda sua Concl. quia diuina potentia nõ limitatur ad hoc, vt Incarnatio sit in remedium peccati. Secundus modus est: *An si Adam non peccasset, futura nihilominus esset Incarnatio Verbi ex vi eiusdem omninò voluntatis siuè decreti, quod habuit Deus præuiso peccato Adæ futuro?* Tertius modus est: *An peccato primi hominis non existente, siuè nunquam futuro, Deus circa Incarnationem decretũ habuisset ab æterno diuersum ab eo, quod habuit ab æterno, præuiso peccato?* Et in vtroq; sensu, præcipuè tamen in secũdo proponitur & examinatur à viris doctissimis hæc Controuersia: cuius intentio est finem seu rationem Dominicę Incarnationis inquirere. Nam si finis seu ratio propria Incarnationis fuit redemptio humani generis à peccato, rectè sequitur hac ratione seu fine remoto, non fuisse futuram diuini verbi Incarnationem ex vi decreti, quod ab æterno fuit in Deo præuiso peccato: Si verò Deus ab æterno in eodem omninò decreto, formando rationem etiam aliam, vt per se sufficientem & totalem sibi proposuisset Incarnationis, puta perfectionẽ summam totius vniuersi, certum est, non existente peccato seu remoto fine & ratione illa, quæ est redemptio hominis à peccato, futuram tunc fuisse Diuini Verbi Incarnationem virtute eiusdem decreti ob aliam in eo comprehẽsam rationem per se sufficientem, nimirum Vniuersi perfectionem. Qua dubitatione soluta, statim alia consurgit, videlicet dato propriam Incarnationis rationem fuisse redemptionem à peccato, nec Deum aliam per se sufficientem rationem sibi proposuisse, *An si Adam non peccasset, siuè peccaturus non fuisset, Deus alio voluntatis suæ decreto Verbi Incarnationem ab æterno præordinasset, & in tempore compleuisset?*

1. Sententia.

PRIMA *sententia* est Scoti *in 3. d. 7. q. 3. & d. 19. q. vnica*: quam explicat & tuetur Rada *in sua tertia parte Controu. 5. a. 3.* Vbi præmissis quinque fundamentis, quatuor statuit Conclusiones. *Prima concl.* est. Voluntas Dei, qua voluit Incarnationem Verbi, præcessit præscientiam peccati Originalis ac permissionem eius. *Secunda cõcl.* Deus non prius voluit Christum venire passibilem & mortalẽ, quàm voluerit permittere peccatum, illudque viderit scientia visionis absoluta. *Tertia concl.* Christus Dominus non fuit prædestinatus, vt redemptor hominum ante permissionem ac propriam & absolutam præuisionem peccati, sed post. *Vltima eius concl.* est. Ex illa prima electione ac prædestinatione, qua ante peccati præuisionem Christus electus est ac præordinatus, venisset in Mundum nullo existente peccato. Eandem opinionem tenuerunt ante Scotum Alber. M. *in 3. d. 20. a. 4.* & Alex. Al. *in sua 3. p. q. 2. memb. 13.* Ex posterioribus verò Theologis plures pro hac sententia recensent Suar. *disp. 5.* & Vasq. *disp. 10. c. 2.* Quorum tamen in ea declaranda dissensionem notat Suar. *in allegata disp. s. 2.* vbi tres refert dicendi modos; quibus ipse quartum secundum propriam opinionem in progressu dictæ disputationis adiungit: quem nunc in eius explicanda sententia referemus. *Fundamentum huius opinionis* præcipuum illud est, quod *in allegata Controuersia* primo loco Rada constituit dicens, Scotum in multis suę doctrinæ locis signa multa in cognitione & volitione diuina posuisse: sed illa signa, si naturæ sint, non posuisse inter actus intelligendi diuini intellectus vel inter actus volendi; sed inter intellectum & voluntatem diuinam & actus eorũ. Deinde constituisse etiam signorum ordinem in cognitione diuina in ordine ad obiectum primarium & secundarium; sed hunc ordinem potius esse obiectorum inter se & ad cognitionem diuinam, quam ipsius cognitionis, quæ vnica est & simplicissima. Ex eo enim (inquit) quod secundum ordinem naturæ debitum prius intelligitur diuina essentia in se, quàm creatura, dicimus Deum per prius, saltem secundum rationẽ, intelligere diuinam essentiam quam Creaturas: quia illa prius obijcitur diuino intellectui, quã istæ. Docet etiam Scotus signorum prioritatem sumendam esse ex maiori approximatione ad vltimum finem propter maiorem dignitatem obiectorum; ita vt obiectum illud sit prius, cognitum aut volitum, quod ob sui maiorem perfectionem magis accedit ad illum.

2. Sententia.

SECVNDA *sententia* huic valdè proxima est Suar. *disp. 5.* vndecim ab eo dictis explicata. *Primum* est. Deus primaria intentione & prima voluntate, qua voluit se creaturis communicare, voluit mysterium Incarnationis & Christum Dominum Deum simul & hominem, vt esset caput & finis omnium diuinorum operum sub ipso Deo. *Secundum* est. Si inter se conferamus voluntatem Incarnationis & voluntatem præmittendi peccatum, simpliciter & in genere causæ finalis, fuit prior voluntas Incarnationis. *Tertium* est: Si loquamur propriè de præscientia futurorum, quæ est per scientiam visionis, qua videntur futura tanquam præsentia æternitati, voluntas Incarnationis antecessit præscientiam originalis peccati: si autem loquamur de scientia illa quasi conditionata, hæc præcessit voluntatem Incarnationis, & in hac scientia prius ratione, quam intelligamus Deum præsciuisse peccatum futurum, intelligimus præsciuisse prius illud se permissurum, & rationes omnes propter quas illud erat permissurus, & consequenter prę-sciuisse prius se voliturum Incarnationem per modum finis, ad quem erant cuncta referenda. *Quartum* est. Deus non prius voluit Christũ venire passibilẽ & mortalem, quã voluerit permittere peccatum, illudq; propria & absoluta scientia visionis præuiderit. *Quintũ* est: Ante permissionem ac propriam & absolutam præuisionem peccati Christus non fuit prædestinatus, vt redẽptor hominum, sed solùm post peccatũ permissum & præuisum. *Sextũ* est Prima ratio, quæ diuinam voluntatem inclinauit ad volendũ Incarnationem; fuit excellentia ipsius mysterij, & alia bona, quæ ipsum per se consequuntur absq; ne-

cessitate vel remedio peccati. *Septimum* est Prima ratio, propter quam Deus voluit Christi passionem & mortem seu Incarnationem in carne passibili, fuit nostra redemptio seu remedium peccati. *Octauum*: Deus non solùm modum Incarnationis in carne passibili, sed absolutè & simpliciter ipsam Incarnationem, prout facta est, voluit propter nostram redemptionem & in remedium peccati. *Nonum*. Etiam si homo cum talibus auxilijs & tali tentatione suæ libertati permissus nō esset peccaturus, nihilominus propositum Dei de Incarnatione facienda consistere posset, & habere suum effectum. *Decimū*. Supposita præscientia conditionali, quam Deus habuit de lapsu hominis futuro, si illum permitteret, verisimile est non potuisse habere Deum illud decretum Incarnationis, prout nunc illud habuit, quin consequenter habuerit voluntatem permittendi peccatum, vt illa via exequeretur mysterium perfectissimo quodam modo suæ intentioni accommodato, ad ostendendum, scilicet sua attributa præsertim verò sapientiam, bonitatem, iustitiam & misericordiam. *Vltimum dictum* est. Si supponamus, cessante peccato, Deū non fuisse incarnandum ex vi præsentis decreti, coniectari licet non habuisse tunc Deum aliam voluntatem, seu decretum de hoc mysterio faciendo; quicquid tamen dicatur, nihil refert, quia facta illa suppositione res est omninò incerta.

Tertia sent. S. Th diuersis modis dicendi diuersis explicata.

TERTIA *sententia* est S. Th. quam hic explicat sua prima concl. dicens. Conuenientius affirmari Incarnationis opus ordinatum esse à Deo in remedium cōtra peccatum, adeo vt peccato non existente Incarnatio non fuisset. Quāuis enim S. D. primam opinionem probabilem existimauerit, vt patet *in 3. d. 1. q. vnica, a. 1. concl. 1. & in resp. ad 1. 2. & 3. Scoti*, Caiet. Med. & Aluar. *super hoc art.* Ferrar. *in 4. cont. gent. c. 55.* Asturic. *in sua relectione de Christi gratia, q. 6.* Quos alij sequuntur extranei, ac præsertim Valentia *puncto 7.* Vasq. *disp. 10. c. 4.* Hierony. de la Rua *in sua octaua Contro. schol.* Mol. & Zumel. *1. p. q. 23. a. 4.* Alber. *Coroll. 1. ex 6. principio, q. 1.* & Pesan. *disp. 1.* Pro eadem sententia referunt hic Suar. Vasq. & alij multos ex antiquioribus Theologis, quos hic non est necesse recensere.

Verum in explicanda hac opinione, & eius fundamentis non conueniūt expositores S Thomæ, adeò vt sex, tacitis in maiori parte authorum nominibus, ab Albertino referantur explicandi modi, quibus confutatis ille septimum adiungit, vt proprium & omnium optimum. Sed præter hos omnes est etiam explicatio Asturicēsis, de qua dicemus inferius, & aliæ plures, ex quibus quædam certos, quædam autem incertos habent authores. Nos hic eos tantùm dicēdi modos referemus quos apud ipsos legimus authores.

Primus igitur est Capreoli, qui dicit quatuor. *Primum* est secundùm ordinem ex parte intellectus ratiocinantis intelligimus primò Deū voluisse gloriam suam & bonitatem suam manifestari generaliter in productione Vniuersi: secundò in illo Vniuerso voluisse aliquas esse creaturas intellectuales & rationales beatas: tertiò præuidisse casum aliquarum creaturarum rationalium quas prædestinauerat: quartò decreuisse lapsas reparare per Incarnationem filij sui: quintò voluisse animam Christi esse priorem cæteris in gratia & gloria, & omnes alias & beatitudinem & gratiam & redemptionem earum ordinari in gloriam animæ Christi. *Secundum* est Prædestinatio cęterorum electorum prior est prædestinatione animæ Christi secundùm rationem intelligendi, sed prædestinatio animæ Christi prior est prædestinatio ne aliorū secūdū viā perfectionis, & causalitatis executæ effectus tęporalis, vt prima prioritas sit quasi prioritas intēctionis, secūda verò sit quasi prioritas executionis. *Tertium*. Prædestinatio Christi potest dici finis nostræ prædestinationis ex parte effectus temporalis, quia scilicet salus nostra in Christi gloriam redundat, & etiam quia nos gratiæ & gloriæ Christi participationem & similitudinē desideramus: E contra verò nostra prædestinatio finis est prædestinationis Christi quo ad terminum temporalem; quia Deus prædestinauit opus Incarnationis Christi in remedium humani peccati, sicut sanitas dicitur finis medicinæ.

Secundus dicendi modus est Asturic. *in allegata q. fol. 683.* qui septem propositionibus comprehenditur. *Prima* est. Postquam Deus speculatrice cognitione nouit tres modos, quibus se poterat creaturis communicare, scilicet secundum rationem naturæ gratiæ & propriæ subsistentiæ siue personalitatis, suamque manifestare bonitatem & gloriam, continuò in primo practicæ rationis signo efficaci decreto absolutaque voluntate, tres illos communicationis modos acceptauit, decreuitque seipsum triplici illo possibili modo communicare: in quo decreto nullam prioritatem formaliter intelligimus inter tres illos communicationis modos, sed per modum vnius integræ & totalis communicationis voluit Deus tribus illis modis suam communicare bonitatem, suasque perfectiones manifestare, nulla facta comparatione & relatione vnius ordinis ad alium secundùm habitudinem medij ad finem, eo quod tres dicti modi communicationis sint inter se independentes, & quilibet eorum per se sit appetibilis absque alterius adiutorio & consortio. *Secunda propositio*. Quamuis in illo signo nulla reperiatur expressa, & formalis comparatio medij ad finem, fuit tamen ibi virtualis & implicita; quia Deus implicitè voluit vt tam ordo naturæ, quàm ordo gratiæ ipsi hypostaticæ vnioni deseruirent ad excellentem suæ bonitatis & gratiæ manifestationem efficiendam: in qua etiam voluntate continebatur implicitè voluntas permittendi defectus & peccata circa vtrunque ordinē naturæ & gratiæ, & in vtraq; natura intellectuali & rationali, quorū occasione Deus excellētiori modo ampliſſimos gratiæ suę thesauros diffunderet. Vbi citrà dubiū implicabatur ipsa originalis peccati in natura humana permissio, ita vt iam simultas esset consequentiæ ex vi illius primi decreti inter hypostaticā vnionē & originalis peccati remediū: quæ tamen simultas & consequentia non fuit in illo primo decreto nisi virtualiter inuoluta. *Tertia Prop.* In illo primo decreto non fuit in particulari definitum, quæ nā ex tribus Sāctæ Trinitatis personis assumptura esset creatam naturam, sed duntaxat, quòd Deus se ipsum cōmunicaret in vna persona vel in alia aut verò in

rò in tribus: item neque in indiuiduo, neque in
ſpecie determinata fuit natura creata, in qua
Deus erat ſeipſum communicaturus; ſed in illo
decreto tantum fuit diſpoſitum, quòd Deus ſibi
vniret naturam tali vnioni congruam, qualis eſt
natura angelica & humana, non verò præor-
dinatum fuit, quòd eſſet hæc in indiuiduo, aut
quòd eſſet humana vel Angelica, ſed hoc totum
diſponendum reſeruabatur in alio poſteriori ſi-
gno. *Quarta propoſitio:* Poſt primum illud vni-
uerſale decretum incepit Deus ab infimo ordi-
ne, qui erat aliorum fundamentum, decreuitque
totum ordinem creaturarum conſtituere ſecun-
dùm primariam ſaltem vniuerſi conſtitutio- B
nem, quæ præcipuè conſtat partibus, in
quibus primum locum tenent intellectuales &
rationales creaturæ; quo peracto ordine natu-
rali ad gratiæ ordinem tranſijt; & tunc de-
creuit ſingulis Angelis propria gratiæ ſupernа-
turalis conferre dona, iuxta proportionem
naturalis perfectionis Angeli cuiuſque: natu-
ram etiam humanam clariſſimis gratiæ donis
exornare ſtatuit in vno totius naturæ capite
primo parente Adamo; ſed iam tunc in huius
gratiæ ordinis diſpoſitione, & in homine & in
Angelo defectum reperit, vt dicitur Iob quarto:
Ecce qui ſeruiunt ei, &c. & ob id ceſſauit tractare
de ordine naturæ & gratiæ, & iam ad tertium C
& ſummum communicationis modum diuina
peruenit ſapientia; cœpitque Deus de ſui vtri-
uſque & naturæ & gratiæ operis reparatio-
ne cogitare; decreuitque Deus hunc vltimum
& maximum communicationis gradum duobus
inferioris communicationis gradibus accom-
modare, ad reparandum videlicet malum illud,
quod primi hominis peccatum ex Angelorum
culpa occaſionatum, per ſe primò in ordine gra-
tiæ, & ſecundariò in ordine naturæ intulerat,
elegitque naturam humanam aſſumendam,
quæ funditus erat per peccatum euerſa: &
quoniam, vt peccauit homo, quàm plurimæ D
Deo ſe congruentiæ obtulerunt, vt vnigenitus
Dei filius præ cæteris diuinis perſonis humanam
carnem aſſumeret: ideò in hoc poſtremo ſi-
gno prædeſtinatus eſt Chriſtus, non ſolùm
vt eſſet homo ſed vt eſſet hominum redemptor
& ægrotantis naturæ humanæ Medicus peri-
tiſſimus. *Quinta Poſitio.* Si decretum illud quod
in diuino intellectu primum eſſe diximus atten-
damus: Deus quidem veniret in mundum, ſi ho-
mo non peccaſſet propter cauſam iam expoſi-
tam, non tamen veniret propter remedium pec-
cati, ſi ſummo cum rigore dictionem *propter*
ſumamus; quia peccati remedium, medij qui-
dem rationem haberet ad perfectam manife-
ſtationem diuinæ gratiæ; non verò finis ratio-
nem indueret, cùm nullatenus fuerit præin- E
tentum, ſed duntaxat implicitum & inuolu-
tum in illa prima diuinæ voluntatis intentio-
ne, vt medium in perfectam intenti finis aſſecu-
tionem neceſſarium. *Sexta propoſ.* Ex vi ſolius
primi decreti infallibiliter quidem Deus veni-
ret in mundum; non verò eſſet infallibilis filij
Dei aduentus. *Vltima propoſ.* Non ſolùm eſt con-
cedendum, quod filius Dei non aſſumeret huma-
nitatem, niſi originis extaret peccatum, verùm
abſolutè & omni cum ſermonis rigore, concedi
debet, filium Dei in mundum veniſſe propter
remedium peccati, & ex amore quo Deus huma-
manum dilexit genus.

Tertius dicendi modus eſt Vaſq. qui *in 1. p. diſput.*
82. c. 6. dicit quatuor. *Primum* eſt comparando
formam ad ſubiectum, in quo recipitur, & quod A ordinatur ad illam, neutrum attingitur per a-
ctum Dei prius altero: quia vtrumque attingi-
tur eodem actu, exempli gratia, Deus non prius
intendit gloriam Petri quàm Petrum, neq; è cō-
tra; ſed eodem actu vult vtrum, gloriam vt con-
cupitam Petro & Petrum, vt cui gloriam concu-
piſcit, & Deus nunquam voluit Petrum niſi pro-
pter gloriam, ac proinde nunquam voluit Pe-
trum ante volitionem gloriæ: quia Petrus non
tam habet rationem medij reſpectu gloriæ,
quàm rationem finis, cui concupiſcitur gloria, vt
finis quo. *Secundum* eſt. Deus non vult efficaci-
ter ſinem, ad quem ordinantur merita ante præ-
uiſionem & volitionem meritorum; quoniam id, B
quod datur propter merita, non datur abſolutè
ſine reſpectu ad illa; igitur, cùm in tempore da-
tur ex meritis, fuit ab æterno voluntas dandi ex
meritis præuiſis & volitis; alioquin non daretur
ex vi talis voluntatis. *Tertium* eſt: effectus liber
ad quem, vt ad finem ordinatur cauſa, non prius
efficaciter eſt intentus à Deo, ſed inefficaciter
exem. grat. vocat Deus Petrum vt conſentiat &
iuſtificetur: conſenſus & iuſtificatio Petri eſt
prius volita à Deo voluntate antecedenti & in-
efficaci, quàm voluntate efficaci, alias Petrus
ſemper conſentiret. *Quartum eſt:* effectus cauſæ
materialis prius eſt efficaciter volitus à Deo C
quàm ipſa cauſa: nam prius vult Deus frumen-
tum quàm pluuiam; quoniam hanc vult vt illius
cauſam naturalem. Hic autem *diſp. 10. cap. 6.* poſt-
quam diſtinxit finem in finem cuius gratia, &
in finem cui, & rurſus finem cuius gratia in
finem qui & in finem quo, qui duo ſimul acce-
pti conſtituunt (inquit) vnum integrum finem
cuius gratia, duo dicit. *Primum eſt:* ordo in diuina
prædeſtinatione ſic conſtituendus eſt iuxta
ſententiam D. S. Vt prius decreuerit Deus
creare hominem ſanctum & rectum, vt ſi vel-
let meritis ſuis conſequeretur gloriam, dein-
de permiſerit ipſum labi in peccatum, præuiſo
verò peccato permanſeritDeus in voluntate ſim-
plici circa ſalutem hominum: ad hunc autem fi-
nem elegerit optimum medium, vt ſcilicet ho-
mini ſalutem afferret præmiſſa ſatisfactione cō-
digna: cumque eam præſtare non poſſet purus
homo, quartò decreuit Deus mittere filium ſuu-
um in carne mortali, qui meritis ſuis ſalutem
nobis & gratiam impetraret; ideò autem
(inquit) non concedimus Deo in tertio inſtanti
voluntatem efficacem circa ſalutem hominum;
quia id quod conferendum eſt ex meritis, nun-
quam præfinitur efficaciter conferendum, niſi
præuiſis meritis. *Secundum* eſt: Iuxta hunc or-
dinem, finis cuius gratia Incarnationis Dei fuit
redemptio & ſalus noſtra, non è contra: finis au-
tem cui fuit homo lapſus, non Chriſtus aut
Verbum: Et quia voluit Deus, vt etiam ipſe E
Chriſtus ex redemptione noſtra & meritis ſuis
conſequeretur exaltationem nominis & lau-
dem ſeu gloriam; ideò rurſus finis noſtræ iuſtifi-
cationis, dum actu iuſtificamur, vel gratiam re-
cipimus, eſt gloria Chriſti; non dixi (inquit)
incarnationem ſed gloriam: quia cùm Incar-
natio fuerit facta propter redemptionem vt fi-
nem, non poteſt rectè Incarnatio finis redem-
ptionis conſtitui, ſed gloria Chriſti, & hoc mo-
do (inquit) etiam ipſe Chriſtus, cui gloria defer-
tur ex noſtra iuſtificatione, dicitur finis cui:
quia gloria inde proueniens eſt bona ipſi Chri-
ſto. Addit autem gloriam Chriſti non fuiſſe fi-
nem motiuum redemptionis noſtræ, ſicut fuit
gloria Dei: quia ſic non potuiſſet incarnatio fie-
ri propter noſtram redemptionem, ſed fuiſſe

finem impulsiuum; quia gloria fuit à Deo præparata, & proposita Christo Domino in præmium meritorum, quibus meruit nobis iustificationem.

Quartus dicendi modus est Albertini *loco supra notato puncto 4.pag.326.* Vbi præmissa distinctione causæ finalis in eam, quæ non dependet physicè, vel moraliter à medio particulari, & in eam quæ altero dictorum modorum dependens est à medio particulari: dicit tria. *Primum* est Deus voluit exaltationem Christi tanquam finem secundo modo, scilicet non solitariè sed dependenter à remedio peccati, tanquam à medio, quod ex suppositione est à Deo volitum, vt vnicum medium ad illum finem ex simplici complacentia, quam habet Deus circa medium, quod est remedium peccati. *Secundum* est: Exaltatio Christi est prior natura in genere causa finalis, quam sit remedium peccati: remedium verò peccati est prius in genere causæ mouentis; Incarnatio verò potest dici prior in genere causæ materialis; quia non poterat esse exaltatio Christi sine incarnatione; at verò remedium peccati cõparatum ad incarnationem est prius natura in genere causæ finalis, quàm sit ipsa Incarnatio; quia est prius volitum: creatio autem Adami, & vniuersi præsupponitur Incarnationi Christi in genere causæ materialis: potuit ergò Deus velle decreto absoluto & infallibili in priori signo naturæ exaltationem Christi, & in secundo remedium peccati, & in tertio Incarnationem tanquam medium ad remedium peccati, & in quarto creationem vniuersi, & gratiam ipsius Adami. *Tertium* est: Exaltatio Christi fuit per se simpliciter & magis appetibilis à Deo, quàm remedium peccati; quia habet rationem finis, & bonitas ipsius redundat aliquo modo in ipsum remedium peccati, non tamen fuit per se solitariè appetibilis.

Quintus dicendi modus est Valentiæ *puncto septimo*, qui duo dicit. *Primum* est: Christus vt author siue causa omnis gratiæ, tam Angelorum quàm hominum prius fuit prædestinatus, quàm præsciretur peccatum vllum; præscientia verò peccati fuit prior quàm prædestinatio Christi, quatenus peccatum est quædam dispositio siue quoddam præsuppositum ad aduentum Christi, tamquam morbus videlicet qui præsupponitur ad medicinam & ad aduentum Medici; vt enim (inquit) res ipsę diuersa ratione sunt sibi inuicem priores & posteriores, ita etiam actus diuini, vt ad illas tanquam ad obiecta referuntur, priores & posteriores sunt sibi inuicem secundùm intelligentiam nostram; quod autem est prius altero non omnibus modis sed vno quodam, & alio posterius eodem, id minimè potest esse sine altero; & ideò si non fuissent futura peccata, neque Christus venisset. *Secundum* est: In proposito idem est ordo intentionis & executionis; quocirca cùm in executione non nisi propter peccatum Incarnatio sit facta, confitendum est illam in intentione quoque diuina fuisse posteriorem, neque fuisse per vllum actum à Deo præordinatam absolutè, & independenter à peccato.

Sextus modus dicendi est Molinæ *1.p.q.23. art.4. disp.1.memb.7.* Vbi reiecta sententia Scoti & interpretatione Caietani *super hoc art.* dicit secundùm D. Thomam, Deum antè prædestinationem Christi & Sanctorum per scientiam mediam inter liberam & merè naturalem, quæ est scientia conditionata, cognouisse futura omnia contingentia, etiam ea quæ originem erant habitura ex ordine prædestinationis & gratiæ atque vnionis hypostaticè, non tamen cognouisse quid futurum esset absolutè. Deinde vnico simplicissimo actu suæ voluntatis ita elegisse simul totum eum ordinem, qui specialis naturę & gratiæ & vnionis hypostaticæ ordines complectitur, & à constitutione mundi vsque ad finem seculi futurus est, vt in eo admirabili sapientia naturæ, gratiæ atque vnionis hypostaticæ ordines inter se miro quodam modo intexeret, eorumque nonnullos effectus in se mutuo ordinaret: atque ita propter plenissimam deliberationem cognitionemve, qua futura omnia præuidebat, meditandus est elegisse simul totum ordinem illum partesque illius intexuisse, vt ex præuisione lapsus generis humani tanquam ex conditione sine qua non ita fieret, ortum habuerit vt (quod ad homines attinet) diuersum ordinem gratiæ ex vnione hypostatica & Christo resultantem loco eius ordinis gratiæ, qui si Adam non peccasset fuisset futurus, instituerit, & cum reliquis ordinibus complicauerit.

Septimus dicendi modus est Zumelli *super hoc ar. 4.disp. 4.* Qui postquam Caietani sententiam impugnauit, hunc statuit ordinem in cognitione diuina & prædestinatione. *Primò* (inquit) Deus cognouit & dilexit seipsum absolutè cognoscendo per scientiam simplicis intelligentiæ infinitas creaturas possibiles; & infinitos modos quibus potuit seipsos communicare. *Secundò* voluit efficaciter, atque adeò per scientiam practicam approbationis cognouit & decreuit fore istud vniuersum cum omnibus speciebus rerum, tam spiritualium quàm corporalium cum illa dispositione & perfectione, tam naturali, quàm supernaturali, quà conditum est vniuersum à principio, quando tam Angelus quàm homo creatus est in gratia: *in tertio signo* rationis vidit Deus peccatum Angeli & hominis, ac per consequens vidit immutatum ordinem illum, quem à principio constituerat, & vniuersam naturam humanam infectam in peccato originali, & obnoxiam multis alijs peccatis quæ debebat incurrere ex suppositione illius primi peccati, nisi Deus prouideret de remedio: Vnde *in quarto signo* rationis decreuit Deus mittere filium suum, vt redimeret nos à peccatis: & in hac prædefinitione suæ voluntatis diuinæ cognouit Christum futurum: rursus *in quinto signo* prædestinauit quosdam homines ad gloriam efficaciter consequendam propter Christum, tanquam propter causam finalem.

Octauus dicendi modus est Hieronymi della Rua, qui *in sua 8. Controuersia scholastica* tria dicit. *Primum* est: secundùm ordinem executionis seu in genere causæ efficientis primò Deus creauit cœlum & terram & reliqua corpora simplicia, herbam, arbores & animalia, & tandem hominem in gratia & iustitia originali. Secundò permisit hominem peccare. Tertiò decreuit ab æterno mittere filium in Redẽptorem, vt ex toto rigore iustitiæ Deo pro peccato satisfaceret. Vltimò ex hoc, quòd diuini Verbi incarnatione Deus se creaturæ summo modo communicauit, magis manifestata est diuina bonitas, & sapientia. *Secundum est:* secundùm ordinem intentionis, qui contrarius est ordini executionis, primò voluit Deus suæ bonitatis manifestationem, vt finem: deinde propter ipsam voluit diuini Verbi Incarnationem. Tertiò voluit creaturas aliquas intellectuales per Christi merita conformes fieri imaginis filij sui, certumque earum numerum in æternum secum regnare constituit virtutibus, auxilijs, multisque supernaturalibus gratijs & do-

& donis tributis: Deinde quartò permittere voluit, vt homines in primis illis duobus hominibus contenti, & in iustitia originali creati dæmonis suggestione ruerent & in peccatum laberentur. Item quinto animantia omnia cum reliquis simplicibus corporibus creare cõstituit; ex quibus omnibus vniuersum hoc integrum & ornatum resultare voluit. *Tertium est*: licèt prædestinatio Christi & eius incarnatio prius sit à Deo volita, quam prædestinatio & iustificatio cuiuscunque creaturæ intellectualis; & prius etiam quàm permissio peccati: tamen non est volita sine ordine ad omnia illa.

Caiet. *Vltimus dicendi modus* est Caietani *super hoc articulo*, quem simul cum præcedenti vt omnium optimum explicandum ac defendendum elegimus.

De Proposita difficultate multa diximus *in 1.p.qu.23.art.1.controu.2.* quorum quædam hic supponenda sunt; quædam verò latius explicanda: Vt autem distinctè æquè ac ordinatè procedamus.

Resolutio. Præmissis 4 catholicis veritatibus, proponuntur 7. distinctiones, ex quibus quædã veritatum circa prioritatem & modos prioris & posterioris, quædã actus circa finem, & eius causalitatem.

Praemittenda Primo quædam sunt vt fide certa, & quædam alia definiendæ Controuersiæ maximè necessaria; vt deinceps singula quæstionis puncta diligenter examinemus, ac tandem sententiam nostram in hac vasta difficillimaque Controuersia propositis conclusionibus proferamus. *Supponit* igitur hæc Controu. *primò* vt fidei dogma certissimum Dei filium ad reparandam naturam humanam peccato collapsam, & hominem à seruitute peccati redimendum, ac pro eius offensis in Deum commissis Deo ad æqualitatem iustitiæ satisfaciendum, nostram sibi naturam in vnitate personæ copulasse: quod diuinæ Scripturæ de Saluatoris aduentu loquentes vbique testantur. Lucæ 19. *Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.* Ioannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant redimeret.* Et primæ ad Timoth. primo. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Et idem alibi sæpè diuinæ litteræ, tam in veteri quàm in nouo testamento significant. *Secundò supponit* hæc quæstio, vt fide certum Christum Dominum nobis à Deo datum fuisse, non solum in redemptorem cui fidamus, sed etiam doctorem quem audiamus, & legislatorem cui obediamus, & in exemplar cui conformemur, vt sancta Trident. Synodus definiuit *sess.6.can.21.* Et Deus ipse *Matth.17. Luc.9. & secundâ Petri primo*, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite.* & Ioann. 18. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni, vt testimonium perhibeam veritati.* & cap. 13. *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita, & vos faciatis.* & ad Tit. secundo, *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem. & secularia desideria sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, &c.*

Luc.19. Ioan.3. ad Gal.4. 1.Tim.1. Trid Syn. Matth.17. Luc.9. 1.Pet.1. Ioan.18.13. Ad Tit.2.

Tertiò supponendum est, per Incarnationis mysterium, non humanam tantùm naturam, quàm ad suæ personæ Deus vnitatem assumpsit, sed totum etiam vniuersum perfectionis ac bonitatis maximum, & inexcogitabile complementum accepisse Deo seipsum in hoc mysterio summo modo possibili communicante, vt *in art.1.* erudite notauit Caiet. ac proinde.

Quartò supponendum est, mysterium hoc factum etiam à Deo fuisse ad præcipuas Dei perfectiones, scilicet bonitatem, potentiam, iustitiam & misericordiam nobis manifestandam, & ad Dei gloriam in hominum, & Angelorum mentibus amplificandam, *vt in articulo primo, & secundo* docuit S. Thomas. Quid autem sit de quo dubitatur, iam supra diximus in exordio Controuersiæ.

Secundo, *præmittenda sunt quædam distinctiones* ex Aristot. D. Thom. Capreol. Caiet. & alijs, quæ definiendæ veritati & diluendis aduersariorum obiectis sunt aptissimæ ac maximè necessariæ. *Prima distinctio* est: Duplex est ordo siue prioritas; altera secundùm intentionem; & altera secundùm executionem; Et vtraque prioritas seu ordo in quadam causalitate consistit aut ex ea dependet; ordo siquidem intentionis secundũ genus causę finalis attenditur; ordo verò executionis secundùm genus causæ materialis seu dispositiuæ, aut etiam effectiuè consideratur. Cùm autem progressus siue tendentię secundùm dictorum ordinum causalitates sint oppositæ, consequens fit vt quanto aliqua in vno ordine fuerint priora tanto sint in alio ordine posteriora: cùm autem finis sit causarum omnium nobilissima, præcipuus etiam erit ordo prioritatis, qui secundùm hoc genus causæ consideratur, sed illud erit absolutè prius, quod secundùm plures causalitatis seu prioritatis modos ac ordines antecedet. Hos ordines ex diuina Scriptura declarauimus in rebus à Deo creatis *in allegata Contr.* quos etiam S. D. expressit *in 1.2.q.1.a.1.* dicens: *In finibus autem inuenitur duplex ordo, scilicet ordo intentionis, & ordo executionis, & in vtroque ordine oportet esse aliquid primum: id enim, quod est primum in ordine intentionis est quasi principium mouens appetitum: Vnde subtracto principio appetitus à nullo moueretur: id autem, quod est principium in executione, est vnde incipit operatio: Vnde isto principio subtracto nullus inciperet aliquid operari: principiũ autem intentionis est vltimus finis: principium autem executionis est primum eorum, quæ sunt ad finem.* Hæc ibi S. D. Cùm autem ait in finibus duplicem esse causalitatem, nihil aliud intendit quàm ex fine duplicem esse causalitatem: alteram immediatè scilicet intentionis: & alteram mediatè scilicet executionis; hanc enim exercet medio agente ab ipso fine moto.

Ordo duplex.

Secunda distinctio. Finis ad duo potest comparari, sc. ad media per quæ acquirendus est, & ad subiectum siue materiam, cui est acquirendus; si medijs comparetur prior est eis simpliciter, id est, omnibus modis secundùm ordinem intentionis; quia media respectu finis, prout est in intentione, rationem tantùm habent effectus, non autem causæ: Si verò conferatur subiecto prior quidem illo est secundùm ordinem intentionis in suo genere, nimirum causæ finalis; sed eo posterior est secundùm eundem ordinem intentionis in alio genere causæ, sc. materialis; quia subiectum formaliter quatenus subiectum est, materialis est causa, à qua dependet finis, non solùm vt assequendus, sed etiam vt intendendus ab operante: quia finem agens non intendit, nisi per ordinem ad subiectum; atque ideò finis per se dependet non solùm à subiecti præscientia, sed etiã ab eius amore: ideò namque intendit aliquis alicui bonum aliquod supererogationis exhibere; quia diligit eum, cui bonum illud intendit. Quod idem dicendum est de partibus, tam essentialibus quàm integralibus suo toti, qui finis agentis est præcipuus, comparatis, vt explicauimus *in allegata Contr.* Ad cuius euidentiam sit:

Finis cõparatio ad diuersa

Ter-

Finis duplex, cuius gratia, & cui.

Tertia distinctio. Finis duplex est, sc. *cuius gratia, & cui*; quibus & tertium addemus infra, scilicet *finem quo*: hanc ponit S.D. *in 2. dist. 1. q. 2. a. 3.* dicens: *Finis alicuius rei dicitur dupliciter; vel in quem tendit natura aliter, vel ex eo, quod ad ipsum sicut ad finem ordinari dicitur, vt vtilitatem aliquam consequatur secundum intentionem, & ordinem agentis: vtroque autem modo homo finis creaturarum dicitur, & primus ex parte operantis, sed secundus ex parte agentis: Differenter tamen homo dicitur finis, & diuina bonitas; quia ex parte agentis diuina bonitas est finis rerum sicut vltimum intentum ab agente; sed natura humana non est intenta à Deo, quasi mouens voluntatem eius, sed sicut ad cuius vtilitatem est ordinatus effectus eius.* Et ibidem ad secundum ait: *Homo non est finis omnis creaturæ, sicut vltimò intentum ab omni creatura; sed sicut illud, cui prouenit vtilitas ex omni creatura.* Qua distinctione vtitur etiam Capreolus *in 3. dist. 1. q. vnica. a. 3. in resp. ad 3. Scoti*, & Asturicensis *in sua Relectione de Christi gratia, qu. 6. dub. 1. pag. 631.* & videtur colligi ex Aristotele *in 2. de Anima tex. 35.* Vbi Philosophus ita finem distinguit. *Id cuius causa fit aliquid dupliciter est; hic quidem cuius, illud verò quo.* Quæ verba exponens S.D. ait: *Intelligendum est, quod id, cuius causa agitur, dicitur dupliciter: Vno modo id, cuius causa agitur directè, sicut sanitatis causa agit medicus: Alio modo sicut quo; quod potest intelligi dupliciter: Vno modo, vt intelligamus, quod finis dicitur, & subiectum habens id, cuius causa agitur: Vt si dicamus, quod finis medicinæ est, non tantum sanitas, sed etiam corpus habens sanitatem: Alio modo, vt dicamus, quod finis est, non tantum principale intentum, sed etiã illud, quod illud adipiscimur. Vt si dicamus, quod finis medicinæ est calefacere corpus; quia à calore habetur æqualitas complexionis, quæ est sanitas.* Vbi S.D. significat id, *cuius gratia*, dupliciter sumi: Vno modo communiter prout extenditur ad oẽm modum seu rationem finis, & sic diuiditur in tria membra, siue modos: *primus* est id, cuius causa agitur directè. *Secundus* est subiectum, cui finis siue bonum appetitur, & acquiritur. *Tertius* est adeptio; Solet autem communiter S.D. nomine finis *cuius* intelligere primum modum, quem etiam appellant finem qui siue quod: Nomine verò finis quo, tertium: vt patet in *1.2. q. 1. a. 8.* Vbi sic loquitur: *Finis dupliciter dicitur, scilicet cuius, & quo, id est ipsa res, in qua ratio boni inuenitur, & vsus, siue adeptio illius rei; sicut si dicamus, quod motus corporis grauis finis est, vel locus inferior, vt res, vel hoc, quod est esse in loco inferiori; vt vsus, vel finis auari est vel pecunia, vt res, vel possessio pecuniæ, vt vsus*; Quam distinctionem alibi sæpè repetit S.D. Sicut autem ex primo & tertio modo finis integratur vnum intentionis obiectum, ita ex primo & tertio, immò tres omnes simul accepti modi vnum integrum & completum constituunt intentionis obiectum: Vnico enim actu pecuniam intendit auarus & eius acquisitionem & suam vtilitatem, vt vnum integrum bonum & obiectum, quem actum & obiectum his verbis significamus: auarus intendit acquirere sibi pecuniam.

Causa motiua & impulsiua.

Quarta distinctio: Causa quæ per modum finis liberum agens ad operandum inducit, duplex est, scilicet motiua & impulsiua. Illa propriè dicitur causa motiua, quæ vt ab agente apprehensa sic eius voluntatem mouet ad operandum, vt ea remota non operetur. *Impulsiua* verò, quæ dicitur etiam motiua secundùm quid, est quæ apprehensa sic mouet operantem vt maiori ac propensiori voluntatis affectu prorumpat in opus, non tamen ita vt hac amota causa tollatur agentis operatio, sed ea tantum auferatur operationis conditio, quæ in eam ex hac impulsiua causa deriuatur; quia scilicet agens non ita promptè vel intensè producet operationem. Distinctionem hanc illustrabit exemplum: Erit Medicus cum amico suo mercatore negotium habens, propter quod iam eum conuenire disposuit, & dum iter aggreditur audit mercatoris filium infirmum in lecto decumbere; & ideò promptiori voluntate ac maiori celeritate mercatorem adit, cum eo negotia tractat, filium eius visitat & pro eius infirmitate curanda præparat medicinam. In hoc exemplo perspicuè satis apparet in medico causa duplex accessus; altera motiua, & hæc est negotium cum mercatore gerendum, quo remoto mercatorem non conuenisset, nec filium eius curasset nisi vocatus: Altera impulsiua, scilicet curatio filij, propter quam libentius ac celerius iuit, qui tñ priori causa sublata non iuisset. Sed rursus distinguenda est causa motiua; quædam enim est adæquata seu totalis & sufficiens; quædam autem inadæquata seu partialis & per se sumpta minimè sufficiens. Illa propriè dicitur causa motiua, hæc verò propriè dicitur impulsiua, si tamen agens alteram habeat motiuam sufficientem. Si verò duas habeat motiuas causas per se sufficientes, neutra earum erit impulsiua, sed vtraque seorsum erit motiua: sicut si medicus ad duos seorsum infirmos in eadem domo vel oppido decumbentes curandos sit vocatus, duas habet itineris causas totales & sufficientes, adeò vt hac vel illa remota; nihilominus Medicus ad domum vel oppidum pro altero ex illis infirmis curando proficisceretur: non enim absurdum est, liberum agens ex duobus æquè sufficientibus & totalibus causis motuis ad operãdum inclinari: sunt enim hę causę morales, quas pręuio rationis iudicio potest sibi pro libito voluntas humana præstituere. Nec alterius causæ motiuæ sufficientia tollitur, eo quod altera sit ea principalior: satis est enim, vt intentione sua sit agens ita dispositum, vt altera earum amota, siue quæ minus siue quæ magis est principalis, sit operaturus.

Duæ causæ totales vnum effectum.

Ad cuius euidentiam *videnda primò sunt ea*, quæ diximus *1.p qu. 52. ar. 3.* de causa totali & partiali. *Secundò notandum* est, quod ibi diximus, duas scilicet causas efficientes eiusdem ordinis posse ad eundem effectum numero, vt totales concurrere, non diuisim siue per modum duarum sed per modum vnius causæ superexcedentis in duplo, vel amplius sua actiuitate potentiam passiuam, cui fuerint applicatæ, si tamen diuina potentia virtus vtriusque causæ coerceatur, ne vna alteram impediat ab agendo. *Tertiò notandum est*, longè diuersam esse rationem de duabus causis efficientibus, & de duobus finibus non naturalibus, sed quos sibi liberũ agens pro sua voluntate præstituit; nam illæ physica virtute concurrunt ad productionẽ effectus; fines verò, quos liberè sibi præstituit agens, moraliter solùm mouendo concurrunt, & eo modo quo ex agentis intentione fuere prę fixi: Quemadmodum autem Deus potest sua virtute plures causas efficientes eiusdem ordinis totales eidem applicare materiæ, & earum coercere virtutes, ne se inuicem impediãt in agendo, atque ita facere, vt vnus effectus numero à pluribus & singulis illis causis vt totalibus æquè dependeat; sic potest creata voluntas plures sibi totales alicuius operationis fines præstituere, & omnes & singulos vt totales intendere, ac velle tam propter singulos, quàm propter omnes simul acceptos vt rationes finalizandi sufficientes operari, ita vt quouis eorum remoto, & vno tantùm ex eis remanente sequatur opera-

peratio, sed tamen intendendo plures, quo ad rationes finalizandi eos intendet per modum vnius superexcedentis, &c. sicut enim eos sibi pro sua voluntate præfigit, ita modum & conditionem illis accommodat quàm voluerit. *Quartò considerandum est* dictas causas finales totales in eo casu dici posse concurrere vt plures formaliter, quo ad rationes finalizandi & vt vnam modaliter; quia per modum vnius superexcedentis &c. vel etiam dici poterunt concurrere, vt plures virtualiter & vna formaliter; quia nimirum quemlibet illorum finium sic intendit agens, vt quocumque eorum remoto nihilominus esset operaturus, quamuis actu nunc eos omnes simul vt vnum intendat; & per hæc dilui facilè possunt argumenta Vasquezij contra Suarezium, *disp. 10. c. 8.*

Prius dupliciter.

Quinta distinctio. Prius dicitur aliquid dupliciter, scilicet à quo non conuertitur subsistendi consequentia, & prius causalitate. Distinctio hęc est Arist. *in post prædicamentis, cap. 2.* Vbi quinque statuit modos prioris, quorum secundum sic explicat: *Secundò autem, quod non conuertitur secundùm subsistendi consequentiam, vt vnum duobus prius est; duobus enim existentibus mox consequens est vnum esse; vno autem existente non est necessarium duo esse, idcircò non conuertitur ab vno consequentia, vt sit reliquum; prius autem illud esse, à quo non conuertitur in eo, quod est esse consequentia:* quintum autem sic proponit: *Videtur autem præter eos, qui dicti sunt alter esse prioris modus; eorum enim, quæ conuertuntur secundùm essentiæ consequentiam, quod alteri quomodolibet causa est, dignè prius natura videtur.* Hunc modum declarat ibi Philosophus exemplo rei, quæ secundùm subsistendi consequętiam conuertitur cum veritate orationis, cuius res est causa. Sed considerandum est secundùm Arist. *in secundo Physic. & in quinto Metap.* causas posse esse sibi inuicem causas; atque ideò quod natura prius est altero in vno genere causæ, nonnunquam esse natura posterius eo in alio genere causæ; sicut vltimæ dispositiones ad formam priores natura sunt, secundùm rationem causæ dispositiuæ, siue materialis ipsa forma; quæ tamen illis prior est natura secundùm rationem causæ seu principij formalis; immò quod vna ratione finis alterius est, secundùm aliam potest ad illud vt ad finem ordinari; atque ideò secundùm diuersam rationem causæ finalis, idem respectu eiusdem esse natura prius & posterius, vt infra declarabitur.

Magis volibile, & magis volitum

Sexta distinctio ea est, quam hic primo loco proponit Caietanus pro solutione 3. argumenti Scoti, videlicet Aliud est esse magis volibile, & aliud esse magis volitum; Nam non omne, quod est magis volibile, hoc ipso est à Deo vel ab homine illud, quatenus tale est, cognoscente magis volitum; quia salus omnium hominum secundùm se magis est à Deo volibilis voluntate beneplaciti, quàm salus paucorum & tamen salutę omnium hominum non vult Deus, nisi voluntate antecedente, quorundam verò paucorú voluntate simpliciter dicta: Et similiter honesta vita & sancta magis est secundùm se volibilis & eligibilis ab homine, quàm vita voluptuosa & sensualis, & tamen ex hominibus plures hanc volunt, illam verò pauci. Non ergò rectè deducitur aliquid esse magis volitum à Deo, vel ab homine ex hoc, quod est secundùm se magis volibile.

Prius natura dupliciter.

Septima distinctio apud Caietanum secunda est, Dupliciter potest aliquid prius natura esse altero, volitú: Vno modo prius natura. i. causalitate: Alio modo prius natura vt à quo nõconuertitur subsistendi consequentia; & hoc secundo modo, dupliciter potest aliquid esse volitum, scilicet de facto, & de possibili: Differunt aũt hæc membra; quia omne quod est prius natura id est causalitate secundùm aliquod genus causę; illud etiam secũdùm illud idem genus causæ est prius & magis volitum: Nam secundùm genus causæ finalis prius & magis volo sanitatem, quàm purgationẽ: at secundùm genus causæ dispositiuæ, quæ cum materiali computatur prius & magis volo purgationem quàm sanitatem; & quia causa finalis est absolutè prior; ideò prius simpliciter volo sanitatem quàm purgationem: Quod autẽ est prius, vt à quo non conuertitur consequentia, non est hoc ipso prius altero actu volitũ secundùm hunc prioritatis modum, vt scil. sine altero, quo prius est, sit actu volitum, quamuis sine eo possit esse volitum; vt patet de fine respectu medij, à quo non necessariò dependet; sicut si sanitas æquè possit acquiri per dietam, atque per medicinã, valet quidem consequentia: volo medicinam; ergò volo sanitatem: non tamen est è conuerso bona consequentia: volo sanitatem; ergò volo medicinam, eo quod alio medio, scilicet per dietam scio me posse acquirere sanitatem.

Qualem distinctionem & ordinem habeant actus diuini intellectus & voluntatis, & quomodo distinguẽda sit diuina scientia & ordinandi actus scientiæ Dei naturalis, approbationis & visionis.

Tertio *principaliter explicandum est*, an & qualis sit aut excogitari possit ordo prioris & posterioris inter actus diuini intellectus & voluntatis, ad hoc mysterium & eius effectus concurrentes & quærimus hic ordinem non solùm actuum intellectus respectu actuum voluntatis, sed etiam vnius actus intellectus ad alium eiusdem virtutis actum, & similiter vnius actus voluntatis ad alterum eiusdem voluntatis actum: Ne autem eadem pluries inutiliter repetamus, vide si placet ea quæ de actibus voluntatis diximus *in 1. p. qu. 19. art. 1.* & ea, quę *in eod. lib. q. 23. a. 1. Cont. 2.* notauimus de ordine inter actus diuinæ scientiæ & voluntatis in Christi &cæterorum hominum & Angelorum electione & prædestinatione: hic tñ ea breuiter annotabimus, quæ propositæ difficultati definiendæ videntur esse necessaria. Hæc verò tria sunt. *Primũ est*, inter actus prędictos, sicut nulla est distinctio actualis à parte rei, ita nullum esse ordinẽ ex natura rei: quę tamen absque legitimo fundamento statuit inter eos Scotus *in 3. dist. 7. q. 3. & dist. 19. q. 1.* Est igitur inter illos actus solùm ordo rationis in vna simplicissima & eminentissima re, siue actu plurium actuum perfectiones habente ac exercente fundatus: Cùm igitur in intellectuali & rationali natura creata, voluntatis actus dependeant ex actibus intellectus, atq; ideò sint eis natura posteriores, absolutè loquendo, consequens est etiam in Deo voluntatis actus esse secundùm rationẽ actibus intellectus posteriores. *Secundum est*, in Deo duplicem esse scientiam in ordine ad creaturas: *Altera est simplicis intelligentiæ*, quæ duplicis habet notitiæ rationem, sc. speculatiuæ & practicæ. Quatenus speculatiua est, Deo connaturalis est ad eiusq; perfectionis infinitę pertinet complementum. Quatenus verò practica est in actu primo virtutem habens ad res efficiendas, sicut ars nullo adhuc actu voluntatis ad agendum determinata, sed notitiam tantum rerum habens, quoad rationes modos & causas operationis, merè naturalis est & ad perfectiones attinet Dei naturales. Quatenus autem per liberam Dei voluntatem in opus extenditur, vt iam sit in actu secundo rerum causa, sic libera scientia est, & eam S. D. appellat *scientiam approbationis*, Quam Asturicensis *loco supra notato*, *pag. 617.* distin-

distinguit contra scientiam simplicis intelligentiæ, tres in Deo scientias enumerans, scilicet simplicis intelligentiæ, approbationis & visionis. Sed quia *scientia approbationis non distinguitur à scientia simplicis intelligentiæ*, nisi per extraneam & accidentalem differentiam, scilicet per actum voluntatis adiunctum; ideò melius scientia approbationis cum scientia simplicis intelligentiæ practica computatur; quæstio tamen videtur esse de nomine: Ad hanc verò scientiam approbationis pertinet non solùm quæ bona sint efficienda, sed etiam quæ mala sint permittenda determinare. Et quoniam ea, quæ sapientiæ suæ iudicio, ac liberæ voluntatis decreto Deus ab æterno prædefiniuit certam ac infallibilem habet certitudinis firmitatẽ; ideò certissima cognitione futura cognoscũtur à Deo non solùm per sciẽtiam visionis, quatenus Deo præsentia sunt in æternitate, sed etiam per scientiam approbationis in priori signo rationis, in quo rerum intelligitur productio diuinæ voluntatis decreto determinata, prius quàm sint actu Deo in æternitate præsentes: Non enim res sunt Deo præsentes in æternitatis mensura, nisi pro eo tempore, quò verè & simpliciter actu sunt existentes, vt patet ex ijs, quæ latè diximus *in 1. p. q 14. a. 13. Controu. 3.* *Altera* igitur in Deo *scientia est visionis*, qua res vt sibi in æternitate coexistentes ac præsentes intuetur euidentius, quàm nos corpora lucida & colorata nostris oculis præsentia videamus. Quæstio hic præcipuè est de ordine actuum scientiæ approbationis; quamquam de ordine actuum scientiæ naturalis & visionis multa Doctores immisceant, quæ sicco prorsus vestigio prætire non expedit. Videnda sunt, quæ diximus de ordine actuum diuini intellectus & voluntatis respectu creaturæ *in 1. p. q. 14. a. 8. Cont. 1. & 2. Tertium hic annot.* & explicandum est, vnde nam petenda sit ratio siue radix ordinis actuum diuinæ scientiæ tam naturalis, quàm approbationis & visionis, ac proinde etiam actuum voluntatis.

Patet aũt ex dictis Deo primo competere scientiam simplicis intelligẽtiæ naturalem, speculatiuã quidem in actu secũdo, practicam aũt in actu primo, cùm sit hæc Dei summa perfectio naturalis; Deinde voluntatis actum prædefinientis ex iudicio præuio intellectus practici scientia perfecti à voluntate moti futuram quarumdam rerum in tempore existentiam; Et quia scientia practica iudicans & imperans ex motione voluntaria rerum efficientiam liberum actum voluntatis includit, & rerum approbat productionem; ideò secundò intelligitur in Deo scientia simplicis intelligentiæ libera, quæ dicitur approbationis. Et quoniam efficax est diuini intellectus & voluntatis imperium ad res eo tempore producendas, quo ex eiusdem intellectus iudicio ac voluntatis beneplacito Deus eas æterno decreto producere determinauit, ideò tertiò concipimus in Deo scientiam visionis, qua Deus res in quacunque differentia temporis existentes sibi verè ac realiter in æternitate præsentes intuetur.

Distinguũtur tres rerum ordines, & explicatur ordo prioris & posterioris inter eos.

Deinde certum est tres esse rerum ordines à Deo productos, scilicet naturæ gratiæ ac vnionis hypostaticæ: Ad ordinem naturæ pertinent non tantum bona ex quibus perfectio constituitur vniuersi, sed etiam mala siue defectus vt rerum corruptibilium interitus ac priuationes, & in animalibus monstra & ægritudines, & in actionibus liberis Angelorum & hominum peccata: cuius rationem triplicem assignauimus *1. p. q. 23. a. 1. Controu. 2. §. quinto sciendum.* Prima est; quia peccata ex solis naturæ viribus committuntur, vt hic etiam aduertit & probat Caietanus ex diuina Scriptura *Oseæ 13.* dicente: *Perditio tua ex te Israel, tantummodo ex me auxilium tuum.* Secunda est: quia peccatum omne est contra rectam rationem naturalem, quæ dictat, Deo in omnibus esse obtemperandum; quod etiam significat S. D. *in 2. 2. qu. 119. a. 3. ad 3.* dicens: vitia omnia opponi prudentiæ. Tertia est: quia peccatoris quocunque modo peccantis finis vltimus est ipse peccator, vt ait Caiet. *1. 2. q. 1. a. 5.* ex D. Augustino *lib. 14. de Ciuit. Dei, c. 28.* His adde quartam: quia nimirum peccatum omne mortale auertit à Deo, non solũ vt est finis supernaturalis, sed etiã prout est finis vltimus naturalis: Quamuis enim plurima sint peccata, quæ secundùm speciales suas rationes ad ordinem pertineant supernaturalem, vt originale peccatum quatenus est priuatio iustitiæ originalis & gratiæ, & ea peccata quæ contra præcepta supernaturalia committũtur quatenus eis talia violantur præcepta, & peccata quæ contra Deum vt est obiectum fidei, spei & charitatis, & contra Christum & Sacramenta committuntur secundum has, inquam, speciales rationes ad ordinem pertineant supernaturalem; secundùm prædictas tamen rationes peccatis omnibus communes ad ordinem pertinent naturalem; & per hoc dilui facilè possunt obiecta Asturicensis *in alleg. q. 6. pag. 660.* Ad ordinem verò gratiæ pertinent omnia supernaturalia præter vnionem hypostaticam; hæc verò per se constituit ordinem omnium ordinum factorum & factibilium à Deo supremum.

Dubitatio verò maxima est de ordine prioris, & posterioris inter prædictos ordines. Ad cuius euidentiam.

Sciendum est primò: Tres dictos ordines posse quatuor modis ad inuicem comparari. *Primò*, vt omnia & singula, quæ ad ordinem naturæ pertinent sint ijs omnibus priora, quæ sunt in ordine gratiæ & hæc omnia & singula vnionis hypostaticæ mysterio sint priora; & hoc absolutè falsum est, vt benè probant recentiores: quia peccata crucifigentium Christum, quæ secundùm dictas quatuor rationes ad ordinem naturæ pertinent, vnionem hypostaticam Verbi præsupponunt cum humana natura, & multa ab existentibus in gratia peccata committuntur quæ gratiam in peccante præsupponunt & destruunt, & ex diuina Scriptura constat quorumdam generationem, quæ ad ordinem naturæ pertinet, à Deo fuisse Sanctorum orationibus impetratam, vt de Samsonis, Samuelis ac Ioannis Baptistæ generationibus legimus: Denique multa ex naturalibus sunt prædestinationis effectus, vt grauiores Theologi docuerunt; atque ideò posteriora videntur ordine gratiæ: sunt igitur tres illi ordines ad inuicem valdè permisti. *Secundò* possunt dicti ordines ad inuicem cõparari, quatenus duo saltem primi in singulis inueniuntur humanæ naturæ suppositis; & secundùm hanc etiam considerationem, falsum est ea, quæ in vno individuo pertinẽt ad ordinem naturæ, illis esse priora, quæ in eodem spectant ad ordinem gratiæ; & rursus ea, quæ in vnoquoque sunt ordinis naturæ, vel gratiæ illis esse priora, quæ ad vnionis hypostaticæ mysterium pertinent in Christo Domino, vt patet ex adductis exemplis in præcedenti modo comparationis. *Tertiò* comparari potest ordo naturæ secundùm primariam eius constitutionem ad ordinem gratiæ secundùm se, non tamen quoad omnia singularia in illo ordine comprehensa, & eodem modo fieri potest comparatio ordi-

ordinis gratiæ ad ordinem vnionis hypostaticæ; & ita perspicuum est ordinem naturę præsupponi ab ordine gratiæ, & hunc esse priorem ordine vnionis hypostaticæ: sed huic cõparationi & ordini seu dispositioni non repugnat, multa ex singularibus primi ordinis esse posteriora multis alijs secundi & vnione hypostatica; quà multò magis poterunt esse posteriora multa ad ordinem gratiæ pertinentia. *Postremò* denique fieri potest dictorum ordinum comparatio secundùm absolutam & formalem cuiusque ordinis comparationem, ita vt omnia & singula sub ordine naturæ comprehensa, quatenus ad hunc ordinem spectant, comparentur ijs, quæ sub ordine gratiæ continentur vt sic, & hæc ad ordinem vnionis hypostaticæ quatenus talis est: & hoc modo verum est singula, quæ sunt in ordine naturæ vt sic illis esse priora, quæ sunt in ordine gratiæ vt sic, & vtraque ab vnione Verbi hypostatica præsupponi. Diuinæ siquidem voluntatis decreto totus ordo naturæ vt sic ad totum ordinem gratiæ vt sic, tanquam ad nobiliorem & vt eius finem est ordinatus, & vterque ad vnionem hypostaticam diuinæ personæ cum humana natura. Quòd verò quædam ad ordinem gratiæ pertinentia ad quædam naturalis ordinis videantur ordinata, & similiter quod peccata crucifigentium Christum præexigant Incarnationis mysterium siue hypostaticam vnitatem, nihil refert: hæc ordinis varietas merè per accidens est, & ad res pertinet materialiter tantùm consideratas.

Explicatur in speciali ratio ordinis prioris & posterioris inter ordinẽ vnionis hypostaticæ & alios 2. ordines, s. naturæ & gratiæ.

Secundò notandum est, peccata in Christum cõmissa dupliciter posse considerari; *vno modo*, vt terminantur ad Christum tanquam obiectum formale specificans, vel etiam vt sunt passiones in ipso Christo receptæ, vt flagellatio, coronatio & crucifixio: & ita non poterant cognosci, nisi cognito Christo prius in genere causæ formalis & obiectiuæ specificantis: *alio modo* vt egrediuntur voluntariè ab agente; secundùm quã rationem habent essentiam peccati, & sic priora sunt se ipsis quatenus sunt passiones in Christo receptæ, vel prout ad ipsum quacunque ratione terminantur, etiamsi nullam inferant in Christo passionẽ, vt patet de blasphemijs & maledictionibus & actibus infidelitatis & odij in sola interiori mentis operatione consummatis; & ideò sic accepta cognosci potuerunt ante Christum in genere causæ materialis, quatenus scilicet erant materia, circa quam delendam Christus erat operaturus: Et eodem modo distinguendum est de peccatis, quæ sunt contra ordinem gratiæ &c.

Tertiò considerandum est, in mysterio Incarnationis à Deo intento & facto cum eius effectibus, triplex esse genus causarum, scilicet efficientis, finalis & materialis; causa namque formalis hic propriè nulla est. *Causa proxima efficiens* huius mysterij Deus est, qui sua virtute infinita naturam humanam Verbo diuino in vnitate personæ copulauit, iuxta illud: *Luc. 2. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi; ideoq; & quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei:* Causa verò efficiens proxima redemptionis humani generis, qui præcipuus est Incarnationis effectus, est ipse Christus Deus & homo: *Causa verò finalis* Incarnationis triplex est. Prima quæ præcipua est & principalis, est gloria Dei quæ finis etiam est vltimus reparationis & exaltationis humanę naturæ, quę rursus reparatio & exaltatio finis est Incarnationis immediatus ac proximè à Deo intentus; quia Deus prædestinauit opus Incarnationis in remediũ humani peccati, vt ait Apostolus *ad Rom. 1. Qui prædestinatus est, filius Dei*, &c. & Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, &c.* Maius enim bonum secundùm rationem causæ efficientis rectè ac prudenter ordinari potest ad minus bonum producendum & conseruandum tanquam ad finem proximum & secundarium, quem supra diximus appellari finem cui; sicut cœlestia corpora ordinantur à Deo, tanquam efficientes causæ ad naturales effectus in his inferioribus producendos & conseruandos. De hoc Aluarez *infra art. 5.* Sed præterea Christus & eius prædestinatio finis est totius naturæ ac ordinis gratię & humanæ redemptionis & prædestinationis; quia naturæ perfectio, gratiæ reparatio & salus nostra in Christi gloriam redundant, vt scitè notauit Capreolus *loco supra notato*, & post eum Asturicensis *in allegata quæstione sexta*. Demum *causa materialis* in hoc mysterio triplex est, scilicet natura gratia & peccatum: Natura quidem duplici modo rationem habet materiæ, scilicet ex qua & in qua; humanitas enim illa singularis, quam Verbum sibi copulauit, desumpta fuit ex humana natura communiter sumpta, cuius pars quædam est subiectiua; humana verò natura communiter accepta pars quædam subiectiua est naturæ communissimè sumptæ: Itaque non solùm humana natura specificè sumpta, sed etiam ipsa natura communissimè sumpta rationem habet materiæ, ex qua desumpta est hæc humanitas singularis, quam Spiritus sanctus virtute supernaturali præparauit & Verbo in vnitate personæ copulauit. Quatenus autem eadem humanitas gratiam in se recepit vnionis cum omnibus donis ac perfectionibus ex ea dimanantibus, materia quodammodo est in qua; non tamen simpliciter & propriè; quoniam esse personale non inest ei, vt forma materiæ vel subiecto, sed vt terminus terminato: neque ex humana natura deriuatur ad esse personale vel ad personam subsistere vel existere, sicut ex subiecto, aut ex natura creata completa existere deriuatur ad accidens; sed è contra: Ordo verò gratiæ in hoc mysterio rationem habuit materiæ circa quam; fuit enim materia reparabilis & perfectibilis; quoniam ordo gratiæ per Incarnationis mysterium fuit in humana natura reparatus, & in tota intellectuali natura perfectus: Peccatum autem rationem habuit materię circa quam, non reparandam aut perficiendam, sed remouendam ac destruendam Incarnationis ac redemptionis opus versaretur, iuxta illud *Zach. 3. Auferam iniquitatem in die vna*: appellat autem hic Propheta diem vnam totum tempus vitæ & operum Christi Domini de se ipso dicentis *Ioann. 12. Ego lux in mundum veni, vt omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat*, & ibidem paulò ante dixerat: *Ambulate, dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant*: constat autem vnam diem ex vna cõtinuata solis, ac eius lucis præsentia computari, sicut è contra nox in solis absentia ac lucis eius priuatione consistit.

Vnde nã sit accipienda ratio ordinis actuum diuinæ scientiæ naturalis inter se, & ratio ordinis actuũ diuinæ voluntatis, ac scientiæ li-

Postremò aduertendum est non esse eandem rationem seu radicem ordinis actuum scientiæ Dei naturalis, & actuum diuinæ voluntatis ac scientiæ liberæ tam approbationis quàm visionis: Ratio enim ordinis actuum scientiæ Dei naturalis ex rerum per eam cognitarum ordine & connexione naturali sumenda est: Cùm enim sit hæc scientia rebus per eam scitis quadam ratione coaptata; consequens fit vt ordo prioris & posterioris rebus ipsis secundùm earum esse natura-

bera, tam apparitio nis, quàm visionis.

turale conueniens redundet modo noſtro intelligendi in actus diuinæ ſcientiæ naturalis ratione diſtinctos; ita vt, ſicut in rebus paſſiones & accidentia conſequuntur eſſentiam, ſic in Dei ſcientia naturali paſſionum & accidentium notitia ſit poſterior cognitione ſubiecti: Ratio verò ordinis inter actus voluntatis, non ex ordine rerum volitarum naturali per ſe loquendo, ſumenda eſt, ſed ex ipſius diuinæ voluntatis beneplacito rem vnam ad aliam, & nonnunquam etiã nobiliorem ad minus nobilem ordinante eſt accipienda. Quamuis enim quælibet cauſa ſecundũ ordinem & rationem ſuæ cauſalitatis intelligatur prius à Deo volitã, quàm id quod ex eã dependet: quia tamen poteſt Deus pro libito ſuæ voluntatis rem quamlibet ad alteram vt ad finem proximum, ad quem non habet ordinem naturalem, ordinare; ideò non ſemper ratio ordinis actuum diuinæ voluntatis ex ordine rerum naturali, ſed ex diuinæ quandoque ſumitur beneplacito voluntatis: Quod quidem dicendum eſt de actibus ſcientiæ approbationis & ſcientiæ viſionis, quos vt multiplices intelligimus ratione diſtinctos: quilibet enim horum actuũ ſupponit actum diuinæ voluntatis; ac proinde qualis eſt ordo in actibus volũtatis, talis etiam ad actus ſcientiæ approbationis & viſionis deriuatur. Quamuis autẽ ſimpliciter & abſolutè loquendo dictus ordo, ſiue prioritas non ſit accipienda ex ordine obiectorum ſecundùm ſe, ſed ex ipſius diuinæ volũtatis beneplacito, ſeu ex ipſis rebus prout diuinæ voluntati obijciuntur; ſuppoſita tñ in Deo volũtate per modum intẽtionis finis rectè dici poteſt prædictum ſignorum & actuum ordinem ex rerũ volitarum eſſentiali ſubordinatione ſecundùm finalem cauſalitatem, ſecundùm quam vna pendet ab altera, ſumendum eſſe: Nam quod intento fini propinquius eſt, & proximè illum attingit, prius à Deo volitum eſt, quàm illud quod eũdem finem non attingit, niſi remotè & mediante alio, vt etiam Suarez aduertit *in allegata diſput. 5. ſect. 1.* & poſt eum Rada; vt exempli gratia ſuppoſita in Deo electione Petri prædeſtinati ad gloriam vt ad finem, Deus intelligitur velle iuſtificationem & vocationem eius vt media, quæ cùm ita ſint ad inuicem ordinata, vt iuſtificatio proximè ordinetur ad gloriam; vocatio verò ad iuſtificationem, Deum prius intelligimus voluiſſe Petrum iuſtificare, quàm vocare; & in hoc ſenſu poteſt admitti principium illud Scoti: *ordinatè volens prius vult id, quod eſt fini propinquius*: poteſt enim *dupliciter aliquid dici fini propinquius altero: Vno modo*; quia ſunt duo media per ſe ſubordinata modo iam explicato, & in hoc ſenſu certum eſt principium Scoti; quia proximum medium prius eſt cauſalitate finali quàm remotum, & ideò prius intelligitur eſſe volitum: *Alio modo* dici poteſt aliquid eſſe fini propinquius, eo quod eſt illi ſimilius, aut ad eum aſſequendũ accommodatius. & in hoc ſenſu dictione illa *propinquius* vtitur Scotus, cùm ait *ordinatè volens, &c.* In quo tamen ſenſu, neque neceſſarium eſt illud principium, nec abſolutè verum. Dico non eſſe neceſſarium; quia non eſt neceſſe, vt Deus abſolutè velit id, quod eſt ſibi ſimilius, aut intellectuali creaturæ ad Deum ipſum, vt vltimum finem conſequendum accommodatius; ergò multò minus neceſſe eſt vt illud prius velit. Et confirmatur; quia non eſt neceſſarium, vt Deus id ſemper eligat, quod in ſe videtur vtilius, & conuenientius, vt oſtendimus *in 1. p. q. 19. a. 10.* Dixi non eſſe abſolutè verum in eo ſenſu principium Scoti; quia ſi verum eſſet ſequeretur, vt quò aliquis eſſet maior in gloria, eò intelligeretur eſſe prior in electione & prædeſtinatione Dei; eo quod talis eſt Deo ſimilior, quod omnino falſum eſſe probatur. Primò. Quoniam in rebus à Deo creatis propter ipſius Dei bonitatem & gloriam, cælum eſt nobilius terra, & Angelus homine, & equus aſino, & tamen nullus verè ſapiens dicet Deum prius voluiſſe creare cœlùm quàm terram, & angelum quàm hominem, & equum quàm aſinum; quia propinquitas hæc ſecũdùm rerum naturalem perfectionem merè accidentaria eſt ordini prioris & poſterioris, actuum aut ſignorum rationis in actu diuinæ voluntatis, qui per ſe tantùm attenditur penes dependẽtiam aut ordinem obiectorum ſeu mediorum inter ſe, quatenus conſiderantur in ordine ad voluntatem amantis & eligentis, quæ ſicut pro ſua libertate poteſt diligere ſeu velle id, quod minus perfectũ eſt; ita poteſt ad finẽ aſſequẽdũ eligere mediũ ſecundũ ſe minus vtile & minus perfectum & fini minus accommodatum, quod tamen ſit ad eum aſſequendum ſufficiens. Ex his iam facilè reſpondetur ad quæſitum quinque concluſionibus.

concluſiones deducta ex probata.

PRIMA CONCLVSIO: *Ordo diuinorum actuum ſecundùm executionem in myſterio Incarnationis, & eius effectibus hic videtur fuiſſe: In primo ſigno* rationis per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ naturalem præſciuit Deus tres rerum creabilium ordines vt poſſibiles, ſcilicet ordinem naturæ ad quem pertinent etiam defectus & peccata; & ordinem gratiæ ad quem etiam pertinent peccata illi contraria; & ordinem vnionis hypoſtaticæ: ſic ordinatos, vt primus ſit materiali cauſalitate prior ſecundo, & ſecundus tertio. *In ſecundo ſigno* Deus voluit creare primum ordinem, & permittere peccata vt ad illum pertinentia, & in eodem ſigno per ſcientiam approbationis præuidit eundem ordinem, vt futurum cum defectibus & peccatis ad illum pertinentibus, vt ſic. *In tertio ſigno* per ſcientiam viſionis vidit dictum ordinem & defectus ac peccata, vt ſibi præſentia in æternitate; *In quarto ſigno* voluit ordinẽ gratiæ abſolutè ſumptum, & permiſſionẽ peccatorum quatenus illi ordini ſunt contraria, & in eodem ſigno præuidit per ſcientiam approbationis eũdem ordinem, & peccata futura, quantenus ad eum ordinem pertinent: *In quinto ſigno* eundem ordinẽ & peccata vidit ſcientia viſionis: *In ſexto ſigno* voluit ordinem vnionis hypoſtaticæ cum omnibus eius perfectionibus & proprietatibus in remedium peccati tam originalis, quã actualis: ad quod remedium pertinet gratia redemptionis, id eſt per redẽptionem hominibus collata, quę conſummatur in gloria, ad quam per Chriſtum in eodem ſigno quoſdam prædeſtinauit; & in eodem ſigno præuidit per ſcientiam approbationis illum vt futurum: *In ſeptimo ſigno* per ſcientiam viſionis vidit illum, vt præſentem in menſura æternitatis: *In octauo ſigno* voluit gloriam nominis Chriſti conſurgentem ex hominum redemptione per eum facta, & in eodem ſigno per ſcientiam approbationis vidit eandem gloriam vt futuram: *In nono ſigno* vidit eandem ſcientia viſionis vt præſentem: *In vltimo tandem ſigno* voluit gloriam ſuam ex omnibus dictis ordinibus, ac præſertim ex vltimo, & eius effectibus in hominum & Angelorum mentibus reſultantem. Hæc concluſio ſatis apparenter ſequitur ex dictis, ſed aliqua tamen eget explicatione.

Sciendum eſt igitur multa ex prædictis ſignis in plura poſſe diſtingui: nam primũ tria videtur ſigna cõtinere. Primũ in quo Deꝰ prꝙuidit ordinẽ natu-

naturæ : Secundum, in quo præuidit ordinem gratiæ; & tertiũ in quo præuidit ordinem vnionis hypostaticæ; ita namque Deus cognouit hos ordines tanquam possibiles, vt cognouerit, si fuerint omnes producendi primum esse materiam secundi, & secundum esse dispositionem ad tertium; gratiæ namque plenitudo, quæ fuit in Maria, dispositio quædam fuit ad conceptionem in eius corpore Dei & hominis, vt patet ex D. Th. *inf. q. 27. a. 5 ad 2.* Quicquid sit de gratia habituali Christi vnionem hypostaticam consequente; de qua S. D. *inf. q. 7. a. 13.* Secũdum etiam signum in duo posset distingui; ita sc. vt in primo voluerit creare bona pertinentia ad ordinem naturę: in secundo verò permittere mala, quod pertinet ad suauem rerum gubernationem, quę presupponit res gubernandas. Quartum etiam signum eadem ratione posset in duo distingui; Circa quod etiã aduerte, peccata crucifigentiũ Christum ad hunc ordinem pertinere, sicut alia, quæ in Deum, aut Christum committũtur. Sextum aũt signum cõsiderato præcisè ordine executionis, & ratione medij & causę efficientis, quàm habet mysterium Incarnationis respectu redemptionis humanæ tanquam finis, posset in duo vel etiam plura signa distingui, in quorum primo volita sit Incarnatio, in secundo verò nostra redẽptio, &c. Vbi aduerte cum Cai. non benè deduci ex hoc, quod aliquid est prius natura, hoc est causalitate volitum, illud esse prius volitum secundum consequentiam, quod est illud esse volitum, etiamsi aliud non esset volitum, aut sine ordine ad illud aliud volitum.

A B C D E

Secvnda Conclvsio : *Ordo diuinorum actuum secundum intentionem in mysterio Incarnationis & eius effectibus contrarius est ordini executionis supra posito*; & videtur hic esse, *In primo* signo Deus voluit gloriam suam; *in secundo* gloriam nominis Christi; *in tertio* vnionem hypostaticam cum omnibus eius perfectionibus & proprietatibus in remedium humani peccati, quod remedium consistit in gratia redemptionis, & consummatur in beatitudine, ad quam in eodem signo quosdam per merita Christi prædestinauit: *in quarto* signo voluit ordinem gratiæ absolutè sumptæ cum permissione peccati eidem ordini contrarij, atque adeò ad illum pertinentis: *In quinto* signo voluit ordinem naturæ cum permissione defectuum & peccatorum ad illum pertinentium, vt sic. Hæc conclusio sequitur euidenter ex dictis.

Ad cuius ampliorem euidentiam *aduerte primò* eundem esse ordinem in actibus scientiæ approbationis, qui est in actibus voluntatis ob supradictam causam. *Secundò scito*, hunc ordinem non habere locum in actibus scientiæ visionis, quorum ordo non potest attendi, nisi secundùm executionem propriè loquẽdo; Quod enim prius in rerum natura producitur, illud primò cadit sub scientia visionis, quæ res contemplatur secũdùm illud esse, quod habent in rerum natura; ac proinde scientiæ huius actus ordinem habent rerum ordini conformem; quatenus vna prius altera sit existens in rerum natura, non aũt ordini finium producendorum; quia primus eorum in causando est vltimus in existendo. *Tertiò aduerte*, tertium signum posse aliquo modo in duo distingui, simpliciter autem vnum esse: vt enim *loco superius allegato* notat Asturicensis, in decreto prædestinationis Christi clauditur etiam ordo naturæ & gratiæ, vt reparãdus; quia Christus, vt obiectum est formale talis decreti, dependentiam habet intrinsecam & necessariam ab vtroq; dicto ordine tanquam à materia: Fuit enim Christus non absolutè, sed in reparationem humanæ naturæ per peccatum collapsæ prædestinatus; atque ideò decretum prædestinationis Christi vtrumque dictorum ordinum per se respiciebat, vt reparandum per Christum; nam etiam immediatus & proximus finis Incarnationis Christi fuit reparatio, non solùm humani generis sed etiam totius ordinis naturalis & gratiæ, vt ante diximus: Itaque decretum Incarnationis Christi dependentiam habuit in genere causę materialis, & finalis ab ordine naturæ & gratiæ, & ideò necessaria fuit ante decretũ illud in Deo prescientia totius ordinis naturæ & gratię: & quia causæ sunt sibi inuicem causæ; ideò sicut Christi prædestinatio pendet secundùm dictas causalitates à dictis ordinibus ex parte termini; sic etiam è contra dicti ordines in genere causæ finalis à Christo & eius prædestinatione dependent. Hęc autem duo rationis signa, in quorum altero Christi prædestinatio posterior est volitione ac præscientia dictorum ordinum, in altero verò prior, ad vnũ pertinent signum rationis totale, in quo factum intelligimus à Deo fuisse prædestinationis Christi decretum; sicut etiam duo illa instantia naturæ, in quorũ altero dispositio vltima formã præcedit in genere causæ materialis, in altero verò forma prior est eadem dispositione in genere causæ formalis, in vno clauduntur instanti naturæ, in quo forma substantialis introducitur in materiam, quod propriè dicitur instans naturæ in quo; vtrumque autem illorum dicitur instans naturæ à quo, quorum instantiam differentiam alibi declarauimus ex Capr. Et quemadmodum generatio substantialis illi instanti, vt principaliori tota & absolutè tribuitur, in quo forma introducitur in materiam, aliud verò, in quo materia vltimò disponitur, veluti extrinsecum à nobis consideratur; ita Christi prędestinatio illi tribuitur instãti, quod ad ipsam incarnationem ac prædestinationem formalius ac principalius spectat; licèt enim aliud etiã rationis instans, in quo volitionem ac præscientiam intelligimus ordinis naturæ & gratiæ, ad eandem per se pertineat prædestinationem; concipitur tamen veluti extrinsecum, & ipsi prædestinationi materialiter præsuppositũ; & ideò de eo loquimur, tãquam de alio rationis instanti, vel signo ab eo diuerso, in quo decretũ incarnationis & Christi prædestinationem in Deo fuisse cõcipimus, quãuis vtrumque in vno solo claudatur instanti naturæ, vt ante diximus. Quod etiam ratione satis firma ac euidenti probatur. Nam cum quis alicui bonum vult superadditum illius bono substantiali, necesse est in ipso volente præsciẽtiam supponi illius subiecti, cui vult tale bonum; at Deus per Incarnationem Christi & prædestinationem voluit, & contulit humanæ naturæ ac toti vniuerso maximum bonum eius substantiali bono superadditum; ergò necessariò ante Christi prædestinationem fuit in Christo præscientia naturæ rationalis & totius ordinis naturalis, ac proinde etiam defectuum & peccatorum ad eundem ordinem pertinentium.

Sed *duo sunt* hic probanda, & explicãda. Primvm *est humanam naturam, tam secundùm se, quàm vt infectam peccato fuisse præuisam in genere causæ materialis ante Incarnationem, & in eodem ferè genere, ac simul etiam aliquo modo in genere causæ finalis fuisse à Deo præuisum & præuolitum peccati, tam originalis quàm actualis remedium*; Huius dicti sunt quatuor partes: & *prima quidem*, quæ de natura loquitur humana secundum se, pro-

batur: Quoniam illud, quod secundùm se prius est alio in aliquo genere causæ, in eodem etiam genere præuisum est & præuolitum à Deo prius quàm aliud; sed humana natura secundum se prior est in genere causæ materialis Incarnationē, cùm supponatur ad vnionē cum forma; ergò:

Secunda quæ de eadem natura loquitur, vt infecta probatur: Quoniam hæc vna numero Incarnatio Christi decreta fuit à Deo post reprobationem legalium Sacrificiorum, quæ ad originalis & actualis peccati remissionem ordinabantur, & post multorum actualium præuisionem; ergò post præuisionem naturæ infectæ per ea peccata. Prima pars antecedentis probatur *ex Psalm. 31. & ad Heb. 10.* Vbi de Incarnationis mysterio diuina Scriptura loquens ait: *Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfeciſti mihi*, vel iuxta Septuaginta: *corpus autem aptasti mihi; tunc dixi, ecce venio*: Quibus verbis Psalmi perspicuè declaratur decretum Incarnationis in carne passibili à Deo factum fuisse post reprobata legalia sacrificia: Secunda verò pars antecedentis probatur *ex Isaia 52.* dicente: *Dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blasphematur; propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa; quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum, & in cap. 59.* enumeratis plurimis Israelitici populi & humani generis iniquitatibus tandem in fine concludit: *Et timebunt qui ab occidente, nomen Domini, & qui ab ortu solis, gloriam eius, cùm venerit, quasi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit; & venerit Sion redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob.* Ex quibus sic argumentor: Deus affirmat se in carne venisse ad tollenda peccata præuisa; ergò decretum Incarnationis supponit peccata præuisa; Probatur consequentia; quia si absque præuisione peccati decreta fuissēt Incarnatio, & ex vi talis decreti venisset, iam propter alios fines venisset, nec propriè diceretur in remedium peccati venisse; quoniam Incarnatio Verbi non habuit plures fines totales, vt ante diximus. Et confirmatur; quia *Theodoretus in serm. 10. de prouidentia* dicit expressè, Deum Incarnationis mysterium decreuisse post præuisum hominis lapsum. *Ex his tria sequuntur. Primum* est Angelos & eorum peccata fuisse à Deo præuisa in genere causæ materialis ante decretum Incarnationis. Probatur; quoniam ante illud decretum in genere causæ materialis præuidit Deus peccatum Adæ & eius grauitatem & eius causas, quòd scilicet non fuit ex malitia, sed ex extrinseca dæmonis tentatione; ergò prius vidit dæmonem & eius peccatum superbiæ & inuidiæ, qui eū impulit ad hominis tentationem. *Secundum* est Deum prius in eodem genere causæ materialis, quàm voluerit Incarnationem cognouisse non solùm peccatum hominis originale, sed etiam actualia: Quod probatur: quia decreuit Deus Incarnationem post reprobata legalia sacrificia, veluti insufficientia ad expianda peccata, & post præuisas hominum iniquitates ab Isaia commemoratas *in allegato cap. 59.* at legalia sacrificia pro peccatis actualibus offerebantur, & peccata quæ loco notato recensēt Isaias erant actualia; ergò. Quamuis ergò potuerit Deus post præuisum originale peccatum, antequam actualia præuideret, Incarnationis mysterium determinare, quod pro signo illo ad solius originalis remissionem ordinaretur, non tamen de facto sic fuit à Deo volitum: quoniam, vt dicitur *Roman. 5.* Deus voluit donum esse maius, quàm debitum Adæ, quòd etiam probatur: quoniam antequam præuideatur peccatum originale in communi, præuidentur peccata malorū Angelorū, ex quorū tentatione peccatū hominis originale processit; & præuidetur etiam actuale peccatum Adæ & Euæ, & rursus antequam præuideatur peccatum originale in ijs, qui contrahunt illud ex illicito concubitu, præuidetur actuale peccatum Parentum; ergò si præuidit Deus originale peccatum antequam voluerit Incarnationem, præuidit etiam ante illius decretum actualia: Denique vt *in articulo sequenti* probat S. D. Mysterium Incarnationis volitum fuit & factum in remissionem, non tantùm originalis sed etiam actualium peccatorum; igitur actualia peccata, ad quorum remissionem ordinatur Incarnatio Verbi, fuere antè illam præuisa. *Tertium* ex istis consequens est, Deum ante Incarnationis decretum omnia naturalia cognouisse, quatenus homini seruiunt. Probatur: quoniam, vt ante diximus, Incarnatio decreta fuit post legalium sacrificiorum reprobationem, & post hominum peccata præuisa, sed horum cognitio notitiam præsupponit rerum naturalium & politicarum; ergò. Et confirmatur: quoniam ante volitionem Incarnationis præuidit Deus naturam humanam per omnes suas causas, prout sc. dependebat à cœlis, elementis, cibis &c. igitur præuidit has omnes causas naturales.

S. Thom.

Tertia dicti pars, nimirum peccati remissionem fuisse volitam & præuisam, antequam fieret Incarnationis decretum, probatur ex dictis; quia voluntatem Incarnationis præcessit volitio sacrificiorum, quibus expiarentur peccata, & voluntas inueniendi hominem, qui cæteros à peccatis erueret, vt patet ex verbis Isaiæ & Pauli supranotatis: hoc autem supponit voluntatem remedij contra peccatum. Præterea *Ioan. 3.* dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*: Quibus verbis planè significatur Incarnationis decretum ex amore Dei processisse, quo remedium afferre voluit hominibus, ne perirent. Quod autem remedium hoc sit à Deo volitum prius in genere causæ materialis, quàm Incarnatio probatur: quia remissio peccati materia fuit, circa quam Incarnati Verbi versari debebat operatio; igitur peccati remedium fuit præuolitum in genere causæ materialis; probatur illatio; quia quòd in aliquo genere causæ prius est altero, in eodem etiam genere prius est à Deo volitum: at materia circa quam versatur aliqua operatio prior est illa in genere causæ materialis; ergò. Antecedens autem probatur: quia, sicut effectus artis habet rationem materiæ circa quam versatur ars, ita natura vt reparanda, vel remedium peccati, vt per Christum causandum fuit materia, circa quam versabatur operatio Christi.

Ioan. 3.

Postrema dicti pars, remedium peccati finem esse Incarnationis atque adeò in genere causæ finalis prius à Deo volitum fuisse peccati remedium, quàm Incarnatio: & probatur primò: Quia Scriptura, Concilia & Patres sæpè dicunt Dei filium ad redimendum nos, & propter nostram salutem de cœlis ad nos assumpta humanitate nostra venisse, qua loquendi forma significatur peccati remedium esse aliquo modo finem Incarnationis, ac proinde quadam ratione prius in genere causæ finalis fuisse à Deo volitum; ergò: Antecedens patet ex illis Domini verbis *Ioann. 3. Sic Deus dilexit mundum, &c, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*; & idem habetur *Matt. 18. Luc. 19. ad Gal. 3. 1. ad Tim.*

Tim.1.& 1.Ioan. 3. & in locis Isa. supra notatis, & in Symbolo Concilij Niceni, Ephesini, Calcedon. Toletani 6. & 11 dicitur Dei filium propter nos homines, & propter nostram salutem incarnatum fuisse. Patrum verò dicta superius indicauimus. Secundò probatur idem ratione D. Bonauenturæ: Quia si Deus Mysterium Incarnationis non propter remedium nostrum, sed propter perfectam sui communicationem primò voluisset, censeremus nos longè minus à Deo beneficium recepisse, quàm modò; ac perinde minus pro beneficio Incarnationis Deo deberemus. Prior consequentia probatur: quia maius beneficium est, quod inimicis propter eorum vtilitatem confertur: Itaque si Deus Incarnationē voluit in peccati remedium, hoc ipso destinauit illam ad inimicorum vtilitatem, quod maius est beneficium.

Vt autem intelligamus, quomodo peccati remedium sit finis Incarnationis, *recolenda primò* est distinctio superius explicata, nimirum duplicem esse finem; alter est gratia cuius; qui scilicet propter se intenditur & amatur, & ad quem cætera vt media volita diriguntur: alter est finis cui prouenit vtilitas aliqua; quomodo rusticus dicitur esse finis Regiæ prouidentiæ; quoniam ex gubernatione Regis accipit vtilitatem, & inferiorum generatio finis est cui motus cœli; quia res istæ inferiores beneficium habent generationis ex motu cœli; quo etiam modo finis Angelorum homo est, non propter quem creati sunt Angeli, sed sua iugi custodia spiritus illi cœlestes afferunt vtilitatem. *Secundò sciendum* est idem posse esse effectum respectu eiusdem in eodem genere causę; quamuis non in eadem atoma specie; ex. gr. accidentia sunt causæ materialis ad esse subiecti; quia disponunt ad illud; dispositio verò reductiuè pertinet ad causam materialem, & tamen subiectum causa materialis est accidentiū, cùm ea in ipso recipiat & sustentet: Non eadem tamen est vtrinque species atoma causæ materialis sed diuersa, vt patet ex modo causalitatis diuerso; illa enim rationem habent & exercent causæ materialis vt dispositiones, hoc autem vt subiectum; quorum rationes non solùm absolutè, sed etiam in genere causæ materialis maximè distant: Idem etiam contingit in genere causæ finalis: bonum enim exercitus ad bonum Ducis ordinatur, vt ad finem gratia cuius, vt ait S. D. *2. 2.q.39.a.2.ad 2.* & tamen Dux ordinatur ad bonū cuiuslibet militis, vt ad finem cui: quæ tamen rationes finis diuersæ sunt secundùm speciem; sic igitur in proposito, quamuis omnia ad Christum passibilem ordinentur, vt ad finem gratia cuius, siue propter se intentum & amatum, & propter illum, & gloriam eius, vt finem principalem sit volitum peccati remedium; potuit tamen Incarnatio & Christus ipse ad humanæ naturæ infectæ peccato remedium ordinari, vt ad finem cui ex illa proueniebat vtilitas & liberatio. Sed quemadmodum hæc ratio finis non constituit finem simpliciter, sed tantùm secundùm quid, ita non confert, aut infert in tali fine prioritatem simpliciter in genere causæ finalis, sed tantùm secundùm quid respectu eorum, quæ ordinantur ad ipsum; quod igitur hic intendimus, est peccati remedium causam esse finalem secundùm quid Incarnationis, & priorem ea secundùm quid, & prius etiam esse volitum in genere causæ materialis, quàm Incarnatio Verbi.

Secvndvm, quod hic est probandum & explicandum, *est Incarnationem in carne passibili vel Christum ipsum vt passibilem & eius gloriam, esse finem*

A *à Deo intētum in genere causæ finalis prius simpliciter, quàm totus ordo naturæ & gratiæ, & prius quā peccatū intelligatur præuisum, vt futurum, aut permissum.* Huius dicti *prima pars*, quæ de Christo & Incarnatione loquitur in carne passibili per cōparationē ad ordines naturę & gratię, communiter à Theologis admittitur, quo ad Christum & Incarnationem absolutè sumptam, i. præcisa ratione passibilis. Et probatur ex diuina Scriptura *Eccl.24.* vbi Verbi incarnati personam loquentem inducens, ait: *Ab initio & ante secula creata sum*, id est, creatæ naturæ vniri personaliter præuisa sum; vt ibidem exponit Glossa; non potest

B autem illa dictio *ante* prioritatem temporis significare: quoniam, vt dicitur *ad Gal. 4.* Mysterium Incarnationis factum fuit in plenitudine temporis, neque potest intelligi de prioritate præscientiæ & prædeterminationis: Quia creaturis omnibus est commune in Dei prædeterminatione fuisse ante omnia secula; sunt igitur intelligenda de prioritate causæ finalis, siue secundùm ordinem intentionis in voluntate Dei. Probatur autem eadem pars vt iacet, primò: Quia Deus per Incarnationem est quodammodo specialissimo in carne Christi passibili, & in ipso Christo passibili dicente Apostolo, *2.Cor.5. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*;

C ergò Christus etiam, vt passibilis est prius omnium volitus ante omnia. Probatur illatio; Quia Deus, tam secundùm se, quàm vt existens alicubi speciali modo, finis est omnium; ex. gr. In Eucharistia Deus est speciali modo & ideò cæterorum omnium Sacramentorum gratia ad Eucharistiam ordinatur, etiam quando in nocte cœnæ fuit à Domino consecrata: & quia Deus etiam speciali modo est in hominibus iustis, vt ostendimus *in 1.p.* cum D. Tho. *q.43 a.3.* ideò iusti sunt finis omnium, iuxta illud *1.Corint.3. Omnia vestra sunt*; ergo similiter quia Deus erat in Christo passibili modo quodam excellentissimo, ad prouidentiam Dei pertinebat omnia ad illum, vt ad

D finem ordinare. Tertiò Christus vt gloriosus siue Christi gloria est finis omnium; ergò etiam vt passibilis. Antecedens est Chrysostom. *hom.71. in Ioan.* & Concil. Trid. *sess.6.c.7.* dicente, gloriam Christi esse finem nostræ iustificationis, ex quo sequitur etiam esse finem omnium creatorum; cùm omnia creata ordinentur ad ordinem gratiæ, vt ad finem. Consequentia verò probatur: quia Christus in statu gloriæ finis est omnium propter vnionis hypostaticæ dignitatem: sed eandem dignitatem habet in statu passibili; ergò. Quartò vt aliquid sit alterius finis, satis est si illud acceptetur & ametur ex amore illius: at humanæ naturæ remedium acceptatur & amatur à Deo ex amore Christi passibilis;

E ergò Christus passibilis est finis nostri remedij seu redemptionis. Maior patet: quia Deus ideò seipsum amat vt finem; quia cætera diligit ex amore sui. Minor verò probatur: quoniam ex acceptatione Christi passibilis oritur remissio nostri peccati, & ex dilectione illius passibilis mutuo nos amore vt eius membra diligimus: Denique si Christus vt passibilis non est finis omniū; quia factus fuit homo, vt nos redimeret, sequitur illum neque vt glorioſum & cœlum ascendentem, & ibi regnantem, & in dextera Dei sedentem esse finem omnium, siquidem illuc ascendit, *vt appareat vultui Dei pro nobis*, vt ait Apost. *ad Heb.9.* & vt oret pro nobis, iuxta illud *1. Ioann 2. Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, vt præparet nobis locum*, vt ipse ait *Ioann.14.* Consequens aūt falsum est, vt ostendimus, & et-

iam aduersarij confitentur dicentes; Christum in A
statu gloria esse finem omnium.

Altera verò dicti pars affirmans diuini Verbi Incarnationem in carne passibili fuisse prius in genere causæ finalis à Deo volitam, quàm permitteretur aut præuideretur à Deo peccatum. Probatur: quia non intelligitur permissum nec præuisum à Deo peccatum, nisi post volitionem humanæ naturæ, cuius defectus est. Sed natura humana fuit incarnatione posterius in genere causæ finalis à Deo volita; ergò in eodem genere permissio & præuisio peccati fuit Incarnatione posterior, sed de hoc infra differemus vberius.

Ex dictis sequuntur tria. *Primum* est, Chri- B
stum non simul cum alijs, sed prius omnibus esse prædestinatum. Probatur: quia finis est omnium prædestinatorum; ergò prius fuit intentus, quàm illi. *Secundum* est, Christum fuisse prius intētum, quàm totum vniuersum includens ordinem naturæ, gratiæ & vnionis hypostaticæ: probatur, nam alioquin totum vniuersum, & non Christus diceretur primogenitus omnis creaturæ, & fuisse creatum, scilicet in intentione Dei *ab initio, & ante secula*; siquidem vniuersum primò fuisset intentum; at consequens falsum est; quoniam hæc non de vniuerso, sed de Christo dicuntur, vt patet *Eccl. 24. ad Rom. 8. & ad Heb. 2.* Præterea, licèt Deus & vniuersum sit extensiuè maius bonum, quàm solus Deus, vt explicauimus *in 1. p. q. 6 a 2.* C
Deus tamen finis est omnium & ipsius etiam vniuersi; ergò similiter licèt Christus & vniuersum sint maius bonum extensiuè, quàm solus Christus: ipse tamen finis vniuersi, quoniam in se continet intensiuè gradus omnes & perfectiones totius vniuersi. Et quemadmodum Christus absolutè dicitur caput Ecclesiæ, vt patet ex Apostolo *ad Ephes. 1. & ad Col. 1.* quia licèt Ecclesia includat caput & membra siue corpus, & Christus non sit caput ipsius capitis, est tamen caput omnium membrorum, quæ possunt habere caput; quod satis est vt absolutè dicatur caput Ecclesiæ; ita vt absolutè dicatur finis vniuersi, non exigitur vt sit finis suijpsius, qui includitur in vni- D
uerso, sed satis est vt sit finis aliorum omnium, quę possunt ad ipsum ordinari. *Tertium* est, Christi merita & satisfactionem esse prius à Deo volita, quàm iustificatio nostra & ipsum vniuersum. Probatur hoc illatum: quoniam operationes illæ maioris erant valoris & dignitatis personalis, quàm aliæ res vniuersi, & ad ordinem pertinebant superiorem, scilicet vnionis hypostaticæ, & ex earum amore & acceptatione nos iustificamur à peccatis; ergò nostra iustificatio, quæ finis est cæterorum, ordinatur ad illas, vt ad finem. Et cōfirmatur primò: nam id postulat rectus ordo; quoniam operationes illæ Christi Domini longè perfectiores sunt nostra iustificatione; ergò li- E
cet ordinentur ad eam, vt causæ morales ad effectum, non tamen vt media ad finem propriè & absolutè loquendo. Secundò confirmatur; quoniam in primo signo, quo Deus voluit Christum ante omnes creaturas, voluit illum vt actu operantem & merentem; ergò in eodem signo ante volitam nostram iustificationem voluit Deus merita & operationes: Antecedens patet; quia Deus voluit Christum vt omnino perfectum in actu secundo & vt caput omnium; aliàs Christus id non haberet ex vi suæ prædestinationis: Ad hoc autem, vt sit volitus omnino perfectus in actu secundo, & vt caput influens in membra requiritur, vt sit volitus tanquam merens & satisfaciens, sic enim influit in membra:

Consequentia verò probatur: quia quod in illo priori signo fuit volitum, fuit volitum ante creaturas, quæ tunc non fuerunt volitæ.

Denique nota tertium signum posse in duo signa distingui, & eadem ratione sextum, vt patet ex dictis circa præcedentem conclusionem.

TERTIA CONCLVSIO. *Ante voluntatem, seu decretum efficax Incarnationis diuini Verbi, ac prædestinationis Christi præcesit ordine rationis in Deo præscientia originalis peccati, & cæterorum omnium actualium.* Hęc sequitur immò continetur euidenter in ordine actuum supra constituto & explicato; & eam affirmat expresè S. D. *hic in respons. ad 4.* dicens, prædestinationem præsupponere præscientiam futurorum: cuius propositionis sensus est: Prædestinatio, vt respicit prædestinata, præsupponit præscientiam futurorum non prædestinatorum, sed eorum quæ præsupponuntur, vel ordinantur per prædestinationem, inter hæc autem constat etiam esse peccata, quatenus pertinent ad ordinem naturæ, vt hic scitè Caiet. aduertit.

Sed ait Suarez verba D. Th. non posse intelligi de præscientia absoluta, sed tantùm de præscientia conditionata; quia subdit S. D. *Et ideò, sicut Deus prædestinat salutem alicuius hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam prædestinauit opus redemptionis in remedium peccati*: in quo exemplo (inquit Suarez) prædestinatio talis hominis non præsupponit præscientiam futuræ orationis aliorum, vt propter eam præuisam Deus alium prædestinet; aliàs posset vnus impetrare aut mereri de congruo totam prædestinationem, quod falsum est; quia potius tale meritum, vel oratio Stephani, verbi gratia, fuit effectus prædestinationis alterius, videlicet Pauli; non ergo de præscientia absoluta, sed de conditionata loquitur S. Thom. *Respondetur*, D. Thom. ea respons. Sol.
satisfacere huic argum. Dicitur *Rom. 1.* de Christo: *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute*; ergo etiam ante peccatum necessarium erat filium Dei incarnari, ad hoc, vt Dei prædestinatio impleretur: Probatur consequentia: quia prædestinatio Dei est æterna. Respondet S. D. nullam esse consequentiam; quia prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum, *& ideò sicut* &c. ac si diceret: ex hoc, quòd Christus prædestinatus est ab æterno, non sequitur, illum prædestinatum fuisse absque ordine ad peccatum per merita, & satisfactionem tollendum, sicut ex hoc, quod prædestinatio alicuius hominis est æterna, non sequitur eam ex ipso prædestinationis decreto non esse per orationes aliorum implendam, cùm Deus de facto prædestinet salutem alicuius hominis per orationes aliorum implendam, adeò vt exemplum afferatur, vt simile tantùm, quo ad connexionem prædestinationis, siue rei prædestinatæ, vt sic cum alia, siue illa sit siue non sit prædestinationis effectus; non autem quoad connexionis causam, seu rationem, scilicet præscientiam, quæ in Christi prædestinatione secundùm D. Thomam est præscientia peccati: Iam enim diximus cum Caietano dictum illud, *Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum*, intelligendum esse de præscientia eorum, quæ non constituuntur per prædestinationem; constat autem orationes per quas aliquis est saluandus, per prædestinationem constitui; quia sunt eius effectus: Vbi aduertè Albertinum *in allegato Corollario puncto 6. pag. 732.* falsum imponere D. Thom. nimirum, quod dixerit prædestinationem alicuius electi præsupponere orationem alicuius Sancti, per quam ille electus sal-

ua-

tur: hoc enim nusquam somniat Sanct. Doct.

Probari potest hæc conclusio illis omnibus diuinæ scripturæ & Sanctorum authoritatibus quibus probant hic expositores primam cõclusionem S. Th. quas omnes probationes diligenter collegit Asturic. & post eum Vasq. Et probatur etiam; Quia *Ioannis 3.* dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* & Ephes. 2. *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis conuiuificauit nos in Christo:* at nisi Deus præuidisset ab æterno peccatum, & miseriam hominis non posset propriè, neque verè dici, Deum ex æternæ dilectionis & miserationis affectu filium suum vnigenitum nobis in satisfactorem & Saluatorem dedisse, vt à morte peccati & damnationis æternæ eriperemur: igitur ante Incarnationis decretum fuit in mente diuina præscientia peccati, & miseriæ nostræ per Incarnationes opus reparandæ. Secunda propos. probatur: quia misericordia in nobis, vt ait August. lib. *9. de Ciuit. Dei. c. 5.* est alienæ miseriæ in nostro corde compassio; in Deo autem est humanæ miseriæ subleuatio, vt affirmat S. D. *1. p. q. 21. a. 3.* igitur misericordia supponit miseriam à miserante cognitam, & ab ipso subleuandam; ergò nisi Deus præuidisset ab æterno peccatum &c. Alias probationes refert Suarez, *disp. 5. sect. 6.*

Asturicensis. Vasquez 10. 3.

Ephes. 2.

» QVARTA CONC. *Deus ante præuisum peccatum non determinauit in vniuersali aliquam vnionem alicuius personæ ad aliquam naturam creatam.* Probatur primò: quia Leo Papa *in serm. 3. Pentecostes* ait; *quod si homo non peccasset, creator mundi non fieret creatura.* Quibus verbis vniuersaliter negat Deum in aliqua ex tribus personis vniendum fore alicui naturæ creatæ, nisi propter peccati remedium. Idem docent Nazianzenus *in orat. 4. de Theol.* Basil *in orat. de natiuit. Christi.* Hieronym. *Eccles. 7.* & August. *in Psal. 36. Concione secunda.* Secundò probatur ratione D. Th. Quia non extat aliqua reuelatio de tali decreto; ergò. Tertiò: quia prioritas hæc sumitur ex ordine obiectorum secundum se: sed inter vnionem in communi, & incarnationem hanc in particulari nullus est ordo ex natura rei formaliter aut eminẽter: quia solùm ratione distinguuntur, & neutra est alterius causa; ergò. Denique probatur; quia cognoscere aut velle obiectum in communi prius, quàm in particulari sonat imperfectionem in potentia, quæ transit de potentia in actum; quod Deo repugnat, qui semper est in actu perfecto & vltimo; atque ideò semper intelligimus eius actum ad obiecta determinata secundum omnes suas conditiones terminari: qua ratione non intelligimus cognitionem aut amorem Dei prius terminari ad ens aut bonum in communi, quam ad obiecta particularia; sed cum D. Tho. dicimus actum diuinæ cognitionis & amoris prius causalitate ad essentiam suam particularem terminari, & ratione illius ad obiecta particularia.

» QVINTA CONCL. *Mysteriũ Incarnationis non habuit plures fines principales, & totales minimè subordinatos.* Probatur *primò* ex dictis Sanctorũ pro quarta cõclusione notatis: quæ non rectè explicantur dicẽdo eos loqui de Incarnatione in carne passibili; nam eodem modo dicere verè potuissent Christũ non venisse; quia possent exponi de aduentu in carne impassibili. *Secundò* probatur: quia si plures fuerunt Incarnationis fines totales supra notati, sequitur fuisse carnem assũ-

A pturum, etiam si mundus non esset à Deo creandus: at consequens est absurdum; ergò. Probatur illatio; quia posset Deus solã vnam numero humanitatẽ creare, cui filius personaliter vniretur, & tũc secundũ huius sententiæ defensores perfectio ipsa Incarnationis sufficeret ad mouendum Dei voluntatem, vt eam produceret. Et confirmatur: quia secundũ hanc opinionẽ, quã tuetur Suar. sequitur, remediũ peccati non esse vnũ ex finibus principalibus Incarnationis, sed medium ad finẽ; cuius oppositũ docet hic expositor. Probatur consequentia; quia Suarez ait, vnum ex finibus principalibus Incarnationis fuisse Deũ se cõmunicare creaturæ modo conuenientissimo ad sua omnia attributa manifestanda: at supposB to peccato medium necessarium ad ea manifestanda erat redimere hominem; cum hoc maximè reluceat Dei misericordia, iustitia, &c. ergò remediũ peccati & redemptio hominis electa fuit vt medium ad attributa Dei nobis & Angelis modo conuenientiori manifestanda; ac proindè nõ fuit finis per se intentus & principalis. *Tertiò.* Contradictio est rẽ quæ iã incẽpit, iterũ incipere: at hoc sequitur ex opinione Suarezij; ergò. Maior probatur: Quia incẽptio includit negationem præteritæ existentiæ; & ideò si modo incẽpit res, ante nõ erat: Minor verò probatur: quia si Incarnatio prius fuit à Deo volita propter alios fines, & posterius ob peccati remeC dium, in illo priori rationis, iam incẽpit esse futura: quia Dei voluntas efficax de productione alicuius rei causa est, virtute cuius illa res incipit esse futura in determinatione primæ causæ; ergò si postea in alio signo rationis Incarnatio fuit primò volita propter remediũ peccati, ex vi illius volitionis, iterũ inciperet esse futura; alioquin talis volitio nõ esset efficax respectu illius, cũ nihil causetur in illa, quod antea non haberet secundũ substantiam. *Sed fortasse dicet* Suarez: In primo illo signo, quando volita fuit Incarnatio propter alios fines, incẽpisse esse futurã absolutè secundũ substantiã: in secundo verò signo, quando volita fuit in remediũ peccati, incẽpisse esse futurã non absolutè sed in carne passibili. *Sed cõ-* *Cõfutatio.*
D *tra* hoc est; quia volitio illius prioris signi non fuit efficax absolutè; quia nihil circa Incarnationem effecit, neque aliquo modo produxit illam ad aliquod esse; & tamen voluntas efficax est, ex qua in re ipsa sequitur effectus. Nec fuit efficax ex suppositione, si peccatum non esset; quoniam ex nulla parte constat, talem conditionem diuinæ volitioni fuisse appositam, vt fieret Incarnatio. Quamuis enim sciamus Incarnationem in carne impassibili ob sui perfectionem Deo placere simplici affectu complacentiæ, eo modo quo placet illi alterius vniuersi perfectio, aut Incarnatio patris: hinc tamen non rectè colligitur illam primo fuisse intentam à Deo: *Sed di-* *Instantia.*
E *cet Suar.* Dei voluntas antecedens qua vult omnibus gratiam, fieret efficax, si non esset peccatum; ergo eadem ratione voluntas antecedens, & simplex complacentia, quam Deus habet de Incarnatione in natura impassibili, fieret efficax non existente peccato. *Sed falsum* assumit; nam *Resp.* ex antecedente voluntate, qua Deus dare vult omnibus gratiam, solùm sufficientia causantur auxilia, quę sola ad beatitudinem non perducũt; vt autem esset efficax illa voluntas, efficacia causare deberet auxilia; quibus infallibiliter saluaremur: Et ideò voluntas illa antecedens, etiamsi peccatum non esset non fieret consequens & efficax: eodem itaque modo voluntas antecedens de Incarnatione in natura impassibili, quam ponit

Suarez in Deo non fieret efficax deficiente peccato: quoniam ex illa non oriuntur media infallibiliter perducentia in talem finem.

» SEXTA CONCL. *Si non peccasset homo, filius*
» *Dei ex vi decreti, quod de facto fuit in Deo, nostram*
» *non assumpsisset humanitatem:* Hæc conclusio simul cum sequente continetur in conclusione S. D. in textu, & eodem etiam argumento probatur. Et probatur etiam optimis argumentis. *Primò.* Christus fuit à Deo prædestinatus in remedium humani peccati, & in redemptorem ac reparatorem humanæ naturæ peccato collapsæ; ergò peccato non existente Christus ex vi decreti, quo fuit prædestinatus, non veniret. Consequentia patet. Antecedens est fidei dogma certissimum: & probatur ex multis diuinæ scripturæ testimonijs: Nam *Luc. 19.* Christus Dominus de seipso dicit: *Venit filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat*: alia quædam loca supra notauimus, quibus adde ea, quæ producit ac diligenter expendit Asturicensis *in allegata quæstione sexta dubio primo, concl. 4. pagina 656. & seq.* Vbi non solùm antecedens, sed Conclusionem ipsam probat multis Sanctorum Patrum dictis, quæ ante eum refert Medina, & copiosius Valen. & ea ponderat Vasq. *disput. 10. capitulo 7.*

Radæ inter locutio. Sed huic arg. *respondent qui Scoti* sententiam tuëtur, Diuinas scripturas & Sanctorum dicta, quæ aduentus Christi in carne, peccatum vt causam constituunt, intelligenda esse de aduentu eius in carne passibili: Sed hanc non fuisse præcipuam Incarnationis causam, quo ad eius substantiam, nec aduentus eius absolutè considerati: Ita respondet Rada *Contr. 5. a. 3.* Sed hæc euasio per

Radæ respõsio confutatur. argumenta sequentia confutatur. Quibus etiam directè probatur nostra Conclusio; igitur *secundò* sic argumentor: Quoties diuinæ litteræ quidpiam determinatè pronuntiant, & certam aliquam illius causam non semel sed frequenter assignant, ex hoc per firmam ac optimam consequentiam colligimus, illam esse solam causam aut saltem præcipuam seu principalem, sine qua res minimè fierent: at scripturæ sacræ causam Incarnationis diuini Verbi & aduentus Christi dicunt fuisse redemptionem humani generis; ergò per bonam ac euidentem consequentiam rectè colligimus hanc solam vel principalem extitisse, vt ea remota filius Dei nequaquam in assumpta carne veniret. Minor patet ex dictis. Maior probatur: quoniam ex eo, quod diuina scriptura sæpius affirmat mortem ex primi parentis transgressione in totum genus humanum fuisse transfusam, colligimus solam culpam inducendæ mortis causam extitisse, ac proindè si non peccasset Adam, immune perpetuò futurum à morte genus humanum: Similiter quia sacræ litteræ pluribus in locis, vbi de mundi creatione loquuntur, vnicum tantùm mundum expresserunt, firma consequentia deducimus vnum dũtaxat mundum à Deo fuisse creatum. Deniq; quia diuina scriptura tres tantùm in vna Deitate personas nominauit, nusquàm autem esse quatuor aut plures asseruit, certissima fide credimus

Regula notanda. & confitemur tres esse tantùm & non plures in Deo personas; Ex quibus deduco regulam ad sacrarum litterarum intelligentiam cuilibet sapienti ac pio Theologo valdè necessariam, videlicet argumentum ex sacris litteris negatiuum tũc verè firmum & efficax esse, cum res de qua loquuntur, grauis est ac magni momenti, & de ea non obiter aut ex accidenti sed ex præcipuo quodam instituto considerate & perspicuè ac distinctè loquuntur; vt patet in tribus nũc productis exemplis: in his enim & similibus negatiuæ propositiones æquipollent affirmatiuis: exempli gratia: Hæc propositio, Scriptura non exprimit aliam causam mortis quam peccatum, æquipollet huic: Scriptura docet solum peccatum esse causam mortis, & sic de alijs; & ideò rectè in similibus ex negatiua licitum est arguendo per firmam conseq. deducere affirmatiuam. *Tertiò* sic arguo: Si non existente peccato Christus vẽturus erat in carne impassibili ex decreto, quod in Deo fuisse ante præuisionem peccati docent Scotistæ & alij, sequitur absolutè dicendum esse Christum in mundum non venisse ad redimendum genus humanum: at consequens falua fidei sinceritate non potest admitti: quia manifestè sacris litteris aduersatur vbiq; docentibus Christum vt humani generis redemptorem & Saluatorem in mundum venisse: sequela verò probatur: quia secundùm illam opinionem iam Christus erat venturus ex alia principali causa, & ex decreto quod præcessit in signo rationis præscientiã peccati, & decretũ de homine redimẽdo; igitur neq; simpliciter neq; secũdũ locutionis proprietatẽ dici posset Christũ ad redimendum genus humanum venisse: Et quamuis Franciscus Cartagena ab Asturic. relatus, & quidam alij cõsequentiam admittant dicentes, non esse simpliciter asserendum Christum in remedium peccati venisse, sed eum addito seu limitatione dicendum esse Christum passibilem & mortalem in remedium peccati venisse; hoc tamen temerè dictum ac piarum aurium offensiuum non videtur vlla ratione posse tolerari; cum diuinæ scripturæ Patres & Concilia simpliciter affirment Dei filium propter nos à peccati seruitute redimendos, & Deo reconciliandos in assumpta nostra natura venisse. *Quartò* Sic arguò: Si decretum Incarnationis & Christi prædestinatio fuit in signo rationis antè peccati præscientiam, vno ex tribus modis fuisse necesse est; aut enim decretum seu prædestinatio fuit de Christo venturo in carne impassibili & immortali, aut in carne passibili & mortali, aut in illo signo decretum fuit de sola Incarnationis substantia nihil pro tunc statuendo de circumstantijs, scilicet passibilitate aut impassibilitate, sed hæc reseruando alteri diuinæ mentis decreto: at nullo dictorum modorum fieri potuit decretum Incarnationis & Christi prædestinatio ante peccati præscientiam; ergò decretum Incarnationis, & prædestinatio Christi non fuit in Deo, nisi peccato præuiso, ac proindè fuit in peccati remedium. Maior ex sufficienti constat diuisione. Minor quo ad singulas eius partes probatur. Et primò; Christum in illo signo non fuisse prædestinatum, vt veniret in carne impassibili & immortali; Quia si Christus antè peccati præscientiam sic fuit à Deo prædestnatus, sequitur Christum etiam suppolito peccato fuisse venturum in carne impassibili, probatur sequela; quia si non veniret in carne impassibili, hoc esset ex altera duarum causarum scilicet vel quia decretum non esset efficax, vel quia mutatum à Deo fuisset in posteriori signo rationis, in quo præuidit Adam peccaturum; vtrumque autem error est intollerabilis. Primum quidem contra Dei potentiam. Secundum autem contra eius immutabilitatem. Probatur illatio; quia secundùm dictam opinionem Deus ante præscientiam originalis peccati constituerat absoluto decreto, vt filius Dei carnem assumeret immortalem, sed peccato prę-
uiso in alio signo rationis decreuit, vt iam non in carne impassibili sed in carne passibili veniret

sicut

ſicut de facto venit; hæc autem eſt manifeſta mutatio diuini decreti, & per conſequens actuum intellectus & voluntatis ad vnum actum decreti concurrentium. Secundò probatur ſecunda pars minoris, nimirum decretum illud in illo ſigno rationis eſſe non potuiſſe de Chriſto venturo in carne paſſibili. Primò; quia ſequeretur peccato etiam non exiſtente Chriſtum fuiſſe venturum in carne paſſibili, quod eſſe falſum declarant ſcripturæ ſacræ & Sanctorum dicta, quæ latè referunt hic expoſitores & Aſturic. *loco notato, & pag. 697. pro ſua quinta Concl.* Secundò; quia ſi Adam non peccaſſet, nec ipſe nec eius poſteri moriendi neceſſitatem incurriſſent; ergò multò minus Chriſtus nullo exiſtente peccato veniſſet in carne paſſibili & morti ſubiecta. Tertia demum pars minoris, videlicet decretum illud eſſe non potuiſſe de ſola & præciſa Incarnationis ſubſtãtia probatur primò. Prædeſtinatio pars eſt diuinæ prouidentiæ perfectiſſima, quæ ſingulares omnes rei prædeſtinatæ circumſtantias attendit ac prædeterminat: at primum illud decretum ſecundùm dictam opinionem fuit decretum prædeſtinationis Chriſti; igitur eo determinauit Deus, qualem Chriſtus carnem eſſet habiturus, an ſcilicet paſſibilem vel impaſſibilem, quo loco, tempore & quibus alijs conditionibus & circumſtantijs nobis eſſet à Deo mittendus. Et cõfirmatur; quia Chriſtus venturus erat in mundum, ex vi decreti & prædeſtinationis; at Chriſtus in mundũ veniens neceſſariò debuit habere carnem determinatam indiuidualiter ſecundùm eſſe ſubſtantiale, quantitatem & qualitates, modum veniẽdi per generationem, vel creationem, & ſecundùm alias circumſtantias; ergò etiam in decreto Incarnationis debuit horum omnium eſſe prædefinitio; alioquin Incarnatio ſecundùm eſſe ſuum indiuiduale completum non eſſet à Deo prædefinita ſeu prædeſtinata: atque ita per accidens ac præter Dei prædeſtinantis intentionem Incarnationi Verbi conuenient omnia ad eius eſſe indiuiduale ſecundariò pertinentia. Quod aſſerere, nedum eſt abſurdum, ſed erroneum; igitur hæc ſimul cum Incarnationis ſubſtantia fuerunt à Deo prædefinita. *Poſtremò* vt eiuſdem concluſionis veritas & ſenſus appareat euidentius ſic argumentor: Quamuis, vt ſupra notauimus, plures ſint rationes & cauſæ prædeſtinationis Chriſti ex parte rei prædeſtinatæ, ſcilicet Dei gloria & Chriſti gloria & hominis ac totius vniuerſi perfectio & exaltatio: omnes tamen rationes & cauſæ motiuæ propter quas Chriſtus fuit à Deo prædeſtinatus, fundamentum habuerunt in humani generis redemptione, adeò vt omnia prædicta, ſcilicet gloria Dei & Chriſti &c. Deus intenderit per modum vnius integri & totalis effectus conſequentis humani generis redemptionem Chriſti vita & morte cõparatam; ergò ſi non peccaſſet homo, filius Dei ex vi decreti quod de facto fuit in Deo non veniret in mundum. Antecedens probatur ex verbis Apoſtoli *ad Epheſ. primo* dicentis: *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtũ in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudẽ gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius remiſſionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis:* Quibus verbis Apoſtolus totam Chriſti prędeſtinationẽ cum eius cauſis & effectibus perſpicuè ac diligenter expreſſit: dicés enim in laudẽ gloriæ gratię ſuę finem indicat noſtræ prædeſtinationis in Chriſto, & per Chriſtum & finẽ prædeſtinationis ipſius Chriſti, qui prædeſtinatus eſt, vt eſſet ſplendidiſſimum exemplar & caput omnium prædeſtinatorum; ideo autem non ſimpliciter dixit in laudẽ glorię eius, ſed in laudẽ gloriæ gratię eius; quia gloria hęc debuit ex gratia redẽptionis, veluti ex quadam radice & fonte promanare, quod explicãs Apo. addit: *In qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redẽptionẽ per sãguinẽ eius &c.* Igitur rationes omnes & motiua prædicta pro vna perfecta & integra ratione, ſeu motiuo Incarnationis cum peccati remedio ſeu reparatione facta per Chriſtum computanda ſunt.

Aſturicenſis.

A

B

C

D

E

Septima Conc. *Abſque fundamento aſſeritur quòd, ſi Adam non peccaſſet, filius Dei ex vi alterius decreti noſtram aſſumpſiſſet humanitatem.* Hæc concluſio eiſdem probatur ſacrarum ſcripturarum oraculis & Sanctorum dictis, quibus præcedens concluſio probari conſueuit. Loca diuinæ ſcripturæ & Sanctorum dicta collegerunt Aſturicenſis *pag. 656.* & Vaſq. *diſp. 10. c. 4. & 5.* Poteſt autem ex ſcripturis & Patribus ſic breuiter probari concluſio: Diuinæ ſcripturæ & Sancti Patres abſolutè pronuntiant Chriſtum ad nos à peccato redimendos in mundum veniſſe, & ex Patribus Nazianzenus, Ambroſius & Auguſtin. affirmant, nullam aliam Incarnationis dominicę cauſam extitiſſe, quàm redemptionem humani generis à peccato; igitur abſque fundamento dicitur aliam Deo fuiſſe ſufficientem cauſam veniendi in carne impaſſibili, ſi non peccaſſet homo: peccato verò ſuppoſito rationem veniẽdi in carne paſſibili fuiſſe naturæ noſtræ reparationẽ, & hanc ſolã à ſcripturis & Doctoribus aſſignari. Cum enim Sancti Patres rationem illam, ſcilicet exaltationem humanæ naturæ & totius vniuerſi perfectionem, quam iſti per ſe ſufficientem aduentus filij Dei cauſam eſſe contendunt, facilè potuerint excogitare, & tamen abſolutè pronũtient Dei filium vt Saluatorem in mundum veniſſe, & quidam ex eis præcipui dicant, nullam aliam Incarnationis filij Dei cauſam extitiſſe prẽter redẽptionẽ hominis à peccato, vana prorſus eſſe conuincitur tàm Schotiſtarũ, quã Suarezij phantaſia de cauſa prædicta Incarnationis à redemptione diuerſa. Adde rationem D. Thomæ *in hoc articulo pro prima ſua Concluſione*. Eandem etiam veritatem confirmat S. D. *in ſuo Commentario ſuper prima ad Timoth. primo cap.* Vbi exponens illa verba, *Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere*; ait *Deus ordinauit facienda, ſecundùm quod res ipſæ faciendæ erant, & neſcimus quid ordinaſſet, ſi non præſciuiſſet peccatum.* Hæc ibi S. D. Quorum fundamentum eſt indifferentia ſeu libertas diuinæ voluntatis, quæ ad vtrumlibet oppoſitorum, ſcilicet ad aſſumendum noſtram humanitatem, tàm ex hypoteſi quòd eſſet homo peccaturus, quàm ſi non eſſet peccaturus, potuit ab æterno pro ſua libertate determinari, nec potuit Deus ipſe ac proindè multò minus homo præuidere, ad quã partem, ſi non eſſet homo peccaturus, eſſet determinãda diuina voluntas; igitur abſq; vllo fundamento docẽt Suarez & alij, ſi Adã non peccaſſet, filiũ Dei ex vi alterius decreti in aſſumpta noſtra carne fuiſſe vẽturum.

Inſtantiæ variæ. I. *Sed qui ſententiam* tuentur oppoſitã, plures dictis diuinarũ ſcripturarum & Patrum adhibent gloſſas. *Prima eſt*: ea eſſe intelligenda, non de Incarnatione quo ad ſubſtãtiã ſed quo ad modum; quia ſcilicet propter redemptionem hominis à peccato facta eſt in carne paſſibili, quæ tamen ſi peccatum non eſſet fieret in carne impaſſibili. *Secunda eſt*, Chriſtum veniſſe propter peccati.

cati remissionem, tanquam propter finem principalem; sed nihilominus ex fine remoto fuisse venturum propter alios fines principales. *Tertia est*, ea testimonia esse intelligenda de Incarnatione, quantùm ad executionem; quia de facto venit propter remissionem peccati, nō autem quātùm ad intentionem; quoniam ex vi decreti diuini veniret, etiamsi peccatum non esset. *Vltima glossa* est, ea testimonia significare Incarnationis effectus fuisse peccati remedium, non verò finē illius, sicut etiam remissio venialium effectus est, nō autem finis Incarnationis. *Sed harum nulla* videtur planum diuinæ scripturæ & Patrum sensum exprimere & mentem eorum attingere. Nam *ex prima* sequeretur verè dici posse Verbū non assumpsisse carnem propter peccati remissionem, cum neget ad eum finem fuisse factam, & solùm dici posset Verbum carnem assumpsisse passibilem in remedium peccati; at consequens aduersatur diuinæ scripturæ & Symbolo Niceno absolutè dicenti: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est*, &c. Deinde glossam hanc falsitatis cōuincunt eorum Patrum dicta, quæ solum peccati remedium causam Incarnationis extitisse pronuntiant. *Secunda* verò glossa reijcitur illis argumentis, quibus ostendimus fuisse plures Incarnationis fines totales. *Tertia* verò facilè reijcitur; Quia fuit idem motiuum Incarnationis in intentione & in executione; ergò si fuit Incarnatio executioni mandata propter peccati remedium, etiam propter illud fuit intenta. Antecedens patet; quia nullus operatur, nisi propter finem intentum, & cum diuina scriptura nullum alium exprimat finem: Consequens est Dei Filium ob peccati remedium, vt solam causam principalem in mundum venisse. *Postremam* denique glossam excludunt eorum Sanctorum dicta, qui docent Christum non fuisse venturum, nisi propter peccati remediū: Hi verò sunt Aug. *lib. 1. de peccat. mer. & remiss. c. 26. & Sermone de Verbis Apost.* Leo Papa, Iren. & alij de quibus supra.

Ratio primæ. Secundæ. Tertiæ. Quartæ.

Ex His, quæ hucusque diximus, *patet primò* sententiam Caietani, quam etiam sequuntur Medina & Aluarez veram esse, & licèt eam Caietanus non satis amplè proposuerit, eadem tamen est in rei veritate, cum hoc nostro dicendi modo latius explicato, à quo etiam parum aut nihil in substantia differre videntur illi dicendi modi, quibus Zumellus, Hierony. della Rua & Albertinus sententiam explicans D. Th.

Secundò patet præcipuum Scoti fundamentum esse falsum. *Primò*: Quia voluntas liberè amans aliqua media nō infallibiliter prius aut magis amat id, quod melius est; sed id quod liberè eligit ad finem eo modo consequendum quo vult: at voluntas Dei ex amore naturali diuinæ bonitatis liberè amat & ordinat ad se omnes creaturas; ergò non infallibiliter amat prius vel magis id, quod secundùm se melius est, alioquin elegisset aliud vniuersum perfectius isto, sed satis est si medium eligat, quod scit conducere ad suæ bonitatis manifestationē, quæ finis est à Deo intentus. *Secundò*: Quia Christus in carne passibili est obiectum nobilius quàm peccati remedium, & tamen ipse Scotus docet Deum prius & magis voluisse peccati remedium, quàm Christum in carne passibili, eo quod illum in carne passibili ordinauerit ad peccati remedium. *Tertiò*: Quia Scotus sentit Deum in eodem signo rationis voluisse simul Christum & omnes prædestinatos, & tamen Christus est obiectum nobilius cęteris; ergò. *Quartò*: Quia natura Angelica est nobilior humana, & tamen secundùm Scotum, natura humana prius & magis est à Deo volita, cum Incarnatio Christi secundùm Scotum fuerit prius & magis à Deo volita, quàm omnis creatura: certum est autem Incarnationem neque esse, neque intelligi posse sine humanitate; ergò. *Denique* si verum esset illud fundamentum tot essent signa rationis priora & posteriora in cognitione Dei, quot sunt perfectionum creatarum gradus; exempli gratia. Vellet Deus in primo signo perfectissimum prædestinatum; in secundo secundū, & sic de reliquis.

Tertiò patet in tribus errasse Vasq. *Primū enim eius dictum falsum est*, nam vt ait S. D. *in 1. p. q. 23. art. 1.* Beatitudo formalis scilicet visio Dei est finis hominum supernaturalis, in quem homines ordinantur & transmittuntur à Deo; igitur visio Dei causa finalis est hominis; ergo ad illum ordinatur homo quasi vt medium ad finem. Probatur hæc secunda consequentia: quoniam effectus causæ finalis sunt media vt media: Dixi autem, quasi vt medium; quia propriè & absolutè loquendo homo respectu visionis præcisè sumptæ non est medium, sed subiectum & finis cui acquiritur visio, quamuis considerata visione, prout est finis quo Deum omnium finem attingimus & vnam cum eo constituit integram finis vltimi rationem, sit propriè & absolutè finis hominis. Secundò probatur falsitas eiusdem dicti quoniam operatio finis est substantiæ operantis, vt ait S. D. *in 1. p. q. 105. a. 5. & 3. cont. gent. c. 26.* & *alibi*; igitur operatio quatenus finis est operātis, prius causalitate finali volita est, quàm subiectum, cuius est operatio, cum finis prius causalitate sit volitus, quàm quod est ad finem: Dixi quatenus finis est operantis; Quia comparando operationem præcisè sumptam ad operantem, ordinatur ad ipsum vt ad finem: Nam, vt ait S. D. *in 3. cont. gent. c. 17. Finis vltimus cuiuslibet facientis, inquantum est faciens, est ipsemet*, vt ibidem explicat eruditè Ferrariensis, & ante eum Cai. *in 1. p. q. 44. a. 4. circa resp. ad 2.* D. Thom. vbi nos dicta D. Th. quæ videtur opposita conciliauimus. Tertiò probatur idem; quia homo est volitus propter ordinem vniuersi, & ipsum vniuersum est volitum propter ordinem gratiæ & gloriæ vt propter finem; ergò etiam homo est volitus propter illum vt finē. Prima pars antecedētis probatur; quia homo pars est vniuersi; partes autem sunt volitæ propter bonum totius. secunda verò pars probatur; quia inter vniuersum & ordinem gratiæ & gloriæ est æqualis ordo, iuxtà illud Apost. *Rom. 13. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt*: at ordo gratiæ & gloriæ non est propter ordinem naturalem vniuersi; ergò & eodē modo de homine possumus argumentari; nam inter hominem & gloriam est aliquis ordo, sed gloria non ordinatur ad hominem vt ad vltimū finem in suo ordine, ergò è contra homo ordinatur ad gloriam: Verum quidem est, hominem non esse à Deo volitum sine gloria volita, & è contra; non tamē ex hoc fit consequēs, vt malè deducit Vasquez, gloriam non esse volitam priùs causalitate finali quàm homo; ita scilicet vt homo non sit volitus propter illam; sicut eodē actu desidero gloriam mihi, & me ipsum volo in ordine ad gloriam vt ad finem; & tamē per illum actum attingo gloriam prius, quam me; quoniam actus ille cum sit virtutis Theologicæ, specificatur à fine, & obiectum primò specificans actum attingitur prius ab illo, & ratione illius attinguntur alia.

Secun-

Secundum etiam dictum reprobant S. Th. Cai. & alij Thomistæ *in 1. p. q. 23.* docentes, Deum prius ratione eligere hominem ad gloriam, & hanc volitionem causare virtualiter voluntatem dandi illi merita: nam, vt ait Apost. *ad Ephes. 1. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Quibus verbis significatur electione ad gloriam priorem esse voluntate dandi merita, quibus acquirimus perfectionem sanctitatis, de qua re legendus est Aug. *lib. 1. ad Simplic. q. 2. & lib. 6. Hippogn.*

Tertium etiam dictum manifestè deficit; quoniam electio medij, vt sic necessariò debet esse effectus alicuius intentionis efficacis illius finis ad quem eligitur; omnis enim ea finis intētio est efficax, qua medium eligitur ad obtinendum finem intentum; igitur si Petri vocatio fuit per auxilium de se efficax ad conuersionem, necesse est in Deo præcessisse volitionem conuersionis efficacem, ex qua prouenit auxilium efficax Petro collatum: Si autem vocatio & auxilium alicui à Deo collatum non sit efficax ad conuersionem, adhuc necesse est, vt ex aliqua procedat efficaci voluntate, non quidem iustificandi, sed alterius finis: vt exempli gratia seruandi prouidentiam generalis ordinis supernaturalis, aut ostendendi suam misericordiam &c. Vt explic. *in 1. p. q. 22. a. 1.*

Vltimum tandem dictum eiusdem expositoris non est vniuersaliter verum, nam etsi causa sit propter suam operationem, non tamen est semper propter suum effectum: nam finis non est propter medium, quod est eius effectus, neque causa æquiuoca propter effectum ea imperfectiorem: non enim Angelus aut Cœlum ab eo motum est propter Ranam aut Muscam; Verum est tamen dictum illud in causa naturali imperfectiore suo effectu; illam enim ordinat Deus & vult propter suum effectum; causam verò perfectiorem effectu vel æqualem vult Deus propter suā operationem, vel propter ipsam causam operātem, vt explicat Caiet. *in 1. p. quæst. 44. artic. 4. ad 2.*

Quartò patet Capr. in dictis actibus ordinandis intentionis ordinē cum ordine executionis confudisse.

Quintò patet, quid veri falsiuè contineant alij modi dicendi, scilicet Valentiæ, Molinæ & Suarez, qui scientiam illam mediam iam ab omnibus verè sapientibus explosam loco scientiæ naturalis, aut etiam liberè commiscent. Asturicēsis autem non longè distat à sententia nostra.

Alia ad hanc materiā pertinentia, lege, si placet, apud Asturic. Vasq. & Aluar. Hæc enim nostro sufficiunt instituto.

Argumenta & solutiones. Cōt. 1. cōcl. Obijcit Molina.

CONTRA *1. concl.* arg. Mol. Ordo ille diuinorum actuum respectu ordinis naturæ gratiæ & vnionis hypostaticæ videtur apertè esse in fide periculosus; ergò. Antec. prob. Quia prius aut certè non posterius est Deum constituere, vt Christus, quatenus est homo, sit per Incarnationem, quam Christum esse prædestinatum ad tantam & tantam gloriam; ergò si ordo gratiæ & prædestinationis aliorum hominum antecederet in mēte diuina ordinem Incarnationis, Christus non fuisset primus prædestinatorum, sed omnes alij prædestinati essent ante illum, atque adeò prædestinatio non fuisset in illo & per illū, hoc est ex meritis illius: at hoc pugnat cū Sacra scriptura; ergò, probatur hæc minor; quoniā *ad Ephes. 1.* Paulus ait: *Elegit nos in ipso ante mundi cōstitutionem, vt essemus Sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* Nec solùm (inquit) in Christo, & per Christum, id est ex meritis illius nos prædestinauit, sed etiam ad imaginem & similitudinem illius tanquam capitis atque exemplaris prædestinatorum, iuxtà illud *Rom. 8. Quos præscivit, & prædestinauit cōformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Confir. quoniam ex æternitate prædestinati sumus in laudem & honorem Christi capitis nostri & per gratiam & merita illius: at hoc fieri non potuit nisi vel prius vel certè simul incarnatio constituatur; ergò ordo gratiæ & prædestinationis, & cognitio futurorum cōtingentium eiusdēm ordinis præcedere non potuit in mente diuina ordinem & decretum vnionis hypostaticæ, cognitionemue Christi venturi. *Resp.* Ordines naturæ & gratiæ dupliciter posse considerari: *Vno modo* absolutè & ità præcedunt secundùm executionem, & secundùm ordinem causæ materialis ordinem vnionis hypostaticæ: neq; ordo gratiæ sic sumptus à Christo, aut eius gratia vel prædestinatione dependet, nisi vt à fine: *alio modo* dicti ordines naturæ & gratiæ possunt considerari, vt reparati vel reparandi per Christum; & hoc modo priores sunt secundum ordinem intentionis Incarnatione Christi; posteriores autem secundùm ordinem executionis, vel (& in idem redit) ad vnum rationis signum pertinent, quod tamen in duo potest distingui, vt ante diximus. Ad argumentū igitur negatur antecedens, ad eius probationem negatur consequentia: nam si de ordine gratiæ primo modo sumptæ sit sermo, gratia hominū præcedit in signo rationis secundùm ordinem tantùm causæ materialis Christi prædestinationem & decretum Incarnationis; si verò de ordine gratiæ loquamur in secundo sensu, prior est secundum intentionem decreto Incarnationis, vel simul cum eo in eodem signo rationis in duo distinguibili, modo superius explicato. Vt enim scitè Asturic. aduertit, nullum inconueniens est, vt id quod simpliciter est finis induat secundùm aliquem modum rationem medij respectu eius, quod absolutè ordinatur ad ipsum vt ad finem: sic igitur in proposito, licet Christus in statu glorioso & simpliciter sit finis humanæ redemptionis, ac perindè Christi prædestinatio simpliciter & absolutè sit prior gratia redemptionis, & aliorū hominū prædestinatione in genere causæ finalis, Christus tamē in statu humilitatis, & eius prædestinatio secundū talē statum rationem induit medij respectu redemptionis humanæ.

Contra eandem obijcit. Suarez. 1.

Contra eandem conclusionem argumentatur Suarez, & alij quidam recentiores. *Primò.* Mors prædestinati ad ordinem naturæ spectat, & tamē præscientia illius mortis nō antecedit in Deo electionem talis hominis ad gratiā & gloriam; ergò. Probatur antecedēs; quia talis mors cum talibus circumstātijs est effectus prædestinationis. *Secundò* peccatum crucifigentium Christum pertinet ad ordinē naturæ, vt ait Caietanus; at nullus intelliget Deum antea præuidisse peccatum crucifigētium Christum; quàm Christum ipsum prædestinauerit; ergò. *Tertiò*: Peccatū Adæ est deordinatio à fine supernaturali; ergò nō potuit præscietia talis peccati præcedere voluntatē seu præscietiam gratiæ. *Quartò*: Quamuis ordo naturæ supponatur ordini gratiæ per modum subiecti & fundamenti, non tamē quicquid pertinet ad ordinem naturę connexionem aliquam habet cum ordine gratiæ, neque è contra; ergò nulla est ra-

2. Caietanus.

3.

4.

Sol.

est ratio ob quam omnia, quæ pertinent ad ordinem naturæ, dicantur priora in cognitione, quàm ea quæ pertinent ad ordinem gratiæ. Probatur consequentia: quia secluſa connexione & dependentia ipſarum rerum inter ſe, nullum eſt fundamentum huius ordinis: Et idem eſt de ordine naturæ & gratiæ reſpectu vnionis hypoſtaticæ. *Quintò* confundit Caietanus ordinem executionis cum ordine intentionis, qui ſunt valdè diuerſi, & quod eſt prius in vno, poteſt eſſe poſterius in altero; ergò licèt in executione natura ſupponatur gratiæ, tamen in intentione non eſt neceſſe; ergò non eſt neceſſe ante electionem ad gloriam ſupponi præſcientiam hominis prædeſtinati, vt iam producti in eſſe naturæ: ſicut in Chriſti humanitate non neceſſe eſt intelligere illam fuiſſe ante præuiſam vt exiſtentem in eſſe naturæ, quàm prædeſtinatam ad vnionem hypoſtaticam, ſed potius è contrariò, & ſimiliter electio ad gloriam prior eſt per modum intentionis, merita verò ſunt executione priora. *Sextò*: licèt reſpectu ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, quæ omninò neceſſaria eſt, natura ſupponatur gratiæ ſaltem reſpectu eiuſdem, quia eſt ſubiectum eius; tamen reſpectu liberè voluntatis & reſpectu ſcientiæ futurorum hoc non eſt neceſſarium; ergò. Probatur antecedens; Quia potuit Deus, priuſquam rem aliquam naturalem futuram eſſe præſciret, liberè velle gratiam & gloriã producere, & propterea velle creare res ſecundũ eſſe naturale, vt in eo poſſit fundari eſſe gratiæ & gloriæ, quod Deus per ſe primò voluit ordine intentionis: vel certè, quamuis Deus non velit gratiam & gloriam, niſi volendo ſimul perſonas gratiæ & gloriæ capaces; & ideò ſimul videatur velle ordinem naturæ propter ordinem gratiæ & gloriæ: non eſt tamen neceſſe, vt in aliquo ſigno intelligatur velle naturam per ſe & abſolutè priuſquam velit illam in ordine ad gratiam & gloriam obtinendam, ſed ſimul vult illã propter hunc finem; Et licèt in genere cauſæ materialis poſſit dici natura prior gratia, tamen in genere cauſæ finalis gratia & gloria, eſt ſimpliciter prior; Et ideò non oportet, vt ante voluntatem dãdi gratiam & gloriam ſupponatur præſcientia rei ſecundùm eſſe naturæ loquendo de ſcientia viſionis, quæ ſupponit volũtatem. *Reſp.* Has omnes obiectiones ex vna eademque radice pullulare, nimirũ ex imperfecta vel potius falſa intelligentia doctrinæ Caietani, cuius explicatio ſupra poſita non ſolùm hæc, quæ modo retulimus ex Suarezio, ſed etiam alia quædam ſimilia recentiorum diluit argumenta: Sed operæpretium erit ſingulorum ſolutiones breuiter indicare. *Ad primum* Itaque dico mortem ſecundùm ſe, & vt ad ordinem naturæ pertinet, eſſe priorem in genere cauſæ materialis prædeſtinatione; & ideò præſcientiam mortis Petri ſic ſumptæ eſſe priorem ſecundùm ſignum rationis eius electione & prædeſtinatione, quamuis in genere cauſæ finalis ſit electione poſterior. *Ad ſecundum* dico peccatum crucifigentium Chriſtum, quatenus formaliter ad ordinem naturæ & gratiæ pertinet, eſſe præuiſum à Deo ante Chriſti prædeſtinationem in genere cauſæ materialis, quamuis vt contra & circa perſonam Chriſti commiſſum præſupponat Incarnationis myſterium: ſed hæc conſideratio materialis eſt, & accidentalis reſpectu illius peccati per ſe & formaliter ſumpti, & vt Chriſti redemptione tollendi, vt ſupra diximus. *Ad tertium* dico peccatum Adæ, vt eſt contra ordinem naturæ, eſſe priorem præſcientia gratiæ. *Ad quartum* reſpondetur: Quicquid pertinet ad ordinem naturæ vt ſic, eſſe prius eo quod pertinet ad ordinem gratiæ vt ſic, quamuis materialiter & per accidens dicti ordines ſint permiſti, & quia quod ſingulis per ſe & formaliter cõuenit. de illis verè & ſimpliciter dicitur; ideò verè & abſolutè dicimus, omnia & ſingula peccata eſſe priora in præſcientia Dei ijs omnibus & ſingulis, quæ pertinent ad ordinem gratiæ, & illis quæ ad vnionem attinẽt hypoſtaticam. *Ad quintum* negatur antecedens, vt patet ex ſupra notatis de mente Cai. Ad id autẽ, quod ait de Chriſti humanitate & de gratia & gloria animæ illius, dico Chriſti humanitatem prius fuiſſe præuiſam ſcientia approbationis, vt materiam Incarnationis Diuini Verbi: deinde prius etiam in genere cauſæ materialis eſſe viſam in eſſe naturæ, quàm vt vnitam & exiſtentem exiſtentia Verbi: ſicut in rebus naturalibus à Deo creatis prius in genere cauſæ materialis prẽuiſa fuit à Deo materia ſecundum ſuum eſſe materiale, priuſquã vt exiſtẽs exiſtẽtia formę, ſecũdùm quam exiſtentiam materia poſterior eſt forma in genere cauſæ formalis, & poſterius ea præuidetur. Quamuis enim materia videri non poſſit à Deo ſcientia viſionis niſi ſit exiſtens & vt exiſtens ſit poſterior forma, dicitur tamen prius quàm forma à Deo videri, quatenus ſecũdùm genus ſuæ cauſalitatis in actu exercito, vt prior forma concurrit ad compoſiti, conſtitutionem: ſic igitur humanitas Chriſti, quamuis vt exiſtens ſit vnione poſterior quaſi in genere cauſæ formalis: Quatenus tamen in Incarnationis myſterio materialem exercet cauſalitatẽ perſonam Chriſti compoſitam conſtituendo, vnionẽ præcedit & ante eam intelligitur à Deo præuiſa: gratia verò & gloria animæ Chriſti, cum reſpectu vnionis ſit medium congruentiæ, vt ait S. D. *in 3. diſt. 2. q. 2. a 2.* intelligitur ſecundùm genus cauſæ materialis ſeu diſpoſitiuæ prior ipſa vnione; quamuis ex ipſa vnione veluti ex principio quodammodo formali cauſetur, & ſecundùm hoc genus cauſæ ſit ea poſterior, ſicut patet de vltimis diſpoſitionibus ad formam ignis, quę formam ignis præcedunt in genere cauſæ materialis; cum tamen ad eam conſequantur vt ex principio formali, & ea ſint poſteriores in genere cauſæ formalis. De qua re videndus eſt S. D. *loco notato*; non enim ea doctrina diſcordat ab illa, quam idem S. Doct. tradit *infra q. 6. a. vlt.* ſed eadem omninò, vt patet vtriuſque loci dicta cõferenti; ſed de hoc infra. *Ad ſextum* dico, per illud confirmari noſtram primam & ſecundam concluſionem; quia ſecundùm ordinem executionis, qui ſecundùm genus & ordinem cauſæ materialis & efficientis attenditur, præcedit in Dei voluntate & præſcientia approbationis & viſionis ordo naturæ ordinem gratiæ & gloriæ; quamuis ſecundùm ordinem intentionis, qui ſecundum genus cauſæ finalis attenditur, hi ſint priores in voluntate & ſcientia approbationis, ille verò poſterior.

Et ex his ruunt etiam argumenta Aſturic. *in dicta q. 6. pagina 665.* & Vaſq *diſp. 10. c. 1.* Zumel. *in dicta diſp. 4.* & Radæ *in allegato a. 3.* & Alber. *pag. 721* Vbi ſcito quòd quamuis ordinatio naturæ gratiæ gloriæ & vnionis hypoſtaticæ ex diuina pendeat voluntate: hi tamen ordines in ſua natura ſic à Deo ſunt inſtituti, vt vltimus ſupponat medium, & medius ſupponat primum; & ideò in Dei præſcientia voluntatis eius decretum conſequẽte primò ſecundùm ordinem cauſæ materialis & executionis præuidetur ordo naturæ;

naturæ; deinde ordo gratiæ & gloriæ & tandem ordo vnionis hypostaticæ.

Vasq. obie. cōt. 2. cōcl. 1. CONTRA 2. concl. arg. Vasq. in fine dicti c. 1. intendens probare, Christi Incarnationem non fuisse priorem in genere causæ finalis redemptione nostra *Primò*: Quia Incarnatio relata ad redemptionem non potuit habere rationem finis cuius gratia; ergo non potuit in genere causæ finalis prius prædefiniri aut amari: & licet aliquo modo habuerit rationem finis cui, tamen id non satis est vt dicamus prius fuisse prædefinitam aut amatam. *Resp.* falsum esse antec. Christus enim sub statu humilitatis consideratus, quatenus scilicet carnem habuit passibilem & mortalem & formam serui referentem, rationem habuit medij respectu nostræ redemptionis; at in statu glorioso contemplatus, quatenus scilicet *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*, &c. rationem habet finis respectu nostræ reparationis & exaltationis; vc apertè significat Concilium Trid. *sess. 6. c. 7.* dicens, finalem nostræ iustificationis causam esse gloriam Dei & Christi, ideſt Christum glorificatum & exaltatum. Et quia status exaltationis & gloriæ Christo proprius est ac veluti connaturalis: status autem humilitatis & passibilitatis ex diuina tantùm illi conuenit dispensatione, vt nostræ scilicet redemptionis effectum congruè posset operari; ideò simpliciter asserēdum est Incarnationem finem esse redemptionis humanæ, medij verò rationem habere tantùm secundùm quid; vt eleganter explicat Asturic. *in 12. allegata q. 6. pag. 633.* sicut autem ex Deo & eius gloria vnus constituitur integer finis, cuius gratia facta est Incarnatio, ita ex Christo & eius gloria vnus integratur finis gratia cuius facta est iustificatio & redemptio nostra: quod sanè sufficit vt Christus & eius Incarnatio secundum ordinem intentionis prior dici verè possit nostra redemptione.

Sol.

Obiectio 2. *Secundò*. Si prius in genere causæ finalis Incarnatio à Deo prædefinita fuisset, sine dubio prædefinita quoque esset prius prioritate consequentiæ, ita vt sine redemptione, quæ esset posterior in eo genere causæ, nihilominus fuisset; at consequens est falsum; igitur & antecedens: Consq. verò prob. quoniam vt dicamus Incarnationem sine redemptione futuram non fuisse, oporteret Incarnationem aliquo modo secundùm se connexam esse redemptioni: at si Christi Incarnatio prædefinita fuit prius in genere causæ finalis, nullam habuit omninò connexionem cum redemptione; ergò: Probatur minor: Nam vt id quod est prius in genere causæ finalis, sit simul subsistendi consequentia cū aliquo medio; ita vt medio sublato tollatur finis, hoc est, si nō sit futurum medium, ex vi eiusdem prædefinitionis non sit futurus finis; oportet medium vnicum esse, aut saltem necessarium ad finis consecutionem: at redemptio generis humani non est vnicum & necessarium medium ad Incarnationem; ergò, hoc ipso (inquit) quod ex sententia aduersariorum Incarnatio fuit prædefinita per modum finis ante redemptionē, sequitur fuisse quoq; non solū prius ipsa redēptione prędefinita in genere causę finalis, sed etiā subsistēdi consequētia. Maior probatur: quia sic medium virtute prędefinitur in ipso fine; ac proinde prædefinito finis alligata est prædefinitioni medij, vt si mediū nō sit futurum, nō sit futurus finis, & qui cessat ab electione talis medij, necessariò etiam cessat ab intētione finis; Minor verò probatur; quia Incarnatio secundùm se, id est non in carne passibili, immò etiam in carne passibili rectè posset esse sine peccato. *Resp.* fal am esse conditionalem assumptam pro maiori siuè sequelam maioris. Ad probationem negatur maior vt iacet; nimirum loquendo de connexione secundum se: satis enim est si connexionem habeat ex libero & infallibili diuinæ voluntatis decreto: & in hoc sensu negatur minor: ad cuius probationem dico redemptionem à peccato esse vnicum medium, non ex sui natura sed ex libero diuinæ voluntatis decreto respectu Incarnationis; non tamen necessarium nisi ex suppositione decreti iam facti: Neque est necesse vt tale medium virtute prædefiniatur in ipso fine, sed satis est, si agens pro sua voluntate non velit finem absq; connexione cū tali medio, siuè potius cum tali materia à qua, vt ita volitus dependet modo superius explicato.

Sol.

Obiect. 3. *Tertiò*, probat dicta Caiet. secum non constare: quia si prius fuit præuisum peccatum Adæ, immò peccata omnia, quā prędestinaretur Christus, sequitur etiam redemptionem nostram volitam fuisse à Deo simplici voluntate, antequàm prædestinaretur Christus; ac proindè Christum non fuisse prædestinatum prius in genere causæ finalis, quàm esset volita nostra redemptio, sed potius è contra, quod negat Caiet. Conseq. probatur: Quia iam erat præuisa occasio redemptionis; ergò. *Respondetur* nullam esse Conseq. ad probationem, negatur illatio: quia redemptionis occasio non fuit præuisa prius, nisi in genere causæ materialis.

Sol.

Asturicēsis. cont. 1. & 2. cōcl. arg. CONTRA *easdem duas Concl.* argumentatur Asturic. Inter tres illos diuinæ communicationis ordines non reperitur formalis habitudo & ordinatio, sed implicita tantùm & virtualis neque necessaria depēdentia vnius ordinis ab alio in ordine ad finem per se primò intētum à Deo, scilicet manifestationem bonitatis diuinæ; ergò rationabiliter asseritur quòd in illo primo decreto, quod fuit immediatum cognitioni speculatiuæ, qua Deus nouit tres hos communicationis modos inter se independentes, & quòd quilibet eorum per se appetibilis est, absque alterius adiutorio & consortio nulla facta fuit cōparatio, & relatio vnius ordinis ad alium, secūdùm habitudinem medij ad finem, sed per modum vnius integræ & totalis communicationis decreuit Deus seipsum triplici illo modo communicare. *Respond. primò*, nullam esse consequē- tiā; quia licet quilibet ex dictis modis potuerit à Deo immediatè acceptari in ordine ad finem principalem, qui est manifestatio diuinæ bonitatis; Deus tamē iudicio sapiētiæ suæ & beneplacito suę voluntatis tres illos ordines non immediatè, sed cum ordine vnius ad alterum, tanquā ad finem acceptauit modo superius explicato. *Secundò dico*, ordinem gratiæ & vnionis hypostaticæ necessariò dependere ab ordine naturæ, tanquàm à materia necessariò præsuppositā; adeò vt neuter illorum sine hoc possit existere; quamuis hic ad sui existentiam illis non indigeat.

Sol.

Obiect cont. 3. cons. CONTRA *tertiam concl.* produci potest hoc argu. Prioritas causæ materialis sufficit ad veritatem huius propositionis; peccatum præuisum fuit ante prædestinationem; ergò prioritas causæ finalis sufficiet ad veritatē huius propositionis absolutè prolatæ, videlicet: Christus prædestinatus est ante præscientiam peccati. *Respond.* nullam esse consequentiam; quia licèt prædestinatio Christi fuerit prior simpliciter in genere causæ finalis, peccatum tamē vt excludendum

præuisum fuit per modum materiæ circa quam, & ipsum etiam remedium peccati præuisum fuit pro modum finis intenti & præordinati, in quē prædestinatio Christi secundùm statum humilitatis fuit ordinata; & ideò non potest absolutè concedi, Christum fuisse prædestinatū ante peccati præscientiam.

Contra eandem obijcit Molina primo.

Contra eandem concl. argum. Mol. *Primò*: quia per ordinem gratiæ & diuinæ prædestinationis impediuntur multa peccata; ergò ante ordinem gratię constitutum non pręcognoscit Deus, quę peccata sint futura. *Secundò*; quia præuisio peccati originalis supponit præuisionem iustitiæ originalis & gratiæ Adamo & posteris collatæ: *Tertiò*; quia peccata Adami & posterorum non prius præuisa sunt futura absolutè, quàm permittere ea decerneret; sed ea non aliter permittere constituit, quàm ex æternitate statueret nō conferre maiora auxilia gratiæ, quàm re ipsa cōferat; ergò non prius ex æternitate conspexit, quæ peccata essent absolutè futura, quàm ordinem gratiæ ex eadem æternitate constitueret.

2.

3.

Sol. *Respond.* hæc argumenta vnica dilui responsione probant enim ante constitutum ordinem gratiæ non fuisse à Deo præuisa peccata, quatenus opponuntur ordini gratiæ; nos autem dicimus ea fuisse præuisa, quatenus opponuntur, vt priuationes ordini naturæ, & sic ad ipsum pertinent. Alia eiusdem authoris argumenta faciliora, quorum solutio patet ex dictis, omittimus.

Obi. contra eandē primo Rada & Scotum.

Contra eandem concl. argum. Rada cum Scoto. *Primò*. Christus est primò volitus & amatus inter omnia entia creata tanquam earum proximus finis; ergò eius Incarnatio fuit prius volita & amata, quàm omnia entia in esse naturę & gratiæ; ergò volita fuit ante peccati præuisionem. Probatur hæc secunda consequentia: Quia prius fuit volitus Adam & præuisus, quàm eius peccatum & Christus fuit volitus & amatus, priusquā Adamus: quod autem est prius priore est prius posteriore: sed Christus est prædestinatus, priusquam volitus Adam in esse naturæ, & prius fuit volitus Adam & visus in eodem esse quàm prę-uisum eius peccatum; ergò prius fuit volita Incarnatio Christi, quàm præuisum peccatū originale. *Respond.* hoc argum. probari Incarnationē Christi prius fuisse volitam in genere causę finalis & secundùm ordinem intentionis, quàm sit volita permissio peccati, & quàm sit præuisum peccatum; secundùm tamen ordinem executionis prius fuit volita permissio peccati, & præuisum peccatum, quàm volita sit Incarnatio Verbi. *Secundò dico* Christi Incarnationem fuisse quidem prius volitam prioritate finis & intentionis, non tamen sine ordine ad remedium peccati. *Tertiò dico*, eandem Incarnationem fuisse volibilem etiam sine ordine ad remedium peccati, nec tamen ideò fuisse sine tali ordine volitam.

Sol.

Obiect. 2. *Secundò*: Incarnatio Verbi non est volita occasione peccati, sed propter se ipsam seu quia est aptissimum opus ad communicandum & manifestandum diuinam bonitatem; ergò prius fuit volita, quàm peccatum præuisum, quod occasionaliter fuit inductum. *Resp.* falsum esse antec. volita enim à Deo fuit Incarnatio non propter se ipsam præcisè, sed in remediū peccati, & ideò non nisi ex occasione peccati.

Solut.

Alia eiusdem authoris argumenta facilè soluuntur ex dictis.

CONTRA *quintam* conclusionem sunt argumenta Suar. quæ refert & soluit Vasq. *disp. 10. c. 7. & 8.*

Ob. 1. cōt. 6. concl.

CONTRA *sextam* concl. tres militant argum. classes. Prima ex diuinis scripturis Secunda ex Patribus. Tertia ex ratione siuè ex principijs Theologicis propriè vel ministerialiter: Quæ omnia argumentorum genera latè referūt, ac soluunt Val. *puncto 7.* Asturic. *in alleg. q. 6. pag. 639. & seq.* Vasq. *disput. 10. c. 2.* Albert. *pag. 716.* & alij. Antiquiores verò solas ferè producunt & soluunt Scoti rationes vt Capr. *in 3. dist. 7. q. vnica.* Caiet. & Med. *super hoc a.* Et Ferrar. *in 4. con. gen. cap. 55. longè post medium.* Nos hic ea duntaxat argumenta proferemus, quorum responsiones habēt difficultates à recentioribus excitatas; quibus tamen diluendis antiquæ responsiones & iacta superius fundamenta sufficient.

Prima. Arguit igitur Rada *primò*. Decretum de Incarnatione non includit necessariam connexionem cum peccato futuro, nec dependentiam ab illo; ergò etiam peccato non existente Deus fieret homo. Conseq. est euidens: Antecedens probatur: quia prima ratio, quæ diuinam voluntatem mouit ad volendam Incarnationem, fuit excellentia ipsius mysterij, & bona quæ ipsum per se consequuntur absque necessitate, vel remedio peccati; ergò primaria ratio motiua voluntatis circa Incarnationem absq; peccato manet, & sic nullam connexionem habet peccatum cum Incarnatione in se. Probetur hæc consequētia; quia si Deus Incarnationem propter se voluit, & vltimatè ad manifestationem suæ potentiæ & bonitatis; ergò, ad hunc finem consequendum, peccatum non fuit necessarium. Probatur hæc illatio; quia finis ille absq; eo potest obtineri per vniuersi creationem & Incarnationē Verbi &c. Et potest *confirmari* hoc argumentum ex Suar. quoniam Incarnatio Christi facta fuit propter plures fines totales diuersos ab hominū redemptione; ergò etiam si non esset futura redēptio, foret Incarnatio: Consequentia patet; quia voluntas volens bonum aliquod propter plures fines principales & totales, deficiente eorum vno voluntas eandem rem amabit propter alios: exempli gratia, Christus venit in remediū peccati originalis & actualium tanquàm propter diuersos fines totales; & ideò si non essent actualia, veniret propter solum originale; & quia diuersa Christi merita erant motiua sufficientia ad præmium aliquod obtinendum à Deo, ideò vno opere deficiente Deus idem præmium propter reliqua Christo restitueret; igitur eadem ratione, si Christi Incarnatio volita est ob peccati remedium & alios fines totales, erit etiam à Deo volita non existente peccati remedio: quod autem Incarnatio fuerit à Deo volita propter plures fines totales, probatur: quia fuit volita propter se, cum sit maius bonum quàm Angeli, qui sunt voliti propter se. Secūdò fuit volita propter nostrā sanctitatē, & vt à Deo beatitudinē habeamus, & omne bonū & vt gratia & gloria Dei magis manifestetur, vt dicitur: *1. Cor. 1. & 2. & ad Ephes. 1.* Tertiò fuit volita, vt Christus esset caput hominum & Angelorum, & maximè exaltaret humanitatem, vt dicitur *ad Coloss. 1.* Quartò volita fuit ad maiorem manifestationem attributorum Dei, scilicet iustitiæ, misericordiæ, omnipotentiæ, magnificentiæ &c. scilicet vt Deus se creaturæ communicaret summo modo possibili, & vt integraret vniuersum ex omnibus gradibus rerū scilicet naturę, gratiæ & vnionis hypostaticę. Quod autē hi fines fuerint totales respectu diuinæ volūtatis

Prima prōbatio.

probatur primò: Nā illi de se sunt sufficiētes, vt

quili-

quilibet eorum moueat diuinam voluntatem; ergò credendum est, Deum qui voluit Incarnationem propter omnes illos fines, voluisse illam propter illos iuxtà naturam illorum, scilicet vt propter fines totales. *Secundò idem probatur*; nam D. Th. *2. 2. q. 2. a. 7.* ait, Adam ante peccatum cognouisse Incarnationem Christi, vt ordinabatur ad consumationem gloriæ; si autem hic finis de se non esset sufficiens, & totalis finis Incarnationis, cum sit homini naturale, cognito effectu non quiescere, donec cognoscat causam, non potuisset animus Adæ cognita Incarnatione non quiescere, donec causam eius totalem cognouisset, quæ secundùm D. Th. est solum peccati remedium, atque ita sui peccati præscientiam habuisset, quod negat Aug. *lib. 11. de Genes. ad lit. c. 18.* vel remaneret semper inquietus quod illius status perfectioni minimè congruit. *Et cõfirmatur*: quoniam Aug. *in lib. de Spiritu, & Anima, c. 9. Et in Manuali, c. 16* & Ansel. *in Epist. ad Hebr. c. 2.* & Bernar. *in serm. 1. aduentus, & serm. 17. in Cantic.* docent, Verbum fuisse Incarnatum, vt homo secundùm animam & corpus satiaretur & beatificaretur, & Cyrill. *lib. 5. Thesauri, cap. 8. in fine* ait; Verbum carnem factum fuisse vt nos sanctificaret, & si fortè peccaremus in ipso renouaremur: quibus verbis significat remedium peccati non fuisse solum finem Incarnationis, sed etiam finem illius fuisse nostram sanctificationem ante peccatum *Resp.* decretum Incarnationis dupliciter posse considerari: *Vno modo* secundùm se & quatenus potest à Deo elici seu formari, & ita certum est, illud nullam habere necessariam connexionem, cum peccaco tollendo siuè cum remedio peccati; quia potuit Deus pro sua libertate velle, ac decernere mysterium Incarnationis absque ordine ad peccati remediũ: *Alio modo* cõsiderari potest decretũ Incarnationis, prout à Deo fit siuè vt iam à Deo factum est ex omnibus illis motiuis & occasionibus, quas Deus per diuinas scripturas Ecclesiæ reuelauit, & ita cum remedio peccati connexionem habet necessariam ex hypotesi determinationis diuinæ voluntatis volentis Incarnationem, tantùm ex occasione peccati, & propter redemptionem humanæ naturæ: licèt enim eandem Incarnationem Deus voluerit propter suam potentiam & bonitatem manifestandam, tanquàm propter finem principalem: hæc tamen non fuit sola neque adæquata & totalis causa motiua diuinæ voluntatis, sed partialis & inadæquata. *Ad arg. igitur in forma resp.* si in antec. sermo sit de decreto Incarnationis primo modo sumpto, negatur consequentia; quia potest Deus pro sua voluntate decretum Incarnationis elicere cum tali connexione, nec velle Incarnationem, nisi sit etiam in peccati remedium: Si verò in antecedente sumatur Incarnationis decretum secundò modo, dico falsum esse antecedens, loquendo de connexione necessaria ex hypotesi determinationis diuinæ voluntatis. Ad probatio, dico, eam procedere de necessitate absoluta, & de connexione decreti Primo modo sumpti, non autem secundo modo considerati. Vel breuius dicas, nullam esse consequentiam argumenti; quoniam ad hoc vt Incarnatio non fiat nisi existente peccato, non requiritur necessitas absoluta connexionis decreti cum remedio peccati, sed sufficit liberè volitam esse à Deo talem connexionem, qua volitione posita, iam habet illa connexio necessitatem suppositionis.

Ad confir. negatur antecedens iam enim ostendimus conclusionem, scilicet Incarnationem aut eius volitionem plures non habere fines totales: *ad primam probationem respondet* Sanctus D. *hic ad primum* omnes illos fines propter remedium peccati fuisse volitos: Nam etsi absque illo propter suam bonitatem essent volibiles; Deus tamen illos pro sua libertate non voluit, nisi in ordine ad peccati nostri remedium ex perfecta iustitia, vt ad finem cui: Quia tale remedium non potuit adhiberi sine Incarnatione, vt ostendimus *articulo secundo*: Incarnatio verò includit omnia bona in argumento enumerata: Quãuis igitur singula illa bona sufficerent, vt Deus ratione eorum velle posset vnionem Verbi cum humanitate; Deus tamen ex amore quo nos liberè diligebat, voluit ea bona tantum vt coniuncta peccati nostri remedio, & ad illud ordinata, vt ad finem cui, quem volendo voluit etiam ea bona. Quemadmodum enim Christus sua omnia miracula ad hominum vtilitatem destinauit, excepta illa solemni infantium acclamatione: *O sanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini*, vt ait Chrysostomus: Cum tamen posset optimè Christus alijs miraculis circa res alias suam declarare Diuinitatem, sic in re proposita fines omnes prædictos, quorum singuli poterant per Incarnationé intendi tanquàm totales & sufficientes Deus ex amore hominum ordinauit ad peccati remedium, vt ad finem cui, & nullum illorum voluit prius subsistendi consequentia quàm peccati remedium; quia nullum illorum voluit sine tali remedio: *Ad secundam probationem* eódem modo respondetur finem illum habere sufficientem bonitatem, vt esse possit causa totalis, qui tamen de facto non fuit volitus vt totalis; quia non sine remedio peccati: quod sufficit vt animus Adæ quiesceret: non enim Propheta semper cognoscit omnes fines & causas totales etiam particularum rerum reuelatarum; Nam vt patet *Genes. 37.* Deus exaltationem Iosepho reuelauit, cui tamen causas efficientes & finales minimè reuelauit; dependebat enim à fratrum venditione, ab accusatione Dominæ, à somnijs Pharaonis, & ordinabatur ad paternæ domus sustentationem & fidei prædicationem in Aegypto; quorum tamen nullam Ioseph diuina reuelatione cognouit. *Ad confir. dico* sanctos illos Patres loqui de homine redempto per Christum, & affirmare Christum venisse vt hominem, quẽ redemerat in corpore & anima satiarat; hoc autem supponit illum venisse in peccati remedium: Cyrillus autem solùm intendit gratiam per Christum collatam esse copiosam ad renouandos nos, quantumuis pluries per præuaricationem excidamus ab illa.

Secundò. Vt plura simul argumenta Scoti Radæ & aliorum complectamur, sit argumentum. Ex Conclusione sequuntur sex magna inconuenientia; igitur non est tenenda. Antecedens probatur; Nam *primum* inconueniens est animam Christi gaudere de peccato Adæ, cum illius occasione fuerit prædestinata Consequens est absurdum; ergò. Consequentia probatur: quoniam Anselmus *libro primo Cur Deus homo, capitulo decimo octauo*, ait: Homines non beatificari solùm propter implendas ruinas Angelorum: quia aliàs animæ beatæ gauderent de eorum ruina, cuius occasione ipsæ beatificarentur; ergò idem posset contingere animæ Christi, si fuisset prædestinata occasione peccati Adæ.

Secundum est: quia sequeretur animam

Secunda probatio.

Conf.

Sol.

Ad 1. prob.

Ad 2. prob.

Ad conf.

Secunda ob.

Ad conf.

Christi gratias nobis agere debere, eo quod propter nos ad beatitudinem absque meritis esset producta & vnita Deo, & nos essemus ea præstantiores ac priores in intentione diuina: Consequens autem hoc non est admittendum; ergò. Sequela probatur: Quia Cyrillus *lib. quinto Thesauri, capitulo 3.* contra quosdam hæreticos asserentes, Verbum diuinum fuisse à Deo productum, vt ipsum produceret creaturas, infert ex illa opinione sequi prædicta inconuenientia; quia tunc (inquit) filius esset productus propter creaturas, ac proindè deberet illis gratias agere, quod propter eas esset productus, & tũc essent creaturæ prius à Deo volitæ & filio præstantiores; quia finis propter quem est prior & præstantior: at idem fiet argumentum, si Verbi Incarnatio propter nos, id est in peccati nostri remedium est à Deo volita; ergò. *Tertium est*; quoniam ex conclusione sequitur Adam & cęteros homines prius, quàm Christus, fuisse prædestinatos: Consequens autem falsum est: quia prædestinatio Christi causa est & exemplar nostræ prædestinationis, vt ait Augustinus; ergò: Probatur consequentia; quia si Christus est prędestinatus in peccati nostri remedium, ante Christi prædestinationem supponeretur in Deo voluntas efficax & absoluta liberandi nos à peccato; at hoc pertinet ad effectus nostræ prædestinationis, per quam nobis omnia beneficia præparantur, per quæ nobis à Deo paratam consequimur beatitudinem. *Quartum* est ex Irenæo *libro 7. capitulo 33.* quoniam ex conclusione consequens fieret, Deum ex amore minoris boni, scilicet nostri remedij, maius bonum amasse scilicet Incarnationem filij, cum eam voluerit vt nos à peccatis absolueret, aliàs eam minimè voliturus: Consequens autem repugnat recto amoris ordini, secundùm quem minora bona propter maiora diliguntur. *Quintum* est: quoniam aliàs Incarnatio Christi non esset per se intenta ex primaria intentione Dei, sed per accidens & occasionaliter ex secundaria intentione Dei; ac consequens non est asserendum; ergò: sequela probatur dupliciter. Primò; quia testè Damas. *lib. 7. de Fide, capitulo 29.* propositum corripiendi aliquem non est de prima intentione Dei; quia supponit peccatum quod oritur ex nobis, & Deus non ex se sed propter peccatum ortum ex nobis vult nos corripere vt pœniteamus; & ideò Cyrill. *lib. 3. ad Reginas c. de eo quod Christus est sanctificatus,* dixit; Deum ex prima intentione non fecisse medicinam, scilicet corporalem vel spiritualem; quia infirmitas, quæ supponitur ad medicinam, est ex vitio Diaboli: at similiter si Deus solùm propter peccati remedium voluit Incarnationem; non eam ex se ipso voluit, sed supposita ex nobis occasione peccati; ergò. Secundò probatur eadem consequentia; quia si Deus ex se & ex prima intentione vellet Incarnationem in remedium peccati, non tantùm vellet permissionem peccati, sed etiam ex se ipso vellet ipsum peccatum, vt materiam tollendam per Incarnationem; nam qui ex se vult aliquid, necessariò etiam ex se vult ea, quæ per se sunt necessaria ad obiectum volitum assequendum; sed ad remedium peccati præteriti per se est necessarium præcessisse peccatum; ergò. Minor verò principalis probatur Primò: quia Incarnatio est supremum bonum inter omnia creata; ergò debet esse intentum à Deo propter se. Secundò probatur ex Ruperto: quia aliàs peccatum Adæ esset necessarium ad supremum bonum vniuersi, scilicet Incarnationem, quod non est dicendum. Et confirmatur ac declaratur hoc; quia S. Doct. *in 1. p. quæst. 89. art. 1.* probat, in statu innocentiæ fuisse futuram hominum generationem, alioquin (inquit) ad hoc bonum, quod est hominum multiplicatio, peccatum fuisset necessarium, quod est absurdum; ergò absurdius est asserere peccatum Adæ fuisse necessarium, vt in mundo esset maius bonum, quod est Incarnatio.

Sextum inconueniens est; quia tunc ex parte nostra daretur causa reprobationis sufficiens, cuius oppositum docet Apost. *Rom. 9.* dicens: *Antequam quicquam boni, vel mali egissent, &c. dictum est ex vocante, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Sequela probatur: quia peccatum est sufficiens causa reprobationis; at secundùm primam conclusionem peccatum, est præuisum ante nostram prædestinationem vel reprobationem, cum sit præuisum ante prædestinationem Christi, quæ prior est & causa nostræ prędestinationis, ac proindè prior est nostra reprobatione.

Respond. falsum esse antecedens: Ad probatiõnẽ *primi inconuenientis* respondetur nullã esse cõsequentiam; quia deberet anima Christi, non de peccato sed de misericordia Dei gaudere; qui ex peccato veluti ex occasione voluit Incarnationem: Ad probationem consequentiæ negatur etiam consequentia; quia non est simile: Nam Ansel. aduersus eos argumentatur qui dicebant Deum homines & Angelos in numero determinato prædestinasse; ita vt ille numerus deficientibus Angelis deberet impleri ex hominibus & non alio modo, adeò vt ex vi talis prędestinationis deficientibus Angelis sinè nouo Dei beneficio eligerentur homines; quàm opinionem arguit Ansel. quia tunc (inquit) homines de ruina gauderent Angelorum, non vt erat peccatum sed vt erat occasio, vt sinè nouo beneficio beatificarentur: at in proposito nostro non ita contingit; quia posito peccato non sequitur prædestinatio animæ Christi & Incarnatio absque nouo Dei beneficio; & ideò non debuit anima Christi de peccato hominis, sed de misericordia Dei gaudere, quæ ex illo occasionem accepit volendi Incarnationem. Secundò dico Anselmum disputare aduersus asserentes, homines per se primò fuisse creatos ad supplendum Angelorum ruinas, quod si verum esset (inquit Ansel.) non minus esset hominibus gaudendum de lapsu Angelorum, quam de sua electione ad beatitudinem: & tandem propositam dubitationem resoluens ait; non posse neq; debere homines de Angelorum ruina gaudere; quia scire minimè possunt, an ad supplendum Angelorum ruinas, vel ad complendum numerum electorum fuerint à Deo prædestinati; sed cum, vt ante diximus, lapsus vnius, puta Adæ non sit vera & sufficiens causa prædestinationis alterius, puta Christi; sed misericordia Dei: falsam esse patet illam consequentiam: si post præuisum peccatum prædestinatus est Christus in eius remedium potuit de hominis lapsu gaudere: ex illo enim antecedente tantum sequitur potuisse, ac debuisse Christum secundùm humanitatem de misericordia Dei gaudere. *Ad secundi inconuenientis* probationem nego consequentiam; ad cuius probationem dico Cyrillum loqui aduersus hæreticos affirmantes Verbum fuisse productũ, vt instrumentũ ordinatũ ad productionẽ Creaturarũ, vt ad finẽ principalem

Sol.

cipalem propter se amatum, & ita benè procedit argumentum Cyrilli: Nos autem nihil tale docemus sed asserimus Christum esse finem principalem propter se amatum. *Ad tertij inconuenientis* probationem negatur illatio; ad cuius probationem dico, prædestinationem Christi in genere causæ materialis & finis cui, supponere voluntatem nostræ redemptionis, & tamen ipsam esse simpliciter priorem nostra, cum sit prior in genere causæ finalis propter se amatæ; immò verò licèt nostra prædestinatio & redemptio fuerit prior in genere causæ materialis & finis cui, non tamen adhuc in tali genere volitio redemptionis, & nostra prædestinatio intelligitur esse cõpleta sed inchoata; quia tunc non intelligebatur Christus, per quem decreuit dare nobis Deus vniuersa ad beatitudinem necessaria. *Ad quarti inconuenientis* probationem dico, nullam esse consequentiam; quia diligere aliquid propter finem cui, non est amare illud minus quàm finem cui; non enim minus amamus Regem quam rusticũ; cum tamen Regem diligamus propter rusticum vt finem cui: Incarnatio autem, vt ante diximus, volita est propter hominem vt finem cui. Secũdò dico, referri nonnunquàm maius bonum ad minus bonum vt medium ad finem, quando minus bonum non propter se & principaliter appetitur, sed propter bonum altius ac eminentius vtroque bono, ita vt id quod est maius bonum, sit finis tantùm proximus & immediatus, non autem vltimus & principalis, & tunc maius illud bonum quòd ordinatur ad minus, non amatur ex amore minoris boni, ad quod vt ad finem proximũ ordinatur, sed ex amore alterius maioris boni ad quod tam maius quàm minus bonũ, vt ad vltimum finem ordinatur; exempli gratia: Dux exercitus propter parui ac vilis oppidi expugnationem totum exercitum necis periculo prudenter exponit volés eius acquisitione proximæ Ciuitatis aut etiam totius Regni saluti cõsulere. Et mercatores multis periculis vitam exponunt propter comparandas diuitias, quas ad eiusdem vitæ conseruationem & splendorem vt finem dirigunt ab eis intentũ. Sic igitur in proposito Deus, Christum vt hominem secundùm statum humilitatis ad humani generis redemptionem vt ad finem proximum ordinauit, volens hanc ipsam humani generis redemptionem in Christi gloriam & diuinæ bonitatis manifestationem, vt finem principaliter intentum ordinari: quomodo etiam Angelos hominibus naturæ dignitate superiores Deus in eorum obsequia destinauit; nam, vt ait Apost. *ad Hebr. 1. Omnes sunt administratores spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, cuius tamen ministerij finis præcipuus est diuinæ maiestatis gloria & exaltatio, quæ per Angelorum officia ex hominum salute resultat. Deus igitur Incarnationis mysterium amauit non ex hominis amore simpliciter loquendo, sed ex amore gloriæ Christi & manifestationis suæ bonitatis; sicut etiam nõ ex hominum amore sed ex amore gloriæ & manifestationis suæ bonitatis Christũ amauit. *Ad quinti inconuenientis* probationem negatur consequentia: qm̃ aliud est aliquid esse volitum per accidens & præter intẽtionem; aliquid verò non esse per se primò intentum sed ex occasione alicuius præsuppositi: Incarnatio non fuit volita per accidens sed in genere causæ finalis propter se amatæ, quæ est finis gratia cuius cadit sub intentione Dei primaria, sed in genere causæ materialis & finis cui non fuit intenta per se primò sed suppositа occasione peccati: Neque absurdum est, Deum hoc tantùm modo Incarnationem voluisse; quia est Incarnatio redemptoris, quæ vt sic non potest esse volita nisi ex suppositione peccati; Nec eadem est ratio de pœnitentia; quoniam hæc in omni genere causæ & ex sui natura supponit peccatum; atque ideò non potest in aliquo genere causæ prius intendi; mysterium autem Incarnationis etiam in carne passibili non præsupponit ex sua ratione peccatum; nam absque illo fieri potuisset; & ideò in genere causæ finalis potuit illud Deus prius intendere quàm peccati remedium: non tamen prius subsistendi consequentia fuit intentum; quia non fuit à Deo volitum nisi cum ordine ad hominis redemptionem. Ad primam minoris probationem dico, ex Incarnationis perfectione suprema deduci eam esse volibilem sine eo, quod illi non est necessariò connexum, & eam de facto volitam esse propter se in genere causæ finalis principalis, non autem eam de facto volitam esse sine connexione ad peccati remedium: nam, vt ostendimus, libera Dei voluntas eam non voluit sine connexione prædicta: & per hæc etiam satisfit secundæ probationi. Nec est eadem ratio de multiplicatione hominum; quoniam, vt ait Caietanus *1. p. q. 98. art. 1.* multiplicatio hominum propter suam bonitatem de facto fuit à Deo volita secundùm se: quod diuina scriptura manifestè significat *Genes. 1.* Cum ait: *Vidit Deus quod esset bonum &c. faciamus hominem &c. crescite & multiplicamini, replete terram*: Incarnatio verò quamuis ex eo quod est maius bonum fuerit à Deo volibilis secundùm se, ex scripturis tamen habemus eam non fuisse volitam, nisi cum ordine ad redemptionem. Secundò: quia quantitas sequitur naturam rei, & generatio hominis est volita secundùm se sine occasione peccati; ideò etiam absque illo volita est multiplicatio eius. Incarnatio verò nunquàm à Deo volita fuit, nisi suppositа volitione remedij peccati in genere causæ materialis & finis cui; & ideò non est par ratio. Ad probationem *vltimi inconuenientis* respondet Med. nullam esse consequentiam, ad cuius probationem negat assumptum dicens; peccatum præsens & commissum non autem futurum esse causam reprobationis. Sed hanc responsionem meritò reijcit Asturicensis *pagina 735.* quoniam ex ea sequeretur nihilominus dari reprobationis causam; quia Theologi omnes affirmant, quòd si Deus antequam reprobaret homines certò præsciuit eos esse male vsuros sua vocatione & gratia, ex causa eos reprobauit & non ex mera voluntate sua.

Respondet igitur alio modo prædictus author negando consequentiam; quia licèt illud peccatum ex se esset sufficiens causa reprobationis, non tamen Deus illud assumpsit vt causam; alioquin Deus omnes reprobos propter originale peccatum damnasset; quod esse falsum constat ex eo, quod multis reprobis per baptismum remissum est originale peccatum, & ideò non potest in eis esse reprobationis causa.

Tertiò respondetur nullam esse consequentiam; nam vt detur causa reprobationis ex parte nostra, debet etiam dari causa non tantum damnationis, sed primi effectus reprobationis scilicet permissionis peccati propter quod damnatur homo; huius autem effectus causa nulla est ex parte hominis, sed Deus ex sua voluntate sine illius demerito voluit primam

permissionem, ex qua media hominis libera voluntate deficiente sequitur peccatum, & damnatio, & ideò non datur causa reprobationis ex parte nostra. Quartò resp. veram esse conseq. & ipsum consequens, si sermo sit de reprobatione positiua, vt ostendimus *in prima parte, quæstione vigesima tertia, articulo quinto, in tertia Controuersia*. Vltimo dico, prædestinationem & reprobationem negatiuam esse priorem ordine intentionis permissione & præscientia peccati; sed hanc esse priorem in genere causæ materialis; nec tamen sequitur peccatum hoc ordine præuisum esse causam reprobationis negatiuè; atque adeò absolutè; quia quod primum est in intentione, primum habet locum in ordine ad actionem; mouet enim agens ad agendum. Deus itaque suę bonitatis manifestationem intendens quosdam voluit prædestinare, & quosdam alios voluit non prædestinare, & ob hanc causam voluit permissionem peccatorum qua posita vidit peccata futura.

Tertiò obie-ctio. *Tertiò arguit Rada*: Nullus sanæ mentis diceret, Regem filium suum tantùm præordinare ad hæreditatem regni; quia præuidit aliquem seruum filij casurum, quem etiam ordinauit ad minimam eiusdem regni partem, & propter redemptionem illius serui ordinasse ad hæreditatem summam sui regni filium suum: quasi si seruus nullo modo cecidisset ipsum filium nó ordinasset ad talem hæreditatem; ergò neque dicendum est quod si Deus non præuidisset Adam casurum, nunquàm animam Christi ad tantam gloriam præordinasset, & ita nunc esse præordinatam propter aliorum peccata, quod videtur

Sol. irrationabile. *Resp.* nullam esse conseq. quoniam exemplum est valde dissimile; filius enim Regis iam ab eo genitus ius habet hæreditatis & successionis in regno, & ideò non est ad eam præordinandus à rege ex occasione præuisi casus serui: anima verò Christi non fuit ab æterno producta, atque ideò nullum tunc habebat ius ad hæreditatem seu ad illum gloriæ gradum ad quem fuit à Deo prædestinata: sed sicut ex sola Dei libera voluntate poterat à Deo determinari, vt esset in tempore; ita poterant ex eiusdem libera prædefinitione decerni circumstantiæ & occasiones, quibus à Deo crearetur in tẽpore & Verbo personaliter vniretur.

Quarta obi. *Quartò*. Profert dictum Ruperti Abbatis ratione suffultum: is enim *in libro de gloria Trinitatis* ait: *Si teste Augustino absurdum est dicere, Adam non peccante generationes hominum non fuisse futuras, ac si propter homines, vt nascerentur, peccatum fuisset necessarium: quid de isto capite, & Rege omniũ electorum Angelorum, electorum, & hominum sentiendum, nisi quod, & ipse maximè omnium necessariũ non habuerit peccatum, vt homo fieret ex hominibus delitias suæ charitatis cum illis habiturus*: Huic addit

S. Tho. testimonium D. Thomæ *in prima parte, quæstione nonagesima octaua, articulo primo*. Vbi proposito quæsito, num in statu innocentiæ fuisset generatio, sic respondet. *In statu innocentiæ fuisset generatio ad multiplicationem humani generis; alioquin peccatum fuisset valde necessarium, ex quo tantùm bonum consequutum est*. Et addit animam rationalem propter suam immortalitatem esse per se intentam à natura non tantùm in specie, sed etiam in multiplicatione secundùm numerum, & inde concludit hunc numerum animarum futurum, etiamsi non esset peccatum: At multò maius bonum est Incarnatio quàm hominum propagatio; ergo illa futura esset etiam non existente peccato. Resp. Rupertum sententiam nostræ

Sol. conclusioni contrariam tenuisse; sed Doctor hic non est in classe veterum Patrum numerandus, nec eius dicta magnæ sunt authoritatis. Ad rationem autem & verba D. Th. respondet Caietanus *in dicto loco* dupliciter. *Prima responsio est*: Bona sunt duplicis ordinis; quædam supponentia malum vt pœnitentia, patientia, martyrium &c. quædam verò omnifariam bona: Et ad prima quidem bona necesse est esse mala: Ad secunda verò absurdum est asserere necessarium esse mala fieri: multiplicatio autem humani generis est de genere bonorum omniquaque; pertinet enim ad ipsam perfectionem specificam; Incarnatio verò quamuis secundùm se sit etiam bonum omniquaque; & ideò simpliciter non oportebat eã occasionari ex peccato, vt tamen volita est à Deo & reuelata nobis est per scripturas & Sanctos, est de genere bonorum supponentium mala; quoniam reuelata est nonnisi vt redemptrix captiuorum & peccatorum. *Secunda responsio est*: Aliud est loqui de qualitate boni, & aliud de quãtitate; quamuis enim ad tale bonum possit opportunum esse peccatum, non tamen ad tantum; quoniam si bonum aliquod extat absque peccato, inconueniens est, quod quantitas eius peccato indigeat: sic autẽ est in proposito; quia multiplicatio generis humani supposito homine in statu innocentiæ dicit maioritatem boni stando infra limitem humanæ bonitatis & non plus; Incarnatio autem filij Dei eleuat naturam in aliam boni rationem, & ideò dicit tale bonum quamuis maximum: multiplicatio verò dicit tantum bonum: vnde S. D. ait inconueniens esse tantum bonum consequi ex peccato. Ex quibus apparet, Radam haud sincerum in huius argumenti productione fuisse, cum duas æquè firmas, ac euidentes Caietani solutiones consultò præterierit, quia nulla potuit eas sufficiẽti aut etiã probabili ratione confutare.

Alia eiusdem authoris argumenta ex Scoto desumpta & iam antea à Capr. Caiet. & alijs prænominatis authoribus soluta prætermittimus: Vnum tamen pro cauillationibus euadendis aduertè, nimirum non esse concedendum Christi Incarnationem esse bonum occasionatum; quia bonum occasionatum idem est, quod bonum per accidens seu à casu vel à fortuna: Incarnatio verò & humani generis reparatio à diuina prouidentia per se fuit intenta, vt opus eius perfectissimum: dici tamen congruè potest sacrosanctum Incarnationis mysterium diuinæ prouidentiæ decreto non fuisse dispositum, nisi ex occasione peccati diuinam ad hoc misericordiam prouocantis: neque tamen huius tanti mysterij bonitas ex occasione pendebat, sed cum per se sit quoddam bonum excellens, ac propter se ipsum amabile & appetibile, Deus illud esse voluit propter suæ bonitatis, misericordiæ, potentiæ ac sapientiæ manifestationem, tanquàm finem ab eo principaliter intentum; peccati verò permissionem & humani generis redemptionem ad virtutem & excellentiam tanti mysterij non solum hominibus sed etiam Angelis declarandam ordinauit, vt patet ex articulo præcedente; quamuis etiam alia ratione redemptio generis humani finis fuerit Incarnationis, vt ante diximus. Quapropter causæ omnes quas ex scripturis & Patribus assignant oppositæ sententiæ defensores, permissionem ac præscientiam peccati præsupponunt, & ex libero diuinæ voluntatis decreto connexionem habent cum redemptione generis humani, vt pátet ex verbis Apost. *ad Tit. 3. Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri*

ad Tit. 3.

Dei,

Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, &c. Quibus verbis diuinæ benignitatis & humanitatis manifestationem cum reparatione generis humani coniungit. A

Obiectio alia. *Contra eandem Conclus.* est hoc argumentum: Permissio peccati supponit Incarnationem fuisse volitam; ergò non fuit volita in remedium peccati: Consequentia patet: quia si in remedium illius fuisset volita, prius cognosceretur peccatum vt existens vel futurum, & per consequens supponeretur permissio illius, sine qua non potest esse præsens vel futurum: Antecedens autem probatur; primò quia illa permissio peccati est volitio negandi auxilium conferendum per Christum, vt vitetur tale peccatum, sed auxilium conferendum per Christum nequit cognosci sine Christo; ergò. Secundò probatur idem antecedens; quia permissio peccati fuit volita ex volitione Incarnationis; ergò: probatur antecedens: nam Incarnatio fuit volita; quia Deus voluit ex peccato elicere maius bonum, quàm esset vitatio peccati, vt docet S. D. *hic ad quartum* ex Augustino, immò Chrysostomus *hom. de Adam & Eua* ait; Deum permisisse peccatum Adæ propter multa bona, quæ debebat elicere ex illius permissione, sed summum bonum quod ex illo potuit elicere, fuit Incarnatio Christi, quæ habuit maiorem infinitatem intensiuam & extensiuam, quàm peccatum Adæ; ergò. *Resp.* nullam esse consequentiam: ad probationem distinguo consequens; nam si intelligatur de permissione peccati, vt præcedente Incarnationem in genere causæ finalis propter se intentæ, falsa est consequentia. Si verò de permissione loquatur, vt priore in genere causæ materialis, admitto consequentiam cum consequente; Nam supra *concl. 1.* diximus Incarnationem Verbi fuisse volitam post permissionem & præuisionem omnium peccatorum: permissio autem illa non fuit voluntas negandi auxilium efficax proueniens à Christo: Quoniam in eo statu tale auxilium non dabatur homini per Christum, neque in illo priori potuit esse volita peccati permissio ex voluntate Incarnationis redemptoris; nam vt ait Aug. *lib. 2. Confess. c. 3.* ad misericordiam Dei non pertinet velle permittere miseriam vt misereatur, quod contingeret si Deus peccatum permisisset vt per Incarnationem ex misericordia deleretur, sed volita fuit ea permissio vt seruaretur generalis prouidentia Dei sinens deficere causas defectibiles, & vt homo suam recognosceret imbecillitatem & ob alias similes rationes. Ad secundam probationem respondetur distinguendo sicut ad primam. B *Sol.* *Aug.*

Contra eandem concluſ. produci possunt quædam argumenta ex Suarezio; sed ex prænotatis satis remanent confutata, sicut etiam quę produci possunt contra vltimam conclusionem. C

Alia argumenta & solutiones vide apud expositores supra nominatos; quibus tamen supra posita fundamenta satisfacient.

Vasq. Suarez. *Vasq.* singula Suarezij dicta huic nostræ conclusioni contraria cum eorum rationibus & fundamentis diligenter examinat & ea esse falsa demonstrat; sed quædam inter arguendum minus solida & fortasse non vera commiscet; Nobis ea sufficient, quæ supra notauimus. D

Vide quæ notat Suarez circa responsiones argumentorum D. Th.

Articulus IV.

Vtrùm principalius Christi Incarnatio facta fuerit ad tollendum peccatum originale, quàm actuale.

AD *quartum sic proceditur. Videtur, quòd Deus principalius incarnatus fuerit in remedium actualium peccatorum, quàm in remedium originalis peccati. Quanto enim peccatum est grauius, tantò magis humanæ saluti aduersatur, propter quam Deus est incarnatus. Sed peccatum actuale est grauius, quàm originale peccatum: minima enim pœna debetur originali peccato: vt August. dicit contra Iulianum. Ergo principalius Incarnatio Christi ordinatur ad deletionem actualium peccatorum, quàm ad deletionem originalis peccati.* 3 d. 1. q. 1. ar. 2. 6. & opusc. 10. ar. 28 & opusc. 11. art. 23 & opusc. 43 ar. 21 Lib. 5. ca. 8. tom. 7.

Præterea, Peccato originali non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni: vt in secundo habitum est. Sed Christus venit pro satisfactione peccatorum, pœnam sensus pati in cruce, non autem pœnam damni: quia nullum defectum habuit diuinæ visionis, aut fruitionis. Ergo principalius venit ad deletionem peccati actualis quàm originalis. Lib. 2. sent. dist. 33 q. 2. a. 2.

Præterea, sicut Chrysost. dicit in 2. de compunctione cordis, Hic est affectus serui fidelis, vt beneficia domini sui, quæ communiter omnibus data sunt, quasi sibi soli præstita reputet: quasi enim de se solo loquens Paulus ita scribit ad Gal. 2. Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Sed propria peccata nostra sunt actualia: originale enim est commune peccatum. Ergo hunc affectum debemus habere, vt existimemus eum, principaliter propter actualia peccata venisse. Lib. 2. inter finem, & med. tom. 5. *Habetur in gl. ord. in hoc loc.*

Sed contra est, quod Ioan. 1. dicitur, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi, quod exponens Beda dicit, Peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod est commune totius mundi.

Respondeo dicendum, quòd certum est, Christum venisse in hunc mundum non solùm ad delendum illud peccatum, quod traductum est originaliter in posteros, sed etiam ad deletionem omnium peccatorum, quæ postmodum superaddita sunt. Nō quòd omnia deleantur (quod est propter defectum hominum, qui Christo non inhærent, secundum illud Ioan. 3. Venit lux in mundum: & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem) sed quia ipse exhibuit, quod sufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem. Vnde dicitur Rom. 5. Non sicut delictum, ita & donum: nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Tantò autem principalius ad alicuius peccati deletionem Christus venit, quantò illud peccatum maius est. Dicitur autem aliquid maius dupliciter. Vno modo intensiuè: sicut est maior albedo, quæ est intensior. Et per hunc modum maius est peccatum actuale, quàm originale: quia plus habet de ratione voluntarij, vt in secundo habitum est. Alio modo dicitur aliquid maius extensiuè: sicut dicitur maior albedo, quæ est in maiori superficie. Et hoc modo peccatum originale (per quod totum genus humanum inficitur) est maius peccato actuali, quod est proprium singularis personæ. Et quantum ad hoc Christus principalius venit ad tollendum originale peccatum: inquantum bonum gentis diuinius, & eminentius est, quam bonum vnius, vt dicitur primo Ethic. 1. 2. q. 81. a. 1. *Lib. 1 Ethic. c. 2 circa finem tom. 5.*

Ad primum, ergo dicendum, quod ratio illa procedit de intensiua magnitudine peccati.

Ad secundum dicendum, quòd peccato originali in futura retributione non debetur pœna sensus: pœnalitates tamen, quas sensibiliter in hac vita patimur,

sicut famem, sitim, mortem, & alia huiusmodi, ex peccato originali procedunt. Et ideò Christus, vt plenè pro peccato originali satisfaceret, sensibilem dolorem pati voluit, vt mortem, & alia huiusmodi in seipso consumeret.

Loc. citat. in arg. *Ad tertium dicendum, quòd sicut Chrysost. ibidem dicit, verba illa dicebat Apostolus, non quasi diminuere volens amplissima, & per orbem terrarum diffusa Christi munera: sed vt pro omnibus se solùm indicaret obnoxium. Quid enim interest si, & alijs præstitit, cùm quæ tibi sunt præstita, ita integra sunt, & ita perfecta, quasi nulli alij ex his aliquid fuerit præstitum? Ex hoc ergo, quòd aliquis debet reputare sibi beneficia Christi præstita esse, non debet existimare, quòd non sint alijs præstita. Et ideò non excluditur, quin principalius venerit abolere peccatum totius naturæ, quàm peccatum vnius personæ. Sed illud peccatum naturæ, ita perfectè curatum est in vnoquoque, ac si in vno solo esset curatum. Et ideò propter vnionem charitatis, totum quod omnibus est impensum, vnusquisque debet sibi ascribere.*

Sensus quæsiti.

SENSVM quæsiti declarat S. D. in principio litteræ, vt perspicuè patet ex interpretatione Caietani. Suarez eundem explicat tres illius vocis *principalius* intelligentias proponendo quibusdam additis, quæ vide, si placet.

Caiet. Suarez.

Forma Textus.

QVINQVE conclusionibus & vna distinctione satisfacit quæsito S. D. Prima conclusio præambularis est, continens id quod in quæsito supponitur: Secunda & tertia sensum primæ declarant: Quarta & quinta directè quæsito respondent.

» PRIMA CONCLVSIO est: *Christus venit in* » *hunc mundum, non solùm ad delendum originale pec-* » *catum, quod traductum est in posteros, sed etiam ad de-* » *letionem omnium peccatorum, quæ post modum super-* » *addita sunt.*

» SECVNDA CONCLVSIO: *Non omnia peccata* » *hominum delentur per Christum;* Probatur quia propter defectum hominum, qui Christo non inhærent, deleri non possunt; ergò. Antecedens probatur auth. *Ioan. 3. cap.* dicentis: *Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.*

» TERTIA CONCLVSIO. *Christus exhibuit* » *quod sufficiens fuit ad omnium peccatorum deletio-* » *nem.* Probatur, ex verbis illis Apostoli *Rom. 5. Nõ sicut delictum, ita & donum.* &c.

Distinctio est: Dicitur aliquid maius dupliciter: Vno modo intensiuè, sicut est maior albedo quæ est intensior: Alio modo extensiuè, sicut idcitur maior albedo quæ est in maiori superficie.

» QVARTA CONCLVSIO *est. Quantum ad* » *magnitudinem peccati intensiuam, Christus principa-* » *lius venit ad tollendum peccatum actuale, quàm origi-* » *nale.* Probatur: tantò principalius ad deletionem alicuius peccati Christus venit, quantò illud peccatum maius est; at peccatum actuale maius est intensiuè, quàm originale; ergò. Probatur minor: quia peccatum actuale plus habet de ratione voluntarij; ergò. Antecedens hoc probatum est *1.2.q.81.a.1.*

» QVINTA CONCLVSIO: *Quantum ad ma-* » *gnitudinem extensiuam peccati, Christus principalius* » *venit ad tollendum peccatum originale.* Probatur primò ex eodem principio; Quia tantò principalius ad alicuius peccati deletionem Christus venit, quantò illud peccatum maius est; at peccatum originale est maius extensiuè peccato actuali; ergò. Minor probatur: quia per peccatum originale totum genus humanum inficitur; peccatum autem actuale est proprium singularis personæ; ergò, peccatum originale est maius extensiuè: Consequẽtia probatur, & simul declaratur sensus consequentis; Quia bonum gentis diuinius est, & eminentius, quàm bonum vnius, vt dicitur in *1. Ethic. c. 2.*

Expositio Textus.

PRimam *conclusionem* esse fidei dogma certissimum probant Medina, Valentia & Vasq. *super hoc a.* & sensum eius ac veritatem explicant & tuentur aduersus hæreticos. Medina. Valentia. Vasquez.

Tertiam concl. declarat optimè Caietanus & eius amplitudinem tuetur Medina simul cum sensu & veritate primæ conclusionis. Eandem tertiam conclusionem, quatenus eam assumit S. D. vt rationem seu explicationem primæ conclusionis, declarat Suarez *in primo notabili sui Comm.* Caiet. Suarez.

Quarta concl. implicitè tantùm in textu continetur, vt hic obseruat Caiet. *Circa* principium illud: *Tanto principalius*, &c. quod assumitur ad probationem quartæ & quintæ Concl. *aduerte*, veritatem eius inniti determinationi præcedentis articuli, vbi diximus, finem Incarnationis proximum fuisse redemptionem humani generis à peccato; si ergo deletio peccatorum finis fuit proximus Incarnationis, satis euidenter sequitur, vt quantò maius fuerit peccatum, tantò principalius ad eius deletionem Christus venerit; nam sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximè ad maximè; at deletio peccati simpliciter sumpti est ratio, quòd Christus simpliciter venerit; ergò deletio peccati maioris, vt sic, est ratio principaliter aduentus Christi.

Sed arguit Suarez *in Commentario*, quia tam operari mysterium Incarnationis propter remedium peccati, quàm efficere illud principalius propter hoc quàm propter illud, totum pendet ex diuina voluntate & ex modo quo prædestinauit hoc mysterium; ergò non potest ex sola peccatorum inæqualitate colligi principalius Deum intendisse vnius remedium quàm alterius, sed hoc sumendum est ex Scripturis, in quibus voluntas Dei est reuelata. *Resp.* iuxta ea, quæ diximus *in 1. p. q. 19. a. 5.* nullam esse consequentiam; quoniam velle & operatio Dei dupliciter potest considerari; vno modo ex parte Dei volentis & operantis, siue prout exit à Deo volente & operante: Alio modo prout terminatur ad volitum & operatum, & prout ipsa denominat volitum & operatum; quamuis itaque sumendo velle & operari in primo sensu, vera sit consequentia, falsa tamen est accipiendo velle & operari secundo modo: sic enim vnum volitum potest esse ratio diuinæ voluntati vt velit aliud, quod non est esse causam realem diuinæ voluntatis seu volitionis; sed esse causam realem; vt aliud volitum in ratione voliti ad diuinam referatur voluntatem; si namque sit vnum volitum propter aliud, id propter quod aliud est volitum, est ei causa propter quam aliud est volitum. Sic igitur in proposito, redemptio generis humani à Deo volita ratio fuit, vt à Deo volita fuerit Incarnatio Verbi: qua facta suppositione, sequitur euidenter vt quo magis fuerit peccatum seruituti subijciens, tantò principalior fuerit ratio, vt à Deo volita fuerit Incarnatio & à peccati seruitute redemptio; & hoc fortè significare voluit

Suar. obiect. Sol.

Suar.

Suarez. Suarez cùm soluens dictum argumentum ait, D. Th. comparare solùm hæc peccata, sc. originale & actuale ex parte humanæ naturæ, quodnam vid. illorum induxerit maiorem miseriam maioremque redemptionis necessitatem, vt ex hac parte dicatur Deus principalius venisse propter vnum peccatum, quàm propter aliud.

Circa minorem illam assumptam in probatione quartæ conclusionis; videlicet *Peccatum actuale maius est intensiuè, quàm originale* aduerte eam intelligendam esse de peccato actuali ex genere suo; sub eo namque mortalia continentur, quæ grauiora sunt originali: nam si veniale cum originali comparetur, maius est absolutè peccatum originale: hoc enim Dei gratiam & amicitiam tollit, illud verò minimè, quamquam sit voluntarium atque ideò sit originali maius secundùm quid.

Vide præterea, quæ pro veritate & declaratione quintæ conclusionis scribunt Medina & Suarez *in suo Comm. & disp. 5. sect. 6.*

Dubit. 1. Denique aduerte sex hic ab expositoribus proponi dubitationes, ac breuiter solui. *Prima dubitatio* ea est, quam hic excitat Caietanus circa minorem assumptam in probatione postremæ conclusionis; ait enim sanctus D. peccatum originale esse maius extensiuè peccato actuali, quæ propositio videtur falsa; quoniam omnes infecti originali peccato, sunt etiam infecti actuali regulariter loquendo; nam ex speciali priuilegio beatissima Virgo creditur ab omni actuali etiam veniali fuisse præseruata, sicut infantes ante vsum rationis è vita decedentes nullum committere potuerunt actuale peccatum, sed hoc præter regulam est communis cursus humanæ vitæ. *Cui dubitationi* satisfacit optimè Caietanus dicens, hoc interesse inter originale & actuale peccatum, quod illud est proprium humanæ naturæ ex Adam seminaria deriuatione procedentis; atque ideò per se loquendo commune est omnibus etiam infinitis humanæ naturæ suppositis ex Adam seminariè deriuatis, si tot esse possent: Peccatum autem actuale proprium est personæ singularis id sua voluntate committentis, ac proindè peccato huius personæ, puta Petri accidit, vt alia puta Caiphas peccet; igitur actuale peccatum non nisi per accidens, & regulariter, non autem absolutè commune est omnibus humanæ naturæ suppositis; peccatum autem originale per se & simpliciter omnibus hominibus ex Adam seminali propagatione genitis est commune. Eandem solutionem approbat Medin. & eam sequuntur & explicant Vasq. *in priori sua dubitatione circa textum*, & Suar. *in Comment.* qui tamen *disp. 5. sect. 6.* aliam adhibet solutionem & meliorem, quæ tamen priorem non excludit, sed supponit.

Resp.

Dubit. 2. *Secunda dubitatio*, quam idem expositor hic proponit est: quia non videtur ex textu colligi posse Conclusio, quæ simpliciter quæsito respondeat, sed tantùm secundùm quid, vt apparet ex duabus vltimis conclusionibus. Quam dubitationem Caiet. paucis absoluit dicens ex tribus colligi responsionem absolutam ad quæsitum. Primum est; quia S. D. solam secundam conclusionem explicitè proposuit; hoc enim indicat eam simpliciter respondere quæsito. Secundum est, quod dicitur in fine textus, videlicet bonum gentis diuinius, & eminentius esse, quàm bonum vnius. Tertium: quoniam absque vlla determinatione simpliciter affirmat S. D. *in resp. ad 3.* Christum principalius venisse ad abolendum peccatum totius naturæ, quàm peccatum vnius personæ. Eandem solutionem sequitur Val. & eam approbat & explicat Vasq. *in sua posteriori dubitatione circa textum.*

Sol.

Alias quatuor dubitationes breuissimè proponunt & absoluunt Med. & Aluar. sed eas copiosius examinat Suar. *in alleg. sect. 6.* & post eum Vasq. *disp. 13.* nos eas vna breui Controuersia complectemur.

Controversia Vnica.

An existente in humana natura solo peccato originali, aut solo actuali mortali in omnibus, aut in pluribus, vel in paucioribus hominibus, aut etiam solo veniali ad omnes vel plures extenso, Christus veniret?

Sententiæ Doctorum. Tres de proposita difficultate sententias refert Vasq. quibus reiectis ipse quartam adiungit, vt optimam. Nos eas tãtùm, quas in proprijs authoribus legimus referemus; aliarum enim authores ignoramus.

Prima est Medin. qui dicit quatuor: *Primum* est: Si tantùm esset peccatum originale Christus veniret: *Secundum*. Si tantùm essent peccata actualia in filijs Adæ Christus veniret: *Tertium*. Si pauci peccassent aut vnus duntaxat, Christus non veniret: *Quartum*. Si tantum essent peccata venialia, Christus non veniret. Eandem sententiam sequitur Valentia *puncto 6.* Et Aluarez *super hoc artic.* à qua non multum distat opinio Suarezij *disp. 5. sect. 6.* Vbi dicit sex. *Primum* est. Christus pro solis venialibus tollendis non pateretur. *Secundum* est: Ex vi illius voluntatis & decreti, quo Deus voluit redemptionem nostram, Christus venturus erat ad nos redimendum ab originali peccato, etiam si nullum aliud actuale esset committendum in humana natura: *Tertium* est. Si consideremus voluntatem Dei prout de facto voluit Christum venire in carne passibili, vt nos redimeret à peccatis actualibus, non possumus dicere, ex vi huius voluntatis id fuisse futurum, si peccatum originale non fuisset: *Quartum*. Si non loquamur de præsenti voluntate sed de alia, quam Deus habiturus esset posita illa hypotesi, quòd non esset futurum peccatum originale: hanc dicimus non posse sciri, nec sufficienti coniectura diuinari. *Quintum*. Mihi verisimilius est: Si non fuisset lapsa tota natura Christum non fuisse venturum passibilem ad redimendos homines, si qui fortè peccassent: *Vltimum* dictum est: Si aliquis fingat etiam in illo statu maiorem hominum partem fuisse lapsuram per peccata actualia, fortasse pro illis Christus pateretur & carnem passibilem assumeret.

Secunda sent. est Astur. *in Relect. de grat. Christi, q. 6. Concl. 4. propè fin.* dicentis Christum existẽte solo originali fuisse venturum in carne passibili ex vi decreti iam à Deo facti, non autem si actualia tantum essent futura.

Tertia sent. est Vasq. qui dicit duo: *Primum* est: Si solum esset futurum Adæ peccatum deriuandum in posteros per originem, nec vllũ aliud peccatum actionis futurum esset in eis, nihilominus veniret Christus ex vi decreti & prædestinationis, qua de facto à Deo prædefinitus fuit vt veniret: *Secundum* est: Si futurum non esset Adæ peccatum originale transfundendum in posteros, etiamsi alia futura essent peccata actualia, quomodocunque illa futura essent, siue in pluribus eorum, siue in paucioribus, siue in reprobis tantùm, siue in prædestinatis, siue in hominibus, qui nati essent in iustitia, siue in eis, qui nati essẽt in pura natura, Christus nullo modo ve-

do veniret. Quam sententiam sequitur Pesantius addens, etiamsi omnes fuissent à peccato originali præseruati, adhuc tamen venturum fuisse Christum.

Resolutio. Finem Incarn. principalem fuisse totalem redemptionem generis humani ab omni peccato priuante gratia Dei, sine illud sit originale siue actuale, ita vt alterutro horũ deficiente Christus nõ veniret ex vi decreti, quod Deus sibi constituit circa incarnationem, præcipuè tamen Deum intẽdisse redẽptionem à pecc. orig.

CONSIDERANDVM *est primò*, quæstionis huius duplicem esse sensum: Prior est: An existente solo peccato originali aut solo actuali &c. Christus passibilis & redemptor veniret in mundum, ex vi decreti, quo Deus ab æterno prædefiniuit Christum esse venturum: Posterior sensus est: An facta eadem hypotesi Christus ex aliquo alio tunc futuræ diuinæ prouidentiæ decreto venturus esset passibilis & redemptor; & quamuis primus sensus sit huius Controuersiæ prorius: Secundus tamen non est totaliter alienus.

Secundò sciendum est ex peccato originali veluti ex prima radice cætera omnia generis humani peccata pullulare; quod autem Virgo beatissima & alij fortasse ab omni fuerint immunes actuali peccato, speciale fuit diuinæ gratiæ priuilegium: quod etiam vniuersis, si Deo placuisset, potuit hominibus communicari, sicut etiam omnes æquè potuisset Deus ab originalis culpæ macula præseruare.

Tertiò supponenda sunt, quæ diximus *in Controu. proximè præc.* de ordine actuum diuini intellectus & voluntatis in Christi prædestinatione, de multiplici fine Dominicæ Incarnationis & de causa eiusdem motiua totali seu adæquata, & de partiali & inadæquata. Posita namque causa motiua totali & adæquata decreti Incarnationis, & consequenter etiam ipso decreto, necesse est incarnationem esse; ea verò remota secũdùm se totam aut secundam aliquam sui partem vel conditionem ad eius integritatem seu totalitatem pertinentem, sicut decretum non esset in Deo, quod ea causa posita poneretur; ita nec eius effectus, scilicet Incarnatio futura esset ex vi dicti decreti. An autem ea causa totali & integra ac proinde etiam illo decreto non extante, puta si non esset futurum originale peccatum, sed actuale tantùm, aut è contra, quæ pars quædam esse videtur prædictæ causæ motiuæ totalis, futurum esset aliud in Deo de Incarnatione decretum, res omnino incerta est, vtpotè, quæ à sola Dei pendet voluntate, nobis vndequaque prorsus ignota, vt hic scitè recentiores aduertunt.

Quartò specialiter recolendum est, quod diximus *in præcedenti Controuersia*; nimirum præscientiam omnis peccati, scilicet originalis & actualis præcedere in Deo secundùm signum rationis decretum Incarnationis, cuius oppositum quo ad actualia peccata absque solido fundamento docet Vasquez dicens: Postquam Christus prædestinatus fuit ex primaria intentione afferendi remedium peccato Adæ transfundendo in posteros, deinde prædestinatum fuisse, vt etiam remedium pœnitentiæ mereretur posteris, qui post iustificationem ab originali in actualia laberentur; & hanc fuisse secundariam intensionem Dei: quæ quidem (inquit) licèt non esset; nihilominus maneret firmum decretum prædestinationis Christi ex primaria intentione; sed quia supra probauimus præscientiam omnis peccati, tam scilicet originalis quàm actualis priorem esse secundùm signum rationis decreto Incarnationis; & peccatum originale suaptè natura fons est vberrimus omnium peccatorum, quæ per quatuor originalis peccati vulnera, veluti per quatuor alueos latissimè fluunt, & animam totam ac simul cum ea corpus inficiunt; ideò tota peccatorum series cum suo fonte primæuo Dei virtute ab humano genere remouenda vna totalis & integra causa motiua est diuinæ voluntatis ad Christum in Redemptorem & Saluatorem prædestinandum: adeò vt hoc ipso quod præuiso vtroque peccato Christus prædestinatur in remedium originalis, prædestinetur etiam in remedium omnis actualis, quod ex originali secundùm præsentem rerum ordinem quasi naturaliter deriuatur: constat autem elicitum à Deo fuisse decretum Incarnationis præsuppositio alio diuinæ prouidentiæ decreto de cursu & ordine in rebus naturalibus & humanis, qualem modò cernimus & experimur; igitur ex vi decreti Incarnationis, prout de facto fuit in Deo, Christus non veniret existente in homine solo peccato originali aut actuali solo; deficiente siquidem totali & integra causa seu ratione diuinæ voluntatis motiua cessaret etiam effectus ex ea consequens, scilicet incarnatio; quia nec idem esset in Deo ab æterno decretum de fine incarnationis proximo, sicut nec esset idem diuinæ prouidentiæ decretum de cursu & ordine liberorum actuum in hominibus, qui repressa diuinitùs virtute fomitis, & frenata concupiscentia priuilegio gratiæ singularis à peccatis omnibus actualibus coercentur.

Ex quo patet primò alterius dubitationis huic oppositæ definitio: cùm enim quæritur, *an si nullum esset originale peccatum, sed actuale solum, Christus veniret?* negandum est ex vi decreti iam existentis pro solis actualibus esse venturum: Prædestinatus enim est à Deo Christus ad emundationem humani generis ab originali peccato, & ab actualibus ex eo pullulantibus: at si nullum esset originale peccatum, ea quæ committuntur ab hominibus actualia, non essent originalis peccati germina, sed ex ipsa defectibili voluntate, vel immediatè vel per sensuum ministeria pullularent.

Deinde patet ex dictis, quo sensu accipienda sunt dicta diuinarum Scripturarum & sanctorum significantium Christum ad tollendum originale peccatum venisse; loquuntur enim de peccato originali non præcisè, sed quatenus est radix eorum omnium actualium, quæ ex eo deriuanda Deo permittente Deus ipse præuiderat.

Tertiò patet verum esse sensum illius vltimæ conclusionis D. Thom. quem illi tribuimus ex Caietano & alijs, nimirum Christum simpliciter loquendo principalius venisse propter tollendum peccatum originale. Ad cuius ampliorem intelligentiam notandum est, Conclusionem hanc ita propositam dupliciter intelligi posse: *Vno modo* vt originale peccatum fuerit totale motiuum Incarnationis, ita vt eo solo existente & deficientibus omnibus actualibus Christus ex vi decreti, quod ab æterno Deus elicuit de mysterio Incarnationis, veniret: & in hoc sensu non est intelligenda conclusio D. Thom. vt satis ostendimus & ex dicendis magis elucescet: *Alio modo* vt motiuum Incarnationis totale fuerit remedium omnis peccati, quod priuat gratia Dei siue illud sit actuale siue originale, sed remedium originalis fuerit magis excitatiuum misericordiæ Dei, vt mitteret Saluatorem ob rationem supra notatam, nimirum quia peccatum originale per se loquendo commune est omnibus, & bonum gentis diuinius est, quàm bonum vnius aut aliquorum: cui addi potest alia quia scilicet originale peccatum contrahitur sine propria voluntate: & hic est legitimus sensus dictæ conclusionis; adeò vt

Conclus. ad mentem D. Thom.

CONCLVSIO ad mentem D. Thom. statuenda sit hæc: *Finis principalis Incarnationis fuit totalis redem-*

„ redemptio generis humani ab omni peccato priuante
„ gratia Dei, siue illud sit actuale, siue originale, ita vt alterutro horum deficiente Christus non veniret ex vi decreti, quod Deus sibi constituit ab æterno circa incarnationem: ex duobus tamen dictis peccatorum generibus Deus intendebat præcipuè tollere peccatum originale.

Conclusio hæc tres habet partes: *& prima quidem affirmans* finem Incarnationis principalem fuisse totalem redemptionem hominis ab omni peccato priuante gratia Dei, siue illud sit actuale, siue originale, probatur; quia de Mysterio Incarnationis ea tantùm cognoscimus, quæ nobis à Deo reuelantur; at ex diuina reuelatione cognoscimus Christum ex vi decreti, quod Deus habuit de Incarnatione, venisse vt redemptorem perfectum & vniuersalem, qui nos ab omni peccato priuante gratia Dei liberaret, scilicet ab originali & actuali; ergò. Maior patet. Minor probatur ex Apost. *ad Rom. 3.* dicente: *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum*, &c. scilicet originalis & actualium, quæ prius *in eodem capite* recensuerat. Idem affirmat Concil. Trident. *sess. 5. & 6. ca. 2.* & probat ex illis verbis Apostoli *ad Rom. 5. Gratia autem ex multis delictis*, scilicet originali & actuali, *in iustificationem*, &c. & ex illo 1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Et confirmatur; quia *Io. 10.* Dominus ait: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant*; & sermo est secundùm communem Patrum expositionem, de vita gratiæ nos à peccatorum sordibus emundante; non posset autem Christus abundanter & perfectè peccatorum nostrorũ sordes abluere, nisi ad nos ab vtroq; peccatorũ genere redimẽdos veniisset, nam quolibet eorum manente, sub peccato captiui maneremus, nec vitam gratiæ per Christum assequeremur. *Secunda concl. pars* ait; alterutro dictorum peccatorum deficiente Christum non fuisse venturum, ex vi decreti quod Deus sibi constituit ab æterno. Probatur hęc pars; quia deficiente fine totali deficit operatio; at finis totalis decreti, quod Deus habuit de Incarnatione, est redimere nos ab vtroq; genere peccatorum; ergò ex vi talis decreti, non veniret Christus, si deficeret redemptio ab aliquo genere dictorum peccatorum, quamuis sufficientem ac superefluentem haberet Deus charitatem, vt pro vno etiam solo vnius hominis peccato veniret, si illud solum fuisset, vt affirmant Chrys. & Theophyl. exponentes ea verba *ad Gal. 2. Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*: Quod etiam reuelatum fuisse S. Carpo refert Dionys. *in epist. ad Democrit.*

Vltima pars Concl. est; Deum ex prædictis peccatorum generibus intendisse præcipuè tollere peccatum originale. Probatur hæc pars; quoniam vt multi legunt *Ioannis primo* dicitur; *Ecce qui tollit peccatum mundi*, id est originale. Et *Dan. 9.* dicitur: *vt finem accipiat peccatum & deleatur iniquitas*; quo loco, vt ait Galatinus *lib. 4. c. 18.* loquitur Propheta de peccato originali, de quo etiam loquitur *Isa. cap. 52.* cum ait in persona Dei, *propter scelus populi mei percussi eum, & propter vlcus, quod erat in eis*, vt quidam ex Hebræo legunt; vlcus autem vulnus antiquum est, quod proinde in nobis significat peccatum originale, propter quod Deus principaliter venit. Et ex his patet quàm bene supra dixerimus, non solùm originale, sed etiam actualia fuisse à Deo præuisa, antè præuisam & volitam Incarnationem: Siquidem Incarnatio, vt ostendimus, in eorum omnium remedium fuit ordinata.

IAM VERO superest alter quæsiti sensus vnica responsione breuiter expediendus: DICO *igitur in solius diuinæ voluntatis arbitrio positum ab æterno fuisse, vt rebus humanis, quem voluerit ordinem ac legem imponeret, & quid eo posito gratuitæ perfectionis adiungeret.* Et quemadmodum hoc in nobis ordine, quem cernimus constituto, & præmissis, ac præuisis peccatis originali, & actuali, Christum nobis in redemptorem prædestinauit, quem tamen poterat absque detrimento suæ bonitatis, & sapientiæ non prædestinare; ita si rebus & actibus nostris alium ordinem imposuisset, exempli gratia, non permittendo peccatum originale, sed actualia tantùm vel solùm originale permittendo, potuisset pro sua libertate & salua bonitatis & sapientiæ suæ perfectione, Christum prædestinare, aut non prædestinare ad hominum redemptionem, & lapsis hominibus alia sibi nota remedia & modos salutis afferre. Nec debet aut potest infirmitas humani iudicij diuinorum consiliorum altissima secreta nimis curiosè perscrutari: scriptum est enim *Prou. 25. Qui scrutator est maiestatis opprimetur gloria*, & Isaię 40. *Quis adiuuit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, & ostendet illi? cum quo iniit consilium, & instruxit eum*, &c. De his enim conditionalibus nihil habemus in sacris litteris expressum, nec ab Ecclesia definitum, aut à Patribus apertè significatum; neque tamen humanas coniecturas, quibus Med. Valen. & alij ducti superius relata pronunciant, absolutè damnamus sed tantùm asserimus nihil in hac re certum, aut satis probabile posse definiri.

Si solum fuisset futurum peccatũ orig. aut solum actuale, non esse certum an Christus ex aliquo alio diuinæ prouidentiæ decreto tunc futuro venturus esset passibilis & redemptor.

PRIMA CONCL. *Si futurum ab æterno fuisset in humano genere solùm originale peccatum, Christus ex vi decreti iam à Deo constituti non veniret in eius remedium.* Hæc concl patet ex dictis.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

SECVNDA CONCL. *Si futura essent in hominibus tantùm actualia peccata non veniret Christus ex vi decreti, iam existentis in Deo.* Hæc etiam patet ex dictis.

TERTIA CONCL. *Si futurum fuisset tantùm originale vel tantùm actualia, non est certum Christum passibilem & redemptorem ex vi alterius decreti venturum esse.*

VLTIMA CONCL. *Quatuor dicta Medinæ supra notata nonnullam habent probabilitatem verisimilibus coniecturis innixam.*

CONTRA primam conclusionem argumentatur Med. & post eum Val. Potissima causa aduentus Christi est originale peccatum, sed tunc esset originale peccatum; ergò Christus veniret.

Argum. & Solutiones. Obij. cont. 1. concl. 1.

Resp. primò: Originale peccatum non præcisè, sed quatenus fons est omnium peccatorum, esse potissimam causam aduentus Domini; ac proinde si non essent alia futura, nec veniret Christus. *Secundò respondetur* originale peccatum præcisè sumptum esse potissimam causam, sed non totalem, & sufficientem aduentus Domini, vt ante diximus.

Contra eandem concl. arg. Suarez: Sicut intelligimus peccatum originale prius fuisse in permissione & præuisione diuina, quàm cætera actualia, quæ aliquando fuerunt, vel futura sunt in humana natura: quatenus illud est radix & veluti causa cæterorum; ita ad prædefiniendam nostram redemptionem per Christum per se solum intelligimus supponi permissionem, & præuisionem originalis peccati; ergò hæc fuit primaria ratio prædestinationis Christi, vt Redemptoris & in carne passibili; ergò ex vi illius voluntatis & decreti, quo Deus voluit redemptionem nostram, voluit Christum esse

Obiect.

ver-

venturum ad nos redimendum ab originali peccato, etiamsi nullum aliud actuale esset committendum vel permittendum in humana natura.

Sol. *Respond.* falsum esse antec. Quia licèt inter peccata prius intelligatur permissum & præuisum originale peccatum: decretum tamen redemptionis per Christum posterius est permissione & præscientia omnium peccatorum, tam vt spectant ad ordinem naturæ, quàm vt pertinent ad ordinem gratiæ, vt eius priuationes. Vbi aduerte Suar. haud sibi consonè loqui vt notat Vasq. *disp. 13. cap. 2. in fine.* Et per hæc soluitur idem ferè argumentum apud Vasq. Quod autem ait Vasq. nimirum præuisionem actualium supponere secundùm ordinem rationis distributionem gratiæ in singulis per Christum vt euitare possint peccata & permissionem, hoc est negationem efficacis gratiæ per Christum qua peccata ipsa impediuntur, falsum est absolutè loquendo, vt patet ex dictis in præcedenti controuersia: prius enim peccata considerantur vt priuationes ordinis gratiæ vt sic, quàm vt talis ordo siue gratia dependet à Christo.

Obiectio 3. *Contra eandem* concl. arg. Aluar. Quoniam originale peccatum totam infecit naturam & aduersatur bono magis vniuersali, quod est diuinius, peccatum autem actuale est peccatum personale; ergò etiamsi nullum esset peccatum actuale, existente originali peccato, Verbum Incarnatum fuisset.

Sol. *Resp.* nullam esse conseq. præsertim loquendo de Incarnatione ex vi decreti iam existentis in Deo; quia licèt remedium originalis peccati esset motiuum principale, non erat tamen totale & omnino sufficiens.

Obijcitur con. 2. cum. CONTRA *secundam* concl. argum. Med. Causa aduentus Domini licèt non potissima fuit peccata actualia tollere, ergò veniret Christus vt remedium his peccatis afferret.

Sol. *Resp.* nullam esse conseq. quia deletio actualium peccatorum non fuit motiuum totale, & sufficiens aduentus Christi.

Contra eandem concluſ. est arg. quod refert & soluit Suar. *in fin. dictæ sect. 6.* & alia quæ producit & soluit Vasq. *disp. 13. c. 3.*

Obi. cont. 3. concl. CONTRA *tertiam concl.* quo ad secundam eius partem produci posset argumentum ex Aluarezio asserente, probabiliter dici, si essent peccata mortalia in omnibus ferè hominibus, vel in maiori parte, etiam non existente peccato orig Incarnationem esse futuram; quod probat; quia tunc peccatum mortale censeretur malum gentis siue malum vniuersale vel quasi vniuersale; ergo per Incarnationem Verbi delendum esset. *Respon.* nullam esse consequentiam; quia Deus multa alia nobis ignota peccatoribus sibi reconciliandis potuit adhibere remedia.

Vide quæ scribit Suar. circa responsionem ad secundum argumentum, & Caietanus circa responsionem ad tertium.

ARTICVLVS V.

Vtrùm conueniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi.

1. 2. q 98. a. 6. c & 3. d. 1. q. 1. a. 4. & 4. cont. 8. 55 9 & 1. fa. 2. col. 1. & Gal. 4. vel. 3. fin.

AD quintum sic proceditur. *Videtur, quòd conueniens fuisset Deum incarnari à principio humani generis, Incarnationis enim opus ex immensitate diuinæ charitatis processit secundùm illud Ephes. 2. Deus qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo. Sed charitas non tardat subuenire amico necessitatem patienti: secundùm illud Prouer. 3. Ne dicas amico tuo, Vade, & reuertere: cras dabo tibi, cùm statim possis dare. Ergo Deus Incarnationis opus differre non debuit, sed statim à principio per suam incarnationem humano generi subuenire.*

Præterea, 1. Tim. 1. dicitur, Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Sed plures saluati fuissent, si à principio humani generis Deus incarnatus fuisset: plurimi enim ignorantes Deum, in suo peccato perierunt in diuersis sceleribus. Ergò conuenientius fuisset, quòd à principio humani generis Deus incarnatus fuisset.

Præterea, Opus gratiæ non est minus ordinatum, quàm opus naturæ. Sed natura imitium sumit à perfectis: vt dicit Boet. in libr. de Consolat. ergò opus gratia à principio debuit esse perfectum. Sed in opere Incarnationis consideratur perfectio gratiæ secundùm illud, Verbum caro factum est: & postea subditur, Plenum gratiæ veritatis. Ergo Christus à principio humani generis debuit incarnari. *Lib. 3. pro 10.*

Sed contra est, quod dicitur Gal. 4. At vbi venit plenitudo temporis; misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Vbi dicit gl. quod plenitudo temporis est, quod præfinitum fuit à Deo patre, quando mitteret filium suum. Sed Deus sua sapientia omnia disposuit. Ergo conuenientissimo tempore Deus est incarnatus. Et sic conueniens non fuit, quòd à principio humani generis Deus incarnaretur. *Et Amb. in hunc locum tom. 5.*

Respondeo dicendum, quòd cùm opus Incarnationis principaliter ordinetur ad reparationem humanæ naturæ per peccati abolitionem, manifestum est, quòd non fuit conueniens à principio humani generis ante peccatum Deum incarnatum fuisse: non enim datur medicina, nisi iam infirmis. Vnde ipse Dominus Matth. 9. dicit, Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus: Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. *Inf. q. 4. a. 1 c Ei q 43. a. 3. ad 2. & 9. 4. 4. ar. 3. c. Et veri. q. 29 ar. 4. ad 5.*

Sed nec etiam statim post peccatum conueniens fuit Deum incarnari. Primò quidem propter conditionem humani peccati, quod ex superbia prouenerat. Vnde eo modo erat homo liberandus, vt humiliatus recognosceret se liberatore indigere. Vnde super illud Gal. 3. Ordinata per Angelos in manu Mediatoris, dicit gloss. Magno Dei consilio factum est, vt post hominis casum non illico Dei filius mitteretur: Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrij in lege naturali, vt sic vires naturæ suæ cognosceret: vbi cùm deficeret, legem accepit, qua data inualuit morbus non legis, sed naturæ vitio. Vt ita cognita sua infirmitate, clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium. Secundò propter ordinem promotionis in bonum, secundum quam ab imperfecto ad perfectum proceditur. Vnde Apost. dicit 1. Cor. 15. Non prius, quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale: primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Tertio propter dignitatem Verbi Incarnati: quia super illud Gal. 4. At vbi venit plenitudo temporis, dicit gloss. Quantò maior iudex veniebat, tantò præconum series longior præcedere debebat. Quartò, ne feruor fidei temporis prolixitate tepesceret: quia circa finem mundi frigesceret charitas multorum. Vnde Luc. 18. dicitur, Cum filius hominis veniet, putas inueniet fidem in terra. *Gloss. ordin. Aug. tract. 31. in Ioan. tom. 9.*

Ad primum ergo dicendum, quod charitas non differt amico subuenire, saluatamen negotiorum opportunitate, & personarum conditione. Si enim Medicus statim à principio ægritudinis medicinam daret infirmo, minus proficeret, vel magis læderet, quàm iuuaret. Et ideò etiam Dominus non statim à principio Incarnationis remedium humano generi exhibuit, ne illud contemneret ex superbia, si prius suam infirmitatem non cognosceret.

Ad secundum dicendum, quòd August. ad hoc respondet in lib. de sex quæstionibus Paganorum, dicens, q. 2. quòd tunc voluit Christus hominibus apparere, & *Epi 49. q. 2. cons. 2.*

apud

apud eos prædicari suam doctrinam quando, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant crediturí: his enim temporibus, & his in locis tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat, quales non quidem omnes, sed tamen multi in eius corporali præsentia fuerunt, qui nec in eum suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt.

Cap 9. 10.7. *Sed hanc responsionem reprobans idem August. in libr. de Perseuerantia dicit: Nunquid possumus dicere Tyrios, & Sydonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent: cùm ipse Deus attestetur eis, quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutum? proinde, vt ipse soluens subdit, sicut Apostolus ait: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui his quos præuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit, subuenit: alijs autem non subuenit, de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed aliud iustè iudicauit. ita misericordiam eius in his, qui liberantur, & veritatem in his, qui puniuntur, sine dubitatione credamus.*

D.102. *Ad tertium dicendum, quòd perfectum quidem est prius imperfecto, in diuersis quidem tempore, & natura (oportet enim, quòd perfectum fit, quòd alia ad perfectionem adducit) sed in vno, & eodem imperfectum est prius tempore, etsi fit posterius natura. Sic ergo imperfectionem naturæ humanæ duratione præcedit æterna Dei perfectio: sed sequitur ipsam consummata perfectio eius in vnione ad Deum.*

Sensus quæsiti.

CIRCA vltimam tituli particulam, scilicet *ab initio mundi* duo sunt notanda. *Primum* est hic non quæri; num fuerit conueniens Deum ab æterno humanitati nostræ copulari? esset enim hæc quæstio superuacanea. Primò quoniam, vt ex prædictis constat, Incarnationis mysterium ordinatum fuit à Deo in remedium peccati præuisi, certum est autem ab æterno nullum fuisse aut esse potuisse peccatum. Secundò quia Incarnatio Verbi præsupponit mundi creationem, quæ fieri non debuit, licet potuerit ab æterno. *Secundum* est, initium mundi dupliciter sumi posse iuxta duplicem humani generis statum, scilicet innocentiæ & lapsus, vt hic aduertit Caiet. & secundum vtrumque modum seu acceptionem initij respondetur quæsito, vt patet in textu.

Forma Textus.

PRIMA CONCLVSIO: *Non fuit conueniens à principio humani generis ante peccatum Deum incarnatum fuisse.* Probatur: opus Incarnationis ordinatur principaliter ad reparationem humanæ naturæ per peccati abolitionem; ergò non fuit conueniens, &c. Consequentia probatur primò: quia non datur medicina nisi iam infirmis. Secundò: quia Dominus *Matth. 9.* dicit; *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus, non enim veni vocare iustos, sed peccatores.*

SECVNDA CONCLVSIO: *Nec etiam statim post peccatum conueniens fuit Deum incarnari.* Probatur primò: Eo modo erat homo liberandus, vt humiliatus recognosceret se liberatore indigere; at hoc solo modo cognoscere potuit homo se liberatore indigere, si relinqueretur prius in libertate arbitrij in lege naturali: deinde legem acciperet positiuam; ergò. Maior probatur; quia peccatum hominis ex superbia prouenerat. Minor verò probatur ex discursu glossæ *in textu* relato. Secundò probatur Conclusio; quia ordo promotionis in bonum requirit, vt ab imperfecto ad perfectum procedatur; ergò. Antecedens

A probatur authore Apost. *1. Cor. 15. Non prius, quod spirituale est, &c.* Tertiò probatur: quia maxima est dignitas Verbi Incarnati; ergò. Consequentia probatur ex Glossa, vt patet *in textu.* Quartò: quia si statim ab initio peccati Deus incarnatus fuisset, seruor fidei temporis prolixitate tepesceret; ergo. Probatur assumpta conditionalis; primò: quia circa finem mundi frigescet charitas multorum. Secundò: quia *Luc. 8.* dicitur: *Cum filius hominis venerit, &c.*

Expositio Textus.

DISPVTAT hic latè Suarez de tempore Dominicæ Incarnationis, cuius tamen diffi-
B cultatis nodum, nec ipse nec alius hucusque potuit explicare, aut aliqua certa ratione vel generationum aut annorum supputatione definire. Quæstionem hanc subtiliter & eruditè versat Baronius in Apparatu in suos Annales Eccles. Vbi veterum historicorum & Sanctorum Patrum scripta producit, confert ac diligenter expendit: an autem punctum veritatis attigerit, iudicent historiæ professores.

Idem expositor, nimirum Suarez *in eadem disput. 6. sect. 2.* productis Sanctorum dictis singulas explicat rationes. D. Thom. pro secunda concluf. ex quibus primam & secundam declarat optimè Caiet. addens omnibus quintam; quam etiam approbat & explicat Med.

C Duas hic mouent dubitationes interpretes D. Th. alteram Med. & alteram Aluarez. Prior est, *an Christus antea venire potuerit?* Posterior est, *an salus humani generis fuerit verè & propriè causa finalis Incarnationis Verbi?* quarum solutiones vide apud dictos expositores.

Circa respons. ad secundum videnda sunt, quæ scribunt Caiet. & Medin. Sed duo cauenda sunt quæ circa eandem responsionem notat Suarez. *Primum* est, D. Thomam hoc loco admitere in Deo scientiam illam conditionatam actuum liberorum, quam ex Augustino refert, Deum scilicet cognouisse, quinam essent crediturí vel non crediturí, illis vel illis circumstantijs positis: Hanc enim scientiam, neque hic neque alibi pro-
D bauit S. D. sed vbique reiecit vt impossibilem quod patet *ex qu. 14. 1. p. art. 13.* Verba autem illa, quæ ex Augustino *in lib. de Perseuerantia* refert & admittit vt vera: videlicet: *Qui his, quos præuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros,* non significant scientiam illam mediam seu conditionatam, sed scientiam naturalem qua certò scit Deus, quid factura sit creata voluntas, si decreto diuinæ prouidentiæ & virtute præmotionis efficacis fuerit ad aliquos actus à Deo suauiter, & salua sua libertate determinata. Præuisio namque certa futuri euentus certas eiusdem euentus futuras causas præsupponit; nulla verò potest esse firmitas aut certitudo creatarum causarum, ac
E præsertim liberarum in ordine ad actus earum, nisi ex æterna diuinæ voluntatis præfinitione, & temporali earumdem à Deo facta prædeterminatione ad actus earum; vt ostendimus ex sententia D. Thomæ & D. Augustini & aliorum in *1. p. quæst. 14. art. 13. Controu. 1.* Quod etiam latè probat Aluarez in suo opere *de Auxilijs diuinæ gratiæ, disputat. 7.* Quosdam etiam actus futuros absolutè, vel sub conditione Deus præuidet sua scientia libera, eos nimirum, quos absolutè vel sub conditione futuros esse determinauit, vt ibi declarauimus, & explicat ac tuetur Aluarez *loco notato. Secundò cauendum est* id, quod ait idem expositor *in dicta sect. 2.* videlicet D. August. *in lib. de Prædest. Sanctor. c. 9. Et de bono perseuer. cap. 9.* assere-

re, tunc venisse Christum, quando cognouit electis suis magis profuturum eius aduentum: hoc enim dictum sic nudè prolatum, ibi retractat vel modificat Augustin. dicens, *c. 9. de Prædest. Sanct. Quid enim verius, quàm præscisse Christum qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant crediturí, sed vtrum prædicato sibi Christo à se ipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est vtrum tantummodo eos præsciuerit, an etiam prædestinauerit Deus, quærere, ac differere, tunc necessarium non putaui. Proinde, quod dixi tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam; quoniam sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant crediturí, posse etiam sic dici, tunc voluisse apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam, quoniam sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem,* &c. Hæc August. ex quibus secundùm eius mentem perspicuè patet, Deum futuros in hominibus actus fidei & pœnitentiæ non præsciuisse, nisi præsuppositò decreto prædestinationis & electionis illorum hominum ac prædefinitionis eorum actuum; qui modus cognitionis non est scientiæ mediæ, quam conditionalem appellant, sed est scientiæ liberæ, cuius decreto & prædefinitione res constituuntur in esse futuro.

Articvlvs VI.

Vtrum incarnatio differri debuerit vsq; ad finem mundi.

Loc. sup. ar. 5. citatis.

AD *sextum sic proceditur. Videtur, quòd Incarnationis opus differri debuerit vsq; in finem mundi. Dicitur enim in Psalm. Senectus mea in misericordia vberi, id est, in nouissimo: vt Gloss. dicit. Sed tempus Incarnationis est maximè tempus misericordiæ, secundum illud Psalm. Quoniam venit tempus miserendi eius. Ergò incarnatio differri debuit vsq; in finem seculi.*

Art. præc. ad 3.

Præterea, sicut dictum est, perfectum in eodem tempore est posterius imperfecto: ergò illud, quod est maximè perfectum, debet esse vltimum omnino in tempore. Sed summa perfectio humanæ naturæ est in vnione ad Verbum: quia in Christo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare, vt Apostol. dicit Coloss. 1. Ergo incarnatio differri debuit vsque in finem mundi.

Præterea, Non est conueniens fieri per duo quod per vnum fieri potest. Sed vnus Christi aduentus sufficere poterat ad salutem humanæ naturæ: qui erit in fine mundi. Ergo non oportuit, quòd ante ea veniret per Incarnationem. Et ita incarnatio differri debuit vsque in finem mundi.

Sed contra est, quod dicitur Abacuc 3. In medio annorum notum facies. Non ergo debuit incarnationis Mysterium, per quod mundo innotuit, vsq; in finem mundi differri.

Art. præc. ad 3.

D. 1021.

Respondeo dicendum, quòd sicut non fuit conueniens Deum incarnari à principio mundi, ita non fuit conueniens, quòd incarnatio differretur vsque in finem mũdi. Quod quidem apparet, primò ex vnione diuinæ & humanæ naturæ. Sicut enim dictum est, perfectum vno modo tempore præcedit imperfectum, alio modo è conuerso, imperfectum tempore præcedit perfectum. In eo enim, quòd de imperfecto fit perfectum, imperfectum tempore præcedit perfectum: in eo verò quod est causa perfectionis efficiens, perfectum tempore præcedit imperfectum. In opere autem incarnationis vtrumque concurrit, quia natura humana in ipsa incarnatione est perducta ad summam perfectionem. Et ideò non decuit, quòd à principio humani generis incarnatio facta fuisset. Sed ipsum Verbum incarnatum est perfectionis humanæ causa efficiens, iuxta illud Ioann. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus, & ideò non debuit incarnationis opus vsque in finem mundi differri, sed perfectio gloriæ, ad quam perducenda est vltimò natura humana per Verbum incarnatum, erit in fine mundi. Secundò ex effectu humanæ salutis. Vt enim dicitur in lib. de q. vet. & no. Test in potestate dantis est, quando, vel quàtum velit misereri. Venit ergo, quando, & subueniri debere sciut, & gratum futurum beneficium. Cùm enim languore quodam humani generis, aboleſcere cœpisset cognitio Dei inter homines, & mores immutarentur, eligere dignatus est Abrahã, in quo forma esset renouatæ notitiæ Dei, & morũ: & cũ adhuc reuerentia seniorẽ esset, postea per Moysen legem litteris dedit. Et quia eam gentes sperneruntB non se subijcientes ei, neque hi, qui acceperunt, eam seruauerunt, motus misericordia Dominus, misit filium suum, qui data omnibus remissione peccatorum, Deo Patri illos iustificatos offerret. Si autem hoc remediũ differretur vsque in finem mundi, totaliter Dei notitia, & reuerentia, & morum honestas abolita fuisset in terris. Tertiò apparet hoc fuisse conueniens ad manifestationem diuinæ virtutis: quæ pluribus modis homines saluauit, non solùm per fidem futuri, sed etiam per fidem præsentis, & præteriti. Lib. 2. q. 83. tom. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod gloss. illa exponit de misericordia perducente ad gloriam. Si tamen referatur ad misericordiam exhibitam humano generi per Lib. 1. c. 26. tom. 1.

Incarnationem Christi, sciendum est, quòd sicut AugustC dicit in libr. retract. tempus incarnationis potest comparari iuuentuti humani generis, propter vigorem feruoremq; fidei, quæ per dilectionem operatur: senectuti autem, quæ est sexta ætas, propter numerum temporum, quia Christus venit in sexta ætate. Et quamuis in corpore non possit simul esse iuuentus, & senectus, potest tamen simul esse in anima, illa propter alacritatem, ista propter grauitatem. Et ideò in lib. 83. q. alicubi dicit August. quòd non oportuit diuinitùs venire Magistrum, cuius immitatione humanum genus in moves optimos formaretur, nisi tempore iuuentutis. Alibi autem dicit Christum in sexta ætate humani generis, tanquam in senectute venisse. q. 44. to. 4. libr. 1. de Gen contra Manic. c. 23. to. 1.

Ad secundum dicendum, quòd opus incarnationis nõ solùm est considerandum vt terminus motus de imperfecto ad perfectum, sed etiam vt principium perfectionisD in humana natura, vt dictum est.

Ad tertium dicendum, quòd sicut Chrysost. dicit super illud Ioann. Non misit Deus filium suum, vt iudicet mundũ: duo sunt Christi aduẽtus. Primus quidem, vt remittat peccata: secundus, vt iudicet mundum. Si enim hoc non fecisset, vniuersi simul perditi essent: omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Vnde patet, quòd non debuit aduentum misericordiæ differre vsque in finem mundi. Hom. 27. in Ioann. to. 3.

CONCLVSIO est: *Sicut non fuit conueniens Deum incarnari à principio mundi, ita non fuit conueniens, vt Incarnatio differretur vsque ad finem mũdi:* Prob tripliciter: *primò* ex vnione diuinę & humanæ naturæ; quia perfectũ vno modo tempore præcedit imperfectum; alio modo è cõuerso imperfectum tempore præcedit perfectum; at in opere Incarnationis vtrumque concurrit; ergò non decuit vt à principio mundi Incarnatio facta fuisset, nec debuit Incarnationis opus vsque in finem mundi differri. Maior declaratur: quia in eo quod de perfecto fit perfectum, imperfectum tempore præcedit perfectum; in eo verò, quòd est causa perfectionis efficiens, perfectum tempore præcedit imperfectum: Minor verò probatur; quia natura humana in ipsa Incarnatione est perducta ad summam perfectionẽ, & ipsum Verbum incarnatum est perfectionis humanæ causa efficiens iuxta illud Ioann. 1.

De ple-

De plenitudine eius nos omnes accepimus; ergò ratione humanæ naturę perducendę ad summam perfectionem, non decuit Incarnationem fieri à principio mundi: ratione autem Verbi, vt causa efficiens est perfectionis humanæ, non debuit differri vsque ad finem mundi; & declaratur hæc pars; quia perfectio illa, ad quam perducenda est vltimò natura humana, est perfectio gloriæ, quæ erit in fine mundi. *Secundò* probatur Concl. ex effectu humanæ salutis; quia Deus venit in assumpta carne, quando & subueniri debere sciuit, & gratum futurum beneficium; at Deus sciuit debere homini subueniri, non in fine mũdi, sed ante, & similiter non in fine sed ante futurum gratum beneficium; ergò: Maior probatur seu declaratur; quia in potestate dantis est, quando vel quantum velit misereri: Minor verò probatur; quia si hoc remedium differatur vsque ad finem mundi, totaliter Dei notitia & reuerentia & morum honestas abolita fuisset in terris; ergò. Probatur hæc assumpta conditionalis ex Augustino *in lib. 2. de quæst. nou. test. quæst. 83.* dicente: *Cum languore quodam humani generis abolescere cœpisset*, &c. *Tertiò probatur conc.* quia sic magis manifestatur diuina virtus, ergò. Probatur antecedens; quia sic diuina virtus pluribus modis homines saluauit, non solùm per fidem futuri, sed etiam per fidem præsentis & præteriti.

Expositio Textus.

VIDENDA est explicatio Caiet. circa primam rationem D. Tho. Mouet dubitationem de veritate Concl. Med. & post eum Suar. & eius solutiones doctrinam præsentis articuli confirmant & illustrant, &c.

QVAESTIO II.

De modo vnionis Verbi Incarnati in duodecim articulos diuisa.

DEinde considerandum est de modo vnionis Verbi incarnati. Et primò, quantum ad ipsam vnionem. Secundò, quantum ad personam assumentem. Tertiò, quantùm ad naturam assumptam.

Circa primum quæruntur duodecim.

Primò, vtrum vnio Verbi Incarnati sit facta in natura.

Secundò, vtrum sit facta in persona.

Tertiò, vtrum sit facta in supposito vel hypostasi.

Quartò, vtrum persona vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita.

Quintò, vtrum sit facta aliqua vnio animæ, & corporis in Christo.

Sextò, vtrum natura humana fuerit vnita verbo accidentaliter.

Septimò, vtrum ipsa vnio sit aliquid creatum.

Octauò, vtrum sit idem quod assumptio.

Nonò, vtrum sit maxima vnionum.

Decimò, vtrum vnio duarum naturarum in Christo fuerit facta per gratiam.

Vndecimò, vtrum eam aliqua merita præcesserint.

Duodecimò, vtrum gratia vnionis fuerit homini Christo naturalis.

Ratio ordinis.

QVAESTIONEM de conuenientia Incarnationis tam absoluta quàm respectiua sequitur quæstio de eiusdem Incarnationis quidditate: modus enim vnionis, de quo proponit agendum S. D. non accidentalis sed essentialis est ad ipsam Incarnationis & vnionis naturam pertinens: Et quoniam vnio humanæ naturæ cum diuina persona dupliciter sumitur, scilicet pro coniunctione & pro relatione ex ea resultante, agit primò S. D. de vnione prout significat coniunctionem *in sex primis articulis*: Deinde tractat de eadem quatenus significat relationem *in 7. & 8. ar.* Tertiò de vnione, quatenus coniunctio est, agit per comparationem ad alias vniones *in 9. ar.* Vltimò differit de causis vnionis, quæ tres solent assignari, scilicet gratia, merita & natura; de quibus agit in vltimis tribus articulis. De vnione verò, quatenus est coniunctio, disputatur primò ratione termini *in quatuor primis articulis*. Secundò ratione vnius extremi, scilicet naturæ humanæ *in 5. art.* Tertiò ratione modi, seu qualitatis ipsius vnionis *in 6. art.* Rursus de vnione ratione termini: quæritur primò, quo ad terminum simplicem, aut vnius rationis *in tribus primis articulis*. Deinde quoad terminum compositum *in 4. art.* De termino verò simplici siue vnius rationis tria quærit. Primò: Vtrum vnio sit facta in natura; quia natura prior est persona seu personalitate. Secundò, an sit facta in persona, quæ in specie humana idem est quod hypostasis & suppositum. Tertiò, propter quorundam errorem distinguentium personam ab hypostasi in natura rationali quærit, vtrum vnio sit facta in supposito vel hypostasi: De termino autem composito agit in *4. artic.* quærens, Vtrum persona Christi post Incarnationem sit composita: Denique de vnione quo ad eius qualitatem & modum differit *in 6. art.* Quærens, vtrum humana natura fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter: De singulorum etiam ordine suis locis magis didistinctè dicemus.

ARTICVLVS I.

Vtrum vnio Verbi incarnati sit facta in natura.

AD primum sic proceditur. *Videtur, quòd Vnio Verbi incarnati sit facta in vna natura. Dicit enim Cyrillus, & inducitur in gestis Concilij Chalcedonensi. Non oportet intelligere duas naturas, sed vnam naturam Dei Verbi incarnatam. Quod quidem non esset, nisi vnio fieret in natura. Ergo vnio Verbi incarnati facta est in natura.*

Præterea, Athanas. dicit: Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo: ita Deus, & homo vnus est Christus. Sed anima rationalis, & caro conueniunt in constitutione vnius naturæ humanæ. Sic ergo Deus, & homo conueniunt in constitutione alicuius naturæ: ergo vnio facta est in natura.

Præterea, Duarum naturarum vna non denominatur ex altera, nisi aliquo modo inuicem transmutentur. Sed diuina natura, & humana in Christo ab inuicem denominantur: dicit enim Cyrillus diuinam naturam esse incarnatam, & Greg. Naz. dicit humanam naturam esse deificatam, vt patet per Damasc. Ergò ex duabus naturis videtur esse facta vna natura.

Sed contra est, quod dicitur in determinatione Cõcilij Chalcedon. Confitemur in nouissimis diebus filium Dei vnigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indiuisè, inseparabiliter agnoscendum, nũquam sublata differentia naturarum propter vnionem. Ergo vnio non est facta in natura.

Respondeo dicendum, quòd ad huius quæstionis euidentiam oportet cõsiderare quid sit natura. Sciendum est ergò, quòd nomen naturæ à nascẽdo est dictum. Vnde primò est impositum hoc nomen ad significandum generationem viuentium: quæ natiuitas vel pullulatio dicitur, vt dicatur natura quasi nascitura. Deinde

Inf. a. 2. & 5. c. & 12. ad 1. & q. 50. ar. 2. & 3. d. 1. q. 2. a. 1. & d. 5. q. 1. a. 2. & 3. & 4. contr. c. 35. 37. & 41. & veri. q. 20. a. 1. c. & vnio ar. 1. & opus. 3. ca. 211. 212. & 225. alt. 1. epist. 1. ad Cledonium.

translatum est nomen naturæ ad significandum principium huius generationis. Et quia principium generationis in rebus viuentibus est intrinsecum, vlterius deriuatum est nomen naturæ, ad significandum quodlibet principium intrinsecum motus: secundum quod Philos. dicit in 2. Phys. quod natura est principiū motus in eo, Text. 3. in quo est, per se, & non secundum accidens. Hoc autem principium vel forma est, vel materia: vnde quandoque natura dicitur forma, quandoque verò materia. Et quia finis generationis naturalis est in eo, quod generatur, essentia speciei, quam significat diffinitio: inde est quòd huiusmodi essentia speciei vocatur etiam natura. Et hoc modo Boetius naturam diffinit in lib. de duabus natur. dicens, Natura est vnamquamque rem informans specifica differentia: quæ scilicet complet diffinitionem speciei. Sic ergo nunc loquimur de natura, secundum quod natura significat essentiam, vel quod quid est, siue quidditatem speciei. Hoc autem modo accipiendo naturam, impossibile est vnionem Verbi incarnati esse factam in natura.

Tripliciter enim aliquid vnum ex duobus, vel pluribus constituitur. Vno modo ex duobus integris, perfectis remanentibus. Quod quidem fieri non potest nisi in ijs, quorum forma est compositio, vel ordo, vel figura. Sicut ex multis lapidibus absque aliquo ordine adunatis, per solam compositionem fit aceruus: ex lapidibus autem, & lignis secundum aliquem ordinem dispositis, & etiam ad aliquam figuram redactis, fit domus. Et secundum hoc posuerunt aliqui vnionem esse per modum confusionis, quæ scilicet est sine ordine: vel per modum commassationis, quæ scilicet est cum ordine. Sed hoc non potest esse. Primò quidem: quia compositio, vel ordo, vel figura non est forma substantialis, sed accidentalis. Et Art. 6. huius quæst. sic sequeretur, quòd vnio Incarnationis non esset per se, sed per accidens: quod infra improbabitur. Secundò, quia ex huiusmodi non fit vnum simpliciter, sed secundum quid; remanent enim plura actu. Tertiò, quia forma talium non est natura, sed magis ars: sicut forma domus. Et sic non constitueretur vna natura in Christo, vt ipsi volunt.

Alio modo fit aliquid vnum ex perfectis, sed transmutatis: sicut ex elementis fit mistum. Et sic aliqui dixerunt vnionem Incarnationis esse factam per modum complexionis. Sed hoc non potest esse. Primò quidem, quia natura diuina est omnino immutabilis, vt in pri- 3. p. q. 1. ma parte dictum est. Vnde nec ipsa potest conuerti in aliud, cùm sit incorruptibilis: nec aliud in ipsam, cùm ipsa sit ingenerabilis. Secundò, quia id, quod est commistum, nulli miscibilium est idem specie: differt enim caro à quolibet elementorum specie. Et sic Christus non esset eiusdem naturæ cum patre, nec cum matre. Tertiò, quia ex ijs quæ plurimùm distant, non potest fieri commistio: soluitur enim species vnius eorum, puta si quis guttam aquæ amphoræ vini apponat. Et secundùm hoc, cùm natura diuina in infinitum excedat humanam naturam, non potest esse mistio: sed remanebit sola natura diuina.

Tertio modo fit aliquid ex aliquibus non permistis vel permutatis, sed imperfectis: sicut ex anima & corpore fit homo: & similiter ex diuersis membris vnum corpus constituitur. Sed hoc dici non potest de incarnationis mysterio. Primò quidem, quia vtraq; natura est secundum rationem suam perfecta, diuina scilicet & humana. Secundò, quia diuina natura, & humana non possunt constituere aliquid per modum partium quantitatiuarum, sicut membra constituunt corpus: quia natura diuina est incorporea. Neq; per modum formæ, & materiæ: quia diuina natura non potest esse forma alicuius, præsertim corporei. Sequeretur enim, quòd species resultans esset communicabilis pluribus: & ita essent plures Christi. Tertiò, quia Christus non esset humanæ naturæ, neq; diuinæ naturæ. Differentia enim addita variat speciem: sicut vnitas numerum, sicut dicitur in 8. Metaph.

Ad primum ergo dicendum, quod authoritas Cyrilli Text. 10. *exponitur in quinta Synodo sic: si quis vnam naturam* In Conc. *Verbi Dei incarnatam dicens, non sic accipiat, sicut Pa-* Constant. *tres docuerunt, quia ex diuina natura, & humana vnio est secundum subsistentiam factam: sed ex talibus vocibus naturam vnam, siue substantiam diuinitatis, & carnis Christi introducere conetur: talis anathema sit. Non ergo sensus est, quòd in incarnatione ex duabus naturis sit vna natura constituta: sed quod natura Verbi Dei carnem vniuit sibi in persona.* can. 8.

Ad secundum dicendum, quòd ex anima & corpore constituitur in vnoquoq; nostrum duplex vnitas, naturæ, & personæ. Naturæ quidem secundùm quod anima vnitur corpori, formaliter perficiens ipsum, vt ex duobus fiat vna natura, sicut ex actu & potentia, vel materia, & forma. Et quantum ad hoc non attenditur similitudo: quia natura diuina non potest esse corporis forma, vt in primo probatum est. Vnitas verò personæ constituitur ex eis, in quantum est vnus aliquis subsistens q. 3. 8. *in carne, & anima. Et quantum ad hoc attenditur similitudo: vnus enim Christus subsistit in diuina natura & humana.*

Ad tertium dicendum, quod sicut Damas. dicit, natura diuina dicitur incarnata: quia est vnita carni personaliter: non quòd sit in naturam carnis conuersa. Similiter & caro dicitur Deificata (vt ipse dicit) non per conuersionem, sed per vnionem ad Verbum saluis suis proprietatibus naturalibus, vt intelligatur caro Deificata: quia facta est Dei Verbi caro, non quia facta sit Deus.

Sensus quæsiti.

HVIVS quæsiti sensum, quòad terminum illum *natura*, declarat S. D. *in 1. p. litteræ*, quatuor dictæ vocis significata distinguens, & eorū solum vltimum proposito deseruire declarans. Reliqua ad eiusdem quæsiti intelligentiam necessaria vide apud Caietanum, Medin. & Suarez. Caiet. Medin. Suarez.

Forma Textus.

DECLARAT primò S. D. sensum quæsiti distinguēdo quatuor significata huius vocis, *natura*, & explicando, quomodo sumatur in proposito. Secundò proponit & probat conclusionē vnico argumēto, quo simul etiam confutat quosdam antiquorum hæreticorum errores.

Quo ad primum: præmissa nominis ethymologia, quatuor ordinatè & clarè proponit huius vocabuli *natura* significationes, dicens, hic sermonem esse de natura iuxta quartā eius significationem, prout videlicet significat essentiam vel quod quid est seu quidditatem speciei.

Quo ad secundum CONCLVSIO est. *Impossibile* ,, *est vnionem Verbi incarnati esse factam in natura.* ,, Probatur: Tripliciter aliquid vnum siue vna natura aut quasi vna natura ex duobus, vel pluribus constituitur: *Vno modo* ex duobus integris perfectis remanentibus; quod quidem fieri non potest, nisi in ijs, quorum forma est compositio vel ordo, vel figura sicut ex multis lapidibus, &c. *Alio modo* fit aliquid vnum ex perfectis sed transmutatis, sicut ex elementis fit mistum: *Tertio modo* fit aliquid ex aliquibus non permistis vel permutatis, sed imperfectis, sicut ex anima & corpore fit homo, & similiter ex diuersis membris vnum corpus constituitur; at nullo dictorum modorum fieri potuit vnio Verbi incarnati; ergò impossibile est eam esse factam in natura: Maior patet. Minor quo ad singulas eius partes probatur, & *primò quoad primam* tripliciter. Primò, quia sequeretur, quòd vnio incarnationis non esset per se sed per accidens: at hoc est falsum; ergò. Probatur sequela; quia compositio vel ordo

vel

vel figura non est forma substantialis sed accidentalis. Secundò probatur eadem pars; quia in hoc modo vnionis remanent plura actu; ergò non fit ex eis vnum simpliciter sed tantùm secundùm quid. Tertiò probatur; quia sic non constitueretur vna natura in Christo. Probatur sequela; quia forma talium non est natura, sed magis ars sicut forma domus. Et his argumentis excludit S. D. hæresim asserentium vnionem Verbi incarnati esse per modum confusionis, quæ scilicet est sine ordine, vel per modum commassationis quæ scilicet est cum ordine. *Quoad secundam verò partem* probatur eadem minor tripliciter. Primò: quia natura diuina est omnino immutabilis; ergò, nec ipsa potest conuerti in aliud, nec aliud in ipsam. Probatur consequentia quo ad priorem partem; quia diuina natura est incorruptibilis: quoad posteriorem autem; quia est ingenerabilis. Secundò probatur eadem pars minoris; quia sic Christus non esset eiusdem naturæ cum Patre, nec cum Matre; ergò. Probatur illatio; quia id quod est commistum, nulli miscibilium est idem specie; ergò. Probatur hoc assumptum exemplo carnis, quæ differt specie à quolibet elementorum. Tertiò probatur: quia ex ijs, quæ plurimum distant, non potest fieri commistio; at natura diuina in infinitum excedit humanam naturam; ergo non potest inter eas esse mistio, sed remanebit sola natura diuina: prima propositio probatur: quia soluitur species vnius eorum; quod manifestatur exemplo apponentis guttam aquæ amphoræ vini. Quibus argumentis excluditur error dicentium vnionem Incarnationis esse factam per modum complexionis: *Denique probatur eadem minor, quo ad vltimam eius partem* tripliciter. Primò: quia vtraque natura diuina scilicet & humana est secundùm rationem suam perfecta. Secundò, quia diuina natura & humana non possunt constituere aliquid per modum partium quantitatiuarum, nec per modum formæ & materiæ; ergò. Probatur antecedens, quo ad primam partem; quia natura diuina est incorporea, quo ad secundam verò; quia diuina natura non potest esse forma alicuius, præsertim corporei; ergò. Probatur antecedens; quia sequeretur, quòd species resultans esset communicabilis pluribus, ac proinde quod essent plures Christi. Tertiò probatur eadem pars; quia sic Christus non esset humanæ naturæ neque diuinæ. Probatur sequela; quia differentia addita variat speciem, sicut vnitas numerum, vt ait Arist. *in 8. Metaph. tex. 10.*

Expositio Textus.

DE VERITATE concluſ. quæ est fidei Catholicæ dogma firmissimum, & de hæresibus ac delirijs Eutichetis & aliorum hæreticorum huic veritati contrarijs disseruit vberrimè S. D. *in 4. contr. Gent. cap. 35. & alijs præcedentibus*: vbi latius explicat rationem præsentis articuli distinguens eam in plures; Cuius diligentiam posteriores imitati eandem hic veritatem examinant, & singulos illi contrarios hæreticorum errores productis diuinarum Scripturarum oraculis, sacrorum Conciliorum definitionibus, Sanctorum dictis ac rationibus confutant; ex quibus præcipui sunt Medina *super hoc artic.* Val. *punct. 1.* Bellar. *libr. 3. de incarn. à ca. 1. vsq. ad 4.* Suar. *disp. 7. sect. 2.* Vasq. *disp. 14.* & Aluar. *disp. 10.*

A MAIOR *in probatione Conclusionis assumpta* tres enumerat modos, quibus aliquid vnum ex duobus vel pluribus constituitur: quorum primus duos continet modos, de quibus dubitationem excitat Ferrarien. *in 4. contr. Gent. c. 35.* quia S. D. hic ait primum modum, quo ex duobus integris & perfectis remanentibus vnum aliquid constituitur, esse quando fit vnum ex multis per solam compositionem adunatis, sicut ex multis lapidibus fit aceruus: secundus autem quando ex multis secundùm aliquem ordinem dispositis fit vnum; vt domus ex lapidibus & lignis; *in dicto* verò *cap. 35.* contrariam huic distinctionem inter prædictos duos modos videtur constituere: eos enim distinguens ait: B *Fit autem vnum ex multis: vno quidem modo, secundùm ordinem tantùm: sicut ex multis domibus fit ciuitas, & ex multis militibus fit exercitus; alio modo, ordine, & compositione: sicut ex partibus domus coniunctis, & per contactum, & per colligationem domus fit:* Videtur autem hæc distinguendi forma manifestè priori contraria: in hoc enim posteriori loco videtur S. D. (inquit Ferrarien.) velle, quòd ordo sumi possit sine compositione; in hoc autem articulo videtur significare, ordinem absque compositione sumi non posse, sed bene compositionem sine ordine. *Cui dubitationi* respondet Ferrarien. dicens, hic aliter accipi compositionem, quàm in dicto capit. in hoc enim articulo sumitur (inquit) compositio pro quacumque adunatione plurium; & sic ordo plurium compositionem includit; non autem compositio includit ordinem, vt patet; & ideò potest accipi compositio & per se & cum ordine: in illo verò cap. accipitur compositio, vt quandam colligationem & indiuisionem importat; & sic compositio ordinem includit; non autem ordo includit compositionem, nam quæ per quandam colligationem sunt indiuisa, necesse est (inquit) esse ordinata, vt vnũ sit prius & aliud posterius; sed quæ habent ordinem, non est necesse, vt sint indiuisa; possunt enim in vna ciuitate esse multæ domus ordinatæ, & tamen separatæ ab inuicem & non colligatæ; & ideò potest accipi ordo & per se & cum compositione. *Posset tamen huic* difficultati planius satisfieri dicendo; tribus modis posse ex duobus vel pluribus integris & perfectis vnum constitui; *primò* secundùm ordinem tantùm, sicut ex multis domibus ciuitas, & ex multis militibus exercitus constituitur: *secundò* secundùm compositionem tantùm; sicut ex multis lapidibus fit aceruus. Tertiò secundùm ordinem & compositionem; sicut ex multis lapidibus & lignis ordinatè dispositis & colligatis domus constituitur; Quos tres modos in vtroque loco significauit S. D. quamuis non vtrobique omnes explicitè: nam *in dicto cap. 35.* primum tantùm & tertium explicitè posuit, secundum autem, vt in tertio clausum, tãquam materiam eo priorem intelligi voluit: Quis enim nesciat ex lapidibus prius in aceruo compositis addita per artificem ordinata colligatione vnum aliud quoddam totum à priori, scilicet aceruo diuersum constitui? in hoc autem articulo tres omnes prædictos modos enumerauit, sed duos tantùm, scilicet secundum & tertium exemplis illustrauit: cùm enim ait: *quorum forma est compositio vel ordo vel figura*, nomine compositionis secundum modum significat; nomine autem ordinis primum, nomine verò figuræ tertium exprimit manifestè; figura namque solis illis totis ex pluribus integris partibus constitutis propriè conuenit, quorum

Apparens contradictio D. Thom. de modis quib. ex duobus vel pluribus vnum constituitur, & duobus modis conciliatur.

Sol. Ferrar.

Alia solutio melior.

partes contactu & colligatione sunt vnitæ: sicut ligna, lapides & cementum in domo: Ex his enim vnitis & colligatis resultat figura; non autem ex militibus ordinatis in exercitu aut domibus in ciuitate; nisi quatenus vt colligatæ concipiuntur, aut oculis offeruntur.

Explicatur 1 & 2. pars minoris & eius probatio; cuius efficacitas, vt exponitur à Caiet. defenditur cō. 3. Suar.

Nunc singulas minoris eiusdem argumenti partes cum præcipuis earum probationibus breuiter expendamus. Est igitur PRIMA PARS MINORIS. *Vnionem Verbi incarnati non potuisse fieri ex duabus naturis integris & perfectis remanentibus* prima verò probatio est; quia sequeretur vnionem Incarnationis non esse per se sed per accidens: Vbi aduerte opinionem asserentium vnionem duarum naturarum in Christo, hoc modo fuisse factam magis ad hæresim Nestorij, quàm ad errorem Eutichetis pertinere, vt explicat hic Suarez *in suo comm.* & colligitur etiam euidenter ex littera.

Secunda pars minoris est: *Vnionem Incarnationis non esse factam ex duabus naturis perfectis, sed transmutatis, sicut ex elementis fit mistum*. Circa quam sciendum est multos ex sanctis Patribus vnionem duarum naturarum in Christo vocare mistionem diuinæ naturæ & humanæ; ita Cyprianus *lib. de vanitate Idolorum*. Nyssenus *in oratione catech. ca. 25*. Iren. *lib. 3. ca. 21*. Vigilius *lib. 1. contra Eutichet*. Nazianzenus *orat. 24. & 42*. Augustinus *lib. 4. de Trinitate, ca. 23*. Tertullianus *lib. de carne Christi*. & Cyrillus *lib. cont. Anthropomorp. c. 18*. Sed nomine mistionis, nihil aliud, quàm substantialem duarum naturarum vnionem in vna Christi persona & existentia significare voluerunt; sicut etiam ea quæ miscentur in vna existentia coniunguntur; & ita se explicat Augustinus *epistola 3*. & Cyrillus *loc. sup. not.*

PRIMA *dictæ minoris* probatio est; *quia natura diuina est omnino immutabilis; ergò nec ipsa potest* conuerti in aliud, nec aliud in ipsam. Probatur sequela; quia est incorruptibilis & ingenerabilis; vbi Caiet. aduertit hic non esse sermonem de ea conuersione, quæ fit per transubstantiationem; quia non valeret ratio; nam ex hoc, quod aliquid est ingenerabile, non sequitur non posse aliud in ipsum diuina virtute transubstantiari, cùm in Christi corpus glorioſum, quod est incorruptibile & ingenerabile, conuertatur substantia panis in Eucharistia: sed est (inquit) sermo de conuersione per transmutationem, sicut elementa conuertuntur in mistum & alimentum in corpus animalis quod nutritur; quia de tali conuersione disputatur in secundo modo, quo ex pluribus perfectis transmutatis fit vnum.

Suar. obi. 1. 2. *Sed hanc expositionem* impugnat Suar. *in Comm. primò*; quia petit principium. *Secundò*; quia reddit inutilem & imperfectam doctrinam D. Tho. qui tamen absolutè & simpliciter omnes modos, qui falsò fingi possent, nititur impugnare. *Tertiò*, quia ratio Caiet. falsum assumit: quoniam ex Dei omnimoda immutabilitate euidenter efficitur, nihil posse in ipsum conuerti, etiam per transsubstantiationem; quoniam si aliquid in aliud conuertitur, necesse est vt illud, in quod fit conuersio, aliquod esse vel aliquem nouum modum vel certè nouam dependentiam antiqui esse acquirat, eo quod conuersio sit vera actio nouum terminum ponens, quod fieri absque mutatione non potest eius, ad quod actio terminatur.

Confut. *Sed hæc facilè diluuntur* ex ipso titulo præsentis articuli, cuius sensus est: an ex duabus naturis in Christo resultauerit vna quædam alia tertia natura, vt hic aduertit Med. & post eum Suar. & ostendit satis apertè discursus D. Th. & præsertim in tertia probatione secundæ partis minoris, in cuius fine concludit dicens: *Sed remanebit sola diuina natura*; quasi diceret: hæc non erit mistio, neque vnio duarum naturarum in vna ex eis natura resultante, de qua nunc loquimur; quia remanebit sola diuina natura. *Deinde dico* cum Medin. D. Th. hic supponere factam fuisse quandam vnionem diuinitatis ad Verbum, quod admittunt etiam hæretici, quo supposito, nullus alius supereſt vnionis modus præter illos, quos *in hoc articul.* recenset S. D. conuersio namque panis in corpus Christi per transubstantiationem non est vnio corporis ad panem, neq; ex corpore Christi & pane fit vnum tertium. Vide etiam alia, quę scribit hic author pro defensione dictæ expositionis Caiet.

Ad argumenta verò Suar. respond. *Ad primum* negatur assumptum, dicere namque hic sermonem non esse de cōuersione, quæ fit per transubstantiationem, sed per transmutationem non est petitio principij, sed expositio & limitatio doctrinæ D. Th. intra terminos ab eodem in titulo præfixos, & in ipso discursu declaratos. *Ad secundum* negatur etiam assumptum; quia modus conuersionis per transubstantiationem sub præsentis quæsiti difficultate minimè continetur: sed ad quæstionem pertinet de immutabilitate Dei. *Ad tertium* negatur antecedens: non enim ait Caiet. ex hoc quod aliquid est immutabile, sed ex hoc quod aliquid est ingenerabile, non sequi, quod non possit diuina virtute aliquid in ipsum transubstantiari; vt patet de corpore Christi. *Secundò dico* Caiet. cum D. Thom. loqui de immutabilitate secundum transmutationem, qua ex pluribus perfectis transmutatis fit vnum tertium.

Satisfit arg. Suar. *Resp. ad 1.* *Ad 2.* *Ad 3.*

Sed huic responsioni videntur obstare verba D. Thom. sic enim loquitur: *Sed hoc non potest esse, primò quidem; quia natura diuina est omnino immutabilis: vnde nec ipsa potest conuerti in aliud, cùm sit incorruptibilis, nec aliud in ipsam, cùm sit ingenerabilis.* Respondetur naturam diuinam ex duobus simul iunctis dici omnino immutabilem, primum est: quia est incorruptibilis, tam simpliciter quàm secundùm quid: secundum est; quia est ingenerabilis tam simpliciter quàm secundùm quid: Ex primo deducit S. D. naturam ipsam diuinam non posse in aliud conuerti, ac proinde nō posse ex ea & humana natura simul commistis resultare tertiam naturam: & hoc est quod principaliter hic intendit: ex secundo verò ad maius complementum discursus deducit, non posse aliud in ipsam conuerti: Quòd si hęc non placent, sequere secundum modum dicendi Med. quo vtitur Suar. contra Caiet.

Replica. *Sol.*

Circa eandem partem *aduerte* plures ex Patribus, suo modo loquēdi significare carnem Christi fuisse deificatam: quia conuersa fuit in Deitatem, ita Nazianzenus *in epistola 1. ad Chelidonium, & in orat. 42. & 51.* & Damascenus *lib. 3. cap. 19.* & singulariter Iustinus *in Apologia 2. pro Christianis* affirmat, carnem & sanguinem Christi fuisse conuersa in Deitatem, sicut panis & vinum conuertitur in corpus Christi. S. Thom. autem hic ait, nihil in Deum posse conuerti, quod certissimum est: & ideò dictæ Sanctorum locutiones piè sunt exponendæ: Nihil enim aliud intendunt, quàm Christi carnem esse deificatam, id est perfusam donis Deitatis, & vnam habere subsistentiam & existentiam cum persona diuina, ex qua vnitate prouenit Idiomatum communicatio, modo inferius explicando: Iustinus autem

tem solum vult, quòd sicut Christi Corpus veram habuit carnem & sanguinem personaliter vnitã naturæ diuinæ, sic eius caro & sanguis verè continentur in Eucharistia.

Declaratur vltima pars minoris, & eius probatio propositã etiã, & soluta dubitatione de eius bonitate.

Vltima pars minoris negat vnionem Verbi incarnati esse factam ex diuina & humana natura, vt partibus imperfectis siuè essentialibus vt materia & forma, siuè integralibus vt membra corporis; in cuius secunda probatione principium illud assumit, videlicet *diuina natura non potest esse forma alicuius, præsertim corporei:* de quo latè disputat Capr. *in 3. dist. 15. q. 2.* contra Ioan. de Ripa. Et Ferrar. *in 4. contr. gent. c. 35. §. sed contra prædicta.* Vbi ex doctrina Capr. præcipua dicti Ioan. diluit argumenta. Eandem propositionem hic explicat Caiet. cuius doctrinam absque fundamento reijciunt Med. & Suar. sed illius principij veritatem, prout exponitur à Caiet. defendimus *in 1. p. q. 12. a. 2. contro. 3.* Probat autem hic S. D. dictum principium; quia sequeretur, quòd species resultans esset communicabilis pluribus; atq; ita plures essent Christi; cuius sequelæ fundamentum hic explicat eruditè Cai. & latius Ferrar. *in allegato c. 35. §. circa hanc probationem.* Et Med. *in respon. ad vltimam obiect. contra processum D. Th.* & Suar. *in fine sui Commen.*

Obiectio.

Sed contra prob. hanc est *arg.* Nam etsi talis natura non posset, ex parte Deitatis multiplicari, posset tamen ei multiplicatio conuenire ex partes humanitatis, sicut ratio principij quod constituitur ex essentia diuina in ratione speciei, & intellectu beatorum multiplicatur, non ex parte essentię sed ex parte intellectus; ergò similiter illa tertia natura posset ex parte solum humanitatis multiplicari, nec tamen inde sequeretur multiplicari Christum ex parte Deitatis; quod tamen in probatione videtur deducere S. Thom. *Resp.* nullam esse consequentiam. Ad probationem à simili dico, non esse eandem sed longè diuersam rationem illius tertiæ naturæ, & principij resultantis ex intellectu & essentia diuina: Nam illa tertia natura, quæ ex humanitate & diuinitate consurgeret, esset natura corporea substantialis non habens totam materiam suæ speciei; omnis autem natura corporea, quæ totam non habet materiam suę speciei, ex se multiplicabilis est in plura suppposita, cum sit nata pluribus in esse & de pluribus cõcreto prędicari; igitur illa tertia natura esset multiplicabilis in plura suppposita; & quia Christi suppositum est diuinum, oportet etiam illa suppposita esse diuina: cum sint eiusdem rationis; ac proindè multa alia essent diuina suppposita præter tres personas SS. Trinit. quod est impossibile: non ita verò est impossibile dari plura indiuidua cõstituta per rationem principij resultantem ex intellectu, & essentia diuina vnita in ratione speciei; quia talia indiuidua & suppposita essent creata.

Sol.

Notationes circa respõsiones ad argumenta. Caietanus Medina. Porrecta. Vasquez. S. Thom.

VIDENDA *sunt*, quæ scribunt Caietanus, Medina & Porrecta circa responsiones ad argumenta.

Damascenus.

Circa resp. ad tertium aduerte Vasq. *disp. 14. c. 4.* carpere D. Th. quòd falsò tribuerit Damasceno locutionem illam, *natura diuina est incarnata*, sed diligenter verba litteræ consideranti apparet D. Th. non locutionem, sed eius expositionem Damasc. tribuisse; sic autem loquitur Damas. *lib. 3. fidei orth. cap. 6. Et quando dicimus naturam Verbi incarnatam esse secundum beatos patres Athanasium, & Cyrillum, diuinitatem dicimus vnitam esse carni:* præmiserat autem hoc dictum: A *omni humanæ naturæ inquimus vnitam esse omnem diuinitatis substantiam.* Ex quibus etiam videtur, falsum esse, quod ait Vasquez *in dicto cap. 4.* nimirum, Damas. in illo cap. solùm concedere dictam propositionem addita illa voce Verbi, hoc modo: *natura Verbi est incarnata:* cum enim apud Damas. idem significent hæ duæ propositiones, natura diuina siue diuinitas est incarnata; & diuinitas est vnita carni vel humanæ naturæ; Si posteriorem hanc admittit, hoc ipso priorem etiam concedit, cum prædicta tamen particula (licet verbis quandoque non exprimatur) intelligendam, & quatenus opus B fuerit explicandam: Verba itaque illa Damasceni, quæ Vasq. allegat *ex 11. cap.* videlicet: *Quod diuinitas homo facta est, aut incarnata sit, aut humanitate se induerit, nunquam audiuimus*, nihil aliud significant, nisi propositiones istas nudè & simpliciter, vt proferuntur acceptas non esse veras nec vsu receptas, vt ibidẽ explicat cõmentator Clictoueus.

Circa eandem responsionem scito, propositionem illam: *Deitas est incarnata* concedi à Bernardo *in ser. primo de Paschate.* Augustin. *lib. de fide ad Petrum c. 2. & lib. primo de Trinitat. cap. septimo, & 11. & alijs locis.* Leone Papa *epist. 10.* Naz. *1. & 2.* Atha. & Cyril. quos refert Damas. *lib. tertio de fide, c. 6.* & alijs à Niceta relatis *l. 3. Thesauri c. 34. & 35.* eandem etiam concedit D. Th. *infra q. C 3. a. 2.* & Gabriel. *in 3. dist. 15. q. vnica a. 2. Concl. 4. & 5.* Damas. autem *lib. 2. de fide c. 11.* & Niceta *libro 3. Th. c. 11.* & negantes illam nihil aliud intendunt, nisi Deitatem non fuisse incarnatam per se primò & immediatè; non tamen negant eam, secundariò & mediatè incarnatam fuisse; quoniam hoc modo terminata est ad illam assumptio humanitatis. Neq; tamen vt similes admittendæ sunt istę propositiones: Deitas nata est ex Virgine, passa est & mortua; quia nomen illud abstractum *Deitas* facit sensum formalem, & significat ea prædicata conueniri Deitati secundum se: Esse verò incarnatum significat esse terminum assumptionis carnis primarium vel secundarium; & hoc secũdo modo verum est Dei- D tatem esse incarnatam; quia ratione suppositi secundariò terminat Incarnationem: quod quia nullam dicit imperfectionem non repugnat Deitati, sicut illi repugnat mori &c. Fulgentius tamen propositiones illas concedit, videlicet Deitas est mortua, &c. primò quoniam Ecclesia canit: *in ligno mortua vita fuit.* Secundò: quia istæ sunt veræ. Deus est passus & mortuus; Deus autem formalissimè est Deitas, sed eius dictum accipiendum est in sensu identico, sumendo abstractum pro concreto, vt etiam in dicto versu vsurpat Ecclesia: idem enim sunt realiter in diuinis concretum & abstractum.

VALENTIA *puncto tertio* longam instituit disputationem aduersus Vbiquistas, quam vide, E si placet.

ARTICVLVS II.

Vtrum vnio Verbi incarnati sit facta in persona.

Locis supra ar. 1. in duabus.

p. p. q. 3. artic. 8.

p. p. q. 29. ar. 3.

AD *secundum sic proceditur. Videtur, quòd vnio Verbi incarnati non sit facta in persona. Persona enim Dei non est aliud à natura ipsius: vt habitum est in primo. Si ergo vnio non est facta in natura, sequitur, quòd non sit facta in persona.*

Præterea, Natura humana non est minoris dignitatis in Christo, quàm in nobis. Personalitas autem

ad dignitatem pertinet; vt in primo habitum est. Cùm ergo natura humana in nobis propriam personalitatem habeat, multò magis habuit propriam personalitatem in Christo.

Li 3. c. 11. & lib. 1. c. 11. Præterea, Sicut Boet. dicit in lib. de dua. naturis, persona est rationalis naturæ individua substantia. Sed verbum Dei assumpsit naturam humanam individuam: natura enim vniuersalis non subsistit secundum se, sed in nuda contemplatione consideratur: vt Damas. dicit. Ergo humana natura habet suã personalitatẽ. Non ergo videtur, quòd sit facta vnio in persona.

Habetur in conc. 1. Eph in ep fin. ad Nestorium. Sed contra est, quod in Calcedon. synodo legitur, Non in duas personas partitum, aut diuisum, sed vnũ & eundẽ filium vnigenitũ Deum Verbũ, dominum nostrũ Iesum Christum confitemur. Ergo facta est vnio Verbi in persona.

Ar. præc. Respondeo dicendum, quòd persona aliud significat, quàm natura. Natura enim, vt dictum est, significat essentiam speciei, quam significat diffinitio. Et si quidẽ ijs, quæ ad rationem speciei pertinent, nihil aliud adiunctum inueniri posset, nulla necessitas esset distinguendi naturam à supposito naturæ, quòd est individuũ subsistens in natura illa: quia vnumquodque individuũ subsistens in natura aliqua, esset omnino idem cum sua natura. Contigit autem in quibusdam rebus subsistentibus inueniri aliquid, quod non pertinet ad rationem speciei, scilicet accidentia, & principia individuantia (sicut maximè apparet in ijs, quæ sunt ex materia, & forma composita) & ideo in talibus etiam secundum rem differt natura, & suppositum: non quasi omnino aliqua separata: sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei, & superadduntur quædam alia, quæ sunt præter rationem speciei: vnde suppositum significatur vt totum, habens naturam sicut partem formalem & perfectiuam sui: & propter hoc in compositis ex materia, & forma, natura non prædicatur de supposito: non enim dicimus, quòd hic homo sit sua humanitas. Si qua verò res est, in qua omnino nihil aliud est præter rationem speciei, vel naturæ suæ (sicut est in Deo) ibi non est aliud secundum rem suppositum, & natura, sed solùm secundum rationem intelligendi: quia natura dicitur secundum quòd est essentia quædam: eadem verò dicitur suppositum, secundum quod est subsistens. Et quod est dictum de supposito, intelligendum est de persona in creatura rationali, vel intellectuali: quia nihil aliud est persona, quàm rationalis naturæ individua substantia, secundum Boetium. Omne igitur quod inest alicui personæ, siue pertineat ad naturam eius, siue non, vnitur ei in persona: si ergo humana natura verbo Dei non vnitur in persona, nullo modo ei vnitur: & sic totaliter tollitur Incarnationis fides: quod est subruere totam fidem Christianam. Quia ergo Verbum habet naturam humanam sibi vnitam, non autem ad suam naturam diuinam pertinentem: consequens est, quòd vnio sit facta in Verbi persona, non autem in natura.

In lib. de duab. nat.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt in Deo non sit aliud secundum rem natura, & persona: differt tamen secundum modum significandi (sicut dictum est) quia persona significat per modum subsistentis. Et quia natura humana sic vnitur Verbo, vt Verbum in ea subsistat, non autem, vt aliquid addatur ei ad rationẽ suæ naturæ, vel vt eius natura in aliud transmutetur: ideo vnio humanæ naturæ ad Verbũ Dei, facta est in persona, non in natura.

Ad secundùm dicendum, quòd personalitas in tantum pertinet ad dignitatem alicuius rei, & perfectionem, inquantum ad dignitatem alicuius rei, & perfectionem eius pertinet, quòd per se existat: quod in nomine personæ intelligitur. Dignius autem est alicui, quòd existat in aliquo se digniori, quàm quòd existat per se. Et ideo ex hoc ipso humana natura dignior est in Christo, quàm in nobis, quod in nobis quasi per se existens propriam personalitatem habet, in Christo autem existit in persona Verbi. Sicut etiam esse completiuum speciei pertinet ad dignitatem formæ: tamen sensitiuum nobilius est in homine propter coniunctionem ad nobiliorem formam completiuam, quàm sit in bruto animali, in quo est forma completiua.

Ad tertium dicendum, quòd Verbum Dei non assumpsit humanam naturam in vniuersali, sed in atomo, est in individuo (sicut Dam. dicit) alioquin oporteret quod cuilibet homini conueniret esse Dei verbum: sicut conuenit Christo. Sciendum est tamen, quòd non quodlibet individuum in genere substantiæ etiam in rationali natura habet rationem personæ: sed solũ illud quod per se existit, non autem quod existit in alio perfectiori. Vnde manus Sortis quamuis sit quoddam individuũ, nõ tamẽ est persona: quia nõ per se existit: sed in quodam perfectiori, scilicet in suo toto. Et hoc etiam potest significari in hoc, quòd persona dicitur substantia individua: nõ enim manus est substãtia, sed pars substantiæ. Licet ergo hæc humana natura sit quoddam individuum in genere substantiæ: quia tamen non per se separatũ existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in persona Dei verbi, consequens est quòd non habeat personalitatẽ propriam. Et ideo facta est vnio in persona.

Lib. 3. ord. fid. c. 11.

Explicatur Sensus quæsiti, & diluuntur argumenta Medinæ.

PERSONA accipitur hic vt distinguitur contra naturam, ac proindè vt est hoc subsistens in natura intellectuali diuina; quod duplex est; *quoddam* enim est subsistẽs completè, quod propriè & simpliciter appellatur persona, vt Pater & Filius & Spiritus S. quibus singulis conuenit tota diffinitio personæ: *aliud* autem est subsistẽs incompletè, atque ideò non nisi imperfectè rationem habens personæ: quia scilicet illi deest incommunicabilitas, quæ est vltimum personæ complementum, vt hic Deus: cui licet per se primo conueniat subsistẽtia ac per hoc nonnullam personæ rationem habeat, quatenus persona distinguitur contra naturam; non tamen absolutè persona dici potest, sed cum addita conditione diminuente scilicet incompleta, vt latè declarauimus *in 1. p. quæst. 39. arti. 4. contr. 1.* Hic itaque sumitur persona, prout distinguitur contra naturam, ideſt vt est hoc subsistens in natura intellectuali, siuè sit propriè perfectè ac absolutè persona, siuè minus propriè imperfectè & incompletè tantùm, vt scitè Caiet. aduertit, & probat *in fine sui Commentarij ad hunc articulum.*

Ob Medina 1. *Sed contra expositionem* hanc argum. Med. *Primò*; quoniam Caiet. dicit, quòd hic Deus communis tribus personis est persona, vel accipit personam impropriè vel propriè licet sit incõpleta: si primum, sic non est persona verè: si secundum, tunc videtur sequi illud incommodũ, quod in diuinis sint quatuor personæ, vna incompleta & tres completæ. *Resp.* personam accipi secundo modo. Ad argumentum contra hanc partem negatur consequentia; quia persona hæc incompleta scilicet hic Deus non ponit in numerum cum tribus personis completis. *Sed hanc* responsionem sic arguit Med. In diuinis sunt quatuor relationes reales, licèt illæ non sint quatuor res; ergo similiter &c. *Resp.* nullam esse consequentiam; quia quælibet ex quatuor relationibus habet completè rationem relationis; sed quia realis distinctio in diuinis non est, nisi

Sol.

Replica Medinæ.

Sol.

per

per oppositionem relatiuam, quam relatio communis spirationis non habet ad paternitatem nec ad filiationem: ideò cum illis in ratione rei non ponit in numerum, sed cum eis est vna res.

Obiect. 2. *Secundò.* Persona in hac disputatione vel abstrahit à communicabili, vel designat tantùm rem incommunicabilem, non primum vt planè

Sol. constat; ergò secundum est asserendum. *Respondetur*, personam in hac disputatione abstrahere à communicabili & incommunicabili; quia significat subsistens in natura diuina; sumitur enim persona vt distinguitur contra naturam; sic autem extenditur ad omnem habentem naturam, siuè illam habeat cõmunicabiliter siuè incõmunicabiliter.

Obiect. 3. *Tertiò* Omnes doctores in hac disputatione præmittunt diffinitionem Boetij, scilicet: Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia,

Sol. ideſt incommunicabilis; ergò. *Resp.* nullam esse consequentiam; primò: quia sermo est hic de mente Sancti Thomæ, non de sensu aliorũ Doctorum. Secundò; quia ex completo cognoscitur incompletum; & ideò præmittitur diffinitio personæ completè sumptæ, vt ex ea cognoscatur ratio incompletæ personæ.

Ob. 4. *Quartò* D. Th. illud ipsum, quod in Concilio decretum est, ratione manifestat: sed in Cõcilio, tam Calcedonensi quàm Ephesino decernitur, quòd vnio est facta in persona completè,

Conf. 1. siuè in suppposito incommunicabili; ergò. Et *confirmatur* ex ipso titulo quæstionis, vbi dicitur: *Vtrum vnio Verbi incarnati sit facta in persona*; igitur titulus designat præcisè vnionem filij Dei.

Conf. 2. *Confirmatur secundò*: quia D. Th loquitur in præsenti de persona secundùm diffinitionem Boetij, vt patet *in tertio argumento, & in eius solutione*: Boetius autem diffinit personã incommunicabilem vt patet.

Sol. *Respondetur* Concilium definire vnionem non esse factam in natura, sed in persona in qua duo sunt scilicet subsistentia & incommunicabilitas: quamuis ergò Concilium definiat vnionem nõ esse factam in natura, sed in persona incommunicabili; hic tamen S. D. non vtitur authoritate Concilij, nisi ad probandum vnionem esse factam in persona, vt distinguitur cõtra naturam, id est in eo, quod subsistit in natura diuina, an autem illud subsistens, siuè illa persona sit incommunicabilis aut communicabilis definitur

Ad 1. Conf. in sequenti quæstione. *Ad primam confir.* negatur illatio; nam vnio Verbi Incarnati dupliciter intelligi potest esse facta in persona: *Vno modo* in persona completa id est in persona Verbi; prout est ab alijs sua proprietate personali distincta: *Alio modo* in persona incompleta id est in persona Verbi ratione subsistentiæ essentialis. Et ideò nomen personæ, & vnionis in persona sumitur indistinctè: sicut enim *in articulo præcedenti* quæsitum est: *Vtrum vnio Verbi incarnati sit facta in natura*, cum tamen natura sit communis tribus personis diuinis, ita quæri potuit *in hoc articulo: Vtrum vnio Verbi incarnati sit facta in persona*, siuè ea sit communicabilis siuè incommunicabilis.

Ad 2. conf. *Ad secundam confir.* resp. D. Thom. *in tertio argumento, & eius responsione* loqui de persona in humana natura subsistente naturaliter: hæc autem est persona completa, ideſt incommunicabilis. Si namque natura humana in Christo propriam haberet personalitatem non posset ea retenta vniri Verbo personaliter, neque secundum Verbi personam completam, neque secundum personam incompletam, id est secundùm

A subsistentiam essentialem. Quæstio autem huius articuli est de vnione in persona Verbi siuè completa siuè incompleta: Sed quoniam *in articulo primo huius quæstionis* supponitur vnionem Verbi diuini cum humana natura factam fuisse in persona completa; ideò dici non congruè potest in hoc articulo sermonem esse de persona completa, cuius vnionem cum humana natura probat S. D. ex proprijs personæ vt sic, prout distinguitur contra naturam; & quamuis hic articulus per se ad concludendam dictam vnionem non sufficiat, adiunctus tamen sequentibus & præcipue octauo tertiæ quæstionis sufficienter probat intentum.

Forma Textus.

B PRAEMISSA tituli declaratione respondetur quæsito vnica Conclusione. Titulum explicat S. D. declarando duo: *primum* est differentia significationis personæ à significatione naturæ: *secundum* est, quid sit vniri in persona.

Differentia dictæ significationis ostenditur proposito vno communi principio, ex quo tres deducuntur conclusiones. Principium est hæc conditionalis, videlicet; *Si his, quæ ad rationem speciei pertinent, nihil aliud adiunctum inueniri posset, nulla necessitas esset distinguendi naturam à supposito*

C *naturæ, quod est indiuiduum subsistens in natura illa; sed vnum quodque indiuiduum subsistens in natura aliqua, siuè suppositum esset omninò idem cum sua natura, & differret solum secundum rationem intelligẽdi.* Probatur hoc principium; quia natura significat essentiam specici, quam significat diffinitio; ergò. Deinde declaratur quo ad illam particulam, *& differret solum secundum rationem intelligendi*; quia natura diceretur, secundùm quòd est essentia quædam; eadem verò diceretur suppositum secundùm quod est subsistens.

PRIMA CONCLVSIO ex hoc principio deducta est: *In his, quæ sunt ex materia & forma composita, differt secundùm rem natura & suppositum,* „ *non quasi res aliqua omnino separata; sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei & superadduntur* „ *quædam alia quæ sunt præter rationem speciei.* Hæc „

D conclusio sequitur ex illo principio per regulã „ Aristotelis *in primo poster. Si affirmatio est causa* „ *affirmationis, & negatio erit causa negationis*, & è conuersò, quæ tenet in causis proprijs & præcisis: causa verò propria distinguendi naturam à supposito est habere aliquid adiunctum his, quæ pertinent ad rationem speciei, sicut è cõtra causa propria non distinguendi est, non habere aliquid aliud adiunctũ. Et probatur eadem Concl. à posteriori dupliciter, primò quia suppositum significatur, vt totum habens naturam, sicut partem formalem & perfectiuam sui. Secundò quia in compositis ex materia & forma natura non prædicatur de supposito; quia non dicimus quod homo sit sua humanitas: Et sequitur hoc

E assumptum ex præcedenti; nam ex hoc quod suppositum significatur vt totum habens naturam vt partem formalem; sequitur naturam non prædicari de supposito; quia pars non prædicatur de toto.

SECVNDA CONCLVSIO ex eodem principio immediatè deducta est: *In Deo non est aliud* „ *secundum rem suppositũ & natura, sed solùm secundũ* „ *rationẽ intelligendi*, probatur; quia in Deo nihil omninò aliud est, præter rationẽ speciei vel naturæ suæ.

TERTIA CONC. *Quod dictũ est de supposito in* „ *illo cõmuni principio, intelligẽdũ est de persona in creatura rationali vel intellectuali.* „

Probatur; quia nihil aliud est persona, quàm

ratio-

rationalis naturæ indiuidua substantia secundũ Boetium.

Secundò ad explicationem tituli declarat Sanctus Doctor, quid sit vniri in persona dicens; omne quod inest alicui personæ siuè pertineat ad naturam eius siuè non, vniri ei in persona.

CONCLVSIO respondens quæsito est: *Vnio facta est in persona Verbi, non autem in natura.* Probatur: quia verbum habet naturam humanam sibi vnitam, non autem ad sui naturam pertinentem; ergò. Antecedens est de fide. Consequentia probatur; quia si humana natura Verbo Dei non vnitur in persona, nullo modo ei vnitur, & sic totaliter tollitur Incarnationis fides, quod est subuertere totam fidem Christianam: assumptum fundatur in illa maxima seu principio; omne quod inest alicui personæ, siue pertineat ad naturam eius siuè non, vnitur ei in persona.

Expositio Textus.

AD HVIVS articuli intelligentiam multa sunt hic breuiter indicanda. *Primum est*, quid personæ & naturæ vocibus sit intelligendum; quod explicat optimè Caietanus. *Secundũ est*, quę differentia realis sit inter creatũ suppositũ & eius naturã. *Tertiũ est*, An differẽtia quã hic statuit S. D. inter suppositũ & naturã, habeat locũ in Angelis. *Quartũ* quid addat suppositũ supra naturam; de quibus agit hic breuiter Caietanus, sed vberius *infrà q. 4. a. 2.* nos autem *in 1. p. q. 50. a. 2. Contr. 3.* latissimè disputauimus. *Quintum* an verum sit quod ait hic S. D. nimirum in Deo nihil aliud esse præter rationem speciei vel naturæ suæ, quod breuiter hic explicat Caiet. Nos de hoc amplissimam instituimus Contr. *in 1. p. q. 28. a. 1.* *Sextum* est sensus & veritas illius principij: *Omne, quod inest alicui personæ, siuè pertineat ad naturam eius, siuè non, vnitur ei in persona:* quod explicant Caiet. & Med. *Septimum* est vis consequentiæ ex eodem principio deductæ in probatione Conclusionis, de qua differit hic breuiter Cai. & post eum Med. & Suar. *Octauum* est fundamentum, cui totus innititur processus D. Th. distinctio scilicet vnionis Incarnationis in vnionem in natura & vnionem in persona: quæ non videtur sufficiens; quia fieri posset vnio in hoc Deo communi Patri & Filio & Spiritui sancto, qui tamen non est persona neq; natura formaliter loquendo: Cui dubitationi satisfacit eruditè Caietanus *in postrema parte Commentarij*, & post eum Med. Nos de hoc Deo tribus personis communi latè disputauimus, *1. p. q 39. a. 4. Contr. prima.* *Nonum* est hæresis ponentium in Christo duas personas, quam refert & impugnat accuratè S. Doctor *in 4. contr. gent. c. 34. & 41.* & post eum Med. Porrecta, Suar. Val. *p. 2.* Vasq. & Aluar. *super hoc art.* & Bellar. *libro 3. de Incarn. cap. 7. & seq.* *Decimum* complectitur responsiones ad arg. D. Th. quas hic explicant eruditè Cai. Med. & Suar. *Vndecimum* est sensus Conclusionis; nam vt ait S. Doctor, *q. de vnione Verbi incarnati a. 1. ad 8. Persona Filij Dei dupliciter potest considerari: vno modo secundum communem rationem personæ, prout significat quoddam subsistens: & secundum hoc vnio facta est in persona secundum rationem personæ; alio modo potest in persona filij considerari id, quod est proprium personæ Filij, scilicet relatio, qua refertur ad Patrem: & secundùm huius relationis rationem non consideratur vnio duarum naturarum.* Hæc ibi D. Th. quibus nihil aliud intendit, nisi Verbi personalitatem non terminare naturam humanam, prout ipsa personalitas exercet rationem relationis, sed prout est subsistẽtia, propria tamen filij, alioquin Christus vt homo referetur ad Patrem vt eius filius naturalis: appellat autem illam communem rationem personæ; quia persona vt sic dicit subsistens in rationali natura; nõ autem dicit relationem Patris vel Filij &c. noluit tamen S. D. indiuiduationem subsistentiæ Verbi, quæ est per relationem, vt conditionem excludere, sed propriam terminandi rationem significauit. *Vltimum* est hæresis Vbiquistarum, quam latissimè confutat Val. *puncto 3.* & Bellar. *To. 1. l. 3. de Christo cap. 11. & seq.*

ARTICVLVS III.

Vtrum vnio Verbi incarnati facta sit in supposito, vel hypostasi.

AD tertium sic proceditur. *Videtur quòd vnio Verbi incarnati non sit facta in supposito siue in hypostasi.* Dicit enim Au. in Ench. *Diuina substantia, & humana vtraque est vnus Dei filius, sed aliud propter Verbum, & aliud propter hominem.* Leo Papa etiam dicit in Epistola ad Flauianum, *vnum horum coruscat miraculis: aliud succumbit iniurijs. Sed aliud, & aliud differt suppositò: ergo vnio Verbi incarnati non est facta in supposito.* 3. dist. 6. q. 1. art 1. & dist. 7. q. 1. ar. 1. c. & dist. 10. q. 1. a. 2 q 3. & 4. contra ca 34. 38. & 39. Et vnio ar 1. 2. & 3. ad 4. & 5. ad 9. Et quolibet. 4. ar 8. & quolib. 9 q. 2. a. 1. & 3. con. Et op. 1. c. 21. & 22. & opus. 3. ca 217. 218. 219 & 220 c. 36. à medio tom. 3. est epist. 10. c. 4.

Præterea, hypostasis nihil aliud est, quàm substantia particularis, vt Boet. dicit in libro de duab. nat. Manifestum est autem, quòd in Christo est quædam alia substantia particularis præter hypostasim Verbi, scilicet corpus, & anima, & compositum ex eis. Ergo in ipso est alia hypostasis præter hypostasim Verbi.

Præterea, Hypostasis Verbi non continetur in aliquo genere, neque sub specie, vt patet ex his, quæ in prima Parte dicta sunt. Sed Christus, secundum, quòd est factus homo, continetur sub specie humana: dicit enim Diony. 1. c. de Diu. no. Intra naturæ nostræ terminos venit, qui omnem totius naturæ ordinem superemineter excedit. Non autem cõtinetur sub specie humana, nisi sicut hypostasis quædam humanæ speciei. Ergo in Christo est alia hypostasis præter hypostasim Verbi Dei. Et sic idem, quod prius.

Sed contra est quod Damasc. dicit in tertio lib. In domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus vnam autem hypostasim. Cap. 3. 4. & 35.

Respondeo dicendum, quòd quidam ignorantes habitudinem hypostasis ad personam, licet concederent in Christo vnam solam personam, posuerunt tamen aliam hypostasim Dei & aliam hominis, ac si vnio sit facta in persona, non in hypostasi.

Quod quidem apparet erroneum tripliciter. Primò, ex hoc, quòd persona super hypostasim non addit nisi determinatam naturam scilicet rationalem, secundũ, quòd Boetius dicit in libro de duab. nat. quòd persona est rationalis naturæ indiuidua substantia, & ideo idem est attribuere propriam hypostasim humanæ naturæ in Christo, & propriam personam. Quod intelligentes sancti Patres, vtrumque in Concilio quinto apud Constantinopolim celebrato damnauerunt, dicentes: Si quis introducere conetur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas, anathema sit: nec enim abiectionem personæ, vel subsistentiæ suscepit sancta Trinitas, incarnato vnio de sancta Trinitate Deo Verbo. Subsistentia autem idem est, quod res subsistẽs, quod est proprium hypostasis, vt patet per Boetium in libro de duabus naturis. Secundò, quia si detur, quòd persona aliquid addat super hypostasim, in quo possit vnio fieri, hoc nihil aliud est, quàm proprietas ad dignitatem pertinens: secundum, quòd à quibusdam dicitur, quòd persona est hypostasis proprietate distincta, ad dignitatem pertinete. Si ergo facta sit vnio in persona, & non in hypostasi, consequens erit, quòd non facta sit

vnio,

vnio, nisi secundum dignitatem quandam. Et hoc est approbante synodo Ephesina damnatum à Cyrillo sub his verbis: Si quis in vno Christo diuidit subsistentias post adunationem sola copulans eas coniunctione, quæ secundum dignitatem quandam, vel authoritatem est, vel secundum potentiam, & non magis concursu secundum adunationem naturalem: anathema sit. Tertiò, quia tantum hypostasis est, cui attribuuntur operationes, & proprietates naturæ, & ea etiam, quæ ad naturæ rationem pertinent in concreto: dicimus enim, quòd hic homo ratiocinatur, & est risibilis, & est animal rationale. Et hac ratione hic homo dicitur esse suppositum: quia scilicet supponitur his, quæ ad hominem pertinent, eorum prædicationem recipiens. Si ergo sit alia hypostasis in Christo præter hypostasim Verbi, sequitur, quòd de aliquo alio, quàm de verbo, verificentur ea, quæ sunt hominis, puta esse natum de Virgine, passum, crucifixum, & sepultum. Et hoc etiam damnatum est approbante concilio Eph. sub his verbis: Si quis personis duabus, vel subsistentijs eas, quæ sunt in Euangelicis, & Apostolicis scripturis, impartitur voces, aut de Christo à Sanctis dictas, aut ab ipso de se: & quasdam quidem velut homini præter illud ex Deo Verbū specialiter intellecto applicat, quasdam verò velut Deo decibiles, soli ex Deo patre Verbo, anathema sit. Sic ergo patet esse hæresim olim ab Ecclesia damnatam, dicere, quòd in Christo sunt duæ hypostases, vel duo suppositа: siue quòd vnio non sit facta in hypostasi, vel supposito. Vnde in eadem synodo legitur. Si quis non confitetur carni secundū subsistentiam vnitum ex Deo patre Verbum, vnumque esse Christum cum sua carne eundem, scilicet Deum, & hominem, anathema sit.

In Ephes. syn. 1. can. 3. to. 1. concil.

In Ephes. syn. 1. can. 4 to. 1. concil.

In can. 2. Eph. 1. synod. quæ fuit vna ex 4. principali.

Ad primum ergo dicendum, quòd sicut accidentalis differentia facit alterum, ita differentia essentialis facit aliud. Manifestum est autem, quòd alteritas, quæ prouenit ex differentia accidentali, potest ad eandem hypostasim, vel suppositum pertinere in rebus creatis: eo quòd idem numero potest diuersis accidentibus subesse: non autem contingit in rebus creatis, quòd idem numero subsistere possit diuersis essentijs, vel naturis, sed vnus & idem Christus subsistit in duabus naturis. Vnde sicut, quod dicitur alterum, & alterum in creaturis, non significat diuersitatem suppositi, sed solum diuersitatem formarum accidentalium: ita quòd dicitur Christus aliud, & aliud, non importat diuersitatem suppositi, vel hypostasis, sed diuersitatem naturarum. Vnde Gregorius Nazianzenus dicit in epistola ad Didymum, Aliud, & aliud sunt ea, ex quibus Saluator est, non autem alius, & alius: dico verò aliud, & aliud è contrario, quàm in Trinitate habet ibi enim Alius, & alius dicimus, vt non subsistentias confundamus, non autem Aliud, & aliud.

In Epist. 1. ad Celid. in ter prin. & med. incipit: honorabilis.

Ad secundum dicendum, quòd hypostasis significat substantiam particularem, non quocunque modo, sed prout est in suo complemento. Secundum verò, quòd venit in vnionem alicuius magis completi, non dicitur hypostasis, sicut manus, vel pes: Et similiter humana natura in Christo, quamuis sit substantia particularis: quia tamen venit in vnionem cuiusdam completi; scilicet totius Christi, prout est Deus, & homo, non potest dici hypostasis, vel suppositū. Sed illud completum, ad quod concurrit, dicitur esse hypostasis, vel suppositum.

Ad tertium dicendum, quòd in rebus creatis res aliqua singularis non ponitur in genere vel in specie ratione eius, quod pertinet ad eius indiuiduationem: sed ratione naturæ, quæ secundum formam determinatur: cum indiuiduatio magis sit secundum materias in rebus compositis. Sic ergo dicendum est, quòd Christus est in specie humana ratione naturæ assumptæ; non ratione ipsius hypostasis.

Sensus, & Ratio quæsiti.

NOMINA suppositi, & hypostasis explicat hic optimè Cai. rationem etiam afferens huius quæsiti ex littera D. T.

Forma Textus.

RELATO quòrundam errore, statuit oppositam illi Conclusionem, quam probat tribus argumentis.

Error fuit quorundam ignorantium habitudinem hypostasis ad personam: qui licet concederent in Christo vnam solam personam, posuerunt tamen aliam hypostasim Dei & aliam hominis, ac proindè dicebant vnionē esse factam in persona, non autem in hypostasi.

CONCL. *est: Hæresis est olim ab Ecclesia damnata, dicere quod in Christo sint duæ hypostases, vel duo suppositа, siuè, quod vnio non sit facta in hypostasi vel supposito:* Probatur tripliciter: *primò*; idem est attribuere propriam hypostasim humanæ naturæ in Christo, & propriam personam; ergò. Antecedens probatur. Primo; quia persona super hypostasim non addit, nisi determinatam naturam scilicet rationalem, vt ait Boetius *in libro de duabus naturis* dicens, quod persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. Secundò probatur idem antecedens & ipsa Conclusio; quia Synodus quinta Constantinopolitana damnat, non solùm eos qui duas affirmant in Christo personas, sed etiam eos qui duas in eo dicunt esse subsistētias; at subsistētia idem est quod res subsistens, quod est proprium hypostasis; ergò. Minor patet ex Boetio *in libro de duabus naturis*. *Secundò probatur conclusio*; quia si facta est vnio in persona & non in hypostasi sequitur, quod non sit facta vnio, nisi secundum dignitatem quandam; at consequens est falsum; ergò & antecedens. Consequētia probatur: quia si detur quòd persona aliquid addat super hypostasim, in quo possit vnio fieri: hoc nihil aliud est quàm proprietas ad dignitatem pertinens; ergò. Probatur hoc assumptum: quoniam à quibusdam dicitur, quòd persona est hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente: falsitas autem consequentis probatur authoritate Cyrilli, & Synodi Ephesinæ, vt patet in textu. *Tertiò probatur Concl.* Quia si alia sit hypostasis in Christo præter hypostasim Verbi, sequitur quòd de aliquo alio, quàm de Verbo verificentur ea, quæ sunt hominis; puta esse natū de Virgine passum crucifixum & sepultū; at cōsequēs est falsum; igitur & antecedēs. Consequētia probatur: quia sola hypostasis est, cui attribuūtur operationes & proprietates naturę, & ea quæ ad naturæ rationē pertinēt in cōcreto; ergò, si aliasit hypostasis &c. Probatur hoc assūptū primò: quia dicim' quod hic homo ratiocinatur & est visibilis & est animal rationale. Secūdò: quia hac ratione hic homo dicitur esse suppositū: quia scilicet supponitur his, quæ ad hominē pertinēt eorū prædicationem recipiens. Falsitas verò cōsequentis probatur authoritate Cōcilij Ephesini. Et confirmatur etiā Conclusio ex eodē Concilio *Can. secundo. Si quis non confitetur, &c.*

Expositio Textus.

DE MATERIA præsentis articuli latè disputat S. D. *in quæstionibus disputatis, q. de vnione Verbi incarnati art. 2. & in 3. dist. 6. quæst. 1. artic. 1.* Vide etiam, quæ de sensu, & veritate Conclusionis scribunt Medina in *in suo Com-*

Comment. Suar. *disp. 7. sect. 3.* Vasq. *disput. 15.* Aluar. *disp. 11.* & ea, quæ circa responsiones argumentorum notat. Med. Porrecta & Suar. qui *circa respons. secundum* ait si loquamur de vera personali dignitate, quæ substantialis est & intrinseca, sic verè dici posse vnionem hanc esse factam secundùm quandam dignitatem: quod probat; quia per illam eleuata est humana natura ad subsistere in persona Verbi: subsistere autem in digniori persona ad perfectionem & dignitatem naturæ humanæ pertinet; ergò, &c. Cuius doctrinæ falsitas perspicua est ex ijs, quæ contra eundem authorem diximus *in 1. p. q. 28. a. 2. Contro. 2. & 9. 29. a. 3.* & ex D. Th. *in eodē libro, q. 42. a. 4. ad 2.* Vbi sic loquitur: *Paternitas est dignitas Patris, sicut, & essentia Patris; nam dignitas est absoluta, & ad essentiam pertinet, &c.* Quod etiam ibidem explicat Bannes. Non itaq; verè dici potest, vnionem Incarnationis factam fuisse secundùm substantialem dignitatem; sicut nec affirmari verè potest vnionem hanc fuisse factam, secundùm essentiam aut secundùm absolutam Verbi perfectionem. Ad probationem autem negatur consequentia, quamuis enim subsistere in persona Verbi ad perfectionem & dignitatem pertineat humanæ naturæ: quia scilicet nobilissima personalitate terminatur; non tamē inde fit consequens verè dici posse, vnionem hanc esse factam secundùm substantialem dignitatem, sed tantùm sequitur eam esse factam secundùm personam habētem maximam substantialem dignitatem, vel maximæ dignitatis substantialis; sicut rectè dici potest, vnionem hanc factam fuisse secundùm personam habentem essentiam, sapientiam, bonitatem, & potentiam infinitam, vel secundùm personam essentiæ, sapientiæ, potentiæ & bonitatis infinitæ, & hoc ad perfectionem & dignitatem naturæ humanæ pertinere.

S. Thom. *Ad plenam* huius articuli intelligentiam videda sunt, quæ docet S. Th. *in 1. p. q. 29. a. 2.* de nominibus personæ, hypostasis, subsistentiæ &c. & ea quæ ibi notauimus post alios expositores. Vide etiam ea, quæ scribit S. D. *in 4. contr. gent. c. 39.* de hæresi Theodori & Nestorij; de qua etiam agit Ambr. *in libro de mysterio Incar. c. 6.* Et Concilium primum Const. *ant. act. 4.*

Ambros.

Articvlvs IIII.

Vtrum persona, vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita.

3. dist. 6. q. art. 3. *Ad quartum sic proceditur. Videtur, quòd persona Christi non sit composita. Persona enim Christi non est aliud, quàm persona, vel hypostasis Verbi. vt ex dictis patet. Sed in Verbo non est aliud persona, & natura, vt patet ex dictis in prima parte.* Art. 2. p. p. q. 3. a. 7. & per tot. quæst. *Cum ergo natura Verbi sit simplex (vt in primo ostēsum est impossibile est, quòd persona Christi sit composita.*

Præterea, Omnis compositio videtur esse ex partibus. Sed diuina natura non potest habere rationem partis: quia omnis pars habet rationem imperfecti. Ergo impossibile est, quòd persona Christi sit composita ex duabus naturis.

Præterea, Quòd componitur ex aliquibus, videtur esse homogeneum eis, sicut ex corporibus non componitur nisi corpus. Si ergo ex duabus naturis aliquid sit in Christo compositum, consequens erit, quòd illud non erit persona, sed natura: & sic in Christo erit facta vnio in natura: quod est contra prædicta.

A *Sed contra est quod Damasc. dicit tertio lib. In domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus, vnam autem hypostasim ex vtraque compositam.* Art. 1.

Respondeo dicendum, quod persona, siuè hypostasis Christi dupliciter potest considerari. Vno modo secundum illud, quod est in se: & sic est omnino simplex, sicut, & natura Verbi. Alio modo secundum rationem personæ, vel hypostasis: ad quam pertinet subsistere in aliqua natura, & secundum hoc persona Christi subsistit in duabus naturis. Vnde licet sit ibi vnum subsistens, est tamen ibi alia, & alia ratio subsistendi, & sic dicitur persona composita, inquantum vnum duobus subsistit. cap. 3. 4. & 5.

B *Et per hoc patet responsio ad primum.*

Ad secundum dicendum, quòd illa compositio personæ ex naturis, non dicitur esse ratione partium, sed potius ratione numeri: sicut omne illud, in quo duo cōueniunt, potest dici ex eis compositum.

Ad tertiū dicendum, quòd non in omni compositione hoc verificatur, quòd illud, quòd componitur, sit homogeneum componentibus, sed solum in partibus, continui: Nam continuum non componitur nisi ex cōtinuis: animal verò componitur ex anima, & corpore: quorum neutrum est animal.

Ratio, & sensus quæsiti.

OCCASIONEM huius quæsiti præbuerunt multa SS. Patrum & antiquorum doctorum & Consiliorū dicta & loquendi modi, quos C referunt Med. & Porrecta *super hoc articulo* Suar. *disp. 7. sect. 4.* Val. *puncto 4.* Vasq. *disp. 16. c. 2.* & Aluar. *disp. 12.* & sermo est de compositione simpliciter dicta abstrahendo à substantiali & accidentali, & vt locus sit articulo sexto quærenti: Vtrùm natura humana fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter?

Forma Textus.

PRAEMISSA distinctione respondetur quæsito duabus Cōclusionibus. *Distinctio est:* Persona siuè hypostasis Christi dupliciter potest cōsiderari: Vno modo secundùm illud quod in se est: Alio modo secundùm rationem personæ vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua D natura.

PRIMA CONCL. *est: Persona Christi secundum quod in se est, est omninò simplex.* Probatur; quia natura Verbi est omninò simplex; ergò.

SECVNDA CONCL. *Persona Christi secundùm rationem personæ vel hypostasis dicitur persona composita.* Probatur: quia licet sit ibi vnum subsistēs, est tamen ibi alia & alia ratio subsistendi; ergo est persona composita. Antecedēs probatur; quia Persona Christi secundùm rationem hypostasis subsistit in duabus naturis: Cōsequentia verò cū ipso cōsequente declaratur; quia sic vnum duobus subsistit, qui modus quidā est cōpositionis.

Expositio Textus.

IN Hoc *artic.* tria sunt breuiter & quantum E fieri poterit perspicuè declaranda. *Primum* est distinctio personæ Christi, quem ait S. D. dupliciter posse considerari. Vno modo secundum quod in se est: Alio modo secundùm rationem personæ vel hypostasis; in qua duo videntur obscura: alterum est vnius ab altero mēbro differētia; alterum est ambiguitas sensus illorū verborū; *secundùm quod in se est:* Et differentiam quidē siue distinctionem membrorum explicat accurate Caietanus, quē alij sequuntur expositores; quamuis Medina & Suarez illum immeritò de superfluitate reprehendant. Distinguuntur igitur illa duo mēbra; quia personam tuc cōsideramus

Quòd sit sensus illius distinctionis: Persona Christi dupliciter potest considerari, &c.

mus secundùm quod in se est; quando in ea contemplamur illa tantum, quæ illi conueniunt ad intra: hæc verò sunt Deitas cum omnibus eius attributis, notiones & proprietates personales & omnia ad eam naturaliter pertinentia: hæc enim omnia indistinctè, siue confusè clauduntur in conceptu personæ Christi consideratæ, secundùm quod in se est, sicut etiam confusè continétur in conceptu personæ Christi considerate secundum ea, quæ conueniunt ei ad intra. Tunc verò concipimus personam Christi secundùm quod est persona, vel hypostasis, quando eam apprehendimus quo ad ea quæ illi formaliter conueniunt, quatenus in aliqua natura subsistit, siue ea natura sit illi intrinseca vt essentia diuina, siue sit extrinseca vt humanitas. Ex quo patet *primò* hæc duo membra secundùm totales & integras suas rationes accepta esse ab inuicem verè propriè & absolutè distincta. *Secundò* patet vtrumque membrum secundum aliquam sui partem in altero claudi; nam primum membrum continet ipsam rationem personæ, prout in diuina natura subsistit, quam etiam rationem personæ continet secundum membrum addens eidem aliam rationem personæ illi cõuenientem, prout subsistit in humana natura. Nam vtraque personæ ratio vt ante diximus indistinctè continetur in secundo membro; Quod etiam secundum membrum quo ad alteram sui partem, scilicet secundùm rationem personæ subsistentis in diuina natura continetur in primo. Ambiguum autem sensum illorum verborum, *secũdùm quod in se est*, declarat optimè Caietanus latentem æquiuocationem explicando. Dupliciter enim aliquid alicui conuenit secũdùm quod in se est: *Vno modo* quia conuenit illi secundùm eius esse reale, quod habet in se ipso; & hoc modo cuilibet rei existenti extra causas suas in rerum natura conueniunt omnia, tam essentialia quàm accidentalia, quæ de illa verè prædicantur, vt Socrati conuenit esse hominem risibilem, album, grammaticum &c. *alio modo* quia conuenit illi secundùm substantiam eius seu intrinsecè: Primo modo Verbo Dei, seu personæ Christi conuenit secundùm quod in se est esse personam tam ad intra quàm ad extra, id est tam diuinæ quàm humanæ naturæ; quia secũdùm rei veritatem persona filij Dei est persona diuinæ & humanæ naturæ: secundo verò modo conuenit quidem personæ filij Dei secundùm quòd in se est esse personam seu hypostasim diuinæ naturæ; quia scilicet hoc habet ex intrinseca sua ratione; non tamen ita conuenit eidem personæ filij Dei esse hypostasim humanæ naturæ; quia subsistere in humana natura nõ est de numero eorum, quæ conueniunt filio Dei ad intra: Quo fit vt loquẽdo de persona filij Dei, secundùm quod in se est in priori sensu, illa sit verè composita; quia sic duplicem habet rationem subsistendi, vt ait S. D. in textu; at considerando eandem personam secundùm quod in se est, in secundo sensu, sic est omninò simplex; quia sic vnam tantùm habet rationem subsistendi illi connaturalem & intrinsecam, quæ est essentia diuina. Et ex his facilè diluuntur obiecta, quæ profert & soluit hic satis obscurè Caietanus.

Quomodo sit in Christo dup ex ratio subsisti-di.

Secundum in hoc articulo explicandum est sensus & veritas illius antecedentis: *Licet sit ibi vnum subsistens est tamen ibi alia & alia ratio subsistendi.* Ad cuius euidentiam sciendum est *Primò* nomen subsistentiæ vim nonnunquam habere nominis concreti, & significare rem subsistentem, & in hoc sensu frequenter Patres & Concilia nomen vsurpant subsistentiæ dicentes tres in diuinis esse subsistentias, id est personas subsistentes: nonnunquam autem accipitur vt nomen abstractum, sicque rationem subsistendi significat; quemadmodum existentia rationem significat existendi. *Secundò notandum est*, in quolibet subsistente duplicem esse rationem subsistendi, scilicet naturam & suppositalitatem, quæ in natura intellectuali seu rationali est personalitas. Natura dicitur ratio subsistendi, non formaliter & simpliciter; quia Petrus, verbi gratia, non est sua hac indiuidua humanitate formaliter, neque simpliciter & propriè subsistens, sed sua personalitate; ante cuius aduentum natura neque intelligitur subsistens neque existens; vt patet ex ijs, quæ diximus *in 1. p. q. 50. a. 2. Contr. 3.* sed dicitur natura ratio subsistendi primò materialiter; quia natura modum quendam habet materię respectu subsistentiæ in ea receptæ: Secundò dicitur ratio subsistendi, quatenus constituit hoc indiuiduum subsistens in tali specie; ita vt sit ratio subsistendi, non simpliciter sed in tali specie, puta Angelica vel humana; suppositalitas autem siuè subsistentia, quæ est in natura rationali personalitas, dicitur ratio subsistẽdi formaliter; quia scilicet ea veluti propriâ formâ seu ratione formali constituitur subsistens siuè suppositum & persona; est etiam ratio subsistendi simpliciter, idest absolutè & sine addito; quia scilicet natura adueniente suppositalitate, qua terminatur & constituitur in suo complemento, fit absolutè subsistens vt patet ex ijs, quæ diximus *prima parte in allegata Controuersia.*

Ex his iam facilè potest explicari sensus & veritas antecedentis iam dicti. Cum enim ait S. D. in Christo duplicem esse rationem subsistendi, de ratione loquitur subsistendi, prout dicitur de natura, quam diximus non esse rationem subsistendi simpliciter sed in tali specie, in communi loquendo. Ad cuius intelligentiam scito, naturã sic pręcisè sumptã nõ esse rationẽ subsistẽdi, sed quatenꝰ suppositalitate cõpletur, siuè naturaliter siue supernaturaliter per hoc, ꝙ assumitur à diuina persona; adeò vt personalitatis complementũ additum naturæ sit conditio sine qua natura non posset esse ratio subsistendi. Et quia naturæ complementum aduenit naturaliter per generationem; ideò generatio, cuius terminus formalis est natura, prout est suppositalitate cõpleta, dicitur ratio subsistendi vt in fieri; ipsa verò natura, prout iam est suppositalitate completa, ratio dicitur subsistendi vt in facto esse. Sic igitur in Christo ratio subsistendi naturaliter vt in fieri, est æterna Verbi generatio, cuius formalis terminus est natura communicata; ratio verò subsistendi in facto esse est ipsa diuina natura vt verbo cõmunicata & eius personalitate cõpleta: Si verò naturæ complementũ adueniat supernaturaliter; quia scilicet assumitur ad diuinam personam, tunc assumptio, vicem in hac parte gerens generationis dicitur ratio subsistẽdi vt in fieri: ipsa verò natura vt iam assumpta & vnita ratio est subsistendi in facto esse. Huic duplici rationi subsistendi se tenenti ex parte naturarum Christi, diuinæ scilicet & humanæ, duplex correspondet in ipsa Christi personalitate ratio subsistendi, tam in fieri quàm in facto esse; altera subsistendi in diuina natura, altera subsistendi in humana natura. Quamuis enim in persona Verbi incarnati sit vna sola ratio personalis subsistendi simpliciter; duę tamen secundùm rationem distinctæ sunt rationes subsistendi in tali, & in tali natura. Ratio namque subsi-

ſtēdi tam ſimpliciter quàm in diuina natura eſt in fieri generatio æterna ad perſonam Verbi tēdens, vt ad terminum qui generatione producitur, ſed in facto eſſe eſt ipſa Verbi perſonalitas; quatenus Deitatem actu complet & terminat; ſic enim perſonam conſtituit, quæ eſt hypoſtaſis ſubſiſtens in Deitate ſeu diuina natura, & ex hoc ipſo eſt ratio ſubſiſtendi, tam ſimpliciter quàm in tali natura. Et hoc fortè voluit ſignificare Caietanus, cū ait quod ratio ſubſiſtēdi in facto eſſe eſt eſſe Deum: Verbum enim ſeu filius filiatione non ſolum eſt filius, ſed etiam Deus; ſicut pater paternitate, non ſolum eſt pater, ſed etiam Deus; vt ait Auguſt. Ratio verò ſubſiſtendi in humana natura in fieri eſt aſſumptio humanæ naturæ, vt tendens ad vnitatem perſonalem; ſed in facto eſſe eſt ipſa Verbi perſonalitas vt terminans & complens actu humanam naturam: quod videtur ſignificare Caiet. dicens, quòd ratio ſubſiſtēdi in natura humana in facto eſſe eſt eſſe hominem: Verbum enim & Deus non alia ratione eſt homo, niſi terminando humanam naturam. Quamuis igitur in perſona Chriſti ſit vna ratio ſubſiſtendi ſimpliciter, quæ eſt Verbi perſonalitas, vt conſtitutiua perſonæ Verbi ſubſiſtentis in diuina natura: duplex tamen eſt ratio ſubſiſtendi in tali natura: altera ſcilicet ſubſiſtendi in natura diuina, & altera ſubſiſtendi in natura humana; quæ duæ ſubſiſtendi rationes non re, ſed ſola ratione diſtinguuntur: Et prior quidem ratio ſubſiſtendi eſt & dicitur diuina perſonalitas, & diuinam perſonam conſtituit: poſterior verò ratio ſubſiſtendi, & quidem ſecundum rem diuina perſonalitas, ſed qua ratione naturam terminat humanam dicitur humana: & perſona vt tali terminatione conſtituta dicitur humana; quæ tamen eſt realiter eadem cum perſona Verbi. Nec tamen verum eſt, quod hic ait Medina, videlicet rationem ſubſiſtendi in humana natura eſſe relationem rationis, vt benè probat Suarez *in ſuo Com.* quem lege, ſi placet.

Et ex his patet tertium, ſcilicet veritas illius dicti. *Vnum duobus ſubſiſtit*; quia ſcilicet vnum ſuppoſitum duas habet rationes ſubſiſtendi, quę ſunt duæ naturæ illi ſubſtantialiter vnitæ, quibus in ipſo ſuppoſito duæ aliæ correſpondēt rationes ſubſiſtendi ſola ratione diſtinctæ.

Suar. hic latè diſputat de termino Incarnationis per illam producto; ſed de hoc cum Cai. ſuo loco diſſeremus.

Secundam concl. explicat optimè Suar. *diſp. 7. ſect. 1. §. dico ergo ſecundo*, quamuis quædam immiſceat de exiſtentia humanitatis ſuo loco diſcutienda.

Compoſitionē perſonæ Chriſti non dici compoſitionem ratione partiū ſed rationis numeri declaratur propoſitis & ſolutis tribus argumētis.

CIRCA *reſponſ. ad ſecundum.* Vbi S. D. ait cōpoſitionem perſonæ Chriſti ex duabus naturis non dici compoſitionem ratione partium, ſed potius ratione numeri; ſicut omne illud, in quo duo conueniunt poteſt dici ex eis compoſitum *Nota primò* declarationem Cai.

Secundò ſcito, eandem doctrinam ſignificaſſe Damaſcenum *lib. 3. de Fide, cap. 8.* dicentem Chriſti compoſitionem non eſſe ſecundùm quātitatem continuam, ſed diſcretam quia duæ naturæ componentes benè poſſunt numerari.

Obiectio. 1.

Sed pro eius explicatione ponenda ſunt quædā argumenta, vt ex eorum declaratione reddatur illuſtrior. *Primum argumentum* eſt; quoniam illud in quod diuiditur totum, eſt eius pars; at ſi perſona Chriſti eſt compoſita diuiditur in humanitatem & diuinitatem, vel perſonam Verbi; ergò diuinitas vel perſona Verbi eſt pars illius.

Secundum eſt: In eſſentia diuina concurrunt quatuor relationes, & in parte ſunt duæ relationes, ſcilicet paternitas & ſpiratio actiua; & ſimiliter duæ ſunt in filio, ſcilicet filiatio & ſpiratio actiua, & tamen neque eſſentia neque pater vel filius ſunt compoſiti. Nam etſi relationes illæ ſint in illis, non tamen vt partes; ergò ſi perſona Chriſti ſit compoſita ex humanitate & diuinitate vel perſona Verbi, diuinitas non tantùm ineſſet perſonæ Chriſti, ſed etiam eſſet pars illius. 2.

Tertium eſt: D. Th. *in 1. p. q. 3. a. 8.* docet Deum nō poſſe venire in compoſitionem alicuius; quia non poteſt eſſe actus vel potentia alicuius; ergò non poteſt dari compoſito in ratione numeri abſque hoc, quod componentia ſint partes, vel ſe habeant vt materia & forma, vel vt actus & potentia. Probatur conſequentia nam alioquin non rectè probaſſet ibi S. D. Deum non poſſe veniri in compoſitionem alicuius; nam dici poſſet eſſe aliū modū cōpoſitionis, ſcilicet per modum numeri. Ad hæc reſpond. *Ad primum* negatur maior; quia non ſemper id in quod diuiditur aliquod compoſitum, debet eſſe pars, ſed ſatis eſt vt ſit extremum realiter & ex æquo ab alio componente diſtinctum, & à compoſito vt incluſum ab includente, quod manifeſtatur duobus exemplis. Primum eſt: In intellectu beati qui in ratione integri principij viſionis beatæ componitur ex lumine gloriæ, & ex diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis, & tamen eſſentia diuina non ingreditur compoſitionem illam vt pars, ſed vt extremum ſeclusa partis imperfectione. Secundum exemplum eſt ex eorum Theol. opinione, qui dicunt potentiam poſſe conſtitui in actu primo ad operandum per ſubordinationem ad Deum aſſiſtentem illi per modum auxilij: tunc enim principium hoc operatiuum non eſſet ſimplex ſed compoſitum quia conſtaret ex multis, & tamen Deus in compoſito rationem partis non haberet, ſed eſſet vnum compoſitionis extremum. *Ad ſecundum* reſp. realem cōpoſitionem exigere, vt extrema componētia realiter ab inuicem diſtinguantur: relationes autem illæ nec ab eſſentia nec à perſonis, quibus inſunt, realiter diſtinguuntur ſed ratione tantùm. *Ad tertium* reſp. D. Th. ibi loqui de compoſitione ſecundùm communiorem & frequentiorem vſum huius vocabuli, *cōpoſitio*, quo dicitur compoſitio in ratione partis, & non ſolùm in ratione numeri, vt patet ex rationibus, quibus probat ibi ſuam Concl. S. D. illis enim nō excluditur compoſitio in ratione numeri, ſed in ratione partis.

Solutio primæ.

Secundæ.

Tertiæ.

CONTROVERSIA VNICA.

An verè propriè ſimpliciter ac formaliter dici poſſit & debeat Chriſti perſonam eſſe compoſitam?

Sententiæ Doctorum.

TRes in hac Controu. communiter ſolent Doctorum ſententiæ recenſeri, ſed tertia plures habet ad inuicem differentes. Eſt igitur PRIMA SENTENTIA S. Th. *in 3. diſt. 6. q. 2. a. 3. & ad Anibaldum ibidem.* Et *de vnione Verbi Incarnati art. 1. ad ſextum.* Vbi dicit quatuor. *Primum* eſt: Perſona Chriſti poteſt aliquo modo dici compoſita, inquantùm ibi ſaluatur aliqua cōditio compoſiti; non tamen eſt ibi vera ratio cōpoſitionis; quia deficit ibi altera cōditio. *Secūdum* ex primò deductum: Non eſt in vſu modernorum tenētium in Chriſto eſſe vnum tātum eſſe, vt

se, vt dicant personam Christi esse compositam. *Tertium* inexplicabilis est hæc compositio, quæ non est partium vt ait Magister *in 7. dist. Quartū*: Damas. dicit compositam esse hypostasim filij Dei, inquantùm est ibi aliquid de ratione compositionis, non quod sit simpliciter composita, quantum ad perfectam rationem compositionis, quam sententiam sequitur Bergomas *in sua Tabula aurea, dubio vltimo*; Eandem opinionem sequitur Scotus & plures ex antiquioribus Theologis, quos hic referunt recentiores. Mentem Scoti quinque Concl. explicat Rada; ex quibus tres ad rem præsentem pertinentes referemus. *Prima* est persona Christi post Incarnationē non B mansit composita propria compositione. *Secunda*: si sermo sit de compositione huius ad hoc, seu cum ijs per informationem, persona Christi nullatenus est composita. *Tertia*: si sermo sit de compositione huius ad hoc, prout dicit dependentiam habitudinis relatiuę, ita vt vnum sit inexistens, aliud verò subsistens terminans dependentiā inexistentis in ipso, potest persona Christi dici composita, sed hæc compositio non est propria sed impropria & largo modo cōpositio.

Hvic opinioni valdè proxima est sententia Caietani, qui duo dicit. *Primum* est: Non simpliciter neque formaliter admittendam esse cōpositionem in persona Christi; sed cum determinatione aliqua tollente imperfectionem vnius componentis admitti posse & admissam esse C simpliciter & formaliter ab antiquis & ab authore: determinatio verò est, vt dicatur compositio ineffabilis vel aliquid huiusmodi. *Secundum* est personam Christi duplici compositionis modo esse compositam, scilicet compositione ex his, & compositione cum his.

Tertia *sententia* est asserentium personam Christi verè & propriè esse compositam; in ea tamen explicanda non cōueniunt huius opinionis sectatores: *Nam magister Med.* Duo dicit: *Primum* est indubiè tenendum esse Christum esse compositum ex corpore & anima rationali. *Secundum* est personam Christi verè & propriè esse compositam ex diuinitate & humanitate. Suar. *disp. 7. sect. 4.* eandē sequens opinionē dicit quatuor: *Primum*: absolutè dicendum est, terminum D resultantem per hanc vnionem esse personā cōpositam. *Secundum*: compositum hoc immediatè componitur ex humanitate & subsistentia Verbi. *Tertium*: quia Verbi subsistentia in se includit diuinitatem: hinc consequenter factum est, vt Christus sit etiam compositus ex duabus naturis in eadem subsistētia. Cuius compositionis extrema sunt ipsæ naturæ, quæ distinctæ manent & inconfusæ: vinculum autem est ipsa subsistentia. *Quartum*: si quæratur an simpliciter & sine additoChristo seu Verbū posset nūc dici persona composita, dicendum est, interrogationem dupliciter intelligi posse: primò ex parte prædicati, idest, an hæc compositio simpliciter & sine E vlla determinatione vel declaratione vocari possit? & respondendum est affirmatiuè; quamquam non displiceat consilium Caietani, scilicet addendum esse aliquid quo perfectio eius & excellentia significetur, vt esse ineffabilem &c. quod ferè semper à patribus obseruatum est: & fortasse scholastici antiquiores nihil aliud docere voluerunt. Alius sensus illius interrogationis ex parte subiecti est: An Verbum vel Christus simpliciter & sinè illa determinatione inquātū homo possit dici persona ineffabiliter cōposita? Et dicendum consultius & securius esse, addere illam determinationem; quia Verbum secundùm se nō est persona composita, sed solùm, vt subsistit in humana natura & cum illa componit hunc hominem; non tamen est eadem ratio de nomine Christi; quia nomen Christi formaliter significat ipsum compositum, & sæpè subiecta formaliter stant iuxtà exigentiam prædicatorum. Nam si Petrus sit albus, rectè posse dici videtur hoc album esse compositum ex hoc supposito & albedine; non tamen ita posset simpliciter dici Petrus compositus, ex substantia & albedine.

Asturic. autem *in sua Relect. de Christi gratia, q. 7.* sex concl. suam explicat opinionem. *Prima* est: B Non est contra fidem absolutè negare Christum esse personam compositam; neque verò in hac sententia vlla erit temeritas. *Secunda* est: Christus verè & propriè est persona composita ex duabus naturis humana & diuina. *Tertia*: Verè & propriè dici potest reperiri in Christo compositionem ex diuino supposito & ex humanitate, vt ex duobus extremis. *Quarta*: Inter humanitatem Christi & diuinam Verbi personalitatem non est propria compositio. *Quinta*: Hæc propositio, Christus est compositus seu est persona composita, vera est & propria; atque adeò absolutè concedenda, quamuis sapienter, & prudenter faciet, qui addiderit limitationem explicitam à Caietano, nimirum quod est composita eminenti & ineffabili compositione. *Vltima* eius C conclusio est: Probabilis est sententia quæ dicit hanc propositionem, filius Dei est compositus, veram esse & absolutè concedendam, sed probabilior apparet sententia opposita.

Sed Vasq. *disp. 16.* dicit quatuor. *Primum* absolutè & secundùm proprietatem concedenda est in Christo compositio. *Secundum*: Compositio personæ Christi post Incarnationem non est huius ad hoc, sed huius ex his. *Tertium* ex hac compositione non resultat alia persona, quæ ante Incarnationem non esset, sed eadem sit & resultat composita ex duabus naturis. *Quartum*: Compositio in Christo non solùm est ex duabus naturis in vna persona, sed etiam ex natura humana, & personalitate diuina.

D Denique Did. Aluar. tribus Conclusionibus suam explicat opinionē. *Prima* est: Persona Christi post Incarnationem verè & propriè est persona composita ex duabus naturis, scilicet diuinitate & humanitate. *Secunda* est Persona Christi est verè composita ex humanitate & Verbi supposito. *Tertia*. Persona Christi est verè composita ex humanitate & personalitate Verbi. *Vltima* eius Cōclusio est: Istæ propositiones: Filius Dei est compositus; Verbum diuinum est persona composita; nō sunt simpliciter concedendę, sed cum addito, scilicet Filius Dei quatenus homo est persona composita vel compositus.

Qvæstio hæc non est de persona Christi ratione humanæ naturæ: sic enim perspicuè cō- *Resolutio. Propositis conditionibus & modis compositionis, & explicata eius analogia, declaratur quomodo dici possit Christi personā esse compositā.*
E stat esse compositam: nam ex corpore & anima rationali cōiunctis secundū rationē actus & potentiæ resultat humanitas; secundū quā persona Christi nō minus quā persona Petri dicitur esse cōposita. Sed quæstio est; an persona Christi sit ac dici valeat propriè & absolutè cōposita ex diuinitate & humanitate & ex diuino supposito & humanitate, aut etiā ex personalitate & humanitate. Pro cuius resolutione

Notandū est Primo ex Cal. *1. p. q. 3. a. 8.* ad cōpositionē per quatuor cōditiones esse necessarias. *Prima* est vt cōponētia sint realiter ab inuicē distincta. *Secūda*, vt realiter sint cōiūcta. *Tertia*, vt corū cōiunctio sit secundū esse. *Quarta*, vt vnum

sit actus alterius; quibus addenda est *quinta* ex D. Th. *in 3. dist. 6. q. 3. a. 3.* videlicet, quod partes componentes causent esse totius. Quas etiam quatuor cõditiones Rada *loco supra notato* refert ex Scoto *in 3. dist. 6. q. 3.* sed ibi Scotus de vltima tantùm meminit.

SECVNDO *notandũ* est ex D. Th. *1. p. q. 3. a. 7.* & Cai. *super hoc a.* sex esse compositionis modos. *Prima* namque compositio est ex partibus quantitatiuis. *Secunda* est ex materia & forma. *Tertia* est ex natura & supposito. *Quarta* ex essentia & esse. *Quinta* ex genere & differentia. *Vltima* ex subiecto & accidente, ex quibus quinque scilicet prima 2. 4. 5. & 6. manifestè in vtroque cõponente imperfectionem important; quod etiam probat S. D. *in allegata q. 3.* De tertia verò Contro. est; nam Cai. & alij videntur asserere de ratione cuiuscunq; modi compositionis propriè & strictè sumptæ esse imperfectiones quasdam, puta partis actus & potentiæ, & quod esse totius causetur à partibus simul iunctis, & quòd totum sit quolibet componente perfectius: alij verò dicunt in conceptu compositionis vt sic nullam ex his imperfectionibus includi, ac proindè posse compositionem aliquam reperiri, quæ ex parte saltem vnius extremi nullam habeat imperfectionem. *Ad cuius euidentiam scito*, nomen compositionis analogum esse commune compositioni naturali, in qua partes siuè res cõpositum constituentes naturalem habent inclinationem vel aptitudinem ad illud constituendum, & compositioni supernaturali, in qua non est necesse, vt in vtraque re ad compositionem concurrente sit propensio vel aptitudo naturalis ad vnum totum compositum constituendum: Sed vt significat hic S. D. *ad secundum*, satis est vt plura conueniant ad vnum per se & substantialiter constituendum. Differunt hi duo compositionis modi, quod in priori modo, scilicet in naturali compositione vtrumque componens duas saltem habet imperfectiones in vltimis tribus conditionibus compositionis expressas; qua scilicet alterum eorum habet rationem actus & alterum potentiæ, & esse compositi ab vtroque componente causatur, & ipsum compositum perfectius est vtroque componente: quibus imperfectionibus adiungitur quandoque quarta; quia nimirum componentia rationem habent partium, ex quibus totum ipsum compositum cõstituitur, vt patet in compositionibus ex partibus quantitatiuis, ex materia & forma, ex subiecto & accidente. In posteriori verò modo cõpositionis, qui tantùm vnus est, scilicet ex hypostasi Verbi & humana natura; ac proindè ex suppositalitate & humanitate, & consequenter etiam ex duabus naturis, diuina scilicet & humana in vna diuini Verbi persona, nulla dictarum imperfectionum reperitur; quia scilicet neutrũ huius compositionis extremum est actus aut potentia respectu alterius; neque esse personæ Christi subsistentis in duabus naturis ex humana causatur natura, sed idem realiter est Verbo & eius naturæ diuinæ. Neque Verbum aut eius personalitas vel natura pars verè ac propriè est totius compositi, scilicet Christi: Dico autem verè & propriè propter quorundam antiquorum non magnæ authoritatis dicta hic à Vasquezio relata *disp. 16. cap. 4.* qui diuinam & humanam naturam vnius compositi Christi partes valdè abusiuè & impropriè nuncuparunt. Hi verò sunt Nicetas *in orationem Naz. secundam in Pascha, quæ est quadrag. 2.* & Ioan. Maxentius *in lib. contra Azephalos, c. 11. & 17.* & Iustin. Imperator *in quodam edicto, quod habetur in secundo Tomo Conciliorũ post concilium secundum Tolet. col. 2.*

Denique totum ipsum compositum, scilicet Christus non est perfectius singulis componentibus; quia Christus non est perfectior Verbo aut diuinitate, vt patet ex ijs, quę diximus *in 1. p. q. 6. a. 2. Contro. vnica:* Supernaturalis igitur hic compositionis modus nullam ex tribus iam dictis imperfectionibus admittit. Nam etsi personalitas Verbi sit terminus immediatus humanæ naturæ per ipsum subsistentis, non est tamen eius forma vel actualitas, vt post Cai. ostendimus *1. p. q. 50. a. 2. Contro. 3. §. Est autem,* vbi subsistentiæ diffinitionem explicauimus.

Et ex his sequitur nomen compositionis abstractè sumptũ; prout scilicet abstrahit ab vtroque iam dicto cõpositionis modo, naturali scilicet & supernaturali, nullam ex tribus iam dictis in sui ratione imperfectionẽ includere, cũ illę soli cõueniãt cõpositioni naturali; atq; ideò in rigore metaphysico veram esse propriè, formaliter & absolutè propositionem asserentem, personam Christi post Incarnationem esse compositam, vt inferius ostendemus; sed quia nomen compositionis secundùm primam sui nominis impositionem, & secundùm notiorem ac magis vsitatam eius significationẽ prædictas tres imperfectiones, aut duas earum saltem includit: ideò S. D. *in 3.* & alij antiqui Doctores & Patres negant Christi personam propriè & simpliciter esse compositam. Quo fit vt rectè dixerint quidam recentiores Controuersiam hanc magis esse de nomine, & de modo loquendi, quàm de re. Nam si de re ipsa loquamur, tria veluti certa ab omnibus Theologis catholicè sentientibus sunt confitenda. *Primum* est; Christi personam quatenus in humana natura subsistit, esse vnum aliquid ex pluribus rebus constitutum, nempè ex persona diuina & natura humana, & consequenter etiam ex natura diuina & humana: Vt enim dicemus inferius, terminus actu Incarnationis productus est Deum esse hominem, siue Deus homo vel Christus, qui persona Verbi est in duplici natura subsistens, & vtranque in sui sic subsistentis intima ratione concludens. Ex quo sequitur *secundum*, videlicet terminum Incarnationis productum non esse omninò simplicẽ; cũ ex pluribus constet realiter distinctis, & in eo simul adunatis, vt modò diximus. *Tertium* est, nõ omnia in hoc vno termino producto simul adunata, & Christũ cõstituentia imperfectionẽ aliquã ex ijs habere, quę partibus aut rebus vnũ aliquid totum virtute naturæ vel artis apud nos cõstituentibus sunt communes: omnis enim imperfectio personalitati Christi & eius diuinitati repugnat, quę tamen simul cũ humanitate Christum cõstituit.

Tres verò supersunt difficultates breuiter expediendę. *Prima* est de modo loquẽdi, an scilicet absolutè & simpliciter sit asserẽdũ Christi personã esse cõpositã. *Secũda* est de qualitate seu modo cõpositionis, an scilicet hęc cõpositio sit ea tãtũ, quę nũcupatur ex his, aut sit etiã illa, quę vocatur cũ his; quę etiã, vt patebit, verè nõ est quęstio rei sed nominis. *Tertia* est, an Christi persona sit tãtũ dicẽda cõpositа ex persona seu suppositо Verbi & humanitate, vel etiã verè & propriè sit & dici debeat cõpositа ex personalitate Verbi & humanitate. Ad primę itaq; difficultatis euidentiam.

Prima difficultas.

TERTIO *obseruandũ est*, analogum omne pluribus analogatis commune per speciales aliquos modos ad analogata determinari; quẽadmodum genus ad species cõtrahitur per differentias. Cũ itaque

itaque compositionis nomen sit analogum commune compositioni naturali & supernaturali; necesse est vt per speciales quosdam modos ad hæc sibi subiecta contrahatur analogata; & quoniam, vt ante diximus, compositio naturalis, quæ scilicet fit virtute naturæ, duas ad minus imperfectiones includit; ideò modus illius constitutiuus & compositionis communiter dictæ determinatiuus imperfectionem claudit intrinsecè, quam significamus nomine ipso compositionis absolutè quidem prolato, sed secundùm primam nominis impositionem accepto. Sæpè namque nomen commune absque additamento pronunciatum pro specie vel modo imperfectiori sumi consueuit; sicut animal absolutè prolatum, quandoque sumitur pro bruto, & dispositio apud Arist. diuiditur in dispositionem & habitum; ita vt dispositio simpliciter prolata speciem significet imperfectiorem. Sic igitur in proposito, nomen compositionis absolutè prolatum vsu frequentiori compositionem significat imperfectã virtute naturæ productam: hæc enim est prior notior ac vsitatior eius significatio. Compositio verò supernaturalis, de qua sermo est, qua scilicet persona Christi post Incarnationem dicitur esse composita, nullam vt supra diximus, ex parte personæ Verbi & eius naturæ diuinæ claudit imperfectionem: Et ideò modus eius constitutiuus omnem excludit imperfectionem, quam exclusionem significat dictio illa *ineffabilis*, Primum à Dionysio: deinde etiam ab alijs Patribus addita, vt hic scitè Cai. aduertit. Quo fit, vt ea vox, *ineffabilis*, non sit diminuens veritatem cõpositionis, sicut nec diminuit veritatem vnionis, sed sit veluti differentia, siuè modus imperfectionem excludens, & perfectam compositionem ab imperfecta distinguens. Et sicut verè ac propriè dici potest Christi persona composita compositione ineffabili, sic verè ac propriè dici potest absolutè composita, sumendo prædicatum hoc, *composita*, prout est commune vtrique compositioni: sic enim abstrahit à perfectione & imperfectione; & ideò dictum de persona Christi, quæ nullam habet imperfectionẽ, de ea quidem absolutè prædicatur, sed absque vlla prorsus imperfectione; sicut sapientia, cum de Deo dicitur, nullam includit imperfectionẽ: dicta verò de homine includit secundùm rationem sui generis imperfectionem habitus & accidentis, cum tamen, tam Deus, quam homo dicatur absolutè sapiens aut habens sapientiã: Hoc tamen interest inter nomen compositionis & sapientiæ, quod compositio secundùm primam & vsitatam nominis significationem, qua significat naturalem compositionem, dicit imperfectionem formaliter in vtroque componente; iuxtà secundam autem, qua significat compositionem diuini suppositi cum humana natura, nullam dicit imperfectionem ex parte suppositi; secundũ tertiam verò significationem vtrique communẽ abstrahit à perfectione & imperfectione: sed hæ duæ vltimæ dicti nominis acceptiones minus notæ sunt ac minus vsitatę; & ideò quamuis in rigore methaphysico vera sit hæc propositio, persona Christi post Incarnationem est composita, & simpliciter prolata sit admittenda, consultius tamen est prædictam addere limitationem, siuè modum talis compositionis constitutiuum, per quem omnis à persona componente excluditur imperfectio. Ad cuius ampliorem euidentiam.

Simpliciter affirmari posse Christi personã esse compositã, sed melius addi limitationẽ illã: cõpositione ineffabili.

QVARTO *sciendum est* in definitionibus Conciliorũ fidei veritates aduersus hæreticorũ errores statuentiũ attendendũ esse præcipuè finem & intentionẽ eorũ, contra quos scilicet errores intendant veritates illas determinare; illæ namque solæ veritates, vt dogmata fidei sunt accipiendę, quæ pro confutandis erroribus fuerunt in Concilijs à Patribus definitæ; cętera verò, quæ ad eas fidei veritates explicandas ibi fuerint exarata; nisi aliunde ad fidem pertineant, nullam ex Cõcilijs accipiunt fidei firmitatem, vt supra notauimus *prima parte, quæst. 114. art. 2. Contro. vnica in resp. ad argu.* Iam verò plura, quæ recentiores hic afferunt Cõcilia, declarãt Christi personam post Incarnationem ex duabus naturis esse compositam: at si iuxta præfixam regulam fuerit eorum intẽtio benè perpẽsa, constat eorum mẽtem fuisse hæreses illas dãnare, quæ vel duas in Christo personas asserebant, vel duas in eo naturas incõfusas in vnica subsistẽtia, & persona Verbi negabant, nõ autem veram & propriè dictam in Christo compositionem definire; siuè namque sit siuè nõ sit in Christi persona vera ac propriè dicta compositio ad eorum Cõciliorum intẽtionem & scopum minimè pertinet; quia cum vtraque parte veritas illa, quam aduersus hæreticos ea Cõcilia definire voluerũt, suam integram & perfectam retinet firmitatem; vnum in Christo videlicet tãtùm esse personam, in qua duæ essentialiter ab inuicem distinctę naturæ, diuina scilicet & humana, sed personaliter vnitæ subsistũt. Hanc autem fuisse Cõciliorum intẽtionem satis apertè declarãt verba Cõcilij Later. primi *Conf. 4. can 4.* Vbi sentẽtiam sic refert hæreticorum: *Sed non confitentur, sicut sancti Patres docuerunt, vnitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali, & intellectuali secundùm compositionem ideſt secundùm subsistentiam factam.* Quibus verbis declarat Cõcilium, se nomine compositionis vnitatem intelligere subsistẽtiæ; quia nimirum duę naturæ in vna dũtaxat persona subsistũt: hãc enim explicationem significat illa particula, *ideſt*, quæ subsequẽtia declarationẽ indicat esse præcedẽtium. *Ex hac* intẽtionis Cõciliorum expressione additis ijs, quæ supra notauimus de significatione huius nominis, compositio, *sequitur primò* nedum probabilẽ, sed loquẽtium vsui & audiẽtium intelligẽtiæ magis accõmodatam esse Caietani sententiam asserentis, nõ esse simpliciter affirmãdum Christi personam esse compositam, sed addẽdam esse determinationem aliquã tollẽtem imperfectionem; puta dicẽdo, Christi personam esse compositam compositione ineffabili. Hæc enim compositio, quæ est vnio Verbi ad humanitatem secũdùm ipsius Verbi subsistẽtiã lõge diuersæ rationis est à quacũque compositione facta virtute naturę vel artis apud nos existẽte, aut nobis nota; atque ideò nõ nisi cum addita determinatione singularem eius excellentiã nobis ignotam indicãdam in communibus locutionibus est nominãda; quamuis inter sapiẽtes, quibus rei veritas est manifesta, possit Christi persona simpliciter appellari composita. *Secundò sequitur*, modum loquẽdi præscriptum à Caietano non esse prorsus alienum à modo loquẽdi sanctorum Patrum & Conciliorum; cum Sanctus Dionys. *in 1. cap. de diu. nom.* affirmet simplicem Iesum ex nostra humanitate ineffabiliter esse compositum: nec S. D. *in hocarticul.* simpliciter ait, Christi personam esse compositam, sed quæsito respondens, ait Primò Christi personam secundùm rationem hypostasis vel personæ subsistere in duabus naturis: deinde subdit: vnde licet sit ibi vnũ subsistens; est tamẽ

ibi alia & alia ratio subsistendi, & sic dicitur persona composita, inquantum vnum duobus subsistit; quibus vltimis verbis scilicet inquantum &c. determinatur nomen & ratio compositionis dictæ de persona Christi; qui loquendi modus mirificè consonat verbis & modo loquendi Cõcilij Later. supra notato, & alijs plurimis Sanctorum & Conciliorum dictis, in quibus nomine compositionis omisso Christi personam affirmant ex duabus & in duabus naturis diuina scilicet & humana subsistere; sic enim loquitur Athanasius *in Symbolo: Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens.* Cui concinit Augustinus *lib. 13. de Trinit. cap. 17.* dicens: *Sic Deo coniungi potuit humana natura, vt ex duabus substantijs fieret vna persona, ac per hoc ita ex tribus, scilicet Deo, anima, & carne*; quo modo etiam loquitur Agato Papa *in Epistola ad legatos, quæ habetur in 6. Synodo, act. 4.* & in Concil. Later. sub Martino primo, *Consult. 5. can. 6.* cuius verba sunt: *Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur propriè, & secundum veritatem ex duabus, & in duabus naturis substantialiter vnitis, & inconfusè, & indiuisè vnum, eundemque esse dominum, & Deum Iesum Christum, condemnatus sit.* Sed quia nomen & ratio compositionis verè & propriè, licet æquiuocè conuenit vnioni duarum naturarum in vna diuini Verbi persona: ideò nonnunquam Patres & Concilia, quæ sapientissimorum hominum sunt conuentus, rigorem metaphysicum vsui communiori vocabuli præferentes Christi personam simpliciter affirmant esse compositam.

QVINTO *notandum est*, propositionem hanc; *Christus est persona composita* sic absolutè prolatam dupliciter posse considerari; *vno modo* ex parte prædicati, & sic simpliciter vera est in rigore metaphysico; quia vera & propria, licet æquiuocè dicta, compositio conuenit personæ Christi in duabus naturis, diuina scilicet & humana subsistente: *alio modo* considerari potest eadem propositio ex parte subiecti; & quia subiectum, scilicet Christus nomen est diuinæ personæ, non simpliciter acceptæ, sed prout ex duabus & in duabus naturis subsistit; ideò etiam ex hac parte videtur illa propositio vt propria & vera simpliciter admittenda. Hæc autem, *Verbum aut filius Dei est persona composita*, videtur absolutè neganda; quia Verbum pro diuina persona supponit absolutè sumpta, prout in sola diuina natura subsistit, qua ratione simplex omninò est, sicut & ipsa Deitas.

Ex his conciliari facilè poterunt opiniones in principio huius Controuersiæ notatæ, & quæ aduersus singulas produci solent argumenta dissolui.

Secunda dubitatio.

NVNC DE *secunda superius proposita difficultate*, dicendum est, *an* scilicet *hæc compositio sit ex his, an verò dici possit etiam esse compositio cum his?* pro cuius resolutione.

Quomodo differãt cõpositio ex ijs, & compositio cum ijs, & qualis sit ea cõpositio, quæ est ex natura, & subsistentia, & ex natura, & supposito.

SEXTO *sciendum est* duplicem esse compositionem; alteram ex ijs & alteram cum ijs; quarũ differentias ostendimus *1. p. q. 50. a. 2. Contr. 3. §. Iam verò.* Vbi constituimus octo differentias inter compositionem ex materia & forma, quæ est compositio ex ijs, & compositionem ex natura & supposito, quæ est compositio cum ijs. Præcipua differentia est; quod ex duobus illius compositionis extremis, quæ dicitur ex ijs, resultat vnũ tertium, quod est vnum per se: sed ex extremis illius cõpositionis, quæ dicitur cũ ijs; nõ fit vnũ tertiũ, quod sit per se vnũ propriè loquẽdo, vt ibi declarauimus. Nã, quod ait Aluar. *disput. 12. in resp. ad 1. argum.* videlicet non esse necessarium ad huiusmodi compositionem, vt resultet compositum sub vna forma totali comprehendente omnia extrema componentia, sed satis esse, vt compositum resultans comprehendat realiter ipsa componẽtia vnita in eodem esse, & differat realiter à quolibet componentium seorsum sumpto, falsum omninò est de compositione ex ijs nobis naturaliter nota, quamuis fortassè verum sit de compositione analogicè sumpta, quatenus etiam extenditur ad compositionem personę Christi supernaturalem: compositio verò naturæ, & subsistentiæ est compositio cum ijs; quoniam exempli gratia subsistentia Petri componit cum eius natura singulari, & è contra; nec tamen ex eis resultat vnum tertium, quod sit vnum per se ab vtroque extremo componente distinctum propriè loquendo; quia subsistentia aliquid est naturæ, cum sit eius terminus & vltimum eius complementum, nec ad eam comparatur vt actus ad potentiam, nec ad suppositum vt eius pars; vnum autem per se non constituitur ex duobus, nisi vtrumque rãtionem habeat partis, & vnum sit actus alterum verò potentia, aut aliquid tertium sit actus vtriusque. Neque tamẽ ex natura & supposito fit vnum per accidens, sed subsistentia naturæ iungitur per se vt vltimus terminus & cõplementũ vltimum entitatis, & vnitatis eius per se, vt diximus *in alleg. Cont.* natura verò per subsistentiam terminata & completa suppositum est, quod instar totius includit duo iam dicta constituentia, scilicet naturam & subsistentiam. Ex quo patet impropriam & in rigore falsam esse locutionẽ illam cõmunem dicentium, Petrum, verbi gratia, esse compositum ex natura & supposito; quia suppositum, vt diximus, includit vtrumque componentium, & quãdam habet totius similitudinem respectu naturę & subsistentiæ, & ideò non potest simul cum natura, quam intrinsecè claudit, ad alicuius alterius constitutionem conuenire, aut cum ea componere; cum itaque scriptum inuenies in substantijs creatis esse compositionem ex natura & supposito, sic accipias, ac si dictum esset in substantijs creatis esse compositionem ex natura & subsistentia, siuè in substantijs creatis naturam componere cum subsistentia, & è conuerso; & in hoc sensũ intelligenda sunt verba D. Th. *1. p. q. 50. a. 2. ad. 3.* & *2. contra gent. c. 54.* Vbi docet Angelum esse compositum ex quo est & quod est, & ex esse & essentia, eo quod in eo natura distinguitur realiter à supposito, & esse ab essentia: intendit enim asserere S. D. duo esse extrema in Angelo realiter distincta, & ad compositionem sufficientia: siuè ea compositio sit ex ijs, siuè cum ijs.

Christi persona dupliciter esse cõpositam, scilicet compositionem cũ ijs, & ex ijs.

SEPTIMO *attendendum est*, in Christo Domino quatuor considerari, scilicet naturam diuinã, naturã humanam, personalitatem diuinam & ipsum suppositum siuè personam subsistentem in vtraque & ex vtraque natura: quod suppositum siuè persona in duplici natura subsistens, significatur hoc vno simplici nomine *Christus*, vel etiã voce complexa, cum dicitur *Verbum incarnatum, aut in duplici natura subsistens*, &c. Et quia Verbũ diuinum est ab æterno in sua propria & sibi connaturali Deitatis natura subsistens; in tempore verò ad eãdem subsistentiam naturam assumpsit humanam, & factum est etiam humanum suppositum in humana natura subsistens; ideò triplex ad compositionem pertinẽs habitudo in mysterio sacrosancto Incarnationis consideratur. Prima est per sonæ Verbi ad humanitatem. Secũda

est

est diuinitatis ad humanitatem. Tertia est personalitatis seu subsistentiæ Verbi ad humanitatem: ex quibus secunda pertinet ad compositionem ex ijs. Tertia verò ad compositionem cum ijs. Prima verò habitudo ad vtranque videtur compositionem pertinere: & secundam quidem habitudinem certum est ad veram & propriè dictam compositionem pertinere, quàm in Christo reperiri sæpè Concilia & Patres affirmant dicentes, Christum ex duabus naturis esse compositum. Qua loquendi forma naturas huius esse compositionis extrema significant. Ex quibus vnum quasi tertium scilicet Christus Deus & homo realiter ab vtroque extremo distinctum constituitur. Nam, etsi Christi persona secùdùm se sit realiter idem cum natura diuina; quatenus tamen in humana natura subsistit, quomodo Christi nomine significatur, humanitatem includit, ratione cuius à diuinitate distinguitur. Primam autem habitudinem, scilicet personæ Verbi ad humanitatem, veluti vnius ad alterum compositionis extremum in hoc esse mysterio præcipuam & maximè necessariam, ex eo patet, quod Christi persona nunquam esset, aut dici verè posset ex diuinitate & humanitate composita, nisi vna eademque persona, quæ est ab æterno in diuina natura subsistens, & eam intimè claudens (qua ratione Deus & persona diuina est) subsisteret etiam in tempore in assumpta humanitate, & consequenter etiam esset homo & humana persona. Hanc habitudinem affirmat Caiet. ad compositionem cum ijs pertinere, quatenus (inquit) persona Verbi coniungitur cum hoc, quod est esse hunc hominem; non quod assumpserit hominem, sed quia facta est hic homo assumendo hanc humanitatem. Consistit enim hæc compositio diuini Verbi cum humanitate secundùm Asturicensem in mutua communicatione vtriusq; naturæ, scilicet diuinæ & humanæ in vno supposito, cui diuina natura ratio est subsistendi simpliciter; atque adeò vt sit persona diuina, humanitas autem est illi ratio subsistendi in tali natura scilicet humana, & consequenter vt sit humana persona. Sed cùm in persona Verbi duo claudantur intrinsecè, sc. Deitas & subsistentia personalis, si Verbum consideretur ratione Deitatis coniunctæ humanitati in vnitate personę, compositionem facit ex ijs, vt ante diximus; resultat enim vnum tertium scilicet Christus intrinsecè claudens diuinitatem & humanitatem, & ab vtraque illa natura distinctus, modo superius explicato. ita vt, (si secùdùm nostrum modum concipiendi ab his sensibilibus nobis notioribus acceptum loqui liceat) duæ naturæ sint quasi partes & veluti materia compositionis: personalitas autem Verbi sit instar formæ; esse verò vnitum vtrique naturæ, & in ea subsistere sit eius quasi causalitas: Denique esse substantiale, nimirum Deum esse hominem, & hominem esse Deum, & eandem Verbi personam esse personam diuinam & humanam sit veluti forma totius ex vnione illa naturarum in vna subsistentia resultans, & compositum ipsum constituens, scilicet Christum, quo nomine persona Verbi significatur quatenus in vtraque natura subsistens simul est Deus & homo. Sed quoniam, vt diximus, hęc compositio verè est ineffabilis omni carens imperfectione, præsertim ex parte naturæ diuinæ & personæ Verbi; ideò prędicta de ratione materiæ & formæ, partis & totius, vt tanto mysterio minimè congrua & à veritate abducentia sunt ommittenda, & quoad solum nostrum imperfectum concipiendi modum ex naturalibus nobis prius & maximè cognitis deriuatum, admittenda; concipi namque possent etiam alio modo duæ naturæ, veluti formæ, personam Christi denominantes, & in diuersis quasi speciebus constituentes; ex diuina siquidem natura dicitur Deus, sicut & verè est, ex humana verò natura est & dicitur homo; est igitur hæc compositio, tanquam ineffabilis admittenda; cuius tamen veritatem pro captu nostro paulò post explicabimus. Quod si Verbum consideretur ratione subsistentiæ tantùm, sic humanæ naturæ coniunctum facit compositionem cum ijs.

Explicatur subtilius & vberius vtrumque compositionis modus in Christo, & satisfit 3. difficultati in princ. propositę.

PRO CVIVS *rei intelligentia* considerandum est, personalitatem, seu subsistentiam rationem habere termini prędisè respectu naturæ substantialis, quę ea subsistit; ex termino autem & eo cuius est terminus, non resultat vnum tertium, vt supra diximus. Cùm itaque Verbi diuini personalitas singularem illam à Verbo assumptam sic terminet humanitatem, vt creatæ personalitatis vices suppleat excellenter; consequens fit, vt quemadmodum inter humanam Christi naturam, & eius propriam personalitatem, si eam habuisset, nulla esset compositio ex ijs, sed tantùm cum ijs; sic inter eandem naturam & Verbi personalitatem illam terminantem prædisè sumptam nulla sit compositio ex ijs, sed tantum cum ijs: quamuis inter ipsam Verbi personam ratione inclusæ diuinæ naturæ, & ipsam assumptam humanitatem sit etiam compositio ex ijs; sed hoc accidit personalitati Verbi; quatenus identificatur diuinæ naturæ, & est eius terminus naturalis; ex ipsa tamen diuina natura radicaliter eam habet infinitatem; ex qua vim habet alienam naturam siue naturas, etiam infinitas alias, si fieri aut esse possent, terminandi: Denique si Verbum consideretur, quatenus vtrumque simul includit, scilicet Deitatem & subsistentiam, vtriusque compositionis sub diuersa tamen ratione extremum est; nam ratione Deitatis ad compositionem pertinet ex ijs: est enim Christi persona ex diuina & humana natura verè composita: ratione verò personalitatis; quatenus apponitur humanæ naturæ, vt eius propriam suppleat personalitatem ad compositionem spectat cum ijs. Ex quibus duabus compositionibus prior est ordine naturæ, siue rationis compositio cum ijs; Nam assumptæ humanitatis vnio, quæ simplex & vna tantum est, in hoc mysterio fit proximè & immediatè cum diuini Verbi personalitate; ex qua vnione sic prædisè sumpta, prout scilicet est humanitatis cum personalitate, nullum resultat compositum, vt ante diximus; quidquid affirmet Suar. *in allegata sect. 4.* Sed quia Verbi persona & eius subsistentia eadem est realiter cum diuina natura, quæ formaliter etiam & intimè clauditur in ratione personæ: hinc consequenter & quasi secundariò ex diuina & humana natura sic in vna subsistentia copulatis resultat vnum compositum, scilicet Christus iam Deus & homo, qui tantùm erat Deus ab æterno. Et quamuis Christus vt est persona Verbi, non sit realiter à Deitate distinctus; quatenus tamen est persona non solùm ex Deitate sed etiam ex humanitate subsistens; ac proinde vtramque simul includens, distinctionem quandam habet à diuinitate realem non ratione sui, sed ratione humanitatis inclusæ; vt patet ex significatione huius nominis Christus, quod personam Verbi ex duplici natura, illi substantialiter vnita subsistentę significat. Et quia Christus non est aliquid vnum per accidens,

Suar. dicta reijcitur.

dens, sed per se; ideò simpliciter videtur asserendum Christi personam esse compositam compositione ex ijs, & ex ea resultare vnum tertium realiter aliquo modo ab vtroque extremo distinctum. Quamquam non omnino displiceat opinio seu modus dicendi Asturicensis; qui docet, compositionem hanc non in eo positam esse, quod ex duabus naturis vnum aliquod tertium formaliter constitutum resultet, quod sit veluti quoddam totum formaliter ambiens & complectens vtramque naturam, vt partes sui ipsius, sed in mutua & reciproca communicatione vtriusque naturæ in eodem supposito; quatenus scilicet vtraque natura per se concurrit ad constitutionem vnius humani suppositi, secundùm quod est tale suppositum; adeò vt tota compositio quæ in Christi persona reperitur, sit consideranda, quatenus est humana persona, prout scil. à Diuinitate habet, vt sit subsistens persona; ab humanitate verò vt sit humana: sic enim persona Christi, quatenus talis scilicet humana, intrinsecè claudit, non solùm diuinam subsistentiam sed etiam naturam diuinam. Et in hoc (ait Asturicensis) consistit tota compositio, quam Patres & Concilia tribuunt personæ Christi, & quam hoc nomen Christus importat, quo totale suppositum humanum significatur; ac proinde necesse est vt per modum naturæ denotet humanitatem; ex parte verò suppositi per se includat diuinum Verbum vt absolutè & simpliciter subsistens in natura diuina suam subsistentiam humanitati communicans. Et hoc videtur significare voluisse Caiet. dicens; hanc esse compositionem cum ijs, in quãtum persona Verbi coniungitur &c.

Vnde rectè dicitur, totale significatum huius nominis Christus esse Deum hominem seu Verbum hominem; quod etiam consonat primæ eius nominis impositioni; qua significat formaliter vnctum, diuino scilicet substãtiali oleo: significat enim Verbum diuinum prout communicat suam subsistentiam humanitati & eam in seipso personaliter sustentat: in quo sita est excellens & ineffabilis vnctio. Qui dicendi modus, quamuis huius admirabilis compositionis celsitudini congruere videatur; rationem tamen compositionis ex ijs supra notatam non videtur admittere: in ea .n. diximus, vnum aliquid tertium effici realiter ab vtroque componente distinctum; quod in hac admirabili compositione fieri negat Asturicensis, nisi fortè dicatur conditionem hanc ad imperfectionem vtriusque componentis pertinere: Componentia namque toti comparata, rationem partium, & materiæ videntur habere necessariò, & in ea sola compositione requiri, quam naturæ vires efficiunt; eam autem, de qua loquimur, totius naturæ facultatem excedere, & æquiuocè licèt propriè dictam esse compositionem, nec vi intellectus humani posse comprehendi; atque ideò ineffabilem nominari. Sed nihilominus fateri necesse est, Christi personam in duabus, & ex duabus naturis subsistentem esse quasi quoddam tertium realiter ab vtroque extremo distinctum modo superius explicato: quia scilicet neque est humanitas tantùm, neque sola diuinitas, cùm includat etiam humanitatem, à qua Verbum dicitur & est humana persona, sicut habet à diuinitate vt dicatur & sit persona diuina: Quod etiam affirmat Asturicensis *loco supra notato, scilicet q. 7. concluſ. 3.* Et ex his patet solutio quæstionis tertio loco propositæ.

quamur secundùm frequentiorem, & nobis notiorem deductæ & huius nominis significationem & vsum, Christi persona probata. non est propriè & simpliciter composita. Probatur hæc conclusio; quoniam ex quinque conditionibus, quas compositioni nobis naturaliter notæ diximus esse necessarias, duæ vltimæ repugnant personæ Verbi & eius naturæ diuinæ, quæ est suum esse; quia neque persona Verbi neque natura diuina potest esse potentia vel actus humanæ naturæ; neque esse personæ Christi, quod idem est realiter cum essentia diuina, causatur ab ipsa natura diuina vel à persona Christi; & multò minus ab humanitate, & iuxta sensum huius Conclusionis interpretanda sunt dicta D. Tho. supra notata *ex 3.* & in eodem sensu accipienda sunt quæ docent Scotus Rada, & alij huius sententiæ defensores.

SECVNDA CONCLVSIO: *Si sermo sit de compositione æquiuocè seu analogicè sumpta, sic persona Christi est verè propriè & absolutè composita.* Probatur Conclusio; quia compositio secundùm hanc significationem longè diuersæ rationis est à compositione naturaliter nobis nota, & nullam dicit imperfectionem ex parte diuinæ personæ vel naturæ, vt patet ex dictis, & iuxta sensum huius conclusionis interpretanda sunt multa dicta Conciliorum & sanctorum Patrum, & recentiorum Scholasticorum asserẽtium, personam Christi simpliciter esse compositam. Loca Patrum & Conciliorum afferunt hic expositores S. Thom. Med. Porrecta, Suar. Val. Vasq. Aluar. & Astur. *in alleg. q. 7.*

TERTIA CONCLVSIO: *Simpliciter & absque distinctione seu limitatione loquendo dici potest, Christi personam esse verè propriè, compositam.* Hãc conclusionem probant authores prædicti ex Concilijs, & Patribus simpliciter asserentibus, Christi personam esse compositam, quibus etiam addunt argumenta, quæ vide, si placet. Potest autem probari *primò*: quoniam ita loquuntur Concilia & Sancti; nam ita definitur in quinta Synodo generali, *can. 4. & 7.* & in sexta Synodo generali *actione 4. 11. & 13.* Et in Concilio Lateranensi sub Martino I. *can. 4. 7. & 8. & 17. & 18.* & in his duobus vltimis locis definitur sub anathemate, vt omnia quæ in quinque generalibus Concilijs fuerunt definita contra Nestorium & Eutichetem, in sensu verò & proprio intelligantur vsque ad vltimum apicem: at in 5. & 6. Synodis generalibus allegatis definitum fuerat, in persona Christi reperiri compositionem in hæc verba. *Si quis non confitetur vnionem secundum compositionem, &c.* ergo intelligenda est ea definitio de vera & propria compositione: ille enim terminus *secundùm compositionem* superadditus vnioni, cogit nos intelligere veram & propriam compositionem præter ipsam vnionem; aliàs inanis & vacua esset repetitio. Et in Concilio Lateranensi *can. 7.* post explicatam subsistentiam Verbi in duabus naturis & vnionem illarum, subduntur hæc verba *Ex quibus compositus est Christus*, &c. Quæ frustra subderentur, nisi præter vnionem duarum naturarum in Christo vera esset compositio: quo fit vt conclusio hæc intellecta in sensu secundæ Conclusionis sit dogma fidei. Eodem etiam modo loquuntur Sancti, ac præsertim Dionysius, *cap. 1. de diuinis nominibus, & cap. 3. de Eccles. Hierarch.* Augustinus *lib. 13. de Trin. cap. 17. & tract. 78. in Ioann.* Gregor. *hom. 38. in Euang.* Iustinus, Damascenus & alij, quos referunt expositores. *Secundò* probatur ratione; quia compositum est illud quod vnum cùm sit, constat ex diuersis rebus; at Christi persona est vna & constat

v. Synodus. vi. Synod. Conc. Later.

Conclusiones

PRIMA CONCLVSIO: *Si de compositione lo-*

stat ex diuersis naturis, diuina scilicet & humana; ergò. Maior est diffinitio compositi. Minor probatur: quia persona Christi non ita simplex est, sicut humanitas & diuinitas seorsum consideratæ, sed includit vtramque; ergò constat ex vtraque natura. *Tertiò probatur*; quia terminus vnionis hypostaticè productus non est aliquid simplex; ergò compositum, & non est compositum accidentale; ergo substantiale, & non natura; ergò persona composita: Omnia hæc sunt manifesta præter primum antecedens: quod probatur tripliciter. Primò, quia extrema simplicia huius vnionis præexistebant illi; sed quod præexistit vnioni non est terminus illius; ergò. Secùdò, quia contra rationem vnionis est terminari ad aliquid simplex, cùm semper vnio sit respectu distinctorum. Tertiò, quoniam in termino huius vnionis conueniunt diuina & humana natura; sed vbi est multitudo, non est simplicitas; ergò talis terminus non est simplex; tunc vltra: sed illa naturarum multitudo non concurrit ibi confusè, sed cum aliquo ordine; ergo constituit terminum vnionis verè compositum compositione personæ.

,, QVARTA CONCLVS. *In vsu loquendi communi optimum est iuxta Caietani consilium, cùm asserimus Christi personam esse compositam, addere limitationem tollentem imperfectionem à persona Christi, & eius natura diuina: dicendo Christi personam esse compositam compositione ineffabili, vel aliquid huiusmodi.* Huic conclusioni consentiunt Medina, Asturicensis, Aluarez & Suarez: & probatur ex dictis, quia nomen compositionis secundùm magis communem & vsu receptam significationem, duas supra notatas imperfectiones includit, quæ personæ Verbi & eius naturæ diuinæ repugnant.

,, QVINTA CONCLVSIO: *Christus verè & propriè est persona composita ex duabus naturis, diuina scilicet & humana, quæ compositio nuncupatur ex ijs.* hæc conclusio, quo ad priorem partem patet ex Concilijs & Patribus asserentibus Christum ex duabus & in duabus naturis subsistere & ex eis esse compositum, quorum dicta referunt hic recentiores & Asturicensis *loc. not.* Vbi etiam aduertit de hac sola compositione Patres & Concilia meminisse; quia per hanc duos Eutichetis & Nestorij contrarios errores simul condemnabant: quoad aliam verò partem patet ex dictis. Et probatur primò ex Concilijs & Patribus asserentibus personam Christi esse propriè compositam ex duabus naturis, aut etiam ex humanitate & persona Verbi. Secundò probatur; nam ille est terminus compositus ex ijs, qui resultat compositus ex extremis componentibus; sed talis est terminus compositionis personæ Christi; ergò. Maior est diffinitio compositionis ex ijs. Minor autem probatur; quia terminus huius compositionis non est persona Verbi vt diuina tantùm, sed vt subsistens in duabus naturis; & vt composita ex illis. Tertiò probatur; quia compositio ex ijs hanc sibi vendicat peculiarem conditionem, vt integrum compositum resultans sit distinctum ab extremis componẽtibus, & quoddam tertium respectu illorum; at in hac compositione integrum compositum est persona Christi, vt subsistens in duabus naturis, quæ vt sic distinguitur ab humanitate & diuinitate, & à persona Verbi præcisè sumpta; ergò.

,, SEXTA CONCLVSIO: *Persona Christi est verè ,, propriè, composita ex personalitate Verbi & humani-,, tate & hæc est compositio cum ijs.* Hæc conclusio, quo ad priorem partem probatur. Primò, quia personalitas Verbi & humanitas sunt duo realiter distincta, & per se adunata in vno supposito, sicut personalitas Petri & eius humanitas; ergò persona Christi in qua sic adunantur illa duo, est verè composita, non minus quàm persona Petri. Secundò probatur: Nam quando aliqua duo sunt formaliter & conuertibiliter idem, compositio non potest in re fieri ex vno, quin fiat ex altero; sed persona Verbi & eius personalitas sunt idem formaliter & conuertibiliter à parte rei, & distinguuntur solùm ex modo nostro concipiendi & significandi; ergò si compositio fit ex persona Verbi, non potest non fieri ex eius personalitate. Maior declaratur supponendo ex D. Th. *1. p. q. 41. a. 1. ad 2.* quod aliquando inter illa, quæ sunt idem omnino formaliter & conuertibiliter, solus modus diuersus significandi obstat, ne eundem actum, quem vni tribuimus, de altero prædicemus. Qua ratione licet Pater diuinus & paternitas sint idem secundùm se formaliter; actum tamen generandi, quem attribuimus Patri, non prædicamus de paternitate propter diuersum modum significandi, scilicet abstractè & concretè; quoniam actus notionalis sicut & cæteri actus sunt proprij suppositorum & non formarum; at compositio non repugnat personalitati Verbi significatæ in abstracto; quia componere est etiam actus formarum; ergò sicut tribuit personæ, potest tribui personalitati, non obstante diuerso modo significandi. Tertiò probatur: actio vnitiua qua Deus vniuit humanitatem Verbo, fuit secundùm suam speciem compositiua; ergò terminus immediatè resultans ex illa est compositus. Tunc vltra; sed terminus immediatè resultans ex ea est illud vnum, in quo humanitas & personalitas vniuntur; ergò est compositus ex humanitate & personalitate. Antecedens probatur: quoniam actio illa vniuit humanitatem Verbo; vnire autem vnum cum altero verè est componere; ergò fuit ex sua natura compositiua: prima verò consequentia patet; quoniam omnis actio specificatur à suo immediato termino; igitur actio compositiua postulat, vt eius terminus sit compositum aliquod, à quo specificetur: Minor autem subsumpta probatur; quia humanitas ex vi illius actionis prius secundùm rationem fuit vnita & tracta ad personalitatem, quàm ad naturam & personam Verbi; nam personę Verbi non fuit vnita ratione absoluti, sed tantùm ratione relatiui quod est personalitas. Tertiò probatur cõclusio: quod componit cum alijs est extremum, ex quo fit talis compositio, sed personalitas Verbi componit cum humanitate personam Christi; ergò est extremum talis compositionis. Maior est etiam ex; ideò namque materia est extremum compositionis naturæ; quia componit cũ forma. Minor verò probatur: quia personalitas Verbi terminat dependentiam humanitatis Christi, sicut terminaret personalitas creata; sed hæc terminaret componendo cum humanitate, sicut de facto terminat in alijs hominibus; ergò. Eandem partem probat Aluar. quatuor argumentis. Altera verò pars patet ex dictis.

SEPTIMA CONCLVSIO: *Christi persona est ,, verè & propriè composita ex Verbo & humanitate, siue ,, ex supposito diuino & natura humana; in qua compo-,, sitione duæ secundùm rationem distinctæ compositiones ,, includuntur, scilicet compositio ex ijs & compositio ,, cum ijs.* Hæc Conclusio quoad vtramque partem patet ex dictis. Et probatur quo ad primam partem: Primò ex quinta Synodo generali *collat. 8. Can. 3.* sic definiente: *Si quis non confitetur vnitionem Verbi ad carnem animatam anima ratio-*

tionali, & intellectuali secundùm compositionem, anathema sit, & infra. *Sancta Ecclesia vnitionem Verbi ad carnem secundùm compositionem confitetur*. Et confirmatur; nam Leo Papa *in epistola ad Iulium* ait, Christum constare ex tribus substantijs, scilicet Verbo, anima & carne: sed illa particula *ex* nota est compositionis; ergò. Secundò probatur: Forma accidentalis facit veram compositionem cum subiecto substātiali, à quo sustentatur, ea ratione; quia sustentatur ab illo & tribuit illi esse accidentale, sed etiam humanitas sustentatur à persona Verbi, & tribuit illi esse suppositum humanum; ergò facit compositionem cum persona Verbi. Tertiò probatur; quia illud est immediatum huius compositionis extremum ex parte Dei, cui vnitur humanitas immediatè; sed humanitas non vnitur immediatè Deitati abstractè, neque concretè sumptæ (non enim hic Deus immediatè fuit incarnatus) sed vnitur immediatè Verbo; Deitati autem vnitur mediatè & ratione Verbi, quatenus est forma substantialis ipsius Verbi; ergo Verbum est immediatum extremum huius compositionis; igitur hæc cōpositio fit ex humanitate & persona Verbi. Confirmatur: Nam propter quod vnumquodque tale & illud magis; sed diuinitas est extremum huius compositionis ratione personæ Verbi immediatè componentis; ergò multò magis persona Verbi compositionem hanc ingreditur, vt eius extremum. Vltimò probatur: quia compositio, in qua resultat persona composita postulat, vt vnum extremum sit persona: at in hac compositione resultat persona composita; ergò. Maior patet: quoniam ex extremis, quorum neutrum est persona, nequit resultare persona composita; ergò: Vnde ex materia & forma vt sic non resultat persona; sed natura composita; quoniam vtrúque extremum habet rationem naturæ & neutrum est persona; ergò.

VLTIMA CONCLVSIO: *Hæc propositio: Verbum seu filius Dei est persona composita, non est absolutè concedenda, sed cum addito videlicet; filius Dei, quatenus homo vel vt subsistit in humana natura, est persona composita.* Conclusionem hanc ex regulis Logicalibus de appellationibus probant Med. Asturic. & Aluar. quibus consentit etiam Suarez *sect. 4. in fin.* & potest breuiter probari; quia participium illud *composita*, applicat suum significatum formale instar adiectiui supra formale subiecti, quod est Verbum seu filius Dei, & reddit hunc sensum: Verbum seu filius Dei, vt subsistens in natura diuina est compositus: hic autem sensus est falsus; ergò. Et confirmatur; quia Conc. Calcedon. *act. 16. & c. firmiter de Sum. Trinit.* & Sancti affirmant quidem Christum esse personam compositam; non tamen concedunt, Verbum aut Filium Dei esse personam compositam.

Argum. & Solutiones.

CONTRA *primam* Concl. produci possent argumenta recentiorum, quibus probant personam Christi esse propriè simpliciter & verè compositam: Sed ex ipsa conclusionis limitatione facilè diluuntur: probant enim Christi personam propriè & simpliciter esse compositam compositione quadam altioris ordinis & æquiuocè dicta respectu compositionis nobis notæ ratione naturali, quàm vsu frequentiori significamus hoc nomine *compositio*, de qua significatione loquitur nostra prima conclusio.

CONTRA *secundam* Concl. produci possent argumenta Cai. & aliorum, quæ referunt & soluunt Med. Suar. Vasq. Val. Aluar. & Asturic. sed facilè ex ipsa limitatione Conclusionis & iactis supra fundamentis poterunt confutari. Contra eandem Conclusionem possent etiam produci argumenta Radæ *in 3. Controu. a. 3.* quæ parum aut nihil differunt à prædictis, & ex ipsa concl. limitatione diluuntur.

CONTRA *tertiam* concl. directè militant ea argumenta, quæ diximus produci posse contra secundam, quibus satisfaciunt recentiores prædicti; & facilius etiam per supra notata diluentur. Contra eandem cōclusionem produci potest *hoc argum.* Nulla possunt assignari huius compositionis extrema; ergò non est asserenda. Antecedens probatur; quoniam hæc extrema his tantùm modis possunt assignari; nimirum vt vel alterum extremum sit Verbi personalitas vt ratio subsistendi in natura diuina: alterum autem sit eadem personalitas, vt ratio subsistendi in humanitate, vel vt humanitas sit vnum extremum, alterum verò sit diuinitas vel persona Verbi vel eius personalitas; at nullo dictorum modorum rectè assignantur extrema in hac compositione; ergò. Minor pro prima parte probatur *primò*; quia duplex illa ratio subsistendi non est distincta realiter, sed sola relatione rationis, quā Verbi personalitas, prout est ratio humanitati subsistēdi, addit supra seipsam absolutè sumptam. *Secundò* quia Concilia & Sancti Patres hæc nunquam esse dixerunt huius compositionis extrema. Secundò probatur eadem Minor; quod attinet ad diuinitatem; quia nullum compositum est idem cum altero componentium, cùm addat aliquid præter illud; qua ratione dicimus totum esse maius sua parte; at Christus est idem cum diuinitate: nam sicut *Ioann. 14* dixit: *Ego sum via, veritas & vita*, ita dicere potuisset; Ego sum diuinitas; ergò. Et eodem argumento probatur Verbi personam aut personalitatem non posse esse extremum huius compositionis. Et præterea quia personalitas medium est in quo vniuntur diuersæ quæ sunt in Christo naturæ: medium autem in quo vniuntur partes componentes, distinguitur à componentibus. *Respond. Sol.* falsum esse antecedens; ad eius probationem concessa minore pro prima parte, negatur quoad alias. *Ad primam* probationem dico compositum dupliciter sumi posse: vno modo formaliter in ratione compositi & ita concessa maiori negatur Minor: quia Christus vt compositus ex diuinitate & humanitate, non est diuinitas; alio modo materialiter; & in hoc sensu falsa est maior: quoniam album quod componitur ex corpore & albedine, materialiter est corpus; & similiter Christus licet formaliter sumptus sit compositus ex humanitate & diuinitate, & ex persona Verbi; materialiter tamen consideratus est ipsa diuinitas & persona Verbi. *Ad secundam* prob. dico, personalitatem etiamsi sit medium, in quo vniuntur diuinitas & humanitas, posse tamen esse extremum, ex quo persona Christi componitur; sicut etiam potentia medium est quo operatio substantiæ inest, & simul est extremum ex quo componitur operans vt sic; & quantitas est medium quo albedo vnitur corpori, & simul est extremum ex quo componitur album.

Obiect. contra 3. conc.

CONTRA *quartam* Conclus. produci possent ea argumenta, quibus probari solet tertia Conclusio; quibus triplici responsione satisfiet. *Primò* dicendo Patres & Concilia vnam esse in Christo personam contra Nestorium, & duas in eodem esse naturas contra Eutichetem decernere voluisse, & hæc duo significasse dicendo, vnam Christi personam esse compositam ex duabus

bus naturis. *Secundò* dilui poterunt eadem argumenta dicendo, particulam illam *ineffabilis*, non esse conditionem diminuentem, sed determinantem modum compositionis nobis occultum, & longè altioris ordinis ab alijs modis compositionis nobis naturaliter notis. *Tertiò* poterunt confutari dicendo, Conclusionem nostram esse veram de frequentiori & notiori significatione huius nominis *compositio*; Patres autem & Concilia, & alia argumenta probare de rigore Metaphysico dici posse simpliciter, Christi personam esse compositam.

CONTRA *quintam Concl.* produci possent ea argumenta, quæ militant contra tertiam conclusionem: quibus etiam confutandis ea deseruient, quæ supra notauimus de composito ex vnione naturarum in vna Verbi persona resultante.

CONTRA *sextam* Concl. sunt argumenta Asturicensis, quæ refert & soluit Aluarez *in allegat. disp.12*

CONTRA *septimam* concluſ. procedunt multa ex ijs argumentis, quæ militant contra tertiam concluſ. quibus satisfaciunt recentiores prædi-
obiect cont. 7t conc. cti.

CONTRA *vltimam* concl. est argumen. Nam per communicationem idiomatum ea quæ dicuntur de Christo, dicuntur de filio Dei, sed de Christo conceditur quod est persona composi-
sol. ta; ergò idipsum concedi potest de filio Dei. *Respon.* cum Caiet. & D. Th. regulam esse generalem in attributis Christi seruandam, vt si sint communia naturæ & personæ, & oppositum conueniat personæ, non prædicentur absolutè de persona, sicut incipere esse & esse creaturam non dicitur absolutè de Christo, & multò minus de Verbo vel de Filio; esse autem compositum repugnat personæ diuinæ secundùm se sumptæ; quia est omnino simplex, & ideò non debet absolutè prædicari de Verbo aut de Filio Dei, sed cum addito puta inquantum homo, &c.

DISPVTANT hic recentiores, *an sit admittenda vt vera & propria hæc propositio; Christus est diuinitas, & humanitas siue Christus est duæ naturæ.* Vide, si lubet ea, quæ pro eius resolutione scribunt Med. *in solutione secundi argumenti*, Valentia *puncto 4.* & Vasquez *disp.17. cap.5.* Mea sententia est eam propositionem non esse concedendam, nisi cum aliquo addito ad euitandum errorem: videtur enim falsa sic absolutè prolata; quia Christus non solùm includit diuinitatem & humanitatem, sed etiam subsistentiam seu personalitatem, quæ in dicta propositione, *Christus est humanitas & diuinitas*, videtur excludi propter sensum formalem, quem faciunt illa prædicata absolutè significata. Et quamuis sexta Synodus generalis Constantinopolitana *act.6.* concedat, personam Christi nihil aliud esse quàm ipsas naturas: ex antecedentibus tamen & consequentibus constat, ibi sermonem esse de naturis simul sumptis cum ipsa personalitate: sic enim vera est illa propositio, sumendo scilicet diuinitatem & humanitatem non absolutè seu præcisè & in abstracto, sed simul cum personalitate & in concreto, ita vt in illa propositione Christus in subiecto positus accipiatur quatenus est compositus ex diuinitate & humanitate; ex parte verò prædicati diuinitas & humanitas complexiuè sumantur & cum inclusione personalitatis. Concilium autem Constantiense eandem propositionem damnauit vt hæreticam, sumēdo Christum ex parte subiecti purè materialiter pro persona Verbi vt sic; aut sumendo diuinitatem & humanitatem ex parte prædicati diuisiuè, & cum exclusione personalitatis; in quo sensu asserebat illam Ioannes Hus. Sententia verò docens partes simul sumptas posse prædicari de composito cum hac tantùm limitatione potest admitti, videlicet nisi fiat sensus adeò formalis, vt ex vi illius excludatur aliquid non excludendum à tali composito, vt contingit in propositione iam dicta.

ARTICVLVS V.

Vtrum sit facta aliqua vnio animæ, & corporis in Christo.

AD *quintum sic proceditur. Videtur, quòd in Christo non fuerit vnio animæ, & corporis. Ex vnione n. animæ, & corporis in nobis causatur persona, vel hypostasis hominis. Si ergo anima & corpus fuerunt in Christo vnita, sequitur, quòd fuerit ex vnione eorum aliqua hypostasis constituta. Non autem hypostasis Verbi Dei, quæ est æterna. Ergo in Christo erit aliqua persona, vel hypostasis præter hypostasim Verbi: quod est contra prædicta.* *Inf.q.16. a.1. c. & 3.d. 6. q.3. ar.1. & 4.contr. 37. & 41. & opus. 3.c. 21. Ar.2. & 3. cap.*

Præterea, Ex vnione animæ, & corporis constituitur natura humanæ speciei. Damascenus autem dicit in 3.lib. quòd in Domino Iesu Christo non est communem speciem accipere. Ergo in eo non est facta anima, & corporis vnio. *cap.3.*

Præterea anima non coniungitur corpori, nisi vt viuificet ipsum. Sed corpus Christi poterat viuificari ab ipso Verbo Dei, quod est fons, & principium vitæ. Ergo in Christo non fuit vnio animæ, & corporis.

Sed contra est, quòd corpus non dicitur animatum, nisi ex vnione animæ. Sed corpus Christi dicitur animatum: secundùm illud, quod Ecclesia cantat, Animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est. Ergo in Christo fuit vnio animæ, & corporis.

Respondeo dicendum, quòd Christus dicitur homo vniuocè cum alijs hominibus, vtpotè eiusdem speciei existens: secundùm illud Apostoli Phil.2. In similitudinem hominum factus. Pertinet aūt ad rationem speciei humanæ, quòd anima corpori vniatur: non enim forma constituit speciem, nisi per hoc, quòd fit actus materia. Et hoc est, ad quod generatio terminatur, per quam natura speciem intendit. Vnde necesse est dicere, quòd in Christo fuerit anima corpori vnita, & contrarium est hæreticum: vtpotè derogans veritati humanitatis Christi.

Ad primum ergo dicendum, quòd ex hac ratione moti videntur illi, qui negauerunt vnionem animæ, & corporis in Christo: ne per hoc scilicet cogerentur personam nouam, vel hypostasim in Christo inducere: quia videbant, quòd in puris hominibus ex vnione animæ ad corpus constituitur persona. Sed hoc ideò in puris hominibus accidit: quia anima, & corpus sic eis coniunguntur, vt per se existant: Sed in Christo vniuntur ad inuicem, vt adiuncta alteri principaliori, quod subsistit in natura ex eis composita: & propter hoc ex vnione animæ, & corporis in Christo non constituitur noua hypostasis, seu persona, sed aduenit ipsum coniunctum personæ, seu hypostasi præexistenti. Nec propter hoc sequitur, quòd sit minoris efficaciæ vnio animæ, & corporis in Christo, quàm in nobis: quia ipsa coniunctio ad nobilius non admit virtutem, aut dignitatem, sed auget: sicut anima sensitiua in animalibus constituit speciem: quia consideratur, vt vltima forma, non autem in hominibus; quamuis in nobis sit virtuo-

tuosior, & nobilior: & hoc propter adiunctionem vitæ superioris, & nobilioris perfectionis, scilicet animæ rationalis, vt etiam supra dictum est.

Vt patet apud Arist. 8. metha.

Ad secundum dicendum, quòd verbum Damasc. potest intelligi dupliciter. Vno modo, vt referatur ad humanam naturam: quæ quidem non habet rationem communis speciei, secundum quod est in vno solo individuo: sed secundum, quòd est abstracta ab omni individuo, prout in nuda contemplatione consideratur: vel secundum, quòd est in omnibus individuis. Filius autem Dei non assumpsit humanam naturam, prout est in sola consideratione intellectus: quia sic non assumpsisset ipsam rem humanæ naturæ: nisi fortè diceretur, quòd humana natura est quædam idæa separata, sicut Platonici posuerunt hominem sine materia: sed tunc filius Dei non assumpsisset carnem: contra illud, quod dicitur Luc. vlt. Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Similiter etiam non potest dici, quòd filius Dei assumpserit humanam naturam, prout est in omnibus individuis eiusdem speciei: quia sic omnes homines assumpsisset. Relinquitur

lib. 3. c. 11. *ergo, vt Damascenus postea dicit in eodem libro, quòd assumpserit naturam humanam in atomo, id est, in individuo: non quidem in alio individuo, quod sit suppositum, vel hypostasis illius naturæ, quam in persona filij Dei. Alio modo potest intelligi dictum Damasceni, vt non referatur ad naturam humanam, quasi ex vnione animæ, & corporis non resultet vna communis natura, quæ est humana: sed est referendum ad vnionem duarum naturarum, diuinæ scilicet & humanæ, ex quibus non componitur aliquid tertium, quod sit quædam natura communis: quia sic illud esset natum prædicari de pluribus: & hoc ibi intendit. Vnde subdit; Neq; enim generatus est, neque vnquam generabitur alius Christus ex Deitate, & humanitate, in Deitate, & humanitate Deus perfectus, idem & homo perfectus*

Ad tertium dicendum, quòd duplex est principium vitæ corporalis. Vnum quidem effectiuum: & hoc modo Verbum Dei est principium omnis vitæ. Alio modo est aliquid principium vitæ formaliter: cùm enim viuere viuentibus sit esse (vt dicit Philosophus 2. de anima) *sicut vnumquodque formaliter est per formam suam: ita corpus viuit per animam, & hoc modo non ponitur corpus viuere per Verbum, quod non potest esse corporis forma.*

Ratio quæsiti & ordinis.

RATIO quæsiti est ea, quam primum continet argumentum, in cuius solutione S. D. ait, quosdam hac ratione conuictos negasse vnionem animæ & corporis in Christo; quorum opinionem in fine corporis hæreticam esse pronunciat: ratio igitur hæc cum hæresi consecuta præsenti quæsito præbuit occasionem. De ordine verò præter ea, quæ supra notauimus *in introductione quæstionis*, vide etiam difficultatem quam hic proponit & soluit Suarez *in suo Commentar.* cui consonat Vasquez *in sua breui not. ad hunc art.*

Forma Textus.

VNICA conclusione cum vno ex eius probatione deducto corollario respondetur quæsito.

» CONCLVSIO est: *Necesse est dicere, quòd in* » *Christo fuerit anima corpori vnita.* Probatur: Pertinet ad rationem speciei humanæ, quod anima corpori vniatur: at Christus dicitur homo vniuocè cum alijs hominibus, tanquam eiusdem speciei existens; ergò necesse est dicere, &c. Maior probatur; quia forma non constituit speciem, nisi per hoc quòd sit actus materiæ; ergò.

A Probatur assumptum; quia generatio, per quam natura speciem intendit, ad hoc terminatur vt sc. forma sit actus materiæ. Minor verò probatur authoritate Apostol. ad *Philip. 2.* dicentis: *In similitudinem hominum factus.*

COROLLARIVM est: *contrarium dictæ conclusionis est hæreticum.* Probatur; quia derogat veritati humanitatis Christi.

Expositio Textus.

HVIVS articuli Commentarius breuiter est ex interpretum scriptis indicandus: *Notandum est igitur primò.* Conclusionem S. D. esse firmam fidei veritatem, vt ex sacris Concilijs, Pontificum decretis, Sanctorum dictis & diuinarum Scripturarum oraculis probant Medina & Porrecta super hoc articulo. Eandem pluribus argumentis probat S. D. *in 4. cont. gent. c. 37.* Ex quibus euidenter sequitur opinionem Platonis asserentis, animam rationalem vniri corpori, non vt formam informantem, sed vt motorem esse contra fidei veritatem.

Secundò patet, sententiam conclusioni D. Thomæ oppositam esse manifestam hæresim, non primò ab Alexandro tertio definitam, vt ait Sotus *in 3. dist. 6. q. 3.* sed ab antiquissimis Concilijs condemnatam, scilicet ab Ephesino primo *can. 13.* à Calcedonensi *act. 5.* & à sexta Synodo Generali, *act. 11.* & in Concilio Constant. *act. 11.* Et in epist. Sophronij. Quod etiam ratione probatur: quia Conclusio præsentis articuli est veritas reuelata eisdem testimonijs, quibus diuina Scriptura docet Christum esse verum hominem, actus humanos exercuisse, fuisse mortuum & resurrexisse: in his enim huius articuli conclusio clauditur manifestè; igitur hæc conclusio non solùm ex Pontificum, & conciliorum definitione, sed etiam ex diuinæ Scripturæ reuelatione firmam semper habuit fidei certitudinem; ac proinde non rectè Magister *in 3. dist. 6.* *Contr. Mag.* oppositam sententiam refert inter opiniones probabiles, cùm fuerit semper hæresis manifesta.

Tertiò Lege si placet tria argumenta, quæ contra concl. affert & soluit Aluar.

Quartò Videnda est explicatio Caiet. circa probationem maioris.

Quintò Circa minorem asserentem Christum dici hominem vniuocè cum alijs hominibus legenda est dubitatio Med. cum eius solutione.

Sextò Circa dictum Apostoli assumptum ad prob. minoris notanda est explicatio Caiet.

Septimò Videnda sunt quæ circa responsiones argumentorum scribunt Cai. & Medina, quæ ad huius litteræ intelligentiam sunt maximè necessaria; specialiter autem pro intelligentia responsionis ad tertium legenda est tertia dubitatio Medinæ quærentis, vtrum diuinitas in Christo potuerit esse loco animæ, intellectus & mentis; vbi respondens ad quintum suum argumentum ait: Si Deus separaret ab anima Christi intellectum & voluntatem creatam; tunc animam produceturam esse intellectionem sine intellectu; quod dictum optimis argumentis impugnat Aluarez.

ARTICVLVS VI.

Vtrum natura humana fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter.

AD sextum sic proceditur. *Videtur, quòd humana natura fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter.* *1. qu. 17. a. 1. c. & 3. dist.*

Dicit

6. qu 3. a 2. & 3. con. c. 37 41 & 49 Et vnio a. 1 c & 13. Et opusc. 2. c. 215. Et Phil 2 col. 5

Dicit enim Apost. Philip. 2. de filio Dei, quòd habitu inuentus est, vt homo. Sed habitus accidentaliter aduenit ei, cuius est: siue accipiatur habitus, prout est vnum de decem prædicamentis, siue prout est species qualitatis. Ergo humana natura accidentaliter vnita est filio Dei.

Præterea, Omne quod aduenit alicui post esse completum, aduenit ei accidentaliter: hoc enim dicimus accidens, quod potest, & adesse, & abesse alicui præter subiecti corruptionem. Sed natura humana natura aduenit ex tempore filio Dei, habenti esse perfectum ab æterno. Ergo aduenit accidentaliter.

Præterea, Quicquid non pertinet ad naturam, seu essentiam alicuius rei, est accidens eius: quia omne quod est, aut est substantia, aut accidens. Sed humana natura non pertinet ad essentiam, vel naturam diuinam filij Dei: quia non est facta vnio in natura, vt supra dictum est. Ergo oportet, quòd natura humana accidentaliter filio Dei aduenerit. Art. 1.

Præterea, Instrumentum accidentaliter aduenit. Sed humana natura in Christo fuit diuinitatis instrumentum. Dicit enim Damascen. in 3. libro, quòd caro Christi instrumentum diuinitatis existit. Ergo videtur, quòd humana natura fuerit filio Dei vnita accidentaliter. Cap 15.

Sed contra est, quòd illud, quòd accidentaliter prædicatur, non prædicat quid, sed quantum, vel quale, vel aliquo alio modo se habens. Si ergo humana natura accidentaliter adueniret, cùm dicitur, Christus est homo, non prædicaretur quid: sed quale, aut quantum, aut aliquo alio modo se habens. Quod est contra decretalem Alexand. Papæ dicentis, Cùm Christus sit perfectus Deus, & perfectus homo, qua temeritate audent quidam dicere, quòd Christus, secundùm quòd est homo, non est quid.

Respondeo dicendum, quòd ad huius quæstionis euidentiam sciendum est, quòd circa mysterium vnionis duarum naturarum in Christo, duplex hæresis insurrexit. Vna quidem confundentium naturas: sicut Eutichetis & Dioscori, qui posuerunt, quod ex duabus naturis est constituta vna natura, ita quòd confitentur Christum esse ex duabus naturis, quasi ante vnionem distinctis: non autem in duabus naturis, quasi post vnionem naturarum distinctione cessante.

Alia verò fuit hæresis Nestorij & Theodori Mopsueteni, separantium personas: posuerunt enim aliam esse personam filij Dei, & filij hominis. Quas dicebant sibi inuicem esse vnitas. Primò quidem secundùm inhabitationem: in quantum scilicet verbum Dei habitauit in illo homine sicut in templo. Secundò per vnitatem affectus, in quantum scilicet voluntas illius hominis est semper conformis voluntati Verbi Dei. Tertiò secundùm operationem: prout scilicet dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum. Quartò secundùm dignitatem honoris, prout omnis honor, qui exhibetur filio Dei, coexhibetur filio hominis propter coniunctionem ad filium Dei. Quintò secundùm æquiuocationem, id est communicationem nominum: prout scilicet dicimus illum hominem esse Deum, & filium Dei. Manifestum est autem istos omnes modos accidentalem vnionem importare. Quidam autem posteriores magistri, putantes se has hæreses declinare, in eas per ignorantiam inciderunt. Quidam enim eorum vnam concesserunt Christi personam, sed posuerunt duas hypostases, siue duo suppositа, dicentes hominem quendam compositum ex corpore, & anima à principio suæ conceptionis esse assumptum à Dei Verbo. Et hæc est prima opinio, quam Magister ponit in 6. distinct. tertij libri sententiarum. Alij verò volentes seruare vnitatem personæ, posuerunt Christi animam non esse corpori vnitam: sed hæc duo separata ab inuicem, esse vnita Verbo accidentaliter: vt sic non cresceret numerus personarum. Et hæc est tertia opinio, quam Magister ibidem ponit. Vtraque autem harum opinionum incidit in hæresim Nestorij. Prima quidem: quia idem est ponere duas hypostases, vel duo suppositа in Christo, quod ponere duas personas, vt supra dictum est. Et si fiat vis in nomine personæ, considerandum est, quòd etiam Nestorius vtebatur vnitate personæ propter vnitatem dignitatis & honoris. Vnde etiam sexta Synodus diffinit anathema eum, qui dicit vnam personam secundùm dignitatem, & honorem, & adorationem, sicut Theodorus, Nestorius insanientes conscripserunt. Alia verò opinio incidit in errorem Nestorij, quantum ad hoc, quod posuit vnionem accidentalem: non enim differt dicere, quòd Verbum Dei vnitum est homini Christo secundùm inhabitationem, sicut in templo suo (sicut dicebat Nestorius) & dicere, quòd vnitum fuit Verbum Dei homini secundùm indutionem, sicut vestimento: sicut dicit tertia opinio; quæ etiam Pelius dicit aliquid, quàm Nestorius, scilicet quòd anima & corpus non sunt vnita. Fides autem Catholica medium inter prædictas positiones tenens, non dicit vnionem factam Dei, & hominis secundùm essentiam, vel naturam, neque etiam secundùm accidens: sed medio modo secundùm subsistentiam, seu hypostasim.

D. 706. Art 3. huius quæst. Habetur in Syn. 2. Constant. c. 4.

Vnde in sexta Synodo dicitur, Cùm multis modis vnitas intelligatur, qui iniquitatem Apollinarij, & Eutichetis sequuntur, interemptionem eorum, qui conuenerunt tollentes, id est, interimentes vtranq; naturam, vnionem secundùm confusionem dicunt: Theodori autem & Nestorij sequaces, diuisione gaudentes, affectualem vnitatem introducunt: sancta verò Dei Ecclesia, vtriusque perfidiæ impietatem reijciens, vnionem Verbi Dei ad carnem secundùm compositionem confitetur: quod est secundùm subsistentiam. Sic ergo patet, quòd secunda trium opinionum, quas Magister ponit, quæ asserit vnam hypostasim Dei, & hominis, non est dicenda opinio, sed sententia Catholicæ fidei: similiter etiam prima opinio quæ ponit duas hypostases, & tertia, quæ ponit vnionem accidentalem, non sunt dicendæ opiniones, sed hæreses in Conciliis ab Ecclesia damnatæ.

Habetur in conc. 2. Constant. c. 4. Libr. 3. sent. dist. 6. D. 250.

Ad primum ergò dicendum, quòd sicut Damasc. dicit in 3. libr. non necesse est omnifariam, & indefectiuè assimilari exempla: quod enim est in omnibus simile, idem vtique erit, & non exemplum, & maximè in diuinis: impossibile enim est simile exemplum inuenire in omnibus & in Theologia, id est in Deitate personarum, & in dispensatione, id est in mysterio Incarnationis. Humana ergo natura in Christo assimilatur habitui, id est vestimento, non quidem quantum ad accidentalem vnionem: sed quantum ad hoc, quòd Verbum videtur per humanam naturam, sicut homo per vestimentum. Et etiam quantum ad hoc, quòd vestimentum mutatur: quia scilicet formatur secundùm figuram eius, qui indutus ipsum, qui à sua forma non mutatur propter vestimentum. Et similiter humana natura assumpta à Verbo Dei est meliorata, ipsum autem Verbum Dei non est mutatum: vt Augustinus exponit in libro 83. quæst. Cap. 26.

Ad secundum dicendum, quòd illud, quod aduenit post esse completum, accidentaliter aduenit, nisi trahatur in communionem illius esse completi: sicut in resurrectione corpus aduenit animæ præexistenti: non tamen accidentaliter, quia ad idem esse assumetur, vt scilicet corpus habeat esse vitale per animam. Non est autem sic de albedine: quia aliud est esse albi, & aliud est esse hominis, cui aduenit albedo. Verbum autem Dei ab æterno esse completum habuit secundùm hypostasim, siue personam: ex tempore autem aduenit ei natura humana non quasi sumpta ad vnum esse, prout est natura, sicut corpus assumitur ad esse animæ, sed ad vnum esse, prout est hypostasis vel persona: Et 9. 73. to. 4.

ideò humana natura non vnitur accidentaliter filio Dei.

Ad tertiũ dicendum, quòd accidens diuiditur contra substantiam. Substantia autem (vt patet 5. Metaph.) dupliciter dicitur. Vno modo pro essentia, siue natura: alio modo pro supposito, siue hypostasi. Vnde sufficit ad hoc, quòd non sit vnio accidentalis, quòd sit facta vnio secundum hypostasim, licèt non sit facta vnio secundum naturam.

Ad quartum dicendum, quòd non omne, quod assumitur, vt instrumentum, pertinet ad hypostasim assumentis, sicut patet de securi, & gladio, nihil tamen prohibet illud, quod assumitur ad vnitatem hypostasis, se habere, vt instrumentum: sicut corpus hominis, vel membra eius. Nestorius ergo posuit, quòd natura humana est assumpta à Verbo solùm per modum instrumenti, non autem ad vnitatem hypostasis. Et ideò non concedebat, quòd homo ille verè esset filius Dei, sed instrumentum eius. Vnde Cyrillus dicit in epistola ad Monachos AEgypti: Hunc Emmanuelem, id est Christum, non tanquam instrumenti officio assumptum dicit Scriptura, sed tanquam Deum verè humanatum, id est hominem factum. Damascenus autem posuit naturam humanam in Christo esse, sicut instrumentum ad vnitatem hypostasis pertinens.

Sensus & ordo quæsiti.

SENSVM quęsiti & ordinem huius articuli ad præcedentem explicat optimè Caiet. & post eum Med. Suar. & Val.

Forma Textus.

REfert primo S. D. errores circa præsentem materiam. Secundò respondet quæsito vnica conclusione. Tertiò ex eius probatione deducit vnum corollarium.

Errores in textu relati secundùm veritatem sunt duo tantum; secundùm apparentiam autem sunt quatuor. Primus fuit Eutichetis & Dioscori confundentium naturas. Secundus fuit Nestorij & Theodori Monsuesteni separantium personas, ad quem reducuntur duo alij Magistrorum errores ab eo sola verborum apparentia seu modo loquendi differentes. Primus est asserentium vnam in Christo personam, sed ponentium in eo duas hypostases siue suppolita. Secundus est negantium Christi animam esse corpori vnitam, & dicentium hæc duo separata ab inuicem esse vnita Verbo accidentaliter, vt sic non crescret numerus personarum. Quos omnes errores & posteriorum reductionem ad Nestorij errorem; declarat perspicuè S. D. in textu.

CONCLVSIO est: *Fides Catholica medium inter* „ *prædictas positiones tenens non dicit, vnionem Dei &* „ *hominis factam fuisse secundum essentiam vel natu-* „ *ram, neque etiam secundum accidens, sed medio mo-* „ *do secundum subsistentiam seu hypostasim.* Probatur primò *in argumento sed contra*: Si humana natura accidentaliter aduenireturcum diciturChristus est homo, non prædicaretur quid sed quantum vel quale vel aliquo alio modo se habens: sed hoc est falsum & erroneum; ergo. Probatur assumpti consequentia; quia illud quod accidentaliter prædicatur non prædicat quid, sed quantum vel quale vel aliquo alio modo se habens: ergò si humana natura &c. falsitas autem & error consequentis probatur; quoniam hoc est contra decretalem Alexandri tertij Papæ dicentis: *Cùm Christus sit perfectus Deus & perfectus homo, quatemeritate audent quidam dicere, quòd Christus secundum quod homo non est quid?* Secundò Probatur conclusio authoritate sanctæ Synodi dicentis: *Cùm multis modis vnitas intelligatur*, &c. vt in textu.

COROLLARIVM est: *Secunda trium opinionum, quas Magister ponit in tertio sent. dist. 6. quæ asserit vnam hypostasim Dei & hominis non est dicenda opinio, sed sententia Catholicæ fidei: prima verò opinio quæ ponit duas hypostases, & tertia quæ ponit vnionem accidentalem, non sunt dicendæ opiniones, sed hæreses in Conciliis ab Ecclesia damnatæ.*

Expositio Textus.

HAEREses in textu relatas latè refert & confutat S.D. *in 4. contra gent. à cap. 38. vsque ad 39.* Et post eum Bellarminus *tom. 1. libr. 3. de Christo à cap. 2. vsque ad 8.* Suarez *disp. 7. sect. 2. & 3.* & Valentia *super hac quæst. puncto 1. & 2.* Porrecta latè refert Concilia, & longo discursu probat verba, quæ S.D. allegat ex sexta Synodo, verè ex quinta, non autem ex sexta vt facilè credi posset, fuisse desumpta. Et sensum etiam conclusionis explicat eruditè.

DE VERITATE conclusionis disputãt Med. *in suo Comm.* Suar. *disp. 8. sect. 1.* Vasq. *disp. 17.* & Aluar. *super hoc a.*

Circa primam probat. concluſ. *in argumen. sed contra* ex decretali Alexandri tertij, quia recentiores in eius intelligentia sine causa vacillant & verba profundunt: Sciendum est definitionem Alexandri Tertij in illa Decretali, *cùm Christus* fuisse desumptam ex Epistola dicti Pontificis ad Episcopum Remensem, quæ refertur in Concilio Later. sub eodem Pontifice celebrato, *p. 49. c. 20.* in qua epistola narrat quosdam Doctores Paris. & Remens. asseruisse Christum secundùm quòd homo, non esse aliquid, & mandat Episcopo Rem. vt conuocatis Doctoribus Parisiensibus & Remensibus & aliarum ciuitatum interdicat sub anathemate ne quis audeat dicere Christum secundùm quod est homo non esse aliquid; cuius rationem affert in Decretali dicens: *Quia sicut Christus est verus Deus, ita verus homo ex anima rationali & humana carne subsistens:* Hunc autem esse illum errorem, quem refert tertio loco Magister *in tertio sent. dist. 6.* docet Franciscus Penna ex glossa Ioannis Andreæ *in secunda parte Directorij, pag. 180.* Vbi refert expositionem dicti Authoris *super cap. cùm Christus, de hæreticis* dicentis, quosdam asseruisse Christum assumpsisse humanam formam vt habitum, & contineri potius sub prædicamento habere quàm substantiæ; *sed malè* (inquit) *dicebant: quod hic reprobatur: nec obstat illa authoritas Apost. ad Philip. 2. In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo; quia & humana essentia, & forma habet habitum hominis; quare habitus non negat essentiam, nisi poneretur negatiua: vt si diceretur habitu solùm, vel tantùm, quòd negatiuam sapit.* Hæc ibi. Ex quibus *patet primò* Suarezium & Vasquezium immeritò prædicto Pennæ tribuisse, quòd dixerit definitionem dictæ Decretalis *cùm Christus* esse solùm contra Manichæos, qui negando veram in Christo humanitatem, consequenter dicebant, Christum vt hominem non esse aliquid, sed potius nihil: quia secundùm eos non fuit verus homo, sed apparẽs tantùm in phantasia. *Secundò patet*, Vasq. contra sensum illius Decretalis asserere eam in prima parte loqui aduersus errorem Manichæorum, tunc denuò resurgentem; secunda verò parte vbi definit, Christum esse verum hominem sicut est verus Deus, damnare errorem dicentium, Verbum induisse humanitatem veluti vestem, & eam in vnitatem hypostasis non assumpsisse: Nam cùm ex tenore dictæ epistolæ cla-

Suarezij & Vasquezij dictum reiicitur.

Cont. Vasq.

læ clarè constet, eam scriptam fuisse aduersus quosdam Doctores Parisienses & Remenses, nec sit verisimile tales Doctores in tam crassam hæresim Manichæorum incidisse, magis credendum est, eos tertiam apud Magistrum opinionem hic à D. Thoma relatam habuisse, & eam ab Alexandro III. in ea Decretali damnari. Vnde & S. D. illius decretalis sensum magis quàm verba respiciens, loco illius vocis *aliquid* posuit *quid*, insinuans ea voce significari aliud quid, sumendo quid propriè & strictè, prout distinguitur contra quantum, quale, ad aliquid & alia prædicamenta. Si autem Verbum induisset humanitatem solum ad modum habitus, non assumendo eam ad vnitatem personalem, non esset aliquid in quantum homo; quia non esset quid, sed esset habituatus vt ita loquar. Quòd autem adducit Vasq ex Vgone de S. Victore, confirmat id quod diximus de mente D. Th. nimirum decretalem illam damnare tertiam opinionem ex Magistro in textu relatam. Hunc enim errorem affirmat Hugo per eam Decretalem condemnari; quod etiam affirmant Scotus & Caiet. Rationes autem quibus nititur Vasquez valdè friuolæ sunt, & earum solutio patet ex dictis, & facilè possent etiam in ipsum retorqueri; quia verus homo, de quo loquitur illa decretalis, non solùm distinguitur à phantastico & apparenti, sed etiam ab eo qui naturam habet humanam secundùm se totam, vel tantùm secundùm partes accidentaliter vnitam.

Dispvtat Suar. *in suo Commen.* de vi rationis, quam sibi format ex littera, & eius efficacitatem defendit.

Vasq. *in allegata disputat. cap. 3.* productis multis SS. Patrum dictis, probat vnionem duarum naturarum in vna Verbi persona rectè vocari naturalem & essentialem siue secundùm essentiam. His adde Concilium Alexandr. *in epistolâ ad Nestorium, quæ est 10. apud Cyrillum, Anathematismo tertio*, & Synodum quintam Constantinopolitanam, & Concilium Ephesinum, in quo damnatur, qui non confitetur duas naturas coniunctas in Christo eo conuentu, qui per vnitatem factus est naturalis, & sextam Synodum generalem, *act. 11 in epist. Sophronij approbatâ ab eodem Concilio*. Sed quoniam eiusmodi voces & modi loquendi hæresim Eutichianam sonare satis apertè videntur, eorum sensum explicat cum Suar. *disput. 8. sect. 1. in fin.* & Asturicen. *q. 7. pag. 864.* dicens vnionem hanc à Patribus quandoque dici naturalem; quia duæ naturæ verè & secundùm rem in vna Christi persona sunt vnitæ: quam explicationem ascribit Cyrillo & Io. Maxentio, quo etiam sensu affirmat eandem vnionem dictam fuisse à quibusdam Patribus essentialem teste Damasceno *lib. 3. de Fide cap. 3.* & Niceta *libr. 3. Thesauri Orthodoxæ fidei, cap. 3. & 38.* quia scilicet duæ naturæ non sola opinione vel apparentia, sed verè & secundùm rem vnitæ fuerunt; & ipsa vnio non phantastica & imaginaria, sed vera & realis extitit, vt benè explicat Suarez *loco notato*. Qui tamen loquendi modus, vt scitè Asturicensis aduertit, cum veneratione potius quàm imitatione est suscipiendus. Sed obseruandum est Concilia & Patres prædicto modo loquentes aliquid addere, quo declarant vnionem hanc dici naturalem, prout distinguitur ab vnione ficta & secundùm solam apparentiam aut secundùm affectum &c. Vnde Cyrillus *loco notato* ait, coniunctionem illam non fieri secundùm authoritatem vel dignitatem aut affectum, sed potius secundùm naturalem vnionem, id est, veram & realem, vt explicat ibi Cyrillus. Cùm autem physicum idem sit quod naturale, colligat hinc obiter lector motionem illam, quæ se tenet ex parte potentiæ, & in ipsa recipitur, & quæ est motio per modum causæ verè & propriè agentis, qua nimirum Deus verè & efficaciter facit, vt voluntas cooperetur & consentiat, in hoc sensu dici physicam siue naturalem id est veram & realem, prout ab ea motione distinguitur quæ se tenet solum ex parte obiecti, & est per modum suadentis, consiliantis & allicientis; & dicitur motio moralis vt alibi notauimus. *Nota.*

Deniq; Caiet. explicat optimè Corollarium.

Responsiones ad argum. declarat hic optimè Caiet. & post eum Medina & Suarez: Videetiam apud Caietan. *in opusculis, tom. 3. tract. 1.* Orationem secundam coram Alexandro sexto de vnione Verbi cum natura humana, vbi latè discurrit circa materiam responsionis ad secundum argumentum D. Thomæ, præsertim verò circa exempla, quibus explicari solet vnio Verbi hypostatica cum humana natura. Quæ omnia & quædam alia, vt deficientia reijcit Bellar. *tom. 1. lib. 3. de Incarnatione, cap. 8.* specialiter autem exemplum de anima & corpore, quod approbant hic S. D. Caiet. & alij expositores, quo vtitur Iustinus *in lib. de recta fidei confessione*. Athan. *in Symbolo*, & Augustin. *in epist. 3. ad Volusianum*: deficit enim (inquit) hoc exemplum. Primò: quia anima & corpus sunt naturæ imperfectæ. Secundò: quia faciunt vnam naturam. Tertiò: quia neutrum trahit alterum ad suam subsistentiam, sed vtrunque pendet à tertia subsistentia, quæ est totius compositi; in hoc autem mysterio Verbum in se perfectè subsistens trahit ad se humanam naturam. *Sed respond.* cum D. Thom. *hic ad primum* ex Damasceno non esse necesse vt omnifariam & indefectiuè assimilentur exempla: nam quod est in omnibus simile idem vtique erit & non exemplum, & maximè in diuinis, &c. quamuis autem exemplum de anima & corpore in duobus primis verè deficiat: in tertio tamen valdè simile: Certum est enim animam intellectiuam vtpote immortalem & à materiâ minimè dependentem suam propriam habere subsistentiam, quàm corpori ac proinde etiam toti composito communicat: non enim duæ, sed vna tantum est in homine subsistentia, quæ primò conuenit animæ vt quo in actu, & vt quod non in actu sed medio modo inter potentiam & actum: Secundò verò conuenit composito, vt quòd in actu & completè: Anima verò à corpore separata conuenit illi eadem subsistentia, vt quod in actu, sed incompletè, quàm in resurrectione corpori & toti composito communicabit; cui tamen alio modo conueniet scilicet completè: trahetur itaque corpus tunc ad propriam animæ subsistentiam; quamuis illa composito completè congruat: Exemplum autem ad hoc solùm proponitur, vt intelligamus humanitatem assumi ad esse personale siue ad subsistentiam; licèt differant verbum & anima; quòd Verbum completè subsistit ab æterno; anima verò à corpore separata semipersona est & incompletè subsistit. *Obi. Bellar.* *Sol.*

Circa eandem respons. ad secundum aduerte, quod esse dicitur analogicè de esse quod est essentia, & de esse quod est subsistere siue subsistentia, & de esse quod est existere siue existentia: esse primo modo dicitur esse prout est naturæ; esse verò secundo modo dicitur esse prout est hypostasis vel personæ; esse verò tertio modo est

do est esse naturæ vt quo siue vt principij formalis, personæ verò vt quod per ipsum existit; rursus ex eo quod aliquid trahitur ad esse primo modo sumptum; sequitur etiam, vt trahatur ad esse secundo & tertio modo sumptum: quoniam in substantijs ea quorum vna est essentia, vna etiam est hypostasis, vt patet in materia & forma; & consequenter etiam vna est existentia: tum quia hæc est effectus essentiæ; tum etiam quia vni supposito vna tantum conuenit existentia substantialis. Potest tamen aliquid assumi siue trahi ad esse secundo modo, id est ad esse prout est hypostasis absque hoc quod trahatur ad esse primo modo, id est prout est naturæ, vt patet in mysterio Incarnationis; ad esse verò tertio modo sumptum, id est ad esse existentiæ nihil trahi potest secundùm D. Tho. & eius discipulos, nisi prius trahatur ad esse secundo modo sumptum, scilicet prout est hypostasis siue prout idem est quod subsistere aut subsistētia, vt suo loco probabitur. Cùm igitur ait S. D. naturam humanam ex tempore aduenire Verbo, non quasi assumptam ad vnum esse prout est naturæ, loquitur de esse quod est essentia; cùm autem subdit: sed ad vnum esse prout est hypostasis vel personæ, loquitur de esse secundo modo id est de subsistentia, & consequenter etiam de existentia: quod etiam non obscurè colligitur ex verbis præmissis: dixerat enim corpus in resurrectione esse assumendum ad idem esse: vt scilicet habeat esse vitale per animam, non autem sic esse de albedine; quia aliud est esse albi & aliud esse hominis, cui aduenit albedo. Et ex his patet, quantùm valeant quæ circa responsionem ad secundum scribit Suar. contra quosdam discipulos D. Th.

Circa eandem respons. aduerte propositionem illam: *Illud quod aduenit alicui post esse completum, accidentaliter aduenit, nisi trahatur in communionem illius esse completi*; intelligendam esse de eo, quod trahitur ad esse alterius, tribuendo ei aliquid esse substantiale: Nam si Deus vniret sibi personaliter accidentia, illa traherentur ad esse Dei, & tamen vnirentur accidentaliter; quia ex eorum vnione non resultaret compositum substantiale, nec Deo tribuerent aliquod esse substantiale.

Articvlvs VII.

Vtrum vnio naturæ diuinæ, & humanæ sit aliquid creatum.

Inf art. 8 t. 3. d 2 q. 3 a. 2. q 3 2. & d. 5 q. 1 a. 1 q 1. & d. 7 q 2 a. 2. c. & 4. cont. 39. & 41.

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quòd vnio naturæ diuinæ, & humanæ, non sit aliquid creatum. Nil enim creatum in Deo potest esse: quia quicquid est in Deo, Deus est. Sed vnio est in Deo: quia ipse Deus est humanæ naturæ vnitus. Ergo videtur, quòd vnio non sit aliquid creatum.

Præterea, Finis est potissimum in vnoquoque. Sed finis vnionis est diuina hypostasis, siue persona, ad quā terminata est vnio. Ergo videtur, quòd huiusmodi vnio maximè debeat iudicari secundùm conditionem diuinæ hypostasis, quæ non est aliquid creatum.

Præterea, Propter quod vnumquodque, & illud magis, vt dicit Philos. Sed homo dicitur esse creator propter vnionem. Ergò multò magis ipsa vnio non est aliquid creatum, sed creator.

3 q 13 a. 7.

Sed contra, Omne quod incipit esse ex tempore, est creatum. Sed vnio illa ab æterno non fuit, sed incipit esse ex tempore. Ergo vnio est aliquid creatum.

D. 1089.

Respondeo dicendum, quòd vnio, de qua loquimur, A est relatio quædam, quæ consideratur inter diuinam naturam, & humanam, secundùm quod conueniunt in vna persona filij Dei. Sicut autem in prima parte dictum est, omnis relatio, quæ consideratur inter Deum, & creaturam, realiter quidem est in creatura (per cuius mutationem talis relatio innascitur) non autem est realiter in Deo, sed secundùm rationem tantùm: quia non innascitur secundùm mutationem Dei. Sic D. 1190. *ergò dicendum est, quòd hæc vnio, de qua loquimur, non est in Deo realiter, sed secundùm rationem tantùm: in humana autem natura, quæ creatura quædam est, realiter est: & ideò oportet dicere, quòd sit quiddam creatum.*

B *Ad primum ergo dicendum, quòd hæc vnio non est in Deo realiter, sed secundùm rationem tantùm, dicitur enim Deus vnitus creaturæ, ex hoc, quòd creatura est vnita Deo absque eius mutatione.*

Ad secundum dicendum, quòd ratio relationis, sicut & motus dependet ex fine, vel termino, sed esse eius dependet à subiecto. Et quia vnio talis non habet esse reale, nisi in natura creata (vt dictum est) consequens est, quòd habeat esse creatum.

Ad tertium dicendum, quòd homo dicitur, & est Deus propter vnionem, in quantùm terminatur ad hypostasim diuinam. Non tamen sequitur, quòd ipsa vnio sit creator, vel Deus: quia quòd aliquid dicatur C *creatum, hoc magis respicit esse ipsius, quàm rationem.*

Sensus quæsiti.

Titvlvs articuli declaratur in textu; vbi multas eius significationes afferunt expositores: Quærit autem hic S. D. de vnione, prout est relatio. Primò quia nomen hoc *vnio* secundùm communiorem vsum significat formaliter relationem. Secundò, quia de vnione, prout significat substantialem coniunctionem, iam disputauerat *in 3. prac.*

Forma Textus.

D Conclvsio est: *Vnio de qua loquimur est aliquid creatum.* Probatur: omnis relatio quæ consideratur inter Deum & creaturam, est aliquid creatum; at vnio de qua loquimur est relatio, quæ consideratur inter Deum & creaturam, realiter quidem est in creatura, non autem est realiter in Deo; ergo est quid creatum. Consequentia patet; assumptum autem probatur, quia talis relatio nascitur in creatura per eius mutationem; in Deo verò non oritur secundùm eius mutationem; ergò. Minor verò principalis argumenti probatur; quia vnio de qua loquimur est relatio quędam, quæ consideratur inter diuinam naturam & humanam, secundùm quòd conuenit in vna persona filij Dei.

Expositio Textus.

E Qvid sit vnio quæ idem est, quòd gratia vnionis, declarat Caiet. *inf. q. 7. a. vlt. circa resp. ad 3.*

Controuersias, quas partim in *artic. præcedente*, partim *in hoc*, & partim *in art. seq.* tractant expositores, ad articulum sequentem remittimus: vbi commodius poterunt expediri. Hæ verò sunt quinque. Prima; *an actio vniendi naturam humanam supposito diuino, aliquem habeat terminum substantialem, & quid sit hic terminus?* Secunda: *an per actionem vniendi fiat aliquid in humanitate?* Tertia: *an terminus vnionis seu Incarnationis vel assumptionis sit aliquid creatum?* Quarta: *quid sit fundamentum vnionis quæ est relatio?* Quarum solutioni necessaria omninò est doctrina sequentis articu-

li. V-

li. Vltima est *quis sit assumptionis terminus à quo?*

Responsiones ad argumenta declarant optimè Caietan. Med. & Suar. ad quos lectorem remittimus.

Quid sit Incarnatio, quam S. D. in responsione ad tertium distinguit ab vnione & assumptione, declarat Suar. *disp. 8.*

ARTICVLVS VIII.

Vtrum vnio Verbi Incarnati sit idem quod assumptio.

3. d 9 5. a. 1. q 3.

AD octauum sic proceditur. *Videtur quòd idem sit vnio, quod assumptio. Relationes enim sicut, & motus specificantur secundum terminum. Sed idem est terminus assumptionis, & vnionis, scilicet diuina hypostasis. Ergo videtur, quòd non differant vnio, & assumptio.* B

Præterea, In mysterio Incarnationis idem videtur esse vniens, & assumens, vnitum, & assumptum. Sed vnio, & assumptio videntur sequi actionem, & passionem vnientis, & vniti, vel assumentis, & assumpti. Ergo videtur idem esse vnio quod assumptio.

Cap 11. *Præterea, Damasc. dicit in 3. lib. Aliud est vnio, aliud incarnatio: nam vnio solam demonstrat copulationem: ad quem autem facta est non adhuc: humanatio autem, & Incarnatio determinant, ad quem sit facta copulatio. Sed similiter assumptio non determinat, ad quem facta sit copulatio. Ergo videtur vnio idem esse, quod assumptio.* C

Sed contra est, quòd diuina natura dicitur vnita, non autem assumpta.

Art. præc. *Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, vnio importat relationem quandam diuinæ naturæ, & humanæ secundum quòd conueniunt in vna persona. Omnis autem relatio, quæ incipit esse ex tempore, ex aliqua mutatione causatur. Mutatio autem consistit in actione, & passione.*

Sic ergo dicendum est, quòd prima, & principalis differentia inter assumptionem, & vnionem est, quòd vnio importat ipsam relationem: assumptio autem actionem, secundum quam dicitur aliquis assumens: vel passionem, secundum quam dicitur aliquid assumptum. D

Ex hac autem differentia accipitur secundò alia differentia: nam assumptio dicitur sicut in fieri, vnio autem sicut in facto esse: & ideò vniens dicitur esse vnitum, assumens autem non dicitur esse assumptum. Natura enim humana significatur, vt in termino assumptionis ad hypostasim diuinam, per hoc quòd dicitur homo. Vnde verè dicimus, quòd filius Dei, qui est vniens sibi humanam naturam, est homo. Sed humana natura in se considerata, id est in abstracto, significatur vt assumpta: non autem dicimus, quòd filius Dei sit humana natura.

Ex eadem etiam sequitur tertia differentia, quòd relatio præcipuè aequiparantiæ non magis se habet ad vnum extremum, quàm ad aliud, actio autem, & passio diuersimodè se habet ad agens, & patiens, & ad diuersos terminos. Et ideò assumptio determinat à quo, & ad quem: dicitur enim assumptio quasi ab alio ad se sumptio. Vnio autem nihil horum determinat: vnde indifferenter dicitur, quòd humana natura est vnita diuinæ, & è conuerso. Non autem dicitur diuina natura assumpta ab humana, sed è conuerso: quia humana natura adiuncta est ad personalitatem diuinam, vt scilicet persona diuina in humana natura subsistat. E

Ad primum ergo dicendum, quòd vnio, & assumptio non eodem modo se habent ad terminum, sed diuersimodè: sicut dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd vniens & assumens non omninò sunt idem: nam omnis persona assumens est vniens, non autem è conuerso. Nam persona Patris vniuit naturam humanam Filio, non autem sibi: & ideò dicitur vniens, non assumens, quasi ad se sumens. Persona autem Filij, quæ sibi humanam naturam vniuit, est vniens, & assumens. Et similiter non est idem vnitum assumptum: nam diuina natura dicitur vnita, & non assumpta.

Ad tertium dicendum, quòd assumptio determinat, cui facta est copulatio ex parte assumentis, in quantum assumptio dicitur quasi ad se sumptio: sed incarnatio, & humanatio ex parte assumpti, quod est caro, vel natura humana. Et ideò assumptio differt ratione, & ab vnione, & ab incarnatione, seu humanatione.

Sensus quæsiti.

SCOPVM præsentis quæsiti declarat accuratè Suar. *in Comm.* terminos autem eius explicat Caiet. quorum etiam significatio fiet ex dicendis apertior.

Forma Textus.

CONCLVSIO est: *Vnio differt ab assumptione tripliciter.* Probatur afferendo & explicando primam differentiam; & ex ea duas alias artificiosè deducendo. Differt igitur vnio ab assumptione, *primò*; quia vnio importat relationem quandam diuinæ naturæ, & humanæ, secundùm quod conueniunt in vna persona; assumptio autem importat actionem, secundùm quam aliquis dicitur assumens; vel passionem secundùm quam dicitur aliquid assumptum. Prima pars patet ex articulo præcedente; Secunda verò probatur; quia omnis relatio, quæ incipit esse ex tempore, ex aliqua mutatione causatur, quæ mutatio consistit in actione & passione; ergo prima differentia inter vnionem & assumptionem est quod vnio importat ipsam relationem; assumptio autem, &c. Consequentia relinquitur vt euidens, & meritò; quia, cùm duo sint in hoc mysterio, scilicet relatio vnionis, & eius causa, scilicet actio personæ assumentis, & passio naturæ assumptæ & vnio significet relationem vnionis; consequens est, vt assumptio significet actionem, qua persona dicitur assumens, vel passionem qua natura humana dicitur assumpta. *Secunda differentia* ex prima sequens est, quòd assumptio dicitur sicut in fieri; vnio autem sicut in facto esse: Probatur à posteriori; quia vniens dicitur esse vnitum; assumens autem non dicitur esse assumptum, id est, vnitum prædicatur de viente, dicendo hoc est illud: assumptum autem non ita prædicatur de assumente; ergo. Probatur antecedens simul & consequentia; quoniam ideò dicimus, quòd Filius Dei, qui est vniens sibi humanam naturam, est homo; quia per hoc quod dicitur homo significatur humana natura vt in termino assumptionis; ac proinde in facto esse; non autem dicimus, quòd filius Dei sit humana natura, quia natura humana in se considerata, id est in abstracto significatur vt assumpta, id est, vt quæ assumitur; ac per hoc, vt in fieri. Vel sic probari potest idem antecedēs & consequentia: Differunt in mysterio Incarnationis homo, & humana natura; quod homo significat naturam humanam, vt in termino assumptionis; ac proinde in facto esse; natura verò humana significat naturam humanam, vt quæ assumitur, ac per hoc vt in fieri; dicimus autem, quod vniens, scilicet Filius Dei, est homo;

non verò dicimus, quòd idem assumens, sit natura humana : ergò . *Tertia differentia* sequens ex prima est ; quòd assumptio determinat terminum à quo , & ad quem ; vnio autem nihil horum determinat: Probatur primò, quod sequatur ex prima; quia relatio ; præcipuè æquiparãtiæ, non magis se habet ad vnum extremum, quàm ad aliud ; actio autem & passio diuersimodè se habẽt ad agens & patiens, & ad diuersos terminos. Secundo manifestatur eadem differentia ex nominis ethimologia; quia assumptio dicitur, quasi ab alio ad se sumptio. Tertiò manifestatur à signo ; quia indifferenter dicitur quòd humana natura est vnita diuinæ, & è conuerso; non autem dicitur diuina natura assumpta ab humana, sed è conuerso ; quia humana natura adiuncta est ad personalitatem diuinam , vt scilicet persona diuina in humana natura subsistat.

Expositio Textus.

TEXTVM huius articuli declarabunt quatuor dubitationes , & tres controuersiæ cum Caietano , & alijs expositoribus examinandæ.

1. Dubitat. De prima differentia vnionis & assũptionis.

PRIMA *differentia* inter vnionem & assumptionem (ait S.D.) est, quòd vnio importat relationem , assumptio autem actionem vel passionem , secundùm quam dicitur aliquid assumptum : *circa quam dubium* excitat Caietanus; quia non solùm assumptio , sed etiam vnio significat actionem ; quod etiam innuit S. D. in textu dicens: vniens dicitur esse vnitum, & filius est vniens sibi naturam humanam, *& in responsione ad secundum :* persona (inquit) patris vniuit naturam humanam filio . Deinde vnire naturam humanam filio commune est Patri & Filio & Spiritui sancto; ergò est agere. Postremò vniens est agens ; igitur vnire est agere . *Cui dubitationi breuiter,* ac dilucidè secundùm mentem Caiet. respondendo , *præmitto primò* , dictionem hanc, *vnio*, dupliciter sumi posse: vno modo, prout nomen est, quod declinatur, hæc vnio, vnionis; alio modo, vt est Verbum, quod declinatur, vnio, vnis, vniui , vnitum , & ita significat actionem vniendi in actu exercito , & rursus vt nomen dupliciter sumi potest: vno modo, prout significat præcisè relationem , quæ est inter extrema vnita ; alio modo prout significat actionem vniendi, quam etiam importat hoc nomen vnitio. *Secundò præmitto* in mysterio Incarnationis (quantum attinet ad propositum) duo tantùm inueniri : alterum est actio & passio , secundùm quam mutatio fit ab assumente in assumpta natura: alterum est relatio vnionis consequens dictam mutationẽ. *Tertiò præmitto* comparationem & distinctionem duorum , quorum vnum includit alterum, & addit, attendendam esse penes id, quod vnum addit super alterum ; ex quo addito suam habet propriam rationem formalem & differentiam, per quam ab eo distinguitur.

Sol.

Quibus præmissis ; *dico primò* actionem illam & mutationem in humana natura , quam nomen assumptionis importat , eandem etiam per vocem illam , *vnio* , quatenus verbum est , & prout nomen est , secundò modo sumptum significari; quamuis diuerso modo : Nam assumptio actionem & passionem formaliter explicat , quæ in Incarnatione reperitur : assumptio enim actiuè sumpta actio est , quæ metaphysicè sumpta idem est , quod substantia Dei : physicè verò accepta mutatio est, prout à Deo mouente est : at passiuè sumpta mutatio est humanæ naturæ ad Verbi personalitatem eleuatæ . Vnio verò tam vt verbum , quàm vt nomen, est idem significans quod vnitio , actionem illam eandem significat quasi materialiter; relationem autem formaliter; quia significat actionem vt terminatur ad relationem: vnire enim est vnionem facere : & vnio, prout idem est, quod vnitio, est actio vnionis factiua; his itaque vocibus duo significantur: alterum quasi materialiter; scilicet actio, quæ nomine assumptionis formaliter significatur , & alterum formaliter, scilicet relatio inter vnita, quã nullo modo significat assumptio . *Secundò dico,* differẽtiam inter assumptionem hic assignari penes vtriusq; vocis formale significatũ ; quod esse diuersum perspicuè patet ex dictis : & per hoc soluuntur obiecta . Et ex his patet Suarezium in secunda solutione difficultatem non soluere, sed effugere, & extra chorum saltare, cùm à prima ad tertiam transeat differentiam ; atque ideò proposita à Caietano non diluat argumenta.

Diuisã esse formaliter significationẽ vnionis, & assumptionis.

2. Dubitat. De secunda differentia inter vnionem, & assumptionẽ.

SECVNDA *differentia* inter assumptionem & vnionem , est , quod assumptio dicitur vt in fieri , vnio autem vt in facto esse ; *circa quam dubitando sic arguit* Caietanus : Hæc differentia non potest intelligi , quo ad rem significatam, neque quoad modum significandi; ergò. Probatur assumptum *quo ad primam* partem ; quia natura humana de qua verificatur , quòd est vnita, non prædicatur de quocumque vniente : Probatur hoc assumptum : quia nec Deus nec Filius est natura humana; ergò. *Quoad secundam* verò partem probatur ; quia tam vnire quam assumere significat per modum Verbi; omne autem Verbum significat per modum fluxus & fieri. *Cuius difficultatis* solutio pendet ex so-

Sol.

lutione præcedentis : diximus autem positam esse in eo differentiam inter assumptionem & vnionem: quod assumptio significat actionem formaliter : vnio verò relationem : actionis verò propria ratio consistit in fieri : nam physicè sumpta (prout hic de ea loquimur) mutatio est, vt effluens ab agente eadem realiter cum passione, quæ mutatio est vt in passo recepta : relationis autem esse non est, nisi completo actionis termino ; ex quo vt causa & fundamento resultat relatio, quasi secundarius & vltimus terminus : igitur assumptio ex sua ratione formali est vt in fieri & vt in via ; vnio verò ex propria sua ratione formali est vt in facto esse & vt in termino ; quamuis vnire , & vniri ex suo quasi materiali significato , quo actionem importat vnionis effectiuam, rationem habeat fieri & viæ tendentis ad terminum ; Sed hoc non obstat ; quia comparantur hic assumptio & vnio, quoad eorum formalia , & propria significata . Et quia primus & præcipuus terminus actionis , quæ nomine assumptionis , & verbo vnire significatur , est esse substantiale in compositione consistens: quod exprimitur dicendo, Deus vel filius Dei est homo ; ita vt homo naturam importet humanam, vt iam vnitam hypostasi diuinæ, ac proinde vt in termino actionis assumptiuæ & vnitiuæ ; ideò ad probandum vnionem , vt relatio est , dici & esse , vt in termino : affertur pro signo, quod eius fundamentum, qui terminus est principalis actionis assumptiuæ , prædicatur de assumente , si dictum fundamentum formaliter, vt terminus significetur: Ex hoc enim sequitur euidenter, relationem ad dictum terminum principalem consequentem, tanquam terminum secũdarium dici in facto esse. Cùm enim dico, Filius Dei est homo , quamuis prædicatum illud

ho-

homo dicat primò terminum substantialem: secundariò tamen dat intelligere relationem inter suppositum filij Dei & humanam naturam, prout dicta relatio est in facto esse. Cum enim dico: Filius Dei est homo, sensus est, filius Dei habet substantialem & consequenter etiam relatiuam vnionem cum humana natura: adeò, vt prior vnio significetur expresè, posterior autem vt ex priori consequens insinuetur; & ita vnitum secundum vtramque vnionem de vniente prædicetur. Quod non obscurè colligitur ex D. Th. *in 4. præced. ad 3.* addita expositione Cai. ait enim ibi S. D. *Quod homo dicitur creator, & est Deus propter vnionem, inquantum terminatur ad hypostasim diuinam.* Eadem autem ratione dici potest, quod Deus est homo propter vnionem, inquantum terminatur ad hypostasim diuinam, scilicet terminantem relationem realem vnionis ad ipsam: terminat autem, quatenus est vna personaliter cum humana natura, vt ibidem explicat Cai. Igitur vnitum, quatenus vtraque vnione vnitum est, (quod significatur hoc nomine, homo, vt est prædicatum tum in dicta propositione) de vniente prædicatur; assumptum autè de assumente non dicitur; quoniam assumptum oportet, vt assumptioni præexistat ordine naturæ; nulla verò persona diuina, aut natura est id, quod præexistit assumptioni: hoc enim est natura abstractè significata, quę nec de persona, nec de natura diuina prædicatur.

Ad argum. igitur in forma respond. falsum esse antecedens, quo ad priorem partem: ad cuius probationem negatur assumptum: ad cuius probationem negatur consequentia; quia nomine naturæ humanæ non significatur natura, vt in termino assumptionis, & vt in facto esse, quam tamen ita, scilicet vt in facto esse, & vt in termino assumptionis, significat hoc nomen, *homo*; & ideò rectè dicitur filius Dei est homo; nō autem dici potest filius Dei est natura humana. Vbi aduerte cum Cai. dictum illud, *vniens est vnitum* intelligendum esse non vniuersaliter sed permissiuè; quia scilicet permittitur aliquot vniens esse vnitum; si tamen significetur vnitum, vt in facto esse & vt in termino. Et ex his patet Suar. non planè assecutum fuisse doctrinam D. Tho. neque expositionem subtilissimam Caiet.

Suarezij ex positio reij citur.

Tertia Dubitatio circa vltimā differentiam.

MOVET *Cai. dubitationem circa dictum* D. Th. in probatione *tertiæ differentiæ* inter assumptionem & vnionem: ait enim S. D. vnionem esse relationem æquiparantiæ; quod videtur falsum, primò quia relatio vnionis habet esse reale tantum in humana natura; in Verbo verò relatio rationis est. Secundò quia S. D. *in 3. dist. 5. q. 1. a. 1. ad 2.* ait; vnione in rebus quidē creatis esse relationē æquiparātiæ sed nō in creatore & creatura; quia non eodem modo se habent in vnione, sicut etiam (inquit) similitudo ordinatur in Deo ad creaturam secundùm æquiparantiam; quamuis in alijs sit relatio æquiparantiæ. *Cui dubitationi* satisfacit optimè Cai. Cuius doctrinam sequitur Suar. *in Com.* & copiosè ac eruditè declarat.

Vol.

Quarta dubitatio.

QVARTAM *dubitationem* mouet Cai. circa respons. ad 3. vbi S. D. ait, assumptionem differre ratione ab vnione, & ab incarnatione seu humanatione. Quærit ergò Cai. num ratione sola differāt assūptio & vnio? *Et resp.* probat differre realiter. Quam doctrinam sequitur Suar. qui totam etiam explicat responsionem D. Thom.

Vol.

PRIMA CONTROVERSIA.

An assumptio sit actio tantùm vnitiua humanitatis ad Verbum, vel sit etiam animæ creatiua, & humanitatis productiua?

Sententiæ Doctorum.

QVIDAM ex recentioribus affirmant assumptionem, siuè Incarnationem esse quandam actionem altioris ordinis identificantem sibi creationem animę Christi, & productionem humanitatis: adeò vt quemadmodum (inquiunt) forma superioris ordinis vnitè præhabet ea, quę in inferioribus sunt dispersa: sic assumptio, cum sit vna numero actio, simul sit animæ creatiua & humanæ naturæ productiua, & eiusdē ad Verbi personalitatem vnitiua; ita tamē vt ipsa quatenus vnitiua supponat se ipsam prout est humanitatis generatiua & animæ creatiua; sicut anima nostra vt rationalis supponit se ipsam sensitiuam & vegetatiuam; & intellectio vt cognitio supponit seipsam, vt dictio est. Sed Cai. *hic & infrà q. 6. a. 1.* & antè eum Capr. *in 3. dist. 6. q. ad 5. cōtra 1. concl.* Alensis *in sua tertia parte summæ, q. 8. membro 2.* Scotus *in 3. dist. 1. q. 1.* Gabriel, & Ocham *ibidem*, & Dur. *dist. 5. q. 2.* docent, assumptionem humanitatis eius productionem, & animæ creationem esse actiones, non solum ratione sed etiam re ipsa distinctas. Quam sententiam sequitur & explicat Aluar. *infra q. 6. a. 1. disp. 30. post 2. Concl.* & eam tuentur alij recentiores Thomistæ. Quidam Iunior Thomista vir doctissimus affirmat creationem animę Christi ad solam eius essentiam terminari; quoniam (inquit) impeditur & manet incompleta & accipit complementum ab alia actione simultanea, scilicet ab assumptione, qua trahitur ad esse personæ Verbi.

Resolutio.

AD HVIVS Contr. definitionem *notand. est primò*, prædictas actiones dupliciter sumi posse: vno modo *methaphysicè* quatenus scilicet sunt Dei perfectiones, prout est agens in actu secundo: quo modo, cum sint idem, quod ipsa Dei substantia quæ vna est, nulla potest esse dubitatio, num sint plures vel vna tantùm actio secundùm rem: constat enim Deum in rebus omnia operari vna simplicissima actione, quæ eius substantia est: Alio modo possunt sumi *physicè*, prout scilicet aliquid ponunt in re producta, vt explicauimus *in 1. p. q. 25. a. 1. & q. 45. a. 3.* sic autem sunt veluti passiones se tenētes ex parte terminorum.

Secundò obseruand. est, in hac difficultate aliā maioris ponderis implicari, videlicet an humanitas prius fuerit producta seu genita, quàm assumpta; & similiter vtrum anima prius creata fuerit, quàm assumpta: Nam si creatio ab assumptione distinguitur, cum sit vera actio, propriū etiam habet terminum ea productum priorem assumptione, & eius termino: propriùs verò & formalis terminus creationis est esse creatū; igitur anima & eadem ratione etiam humanitas prius habuit esse & subsistere creatum, quam fuerit ad Verbi personalitatem assumpta. Consequens autem hoc absurdum est tam simpliciter quàm in doctrina D. Th. ergò.

Tertiò notand. est, actiones specie & ratione formali distingui ex proprijs eorum terminis, ad quos per se primo ordinantur, vt ait S. D. *in 1. p. q. 77. a. 3. & 1. dist. 17. q. 1. a. 4. & in 2. dist. 7. q. 2. a. 1. & alibi sæpè*: formalis igitur & specifica

distinctio, si qua reperitur inter animæ Christi creationem, humanitatis generationem & eius assumptionem, ex earum obiectis seu terminis est accipienda: terminus autem creationis animę est anima ipsa, vt habens esse de nouo in rerum natura: generatio verò humanitatis ad ipsam humanitatem, vt existentem in his carnibus & ossibus terminatur: assumptionis autem illius terminus formalis est persona Verbi, quatenus humanitati suam communicat subsistentiam; totalis verò terminus est esse substantiale in compositione consistens, scilicet Deum esse hominem, siuè Christus vt persona composita: constat autem hos terminos, non solùm formaliter, sed etiam realiter esse distinctos; igitur actiones etiá ad eos ordinatæ formaliter & specificè distinguuntur. Quod his etiam argumentis probatur. Primo; quia creatio est actio Dei vt agentis naturalis, generatio etiam humanitatis ex parte Virginis matris est naturalis: illa quidē ex nullo subiecto; hæc autem ex materia præsuppositā: assumptio verò seu incarnatio formaliter est actio supernaturalis; igitur formaliter & specificè distinguuntur. Secundò, quoniam aliàs creatio animę & generatio humanitatis nostræ essent actiones specie distinctę à creatione animę Christi & productione humanitatis ipsius: consequēs est erroneū; ergò. Consequentia probatur: quia creatio animæ & productio humanitatis nostræ specie distinguuntur ab assumptione seu Incarnatione; ergò etiam distinguuntur specie à creatione animæ Christi & productione humanitatis illius. Probatur illatio; quia secundùm oppositam sententiam, quam impugnamus, hæ duæ actiones sunt idem formaliter cum assumptione: falsitas autem consequentis, quo ad creationem patet ex D. Th. *infra q. 6. a. 3.* Vbi docet, animam Christi fuisse creatam creatione eiusdem rationis cum creatione animarum nostrarum; Quo ad productionem autem humanitatis patet; quia tàm in nobis quàm in Christo resultat per generationem terminus formalis eiusdem rationis, s. humanitas vt producta; ergò.

Ostenditur assumptionē ab animæ creatione & humanitatis productione, non solùm formaliter sed etiāreāliter esse distinctam.

Quartò sciendum est actiones omnes transeuntes physicè sumptas idem esse realiter cum suis terminis totalibus & adæquatis: vt probatur *in tertio phys.* igitur tres etiam actiones prædictæ eædem erunt realiter cum suis terminis, scilicet creatio cum anima, generatio humanitatis cum ipsa humanitate, & actio assumēdi cum esse substantiali composito, quod ex Incarnatione resultat. Cum itaque tres dicti termini sint ab inuicem distincti realiter; eodem etiam modo distinguentur actiones ad eos ordinatæ. Sed probatur validioribus argumentis, tres dictas actiones distingui realiter. Primò; quoniam ea quæ possunt ab inuicem separari, sunt distincta realiter; at actiones istæ possunt ab inuicem separari; ergò. Maior patet. Minor probatur: quia creatio animæ potuit esse sine productione humanitatis, & vtrumque horum potuit inueniri sine assumptione, sicut de facto inueniuntur in nobis; similiter assumptio humanitatis ad Verbi subsistentiam potuit inueniri separata, & non simultanea cum animæ creatione & productione humanitatis: Quia potuit Verbum assumere animam multò tempore ante creatam, & humanitatem antea productam. Confirmatur; quia creatio animæ & productio humanitatis sunt actiones naturales, quo ad subsistentiam; assumptio verò, quo ad subsistentiam est supernaturalis; sed actiones, quarum altera est supernaturalis, distinguuntur realiter; ergò. Secundò probatur idem; quia creatio nostrarum animarum & vnio earum ad corpora sunt actiones distinctæ realiter, ergò etiam creatio animæ Christi, & vnio eius ad Verbum distinguuntur realiter. Consequentia patet; quia magis distant creatio animæ Christi, & vnio eius ad Verbum, quàm creatio animarum nostrarum, & vnio earum ad corpora. Vltimò probatur; quia B. Virgo concurrit ad productionem humanitatis vt causa principalis, & tamen non concurrit ad creationem animæ, neque ad vnionem eius cum Verbo; ergò. Maior patet; quia concursus matris est concursus causæ principalis. Minor verò, quo ad primam partem probatur; quia nulla creatura potest concurrere ad creationem etiam instrumēB taliter, vt probat S. D. *in 1. p. q. 45. a. 5.* quo ad secundam verò probatur; quia vnio humanitatis cum Verbo est actio supra totum ordinem naturæ, & gratiæ; ergo nulla creatura potest ad eam efficiendam concurrere.

Quintò not and. est, tam creationē animæ Christi, quàm assumptionem eius dupliciter posse considerari: vno modo in fieri: alio modo in facto esse: prout scilicet intelligitur perfectè terminata. Et creatio quidem animæ in fieri causa quodammodo est assumptionis in genere causæ materialis; quoniam, vt hic ait S. D. assumptio est alicuius ad se sumptio: igitur res assumenda, saltem in fieri, prior est assumptione in genere C causæ materialis; assumptio verò vt actu terminata prior est in eodem genere causæ animæ creatione: quoniam assumptio terminatur ad Verbi subsistentiam, quæ prior est existentia in genere causę materialis; cum sit constitutiua suppositi, quod est existentiæ receptiuum: & ideò prius animæ & humanitati communicatur, quā existentia. Cum igitur animæ creatio terminetur ad existentiam, erit vt sic terminata posterior natura, id est causalitate materiali ipsa assumptione, vt actio completa & terminata. Neque absurdum est, eandem rem aut actionem secundùm diuersas rationes esse altera priorem & posteriorem in eodem genere causæ, præsertim materialis & finalis, vt *supra a. 3.* declarauimus. CreaD tio igitur animæ Christi in fieri præsupponitur assumptioni, tā in fieri quàm in facto esse consideratæ: è contra verò assumptio vt in facto esse siuè in termino, præintelligitur ac præsupponitur creationi in facto esse: sicut etiam intellectio & dictio, quæ sunt actiones intellectus sola ratione distinctæ, se inuicem diuersa ratione præcedunt, & sequuntur, vt explicauimus *in 1. p. q. 27. a. 1.* nam intellectio vt in fieri prior est dictione, quæ est productio Verbi, siuè hæc sumatur in fieri siuè in facto esse; sed dictio in facto esse, ideſt prout iam est completa Verbo producto, tanquam termino, prior est intellectione vt in termino; quoniam omnis intellectio fit in E Verbo dictione producto, tamquam in termino & in obiecto ad intra.

Ex quibus *sequitur primò*, propositionē hanc simpliciter esse falsam, videlicet: *Anima Christi prius fuit creata, quàm assumpta*; quia dictiones illę *creata*, & *assumpta* significant actiones, vt completas & terminatas. *Secundò sequitur* hāc esse verā: *anima Christi prius fuit assumpta, quàm creata*; Nam, vt diximus, assumptio vt in termino prę-intelligitur creationi vt terminatæ. *Tertiò sequitur*, hāc esse veram: *anima Christi prius creatur, quàm assumatur.* Probatur; quia per hæc verba, *creatur* & *assumitur*, significantur actiones vt in fieri. Iam autem diximus, creationem, vt in fieri priorē esse assumptione, vt est in fieri. Vt enim

vera

vera sit hæc propositio, non est necesse, vt anima prius quàm assumatur, habeat existentiam, nisi præuenta fuisset ab existentia Verbi per assumptionem animæ communicata: sic enim factum est vt inchoato & nondum terminato creationis actu superueniens assumptio communicauerit animæ Verbi subsistentiam & existentiã, ad quam non vt productam, sed vt animæ communicatam posset animæ creatio terminari. *Postremò patet* solutio rationis dubitandi.

Cõclusiones deductæ, & probatæ

PRIMA CONCL. *Actiones prædictæ scilicet assumptio humanitatis ad vnitatem Verbi personalem, productio humanitatis, & creatio animæ non rationibus tantùm formalibus, sed etiam realiter ab inuicem distinguuntur.* Hæc conclusio, quo ad vtramque partem patet ex dictis *in tertio, & 4. notabili*, &c.

SECVNDA CONCL. *Absolutè loquendo: anima Christi prius fuit assumpta, quàm creata.* Hæc patet *ex vltimo notabili.*

TERTIA CONCL. *Anima Christi prius creabatur, quàm assumeretur.* Hæc patet ex eodem notabili.

Argumẽta, & solutiones. Ob. 1. cont 1. cõcl

CONTRA *primam* Concl. produci possunt hæc argumenta. *Primum*: SS. Patres expresè docent ipsam assumptionem esse actionem animæ creatiuam & humanitatis generatiuam seu productiuam; ergò tres dictę actiones sunt vna actio realiter, aut etiam formaliter eminenter. Antecedens probatur; quoniam August. *lib. de fide ad Petrum c. 17.* ita loquitur: *Dicimus, ipsum Verbum suæ carnis acceptione conceptum; ipsamque carnem Verbi Incarnatione conceptam.* Et eadem forma loquendi vtuntur Greg. *lib. 9. Epist. epist. 61.* Leo Papa *Epist. 11. ad Iulianum.* Et Fulg. *lib. de Incar. & gratia cap. 3.* ergo. *Respond.* falsum esse antec. ad cuius probationem respondetur primò locutionem illam SS. Patrum intelligendam esse per actionum concomitantiam: quoniam tres illæ actiones in eodem simul instanti temporis exstiterunt, vt probat Sa. D *infra q. 33. a. 3.* Secundò respond. creationem animæ & productionẽ humanitatis Christi assumptionis nomine à Patribus appellari; non quia sint assumptio formaliter; sed quia complentur per assumptionem.

Ob. 2.

Secundum argum. quo etiam vtitur Fulgentius *loco notato* est: quia sequeretur, B. Virginem nõ concepisse, neque genuisse Deum: at consequens est hæreticum; ergò. Sequela probatur; quia si conceptio & generatio sunt actiones ab assumptione distinctæ & illi præuiæ, consequens esset vt conceptio & generatio ad solam humanitatem completè terminetur prius natura quàm humanitas assumatur à Verbo & illi personaliter vniatur; ergò non terminaretur ad Deum; ac proinde B. Virgo neque concepisset neque genuisset Deum. *Confirmatur*: quoniam, exempli gratia, si ignis alia actione produceret calorem, & alia vniret illum subiecto, non produceret calidum ea actione, qua producit calorem; ergò si alia actio fuit humanitatis productiua scilicet generatio, & alia illius ad Verbum vnitiua scilicet assumptio, B. Virgò quæ solùm formauit humanitatem, non genuisset Christum: probatur hæc consequentia; quia B. Virgo non habuit actionem vnitiuam, sed tantùm generatiuam humanitatis, quæ secundùm nostram conclusionem fuit ab assumptione distincta. *Respond.* nullam esse consequentiam: Nam vt Beata Virgo sit verè mater & genitrix Dei, satis est vt humanitas Christi in eodem instanti fuerit ad vnitatem Verbi personalem assumpta, in quo fuit eiusdem humanitatis conceptio terminata. Cuius ratio est; quia concipi & generari proprium est suppositi subsistentis in natura; suppositum autem pro illo instanti in humanitate subsistens erat ipse Deus. Vnde etiam Iudæi, vt ait Bernardus *in sermone de passione*, fuerunt Deicidæ & verè ac propriè Deum occiderunt: quia licet eorum actio fuerit per se primò ad dissoluendam vnionem partium humanitatis Dei terminata, tamen quia humanitas illa in instanti in quo patiebatur à Iudeis, erat ipsius Dei tanquàm suppositi; & passiones sunt suppositorum: ideò passio verè & propriè terminabatur ad ipsum Deum, ad quem minimè terminaretur, si humanitas in illo instanti fuisset à supposito Verbi dimissa. Similiter itaque Beata Virgò verè ac propriè dicitur Deum concepisse & genuisse: quoniam in eodem instanti in quo terminabatur conceptio & generatio ad humanitatem Christi, vt ad terminum formalem, erat humanitas à Deo personata; & cum actiones sint suppositorum consequens sit, vt ad ipsum etiam Deum terminaretur. Quod fieri minimè potuisset, si humanitas in illo instanti nondum à Verbo fuisset assumpta. *Ad confirm. dico*, antecedens dupliciter intelligi posse: *Vno modo*, vt ignis producat calorem actione quæ ex natura sua sit vnitiua illius ad subiectum in eodem instanti: & ita falsum est antecedens: *alio modo*, vt productio caloris non sit ex natura sua vnitiua illius ad subiectum: & tunc admisso antecedente negatur consequentia: nam vt ignis dicatur producere calidum, sufficit vt producat calorem actione de se vnitiua illius ad subiectum, licèt virtute diuina impediretur, ne vniret illum subiecto; dummodo talis calor per aliam actionem vniretur alicui subiecto in eo instanti, quo producitur ab igne; & similiter in proposito; quia generatio qua B. Virgo formauit humanitatem Christi, ex natura sua erat vnitiua humanitatis ad proprium & connaturale suppositum, quæ tamen virtute ab hac vnione fuit præuenta & impedita, & in eodem instãti fuit vnita supposito diuino; ideò hoc sufficit vt B. Virgò dico dicatur Deum genuisse & esse Mater Dei.

Ad conf.

Sol.

Tertium argum. est: Eadem actione producitur humanitas nostra & terminatur propria subsistentia; ergò etiam eadem actione producta fuit humanitas Christi & vnita personæ Verbi: igitur assumptio est eadem actio cum generatione humanitatis. *Resp.* nullam esse conseq. quia nostræ humanitatis generatio non est impedita neque incompleta, ita vt per aliam actionem simultaneam sit complenda: generatio verò humanitatis Christi fuit impedita à naturali sua efficacia, circa propriam personalitatem & incõpleta mansit in se, & vt in via ad personalitatem illi communicandam, quã illi de facto cõmunicauit assumptio simultanea.

Ob. 3.

Sol.

Quartum argum. est: Creatio animæ Christi est actio, per quam accepit esse; sed accepit esse per assumptionem; ergò. Minor probatur dupliciter; primò; quia anima Christi non habuit nisi esse diuinum, Vt probat S. D. *infra q. 17.* sed hoc esse accepit per assumptionẽ; ergò. Secundò quia eadẽ actione tribuitur humanitati Christi personalitas, per quam efficitur existentiæ capax, & ipsa essentia, sicut nostra humanitas per eandẽ actionem suscipit existentiam & personalitatem, per quã efficitur capax existentiæ: sed humanitas Christi per assumptionẽ accipit personalitatẽ; ergò. *Resp.* creationẽ esse actionẽ, per quã res creata accipit esse productum per ipsam creationem,

Ob. 4.

Sol.

tionem, quando est completa & non impedita, & terminus illius producitur suo naturali modo: si autem creatio impediatur & maneat incompleta, accipiens complementum ab alia actione simultanea, qua res producta trahitur ad alienam subsistentiam; ac proindè etiam ad esse alienum: tunc creatio neque producit esse neque ad illud per se & immediatè terminatur; sed alia superioris ordinis actione media, qua scilicet natura assumitur ad alienum suppositum & ad alienum esse; per hanc enim actionem fit, vt creatio humanitatis terminetur ad esse, quod in eodem instanti temporis per assumptionem communicatur humanitati: Non enim placet eorum solutio, qui dicunt creationem animæ Christi ad solam essentiam fuisse terminatam; vt enim ostendimus *in 1. p. q. 3. a. 4.* rerum essentiæ, tam in vniuersali, quam in particulari sunt æternæ, & à nullius agentis actione dependent: igitur precisè sumptæ nullius possunt actionem agentis terminare.

Obiectio. 5. *Vltimum argum.* est: Anima Christi per actionem, qua fuit à Deo creata, diuinam habuit subsistentiam, sed hanc habuit per assumptionem; ergò. Maior probatur; quia S. Th. *1. p. q. 45. a. 4.* docet creationem terminari ad rem subsistentem; ergò si anima Christi diuinam habuit subsistentiam, illam habuit ex vi creationis. *Confirmatur*: quoniam humanitas Christi ex eiusdem actionis vi fuit producta, ex cuius vi fuit productus totus Christus: sed totus Christus fuit productus per vnionem; ergò. Minor patet; quia terminus totalis & qui assumptionis siuè actionis vnitiuæ per eã productus, fuit persona Christi vt ex duabus naturis composita. *Resp.* falsam esse maiorem: ad cuius probationem dico, quãlibet creationem etiam animæ Christi terminari ad rem subsistentem propria vel aliena subsistẽtia illi communicata: ad rem quidem subsistentem propria subsistentia terminatur ex vi eiusdem creationis, si non fuerit impedita creatio; Quod si fuerit impedita, tunc ad rem subsistentem aliena subsistentia ex vi actionis altioris ordinis simultaneæ terminatur. Cum igitur creatio animæ Christi fuerit impedita, vt ante diximus, licèt fuerit ad animam subsistentem terminata: non fuit tamen productiua, vel communicatiua talis subsistentiæ, sed solam animæ produxit entitatem, & ad increatam subsistentiam & exigentiam, vt formalem terminum media assumptione communicatum fuit terminata. *Ad confirmationem* dico, falsam esse maiorem: quoniam actio generatiua humanitatis fuit à productione sui vltimi termini præpedita; & ideò neque terminum totalem, qui Christus est, produxit, sed solam humanitatem, quæ per simultaneam actionem ad Verbi diuini subsistentiam fuit eleuata.

Conf. *Sol.* *Ad conf.*

Obi cont. 2. concl. CONTRA *secundam* conclusionem est hoc argum. Assumptio est quasi ab alio ad se sumptio, vt ait S. D. in textu, & assumere est aliquid ad se sumere, vt ait idem S. D. *infra q. 3. a. 1.* ergò necesse est assumptioni præintelligi animam rationalem habentem esse per creationem. Et *confirmatur*; quia necesse est esse ordinem aliquè prioris & posterioris saltem secundùm rationem inter animæ creationem & eius assumptionem: at non videtur rectè dici, eam fuisse prius assumptam quàm creatam; ergò prius fuit creata quã assumpta: proprius autem & formalis terminus creationis est esse creatum; ergò anima Christi in illo priori rationis, in quo intelligitur à Deo creata, debet intelligi vt habens esse ac proindè etiam subsistere creatum. *Resp.* nullam esse consequentiam, vt iacet sed tantùm sequitur, animam rationalem ante assumptionem concipiendam esse, vt in creari & fieri. *Ad confirmationem* patet ex vltimo notabili varius ordo prioris & posterioris inter creationem animæ Christi & eius assumptionem.

Conf.

Sol. *Ad conf.*

SECVNDA CONTROVERSIA.

An actio assumendi & vniendi naturam humanam supposito diuino aliquem habeat terminum subsistantialem, & quid sit hic terminus?

PRIMA *sententia* est Scoti *in 3. dist. 1. q. 1. a. 3.* quam duabus conclusionibus explicat Rada *in sua tertia parte, Controuersia tertia, a. 4.* Prima quæ est apud eum quinta Concl. est: Id quod in humanitate primò & immediatè fit per actionem vnitiuam, est vnio humanitatis cum Verbo, quę in humanitate est relatio realis actualis dependentiæ ad Verbum, tanquam ad suppositum ipsam sustentans ac suppositans. *Secunda* eiusdem conclusio: Terminus vltimus actionis vniendi est Christus; à quo denominatur vnio subsistantialis.

Sententia Doctorum.

Secunda sententia est Val. *puncto 5. propè finem* dicentis vnionem sumi posse tribus modis. *Primò* pro relatione dependentiæ naturæ humanæ à Verbo. *Secundò* pro vnitate personæ, in qua vtraque natura vnitur. *Tertiò* pro ipsa coniunctione subsistantiali secundùm dependentiam humanitatis à Verbo, vt à termino personali: & his omnibus modis esse terminum assumptionis: sed tamen duobus posterioribus modis esse terminum immediatum: primo verò modo mediatum; quia relatio consequitur ex vnitate personæ Christi & coniunctione duarum in eo naturarum.

Tertia sententia est quorundam recentiorum asserentium, terminum assumptionis totalem esse personam Verbi vt compositam; siuè Christum vt sic; terminum autem formalem esse humanitatem vt personatam personalitate Verbi.

Quarta sententia est Cai. qui duo dicit: *Primum* est: assumptio secundùm rem habet pro termino suo (scilicet adæquato) proprijssimè loquendo ens absolutum, super quod fundatur relatio vnionis; & hoc ens absolutum non est persona filij Dei sola, non hæc natura humana sola, sed filium Dei esse hominem. *Secundum* est: Loquendo de termino assumptionis, vt importatur in vocabulo assumẽdi, natura humana est vt terminus à quo, & persona diuina vt terminus ad quem; vt ait S. D. in textu, quam sententiam non obscurè significat Capr. *in 3. dist. 15. q. 1.* Vbi docet, terminum formalem assumptionis esse personam Verbi, vt vnitam humanitati. Eandem sententiam sequuntur alij Thomistæ & expositores D. Th. Med. *in hoc, & in præcedenti a.* Astur. *q. 7. pag. 863.* Suar. *disp. 7. & 8.* Vasq. *disp. 19.* & Aluar. *disp. 13.* Quamuis eorum aliqui à Cai. & alijs in quibusdam non magni momenti dissidiant. Ex quibus Med. *super art. præced.* relatis tribus opinionibus de fundamento relationis, quæ est vnio, ait probabiliorem esse sententiam Cai. dicentis *in eodem a.* quod vnitas personalis filij Dei in vtraque natura est causa & fundamẽtum dictæ relationis. Vasq. *in allegata disp. cap. 2.* ait, terminum formalem assumptionis esse ipsam humanitatem, seque neminem hactenus legisse neque audisse, qui diceret terminum

minum formalem esse personalitatem ipsam aut personam Verbi, & opinionem hãc falsò tribuit Cai.

Suar. *disp. 8. sect. 3. §. In hoc nihil potest.* ait, actionem hanc assumptiuam & vnitiuam &c. secundum varias eius considerationes varios etiam habere terminos formales: nam si consideretur (inquit) vt incarnatio vel humanatio, terminus eius formalis est humanitas vt vnita, si vt assumptio terminus formalis illius est subsistentia diuina, vt communicata humanitati: si verò vt vnitio, terminus eius formalis est quidam modus substantialis resultans in humanitate ex vnione ad Verbum; & *in disp. 7. sect. 1.* docet, terminum adæquatum Incarnationis esse Deũ hominem seu Verbum, vt subsistens in humanitate, seu hunc hominem Christum, vt est vnum constans ex persona diuina, & humana natura.

Resolutio. Explicatur sex significationes huius vocis Vnio; in materia incarnationis.

Notand. est primò, vocem hanc *vnio* sex habere significationes, quas Doct. S. & eius expositores tangunt, partim in hoc & partim in præcedenti & alijs subsequentibus articulis: *Primò* namque significat actionem agentis metaphysicam in ipso, vt eius perfectionem vltimam existentem: per quam duo extrema in vno aliquo adunantur, quæ propriè nuncupatur vnitio; & hoc modo sumendo vnionem in hoc sacrosancto mysterio Incarnationis idem est, quod actio Dei increata, quæ est ipsa essentia Dei, & est idem quod Dei voluntas efficax siuè magis actus imperij, quo Deus Pater & Filius & Spiritus S. humanam naturam filio personaliter copulauit. *Secundò* significat actionem physicam, quæ mutatio est; quatenus ab agente procedit in vtrunque extremum, vel in eorum alterum alteri copulandum; & hoc modo sumendo vnionem in re proposita non est idem, quod essentia Dei, vel eius voluntas, aut imperium; sed effluxus quidam est siuè modus effluxus in humanitate receptus, qui est ipsum facere Deum esse hominem & hominem esse Deum. *Tertiò* significat passionem, quæ est mutatio quatenus in humanitate, veluti in subiecto recipitur: & vt idem effluxus est realiter cum vnione, prout actio physica est, sola ratione formali ab eo differens; quia scilicet dicit ordinem ad subiectum, puta humanitatem in qua recipitur, non autem ad agens, à quo promanat. Sed considerandum est effluxum hunc, siuè modũ effluxus in humanitate receptum non esse propriè loquẽdo medium inter humanitatem & Verbum, sed esse ipsum applicationem humanitatis ad Verbi personalitatem, vt ea terminetur & ea subsistat. Hæc autem applicatio nihil ponit in humanitate, præter Verbi personalitatem terminantem, & ipsam humanitatem vt terminatam. Quemadmodum etiam in resurrectione per illam actionem diuinam, qua anima corpori coniungetur: nihil per illam actionem vnitiuam præcisè sumptã, quatenus scilicet vnitiua est, fiet in corpore præter hoc, quod est ponere animam, vt informantem in corpore, quod est applicare potentiam actui proprio, & è contra; quo fit vt actio vnitiua sit ipsa vnio, vt in fieri. Et sicut vnio Verbi cum humanitate non est aliquid prius natura existẽs in humanitate quàm Verbum, nec se habet vt præuia dispositio ad personam Christi componendam constituendam, ita nec actio illa physicè sumpta; vel etiam ad modum passionis considerata est in humanitate prius natura, quàm terminetur Verbi personalitate: sed propriè loquendo est ipsum terminari Verbi personalitate; quatenus hoc terminari fit à Dei potentia humanitatem applicante diuinæ Verbi personalitati; ad quam terminationem seu vnionem hoc modo sumptam sequitur esse substantiale in compositione consistens, sicut ad vnionem formæ cum materia sequitur natura composita. Quid autem sit actio physica, & actio metaphys. & quomodo differant & quomodo Deo conueniant, latè diximus *in 1. p. q. 25. a. 1. & q. 45. a. 3.* Quartò nomẽ hoc *vnio* significat duorũ coniunctionem & vnitatem, & in re proposita significat coniũctionem humanæ naturæ in persona diuina, quæ coniunctio consistit in vnitate, quæ est inter naturam humanam & personam filij Dei, vt ait Cai. *in a. præced.* addẽs vnionẽ hoc modo sumptã esse in genere substantiæ & non esse creaturam, sed creatorem: Verùm de hoc agemus in speciali Contro. Quintò significat hoc nomen *vnio* vnitatem entis absoluti, quod in compositione consistit, & ex coniunctione vnius extremi cum altero resultat, sicut ex coniunctione animæ rationalis & corporis resultat homo, vt ex coniunctione albedinis cum subiecto resultat albũ: in proposito verò ex coniunctione humanitatis cum persona filij resultat hoc compositum substantiale, quod est filium Dei esse hominem. Differt autem hic vnionis modus à præcedenti. Primò quia præcedens dicit vnitatem & esse diuinæ: & ideò non est creatura, sed creator. Secundus autem dicit esse absolutum nouiter factum per actum Incarnationis & assumptionis humanæ naturæ continens creatorem & creaturam. Secundò quia præcedens modus scilicet quartus est prior hoc vltimò secundùm ordinem naturæ: ideò namque filius Dei est homo, quia ad vnitatem suæ personæ naturam assumpsit humanam. Tertiò differunt quia quartus modus dicit in recto esse personale siuè vnitatem diuinę personæ: connotat autem in obliquo naturam humanam ad illius esse personalis vnitatem assumptam: at quintus modus directè significat totum esse substantiale in compositione consistens, prout ex vtroque constat extremo, scilicet ex persona Verbi & humana natura. *Postremo* nomen vnionis significat relationem consequentem actionem & passionem vnitiuam, & ad eius terminum vt suam propriam causam, & fundamentum, sicut in Socrate vnio animę & corporis prout est relatio, sequitur ex actione Platonis generantis, & ex generari ipsius Socratis, & ex termino generationis formali, qui est anima vt informans corpus, & ex termino totali & adęquato qui est hic homo genitus: Sic igitur in re proposita, vnio prout est relatio inter personã Verbi & humanam naturam, vel etiam inter naturam diuinam & naturam humanam, consequitur ex actione Incarnationis, & ex actione & passione, qua assumitur humana natura ad vnitatem Verbi personalem, & ex esse & vnitate personali Verbi vt termino formali, & ex esse substantiali in compositione consistente, veluti ex totali & adæquato termino producto, quod esse substantiale est Deus homo vel Deum esse hominem. Ex his autem vnionis significationibus breuissimè tractatis tota ferè pendet propositæ Controuersiæ resolutio. Sed operæ pretium est quædam ex dictis vberius explicare: ac primo de termino assumptionis seu incarnationis formali differendum est. Ad cuius euidentiam.

Secundò sciẽdum est duplicem esse actionis terminum, alterum totalem & adæquatum, alterum autem formalem; terminus totalis & ad æ- *Propositione & differentia*

quatus

termini totalis & formalis, ostenditur in assumptione duplicē esse terminū, alterū totalē & alterum formalem.

quatus est ipsum totum compositum quod actione producitur; terminus autem formalis est forma vel actualitas aut aliquid proportionale formæ vel actualitati, sicut in actione Bouis generatiua terminus eius totalis est hic bos constās vt compositum substantiale ex anima & corpore: Terminus autem formalis est anima, quia ea dependet esse, vt species ipsius compositi: vndè etiam Arist. *in 2. Phys. tex. 74. & seq.* formam dicit esse finem generationis; quia scilicet propter eam est & per ipsam terminatur generatio: Dixi autem, *vel aliquid proportionale formæ*; quoniam esse est terminus formalis per se primò terminans creationem, & tamen non est verè forma, sed actualitas vltima: Postremò addidi *vel actualitati* quia terminus formalis actionis diuisiuæ ligni in duas partes non est forma, nec actualitas verè & propriè dicta; sed suppositalitas duplex iuxta duas ligni partes ab inuicem separatas.

Tertiò obseruanda est differentia inter terminū totalem & terminum formalem; quòd terminus totalis semper est aliquid actione productum: terminum autem formalem non oportet esse aliquid productum, sed potest actui præexistere, & per eam attingi quo ad eius vnionem cum altero: Exempli gratia, si nix & albedo separatæ præexisterent; & alicuius agentis actione iungerentur, tale agens faceret hoc compositū, quod est nix alba, & huius actionis terminus formalis esset albedo, non ea actione facta sed tantùm vnita subiecto: sicut etiam illius actionis, quâ Christus Lazaro quatriduano vitam restituit, terminus formalis fuit anima, non ea actione producta sed corpori reunita, & homo generans hominē nō producit animam, sed eius tantū vnionē attingit, nō ex parte animę, sed ex parte corporis seu materiæ vt sciteCai aduertit *in. p. q. 118. a. 2. circa resp. ad 3.* Vndè distinguunt recentiores duplex genus actionum dicentes, quasdam esse sui termini productiuas; siuè terminus ille sit vnum per se; vt cum Bos actione generandi bouem producit; siuè sit vnum tantùm per accidens; sicut cum ignis calefactione facit aquam calidam. Quasdam autem non esse alicuius termini productiuas, sed duorum dumtaxat extremorum vnitiuas, quales sunt actiones omnes sensuum exteriorum, quæ vt alibi diximus, nullum producunt terminum, sed obiecti specie susceptā, vniunt illud in actu secundo cum potentijs. Sicut etiā visio beatifica nullius est termini productiua, sed vnitiua tantùm essentiæ diuinæ cū intellectu videntis in actu secundo, vt latè probauimus *in 1. p. q. 12. a. 2. Contr. 2.* idem etiam multis actionibus saltē supernaturalibus conuenire patet ex dictis.

Actio igitur assumendi, quatenus præcisè vnitiua est humanitatis cum persona Verbi, nihil noui producit in humanitate, nec vllum habet terminum productum, sed humanitatem præuia generatione productam coniungit personæ Verbi ab æterno genitæ: sed eadem actio secundum integram & completam sui rationem & efficacitatem considerata terminum habet totalem, & substantialem ea productum: hic verò est persona Verbi vt composita, vel vt subsistens in humanitate, vel Deus homo aut Verbum diuinum, vt persona humana, vel Christus vt sic. Ad cuius euidentiam supponendum est: sicut in generatione duplex est terminus; alter totalis qui: vt Equus aut Leo: alter formalis quo, vt forma Equi aut Leonis; ita in assumptione humanitatis ad personalitatem Verbi duplicem esse terminum; alterum totalem qui, & alterum formalem quo. Terminum autem totalem esse Verbi personam vt compositā vel Christum, &c. Probatur ex symbolo dicente. *Et incarnatus est de Spiritu Sancto, & homo factus est*; igitur Incarnatio ad hoc per se primò terminatur, vt filius Dei sit factus homo. Et confirmatur; quia vnio hæc facta est in persona Verbi; ergo terminus illius est persona verbi composita: probatur sequela: Nam ideò hęc vnio nō fit in natura: quoniam ex illa non resultat vna natura; ergò si facta est in persona, resultat vna persona, & non persona Verbi secundùm se; quia præexistebat vnioni; ergò vt composita, vel vt subsistens in humanitate, &c. Secundò terminus qui per se intentus in quauis vnione substantiali est totum compositum vt sic, & non partes illius; Exempli gratia, terminus qui vnionis materiæ & formæ est totum compositum, vt Equus aut Leo; igitur in hac vnione substantiali terminus qui siuè totalis est Christus vel persona Verbi vt composita &c. Et confirmatur; quoniam ex vi vnionis huius Verbum factum est caro & subsistens in humanitate; ergò hic est huius vnionis terminus totalis. Antecedens patet: nam *Io. 1.* dicitur *Verbum caro factum est*: hoc autem non est factum per aliquam aliam actionem, sed per solam vnionem seu assumptionem completè sumptam; ergò: Consequentia verò probatur; quia terminus totalis qui alicuius actionis, est totum integrum quod producitur per illam? Vltimò probatur; quia aliàs Christus non esset per se primò intentus per hanc vnionem. Consequens est contra August. *l. 13. de Trinit. c. 17.* & alios patres, qui loquentes de termino primario huius vnionis, affirmant ex illa resultare vnum Christum; ergò. Sequela probatur: nā per quālibet actionem per se primò intēditur terminus totalis qui illius.

Iam verò terminum assumptionis, seu Incarnationis formalem non esse aliquid ipsius assumptionis seu Incarnationis actione productum, ex eo perspicuè constat, quod tam humanitas quam Verbum, quorum alterum necesse est esse terminum Incarnationis formalem, eiusdem Incarnationis actui præsupponuntur: Verbum enim nō solùm tempore, sed etiam æternitate præcessit: humanitas autem prius natura intelligitur genita quàm assumpta: nam vt hic ait Cai. *ad secundum dubium*, oportet assumptum ordine naturæ præexistere assumptioni. Actio igitur assūptiua respectu sui termini formalis ad earum genus actionum pertinet, quas vnitiuas nequaquā autem productiuas appellant.

Termini assumptionis formalē simpliciter esse Verbi personalitatem, terminum autem eiusdem formale secundū quid esse humanitatem.

Sed Controuersia est inter Doctores, *an Verbo vel magis humanitati sit ratio termini formalis in actu Incarnationis tribuenda?* Capr. enim, Cai. Asturic. & alij supra nominati, filij personam affirmant esse terminum Incarnationis formalem. Vasq. autem sequens Durand. hoc humanæ naturæ munus esse contendit. At S. D. *supra a. 6. ad 2.* satis apertè significat Verbi personam seu subsistentiam, vt connotat in obliquo humanitatem cui se ipsam communicat, esse terminum assumptionis formalem dicens, humanam naturam ex tempore aduenire Verbo nō quasi assumptam ad vnum esse prout est naturæ, sed ad vnum esse prout est personæ, sicut corpus in resurrectione aduenit animæ præexistenti, & assumitur ad idem esse prout est naturæ, scilicet ad esse vitale. Igitur quemadmodum anima in resurrectione communicās esse vitale corpori terminus est formalis actionis Dei supernatu-

naturalis corpus animæ reunientis; ita Verbum Incarnationis mysterio communicans esse personale humanitati formalis terminus est assumptionis, non autem humanitas secundùm D. Th. alioquin similitudo non solùm esset nulla, sed etiam oppositæ & contrarium intentæ veritatis ostenderet. *Et in hoc artic.* docet S. Doct. nomine assumptionis determinari terminum à quo & ad quem: hunc autem esse personam assumentis significat subdens: *dicitur enim assumptio, quasi ab alio ad se sumptio.* Et probatur etiam his argumẽtis. Primò: quoniam vt hic ait S. Doct. & *in art. 6.* assumptio duo respicit extrema, quorum vnũ ad aliud trahitur: humanitas enim vnum extremum est quod ad alterum trahitur, ad hypostasim scilicet Verbi vt eius personalitate subsistat; igitur Verbi personalitas terminus est formalis assumptionis. Et confirmatur: quia quod primò & principaliter intenditur in Incarnationis mysterio, est vt persona Verbi fiat etiam humanæ naturæ persona: igitur assumptio & Incarnatio ad Verbi suppositum humanæ copulandum naturæ, & ad illud vt terminum & complementum eius nobilissimũ eleuandã naturam ordinatur. Præterea Verbi personalitas similitudinem quandam habet proportionalem actus & formæ respectu humanitatis, quæ ad illam instar quasi materialis potentialis ac perfectibilis (seclusis imperfectionibus ex parte Verbi) comparatur; actus autem & forma in factione cuiuscunque cõpositi ex componentiũ vnitis entitatibus resultantis terminus est formalis, vt ante diximus.

Sed obseruandum est, in Verbi personalitate terminante humanã naturam & eius assumptionẽ & vnionem duo considerari, scilicet rationẽ formalem terminandi & conditionem: primum est ipsa Verbi personalitas: secundum autem est eius communicatio quæ fit humanæ naturæ: & quia illud præcipuum est in significatione termini formalis: hoc autem secundariũ; ideò simpliciter & absolutè loquendo dicitur Verbi personalitas terminus assumptionis formalis; ipsũ autem explicando diximus, terminum formalẽ assumptionis esse personalitatem, connotando naturam humanam cui communicatur, seu quæ ad eius subsistentiam & vnitatem assumitur. Sed quoniam Verbum habet ex humanitate formaliter, vt sit humana persona: ideò quodammodo siue secundùm quid termini formalis rationem habet humanitas in Incarnatione; non tamen simpliciter & absolutè ob rationes superius assignatas. Vt autem earum vis appareat euidentius, & oppositæ facilius argumenta diluantur. *Notand. est*, vnionem humanæ naturæ cum diuina persona dupliciter posse considerari: *Vno modo* quatenus est vnio substantialis, per quam diuina persona constituitur in ratione humani suppositi; & hoc modo humanitas forma quodammodo est & terminus vnionis formalis; persona verò rationem habet subiecti factionis, absque vlla tamen sui mutatione, vt docet infra Cai. *q. 16. a. 7.* & quia Christus, qui huius substantialis vnionis terminus est totalis, formaliter includit & importat humanitatem per modum naturæ; atque adeò per modum formæ: Verbum autem per modum suppositi: ideò considerata ratione vnionis substantialis humanæ naturæ cum persona Verbi: quia per humanam naturam Verbo coniunctam Christus constituitur, ideſt Verbũ fit homo, formalior est vt sic humana natura, quam Verbum; ac proindè terminus est vnionis formalis: *Alio modo* considerari potest hæc vnio, quatenus est assumptio & eleuatio humanitatis ad esse Verbi diuini personale, cuius accessu humanitas dignitatem adipiscitur infinitam; & hoc modo persona Verbi terminus est vnionis formalis. Et quoniam hæc vnio propriè formaliter ac simpliciter est assumptio, per quam humanitas eleuatur ad esse Verbi personale, vt ad terminum & complementum, quo suppletur creata personalitas excellenter, & additur assumptæ naturæ dignitas infinita: ideò propriè & absolutè loquendo dicendum est, terminum huius vnionis formalem esse diuini Verbi personam. Et quamuis hoc nomen Christus importet formaliter humanitatem per modum naturæ; ac proindè per modum formæ: simpliciter tamen & absolutè Verbum diuinum est huius nominis principalius & formalius significatum. Nã Christus formaliter quidem importat humanam naturam, sed tamen vt assumptam & eleuatam ad esse personale Verbi; quod etiam ex ipsa nominis significatione colligitur: Christus enim vnctum significat: igitur nomen Christi significat humanitatem formaliter, non præcisè sed vt vnctam oleo subsistentiæ personalis Verbi diuini.

Formalis itaque terminus assumptionis propriè & absolutè loquendo fuit ipsa Verbi subsistentia humanæ naturæ communicata: vt enim scitè notat Asturicensis *in allegata q. 7. pag. 868.* licet Verbum, vt humanum suppositum præcisè consideratum, tam in ipsa vnione vt vnio est, quam in significatione huius vocis, *Christus*, se habeat quasi materialiter: si tamen consideretur Verbum prout ad eius esse personale perfectissimum & formalissimum assumpta est humanitas, ipsa humanitas rationem habet eius, quod est in hac vnione materiale; & ideò benè supra diximus, humanitatem non habere rationem termini formalis in hac vnione, nisi secundùm quid quatenus scilicet constituit Verbum secundùm rationem humani suppositi; sed absolutè loquẽdo, terminus huius vnionis formalis est persona Verbi; cum ad eam humanitas in actu assumptionis, vnionis & compositionis se habeat vt materiale.

Aliquot dictis consona corollaria deducũtur.

Ex dictis sequitur primò, terminum assumptionis, totalem & adæquatum non esse relationem. Corollarium hoc probat S. D. *in 3. dist. 2. q. 2. a. 2. q. 3.* sic discurrens: *Natura relationis est, vt in alijs generibus causam habeat: quia minimum habet de natura entis, vt Comment. ait in 12. Metaph. Vnde, quamuis relatio per se non terminet motum; quia in ad aliquid non est motus, vt probatur in quinto Physic. tamen ex hoc, quod motus per se terminatur ad albedinem, consequitur relatio similitudinis ad omnia alba, similiter etiam, ex hoc, quod motus generationis terminatur ad formam, consequitur hæc relatio, secundùm quam materia sub formâ esse dicitur: ita etiam ex hoc, quod motus assumptionis humanæ naturæ terminatur ad personã, cõsequitur hæc relatio, quæ dicitur vnio: vnde vnio est mediũ, nõ sicut assũptionẽ causans, sed potius sicut eam consequens*, &c. Quod idem probant hic optimè Cai. Med. & Suar. *disp. 7. sect. 1* pro quo etiam faciunt omnia argumenta, quibus sequens dictum probant expositores.

Secundò sequitur, terminũ assũptionis totalẽ & adæquatũ esse ens absolutũ in cõpositione cõsistẽs, quod est filiũ Dei esse hominẽ. Probat hoc dictũ Cai. optimis argumentis & post eum Med. & Suar. *loco notato, & sect. 4. dictæ disputationis*, & Astur. *in allegata q. 7. pag. 863.*

Tertiò sequitur, terminum huius assumptionis totalem esse hunc hominem, Christum idest Verbum quatenus est humana persona. Dictum hoc non differt à secundo, sed illud explicat: ens enim illud absolutum in compositione consistens, de quo in secundo dicto, idem est quod hic homo Christus: & ideò eisdem argumentis probatur hoc dictum quibus & secundum: specialiter autem hoc probant Med. *super hoc articulo in secunda sua conclusione.* Suar. *in allegata disp. 7. sect. 1. & 3. propè finem.* Verbum igitur vt est humana persona, terminus est huius assumptionis adæquatus seu totalis: Quod enim in vtero Virginis de spiritu Sancto conceptũ est, & ex ea natum, quod factum est homo, illud est huius admirabilis assumptionis terminus adæquatus & totalis: at hæc Dei filio verè conueniunt; quatenus homo est siue quatenus est humana persona; vt patet ex Symbolo fidei dicente: *Et Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est*; ergò Dei filius seu Verbum vt homo est, siuè quatenus est humana persona, est assumptionis terminus adæquatus.

Vltimò sequitur, terminum assumptionis formalem propriè & absolutè loquendo esse Verbi personalitatem.

cõclusiones, deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Quãuis assumptioni secundũ varias considerationes variè possit assignari terminus formalis: oportet tamen illi vnum tantùm secundùm rem proprium ac per se primò terminum assignare.*

Hæc conclusio Cai. *a. sequenti in fine Com.* Probatur; quoniam hæc actio quocunque nomine significetur est eadem specie: ergò quocunque nomine significetur, habet secundùm rem terminum formalem eiusdem rationis. Probatur conseq. quoniam à termino formali sumitur species actionis. Secundò hæc actio, quouis nomine significata habet eundem terminũ formalem, ex cuius vnitate sumitur vnitas termini totalis: sicut vnitas compositi sumitur ex vnitate formæ.

SECVNDA CONCL. *Terminus formalis assumptionis non est humanitas simpliciter & absolutè loquendo, sed tantùm secundùm quid.* Hæc patet ex dictis.

TERTIA CONCL. *Terminus assumptionis formalis non est aliquis modus substantialis in humanitate productus.* Prob. primò quoniam, vt ostendemus inferius, nullus talis modus in humanitate producitur. Secũdò quia de ratione termini formalis alicuius productionis est, vt per illam productionem communicetur producto; & vt productum accipiat esse per illum; vt ait Capre. *in 1. dist. 5. q. 1. ad 1. contra 1. concl.* Et hoc productũ, quod est Christus siuè Deus homo, non accipit esse ab illo modo, sed à personalitate Verbi, quę eadẽ est realiter cũ essẽtia & esse diuino; ergò. Et probatur etiam prima propositio ratione: Terminus formalis est id quod in composito producto rationem habet aut modum formæ, vel actus respectu alterius partis, aut quasi partis eiusdem compositi constitutiuæ: in composito autem quod est Christus, duo tantùm assignantur quasi partes eius constitutiuæ: Altera est persona Verbi; in qua etiam includitur diuinitas: Altera verò est humanitas: constat autem humanitatem nec esse formam nec modũ habere formæ simpliciter loquendo respectu personæ Verbi, ex alia verò parte Verbi personalitas habens esse diuinum humanitati communicatur, & confert illi diuinum esse: ita vt humanitas existat existẽtia Verbi & sit homo Deus & Deus homo; ergò.

A QVARTA CONCL. *Terminus assumptionis formalis non est humanitas, vt personata personalitate Verbi.*

QVINTA CONCL. *Terminus formalis assumptionis propriè & absolutè loquendo est persona Verbi; vt connotans respectum ad humanam naturam, cui suam communicat subsistentiam.* Hæc etiam patet ex dictis.

SEXTA CONCL. *Relatio non est terminus formalis neque totalis & adæquatus assumptionis.* Hæc est D. Th. loco notato.

SEPTIMA CONCL. *Terminus assumptionis totalis & adæquatus est ens absolutum in compositione consistens, quod est filium Dei esse hominem.* Hanc latè probat Cai. & alij supra nominati.

B VLTIMA CONCL. *Terminus assumptionis totalis est hic homo Christus, idest Verbum quatenus est humana persona.* Hæc sequitur ex præcedenti & patet ex dictis.

CONTRA *secundam*, & quintam conclusionem argum. Vasq. Per actionem assumptionis, licèt fiat vna persona composita ex duabus naturis; tamen persona prout subsistens in natura diuina, dicitur hac actione fieri homo per humanitatem assumptam: homo autem non dicitur fieri Deus; ergò terminus formalis assumptionis non est persona diuina sed humanitas. Antecedens patet. Consequentia probatur: quia diuina persona constituta Deitate, & relatione in hac actione comparatur vt subiectum, quod C per susceptionem alterius naturæ fieri debet homo; ratio verò formalis hominis est natura humana, quam suscipere debet persona diuina; ergò illa potius dici debet terminus formalis, qui per Incarnationem & assumptionem fit, quam diuina natura vel persona. *Resp.* hoc argumento probari naturam humanam esse terminũ assumptionis formalem secundùm quid, non autem simpliciter. Ad argumentum igitur dico nullam esse conseq. loquendo de termino simpliciter. Ad eius probationem negatur consequentia: nã sequitur tantùm; humanitatem esse terminum formalem secundùm quid, vt patet ex ijs, quæ latè diximus ostendentes personam esse termiD num assumptionis formalem propriè & absolutè loquendo.

Argum. & Solut. Cont. 2 & 3. concl. ob. Valquezij

Sol.

Contra easdem concl. sunt duo argum. quæ proponit & soluit Asturic. quorum tamen solutio patet ex dictis. *Primum argum.* est: Christus formalius humanitatem importat quàm Verbũ; ergò humanitas fuit terminus formalis assumptionis & hypostaticæ vnionis. Antecedens probatur: Quia Christus importat Verbum vt suppositum, & humanitatẽ vt naturam in ipso suppositatam: at natura comparata ad suppositum rationem habet formæ; ergò. *Resp.* falsum esse antecedẽs. Ad probationem dico, nomine Christi importari formaliter naturam humanam, sed E vt assumptam & eleuatam ad esse personale Verbi: & ideò simpliciter & absolutè loquendo nomine Christi principalius & formalius significatur Verbum, quàm humanitas, vt supra diximus.

ob. alia.

Sol.

Secundum argum. est: Per hanc vnionem per se primò intenditur vt Verbum quod suppositum erat diuinum esset per Incarnationem suppositum humanum, sed ab humanitate tanquam à forma habet diuinum Verbum vt sit suppositum humanum loquendo formaliter de suppositio humano, vt est humanum; ergò humanitas formalior fuit huius vnionis terminus. *Respond.* formalitatem, quam habet humanitas, quatenus Verbum constituit in ratione

ob. alia.

Sol.

sup-

suppositi humani esse potentialitatem, & materialitatem respectu eius perfectionis, quam ipsa humanitas accipit ex vnione ad Verbum; ac proinde Verbum, quatenus suppositum est humanitatis eleuatiuum & perfectiuum formalius significatur hac voce Christus, quàm humanitas.

Ob 1 cont. 4 concl. CONTRA *quartam*, & quintam concl. arguunt recentiores prædicti *Primò*: quia teste Arist. *2. Phys. tex. 14. & lib. 1. de partibus animal. c. 1. in fine*, natura est terminus generationis, non quidem totalis sed formalis; ergò etiam terminus formalis huius vnionis, per quem generatus est *Conf.* Christus, non est persona sed natura. *Confirmatur* primò; quia terminus formalis habet se vt principium formale & non materiale: persona autem Verbi habet se vt subiectum sustentans *Conf. 2.* humanitatem; ergò. *Secundò confirmatur*: quia terminus huius actionis vt est humanatio, est humanitas; ergò illa etiam est terminus formalis assumptionis vel Incarnationis, quæ sunt eadem *Sol.* actio specie. *Resp.* primò Arist. *locis allegatis* nomine naturæ formam intelligere, vt perspicuè declarat ibi philosophus. Secundò dico nullam esse consequentiam: quoniam in assumptione humanitatis à Verbo, non generatur sed supponitur humanitas actu producta: fit autem compositum hoc, quod est Christus, per hoc quod Verbi personalitas additur vt terminus & vt cõ*Ad 1. Conf.* plementum humanitati. *Ad primam confirm.* dico, personam Verbi secundùm quandam rationem se habere, vt subiectum sustentans humanitatem, & secundùm hanc considerationem, humanitatem esse terminum formalem Incarnationis. Sed quoniam humanitas non est terminus huius actionis, nisi vt assumpta & eleuata ad Verbi personalitatem, à qua summam recipit perfectionem: ideò simpliciter & absolutè loquendo, terminus formalis huius actionis est *Ad 2. conf.* diuina Verbi personalitas. *Ad secundam confirm.* patet ex dictis: probat enim humanitatem esse terminum huius actionis secundum quid.

Obi. 2. *Secundò* Incarnatio est actio specie distincta ab assumptione naturæ Angelicæ vel equinæ; ergò habet terminum formalem specie distinctũ à terminis illarum; ergò terminus formalis illarũ non est persona Verbi. Antecedens patet; nam termini totales illarum sunt distinctæ speciei, scilicet hic homo, hic Angelus & hic equus: nõ est autem actio eiusdem speciei, quæ habet terminum totalem distinctæ speciei. Prima etiam consequentia patet; quia terminus formalis est, qui tribuit speciem totali termino; igitur vbi terminus totalis fuerit distinctæ speciei etiam terminus formalis erit speciei diuersæ. Secunda verò consequentia probatur: quia persona Verbi semper est eiusdem rationis, siuè terminet naturam humanam siuè Angelicam aut equinam &c. & ideò si esset terminus formalis prædictarum actionum, omnes ille haberent terminum formalem eiusdem rationis & essent eiusdem *Sol.* speciei. *Resp.* Incarnationem dicere vnionem hypostaticam diuinæ personæ cum humana natura: Incarnatio igitur potest dupliciter considerari. *Primò* ex parte vnitatis hypostaticæ in ipsa Verbi personalitate. *Secundò* ex parte naturæ ad talem vnitatem assumptæ. Si primò modo consideretur Incarnatio; prout scilicet est vnitio duarum naturarum in vna Verbi personalitate; quod est considerare ipsam, vt est vnio hypostatica in persona Verbi vt sic, non est diuersæ rationis ab alijs vnionibus, quæ fieri possunt cũ alijs naturis, puta Angelica equina &c. quia omnes sunt vniones hypostaticæ secundum eandem Verbi personalitatem: naturarum enim assumptarum diuersitas secũdùm hanc considerationem hic interuenit tantum materialiter & quasi per accidens: si verò secundo modo considderetur Incarnatio, scilicet ex parte naturæ assumptæ, certum est eam specie differre ab vnione Verbi cum natura Angelica & equina &c & quoniam vnitas personalis est id quod pręcipuũ & formalissimum est in Incarnatione: ideò simpliciter & propriè loquendo dicendum est, prędictas actiones non esse species differentes. Ad argumentum igitur negatur antecedens propriè & absolute loquendo; quamuis sit verum secundùm quid scilicet considerata Incarnatione ex parte naturæ. Ad probationem dico terminos illarum assumptionum esse specie distinctos cõsiderando assumptiones illas ex parte naturarum assumptarum; non autem si considerantur, quatenus vnitatem habent hypostaticam in propria Verbi personalitate, quæ est earum consideratio simpliciter.

CONTRA *sextam* & septimam conclusionem sunt argumenta, quæ referunt & soluunt Cai. & Med. *super hoc a.*

Alia argumẽta, quæ contra prędictas conclusiones afferri possent ad sequentem attinent Cõtrouersiam.

TERTIA CONTROVERSIA.

An per actionem assumendi & vniendi fiat aliquid in humanitate, quod sit accidens absolutum aut respectiuum, aut modus absolutus vel respectiuus ab ea distinctus.

Sententiæ Doctorum. QVINQVE solent in hac Contro. Doctorũ sententiæ recẽseri. *Prima* est Gab. *1. dist. 30. q. 4. a. 2. & in 3. dist. 1. q. 1. a. 1.* Vbi docet per assumptionem & vnitionem fieri qualitatem quandam absolutam supernaturalem in humanitate, vt per eam vniatur diuinæ personæ: hanc verò qualitatem dicit esse gratiam vnionis.

Secunda sententia est Scoti *in 3. dist. 1. q. 1. §. sed circa dictum articulum*, quam explicat & tuetur Rada *in sua 3. p. Contro. 3. a. 4.* & consistit in tribus dictis: *Primum* est, per actionem vniendi fit aliquid in humanitate, quod tamen non est qualitas supernaturalis, neque entitas aliqua absoluta, quæ sit veluti proximum vnionis fundamentum. *Secundum* id, quod in humanitate primò & immediatè ac proximè fit per actionem vnitiuam, est vnio humanitatis cum Verbo, quę in humanitate est relatio realis actualis dependentiæ ad Verbũ, tanquã ad suppositũ ipsum, sustẽtãs ac suppositãs. *Tertiũ* est: Vnio humanitatis cum Verbo, licèt sit accidens, non tamen est accidentalis sed substantialis: quia humanitas vnitur Verbo secundum substantiam, id est hypostasim verum esse illi substantiale tribuendo scilicet esse hominis; quia ex vi vnionis Verbũ verè est homo & substantia & quid, non quale aut ad aliquid.

Tertia sententia est Suar. *disp. 8. sect. 2.* qui dicit quatuor. *Primum* est: Per actionem vnitiuam aliquid factum est in humanitate ab illa distinctum ex natura rei, quod desineret esse in illa si à Verbo separaretur: *Secundum* est: Id quod fit in humanitate, est modus substantialis ipsius humanitatis, quo intelligitur existere in Verbo,

qui modus incompossibilis est humanæ subsistentiæ, non vltimò terminans naturam in se sed constituens illam in Verbo, vt in ipso terminetur. *Tertium* est: Hic modus dicit intrinsecam & essentialem seu transcendentalem habitudinem ad Verbum. *Quartum* est: Hic modus subsstantialis coniunctionis humanitatis cum Verbo est fundamentum proximum propriæ & prædicamentalis relationis vnionis: quam sententiam quo ad secundum dictum sequuntur alij quidam recentiores Thomistæ viri doctissimi.

Quarta sententia est Vasq. *disputatione octaua, capitulo decimotertio.* Vbi dicit quinque *Primum*: In humanitate vnita Verbo præter materiam & animam, & earum vnionem inter se est etiam modus quidam subsstantialis non absolutus, sed relatus ad Verbum, ratione cuius ipsa dicitur esse in Verbo, ei vniri & ab illo sustentari & subsstantialiter terminari. *Secundum*: hic modus subsstantialis, ita suaptè natura est relatus & intrinsecam habitudinem habet ad Verbum Diuinum, vt relatio ab ipso modo non distinguatur. *Tertium*: Hic modus non est aliquid præuium præparans naturam vt sustineatur à Verbo, sed est actus ipse suppositi diuini terminantis & sustentantis naturam; qui licèt in genere causæ efficientis sit à tota Trinitate: tamen vt actus terminandi & sustentandi naturam propriè solũ Verbum respicit, & ipsi tribuitur ad modum causæ formalis aut materialis: licet reuera nullum genus causæ ipsi conueniat, & commode potest appellari modus inexistentiæ: quia natura humana quæ per se existente poterat, in alio existit tanquàm in suppositо, licèt non tanquam in subiecto, & est modus dependentiæ naturæ humanæ à Verbo, non tanquàm à causa propriè, sed tanquàm à supposito terminante & sustentante. *Quartum* est: Hoc ipso quod Verbum diuinum hoc modo terminat naturam, natura ipsa vnitur Verbo; & ideò communiter hic modus dicitur vnio sumpta pro actu vniendi; non tantum pro actu vniendi qui sit actio & dicitur vnio in fieri: qua ratione refertur ad totam Trinitatem; sed etiam pro actu vniendi in facto esse qui est terminatio, qua ratione tribuitur soli Verbo tanquàm actus proprius illius vt suppositi terminantis. *Vltimum*: etiamsi modus ille verè esset accidens de prædicamento accidentis, posset rectè defendi vnionem naturæ humanæ cum Verbo, esse subsstantialem & essentialem: hoc est duarum naturarum in vna persona re ipsa & nõ sola habitudine.

Quinta & vltima sententia est Cai. *in hoc art. & infra a. 10. circa resp. ad 1. D. Th.* Vbi docet, coniũctionem humanæ naturæ cum persona filij Dei nihil aliud esse, quàm vtriusque indiuisionem in esse personali filij Dei: Et in hoc mysterio nullum ens reale interuenisse præter extrema & mutationem ac relationem inde resultantem; quibus verbis planè significat, per assumptionem & vnionem nihil fieri in humanitate, sed solùm fieri hoc compositum; quod est Deum esse hominem; quam sententiam prius tenuerat. Arimin. *in primo dist. 28. q. 2. in resp. ad 17. & 18. argum.* & Bacconus *in 3. dist. 1. q. 1. a. primo.* Eandé sequitur Aluar. *disp. 13.* & Val. *puncto quinto*, & est expressè D. Thom. vt ex dicendis patebit &c.

Resolutio. Status Controuersiæ.

VT VERITAS, quam inquirimus *in proposita Controuersia* perspicuè nobis eluceat certa primum, & ab omnibus confessa discernenda sunt à dubijs, quæ ad præsentis Controuersiæ materiam pertinent. Sunt autem quinque in hoc sacrosancto Incarnationis Mysterio, de quibus nulla potest esse dubitatio. *Primum* est Verbum. *Secundum* est humana natura. *Tertium* actio phys. & passio, quæ mutatio quędam est humanæ naturæ, siuè per quam mutatur humana natura & vnitur Verbo. *Quartum* est terminus totalis & adæquatus, scilicet hic homo siuè Deum esse hominem. *Quintum* est relatio vnionis inter humanitatem & Verbum, quæ secundùm D. Th. ad tertium ordinem siuè modum attinet rãlatiuorum: hæc enim omnia fatentur omnes in Incarnationis Mysterio reperiri; quamuis de relationis natura non conueniant. Quæstio verò est an his addendũ sit etiam sextum, quod vel sit fundamentum prædictæ relationis, sitque modus quidam subsstantialis absolutus in humanitate receptus, & quasi terminus formalis actionis vnitiuæ, vt vult Suarez, vel sit relatio subsstantialis loco dictæ relationis tertij modi constituenda, vt affirmat Vasquez. Pro cuius difficultatis resolutione præsuppositа distinctione illa de duplici actione scilicet vnitiua & productiua, de qua satis *in præcedenti Contro.*

Considerandum est primò, nullam in humanitate Christi poni posse realitatem supernaturali mutatione causatam, qua proximè fiat capax diuinæ subsistentię, siuè ea realitas sit qualitas, siuè relatio, siuè modus subsstantialis; quin illa habeat rationem medij disponẽtis, vel formaliter cõiungentis humanam naturam cum personalitate diuina: nam si medium nõ est, igitur immediatè se ipsis coniunguntur extrema, ac proinde realitas omnis vnioni iã factæ superueniẽs, nihil prorsus ad eã causandã confert: at verò defensores quatuor opinionum, quas in principio retulimus, realitates illas, siuè sint absolutæ siuè relatiuæ dicũt esse maximè necessarias, vt extrema scilicet Verbum & humanitas cõiungantur; igitur hoc ipso sentiunt eas ad vnionẽ exrremorum requiri tanquam media. *Nihil per actionem assumẽdi, & vniendi fieri in humanitate quæ sit diuinæ subsistentiæ capax.*

Secundò sciendum est ex D. Thom. *in 3. dist. 2. quæst. 2. a. 1.* Duplex esse medium scilicet congruentiæ & necessitatis. *Medium* (inquit) *congruentiæ est, quod facit ad decentem coniunctionem extremorum, quæ tamen nihilominus sine illo esse posset; sicut pulchritudo facit ad condecentem coniunctionem matrimonij, qua tamen amissa matrimonium non soluitur: Medium autem necessitatis est, sine quo coniunctio extremorum esse non potest; sicut lumen coniungitur aeri mediante diaphaneitate. Hoc tamen contingit dupliciter; quia, vel est causa coniunctionis, vel est coniunctionem consequens: Coniunctionis causa est medium, sicut aqua, & aer in visu; quia per aerem redditur species visibilis ipsi visui: Consequens autem coniunctionem est, quod ex coniunctorum dispositione causatur; sicut aer, vel aqua est medium in tactu: propter hoc oportet, extremitates corporum se tangentium humidas esse: & ita oportet humiditatem aliquam intermedium esse: medium autem, quod est causa coniunctionis, est duplex; quia, vel coniungit effectiuè, sicut homo reconciliatus inimicos dicitur medium inter eos, vel coniungit formaliter, sicut amor coniungit amicos, vt medium, quoddam inter eos. Sed vtrumque horum adhuc dupliciter contingit; quia medium necessitatis, vel causa coniunctionis est in actu, vt patet in vinculo, quo aliqua colligantur, vel est causa coniungibilitatis; sicut siccitas in ligno causat coniungibilitatem ad ignem.* Hæc ibi: quam doctrinã S. Doct. *in art. 2. eiusdem quæstionis* ad præsentem materiam applicans ait: *In vnione humanæ naturæ ad diuinam, nihil potest cadere medium formaliter* *Medium multiplex.*

liter vnionem causans, cui per prius humana natura coniungatur, quàm diuinæ personæ: sicut inter materiam, & formam nihil cadit medium in esse, quod per prius sit in materia, quam forma substantialis: alias esse accidentale prius esset substantiali, quod est impossibile; ita etiam inter naturam, & suppositum, non potest aliquid dicto modo medium cadere, cum vtraq; coniunctio sit ad esse substantiale. Sed sicut aduentum formæ in materia præcedunt ordine fiendi dispositiones formaliter, & materialiter; quibus materia redditur idonea ad susceptionem formæ: ita etiam in humana natura inueniuntur quædam super addita, quibus redditur decens, vt assumatur à diuina persona, vt scientiæ, & virtutes, & huiusmodi. Vnde ista possunt quodammodo dici medium congruentiæ. Hæc S. D. & *ibidem in resp. ad secund.* ait: *Fruitio operationem quandam dicit. Vnde per fruitionem anima vnitur Deo, sicut operans operationis obiecto: hoc autem ad rationem perfectæ operationis pertinet, vt à potentia mediante habitu eliciatur: Et ideo oportet, quòd vnio fruitionis mediante habitu gratuito fiat: vnio autem in persona est ad vnum esse personale: habitus autem non potest esse principium personæ subsistêtis, sed est ad esse consequens; & ideò gratia non est medium in vnione personali, sicut vnionem formaliter causans.* Et in respons. ad tert. *Quamuis* (inquit) *assumi in vnitatem diuinæ personæ sit supra facultatem humanæ naturæ: non tamen exigitur aliquid formaliter humanam naturam eleuans ad talẽ assumptionem; tum quia quocunque addito, talis natura à persona diuina in infinitum distaret; tùm quia, cum assumi per se naturæ conueniat: omnia autem accidentia præter rationem naturæ sunt; & ideò non poterit humana natura, secundum id, quod assumptibilis est, eleuari per aliquod accidens additum ad hoc, vt assumptibilior fiat, sed ad hoc, quod assumatur, exigitur benignitas diuina humanam naturam ad tantam benignitatem gratis eleuans.* Hæc S. D. quæ de verbo ad verbum referre placuit, vt videant recentiores, quantum noua eorum inuenta distent à modo loquendi; & fortassis etiam à mente & à veritate doctrinæ D. Th. qua sola benè percepta & mature perpensa confutari ac dilui facile poterunt eorum doctorum rationes & fundamenta, quibus suam aduersus antiquos Thomistas nituntur opinionem stabilire. Sic enim ex hac D. Th. doctrina possumus argumentari. Primò; Inter materiam & formam nihil cadit medium in esse, quod prius sit in materia quàm forma substantialis; ergò nec inter naturã & suppositum potest aliquid dicto modo mediũ cadere. Antec. prob. quia aliàs esse accidentale esset prius substãtiali quod est impossibile: Cõseq. verò prob. quia vtraque coniunctio est ad esse substantiale.

Confutatur responsio ad præcedentẽ rationẽ, & obiter disputatur de causalitate materiæ & formæ, & de earũ vnione & explicatur inter naturã & suppositũ nullam esse mediã causalitatem.

Sed dicent Suar. & Vasq. argumentum hoc militare contra sententiam Gab. & Scoti; non autem contra suam opinionem asserentem, medium illud esse modum substantialem ab humanitate, non realiter sed solum ex natura rei distinctum, sicut modus formæ, quo vnitur materiæ, ab ea distinguitur ex natura rei. *Sed hic dicendi modus* facile confutatur ex eodem fundamento; quoniam inter materiam & formam nullus modus est medius, nisi causalitas materiæ & formæ: at inter naturam & suppositum nulla est causalitas: ergò. Prima propositio notissima est apud Methaphysicos & conceditur ac explicatur à Suar. *disput. Metaphys. 13. sect. 9.* Vbi agit de causalitate materiæ, *& disp. 15. sect. 6.* Vbi agit de causalitate formæ. Ait autem Suar. causalitatem materiæ in ipsam formam (quando materia talis est vt à materia causetur & pendeat) non esse aliud à propria vnione talis formæ cum materia, quatenus ipsamet vnio materialiter causatur à materia, & mediante illa forma ipsa pendet etiam à materia. Vnio verò (inquit) animæ rationalis cum materia singularis est, & diuersæ rationis essentialis ab omni vnione materialis formæ, quam substantialem inhæsionem appellare possumus: hęc autem vnio causatur (inquit) materialiter à materia; & tamen ipsa anima non causatur: Causalitatem autem formæ docet esse actualem vnionem formæ ad materiam, & vnam & eandem esse vnionem, quæ causatur à forma & à materia & ab efficiente, ab vnoquoque in suo genere, neque repugnare vt eadem vnio quatenus est à forma sit quasi via seu ratio, qua mediante forma causat totum compositum; & quatenus est à materia sit ratio qua mediante forma materialis in suo esse à materia pendet. Vasq. autem *disputatione decimanona capit secundo*, quamuis in forma accidentali præter modum inhæsionis nullam aliam causalitatem aut effectum formalem agnoscat; in forma tamen substantiali præter modum inhæsionis constituit actum informationis in forma, & actum receptionis in materia: Quos actus affirmat esse idem realiter inter se, & cum ipso effectu substantiali deriuato ab ipsa forma. Ait præterea modum animæ rationalis, quo sit apta materiæ, vt dicatur vnita, cum de se vnita non sit, ab homine generante produci. Quamuis enim (inquit) non habeat virtutem producendi spiritualem aliquam substantiam, benè tamen habet modificandi illam, vt coniungatur materiæ tamquam forma, & fiat substantia corporea: cùm totum hoc ad constitutionem substantiæ corporeæ ordinetur. *In quibus tamen dictis* (vt obiter dicam quod sentio) duo sunt, quæ à Metaphysica veritate videntur extranea. *Primum* est: vnam & eandem esse vnionem, & actum materiæ & formæ. *Secundum* est modum & vnionem animæ intellectiuæ, vt eius modus est, à generante produci: primum enim proprias & oppositas ac sese inuicem in diuerso genere præcedentes causalitates materiæ & formæ confundit; cum tamen non minus quàm ipsæ causæ debeant esse distinctæ; cùm præsertim vnio prout est naturæ modus, sit idem cum ea secundùm rem; & vnio vt modus est formæ, non sit alia res ab ea distincta: vt videntur etiam authores prædicti confiteri. Secundum autem adhuc magis apertam habet absurditatem: tùm quia modus ille idem est realiter cum anima rationali; tùm quia spiritualis omninò est; tùm quia propria est animæ causalitas, prout se ipsa corpus informat; de qua re videndus est Cai. *in 1. p. q. 118. a. 2. circa resp. ad 3. D. Th.* Sed prædictos authores arbitror nominis ambiguitate fuisse deceptos: Vnio namque multiplex nomen est; nonnunquàm enim vnius tantùm extremi; quatenus coniungitur alteri, modum significat: puta modum seu vnionem materiæ vt recipit formam, vel modum & vnionem formæ vt actuat materiam: quandoque verò vnam quasi totam ex his duabus vnionibus consurgentem vnionem significat: vnius enim vnionis rationem habent & pro vna computantur; tùm quia necessariò connexæ sunt; cum vna nequeat esse sine altera; & vna quodammodo pendeat ex altera, & ordine instantis naturæ à quo licet non in quo,

Cõfutatur duo dicta Vasquezij de vnione.

Vnio multiplex nomẽ est.

sese inuicem præcedant & consequantur; tùm quia ad vnum ordinantur compositum constituendum, quod ex vtriusque partis vnione resultat. Hanc itaque solam posteriorem vnionis significationem considerantes, vt vnam simpliciter authores illi vnam esse tantùm vnionem affirmarunt, quam soli formæ dicunt conuenire, & in materia simul cum ipsa forma recipi; Quod esse falsum perspicuè patet ex dictis. Sed de his alibi fortasse Deo dante differemus vberius. His adde cau-

Causalitas formæ quod sit.

salitatem formæ non esse verè & realiter aliquid medium inter ipsam formam & eius materiam: vt ait Caietanus *in 1. p. quæst. 76. art. 1. circa resp. ad 6. D. Thom.* quia causalitas formæ est veluti operatio per modum actus secundi ipsius causæ formalis nihil super eam addens, nisi ipsam formam esse actum subiecti, quod (inquit Caietanus) non est ipsa forma, nec ipsum subiectum, nec aliquod ens medium; quia esset processus in infinitum, sed est subiectum & formam in esse tali indiuisa esse, seu subiectum esse simpliciter vel secundum quid tali forma. Vide ibi latam & subtilem huius materiæ explicationem.

Secunda verò propositio affirmans inter naturam & suppositum nullam esse causalitatem patet ex ijs, quæ latè diximus *in prima parte quæstione 30. articul. 2. Contro. 3.* & breuiter ostenditur; quia subsistentia qua suppositum constituitur, purus terminus est; at verò terminus vt sic, nullam dicit causalitatem: natura verò ad subsistentiam comparatur, vt res incompleta ad suum illi debitum complementum; ac proindè eodem actu quo Socrates à Platone generatur, eius etiam producitur subsistentia: adeò vt nunquam intelligatur completa generatio Sortis, nisi postquàm fuerit per subsistentiam, vt eius intrinsecum complementum terminata: complementum autem vt sic, à re non causatur, cuius est complementum, sed ab eo qui rem completam in esse producit. *Sed ait Vasq.* vnionem Verbi diuini cum humana natura esse modum, qui est actus ipse suppositi terminantis & sustentantis naturam, & potest (inquit) appellari modus in existentiæ; quia natura humana, quæ per se existere poterat, in illo existit tanquàm in supposito, & est modus dependentiæ naturæ humanæ à Verbo, tanquam à supposito terminante. *Sed hæc frigola sunt* nec ostendunt modum aliquem nouum realem inesse humanitati, quo Verbo copuletur vt in eo subsistat: Verbum enim humanæ subsistentiæ vices agens excellenter humanitati se ipso coniungitur immediatè tamquam terminus; igitur in humanitate, quę potentiam habet obedientialem ad subsistentiam diuinæ personalitatis: nihil de nouo fit nisi hoc, quod est actu subsistere subsistentia Verbi: hoc autem nihil creatum addit humanitati, quod sit veluti medium, aut vnio formalis illius cum Verbo; sed diuinā tantùm personā seipsam, quo ad subsistentiam humanitati communicantem: actu namq; terminare, siuè naturalis siuè supernaturalis sit terminus, aut terminatio, nihil prę-

Vasquezij falsitas.

Refutatio.

ter ipsum terminum ponit in terminato: Si nāque terminus præsertim substantiæ, sit naturalis qualis est omnis creata subsistētia, nullam habet respectu terminatæ naturæ causalitatem; neque ab ea dependet, vtà causa, nec vllam prę exigit in ea dispositionē, vt antè diximus. Si verò terminus fuerit supernaturalis, vt in proposito Verbi personalitas respectu humanitatis in Christo; cū puri termini munus exerceat, nullam habet respectu naturæ humanæ causalitatem: & cū sit creator, multò minus ab ea dependet, quæ creatura est: Actus igitur diuinę personæ terminantis humanitatem valdè ęquiuocè actus est, nec ad modū actus agentis aut formæ informantis est concipiendus: in his enim actus causalitas quædam est, & modus quidā agentis vel formæ deriuatus in materiam agentis vel formæ subiectā, & nouā aliquam realitatem in ea constituens: at actus personæ diuinæ terminantis humanitatem; cum nullam in eam exerceat causalitatem, nihil omninò noui, nisi personam ipsam, vt terminum in ea constituit: alioquin diuina personalitas, iā non puri termini præstaret officium, sed causæ sua virtute aliquid influentis: Et cum potentia humanitatis respectu diuinæ subsistentiæ non sit naturalis sed obedientialis, & sit ad eam non vt ad operationem, sed vt ad terminum, & vt ad subsistentiam formaliter nullam exigit, aut patitur prætuiam in humanitate dispositionem, sed immediatè respicit subsistentiā; vt ante notauimus ex D. Th. ac proindè reducitur hoc ipso potentia illa obediētialis ad actū, quod diuina persona fit terminis humanitatis; ita vt humanitas ea subsistat. Et quemadmodū formæ causalitas, quæ est eius vnio cū materia, nihil addit supra formā, sed dicit ipsam formā esse actum subiecti, quod non est aliquid mediū inter ipsam formā & materiā, sed est ipsam formā & subiectum esse indiuisa in tali esse, seu subiectū habere esse simpliciter vel secundū quid per talē formā, & similiter causalitas materiæ non est aliquid medium inter ipsam materiam & formā; sed est materiā esse subiectum formæ, & ipsam cum forma esse indiuisam in tali esse, seu materiā respicere formam cum tali esse: sic vnio hypostatica seu terminatio aut suppositatio naturæ humanæ ex parte diuinæ personæ nihil addit supra personā ipsam, sed dicit quasi actum secundum ipsius diuinæ personalitatis, qui supra personalitatē nihil addit, nisi ipsam personam esse actu terminū humanæ naturæ: quod non est ipsa persona nec humanitas, sed est personam & humanitatem in esse personali indiuisam esse, seu personam diuinam terminare, & subsistentiam communicare humanitati: ex parte verò humanitatis nihil aliud est, quàm humanitatem terminari, & subsistere diuina personalitate, & habere esse personale indiuisum cum ipsa diuina persona, seu potentiam humanitatis obedientialem ad subsistentiam diuinæ personæ compleri. Hoc autem non est humanitatem habere aliquid mediū inter ipsam & diuini Verbi personam, vt patet ex dictis de vnione, & causalitate materiæ & formę, quæ causalitas longè magis apparentem habet rationem medij, quàm terminatio illa passiua humanitatis per subsistentiam diuinæ personæ &c.

Probatur cōtra Suar. & Vasq. nullū intercedere mediū substantiale in humana Christi natura, vt ipsi volunt subsistat.

Deinde contra Suarezium & Vasquezium asserentes modum illum, quem humanæ Christi naturæ dicunt esse necessarium vt in Verbo subsistat, esse modum substantialem habentem intrinsecam & essentialem habitudinem ad Verbū, quam hi vocant relationem transcendentalem, esseque tantum ex natura rei ab humanitate distinctū: sic argumentor: Omnis relatio rei transcendens est ipsa rei natura, vt in aliud essentialiter ordinata; ita vt absque tali ordine; nec per primā intellectus operationē possit intelligi; igitur omnis relatio trāscendēs est ei, cui conuenit,

natu-

naturalis: at nulla est humanitatis respectu Verbi seu diuinæ personalitatis relatio naturalis; ergò nulla talis relatio, vel modus inuenitur in humana Christi natura respectu Verbi: Anteced. probatur; quia relatio transcendens illis rebus tantùm propriè conuenit, quæ cùm non sint in prædicamento relationis, necessariò diffiniuntur per additamentum extrinseci. Huius autem modi diffiniendi ratio à priori nulla potest assignari, nisi quia res illæ sunt essentialiter in aliud ordinatæ; quod enim ad aliud habet ordinem essentialem, nec concipi sine illo potest nec diffiniri, è conuerso: vt patet de materia respectu formæ, & de forma respectu materiæ, de potentia respectu actus & obiecti; de motu respectu termini & alijs similibus, vt Caietan. aduertit in *1.p.qu.27.a.4.& qu.77.a.3.* Imaginandum est enim (inquit Caiet.) materiam, formam, potentias, & habitus & alia huiusmodi esse entitates quasdam medias inter absolutas omninò & respectiuas totaliter; ita vt non per aliquid superadditum, sed per suas essentias ordinem habeant essentialiter ad alia; ita vt absque eis intelligi, etiam in prima intellectus operatione non possint; non quòd extrinseca illa differentiæ earum sint, sed quia earum differentiæ sumuntur ab ordine ad illa, non quidem prædicamentali sed transcendente: simpliciter tamen hæc entia dicenda sunt absoluta: quoniam absolutum propriè & simpliciter dictum distinguitur contra relatiuum prędicamentale. Consequentia verò probatur; quia nihil est rei magis naturale, quàm quòd est intimum & essentiale. Subsumpta verò propositio probatur: quoniã implicat perfectionem esse rei supernaturalem, & rem ad illam naturaliter ordinari: quia naturalis ordo, & inclinatio rei non est, nisi ad id, quod est ei naturaliter commensuratum & debitum; ac proinde quod est eiusdem ordinis.

Ratio. Secundò aduersus eandem opinionem sic argumentor. Talis modus esset supernaturalis & idem realiter cum ipsa substantia, vt patet ex dictis: at implicat dari substantiam supernaturalem, vt ostendimus *in 1.p. qu.12.ar.5.in 3.Controu.* ergò. *Resp.* *Sed respondet* quidam iunior Thomista, implicari quidem dari substantiam completam supernaturalem; quia substantia completa non potest specificari ab extrinseco: omne autem supernaturale specificatur ab aliquo extrinseco scilicet à Deo vt excedente totum ordinem vniuersi, & eadem (inquit) ratione implicat dari partes substantiæ, scilicet materiam & formam supernaturales; quoniam illæ mutuò se specificant; quia mutuò se respiciunt, & non specificantur à Deo vt excedente totum ordinem vniuersi: modus autem hic substantialis, quia specificatur à Verbo, cui vnitur humanitas, vt excedit totum ordinem vniuersi licèt sit substãtialis potest esse supernaturalis. *Sed hæc responsio* *Confutatio.* non diluit argumentum: primò: quia modus hic supernaturalis; cùm sit relatio transcendens, idem erit realiter quod ipsa tota humanitas vt à Verbo terminabilis; atque ita tota humanitas erit supernaturalis. Secundò; quoniam si modus hic idem est realiter cum humanitate, & est illi intrinsecus; ergò est illi naturalis & connaturalis: aut saltem poterit à Deo produci natura seu essentia, cui talis modus sit connaturalis: hoc autem est impossibile, *vt in allegata Controu.* probauimus; ergò. Sequela quo ad primam partem probatur; quia omne quod est intrinsecum & essentiale rei, est illi naturale: iam autem diximus modum hunc cùm sit relatio transcendens A secundùm aduersarios, esse etiam secundùm eos intrinsecum & essentialem: quoad secundam verò partem probatur: quia cõgenitus esset ipsi naturæ humanæ, nec vnquam fuisset sine tali modo: quo ad vltimam autem partem patet; quia non implicat creari à Deo naturam, cui modus suaptè natura intrinsecus & essentialis alicui naturæ creatę sit illico naturalis. Secundò deficit ea responsio; quia impossibile est aliquid supernaturale esse idem realiter & essentialiter cum re naturali; igitur impossibile est, modum illum supernaturalem identificari realiter humanitati: antecedens probatur: quia magis distat modus supernaturalis à re naturali, quàm modus spiritualis à re materiali: sed implicat esse aut heri modum spiritualem; qui sit idem realiter cum B re materiali: ergò. *Respondet* prædictus Tho- *Resp.* mista non esse impossibile aliquid supernaturale identificari cum re naturali; & aliquid omnino immateriale cum re materiali: quoniam (inquit) resurrectio corporum supernaturalis est; & tamẽ idem est realiter cũ re naturali, scilicet ipsis hominibus resurgentibus: sicut omnis motus vel mutatio identificatur cum suo termino: & potentia obedientialis aliquid habet formaliter supernaturalitatis; cùm respiciat Deum vt authorem omnium supernaturalium superantem totum ordinem vniuersi: & tamen non distinguitur à re naturali cuius est potentia; & tãdem modus C existendi in Sacramento, quem habet corpus Christi, est supernaturalis, & tamen si modus non distinguitur à re, cuius est modus, identificatur cum corpore naturali & materiali. *Sed hæc* *Confutatio.* *responsio* non satisfacit: nam actus & effectus potest esse supernaturalis dupliciter: vno modo secundùm se, vt gratia, gloria &c. & hæc dicitur propriè & simpliciter supernaturalis: alio modo quo ad talem modum fiendi: vt visus cęco datus: nam etsi visus secundùm se sit homini naturalis; quod tamen illi post cæcitatem, & in instanti cõferatur, supernaturale est: & hoc dici potest supernaturale secundùm quid siue quoad modum: Sic igitur in proposito hominum resurrectio nõ est naturalis primo modo; quia terminatur ad vnionem animæ & corporis, quæ simpliciter loD quendo est ex vtraq; parte naturalis non minus, quàm visus in homine, sed est supernaturalis secũdo modo; quia suppositа separatione per mortem animæ à corpore, non est facultas in tota natura, per quam iterum vniantur. Vide, quę in hac materia scripsimus in *1.p.q.1.a.1.controu.2.* Modus aũt ille, quẽ prędicti ponũt in humanitate respectu verbi supernaturalis esset primo modo; quia nihil ad ordinẽ naturæ pertinẽs potest facere humanitatem vnibilẽ Verbo, aut ex vnione humanitatis cum Verbo resultare: potẽtia aũt obediẽtialis non est propriè loquendo supernaturalis, sed est ipsamet res naturalis cum negatione repugnantiæ; vt fiat in ea, quid quid facere voluerit E Deus: adeò vt tota supernaturalitas sit in agente & eius operatione: ipsa verò potentia secundùm totum id, quod in ea reale est, sit naturalis: per extrinsecam autem denominationem dici possit quodammodo supernaturalis: quia scilicet consideratur in ordine ad agens supernaturale, ad quod tamen ab intrinseco non ordinatur; sicut nec ad actum, seu perfectionem ab eo factibilem recipiendam ordinatur; sed merè negatiuè se habet; quia scilicet non repugnat. Modus autem exist̃ẽdi corporis Christi in Sacramento est quidem supernaturalis primo modo, sed non est idẽ realiter cum ipso: sicut nec omnis modus idem est realiter cum re, cuius est modus.

Corollaria ex præcedēti doctrina deducta. Primum.

Ex his sequitur primò, nullam relationem transcendentem esse distinctam ex natura rei ab eo, quod tali relatione refertur. Probatur id sequi; quia relatio omnis transcendens ad eius, cuius est relatio quidditatem pertinet, vt ostendimus. Quod autem ad rei quidditatem seu essentiam pertinet, non distinguitur ab ea ex natura rei, sed ad eius naturæ rationem formalem pertinet: Cùm igitur ille modus, quem in humanitate cōstituunt sit secundùm eius authores relatio transcendens: Consequens est illum ab humanitate ex natura rei non esse distinctum.

Secundum.

Secundò sequitur, non solùm illum modum, si conueniret humanitati, habere intrinsecum & essentialem ordinem ad Verbum, sed etiam humanitatem ipsam. Probatur illatio: quia tunc humanitas non distingueretur realiter aut ex natura rei ab illo modo seu relatione transcendentali, sed eam intime clauderet; sicut in ratione materiæ quidditatiua clauditur intimè ordo ad formam, & in ratione formæ ordo ad materiam. Itaque ridiculum est & contra veram Metaphys. quòd aiunt prædicti recentiores, nimirum dictū modum non autem humanam Christi naturam habere essentialem habitudinem & relationem transcendentalem ad Verbum.

Tertium.

Tertiò sequitur, non posse dictorum recentiorum opinionem, & multò minus opinionem Scoti cum sententia D. Tho. conciliari; cuius oppositum gratis & nimis facilè pronuntiat Suar.

Quartò patet ex dictis, quasdam rationes Aluarezij, *disput. 13.* aduersus hanc opinionem esse parum efficaces. *Prima* namque qua probat primam suam conclusionem, assumit nullum intercedere modum substantialem inter animam & corpus, quo formaliter vniantur. Quod esse falsum ostēdimus; quia duplex intercedit causalitas, quam prædicti modum appellant: altera ex parte animæ: & altera ex parte corporis. *Secunda* verò ratio pro eadem conclusione, licèt verum assumat; malè tamen infert intentum, eo quod non est eadem ratio de vnitate in albedine, quæ conuenit duobus albis, & de vnitate duarum in vna persona; quia *illa* vnitas specifica tantùm est: hæc autem est numeralis: & præterea in hac vnitate, vnum extremum, scilicet humanitas eleuatur supernaturaliter ad esse personale diuinum, quod est alteri extremo, scilicet naturæ diuinæ & Verbo naturale. Tertia verò falsum assumit, videlicet, si modus ille vnitus est Verbo hypostaticè, oportere illum vniri per alium modum substantialem, & hunc per alium, & sic in infinitum: nam dici facilè posset, modum illum non propriè vniri Verbo vt quod, sed esse id quo vnitur humanitas Verbo: humanitati verò modum illum per se ipsum vniri: cū n. eius ratio formalis consistat in modificatione humanitatis: hoc ipso dicitur illi vniri, quod eam modificat. Dicent igitur prædicti recentiores id, quod propriè vnitur esse humanitatem cum illo modo; quatenus idem est realiter cum illa; id autem quo vnitur humanitas, esse modum illum; quatenus formaliter & ex natura rei ab ipsa distinguitur. *Alia* verò eiusdem authoris rationes, quibus primam & quartam suam probat conclusionem longè solidiores sunt.

Cōclusiones, deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Per actum assumptionis & vnitionis nulla facta est qualitas in humanitate Christi, per quam vniretur Verbo personaliter.* Hæc patet ex dictis. Eandem probat Suarez *disp 8. sect. 2.* oppositam sententiam confutando, ea præsertim ratione quòd pertineat ad errorem Nestorij. Sed Vasq. *disput. 18. cap. 2.* nititur illam opinionem ab hoc errore vindicare, & eam alijs confutat argumentis. Sed de hoc suo loco disseremus. Eandem conclusionem probat Valentia, *punct. 5.*

SECVNDA CONCL. *Per dictam actionem non fit in humanitate relatio vnionis, quæ sit accidens, vt per eam humanitas vniatur Verbo.* Probatur hæc Conclusio primò; quia, si relatio vnionis inter humanitatem & Verbum est ea, qua formaliter hæc duo extrema vniuntur adinuicem, vt affirmat Rada dicens, per actiuam vnitionem fieri primò in humanitate vnionem formalem ad Verbum, tanquam ad suppositum, in quo subsistit, quam vnionem docet esse relationem de genere accidentis, sequitur vnionem humanitatis ad Verbum esse factam secundùm relationem. Quod expresè negat quinta Synodus, *Collat. 8. c. 4.* Si verò relatio hęc vnionis non sit, qua formaliter quasi vinculo quodam humanitatis Verbo copuletur; igitur prius ordine naturæ est esse substantiale in compositione consistens, & subsistere humanitatis in Verbo, id est personalitate Verbi, quàm sit illa relatio in humanitate. Probatur illatio primò: quia relatio posterior est suo fundamento: ostendimus autem dictum esse substantiale, & vnitatem personalem in duabus naturis esse fundamentum prædictæ relationis. Secundò quoniam in quolibet indiuiduo substātialia omnia præcedunt omnia accidentalia eiusdem indiuidui: Quia esse simpliciter est prius esse secundùm quid. Tertiò quia si dicta relatio non concurrit vt vinculum humanitatis cū Verbo, vt ostendimus: nulla ratio est, cur in humanitate ponatur, antequam subsistat in Verbo; sed satis erit humanitatem diuina subsistentia terminari, & ad vnitatem Verbi personalem eleuari, vt constituatur substantiale compositum, quod est Christus: vnio verò prout relatio est, consequetur extrema substantiali vnitate copulata, vt vbique docet S. D. & eius discipuli. Hanc conclusionem probat Valentia, *punct. 5.* Secundò probatur conclusio; quoniam ad hoc, vt anima in hominis generatione, aut in resurrectione vniatur corpori, nulla necessaria est relatio; ergò nec etiā necessaria est, vt humana natura diuino supposito coniungatur. Conseq. patet ex Athanasio dicente; *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus:* Antecedens verò probatur; quia sufficit causalitas materialis ex parte corporis, & formalis ex parte animæ: hæ namque ad vnam integram substantialem, & absolutam vnionem pertinent, ad quam primò sequitur substantiale compositum, quod est homo; deinde relatio inter extrema. Tertiò si actione vniendi fit in humanitate vnio formalis, quæ sit relatio prædicamentalis, & quæ sit terminus immediatus huius actionis; sequitur, vnionem humanitatis cum Verbo non esse substantialem, sed accidentalem, quod est hæresis Nestoriana.

Infantia.

Resp. Rada, in vnitionibus non fieri denominationem à termino immediato, sed ab ijs, quæ vniuntur; quæ si accidentaliter vniantur, vnio actiuè & passiuè sumpta accidentalis est: si verò vniantur substantialiter, vnio ipsa siue actiuè siue passiuè accepta est substantialis; humanitas autem vnitur Verbo secundùm subiectum, id est hypostasim, quæ est substantia, verum esse substantiale ipsi Verbo tribuendo, scilicet esse hominis; quia ex vi vnionis Verbum verè est homo & substantia & quid, non quale aut quantum aut ad aliquid: Cùm igitur vltimus vnitionis terminus & primariò intentus, scilicet Christus, sit substantia, hæc actio non est dicenda accidentalis

Sol. lis sed subſtantialis. *Sed hæc reſponſio* non diluit arg. & implicat contradictionem. Nam ſi formalis vnio, qua cõiunguntur extrema, merum accidens eſt; igitur non vnientur extrema, niſi ratione illius accidentis; ergò etiãſi extrema ſint ſubſtantiæ, non erit eorum vnio ſubſtantialis, ſed accidentalis: igitur contradictio eſt aſſerere formalem extremorum vnionem eſſe accidens, & ipſa extrema ſubſtantialiter vniri. Prima conſequentia probatur; quia vnio formalis eſt ratio vniendi extrema. Secunda verò probatur; quia cauſalitas formalis non extenditur vltra ſuum genus; non enim albedo dat eſſe quãtum aut ſubſtantiale, & ſimiliter de alijs; ergò nec relatio v- B nionis, quæ accidens eſt de prædicamento relationis, facit vnionem ſubſtantialem, ſed accidentalem tãtùm. Et confirmatur; quia ſic facilè poſſet hæreſis Neſtorij cum ſententia Catholica cõciliari, dicendo Deum eſſe hominem, & hominẽ eſſe Deum per gratiam & concordiam voluntatum, &c. quæ ſunt accidentia: ſed tamen extremorum vnionem eſſe ſubſtantialem: quia ſubſtantia vnitur ſubſtantiæ. Et idem dici poſſet de veſte in ordine ad veſtitum. Vltima verò conſequentia probatur: quia ſubſtantialis vnio ex ſui ratione fit per extrema ſibi inuicem immediatè, id eſt non medio accidente copulata; vt patet in materia & forma, quæ non media qualita- C te aut relatione, ſed ipſis immediatè per ſuas cauſalitates vniuntur ad vnum ſubſtantiale compoſitum conſtituendum: relatio verò vnione ſubſtantiali iam facta conſurgit. Et confirmatur argumen. quia ſi extrema ſubſtantialiter vniuntur, & non propter vnionem, quæ eſt accidens; igitur eſt in eis alia ratio, qua ſubſtantialiter vniantur: hæc verò nihil aliud eſt, quàm vnitas diuinæ ſubſiſtentiæ perſonalis humanæ naturę communicata: ex hoc enim, quòd humanæ naturæ communicatur ſubſiſtentia Verbi, vt ſcilicet perſona Verbi ſubſiſtat in humana natura, fit vnio ſubſtantialis: & Deus eſt homo, & homo Deus: Hæc verò communicatio, nec vllam præſuppo- D nit relationem; nec eſt ipſa relatio vnionis, & eſt vnio ſubſtantialis, & dicit vnum ens in alio, ſcilicet perſonam in natura; & è contra; ad quod conſequitur alia vnio, quæ eſt relatio.

» TERTIA CONCL. *Per actionem vniendi & aſ-*
» *ſumendi nullus ſit modus ſubſtantialis abſolutus, aut*
» *relatiuus, qui ſit vnioni prævius, aut formalis vnio illius*
» *cum perſona Verbi, ſed per ſe ipſam formaliter imme-*
» *diatè perſonæ Verbi vnitur humanitas, & è contra.*
Hæc eſt ſententia D. Thom. & Caietan. vt patet ex locis ſupra notatis, & probata manet ex dictis.

Argumẽta, & ſolutiones. CONTRA *primam* concl. produci poſſent argumenta, quæ affert & ſoluit D. S. & expoſitores *infra. 10.* vbi quęrit, an vnio duarum naturarum E in Chriſto ſit facta per gratiam.

CONTRA *ſecundam* concluſ. militant duo argum. Scoti, quæ refert & ſoluit Caiet. *hic dub. 5.* & multa argumen. quæ affert & ſoluit Med. *in quæſt. de termino aſſumptionis:* dicunt enim Scotiſtæ, terminum aſſumptionis & vnitionis immediatum eſſe relationem. Contra eandem concl. arg. *Obi 1. cont. 2. cõcl.* Rada *Primò:* per actionem vniendi fit aliquid in humanitate, & non fit entitas abſoluta; ergò entitas relatiua ſiue relatio. *Reſp.* falſum eſſe anteced. *Sol.* quo ad priorem partem, vt oſtendimus.

Ob. 2. *Secundò.* Illud propriè eſt terminus aſſumptionis, quod acquiritur per actionem; ſed per actionem aſſumptionis; quantum eſt de natura talis actionis nihil acquiritur, niſi vnio naturæ A aſſumptæ cum perſona aſſumente, vt iam natura humana in ſe non ſubſiſtat, ſed in perſona aſſumente; ergò vnio humanitatis cum Verbo eſt terminus aſſumptionis. *Reſpond.* vnionem in *Sol.* propoſito tripliciter ſumi: primò vt dicit eſſe Verbi perſonale indiuiſum humanæ naturæ cõmunicatum: ſecundò vt dicit vnum eſſe ſubſtantiale in compoſitione conſiſtens: tertiò vt dicit relationem inter extrema vnita, ſcilicet inter humanitatem & Verbum. Ad argumentum igitur dico primò, falſam eſſe minorem in ſenſu Radæ; quia per aſſumptionem acquiritur primò humanæ naturæ, vt terminus formalis aſſumptionis, eſſe perſonale Verbi, quo ſubſiſtit humana natura: Deinde acquiritur, id eſt producitur, vt terminus totalis eſſe ſubſtantiale in compoſitione conſiſtens, quod eſt Deum eſſe hominem; quibus duobus tribuitur nomen vnionis. Poſtremò ex eis, veluti fundamentis ſequitur vnio, quæ eſt relatio, realis quidem ex parte humanitatis, rationis autem ex parte Verbi & humanitatis. Secundò dico in minori implicari contradictionem; quoniam hoc ipſo, quòd per aſſumptionem acquiritur vnio, qua natura humana ſubſiſtat in perſona aſſumente, non acquiritur primò & immediatè relatio, ſed eſſe ſubſtantiale ad quod ſequitur relatio.

CONTRA *tertiam* Concluſ. ſunt argumenta Suar. & Vaſq. quæ refert & ſoluit Aluarez *in allegata diſput. 13.* quæ ferè omnia ex iactis ſupra fundamentis facilè diluentur; aduertendo ſpecialiter contra Vaſquezium naturam humanam, vt priorem ſua perſonalitate poſtulare ſuapte natura à propria perſonalitate terminari; & ideò non eſſe ex ſe indifferentem vt vniatur Verbo & non vniatur: ìta vt ex ſui natura & ab intrinſeco vendicet ſibi talem differentiam; nam quod ex ſui natura determinatum eſt ad vnum, non eſt indifferens ad duo incompoſſibilia: conſtat autem perſonalitatem diuinam eſſe incompoſſibilem perſonalitati propriæ in humanitate: Cùm igitur humanitas ex ſui natura determinetur ad propriam perſonalitatem, non erit indifferens ex ſe ad perſonari & non perſonari perſonalitate diuina. Et quia diuina virtute poteſt à terminatione propriæ perſonalitatis impediri, & diuina perſonalitate terminari: ideò in ordine ad potentiam Dei ſupernaturalem eſt indifferens ad perſonari, & non perſonari diuina perſonalitate, ad quam ideò habet potentiã obedientialẽ, quæ, vt reducatur ad actum, nullam exigit in ipſa humanitate mutationem præter actualem terminationem, per quam fit diuina perſonalitate ſubſiſtens: hoc enim ipſo quàm maximè mutatur humanitas, quod ad diuinæ perſonæ ſubſiſtentiam eleuatur: ſi namque nouæ qualitatis aut modi ſubſtantialis acquiſitione mutaretur humanitas, multò magis ac verius mutari dicetur acquiſitione diuinæ perſonalitatis, quæ perfectionem ac dignitatem ei confert infinitam.

Contra eandem concl. argumentantur alij *pri-* *Obi. cont 3. concl. 2.*
mò: ſubſiſtere Verbi, vt communicatum humanitati non eſt ipſum ſubſiſtere ſecundùm ſe: hoc enim præſupponitur ad vnionem; ſed eſt aliquid creatum in humanitate; ſicut eſſentiam diuinam communicari intellectui Beati per modum ſpeciei, non eſt ipſa eſſentia diuina ſecundùm ſe, vt eſt increata; ſed eſt aliquid de nouo cauſatum in intellectu Beati; ergò etiãſi eſſe perſonale Verbi, vt communicatur humanitati, ſit terminus huius vnitionis, vt vult Caiet. terminus illius erit aliquid creatum. *Reſpond.* in termino *Sol.* vnionis formali duo conſiderari: alterum eſt

ratio

ratio formalis terminandi; & hoc est ipsum esse personale Verbi relatiuum & increatum: alterum est modus siue conditio, sine qua terminus vnionis formalis esse non potest, & hæc est communicatio seu applicatio eius vt termini, ad humanitatem. Et quia principale quod in termino consideratur est ratio formalis terminandi, ideò simpliciter & absolutè loquendo de termino formali vnionis hypostaticæ, dicimus esse aliquid increatum: Igitur ad argumentum negatur illatio: nam licèt subsistere Verbi, vt communicatum humanitati dicat aliquid creatum ratione communicationis, quę est conditio termini: non est tamen aliquid creatum quoad ipsam formalem terminandi rationem, quæ præcipua est in ipso termino.

Ob. 2. *Secundo* hæc vnitio licèt formaliter sit immanens; tamen virtualiter & terminatiuè est actio transiens; sed terminus cuiuscumque actionis diuinæ virtualiter transeuntis est productus & creatus; ergò. Minor probatur: Quoniam vt probat S.D. *in 1.p.q.27.a.5.* duo tantùm sunt termini improducti per factionem & creationem, scilicet Filius & Spiritus sanctus: quia procedunt ad intra per actiones purè immanentes intellectus & voluntatis: ergò omnis alia actio Dei habet terminum productum per factionem & creationem. *Resp.* falsam esse minorem. Nam, vt supra diximus, actiones vnitiuæ vt sic, non habent terminum productum, & præsertim loquendo de termino formali. Ad probationem negatur consequentia; nam ex illo antecedente sequitur tantùm omnem terminum quacumque alia actione productum, esse creatum & factum, non autem omnem terminum alterius actionis ab immanente diuersæ esse aliquid creatum & factum; quoniam actionis vnitiuæ terminus formalis potest esse aliquid increatum, vt antè diximus.

Sol.

Qvarta Controversia.

An terminus vnionis seu Incarnationis, vel assumptionis sit aliquid creatum vel increatum?

Sententiæ Doctorum

VAs Q. *disp. 18.c.5.* dicit tria: *primum* est vnionem vsurpatam pro vnitate, quæ est terminus actionis vniẽdi, esse quid factum & creatum. *Secundum* est, falsum esse quod ait Caietanus; nimirum vnitatem duarum naturarum in Christo esse quid increatum. *Tertium* est; quocumque modo velimus explicare vnitatem & conuentum duarum naturarum in Christo, totum illud compositum, quod in tempore incipit esse & re vera producitur, esse quid creatum; non quia quodlibet componens & ad constitutionem illius concurrens creatum sit; sed quia compositio aut ipsum compositum ex duabus sit factum, productum & creatum.

Caiet. *in a. præcedenti* docet vnionem pro relatione esse ens reale creatum; vt ibidem ait S. D. vnionem autem pro coniunctione seu vnitate naturæ humanæ in persona diuina non esse aliquid creatum, sed creatorem. Quod vt verum defendunt Med. & alij recentiores discipuli D. Tho.

Suar. *disp.7.sect.5.* dicit tria. *Primum* terminum huius vnionis ex ea resultantem seu per eam productum esse quid factum in tempore per veram & realem actionem, & in hoc sensu esse quid creatum. *Secundum* est: si loquamur cum Caiet. non de termino adæquatè resultante ex vnione, sed de vnione duarum naturarum in subsistentia Verbi appellando subsistentiam vnitatem, quia A in ea vniuntur duo extrema, hæc sine dubio in creata est. *Tertium* est vnitatem hanc non esse terminum productum per vnionem, sed esse terminum terminantem humanitatem, & impropriè dici vnitatem eorum, quæ in ipsa vniuntur.

Astur. *in sua q.7.de grat. Christi, pag.869.* tria dicit *primum*: Si de termino totali sermo fiat nec creatum quid est nec increatum, si rem ipsam attendamus; quoniam includit Verbum & humanitatem, quorum alterum creator est & alterum creatura. *Secundum* si ad prædicationem attendamus; cùm Christus sit Deus & ipsa Deitas, verè de illo dicitur quod est creator: in huiusmodi enim prædicationibus Christus accipitur quasi materialiter pro suppposito, quod sine dubio increatum est. *Tertium:* si de termino formaliori & principaliori sermo fiat, absolutè fateri oportet, quòd huius vnionis terminus increatum quid est. Quem dicendi modum sequitur Aluar. *disput. 13.concl.2.& 3.*

Hvivs *Controu.* definitio magna ex parte pẽdet ex ijs, quæ notauimus *in 1.ad hunc art. controu.* Vbi duplicem esse diximus actionis terminum: alterum totalem & adæquatum: alterum verò formalem; quorum terminorum differentias ibidem explicauimus, ostendimusque terminum Incarnationis, assumptionis & vnitionis totalem esse substantiam compositam ex persona Verbi & humanitate, siue Deum aut Verbum esse hominem; terminum autem formalem diximus ex D. Th. esse personam, vel subsistentiam Verbi, vt connotat in obliquo humanitatem, cui se ipsam communicat.

Relatio. Nominibus vnionis, seu coniunctionis, & vnitatis quandoque totalẽ, & quandoque formalem assumptionis terminum diuersa ratione significari.

Ad cuius euidentiam & præsentis contr. resolutionem, *sciendum est primò*, vtrumque terminum scilicet totalem & formalem à Theologis appellari vnionem seu coniunctionem & vnitatem. Et terminum quidem adæquatum his nominibus significari patet ex ijs, quæ diximus *in alleg. Contr.* Terminum autem formalem eisdem vocibus appellari docet *in a.prac.* Caiet. quem alij sequuntur Thomistæ recentiores. Sed quia Suar. dictis nominibus formalem terminum, scilicet Verbi subsistentiam non nisi impropriè significari contendit; necesse est, dictorum nominum ac præsertim vnitatis ambiguitatem aperire, & quæ sit eorum formalis ac propria significatio declarare.

Considerandum igitur secundò est, vnionem siue coniunctionem naturæ humanæ in persona diuina consistere in vnitate, quæ est inter naturam humanam & personam filij Dei; vt hic aduertit Caiet. Sed obseruandum est vnitatem hanc humanæ naturæ & personæ Verbi dupliciter sumi posse: *vno modo* pro rebus vnis quatenus vnę sunt, id est prout significant naturam humanam & personam Verbi, quatenus in ipsa Verbi personalitate sunt vnitæ; & hoc modo nomen *vnitatis* significat terminum adæquatum assumptionis & vnitionis, qui est substantia composita ex persona Verbi & humanitate; siue Christus Dominus, cuius propria & intima ratio est esse substantiale in compositione consistens: in eadem etiam significatione sumi possunt voces *vnionis & coniunctionis*: *Alio modo* sumitur hæc vnitas pro esse personali Filij Dei cum respectu ad humanam naturã, & ad ipsã Verbi personã, quę in eo esse sunt in diuise; ita vt hoc nomẽ vnitas personalitatis Verbi & humanæ naturæ non includat veluti partes suæ significationis hæc tria, sc. Verbũ, humanam naturã, & personalitatẽ in qua vniuntur; sed solã significet personalitatem cõnotando respectum ad humanitatem & ad Verbum, quæ habent in-

diui-

diuisionem in eadem personalitate. Tribus enim modis considerari potest diuini verbi personalitas seu subsistentia. *Primò* absolutè & sic est vnitas Verbi personalis absolutè sumpta. *Secùdò* cum respectu ad naturam humanam; prout scilicet terminat eius assumptionem & vnitionem, & sic est vnitas, non tãtùm personæ Verbi, sed etiam humanæ naturæ; & hoc modo terminus est formalis assumptionis & vnitionis, & non includit in sui significato naturam humanam, sed eam connotat vt extrinsecam. *Tertio modo* considerari potest, vt humanæ naturæ communicata & faciens, cum ea compositionem; atque adeò vt persona composita: & hoc modo naturam etiam humanam extrinsecè claudit, & est terminus totalis assumptionis, vt ante diximus. Considerãdum est enim diuini Verbi subsistentiam prius modo nostro intelligẽdi exercere rationem termini formalis assumptionis, quàm habeat rationem subsistẽtiæ compositæ: ideò namque subsistentia Verbi incarnati composita est; quia terminus fuit assumptionis & vnitionis. Ex quo patet Suarez. & Vasq. non omnes modos seu rationes subsistentiæ Verbi & vnitatis eius consideraſſe, cum secundam omiserint, cuius cõsideratio facilè soluit propositæ controuersiæ nodum.

Dnob. modis dicitur aliquid dici creatũ.

Tertiò notandum est, dupliciter aliquid dici creatum: *Vno modo*, quia secundùm se totum & omnes sui partes, vel secundùm omnia ad eius cõstitutionem concurrentia est ex nihilo productum, sicut omnia ad naturalem huius vniuersi integritatem pertinentia: *Alio modo*, quia totum ipsum per actionem alicuius agentis saltem primi, factum est; licet non omnes eius partes, aut omnia ad eius constitutionem cõcurrentia sint producta, sicut hoc totum, quod est anima beata vel angelus beatus, est aliquid creatũ: licèt non omnia ad eius constitutionem concurrentia sint producta, nam ad constituendam animam beatam, vel angelum beatum necessaria est diuina essentia, quæ vt forma intelligibilis vniatur intellectui animæ vel angeli: hæc autem non est producta; sed est creatrix omnium. Ex his præmissis deduco sequentes conclusiones.

Conclusiones deductæ & probatæ.

PRIMA CONCL. *Terminus assumptionis vel vnitionis formalis est aliquid increatum.* Probatur *primò*. Terminus formalis assumptionis est persona vel subsistentia Verbi, vt habens seu connotans respectum rationis ad humanitatem assumptam, id est quæ actu assumitur; sed persona siue subsistentia Verbi est aliquid increatum; ergò. Secundò terminus assumptionis formalis est vnio, id est coniunctio naturæ humanæ in persona diuina consistens in vnitate, quæ est inter naturam humanam & personam Filij Dei: sed hæc vnitas est esse substantiale diuinum, quod est subsistentia Verbi, in qua non distinguuntur sed indiuisæ sunt ambæ naturæ; ergò est aliquid increatum. Prima propositio est euidens etiam apud Caietanum & alios. Secunda verò probatur; quia vnum & vnitas non addit super ens naturam aliquam, & vnum quodque per illud idem est vnum, per quod est ens: at humana Christi natura per esse substantiale, quod est esse personale Verbi, coniungitur diuinæ naturæ & ipsi verbo, quod est aliquid increatum, & in eo subsistit; ergò illud esse vnum, siue vnitas esse in quo diuina & humana natura Christi sunt indiuisæ, est aliquid increatum. Maior patet inductiuè in omni vnitate, tam accidentali, quàm substantiali. Minor est de fide. *Sed ait Suarez.* secundùm sententiam Caietani dicentis,

Resp. Suar.

A Christi humanitatem existere per solam existẽtiam increatam, includi in ratione entis entitatẽ essentiæ & existentiæ, & vnum vtramque entitatem includere, & hoc satis esse, vt si altera earum entitatum sit creata, vnitas ex eis resultans creata sit. *Sed erat Suarez.* in ianuis: ens enim multiplex est, & analogicè dicitur de essentia & existentia & personalitate, sicut etiam de substantia & accidente, & de materia & forma, & de toto & partibus, & consequenter etiam vnum de his omnibus analogicè prædicatur. Cùm igitur esse personale, quod est ipsa subsistentia Verbi, sit formalis terminus assumptionis & vnitionis, si vnum & vnitas nihil addit super ens quocunque modo sumptum, sequitur vt vnitas illius esse, quod est terminus formalis assumptionis, in quo indiuisæ sunt ambæ naturæ, sit vnitas diuinæ personalitatis, quæ non est vnitas resultans sed ab æterno præexistens, & in tempore humanitati communicata. Et quemadmodũ ens quamuis analogicè, non tamen impropriè dicitur de prædictis omnibus modis; atque ideò etiam de subsistentia; quatenus terminat assumptionem humanitatis; ita & vnitas de prædictis omnibus vnitatibus analogicè, & tamen propriè prædicatur; ac proinde etiam de vnitate subsistentiæ Verbi, prout terminat assumptionẽ humanitatis. *Secundò* probatur concl. Vnitas personalis Verbi ex hoc, quòd humanitati communicatur in tempore, non amittit esse increatum, quod illi conuenit secundùm se; ita vt de increata fiat creata; ergo eadem vnitas prout est terminus assumptionis & vnitionis est aliquid increatum. Antecedens probatur à simili in anima rationali; cuius esse & vnitas nullam recipit variationem ex hoc, quod terminat actum generationis & corpori corruptibili communicatur; & si præextitisset ab æterno immutata etiam corpori iungeretur.

Resolutio.

SECVNDA CONCL. *Terminus assumptionis vel vnitionis totalis non potest in eo sensu dici creatus, vt secundum se totum, & omnia ad eius constitutionem concurrentia sit ex nihilo factus; quod antiquiores exprimerent dicentes, terminum assumptionis totalem non esse creatum siue productum secundùm se totum sincategorematicè.* Probatur hæc conclusio; quia ad terminum assumptionis totalem constituendum concurrit etiam persona Verbi, quæ non est creata, sed creatrix.

TERTIA CONCL. *Idem terminus totalis assumptionis rectè dici potest creatus, id est productus in altero sensu; quia scilicet diuina virtute factum est, vt Verbum increatum, & humanitas creata simul vnirentur, & vnum substantiale compositum, quod est Christus constituerent, quod est apud antiquiores dicere terminum hunc totalem secundùm se totum sincategorematicè fuisse productum.* Probatur hæc conclusio; quia compositum hoc, quod est Christus Deus & homo, cœpit in tempore. Quod significat Ioannes 1. *cap.* cùm ait: *Verbum caro factum est*: Et idem in Symbolo confitetur Ecclesia dicens: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus est.* Et Actorum 2. *Certissimè sciat ergo omnis domus Israel; quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* & Hierem. 31. *Creauit Dominus nouum super terram; Fœmina circumdabit virum.*

QVARTA CONCL. *Propriè & absolutè loquendo dici non potest terminum assumptionis totalem esse creatum aut increatum.* In hac conclusione conueniunt Asturicensis & Aluarez. Probatur; quia creatum propriè & absolutè illud tantùm

tùm est, quod secundùm se totùm, & omnia ad eius constitutionem concurrentia productum est ex nihilo: at non omnia ad terminum Incarnationis totalem constituendum cõcurrentia sunt ex nihilo producta; ergò. Maior patet ex communi Theologorum consensu & vsu: Minor verò probatur; quia verbum, quod est præcipuum in constitutione termini totalis assumptionis est quid increatum: Ex quo sequitur, quòd sumendo creatum stricte & propriè, & increatum prout opponitur, creato hoc modo sumpto, non potest verè dici omne ens esse creatum vel increatum; quia compositum hoc substãtiale, quod est Christus, non est quid creatum neque increatum in eò sensu; & similiter hoc totum, quod est anima beata, vt ostendimus.

„ VLTIMA CONCL. *Si quæstio non sit de re, sed de*
„ *modo loquendi; siue de propositionis veritate & pro-*
„ *prietate, dicendum est, Christum, siue Christi personam*
„ *non esse creatam sed increatam.* Probatur; quia subiectum harum propositionum non supponit pro natura humana, neque pro composito ex humanitate & persona Verbi: sed tantum pro persona Verbi, quæ est increata. Sed de hoc *inf. q. 16.* dicemus vberius.

Argum. & Solut. Ob. 1 com. 1 concl. CONTRA *primam* concl. est argument. quod facit & soluit Caiet. *in a. præc.* Et alia quatuor argumenta, quæ producit & soluit Med. *super eodem art. dub. seu quæst. 1.* Contra eandem concl. argumentatur Vasq. *Primò*: Licet vinculum vnitatis, in quo dicitur facta vnio, sit increatum, cùm sit personalitas Verbi; tamen vnitas ipsa non est Verbi personalitas, sed sicut vnus Christus constat duabus naturis; ita etiam vnitas est duarum

Sol. naturarum conuentus; ergò. *Resp.* falsum esse antecedens; nam, vt supra diximus, vnitas analogicè dicitur; & sicut esse personale, seu personalitas Verbi est personalitas duarum naturarum; ita est earundẽ vnitas; quia vnitas nihil addit super ens.

Ob. 2. *Secundò*, cùm quærimus. Vtrum vnio duarum naturarum in Christo sit quid creatum an non? non quærimus an de Christo posito ex parte subiecti verè enuncietur ratio creati: sic enim nõ supponit pro composito ex duabus naturis; sed tantùm pro persona Verbi: sed quærimus; vtrum illud compositum quod vnum dicitur secundum se, & non tantùm per communicationem idiomatum sit quid creatum an increatum? igitur quocunque modo velimus explicare hanc vnitatem & conuentum duarum naturarum in Christo, dicendum est, totum hoc compositum, quod in tempore incipit esse & re vera producitur, esse quid creatum &c.

Sol. *Resp.* Falsum esse antecedens, quo ad secundam illam partem: videlicet *Sed quærimus* &c. Cùm enim quæsitum illud *vtrum vnio duarum naturarum in Christo sit quid creatum* analogam habeat significationem, quo ad illam vocem *vnio* distinguendum est vt quæsito benè satisfiat. Potest enim quæri de vnione id est vnitate quæ terminus est formalis, & de vnitate quæ terminus est totalis, & de vnitate quæ est relatio ex prædictis vnitatibus vt fundamentis resultans. Et hoc tertio quidem modo est aliquid creatum, vt ait S. D. *in artic. præceden.* primo verò modo est aliquid increatum, vt ostendimus. Secundò verò modo, si propriè sumatur creatum, non est aliquid creatum aut increatum, sed aliquid habet creatum, & aliquid increatum: sumendo verò creatum pro producto, vnitas secundo modo sumpta est aliquid creatum quoad eius esse totale, licèt non quoad omnia ad eius constitutionem concurrentia.

Contra alias conclus. non sunt argumenta, quæ sint alicuius momenti.

QVINTA CONTROVERSIA.

Quod sit fundamentum vnionis, quæ est relatio inter humanitatem & Verbum, vel diuinitatem?

Sententiæ Doctorum. SCOTVS *in 3. dist. 1. q. 1. a. 3.* cuius sententiam sequitur & tuetur Rada *in sua 3. part. Controu 3. art. 4.* Docet nullam entitatem absolutam causari in humanitate per actionem vniendi, quæ sit proximum fundamentum vnionis, quæ relatio est.

Vasq. *disp. 18. c. 4.* ex eo, quod dixerat *in cap. 3.* nimirum modum aliquem substantialem relatiuum esse constituendum in humana natura, quo Verbo formaliter vniretur, deducit huic modo substantiali frustra nouum aliquod fundamentum ab eo distinctum assignari: nullam autem aliam relationem præter illam substantialem videtur agnoscere Vasq. in humana natura respectu Verbi.

Suar. *disp. 8. sect. 2. §. dicendum*, ait proximum fundamentum dictæ relationis esse modum absolutum substantialis coniunctionis humanitatis ad Verbum.

Caiet. *in a. 7.* docet, vnionis, quæ relatio est inter humanam & diuinam naturam, causam & fundamentum esse vnitatem personalem vtriusque naturæ: in hoc autem articulo *in solutione quinti dubij*, ait relationem vnionis fundari super hoc ente substantiali absoluto; quod est Deum esse hominem. Priorem modum dicendi Caietani sequitur Medina *in quæst. sua 2. ad hunc art.* Valentia *puncto 5.* & Aluarez *disput. 13.* duo tamen addit Medina. *Primum* est, duas alias opiniones esse probabiles: vna est affirmans fundamentum dictæ relationis esse humanitatem, non absolutè sed vt est assumpta & coniuncta Verbo diuino & suscipit esse diuinum; quàm sententiam sequitur & acriter defendit contra Caietanum & alios quidem iunior Thomista vir doctissimus: Altera est Victoriæ dicentis, primò naturam diuinam & humanam esse vnitas in Christo; quia habent vnum esse: Et ideò vnitatem hanc non esse relatiuam sed absolutam. Secundò humanitatem dici vnitam Verbo Dei; quia fuit assumpta ad esse Verbi Dei, & assumptionem hanc passiuam esse fundamentum relationis creatæ, quæ vocatur vnio. *Secundum* quòd addit Medina est, duplex esse fundamentum relationis: alterum est ratio fundandi: alterum est fundamentum principale: exempli gratia, in paternitate ratio fundandi est generatio actiua: fundamentum verò principale est potentia generatiua: & in re proposita similiter (inquit) ratio fundandi relationem vnionis est assumptio passiua humanitatis ad Verbum diuinum: sed fundamentum principale est vnitas personalis Verbi diuini. Tertium est relationem hanc vnionis non distingui à fundamento.

Resolutio. Fundamentum relationis, quæ est vnio, esse vnitatem personalem duarum naturarum, & duo dicta Caietani. Ex ijs quæ diximus *in duabus proximis Controu.* colligitur huius etiam controuersiæ definitio. Et quia Thomistarum opiniones ex Medina relatæ multum videntur à Caietani sententia differentes. Et Caietanus ipse *in hoc, & in præcedenti articulo* videtur varia docuisse; cùm tamen iudicio meo in nullo dissideant opiniones prædictæ; & idem vtrobique senserit Caietanus; ideò consensum eorum pro viribus enitemur ostendere.

Ad cu-

non esse diuerso, & aliorum opiniones facilè posse conciliari.

Ad cuius euidentiam Recolendum est id, A quod diximus *in præcedenti controuersia, in secundo notabili*, videlicet subsistentiam diuini Verbi personalem tripliciter sumi posse. *Primò* absolutè. *Secundò* cum respectu ad naturam humanam, vt scilicet terminat eius assumptionem & vnitionem. *Tertiò* prout est humanæ naturæ communicata, & facit cum ea compositionem; ac proindè vt est persona composita. Primo modo est vnitas Verbi secundùm se: secundo modo est vnitas Verbi & duarum in eo naturarum, non tamen includēs humanam naturam; sed eam connotans ratione ordinis, quem habet ad ipsam vt terminus ad terminatum. Tertiò modo cùm rationem habeat termini totalis, naturam etiam includit humanam, vt pertinentem ad rationem B intrinsecam personæ compositæ, quæ Christus est. Cùm igitur ait Caietanus *in a. præcedenti* vnitatem vtriusque naturæ esse fundamentum relationis, quæ est vnio, sumit vnitatem prout idem est, quòd subsistentia filij Dei tertio modo sumpta: & ita significat substantiam compositam siue esse substantiale in compositione consistens, quod est Deum esse hominem: hoc autem esse substantiale docet Caietanus *in hoc a.* propriù esse fundamentum dictæ relationis; & quia relatio hæc ex parte tantùm humanitatis est realis, & illi per realem aduenit mutationem, qua de non vnita fit vnita Verbo Dei; idcò sententia illa,

conciliatur sententia.

quæ dicit fundamentum dictæ relationis esse C humanitatem, non absolutè sumptam, sed vt est assumpta & coniuncta Verbo, eadem est cum sententia Caietani, in hoc ab ea solum differens, quòd vnitatem hanc personalem & consequenter etiam fundamentum relationis exprimit ex parte humanæ naturæ, cui tantùm inest relatio realis. Victoria verò dicens passiuam assumptionem esse dictæ relationis fundamentum, manifestè loquitur de fundamento sumpto pro ratione fundandi, quæ transit; non autem de fundamento cum ipsa relatione permanente. Et secundùm hęc intelligenda sunt, quæ *de hac q.* scribit Medina de mente Caietani; alioquin reijcienda sunt vt falsa.

Conclusiones, deductæ, & probatæ.

D PRIMA CONCL. *Vnioni, prout est relatio, necessario debet assignari proprium aliquod fundamentum.* Probatur primò; quia S. D. *hic ad secundum* ait, eius esse à subiecto dependere &c. & *in articulo sequenti* ait, omnem relationem quæ incipit esse ex tempore, ex aliqua mutatione causari, quæ mutatio est actio & passio: constat autem ex *quinto Metaphysic.* relationis causam idem esse, quod eius fundamentum. Eandem doctrinam clarius explicatam habet S.D. *in 3. dist 2. q. 2. a. 2. q. 2. Et dist. 5. q. 1. a. 1* Vbi ait relationē vnionis fundari super actionem & passionem, quæ est vnitio; quod idem affirmat *in tertio ad Anibaldum eadem dist. 5. quæst. vnica* Secundò probatur con- E clusio ex Aristot. *5. Metaphys. in cap. de ad aliquid:* Vbi propria singulis relatiuorum modis assignat fundamenta. Et confirmatur: quoniam hæc relatio supponit actionem & passionem realem, qua humanitas vnitur verbo; igitur negandum non est hanc esse dictæ relationis fundamentum. Secundò confirmatur; quia relatio creationis in creatura proprium habet fundamentum, vt ostendimus *in 1. p. qu. 45. art. 3. contra. 2.*

„ „ SECVNDA CONCL. *Fundamentum dictæ relationis non est aliquis modus substantialis factus in humanitate.* Probatur: quoniam in humanitate nullus est talis modus, vt ostendimus supra; ergò &c.

TERTIA CONCL. *Fundamentum proximum* „ *vnionis, prout est relatio inter humanam naturam &* „ *Verbum aut diuinam naturam, quod manet cum ipsa* „ *relatione, est vnitas personalis vtriusque naturæ, siue* „ *esse absolutum in compositione consistens, quod est* „ *Deum esse hominem.* Huius Conclusionis sensus patet ex dictis. Et probatur: quia fundamentum huius relationis non est modus aliquis substantialis absolutus aut relatiuus existens in humanitate: hunc enim modum esse fictitium ostendimus *in 2. Contra. ad hunc artic.* neque est persona Verbi secundùm se; alioquin ab æterno fuisset vnita; neque vt connotat humanam naturam, vt extrinsecum terminum; quia sic relatio realis de genere accidentis esset in persona Verbi tanquam in subiecto, quod est absurdum. Probatur illatio; quia relatio est in suo fundamento tanquam in immediato receptiuo, ergò si fundamentum huius relationis est persona Verbi, id erit quatenus persona Verbi vna est in duabus naturis subsistens; ac proinde quatenus est persona composita includens vtramque naturam. Quod nos asserimus cum Caietano.

„ QVARTA CONCL. *Fundamentum eiusdem* „ *relationis, vt ratio fundandi est assumptio, siue vnitio* „ *passiua humanitatis cum Verbo.* Hæc doctrina pro- „ batur; quia omnis relatio realis de nouo aduenies causatur ex aliqua reali mutatione vnius extremi; at relatio vnionis inter humanam naturam & Verbum seu diuinam Verbi naturam est relatio realis tertij modi apud Aristotelem *5. Metaph. tex. 15.* ergò nascitur & causatur ex aliqua mutatione reali vnius ex dictis extremis; sed non ex mutatione Verbi aut eius naturæ diuinæ; ergo ex mutatione humanæ naturæ, quæ hoc ipso mutatur, quod assumitur & vnitur personæ Verbi; ita vt eius personalitate subsistat: igitur assumptio & vnitio passiua est fundamentum vt ratio seu causa fundandi dictam relationem.

CONTRA *tertiam* conclusionem produci *Argum. & Solut.* possent argumenta, quibus recentiores probare nituntur per assumptionem & vnitionem causari in humana natura modum aliquem substantialem absolutum vel relatiuum, quorum solutiones indicauimus *in secunda Contra.* Contra *Obi. cont. 3. cōcl.* eandem concluſ. sunt argument. quæ producit & soluit Medina *in art. præcedenti*: ex quibus primum tantùm afferemus; quia non placet eius solutio. Sic igitur arguit: Vnio materiæ & formæ quæ relatio est, non fundatur in altera parte tantùm, sed in vtraque vt est alteri coniuncta; ergò vnio humanitatis ad verbum non fundatur in vnitate personali Verbi tantùm, sed etiam in natura humana vt est coniuncta Verbo. *Cui argumētò respondet*, dici posse subsistentiam substantialem esse fundamentum relationis, quæ est vnio inter materiam & formam. *hoc autem* non videtur posse sustineri in bona Metaphys. Quoniam id non est fundamentum relationis manens cum ipsa relatione; quo remoto nihilominus manet ipsa relatio; sed remota substantiali subsistentia totius compositi, qua subsistunt etiam eius partes, scilicet materia & forma, adhuc manet illa relatio; ergò. Maior est per se nota. Minor probatur; quoniam in humanitate Christi, materia & forma sunt cum mutua relatione, cùm tamen ibi non sit propria & naturalis subsistentia, nec vlla relatio, quæ est inter animam & corpus, fundetur in subsistentia Verbi, vt patet: Deinde in substantia composita ex materia & forma prius natura est vnio substantialis mate-

riæ & formę, quàm totius compositi subsistentia; ergò in vnione substantiali, non aũt in subsistentia fundatur vnio, prout est relatio. Et confirmatur; quia secundùm probabilem opinionem potest quodlibet compositum substantiale diuina potentia conseruari sine vlla subsistentia, sed in eo casu remanet relatio vnionis inter materiam & formam; implicat enim esse coniuncta substantialiter materiam & formam ad compositi constitutionem, & non referri partes illas essentiales vt vnitas. Secundò confirmatur; quia licèt nulla virtute possit esse compositum absque subsistentia, potest tamen à partibus essentialibus vnitis per intellectum abstrahi subsistentia: certum est autem partes substantialiter vnitas præcisa subsistentia sufficientem habere causam, vt referantur ad inuicem relatione reali, quæ dicitur vnio; igitur huius relationis fundamentum nulla ratione potest esse subsistentia; fundamentum igitur relationis materiæ ad formam vt ratio fundandi, est eius causalitas in fieri, quę idem est quod eius vnio in fieri; fundamentum autem eiusdem relationis manens cum ipsa relatione est materiæ causalitas in facto esse, quæ idem est quod vnio in facto esse: & similiter dicendum est de fundamento relationis formæ ad materiam; nec similis omninò ratio est de relatione vnionis inter vtramque Christi naturam, aut inter naturam humanam & personam Verbi; quoniam hæc non est vtrinque realis; & ideò qua parte vel ratione realis est, nullum habet in simplici persona Verbi vel eius natura fundamentum, & per hoc satisfit illi primo argumento Medinæ, falsa est enim illius consequentia. Reliquorum autem argumentorum solutiones, apud eundem expositorem in sensu Cai. superius explicato sunt intelligendæ.

Suar. 1. obi. cont. 3. conc.

Contra eandem concl. argum. Suar. *Primò*: Subsistentia Verbi est terminus relationis vnionis, quæ est inter vtranque naturam; ergò non est eius fundamentum. *Resp.* cum Caiet. *in a. præcedenti*, falsũ esse antecedens, quod tamen non probat Suarez. Secundò dico hoc argumento probari subsistentiam Verbi præcisè sumptam non esse fundamentum dictæ relationis, quod etiam nos docemus.

Sol.

Obiectio 2.

Secundò relatio non est res omnino distincta à suo fundamento, & per illud afficit subiectum suum; at hęc relatio inhæret humanitati; ergò fundamentum eius est aliquid creatum in humanitate & non subsistentia Verbi. *Respond.* primò, nullam esse consequentiam. Primò quia per assumptionem nihil reale creatum additur humanitati, quo formaliter vniatur Verbo. Secundò quia relatio hæc, qua parte realis est, recipitur in humanitate medio illo esse substantiali; quod est Deum esse hominem; quod huius relationis est fundamentum; non est autem medium recipiendi relationem aliquam realem in persona vel natura diuina; quoniam hæc non recipit mutationem, nec ordinatur ad creaturam; & ideò relatio ex parte Verbi & naturæ diuinæ ad humanitatem, vt vnitam est rationis tantùm iuxta regulam Aristotel. *in 5. Metaphysic. in cap. de ad aliquid*, quam explicauimus cum D. Thom. *in 1. p. qu. 13. art. 7.* Deinde negatur antecedens: quia relatio omnis distinguitur realiter à fundamento, vt probat Caiet. de mente D. Thom. *1. p. q. 28. a. 2.*

Obiect. 3.

Tertiò posita in rerum natura humanitate subsistentia diuina habet eandem vnitatem, quam modo; & tamen si aliud non addatur relatio non resultabit; ergò. *Respond.* primò, posita in rerum natura humanitate à Verbo separata non posse resultare relationem vnionis; at posita humanitate & per Verbi subsistentiam terminata absque hoc, quod aliquid creatum addatur humanitati, relatio vnionis emergit. Secundò dico fundamentum diuinę relationis non esse vnitatem diuinæ subsistentiæ secundùm se, sed quatenus vna est subsistentia vtriusque naturæ: atque adeò vt est subsistentia composita. *Sed instat Suar.* Quia quòd illa subsistentia sit vna vtriusque naturæ, nihil reale addit in ipsa subsistentia, sed in humanitate addit modum existendi in illa: sed fundamentum debet esse aliquid in re ipsa additum; ergò hoc ex parte humanitatis debet assignari, & non ex parte subsistentiæ Verbi. *Respond.* falsum esse antecedens in bono sensu; quamuis enim ex assumptione humanitatis nulla perfectio fuerit addita diuinæ personæ: ipsa tamen diuina persona, quæ simplex erat, facta fuit ineffabiliter composita ex duabus naturis, & ex ipsa diuina persona & humanitate; & ita personæ diuinæ addita fuit humanitas, non vt perficiens diuinam personam secundùm se, sed vt cum ea componens & faciens formaliter Deum esse hominem: & hoc, vt diximus, est relationis iam dictæ fundamentum. *Sed replicat Suarez primò*: Quamquam enim (inquit) posito illo totali termino resultet relatio; tamen confusè valdè totum illud, scilicet Deum esse hominem assignatur pro fundamento: ergò Deum esse hominem non est fundamentum: Antecedens probatur; quia in illo includitur subiectum, fundamentum & terminus relationis, quæ tamen distincta esse distincteque assignari debent; ergò. *Secundò* subiectum illius relationis est sola humanitas; fundamentum autem habet esse in eodem subiecto; quia secundùm realem entitatem sunt vnum relatio & fundamentum. *Respond.* falsum esse antecedens; ad cuius probationem negatur consequentia; quia totum illud compositum, prout à suis componentibus distinguitur, est fundamentum dictæ relationis. *Ad secundum* respondetur, fundamentum debere esse in eodem, in quo est relatio; non tamen necesse est, vt in eo sit tanquam in subiecto; sed satis est, si subiectum, relatio & fundamentum relationis vnitatem habeant subsistentiæ, vel sit ipsi subiecto substantialiter copulatum; sicut in proposito Deum esse hominem eandem habet vnitatem personalem cum humanitate, & est illi substantialiter coniunctum, eo modo quo totum substantiale suis partibus aut constitutiuis substantialiter copulatur.

Replica.

Sol.

Replica.

Sol.

Sexta Controversia.

Quis sit assumptionis terminus à quo?

Sententiæ Doctorum.

Sex sunt Doctorum opiniones de termino assumptionis à quo. *Prima* est Ioan. Radæ *in sua 3. p. controu. 3. dubit. 2.* Vbi mentem explicans Scoti ait, terminum Incarnationis à quo esse negationem vnionis, quam supra dixerat esse relationem prædicamentalem.

Secunda sententia in altero ferè extremo posita est Caietani *super hoc a. propè fin. com.* dicentis ex mente D. Th. naturam humanam esse terminum assumptionis à quo.

Tertia sententia, quam refert & sequitur Med. est quorundam Theologorum dicentium, personalitatem propriam, quæ debita est humanitati secundùm conditionem humanæ naturæ, & quæ re vera inesset si nõ præueniretur à personalita-

litate diuina, esse terminum assumptionis à quo. Eandem sequuntur quidam iuniores Thomistæ. Hanc opinionem affirmat Medina parum esse differentem à sententia Cai. cuius (inquit) sensus est, quòd humanitas ex sua natura tendens ad propriam personalitatem tracta est ad personalitatem diuinam: & in hoc sensu dicit Cai. eam esse terminum à quo.

Quarta sententia est Suarezij *disput. 8. sect. 2. §. secundò ex dictis.* Vbi primò negat humanitatem esse terminum assumptionis à quo: Deinde tres alios assignat terminos, vnum positiuum & duos negatiuos: positiuus terminus est subsistentia creata propria quam humanitas habere deberet nisi vniretur: Qui tamen (inquit Suarez) non tam propriè assignatur; quia non dicitur propriè quis tendere vel mutari ab vno termino positiuo in alium, nisi quia re ipsa prius est sub termino à quo positiuo; prior verò terminus negatiuus est carentia subsistentiæ Verbi seu vnionis hypostaticæ seu huiusmodi inexistendi in ipso Verbo, & hic (inquit) est terminus proximus & magis formalis: posterior terminus negatiuus quasi totalis est hoc totum, scilicet Verbum non esse hominem, nec oportet vt terminus negatiuus in reipsa & duratione præcedat; sed ordine naturæ; quia scilicet esset nisi per actionem hanc contrarius terminus fieret.

Quinta sententia est ea, quam tertio loco refert Vasq. *disp. 19. c. 3.* quæ dicit actionem Incarnationis posse tribus modis considerari. Primò, quatenus per illam humanitas vnitur Verbo; & hac ratione terminum à quo esse negationem vnionis in natura humana; quia ex non vnita fit vnita. Secundò considerari posse actionem hanc; quatenus per illam subsistentia diuina communicatur humanitati, & hoc modo terminum à quo esse negationem subsistentiæ diuinæ in natura humana; siquidem ex non subsistente fit subsistens in persona diuina. Tertiò potest eadem actio considerari, quatenus per eam humanitas quodammodo communicatur Verbo & Deus fit homo, & hac ratione terminum à quo esse Deum non esse hominem, siquidem ex non homine fit homo.

Vltima sententia est Vasq. *in allegato c.* Vbi tria dicit. *Primum* est non posse varios illos terminos à quo, quos quinta opinio defendit, in hac actione designari. *Secundum* est terminum à quo huius actionis propriè loquendo esse non hominem. *Tertium* est actionem hanc significari posse varijs nominibus denotantibus varios respectus per modum diuersarum actionum; sicque illis assignari varios terminos à quo; non quia verè sint termini à quo actionis, sed quia cum eadem actio instar variarum actionum significetur, mirum non est, si varios etiam terminos à quo postulare videatur. Cùm igitur hæc actio significatur, vt Incarnatio & humanatio (quibus nominibus ait veram illius exprimi rationem) habet vt terminum ad quem humanitatem, vt terminum verò à quo non esse hominis in Verbo diuino. Cùm verò hæc actio denotatur nomine assumptionis, postulare videtur vt terminum à quo propriam personalitatem humanitatis; non quam antea habuit; sed quam haberet; vt terminum autem ad quem personam diuinam ad quam assumitur. Denique cùm hęc actio significatur nomine vnionis, terminus à quo videtur esse negatio vnionis & vnitatis in facto esse; quia tam persona diuina quàm humanitas ex non vnita fit vnita: terminus verò ad quem est vnitas in facto esse vnius personæ in duabus & ex duabus naturis.

Hvius Controuersiæ resolutio ex quibusdam communibus Philosophiæ principijs est eruenda. *Resolutio. Cur in aliqua mutatione terminus à quo sit positiuus in aliqua verò negatiuus.*

Notandum est igitur primò duplicem esse motus & mutationis terminum à quo: alterum positiuum, & alterum negatiuum; cuius rationem assignat S.D. *in 2. dist. 37. q. 4. a. 3. in c. Et quolib. 9. a. 9.* dicens, *quandoque terminum motus esse mediatum principio motus, vel secundùm medium quantitatis dimensiuæ, sicut in motu locali corporum, & in motu augmenti & diminutionis; vel secundùm medium quantitatis virtualis, cuius diuisio attenditur secundùm intensionem & remissionem alicuius formæ, sicut in alteratione qualitatum sensibilium: & in hoc motu terminus à quo est aliquid positiuum, & motum hunc tempus per seipsum mensurat. Quandoque verò (inquit) terminus ad quem non est mediatus termino à quo; & tunc necesse est alterum terminorum esse priuatiuum; sicut patet in illuminatione, in qua terminus à quo est priuatio lucis: Et in generatione Bouis, cuius terminus à quo est non esse Bouis, seu priuatio formæ Bouis, è contra verò in corruptione terminus à quo est forma & esse; terminus autem ad quem est priuatio & non esse: Et his etiam mutationibus annexum est tempus; quia materia non simul est sub forma & priuatione; nec aer est simul sub luce & tenebris; non tamen ita, vt transitus de vno extremo ad aliud fiat in tempore; sed alterum extremorum scilicet primum quod in mutatione abijcitur, est motui & alterationi coniunctum; sicut in generatione & corruptione vel motu locali Solis; in illuminatione enim & in termino illius motus est etiam terminus mutationis, & pro tanto* (inquit S.D.) *mutatio illa dicitur esse subito vel in instanti; quia in vltimo instanti temporis, quod mensurabat motum præcedentem, acquiritur illa forma vel priuatio, cuius nihil prius inerat, & in illo instanti dicitur generatum esse non autem propriè generari; quia omne quod generatur generabatur, & generabitur, vt in sexto Physic. probatur: Vnde omnes tales mutationes instantaneæ sunt termini cuiusdam motus.* Hæc ibi S.D. ferè ad Verbum. Vbi aduerte, D. Th. mutationi cuius terminus ad quem est immediatus, non tribuere duos terminos positiuos, sed alterum positiuum, & alterum priuatiuum; quia termini motus aut mutationis principia sunt rei, quæ motu vel mutatione producitur: secundùm Arist. autem *in 1. Physic.* non sunt, nisi duo principia contraria, scilicet forma & priuatio. Tertium autem scilicet materia, subiectum est vtriusq; successiuè; igitur etiam in motu, cuius terminus ad quem est mediatus, & post vnum contrarium inducitur aliud, vnum contrarium non est principium generationis, nisi ratione priuationis alterius contrarij, quam habet annexam; sicut cùm aqua frigida fit calida, tunc frigiditas principiũ non est generationis calidi; nisi ratione priuationis caliditatis, quæ priuatio frigiditati connectitur, vt eius effectus: Itaque sola priuatio principium est necessarium ex parte termini à quo; forma verò ex parte eiusdem termini necessaria non est, sed merè per accidens se habet in ratione principij, & termini à quo.

Secundò sciendum est, in omni mutatione propriè dicta necesse esse, vt sit aliquid idem commune vtrique mutationis termino, vt ait S.D. *de pot. quæst. 3. art. 2.* cuius rationem affert: quia si termini mutationis oppositi in nullo eodem conuenirent, non posset vocari transitus ex vno in alterum; quia nomine transitus & mutationis *In omni mutatione propriè dicta est vnum commune subiectum.*

designatur aliquid idem aliter se habere nunc & prius.

Dupliciter est aliquid naturaprè, positiuè & negatiuè.

Tertiò obseruandum est, dupliciter aliquid esse prius natura, scilicet *positiuè & negatiuè*: Illud est prius natura *positiuè*, quod in eodem alterum præcedit ordine naturę, sicut in homine prius est esse animal rationale quàm esse risibile, licèt in eodem instanti temporis vtrumque simul incipiat: Illud verò dicitur prius ordine naturæ *negatiuè*, quòd licèt actu prius non insit, tamen secundùm ordinem naturæ priùs ineſſet, nisi ab agẽte aliquid illi incõpossibile causante præueniretur & impediretur; sicut si mũdus fuisset ab æterno productus, diceretur esse factus ex nihilo, tunc enim ipsum nihil prius esset natura mundo producto; non tamen prius natura positiuè sed negatiuè; quia non esse seu esse nihil non conuenit mundo in primo vel in secundo modo dicendi per se, sed in tertio; quia scilicet mundus remoto omni extrinseco producente non habet esse; sicut etiam aer & cœlestia corpora, si fuissent ab æterno illuminata, dicerentur ex non lucidis facta lucida, & prius natura lucis priuationem habuisse quàm lucem, non quòd actu fuerint quandoque non lucida; sed quia sibi derelicta essent non lucida. Vide si placet, quę diximus *in 1.p.q.46.a.2.Controu.vnica, §. Quartò ad memoriã*, & quæ scribit Ferrar. *in 3.q.ad 8.Physic.* & Rada *in alleg.Cont. & in 2.2.partis*. Ex his tribus principijs sic breuiter explicatis sequuntur septem conclusiones.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Assumptio humanitatis ad vnitatem Verbi personalem non est propriè & strictè mutatio.* Probatur hæc conclusio; Quoniam vbi propriè id est verè mutatio est, vel ipsa tempore mensuratur, vel terminus eius à quo est motui vel mutationi coniunctus; sed neutrum horum inuenitur in assumptione humanitatis ad vnitatem Verbi personalem; ergo. Maior probatur; quia in omni mutatione terminus motus ad quẽ, vel est mediatus vel est immediatus termino a quo. Si primum ipsa mutatio tempore mensuratur. Si secundùm terminus à quo motum vel alterationem habet annexam, quæ tempore mensuratur. Minor patet; quia in eodem instanti temporis, in quo producta fuit humanitas, in eo fuit assumpta. Conclusionem hanc alijs medijs ex doctrina Scoti probat Rada *in alleg.Controu.3.* Quamuis autem hæc assumptio non sit mutatio propriè dicta, largè tamen & impropriè nuncupatur mutatio; quoniam ex sui natura non habet vt diuini Verbi subsistentia terminetur, & vtrunque terminum habet, scilicet ad quem, vt patet *ex 1.Controu.* & à quo, vt sequentibus conclusionibus ostendetur.

SECVNDA CONCL. *Terminus à quo assumptionis non est negatio vnionis, prout vnio est relatio prædicamentalis.* Hæc est contra Scotum & Radam. Et probatur; quia terminus à quo negatiuus opponitur priuatiuè termino ad quem; sed terminus assumptionis ad quem non est relatio, vt ostendimus; ergò terminus à quo non est negatio vnionis.

TERTIA CONCL. *Assumptionis terminus à quo non est personalitas propria & naturalis humanitatis, quam habuisset nisi fuisset à Verbi personalitate præuenta.* Probatur hæc conclusio: quia personalitas propria, cùm dicat aliquid positiuum non potest esse nisi terminus positiuus; at quod actu non est, non potest esse actu terminus; ergò personalitas humanitatis propria quæ nunquam fuit; sed fuisset si præuenta non esset, non potest nisi valdè impropriè dici terminus à quo in assumptione. Secundò terminus à quo non tantùm debet esse incompossibilis, sed etiam contrarius termino ad quem; at propria personalitas quæ esset in natura humana, non est contraria personalitati diuinæ; ergò non est terminus à quo in assumptione. Maior est Aristot. *in primo Physic.* Minor probatur; quia propria personalitas quæ inesse debuerat humanæ naturæ, est participatio quædam diuinæ personalitatis; ergo nõ est illi contraria. Et confirmatur; quia si aqua nullam haberet actu sensibilem qualitatem, & induceretur in eam caliditas, principium generationis aquæ calidæ vt terminus à quo non esset frigiditas, quæ naturaliter inesset aquæ suæ naturæ dimisse, sed esset priuatio caliditatis, quam actu haberet aqua. *Aristot.*

QVARTA CONCL. *Humanitas Christi præcisè sumpta non est terminus à quo in hac assumptione.* Probatur; quia terminus à quo est cõtrarius termino ad quem, & cum eo non manet, & multò minus est eius subiectum: Hæc autem non conueniunt humanitati; sed eorum oppositа, vt patet; ergo: dici tamen potest terminus à quo materialiter, quatenus ab ea tanquam ab vno extremo inchoat assumptio, quæ terminatur ad aliud extremum, quod est Verbum. Et in hoc sensu intelligendus est Caiet. & S. Th.

QVINTA CONCL. *Propriè & absolutè loquendo terminus huius assumptionis non est homo.* Hæc est contra Vasq. Dixi *propriè & absolutè*; quoniam *vt in 1.Controu.* declarauimus, humanitas dici potest secundùm quid terminus formalis assumptionis; & consequenter homo erit secundùm quid terminus adæquatus; ac proindè non homo erit secundùm quid terminus à quo, sed quia simpliciter loquendo, terminus assumptionis formalis est subsistentia Verbi; totalis autem est, Deum esse hominem, vt ibidem ostendimus; ideò alius statim explicandus est assumptionis terminus à quo.

SEXTA CONCL. *Terminus à quo huius assumptionis, vt assumptio est, non est hæc negatio, quæ est Deum seu Verbum non esse hominem.* Probatur; quia terminus à quo assumptionis formaliter sumptus est in eo extremo, à quo inchoat assumptio & quod dicitur assumi: at dicta negatio non est in eo extremo à quo inchoat assumptio, & quod dicitur assumi; hoc enim est humanitas in qua simpliciter loquendo non est hæc negatio; quia idem est subiectum negationis & oppositæ affirmationis: constat autem humanitatem absolutè loquendo non esse subiectum, siue id cui ineſt & conuenit totum hoc compositum, quod est Deus homo, vel Deum esse hominem: id enim cui ineſt & conuenit hoc esse substantiale in compositione consistens, est aliquid completum subsistens; hoc autem non est humanitas sed persona Verbi, vt ostendimus: Dixi autem *simpliciter loquendo in humanitate non esse dictam negationem*; quia quodammodo & quasi secundùm quid ineſt humanitati prius natura, quàm assumatur à Verbo, sicut etiam post assumptionem ineſt ei quodammodo hoc, quod est Deum seu Verbum esse hominem; quia scilicet humanitati substantialiter ineſt persona Verbi ex qua cum ipsa humanitate resultat compositum hoc, quod est Deum esse hominem. Sicut in materia hominis generandi est priuatio, non tantum animæ rationalis, sed etiam totius compositi, quod est homo, & post generationem in eadem materia est non tantùm anima rationalis vt eius forma; sed etiam totum compositum aliquo modo, scilicet vt in primo fundamento

gene-

generationis totius compositi. Nam licet anima rationalis non educatur de potentia materiæ, eius tamen vnio prout est materiæ causalitas, in potentia materiæ continetur. Propriè verò & absolutè loquendo persona Verbi subiectum est dictæ negationis ab æterno: post assumptionem autem humanitatis oppositam habuit affirmationem: quia totum hoc esse substantiale in compositione consistens, quod est Deum esse hominem, vnitum est Verbo Dei, & potest etiam ab eo separari, si ab eius subsistentia separetur humanitas, quod explicat & probat optimè Caietanus *in hoc a. in solut. 5. dubij* respondens ad argumenta Scoti. Et quia diuina persona, cui conuenit ab æterno dicta negatio, non est ea, quæ assumitur aut à qua inchoat assumptio, sed est terminus assumptionis formalis, ad quem sequitur terminus totalis iam dictus, scilicet Deum esse hominem, non rectè dicitur terminus assumptionis à quo, sed propriè & formaliter loquendo dici debet terminus Incarnationis seu humanationis à quo. Nam vt explicauimus *in prima Controuersia*, terminus formalis Incarnationis & humanationis est humanitas in filio Dei, per quam filius Dei fit homo, qui prius non erat; igitur terminus negatiuus oppositus est carentia humanitatis in filio Dei, ad quam sequitur alia negatio, scil. filium Dei non esse hominem alteri affirmationi oppositæ, scilicet Deum esse hominem.

SEPTIMA CONCL. *Terminus assumptionis à quo correspondens termino eiusdem assumptionis formali est negatio seu carentia personalitatis filij Dei in humana natura, quæ negatio dici potest priuatio annexa potentiæ obedientiali ab actu separatæ, quam habet humanitas qualibet ad diuinam personalitatem.* Probatur hæc conclusio. Termini mutationis debent esse contrarij ad modum priuationis & habitus. Cùm ergo diuina subsistentia sit huius assumptionis terminus ad quem ad modum habitus & formę; consequens necessariò est, vt eiusdem assumptionis terminus à quo sit priuatio diuinæ subsistentiæ.

Argumẽta, & solutiones. Obi. 1. cont. 3. cõcl.

CONTRA *secundam* concluſ. sunt argumenta supra notata *in 2. Controu. contra 2. eius conclusionem.*

CONTRA *tertiam* conclusionem sunt duo argumenta, quæ refert & insoluta dimittit Medin. *Primum argumentum* est: Assumptio est ab alio ad se sumptio, in qua diffinitione illa dictio *ab* designat terminũ à quo, sicut illa dictio *ad* designat terminum ad quem: sed natura humana à sua personalitate, quæ debebat illi inesse, tracta est ad personalitatem diuinam, & ab illa præuenta; ergò illa personalitas est terminus à quo huius admirabilis tractionis. *Sol.* *Resp.* falsam esse min. quia nihil à sumente vel trahente sumitur, & trahitur ab vno in alterum, nisi vtrumque sit actu: personalitas autem propria humanitatis Christi nunquam fuit in actu.

Ob. 2. *Secundum*: Terminus à quo & terminus ad quem in omni mutatione sunt oppositi, & in assumptione sunt oppositi contrariè & positiuè; sed illa personalitas propria, quæ debebat inesse, est opposita personalitati diuinę; ergo illa est termin. à quo huius admirabilis assumptionis. *Resp. primò*, falsam esse maiorem quo ad eam partem, quæ ait, terminos assumptionis esse oppositos positiuè: Secundò dico, falsam esse minorem: propria namque personalitas humanitatis de sui ratione est participatio diuinæ personalitatis; ac proinde non est opposita. Tertiò dico non sufficere extremorum oppositionem, vt vnus habeat rationem termini à quo, & alius termini ad quem, nisi actu sint existentia; mutatio enim in actu exercito requirit extrema, quę actum extremorum exercent: hunc autem exercere nequeunt, si non existant. *Sed hanc responsionem* sic arguit Med. Si Deus produceret pisces super aridam, possent aliquo modo dici assumpti ex aquis ad superficiem terræ, non quòd aliquando fuerint sub aquis: sed qm̃ hic est locus naturæ suæ debitus. Et eadem forma locutionis dicunt plures Theologi Beatiss. Virginem fuisse redẽptam, & liberatam à peccato originali; non quidem quòd habuerit peccatum originale, sed quòd fuit præuenta, ne haberet illud; ergo. *Resp.* nullam esse consequentiam; quia prima locutio manifestè est impropria: secunda verò, quamuis admitti possit vt propria; nihil tamen infert; quia redemptio fieri potest actu non solùm à peccato contracto, sed etiam à naturaliter & debitè contrahendo; sicut in bello redimi pecunia possunt non solùm actu captiui; sed etiam qui proximè sunt ab hostibus nullo resistente capiendi. Nam in materia beneficij malum remouentis, reputantur æqualia mala id quod actu præsens est & quod omnino futurum est, nisi fuerit impeditum: & ideò beneficia redemptoris illud remouentis & impedientis sunt æqualia, & æquè propriè videntur esse redemptiones; quia etiam debitum contrahẽdi peccatum originale nõnulla captiuitas est. Immò quibusdam maius videtur beneficium & redemptio culpam impediendo præuenire, quàm post incursam ab ea liberare.

Replicat Medina. *Sol.*

CONTRA *quartam* concluſ. præter dictum Caiet. sunt etiam verba S. Th. quibus tertiam explicat differentiam inter assumptionem & vnionem: ait enim assumptionem determinare terminum à quo & ad quem, & non dici naturam diuinam assumptam ab humana, sed è conuerso; quia humana natura adiuncta est ad personalitatem diuinam; vt scilicet persona diuina in humana natura subsistat. Vbi clarè significat S. D. humanam naturam esse terminum assumptionis à quo: diuinam autem naturam ratione personalitatis esse terminum ad quem. *Resp.* D. Thom. & cum eo Caiet. loqui de termino à quo materialiter sumpto, quatenus scilicet assumptio inchoat ab humanitate trahẽs ipsam ad diuini Verbi subsistentiam. *Secundò respondetur*, D. Th. loqui de natura humana: quatenus non solùm humana, sed etiam diuina Verbi caret personalitate: in cuius personalitatis negatione consistit formaliter ratio termini à quo.

Obi. 1. cont. 5. concl.

CONTRA *quintam* concluſ. argumen. Vasq. quia per hanc actionem fit Deus homo, non tamen homo fit Deus; ergo Deus comparatur vt subiectum, cui aduenit forma; ergò terminus à quo huius actionis est non homo, hoc est negatio hominis in supposito diuino. Antecedens patet. Prima conseq. probatur; quia Deus est suppositum, cui aduenit natura. Secunda verò consequentia probatur; quia terminus à quo è regione opponitur termino ad quem huius actionis; at terminus huius actionis est homo, aut humanitas in Verbo, cui opponitur non esse hominis aut humanitatis in Verbo; ergò. *Respond.* nullam esse consequentiam primam præcisè sumptam; quia Deus siue persona Verbi prius ad humanitatem diuinam personalitate carentem comparatur, vt terminus eius formalis, quàm vt subiectum siue suppositum sustentans illam, & hoc ipso fit Deus & Verbum homo, quod sua personalitate terminat humanam naturam. Nam hoc

Sol.

ipso, quod illam terminat, sit illius suppositum, ita vt dicatur habens humanam naturam, & in illa subsistens, ac proinde homo. Verum tamen est, humanam naturam esse terminum formalem secundùm quid huius actionis; non tamen vt est assumptio, sed vt est Incarnatio & humanatio, vt diximus *in 1. contr. ad hunc a.*

Ob. 2. *Secundò* S. Tho. ait, naturam humanam significari, vt in termino assumptionis; sed hoc non potest intelligi de termino à quo. Probatur secunda propositio, quia cùm ait S. Th. assumptionem determinare terminum à quo & ad quem; quia assumptio est ab alio ad se sumptio per illud ab alio significauit terminum à quo; at assumptio non dicitur ab humanitate ad diuinam personam, sed potius dicitur assumptio ipsius humanitatis; ergò S. D. apertè sentire videtur terminum à quo non esse ipsam humanitatem. *Respond.* falsam esse secundam propositionem, vt ostendunt expresè verba illa, quæ statim addit D. Tho. videlicet *ad hypostasim diuinam per hoc, quod dicitur homo*: Constat autem Verbum quod humanam assumpsit & sibi vniuit naturam, non esse aut dici hominem, nisi in vltimo termino assumptionis. Et quoniam ex ipsa littera D. Thom. & ex communi expositorum intelligentia, & ex ijs quæ supra diximus *in 2. dubit. ad hunc a.* perspicuè constat falsam & textui contrariam esse Vasq. interpretationem superuacaneum esset hic verba profundere.

Sol. Obi. cont. 6. concl. CONTRA *sextam* conclusionem sic construi posset argumentum. Terminus assumptionis ad quem est Deum esse hominem, vt ait Caiet. *in fine Commentarij præsentis articuli*; ergò terminus à quo eiusdem assumptionis est Deum non esse hominem: probatur illatio; quia terminus à quo debet esse oppositus termino ad quem, vt ante diximus. Sol. *Resp.* hoc argumento probari, terminum à quo illius actionis, quæ est assumptio secundùm rem esse hoc quod dico, Deum non esse hominem; sicut etiam eiusdem actionis secundùm rem terminus ad quem est Deum esse hominem; non tamen hi sunt assumptionis termini, quatenus assumptio est formaliter, vt etiam Caietanus aduertit, & ita intelligenda sunt, quæ diximus de termino assumptionis ad quem *in 1. contr.*

Obi. 1. cont. 7. concl. CONTRA *septimam* concluſ. argumen. Vasq. *Primò*: assumptio diffinitur à D. Tho. quasi sit ab alio ad se sumptio; at illud *ab alio* non videtur negationem sed statum positiuum oppositum denotare; qui aliud non est, quàm propria personalitas; ergò. Sol. *Resp.* dictionem seu particulam illam *ab alio* denotare positiuum cum negatione, scilicet naturam ipsam humanam cum negatione personalitatis diuinæ: sic enim habet rationem termini à quo materialis simul & formalis: atque ita dicitur Verbum sumere humanam naturam ab alio ad se, id est ab vno extremo assumptionis & vnionis ad se, tanquã ad aliud extremũ eiusdem assumptionis & vnionis; quia scilicet humanitas carens diuina personalitate separata est à diuina persona, & ita est vnum extremum actionis assumptiuæ & vnitiuæ concipiendo simul id, quod est materiale scilicet naturam, & id quod est formale scilicet negationem; si verò seorsum vtrunque concipiatur, tunc magis congruè dicitur humana natura esse in vno extremo scilicet in termino, siue sub termino à quo, quod est negatio diuinæ personalitatis, & ab eo sumi & trahi ad aliud extremum, quod est diuina personalitas. Cùm igitur ait S. Thom. Verbum sumere humanitatem ab alio ad se, dictio illa *ab alio* significat alium terminum formalem assumptionis, qui est negatio diuinæ personalitatis.

Obiectio. *Secundò*: Quia sicut non præcessit humanitas tempore sub propria persona; sic etiam non præcessit tempore sub negatione personæ diuinæ; & sicut humanitati per se consideratæ conuenit negatio personalitatis diuinæ, sic etiam conuenit propria personalitas; ergò sicut sufficit vt dicamus per particulam *ex* naturam humanam ex negatione personæ diuinæ assumi ad statum illius, sufficiet vt dicamus ex propria personalitate, quam haberet assumi ad diuinam: & sicut absolutè non liceret dicere à propria persona assumi ad diuinam; ita etiam neque absolutè dicendum est ex negatione personæ diuinæ assumi ad diuinam personam, ne vno & altero modo videamur significare aliquo tempore præcessisse humanitatem non vnitam. Sol. *Resp. primò* nullam esse consequentiam; quia propria personalitas nũquam fuit actu in humana natura; negatio verò diuinæ personalitatis cõuenit actu humanitati prius natura, id est instanti naturæ à quo, licèt non in quo, antequam diuina personalitate terminetur: humanitas enim quasi materia est, & diuina personalitas quasi forma & generatio humanitatis actio quædam præuia assumptioni, quæ est actio Dei omninò supernaturalis; sicut lignorum & lapidum constitutio & præparatio præuia est ædificationi domus. Vbi verò diuersæ sunt actiones, quarum vna est alteri præuia, necesse est inter eas esse ordinem saltem naturæ, & ad minus secundùm instans à quo, & consequenter etiam necesse est eundem ordinem esse inter effectus seu terminos earum actionum; igitur inter generationem humanitatis Christi & actionem assumendi, ac proinde etiam inter humanitatem & assumptionem, vt in termino erit ordo naturæ, saltem secundùm instans naturæ à quo; ita vt humanitas cum priuatione diuinæ personalitatis sit prior natura positiuè, quàm eiusdem naturæ terminatio, quæ fit diuina personalitate in termino assumptionis. Et ex his elucet, longè diuersam esse rationem creationis, quæ fit ex nihilo, & assumptionis humanitatis à filio Dei, quæ assumptio fit ex negatione diuinæ personalitatis in humana natura, vt termino à quo; nam creationi nulla præsupponitur actio nec vllus effectus: in assumptione verò humanæ naturæ præsupponitur actio naturæ generatiua & eius effectus, qui est humana natura: & ideò in creatione terminus à quo non potest esse prior natura positiuè termino ad quem, sed negatiuè tantùm: in assumptione verò actio generatiua humanitatis prior est natura positiuè actione assumptiua, & humanitas cum negatione personalitatis diuinæ prior est assumptione, vt in termino.

ARTICVLVS IX.

Vtrum vnio duarum naturarum in Christo sit maxima vnionum.

3. d. 5. q. 1. a. 1. q. 1. & 4. con. c. 41. AD nonum sic proceditur. *Videtur, quòd vnio duarum naturarum in Christo non sit maxima vnionum. Vnitum enim deficit in ratione vnitatis ab eo, quod est vnum: eo quòd vnitum dicitur per participationem, vnum autem per essẽtiam. Sed in rebus creatis aliquid dicitur simpliciter esse vnum: sicut præcipuè patet de vnitate ipsa, quæ est principium numeri. Ergo huiusmodi vnio, de qua loquimur, non importat maximam vnitatem.*

Præ-

Præterea, Quantò ea, quæ vniuntur, magis distant, tantò minor est vnio. Sed ea, quæ secundum hanc vnionem vniuntur, maximè distant, scilicet natura diuina, & humana: distant enim in infinitum. Ergò huiusmodi est minima vnio.

Præterea, Per vnionem fit aliquid vnum. Sed ex vnione animæ, & corporis in nobis fit aliquid vnum in persona, & natura, ex vnione autem diuinæ, & humanæ naturæ fit aliquid vnum solùm in persona. Ergo maior est vnio animæ ad corpus, quã diuinæ naturæ ad humanam. Et sic vnio, de qua loquitur, non importat maximam vnitatem.

Sed contra est, quòd Augustt. dicit primo de Trinit. quòd homo potius est in filio Dei, quàm Filius in Patre. Filius autem in Patre per vnitatem essentiæ, homo verò est in Filio per vnionem Incarnationis. Ergo maior est vnio incarnationis, quàm vnitas diuinæ essentiæ, quæ tamen est maxima vnionum. Et sic per consequens vnio Incarnationis importat maximam vnitatem.

Respondeo dicendum, quòd vnio importat coniunctionem aliquorum in aliquo vno. Potest ergo vnio Incarnationis dupliciter accipi. Vno modo, ex parte eorum, quæ coniunguntur. Alio modo, ex parte eius, in quo coniunguntur. Et ex hac parte huiusmodi vnio habet præeminentiam inter alias vniones: nã vnitas personæ diuinæ, in qua vniuntur duæ naturæ, est maxima. Non autẽ habet præeminentiã ex parte eorũ, quæ coniunguntur.

Ad primum ergo dicendum, quòd vnitas diuinæ personæ est maior, quàm vnitas numeralis, quæ scilicet est principium numeri. Nã vnitas diuinæ personæ est vnitas increata, per se subsistens, nõ recepta in aliquo per participationem. Est etiam in se completa, habens in se quicquid pertinet ad rationem vnitatis: & ideò nõ competit sibi ratio partis, sicut vnitati numerali, quæ est pars numeri, & quæ participatur in rebus numeratis. Et ideò quantũ ad hoc, vnio incarnationis præeminet vnitati numerali, ratione scilicet vnitatis diuinæ personæ, non autem ratione naturæ humanæ, quæ non est ipsa vnitas diuinæ personæ, sed est ei vnita.

Ad secundũ dicendũ, quod ratio illa procedit ex parte coniunctorũ: non autẽ ex parte personæ, in qua est facta vnio.

Ad tertiũ dicendũ, quòd vnitas diuinæ personæ est maior vnitas, quã vnitas, & personæ, & naturæ in nobis. Et ideo vnio Incarnationis est maior, quã vnio animæ, & corporis in nobis.

Quia verò illud, quòd in contrarium obijcitur, falsum supponit, scilicet quòd maior sit vnio Incarnationis, quàm vnitas personarum diuinarum in essentia: dicendum est ad autoritatem Augustt. quòd humana natura non est magis in filio Dei, quàm filius Dei in Patre, sed multò minus. Sed ipse homo quantum ad aliquid est in filio magis, quàm filius in Patre: inquantum scilicet idem supponitur in hoc, quod dico homo, prout sumitur pro Christo, & in hoc, quod dico, filius Dei: non autem est idem suppositum Patris, & Filij.

Sensus quæsiti.

TRES sunt in titulo termini declarandi. *Primus* est *vnio*; quo non significatur relatio, neque modus aliquis humanæ naturæ; (hunc enim fictitium esse probauimus *in secunda Contr.*) sed vnionis nomen hic sumitur pro coniunctione duarum naturarum in vna subsistentia personali, vt ait S. D. in textu & probat optimè Cai. & post eum Med. & Suar. *in Com.* quicquid dicat Vasq. nulli innixus solido fundamento.

A *Secundus* terminus est *naturarum*; quo limitatur quæsitum ad vnionem naturarum, & excluditur quæstio de vnione naturæ humanæ & personæ diuinæ. *Tertius* terminus est *vnionum*, qui de creatis tantùm vnionibus videtur intelligendus, sicut etiam prima Conclusio, quæ de vnione maxima simpliciter loquitur: sic autem est vera comparatione vnionis trium personarum: de quarum vnione, quasi per accidens hic disseritur, occasione *argumẽti sed contra*. Præterea nomine *vnionum* intelliguntur etiam simplices vnitates; vt patet ex primo argumento, & eius responsione quicquid dicant Suar. & Vasq.

B

Forma Textus.

PRAEMISSA distinctione respondetur quæsito duabus Conclusionibus.

Distinctio est: Vnio Incarnationis potest dupliciter accipi: *Vno modo* ex parte eorum quæ coniunguntur: *Alio modo* ex parte eius in quo coniũguntur. Probatur hæc distinctio; quia vnio importat coniunctionẽ aliquorum in aliquo vno; ergò potest dupliciter considerari &c.

PRIMA CONCL. *Vnio duarum naturarum in Christo ex parte eius, in quo coniungũtur, habent præeminentiam inter alias vniones.* Probatur; quia vnitas personæ diuinæ, in qua vniuntur duæ naturæ, est maxima; ergò.

C SECVNDA CONCL. *Hæc vnio non habet præeminentiam ex parte eorum, quæ coniunguntur:* Hæc conclusio nõ probatur in corpore, sed eius probatio desumi posset ex argumento sed contra & eius responsione.

Expositio Textus.

MVLTA sunt in textu non satis perspicua, quorum sensum & intelligentiam aperiet proxima controuersia. Hic tamen tria notanda sunt. *Primum* est: Secundam Concl. in corpore non probari, sed eius probationem & explicationem ex responsionibus ad primum, secun-
D dum & tertium argumentum facilè colligi, vt annotauit Porrecta. *Secundum* est: non esse verũ, quod hic ait Suarez *in Commentario*, vnionẽ scilicet esse quasi viam quandam tendentem ad vnitatem seu modum, ex qua aliqua vnitas resultat: quia vnio vt ait S. D. in textu, importat coniũctionem aliquorum in aliquo vno: hanc verò significat vnio non in fieri, sed in facto esse; vt ait S. D. *in 4. præcedenti*, non est ergò via ad vnitatem; sed est ipsamet vnitas personæ coniungentis naturas, vel vnitas naturarum, quatenus vnitæ sunt in persona: Videtur autem Suar. hic nomine vnionis intelligere modum illũ supra confutatum, quem in humanitate confingit. *Tertiũ*
E est: Suar. immeritò reijcere responem ad primum argumentum, vt insufficientem; quoniam eam ad præmissam in corpore distinctionem nõ retulit, vt debuerat: sermo enim est de vnitate personæ, vt coniungentis naturas: hæc enim sic sumpta maior est vnitate numerali: est enim vnitas increata per se subsistens, non recepta in aliquo, &c. nec habet rationem partis, nec in aliquo recipitur per participationem, sicut vnitas numeralis. Quid autem dicendum sit de composito resultante ex tali vnione, dicemus *in sequenti Contr.* cæterorum autem argumentorum responsiones satis benè declarat dictus expositor.

Con-

Controversia. Vnica.

De veritate primæ Cõclusionis. An scilicet vnio duarum naturarum in Christo sit omnium vnionum maxima?

Sensum quæsiti, & sententiæ Doctorum.

Dvplex est propositæ Contro. difficultas: potest enim vnio duarum in Christo naturarum cęteris vnionibus dupliciter comparari: *Vno modo* secundùm rationem vnionis: *alio modo* secundùm rationem doni; ita vt vnionis excellentia quatenus donum est, cum cęterorum gratiæ donorum dignitatibus conferatur. Et quamuis quæstionẽ hanc in vtroq; sensu versent Suar. *disp. 9.* Vasq. *disp. 20.* & Rada *Contr. 3. a. 5.* Nos tamẽ hic de priori tantùm eius sensu differemus; de quo solo quæstionem mouet, & secundùm illum formaliter eam definit Angelicus Doctor. De secunda namque parte satis, superque disserunt expositores nominati.

Sũt autem de priori Cõtrouersiæ parte quinque Doctorum opiniones. *Prima* est Dur. quam refert Capr. *in tertio dist. 5. quæst. 1.* & Cai. *hic*, & alij expositores dicentes, vnionem hanc esse maximam, non in ratione vnionis; sed in ratione dignitatis.

Secunda sententia est Paludani *in 3. dist. 5. qu. 3. art. 3.* quem refert Vasq. dicentem vnionem C hanc esse vnionum omnium simpliciter maximam, non solùm ratione eius, in quo facta est vnio, sed etiam ratione extremorum. Quam sententiam Vasq. immeritò tribuit Cai. & alijs recẽtioribus discipulis D. Th. Sed hic expositor studio cõtradicendi fingit sibi nõnunquam aduersarios quos feriat.

Tertia sententia est Suar. *in allegata disput. 9. sect. 1.* qui dicit tria. *Primum*; hic fieri comparationem inter proprias vniones seu compositiones ex rebus realiter distinctis. *Secundum* est: hãc vnionem esse maximam in ratione vnionis; quia compositum illud quod resultat ex hac vnione, est magis vnum quàm omne aliud compositum ex rebus realiter distinctis. *Tertium* est: vnionẽ duarum naturarum in persona verbi esse maximam omnium inter omnes vniones duarum in rerum in aliquo tertio. D

Quarta sententia est Vasq. qui tria dicit. *Primum*: se non posse non mirari Cai. & alios recẽtiores Thomistas in exponenda sentẽtia D. Th. tam facilè fuisse allucinatos. *Secundum* est: in hoc articulo & Controuersia comparari vnionem hanc cum illis tantùm vnitatibus, quæ per vnionem multorum fiunt; non autem cum vnitate rerũ simplicium. *Tertium* est: D. Tho. per id in quo fit vnio, nõ intelligere totam personã Christi, prout est cõposita; sed personalitatem verbi, quæ est communis nexus & vinculum duarum naturarum. Et in hoc sensu vnionem duarũ naturarum in Christo esse omnium vnionum maximam. E

Vltima sententia est S. Th. quæ duabus comprehenditur cõclusionibus in textu positis, quarum sensum explicat subtiliter ac eruditè Cai. quam expositionem sequũtur omnes alij recentiores interpretes S. Th. Nec Vasq. aliam affert intelligentiam, tametsi rudioribus suam offerat interpretationem veluti singularem. Ex antiquioribus autem sentẽtiam hanc sequuti sunt D. Bona. *in 3. dist. 5. a. vlt. q. vlt.* Alensis *3. p. q. 7. membro 2. a. 3.* Scotus *in 4. dist. 49. q. 2. littera E.* Nec oppositum asserit *in 2. sent. dist. 2. q. 1. vt* etiam aduertit Vasq. *in allegata disp. 20. cap. 1.* Mẽtem Scoti sex conclusionibus explicat Rada *in supra notata Controuersia*, ex quibus quinta veritatem exprimit primæ Conclusionis D. Thom. quãquàm hic author in modo procedendi sentẽtiã D. Tho. proponat, vt sui Scoti doctrinæ cõtrariam, quod esse falsum conclusiones indicant ab ipso Rada propositæ; eas enim omnes admittũt discipuli. D. Th.

Resolutio. Explicatur accuratè sensus duarũ cõclusiõnũ D. Tho. & defendi tur interpretatio Cajetani contra recentiores.

Dvae sunt huius Cõtrou partes præcipuæ: Prior est de sensu & veritate Conclusionum S. Th. Posterior est de dicto Suar. asserentis compositum illud, quod resultat ex vnione duarum B naturarũ in vna verbi persona, esse magis vnum, quàm omne aliud compositum ex rebus realiter distinctis, & vnitatem suppositi, quæ resultat ex compositione naturæ cum subsistentia, ex suo genere maiorem esse, quam vnitas quæ resultat ex materia & forma.

Et Priorem *quidem difficultatem* sufficiẽter explicat ac diluit Cai. dicens, cõiunctionem omnem aliquorum in aliquo vno, ac proindè etiam vnionem duarum naturarum in vna Christi persona hic à D. Th. distingui, eo quod significet coniunctionem duorum extremorum in aliquo vno, & ideò dupliciter accipi posse: *Vno modo* ex parte extremorum, non omninò absolutè sumptorum; sed quatenus inter se iunguntur aliquo modo, siuè vt actus & potentia, siuè C vt agens & instrumentum, siuè quauis alia ratione: *Alio modo* ex parte eius in quo, veluti in tertio quasi amborum nexu & vinculo coniunguntur. Exempli gratia: coniunctio siuè vnio animæ & corporis, in homine dupliciter sumi potest: *Vno modo* ex parte animæ & corporis: nõ quatenus vtrumque sumitur absolutè & secundùm se, sed prout inter se coniunguntur, vt actus substantialis & potẽtia: alio modo ex parte eius in quo vniũtur, quatenus vniũtur in vna Socratis humanitate vel persona. Cum itaque distinguit S. D. vnionem Incarnationis dicẽs, eam dupliciter accipi posse; vno modo ex parte eorum quæ cõiungũtur: alio modo ex parte eius in quo iunguntur: non accipit S. D. ea quæ vniũtur secũdùm se; sed prout vniũtur inter se; neque id in D quo vniũtur accipit absolutè; sed quatenus illa duo extrema cõiungit veluti eorum nexus. Vniũtur autem inter se diuinitas & humanitas in Christo, tãquàm causa & instrumẽtum causæ, vt ait Cai. quæ vnio nõ est maxima; quia vt sic substantialis nõ est: Dixi verò *vt sic*: Quoniam quatenus duæ Christi naturæ in tertio, scilicet in persona verbi cõiunguntur, vnionem habent substantialem; & sic humanitas quæ comparata diuinitati præcisè rationem habet instrumenti simpliciter dicti, ex vnione cum diuinitate in vna persona iam non habet instrumenti rationẽ, sed est instrumentum coniunctum in vno, scilicet esse substantiali personali.

Ad cuius ampliorem euidentiam *considerandum est primò* in instrumento coniuncto duo esse: E alterum quòd sit instrumẽtum, & alterum quòd sit coniunctum: ad constituendum instrumentum vt sic, duo concurrunt, vnum vt ratio, alterum vt conditio: ratio instrumenti constitutiua est influxus virtualis causæ principalis in ipsum si sermo sit de eo quod est actualiter instrumentum; vel est proxima dispositio aut deputatio ad recipiendum agentis influxum, si sermo sit de eo quod quasi habitualiter vel quasi in actu primo est instrumentum: conditio verò sine qua instrumentum actu non esset aut actu esse non posset, est coniunctio eius cum causa prin-

principali, vt patet in instrumentis artis, quæ nunquam artificis operantis influxum actu reciperent, atque adeò non essent actu instrumenta, nisi per contractum artificis iungerentur; quæ tamen coniunctio non est ratio formalis instrumenti constitutiua, vt per se notum est sed mera conditio. Quod autem instrumentum sit & dici valeat propriè ac verè coniunctum, id habet ex vnitate personali cum ipso agente principali, tãquàm ex ratione constituendi. Nam exempli gratia brachium habet, vt sit & propriè dicatur instrumentum animæ coniunctum ex vnitate personali, quam habet cum anima: quia scilicet in eadem numero persona subsantialiter copulantur brachium & anima. Sic igitur humanitas Christi est instrumentum coniunctum diuinitatis; sed quod sit actu instrumentum habet ex actuali influxu diuinitatis, veluti ex ratione formali constituendi, quod verò sit instrumentum quasi habitualiter vel quasi in actu primo, id habet ex deputatione diuinæ voluntatis, quæ statuit vti humanitate vt instrumento ad operationes mirificas & supernaturales; Vnitas verò personalis ad humanitatem vt instrumentum constituendam necessaria solùm est, vt mera conditio; non enim deputasset Deus illam humanitatem vt esset instrumentum diuinitatis, nec in eam influeret ad efficiendum per eam tot operationes & effectus supernaturales, nisi personaliter esset diuinitati coniuncta; quamuis id efficere potuisset etiamsi coniuncta non esset in vnitate personæ. Quod demum sit instrumentum coniunctum, habet vt ex ratione constituendi ex hoc, quod diuinitati coniungitur in vnitate personæ: ratio enim coniuncti addita instrumẽto dicit rationem subsantialiter & personaliter vniti. Cum itaq; docet Cai. duas in Christo naturas vniri inter se sicut causam, & instrumentũ causæ loquitur de instrumento simpliciter siuè præcisè; non autem de instrumento coniuncto vt sic: hoc enim modo non vnitur humanitas diuinitati, nisi quatenus cum ea conuenit in vnitate personali; qui modus non pertinet ad considerationem seu acceptionem vnionis ex parte naturarum inter se præcisè, sed ad acceptionem vnionis ex parte termini coniungentis; sic enim non inter se tantum sed etiam in tertio coniunguntur, scilicèt in persona.

Secundò notandum est, in hac vnione humanitatem posse diuinitati tripliciter comparari: *Vno modo* quatenus sunt duæ naturæ siuè formæ habentes rationem quo; & ita considerantur in ratione entis. Et hoc modo maximè distant, nec inter eas vt sic potest esse aliqua vnio subsantialis; quia non possunt vniri in vna natura neque in persona; quia neutra considerata vt quo habet rationem personæ; neque in existentia, quia illa nequit communicari sine personalitate *Secundò* possunt comparari quatenus humanitas quædam natura est siue forma, & Deitas natura quædam est cui per se primò conuenit subsistentia essentialis, quam tamen non communicat humanitati, & ita vniuntur vt causa principalis & instrumentalis, vt ante diximus. *Tertiò* possunt comparari quatenus humanitas propria caret subsistentia; diuinitas autem subsistẽtiam habet Verbi personalem & eam communicat humanitati, quæ comparatio eadem est cum illa, qua comparatur humanitas cum persona Verbi, quæ cõstituitur ex Deitate & subsistẽtia personali. Et hoc modo comparãtur; quatenus in vno termino & quasi medio vniẽte cõueniũt, vel potius in ratione terminabilis & terminãtis, & ita nõ maximè distãt sed summè cõueniũt; ita vt eorum vnio sit maxima; quia persona Verbi est maximè vna; ex qua etiã vnitate fit, vt id quod ex tali vnione resultat, sit maximè vnũ, vt statim dicemus.

Ex his sequitur primò vnionem accidẽtium Christi in vna Verbi persona nõ esse maximam; primò quia nõ vniũtur subsãtialiter sed accidẽtaliter, & ideò nõ fit ex eis & diuina persona vnum per se, quod est magis vnum quàm vnum per accidẽs. *Secundò*; quia nõ vniũtur personæ immediatè sed mediãte humana natura, in qua recipiũtur vt in subiecto, in quo propriam habẽt existẽtiã, aliam ab existẽtia subsãtiali personæ; nec vere subsistũt personali Verbi subsistẽtia; sed inexistũt. Quæ omnia manifestè sequũtur ex primò: ex hoc videlicèt quòd accidẽtia nõ vniũtur subsãtialiter, sed accidentaliter: & ideò solùm hoc Caiet. expressit. *Corollarij.*

Secundò sequitur Val. & Vasq. & alios recẽtiores nõ attigisse mẽtem & subtilitatem Cai. dicẽtis, duas in Christo naturas inter se nõ vniri, nisi sicut causam & instrumẽtum causæ; quo fit vt ridiculæ sint eorum impugnationes.

POSTERIOR *difficultas* est de composito ex vnione duarum naturarũ in vna Verbi persona resultãte; *An scilicet sit maximè vnum?* puta *an Christus sit maximè vnus?* Cui difficultati nõ potest vna simplici respõsione satisfieri; sed distinctione vtẽdum est: potest enim compositũ hoc subsãtiale tripliciter cõsiderari: *Primò* ex parte naturarũ ex quibus componitur; quatenus inter se cõiungũtur. *Secundò* ex parte personæ in qua cõiungũtur: quatenus scilicet in ea cõiungũtur. *Tertiò* absolutè ideſt absque prædicta distinctione: & de duobus quidem modis sumendi compositum patet quid dicẽdum sit ex distinctione & cõclusionibus D. Th. superius explicatis. De tertiò verò modo respõdet Suar. affirmatiuè; Vasq. autem negatiuè: melius tamẽ videtur dicẽdum, aliam esse quæstionẽm de composito subsãtiali, an sit maximè vnum; & aliam de eius vnione vel vnitate. Nam si sermo sit de ipso composito subsãtiali, quod ex duabus naturis in vna Verbi persona cõiunctis resultat, non videtur posse absque distinctione responderi; nam duę sunt in hoc composito subsãtiali compositiones: altera ex ijs scilicet ex duabus naturis: altera cum ijs scilicet diuini suppositi cum humanitate; siuè ex suppositio & humana natura. Et ratione quidem primæ compositionis non habet maximam vnitatem; quia naturæ inter se non vniuntur, nisi vt causa & instrumentum causæ: ratione verò secundæ rectè docet hic Cai. *circa finem solutionis secundi dubij* compositum habere maximam vnitatem. Sed quia secunda compositio principalis est & primam quodammodo claudit, & illi tribuit vnitatem: dicitur enim Christi persona composita non solùm ex natura & supposito; sed etiam ex duabus naturis: Qua loquendi forma significatur vnitas diuinæ personæ, (quæ naturalis est Deitati) vt communicata etiam humanitati; ita vt ea, veluti communi nexu ac vinculo duæ iungantur naturæ: Et non significatur eas esse tantùm coniunctas inter se, vt causa & instrumentum, quomodo non habent maximam vnitatem. Ideò simpliciter posset admitti compositum hoc subsãtiale habere maximam vnitatem; quamuis tutior ac melior sit prior dicendi modus; quia compositum vt sic, componentium diuersitatem & distinctionem includit. Si verò sermo sit de vnione siuè vnitate dicti compositi subsãtialis absolutè, dicendum est eam esse maximam; quia *Compositum resultãs ex vnione duarum naturarũ in vna Verbi persona, scilicet christũ absolutè loquendo esse maximè vnum.*

vnitas

vnitas huius cõpositi est vnitas personalis; quatenus in ea sunt indiuisæ duæ naturæ, humana scilicet & diuina: hæc autem vnitas est omnium maxima, vt ait S. D. *in textu, & in 3. dist. 5. q. 1. a. 1. quæstiun. 2.* Vbi etiam addit considerationẽ vnionis secundùm se; quia est secũdùm id quod vnum est: alterum autem eius considerationem scilicet quantum ad ea quæ vniuntur, esse considerationem vnionis non secundùm quod vnio; & ideò dicendum esse vnionem hanc esse maximam simpliciter; quamuis non sit maxima secũdùm quid; igitur absolutè dicendum est vnionẽ siuè vnitatem huius compositi maximam esse. Cetera ad hanc partem pertinentia notat Suar. *disp. 9. sect. 1.* quæ lege si placet.

Cõclusiones, deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Vnio duarum naturarum in Christo maxima est omnium vnionum & vnitatum creatarum, non solùm earum, quæ sunt ex rebus realiter distinctis; sed etiam earum, quæ sunt ita simplices, vt plura non habeant intrinsecè componentia.* Prior huius conclusionis pars patet ex dictis, & probant eam recentiores supra notati, præsertim verò Suar. qui probationes collegit ex Cai. altera verò pars habetur ex responsione ad primum argumentum. Vbi vnionem hanc affirmant esse maiorem vnitate numerali Primò: quoniam vnitas numeralis est in alio recepta per participationem; & ideò cùm alio componit, scilicet cum eo in quo recipitur; ac proindè non est omninò simplex, vt patet ex doctrina eiusdem S. D. *in 1. p. q. 3. a. 8.* Secundò: quia non est in se completa habens in se quidquid pertinet ad rationem vnitatis; ex quo sequitur vt sit pars numeri, & consequenter non sit omninò simplex; quia licèt non esset composita, est tamen ingrediens compositionẽ. Vnitas autem diuinæ personæ est per se subsistens & in se completa, habens quidquid pertinet ad rationem vnitatis: quod autem vnitas numeralis habeat partes quantitatiuas, hoc merè per accidens est respectu eius, quatenus vnitas est numeralis; si namque daretur minima pars quanti, quæ esset omninò indiuisibilis in alias partes, (vt placuit Scoto) illa verè ac propriè; immò quodammodo verius esset vnitas, quàm ea quæ partes habet ex ea diuisibiles.

SECVNDA CONCL. *Probabiliter dici potest, (absolutè loquendo) compositum illud substantiale, quod resultat ex duabus naturis in vna Christi persona coniunctis, non esse maximè vnum.* Probatur; quia compositum illud includit distinctas naturas, diuinam scilicet & humanam. Et hæc etiam scilicet humana multipliciter est composita; igitur maior esse videtur vnitas compositi substantialis ex materia & forma, quàm huius compositi ex duabus naturis.

TERTIA CONCL. *Probabilius est compositum hoc substantiale esse maximè vnum.* Hæc patet ex dictis. Et Probatur etiam: quoniam eo maior est vnio, quò terminus ex ea resultans est magis vnus; at terminus resultans ex hac vnione est magis vnus, quàm alius quicunque terminus ex alia vnione creata resultans; ergò. Maior probatur; quia perfectio maior aut minor coniunctionis in ratione vnionis sumitur ex maiori vel minori vnitate termini. Minor verò probatur; quia cõpositum ex alijs vnionibus resultans, vel est accidentale vel est substantiale essentiale, vel personale, vel integrale: sed huius vnionis terminus est magis vnus quàm prædicti. Nam terminus huius vnionis est vnum substantiale & per se, quod est magis vnum quàm compositum accidentale, quod est vnum per accidens: Similiter simplicitas componentis cæteris paribus confert ad maiorem vnitatem compositi: constat autem Verbi personam, quæ terminat humanitatem, esse longè simpliciorem, quam forma vel personalitas creata vel partes integrales totum aliquod componentes; igitur persona composita ex vnione illa resultans est magis vna quàm essentia, quæ resultat ex materia & forma; & quàm suppositum creatum, quod resultat ex natura & suppositalitate creata; & quàm totum integrale, quod resultat ex partibus integralibus. Non habet tamen persona Christi composita tantam vnitatem, quantam habet persona Verbi secundùm se, cui nulla conuenit compositio. Quod ergò S. D. intendit, est ex vnitate, & simplicitate personæ diuinæ, in qua vniuntur diuersæ naturæ, deriuari ad eas multò maiorem vnitatem, quam sit alia quælibet vnitas creata.

QVARTA CONCL. *Vnitas huius compositi substantialis est simpliciter omnium maxima.* Hęc patet ex dictis.

CONTRA *primam* concl. quo ad primam eius partem sunt argumenta, quæ referunt & soluũt Capr. Cai. Med. & alij recentiores *super hoc articulo*; quæ verò contra secundam partem produci possent, ex eius probatione supra posita facilè soluentur. *Argum. & Solu.*

CONTRA *secundam* concl. produci possent argumenta Suar. *disp. 9. sect 1.* quæ tamen non probant compositum illud substantiale esse maximè vnum simpliciter; sed tantùm ratione vnionis naturarum in vna persona: compositum autem illud substantiale, quod est Deus homo, non dicit hanc tantùm vnionem, sed etiam illã quæ est duarum naturarum inter se, & eam quæ est animæ & corporis, & eam quam habent corporis partes, qua singulæ nõ sunt vniones maximæ & simul sumptæ. sic vnum compositum cõstituunt, vt earum considerata pluralitate cum tanta partium differentia, aut rerum componẽtium diuersitate compositum per eas constitutũ neq; sit neq; dici possit absolutè maximè vnũ.

CONTRA *tertiam concl.* argum. Vasq. Compositio Christi est ex natura humana & subsistẽtia diuina; quæ duo solùm supernaturaliter coniungi possunt; ergò non est inter hæc extrema tanta aptitudo ad vnionem, quanta inter materiam & formam, quæ suapte natura & naturali inclinatione inter se aptantur. *Resp.* nullam esse consequentiam; quia quantitas vnionis non attenditur ex aptitudine seu inclinatione rerum vnibilium ad vnionẽ; nam alioquin diuinæ personæ nunquàm vniri potuisset humana natura; cum nullam habeat inclinationem ad diuinę personæ subsistentiam: sed satis est ex parte humanæ naturæ potentia obedientialis; ex parte verò diuinæ subsistentiæ sufficientia perfectionis infinitę, qua supplere possit excellenter munus propriè subsistentiæ in humana natura. Quantitas igitur vnionis considerandа est ex indiuisibilitate ac simplicitate eius, in quo vniuntur extrema, quatenus in eo vniuntur, si sermo sit de vnione duorum in tertio; aut ex indiuisibilitate illius extremi, ad cuius vnitatem trahitur alterum, si sermo sit de vnione vnius cum altero: sicut in proposito de vnione naturæ humanę cum persona diuina: terminus enim vnionis formalis totam suam vnitatem & indiuisibilitatem communicat ijs, quæ in eo aut cum eo vniũtur, quatenus in eo aut cum eo vniũtur; licèt absolutè & realiter suã retineant inter se & ab ipso termino vniente distinctionem. *Obi. cont. 3. cõcl. Sol.*

AR-

ARTICVLVS X.

Vtrum vnio duarum naturarum in Christo sit facta per gratiam.

Inf. q. 6. a. 6. & veri. q. 29. a. 2. & 3. d. 13. q. 3. art. 2.

AD decimum sic proceditur. Videtur, quòd vnio Incarnationis nõ sit facta per gratiã. Gratia enim est accidẽs quoddam: vt in secunda parte habitũ est. Sed humanæ naturæ vnio ad diuinam, non est facta per accidens, vt supra ostensum est. Ergò videtur, quòd vnio Incarnationis non sit facta per gratiam.

p. 2 q. 110. art. 2. & 3.

Præterea: Gratiæ subiectum est anima. Sed sicut dicitur Coloss. 2. in Christo habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter: ergò videtur, quòd illa vnio non sit facta per gratiam.

Art. 6.

Præterea: Quilibet Sanctus Deo vnitur per gratiã. Si igitur vnio Incarnationis fuit per gratiam, videtur, quòd non aliter dicatur Christus esse Deus, quàm alij Sancti homines.

Cap 15. l. 7.

Sed contra est, quòd Augustin. dicit in lib. 2. de Prædest. Sãctorũ: Ea gratia sit ab initio fidei suæ homo quicunq; Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. Sed homo ille factus est Christus per vnionem ad diuinam naturam. Ergo vnio illa fuit per gratiam.

3. d. 13. q. 3. a. 1. p. 2. q. 110. art. 1.

Respondeo dicendum, quòd sicut in secunda parte dictum est gratia dupliciter dicitur. Vno modo voluntas Dei gratis aliquid dantis. Alio modo ipsum gratuitum donum Dei. Indiget autem humana natura gratuita Dei voluntate ad hoc, quòd eleuetur in Deum, cũ hoc sit supra facultatem suæ naturæ. Eleuatur autem humana natura in Deum dupliciter. Vno modo per operationem, qua scilicet Sancti cognoscunt, & amant Deum. Alio modo per esse personale. Qui quidem modus est singularis Christo: in quo humana natura assũpta est ad hoc, quod sit persona Filij Dei. Manifestum est autem, quòd ad perfectionem operationis requiritur, quòd potentia sit perfecta per habitum, sed quòd natura habeat esse in suppposito suo, non fit mediante aliquo habitu.

Sic ergo dicendum est, quòd si gratia accipiatur ipsa Dei voluntas gratis aliquid faciens, vel gratum seu acceptum aliquem habens vnio Incarnationis facta est per gratiam: sicut, & vnio Sanctorum ad Deum per cognitionem, & amorem. Si verò gratia dicatur ipsum gratuitum Dei donum, sic ipsum quod est, humanam naturam esse vnitam personæ diuinæ, potest dici quædam gratia, inquantum nullis præcedentibus meritis hoc est factum, non autem ita, quòd sit aliqua gratia habitualis, qua mediante talis vnio fiat.

3. d. 4. q. 3. art 2. & q. 2. & Col. 2. l. 2 col. 3.

Ad primum ergo dicendum, quòd gratia, quæ est accidens, est quædam similitudo diuinitatis participata in homine, Per Incarnationem autem humana natura non dicitur participasse similitudinem aliquã diuinæ naturæ, sed dicitur esse coniuncta ipsi diuinæ naturæ in persona Filij. Maius autem est ipsa res, quam similitudo eius participata.

Ad secundum dicendum, quòd gratia habitualis est solùm in anima. Sed gratia, idest gratuitum Dei donum, quod est vniri diuinæ personæ, pertinet ad totam naturam humanam, quæ componitur ex anima, & corpore. Et per hunc modum dicitur plenitudo diuinitatis in Christo corporaliter habuisse: quia est vnita diuina natura non solùm animæ, sed etiam corpori. Quamuis etiam possit dici, quòd dicitur habitasse in Christo corporaliter, idest non vmbraliter, sicut habitauit in sacramentis veteris legis, de quibus ibidem subditur, quòd sunt vmbra futurorum, corpus autem est Christus: prout scilicet corpus contra vmbram diuiditur. Dicunt etiam quidam, quod diuinitas dicitur in Christo habitasse corporaliter, idest tribus modis: sicut

A *corpus habet tres dimensiones. Vno modo, per essentiã, præsentiam, & potentiam: sicut in cæteris creaturis. Alio modo per gratiam gratũ facientem: sicut in Sanctis. Tertiò, per vnionem personalem: quod est propriũ sibi.*

Vnde patet responsio ad tertium: quia scilicet vnio Incarnationis non est facta solùm per gratiã habitualem, sicut alij Sancti vniuntur Deo, sed secundum subsistentiam, siue personam.

Sensus quæsiti.

IN Hoc quæsito solùm nomen *gratiæ* ambiguum est, cuius significatio triplex declaratur in textu: Sumendum igitur est in titulo nomen
B *gratiæ*, prout analogicam habet indifferentiam ad gratuitam Dei voluntatem, ad gratiam habitualem, & ad esse personale gratis humanæ naturæ communicatum.

Forma Textus.

PRAEMISSA distinctione respondetur quæsito tribus Conclusionibus.

Distinctio est: gratia dupliciter dicitur: *Vno modo* ipsa voluntas Dei gratis aliquid dantis: alio modo ipsum gratuitum donum Dei, quod dupliciter sumitur scilicet pro gratia habituali; & pro quocunque dono gratis concesso, quale in
C propositio est esse personale quod humanæ naturæ communicatur.

PRIMA CONCL. *est; Si gratia accipiatur ipsa* „ *Dei voluntas gratis aliquid faciens vel gratum seu ac-* „ *ceptum aliquem habens, vnio Incarnationis facta est* „ *per gratiam: sicut & vnio Sanctorum ad Deum per co-* „ *gnitionem, & amorem* probatur: Quoniam indiget humana natura gratuita Dei voluntate ad hoc, vt eleuetur in Deum, siuè per esse personale siuè per operationem; ergò. Probatur antecedens: quia hæc est supra facultatem suæ naturæ.

SECVNDA CONCL. *Si gratia accipiatur pro* „ *gratuito Dei dono, quod est gratia habitualis, vnio dua-* „ *rum naturarum in Christo, non est facta per gratiam;* „
D *vnio verò Sanctorum ad Deum per operationem est fa-* „ *cta per gratiam.* Probatur; quia ad perfectionem operationis requiritur, quòd potentia sit perfecta per habitum; sed quòd natura habeat esse in suppposito, non fit mediante aliquo habitu: at vnio Sanctorum fit per hoc, quod eleuatur in eis humana natura in Deum per operationem; qua scilicet Sancti cognoscunt, & amant Deum: vnio verò duarum naturarum in Christo facta est per hoc, quod humana natura assumpta est ad hoc, vt sit in persona filij Dei; ergo sumendo gratiam pro eo gratuito Dei dono, quod est gratia habitualis, vnio duarum naturarum in Christo non est facta per gratiam.

E TERTIA CONCL. *Si gratia dicatur ipsum gratuitum Dei donum, hoc ipsum, quod est humanam naturam esse vnitam personæ diuinæ, potest dici quædam gratia.* Probatur; quia hoc factum est nullis præcedentibus meritis.

Expositio Textus.

DISTINCTIONEM D. Th. cũ singulis eius membris explicat optimè Cai. Hanc autem distinctionem esse sufficientem, vt instituto deseruiat, ex eo patet quod duobus modis gratia dicitur: Vno modo *effectiuè*, & sic voluntas Dei gratis aliquid dans aut faciẽs dicitur gratia: alio modo *formaliter* scilicet pro gratuito Dei dono, & hęc duplex est; nam quædam est gratia formaliter dicta; quæ ita donum est Dei gratuitum, vt

sit

sit dispositio vel medium form[al] quo habetur alterum Dei donum; sicut au[gm]ẽtum Dei gratuitum dispositio est ad gratiã gratũ facientẽ, & hęc ad gloriam & lumen glorię dispositio est & medium, quo diuina essentia vnitur intellectui Beatorum & sub quo videtur: Quædam verò ita gratia est formaliter dicta, id est donũ Dei gratuitum, vt non sit medium neque dispositio ad aliud donum; quia habet rationem præcipui & vltimi doni, ad quod alia dona siuè sint præcedentia siuè consequentia, ordinantur; sicut vnio perfecta diuinæ essentiæ cum anima beata donũ Dei gratuitum est, ad quod ordinantur alia dona, & in proposito vnio diuinæ personæ cum humana natura Dei donum est, ad quod alia dona vnionẽ hanc consequentia ordinantur. Et ex his patet tam sufficientia diuisionis, quàm veritas & ratio singularũ conclusionum D. Th. nec maiori hæc indigent explicatione.

Primam concl. declarant Medina, Suarez & Vasq.

Sensum & probationem secundæ concl. explicat Cai. Suar. autem *disp. 10. sect. 2.* disputat de veritate conclusionis. Nos Contro. hãc ad proprium eius locum remittimus scilicet *ad sextum art. q. 6.*

Tertiam verò cõcl. explicant Cai. Med. Suar. *in Com.* & Vasq. *in Notationibus.* Sed cauendum est à Suar. qui nomen vnionis in tertia conclusione interpretatur de modo substantiali, quem supra constituit in humana Christi natura; sed eius vanitatem iam supra demonstrauimus.

Responsionem ad primum argum. explicant Cai. Med. & Suar. qui etiam declarat responsionem ad secundum. Responsionem autem ad tertium, explicat Vasq. & ante eum Porrecta. Quærit Suar. *disp. 10. sect. 1.* quæ sit vel esse possit causa efficiens huius mysterij? quem lege, si placet.

ARTICVLVS XI.

Vtrum vnionẽ Verbi Incarnati aliqua merita præcesserint.

3. 2. q. 98. a. 4. c. & 3. d. 4. q. 3 a. 3. & Ro. 1. lib. 3. col. 2 fi. & Heb. 1. l. 4. col 3.

AD vndecimũ sic proceditur. Videtur, quòd vnio Incarnationis fuerit aliqua merita subsecuta. *Quia super illud Psalmi, Fiat misecordia tua super nos, quemadmodum, &c. dicit gloss. Hic insinuatur desiderium Prophetæ de Incarnatione, & meritum impletionis. Ergo Incarnatio cadit sub merito.*

Præterea: Quicunque meretur aliquid, meretur illud, sine quo illud, haberi non potest. Sed antiqui Patres merebantur vitam æternam, ad quam peruenire non poterant, nisi per Incarnationem. Dicit enim Cap. 20. *Greg. in lib. 13. mor. Hi, qui ante Christi aduentum in hunc mundum venerunt, quantamlibet iustitiæ virtutem haberent, ex corporibus educti, in sinum cælestis patriæ statim recipi nullo modo poterant: quia nondum ille venerat, qui iustorum animas in per, tua sede collocaret. Ergo videtur, quòd meruerint Incarnationem.*

In offic. illius ad matut.

Præterea: De Beata Virgine cantatur, quòd Dominum omnium meruit portare. Quod quidem factum est per Incarnationem. Ergò Incarnatio cadit sub merito.

Cap. 15. tom. 9.

Sed contra est, quòd Augustin. dicit in lib. de Prædest. Sanct. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis inuenerit, ipse in nobis præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat.

A *Sed nulla merita præcesserunt regenerationem nostrã: secundum illud Tim. 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum [re]generationis. Ergo nec [in]carnationem Christi generationem aliqua merita præcesserunt.*

Respondeo dicendum, quòd quantũ ad ipsum Chri- Art. præc. *stum, manifestum est ex præmissis, quòd nulla eius merita potuerunt præcedere vnionem. Non enim ponimus, quòd ante fuerit purus homo, & postea per meritum bonæ vitæ obtinuerit esse filius Dei, sicut posuit Photinus: sed ponimus, quòd à principio suæ conceptionis ille homo verè fuerit filius Dei, vtpote non habens*

B *aliam hypostasim, quàm Filij Dei: secundum illud Luc. 1. Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Et ideò omnis operatio illius hominis subsecuta est vnionẽ. Ergo nulla eius operatio potuit esse meritum vnionis.*

Sed neque etiam operà alterius cuiuscunque hominis potuerunt esse meritoria huius vnionis ex condigno. Primò quidem: quia opera meritoria hominis propriè ordinantur ad beatitudinem, quæ est virtutis præmiũ, & consistit in plena Dei fruitione. Vnio autem Incarnationis, cum sit in esse personali, transcendit vnionem beatæ mentis ad Deum, quæ est per actum fruentis. Et ideo non potest cadere sub merito.

Secundò, quia gratia non potest cadere sub me-

C *rito: quia est merendi principium. Vnde multò minus Incarnatio cadit sub merito, quæ est principiũ Gratiæ: secundum illud Io. 1. Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.*

Tertiò, quia Incarnatio Christi est reformatiua totius humanæ naturæ. Et ideo non cadit sub merito alicuius hominis singularis: quia bonum alicuius puri hominis non potest esse causa boni totius naturæ.

Ex congruo tamen meruerunt sancti Patres Incarnationem, desiderando, & petendo: congruum enim erat, vt Deus exaudiret eos, qui ei obediebant, & D *per hoc patet responsio ad primum.*

Ad secundum dicendum, quòd hoc est falsum, quòd sub merito cadit omne illud, sine quo præmium esse non potest: quædam enim sunt, quæ non solùm requiruntur ad præmium, sed etiam præexiguntur ad meritum, sicut diuina bonitas & eius gratia, & ipsa hominis natura. Et similiter Incarnationis mysterium est principium merendi: quia de plenitudine Christi omnes accepimus, vt dicitur Ioan. 1.

Ad tertium dicendum, quòd beata Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium: non quia meruerit ipsum incarnari. Sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatis, & sanctitatis gradum, vt congruè posset esse mater Dei.

Ratio ordinis, & sensus quæsiti.

RATIONEM ordinis huius articuli & sensum quæsiti declarant optimè Cai. & Suar. E sumũtur autem hic merita absolutè & indifferẽter ad quæcunque genera meritorum, & in ordine ad quamcũque personam, siuè ea sit Christus ipse, siuè alius quilibet Sanctus: Verbum autem *præcesserint*, non durationis sed causæ moralis prioritatem significat.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. *nulla Christi merita potuerũt præcedere vnionem.* Probatur; quia omnis operatio illius hominis, qui est Christus, subsecuta est vnionem; ergò nulla eius operatio potuit esse meritum vnionis. Consequentia est euidens. Antecedens verò probatur primò ex

diffe-

differentia inter catholicæ fidei doctrinam, & hæresim Photini, vt patet *in textu*. Secundò ex Verbis Euangelij *Luc. 1. cap.*

SECVNDA CONCL. *Neque etiam opera alterius cuiuscunque hominis potuerunt esse meritoria huius vnionis ex condigno.* Probatur tripliciter, *primò*; quia vnio Incarnationis transcendit vnionẽ beatæ mentis ad Deum; ergò non potest cadere sub meritò. Antecedens probatur; quia vnio Incarnationis est in esse personali; vnio autem beatæ mentis ad Deum est per actum fruentis: Consequentia verò probatur; quia operatio meritoria hominis propriè ordinatur ad beatitudinem, quæ est virtutis præmium, & consistit in plena Dei fruitione; ergò. *Secundò* probatur eadem cõclusio; quia gratia ideò non potest cadere sub merito; quia est merendi principium; ergò multò minus Incarnatio potest cadere sub merito. Antecedens relinquitur vt notum. Consequentia probatur; quia Incarnatio est principiũ gratiæ; quod probatur ex diuina scriptura *Ioan. 1.* gratia & veritas per Iesum Christum facta est. *Tertiò* probatur concl. Quia Incarnatio Christi est reformatiua totius humanæ naturæ; ergò nõ cadit sub merito alicuius hominis singularis. Probatur consequentia; quia bonum alicuius puri hominis non potest esse causa boni totius naturæ.

TERTIA CONCL. *Sancti Patres meruerunt ex congruo Incarnationem desiderando & petendo.* Probatur; quia congruum erat vt Deus exaudiret eos qui ei obediebant.

Expositio Textus.

DVos postremos primæ cõclusionis terminos declarat accuratè Porrecta.

Circa discursum, quo probatur prima conclusio, nota vim probationis antecedẽtis apud Caietanum, optimè declarantem vim primæ suæ consequentiæ: quam etiam ex August. & sexta Synodo declarat Val. Eadem etiã explicat Porrecta, qui etiam tres secundæ conclusionis probationes, & terminos assumptarum propositionum diligenter exponit. Vide etiam apud eum formam responsionis ad tertium argumentum D. Thom.

PRIMA CONTROVERSIA.

An Christus aut eius humanitas meruerit aut mereri potuerit de condigno, aut de congruo vnionem hypostaticam ipsius humanitatis cum Verbo, vel continuationem aut eius circumstantias, aut quasi extensionem eius ad eas materiæ partes, quas paulatim per mutationem acquirebat, vel quasi restitutionem eius, qua in resurrectione facta est?

Status controuersiæ.

OCTO in inscriptione quæsita continentur. Primum est: *An Christus de facto meruerit vnionem humanitatis cum Verbo?* Secundum est. *An eius humanitas eandem vnionem hypostaticam cum Verbo meruerit?* de quibus inter Catholicos Doctores nulla est Controuersia, sed propter alia quatuor vltima necesse fuit hæc duo, velut eorũ capita proponere, & ex proprijs ea fundamentis definire, vt ex ijs cæterarum quæstionum annexarum modi facilè resoluantur: est igitur tertiũ quæsitũ: *An de potentia Dei absoluta Christus mereri potuerit vnionem hypostaticã humanæ naturæ cũ Verbi persona?* Quartu est *An eãdem vnionem mereri potuerit humanitas?* Quintum *an Christus meruerit, aut mereri potuerit circumstantias vnionis, seu Incarnationis?* Sextum est: *An eiusdem vnionis cõtinuationem Christus meruerit, aut mereri potuerit?* Septimũ est *de extensione.* Vltimũ est *de reunitione*: & sermo est de merito tam cõdigni quàm congrui. De his igitur ac præsertim quatuor postremis quæsitis variæ sunt Doctorum opiniones.

Prima sententia est Suar. *qui disp. 10. sect. 3. ad 2. & 4. quæsitum* tria respondet. *Primum* est: anima Christi vel humanitas nec meruit nec mereri potuit prædestinationem seu electionem suam ad hypostaticam vnionem. *Secundum* est: Anima Christi vel humanitas non meruit suam vnionẽ seu assumptionem; quod tamen non est omninò certum secundùm fidem. *Tertium*: etiam de potentia absoluta fieri nõ potuit vt humanitas per opera præcedentia mereretur suam Incarnationem: ad primum autem & tertium respondet *in eadem disp. sect. 4.* tribus dictis: *Primum* est: Probabilis est multorum opinio dicẽtium implicare contradictionem Christum meruisse Incarnationem. *Secundum* est: Valdè probabile est Christum potuisse mereri Incarnationem. *Tertiũ* de facto sine vllo dubio dicendum est, Christum dominũ non meruisse Incarnationem suam. Ad reliqua tria respõdet *in eadem sect.* quinq; dictis. Primũ est: quãuis fortasse non implicet contradictionem gratiã vnionis solùm prout intelligitur coexistere vni instanti gratis dari, & vt perseuerans & durãs esse præmium meritorũ; tamẽ id nec videtur consentaneum naturæ eius, cũ de se perpetua sit, nec modo cõmunicationis diuinæ gratiæ, cuius dona sunt sine pœnitẽtia: in fine tamẽ sectionis ait partẽ affirmantem sibi videri probabiliorem. *Secundũ* nõ oportet ponere meritũ vnionis, quo ad illius quasi extẽsionem; sed paulò inferius cõtrariæ adhæret opinioni. *Tertiũ*: dici potest; Christũ meruisse resurrectionẽ suã, atque adeò vnionem animæ ad corpus, non tamẽ propterea necesse est, vt meruerit aliquam vnionem humanitatis ad Verbũ; quia hæc in re ipsa nõ fuit dissoluta, sed mansit in anima & corpore, quæ; licèt inter se fuerint separata per mortem; non tamen à Verbo; quæ responsio (inquit) vera est, si nihil addit vnio totius humanitatis ad Verbũ, præter vnionem animæ & corporis inter se; si autẽ aliquid addit, illud sine dubio fuit Christo restitutũ propter merita eius; quia non est maior ratio de resurrectione ipsa, quàm de hac vnione, si aliquid addit: *Vltimo* ait Christũ etiam meruisse, vt hæc vnio hypostatica nõ quidem multiplicaretur, sed vt eadem quasi iterum atq; iterum in rerum natura poneretur per mysterium Eucharistiæ.

Sententiæ Doctorum.

Secunda sententia est Vasq. *disp. 21.* Vbi quarto posito respõdens *c. 6.* ait: Per vnionẽ hypostaticã talem fuisse gratiã factã humanitati Christi, vt simul tẽpore incipiẽs cũ ipsa humanitate non potuerit cadere sub vllũ meritũ: *in octauo* verò *capitulo* ad alia posteriora quæsita respondens ait, humanitatẽ meruisse perpetuitatẽ vnionis, & resurrectionẽ ipsius humanitatis iterũ reuniẽdę cũ Verbo diuino secundũ se totã & non solũ secundũ partes & oẽs circũstantias, nõ solũ consequẽtes sed etiã antecedentes tempore & concomitãtes Incarnationem, quę per se requisitæ non erãt ad ipsam, fuere tamen peculiare beneficium, sub meritũ humanitatis cecidisse nõ solum quatenus habuerũt rationem beneficij respectu aliorum, sed etiam respectu ipsius humanitatis.

Tertia sententia est Thomistarum qui primò & secũdo quæsito cũ D. Tho. & cõmuni Theologorũ sentẽtia respõdent, neque Christum ne-

que eius humanitatem meruisse vnionem diuini Verbi cum ipsa humanitate; ad tertium verò dicunt Christum per absolutam etiam Dei potétiam non potuisse dictam vnionem seu Incarnationem mereri; ita Cai. & Med. *super hoc articulo*, Astur. *q. sua 5. concl. 2.* & Aluar. *disp 16.* Ad quartum respondent primò: per absolutam Dei potentiam fieri potuisse vt humanitas Christi & eius anima mereretur Christi Incarnationem, quantum ad eius substantiam: ita Cai. Astur. & Aluar. *locis supra notatis*: Sed hi duo posteriores in vno conueniunt & in altero differunt. Affirmant enim ambo: Si humanitas prius tempore fuisset in supposito sibi proprio & connaturali, potuisse Incarnationē mereri per opera ex gratia & charitate procedentia, accedente etiā speciali Dei promissione & ordine, per quam illa opera referrentur ad Incarnationem tanquàm ad præmium. Differunt autem; quia Caietanus admittit naturam humanam prius natura & tempore, quàm assumeretur à Verbo potuisse per Dei potentiam absolutam habere propriam existentiam & operationem ex gratia procedentē, quàm mereretur vnionem. Sed Astur. affirmat *in probatione sua tertiæ conclusionis* duobus alijs modis potuisse Christi humanitatem mereri suam vnionem cum Verbo. Primus est si supponamus veram esse sententiam, quæ multis Theologis visa est probabilis, videlicet Christi humanitatem, quatenus per propriam extitit existentiam prius natura, quàm assumeretur ad personalitatem Verbi habuisse actionem ex gratia & charitate procedentem, qua suam cum Verbo hypostaticam vnionem mereretur. Hunc itaq; modū affirmat Asturic. esse possibilem. Secundus modus est, si per absolutam Dei potentiam prius natura vel tempore humanitas assumpta fuisset ad existentiam Verbi diuinam, quam ad eius subsistentiam: tunc enim (inquit) facile intelligeremus Christi animam seu totam eius humanitatem per operationes ex gratia habituali, & ex diuina procedentes existentia mereri hypostaticam vnionem Verbi cum humanitate; quem dicendi modum sequitur Rada *in sua 3. p. Contr. 12. a. 3. dub. 1.* Aluar. autem *disp. 16.* negat simpliciter vtrumq; dictum: ait enim supposito, quod humanitas non fuerit producta prius tempore, quam vniretur Verbo sicut de facto contigisse docet fides Catholica non potuisse humanitatē per opera præcedentia in priori naturæ vel subsequentia Incarnationem mereri suam cum Verbo vnionem hypostaticam. Ad sextum quæsitū respondet Astur. *concl. 4.* Christum dominum neque meruisse neque mereri potuisse ſuę Incarnationis circumstantias, V. g. tēporis loci quod ex tali matre nasceretur &c. Ad septimum respondet *concluſ. 5.* Christum neque meruisse neque mereri potuisse, si propriè de merito fiat sermo, ipsam suæ Incarnationis continuationem; sed inferius addit, potuisse Christum mereri Incarnationis continuationem, sed meritum illud (inquit) esse ab extrinseco ex sola Dei acceptatione & promissione; non verò vim meritoriam ex principio intrinseco, videlicet ex gratia vnionis participaret. Ad vltimum respondet negatiuè, *pag. 472.*

Quæstio 1. & 2. Relatis doctorū opinionibus ostenditur certa fide tenēdū esse Christū

De singulis ferè propositæ Contr. partibus distinctè per capita agēdum est; quia singulæ proprias habent difficultates. Est igitur.

PRIMA QVAESTIO; *Num Christus meruerit Incarnationem?* idest vnionem suæ humanitatis hypostaticam cum Verbo diuino, cui connexa est SECVNDA quærens; *an humanitas eandem vnionem sibi meruerit?* Hęc quæstio est contra Photinum hæreticum asserentem Christū fuisse purum hominem & meruisse Deitatem; & contra Originem qui *in Petriarchon, cap. 6.* docet animam Christi simul cum Angelis & alijs animabus à principio mundi fuisse creatam, & per bona opera sibi vnionem cum Vērbo meruisse, vt refert S. D. *in Comm. epist. ad Heb. cap. 1. lect. 4.* Et quamuis summa consensione Patres & Scholastici doceant, Christum aut eius humanitatē vnionem hypostaticam ipsius humanitatis cū Verbo nō meruisse merito cōdigni aut merito cōgrui; dissētiūt tamē in assignādo gradū certitudinis huic catholicæ veritati. Nam MED. proposita sua prima conclusione asserente Christū non meruisse vnionem hypostaticam ait, cōclusionem hanc sibi videri certam secundùm fidē; ad cuius probationē adducit multa diuinæ scripturæ & D. August. testimonia; quæ VASQ. & post eum SVAR. ait non satis probare cōclusionem esse de fide, nec ipsi meliora producunt: affirmat tamen Vasq. *disp. 21. cap. 1.* oppositam cōclusionem esse errorem in fide, si sermo sit de meritis solius liberi arbitrij. ASTVR. autem ait oppositum quidem dictæ conclusionis esse periculosum & non satis tutum in fide, sed non esse expressum errorem loquendo de merito per opera, quæ Christus post Incarnationem fuit operatus; quamuis (inquit) testimonia, quibus illa conclusio probatur, vt plurimum probent efficaciter, quòd non præcesserint aliqua merita in Christo, aut in eius humanitate, quibus suā mereretur Incarnationem.

aut eius humanitatem Incarnationē condignè nō meruisse per opera præcedētia. Deinde probatur etiam nullo alio modo eam meruisse.

ALVAR. duo dicit: *Primum* est si loquamur de merito condigni, certissimum est humanitatem Christi non meruisse per bona opera etiam ordine naturæ duntaxat antecedentia vnionem hypostasim, & opposita sententia est periculosa in fide & valdè proxima errori. *Secundum* est etiam de congruo non meruit humanitas Christi vnionem cum Verbo, quæ conclusio (inquit) non est ita certa, sicut præcedens; est tamen valdè conformis sacris litteris, & opposita est improbabilis & sacris scripturis parum consentanea.

MIHI verò tria videntur dicēda: PRIMVM EST: *si sermo sit de merito simpliciter siuè de merito condigni, concl. negantem Christum suam hypostaticam vnionem per opera præcedentia meruisse, esse fidei dogma certissimum.* quod argumento, iudicio meo, conuincente sic *probatur*: Ecclesia in pluribus generalibus Concilijs & præsertim Niceno Constan. primo & Ephes. quæ notat Porrecta, hæresim Photini damnauit asserentis, Christum antea purum hominem fuisse & postea per meritū bonæ vitæ obtinuisse, vt esset filius Dei. At eadem hæresis in substantia est asserere Christū aut eius humanitatem prius natura, quàm vniretur Verbo personaliter, hanc sibi vnionem condignè meruisse; ergò prædicta conclusio oppositum huic errori pronuncians est de fide. Minor probatur: Quoniam hæresis Photini in hoc præcipuè posita fuit, quod credidit Christum non ex vi suæ conceptionis & natiuitatis supernaturalis fuisse filium Dei, sed ex proprijs meritis diuinitatem siuè Dei filiationem sibi comparasse; at hoc idem asseret, qui diceret Christum aut eius humanitatem priusquam Verbo personaliter vniretur, vnionem illam hypostaticā meruisse; ergò. Probatur hęc minor; quia nec differētia prioritatis tēporis & instātis naturæ, nec differētia humanitatis terminatæ propria personalitate, aut sine propria personalitate simpliciter

citer existentis, antequàm Verbo personaliter vniatur, vllã in re præsenti facit in maius, aut in minus erroris varietatem; cum non minus hic, quam hæresis prædicta neget Christum ex vi supernaturalis suæ conceptionis esse filium Dei, & asserat illum per merita propria sibi filiationem hanc acquisiuisse. Et *confirmatur primò*: quia humanitas existens singulariter in rerum naturâ secundùm multorum opinionem est verè suppositum, & Aristot. *in 7. Metaph.* eam à supposito non distinxit, & secundùm veritatem æquiparatur supposito: Quod autem actu propria personalitate terminetur aut non terminetur, hoc impertinens est & merè per accidens in re præsenti: nam siuè meritum vnionis tribuatur humanitati simpliciter existenti, siuè illi tribuatur propria personalitate terminatę, idem in vtraq; assertione clauditur error, videlicet Christum non ex vi suæ supernaturalis conceptionis sed ex vi propriorum meritorum esse filiũ Dei. *Secundò confirmatur*: quoniam vterque dicendi modus æquè repugnat gratiæ vnionis, quæ omnium gratiarum est maxima: nam vt ait Apostolus *Rom. 11. Si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia. Tertiò confirmatur*: quia gratia, ideò non cadit sub meritum, quia est principium omnis boni operis, vt ait S. D. *in 1. 2 q. 114. a. 5.* at gratia vnionis, non solùm principium est omnis boni operis, sed etiam ipsius gratiæ habitualis, iuxta illud *Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*, & Luc. 1. *Quod enim certè nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Quod etiam explicat. S. D. *in art. sequenti, & latius quæst. 7. artic. 13. & ibidem* expositores. *Secundò probatur* primum illud dictum ex communi Theologorum consensu dicentium, Christum suam Incarnationem non meruisse. *Tertiò probatur* ex omnibus illis diuinæ scripturæ testimonijs, in quibus sacrosanctum Incarnationis mysterium specialissimæ Dei gratię & beneuolentiæ tribuitur. Quod cum proprietate fieri minimè potuisset, si Christus hypostaticam vnionem Verbi cum humanitate merito condigni per opera præcedentia meruisset. Loca præcipua sunt. Io. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filiũ suum vnigenitum daret.* Luc. 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Ad Tit. 2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri.* Et cap. 3. *Apparuit humanitas, & benignitas Saluatoris nostri.* Ad Rom. 5. Mysterium Incarnationis appellatur gratia. *Sicut enim* (inquit) *vnius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abbundauit.* & Io. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Notandum est autem in his duobus vltimis locis Mysterium Incarnationis gratiam & donum simpliciter nuncupari: atque adeò, non solùm respectu nostri, sed etiam respectu Christi & eius humanitatis. *Quartò prob.* ex D. Augustl. multis in locis, quæ refert Med. *super hoc a.* & Astur. *de gratia Christi q. 5. conclus. 1. pag. 454.* quæ perperam interpretatur Suar. vt optimè probat Aluar. *disp. 15. concl. 1.* Alia D. Augustl. loca refert Vasq. *disp. 21. cap. 1. Quintò prob.* illud dictum optimis argumẽtis. Primum est: Antè vnionem naturæ humanæ cum persona Verbi, Christus non est neque esse potest; ergò neque meruit neque mereri potuit vnionem humanitatis cum Verbo. Antecedẽs probatur ex supradictis *in articulo 4.* vbi declarauimus Christi nomine significari compositũ ex humanitate & persona Verbi. Sed quia fortasse dici posset, Christum non secundùm se totum sed ratione solius humanitatis priusquàm A vniretur Verbo eandem vnionem meruisse. Contra hoc fit secundum argumentum: Nulla natura rationalis aut intellectualis potest mereri, nisi prius existat; sed humana Christi natura non prius fuit existens, quàm vniretur Verbo personaliter; ergò non potuit vnionem hanc cum Verbo mereri. Maior probatur: quoniam in qualibet re operari præsupponit esse, nec oppositum est intelligibile. Minor verò probatur primò: quoniam existentia posterior est subsistentia; quia per hanc fit ipsa natura capax existentiæ, vt ostendimus *in 1. p. quæst. 50. art. 2. Contr. 3.* ergò prius humanitas subsiB stit, quàm existat; non subsistit autem nisi subsistentia Verbi, quæ illi conuenit per vnionem in esse personali; ergò non prius humanitas fuit existens, quàm vniretur Verbo personaliter. Tertium Argumentum est: Gratia habitualis est principium omnis meriti ex condigno; sed gratia habitualis in humana Christi natura non antecedit sed sequitur eius vnionem hypostaticam cum increati Verbi persona; ergò non meruit Christus aut eius humanitas ex condigno vnionem ipsius humanitatis personalem cum Verbo, antequã hæc vnio fieret. Quartum argum. est: Principium quo humanitas Christi in illo priori naturæ posset mereri, datum est illi intuitu vnionis & ex ea deriuatur; ergò non potest C cadere sub merito illius, nec esse principium meriti illius: Consequentia patet: Antecedens probatur: quia gratia vel auxilia, ex quibus deberet meritum illud procedere, sunt ea, quę data sunt Christo, non titulo adoptionis sed titulo vnionis hypostaticæ & filiationis naturalis; ergò supponebant illam & nõ potuerunt esse principium merendi illam. Vltimum argum. est: Omnis operatio humanitatis Christi elicita in eo instanti, in quo est vnita Verbo, est infinitæ dignitatis; ergò supponit vnionem & nõ meretur illam. Antecedens probatur: quia cõceptio qua Beata Virgo concepit Christum in eodem instanti fuit completa per assumptionem humanitatis à Verbo, & fuit conceptio Dei; iD gitur omnis actio elicita in eo instanti ab humanitate est operatio Verbi; ac per consequens infinitæ dignitatis: Conseq. verò probatur; quia præmium subsequitur & non supponitur ad meritum. *Alias probationes* lege, si placet, apud expositores, ex quibus Vasq. *disp. 21. cap. 5.* quasdam Suar. probationes, vt inefficaces nititur confutare; sed non vacat nunc de earum pondere disputare.

SECVNDO DICO *Christum aut eius humani-* „
tatem non meruisse de congruo vnionem hypostati- „
cam ipsius humanitatis cum Verbo prius natura, quã „
illam haberet. Probatur hoc dictum eisdem argumentis quibus præcedens: Et *confirmatur*; quia vnio humanitatis cum Verbo fuit maxima gratia & summum opus misericordiæ & E prima radix omnis gratiæ habitualis & omnium meritorum; ergò maximè gratis fuit à Deo humanæ Christi naturæ concessa; igitur nullum in humanitate Christi præcesiit meritum congrui sicut nec condigni. Antecedens patet ex sacris litteris supra notatis. Prima consequentia sequitur euidenter ex ipsa ratione gratiæ addita illa regula topica; *Sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis & maximè ad maximè*; Constat autem de ratione gratiæ esse, vt gratis detur, idest absque merito; igitur maxima gratia nullum omninò meritum patietur.

Suarez Vasquez.

TERTIO DICO, *Christum per opera sequentia mysterium Incarnationis non meruisse ipsam Incarnationem seu hypostaticam vnionem humanitatis cum Verbo.* Probatur hoc dictum argumentis secundo, tertio & quarto. Quibus probatum est primum dictum, & eo etiam argumento, quo probatum est secundum dictum; & amplius confirmabitur ex notandis in sequenti parte Controuersiæ.

QVAESTIO TERTIA. *An Christus per Dei potentiam absolutam mereri potuerit vnionem humanitatis personalem cum Verbo?*

Quæstio 3. Ex rationibus meriti & præmij probatur Christū Dominum, nec per Dei potētiam absolutā mereri potuisse per opera subsequentia suæ humanitatis vnionem cū Verbo personalem.

Pro quæstionis huius resolutione *considerandum est primò*, dubitationem non esse de meritis ordine temporis aut naturæ mysterium Incarnationis precedentibus; quia Christus per ipsam vnionem hypostaticam humanitatis cum Verbo constituitur; ac proindè Christus necessariò posterior est Incarnatione, atque ideò nulla potuerunt esse in Christo merita tempore & natura mysterium Incarnationis præcedentia. Difficultas igitur tantùm est de meritis incarnationē subsequentibus. Per hæc arbitratur Suar. potuisse Christum secundùm absolutam Dei potentiam vnionem sibi intrinsecam humanitatis cum Verbo mereri, cuius oppositum hic satis apertè docet Sanctus Thom. quem omnes eius sequuntur discipuli.

Secundò notandum est, idem secundum eandē rationem non posse esse causam & effectum respectu eiusdem in eodem genere causæ; cum igitur meritum in communi loquendo sit causa efficiens moralis præmij, & vnio Verbi cum humanitate sit causa efficiens meritorum Christi, non solùm Physica sed etiam moralis; quia valorem illis tribuit infinitum, impossibile est eandem vnionem esse præmium meritorū Christi. Ex quo *sequitur* latum esse discrimen inter gratiam Sanctorum Patrum veteris testamenti & gratiam vnionis comparatione meritorum Christi; quia gratiam Sāti Patres habuerunt ex meritis Christi, veluti ex causa finali præconcepta & volita, antequàm esset in re: at gratiam vnionis non potuit habere Christus ex proprijs meritis, nisi tanquam ex causis eius moraliter efficientibus. *Secundò sequitur*, exemplum quod affert Suar. de Rege, qui tribuit equum & arma militi in stipendium futuri laboris & militiæ, & quasi præmium meritorum eodem equo & armis futurorum, non esse simile; quoniam vt ait S. D. *in 1. 2. q. 114. a. 5. ad 3.* & scitè notat Aluar. meritum militis seu bonus vsus armorum, & equi non est ab equo & armis, vt causis efficientibus, sed à virtute prudentia & arte militis, cuius illa, scilicet equus & arma sunt instrumenta: at vnionis gratia principium est primum efficiens Phys. & morale omnis meriti Saluatoris nostri Iesu Christi; & ideò non potest ex eodem merito, veluti ex causa moraliter efficiente dependere.

Tertiò: recolendum est illud axioma à Theologis omnibus approbatum, & ex diuinis litteris acceptum, videlicet *principium meriti non cadere sub meritum*, cuius vera intelligentia est, nec actu neque potentia principium meriti cadere sub meritum. Et probatur *primò*; quia principium meriti proximum gratia est habitualis; quam ex operibus siue meritis non posse dependere docet Apost. *Rom. 3. 4. & 11.* vbi ait: *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia*: & sermo est de operibus non solùm præcedentibus sed etiam sequentibus ipsam gratiam: vt optimè probat Vasq. *cap. 6. & prima parte, disp. 91. c. 6.* ex quo sequitur euidēter multò magis impossibile esse gratiam vnionis cadere sub meritū; quoniam hæc est maxima gratia, & prima radix est omnis gratiæ habitualis tam Christi, quam eorum hominum, qui viua sunt Christi membra, &c. Secundo probatur idem principiū; quia bonitas meriti non debet ex præmio deriuari, sed illi præsupponi, & qui meretur, debet eam Deo bonitatem afferre, vt eius intuitu aliquid ei tribuat. Si autem principium meriti, quod tribuit ei valorem, esset ipsum præmium, totius meriti valor esset à præmiante vt sic, & qui meretur nihil suum afferret pro præmio.

Ex his sequitur Christum Dominum, nec per Dei potentiam absolutam mereri potuisse per opera subsequentia suæ humanitatis vnionem cum Verbo personalem. Quod his etiam optimis argumentis *probatur primo*: Quia meritum nō se habet ad præmium, vt finis ad medium, qui potest præcedere medium, sed vt via ad terminum, vt causa efficiens ad effectum, vt dispositio ad formam: at via, causa efficiens & dispositio præcedunt terminum, effectum & introductionem formæ, & oppositum implicat: ergo. Maior quoad causam efficientem probatur à D. Th. de *ver. qu. 29. ar. 6.* quia meritum est causa præmij. Hæc enim causalis est vera: ideo miles præmiatur quia meretur: & non est causa finalis nā hoc modo præmium est causa meriti; nec formalis, quia meritum potest esse sine præmio; nec materialis, quia licet meritum sit dispositio ad præmium; non est tamen dispositio naturalis sed moralis, quæ pertinet ad genus causæ efficientis; igitur meritum est causa efficiens præmij. *Secundo* probatur idem: Quoniam implicat per opera subsequentia mereri primam gratiam; ergo. Antecedens probatur; quia totus eorum operum valor esset à gratia quæ est principium meriti, & ita qui meretur nihil afferret quod esset suum, sed totum esset præmiantis. Sed idem contingeret si Christus Dominus per opera subsequentia suæ humanitatis vnionem cum Verbo mereretur; ergo. Confirmatur; quia nullus per opera subsequentia potest mereri suum esse, suā creationem vel quod sit homo, quoniam hæc supponuntur ad meritum: ergo neq; Christus potuit mereri suam Incarnationem, per quam factus fuit homo, quod in illo supponitur ad meritum. *Tertiò* probatur idem: quia nullus potest mereri quod iam habet, vt ostendimus in 1. p. q. 62. a 4. ergo, &c. *Sed ait Suar.* Incarnationem vt prædestinatam, esse principium meritorum, & eandem vt in re exhibitam esse præmium eorum, & ita non esse idem secundum eandem rationem principium & præmium meritorum. *Sed contra* est primò; quod implicat, principium meritorum Christi esse Incarnationem vt prædestinatam & præuisam & non vt existentem; quia de ratione causæ efficientis physicæ vel moralis est, vt existat antequam operetur: quia operari supponit esse; ergo Incarnatio vt præuisa & vt non existens non potest esse principium meritorū Christi; quia est principium physicum eliciens illam & morale tribuens eis valorem, cuius existentia supponitur ad operationem. Confirmatur; nam gratia præuisa in Petro non tribuit rationē meritorij suo operi: ergo neq; hic &c. Secundo. Nā proportionabiliter debemus procedere de Incarnatione & meritis; nā merita vt præsentia necessario supponunt Incarnationē, vt præsentē ex parte principij; quia ex se sunt infiniti valoris, quē habere nequeūt sine Incarnatione; & eadem ratione eadē merita, vt præuisa supponūt Incarnatio-

Suarezij responsio.

Confutatio.

nationem, vt prę uisam; ergo merita Christi quocunque modo considerata supponunt, vt principium eorum Incarnationem proportionabiliter sumptam vt suum principium. *Vltimò*: Nihil Potest dari propter præmium, vel meritum futurum, nisi ipsum meritum exhibitum in re habeat valorem distinctum & non causatum à prę mio, alioquin daretur omnino gratis, cum merens soluat id, quod prouenit à præmio, quod totum habet à præmiante; sed merita Christi futura, propter quæ dicitur dari Incarnatio; quando exhibentur in re, totum suum valorem habent ab Incarnatione & consequentibus illam; ergo.

QVAESTIO QVARTA. *An humanitas Christi per Dei potentiam absolutam mereri potuerit vnionem suam cum Verbo personalem?*

Quæstio 4.

Quæstio hæc multiplex est: potest enim *primo* esse de merito humanitatis per opera ex eius naturali facultate procedentia. *Secundo* potest esse de merito per opera ex gratia habituali, aut supernaturali Dei auxilio procedentia. *Tertiò* potest esse de merito congrui, & *quartò* de merito condigni, quod est duplex; alterum de toto rigore iustitiæ: alterum vero iustitiam habens, sed minime rigorosam. *Postremò*; de quocunque genere meriti sit quæstio, duplex adhuc eius est membrum: alterum de merito vnionem tempore præcedēte; alterum de merito quod sit vnione prius natura tantum.

Per absolutā Dei potētiā fieri potuisse, vt humanitas Christi per opera nō ex eius naturali virtute procedētia, sed ex gratia, aut auxilio supernaturali deriuata, & vnionē tēpore, vel natura præcedentia ipsam vnionē cū Verbo personalem mereretur.

Si quæstio sit de merito humanitatis per opera ex eius naturali virtute procedentia, certum est in doctrina D. Tho. naturam humanam non potuisse per ea mereri vnionem suam cum Verbo personalem: Quoniā, vt ait S.D. in 1.2. q.114. a.5. prima gratia, ideo non potest cadere sub meritum personæ illam non habentis; quia excedit proportionem naturæ: at gratia vnionis hypostaticæ multo magis excedit proportionem naturæ, quam gratia habitualis; ergo non potest cadere sub meritum humanitatis: & sermo est de merito tam congrui quam condigni, vt *in fine dicti articuli*, notat Conr. ex Cap. *in 4. dist. 14.* Si vero quæstio sit de merito humanitatis per opera ex gratia habituali aut auxilio supernaturali deriuata, quæ vnione ipsius humanitatis cum Verbo temporis duratione sint priora, certum est humanitatem meritum aliquod respectu vnionis habere potuisse; quod pluribus modis per absolutam Dei potētiam videtur effici potuisse. *Primò* namq; possibile fuit singularem illam humanitatem prius tempore, quam assumeretur à Verbo, propria & naturali sua personalitate terminari, & per gratiam illi diuinitus infusam vnionem sibi cum Verbo hypostaticam promereri, si Deus suæ volūtatis decreto & promissione operibus humanitatis sic personatæ vnionem cum Verbo personalem veluti præmium constituisset dimissa propria illa personalitate consequendū, & de hoc nulla præsertim inter Thomistas est Controuersia. *Secundò* probabile est fieri potuisse, vt humanitas prius tempore quàm Verbi personalitate terminaretur, propriam haberet existentiam absque vlla personalitate propria vel aliena, & illi gratia & charitas diuinitus infunderetur, qua sibi vnionem cum Verbo personalem diuino præcedente decreto mereretur: hoc enim esse possibile Caietanus & plures ex Thomistis videntur admittere, quod etiam rationi consonat: quia subsistentia siue personalitas, licet secundum ordinem naturæ sit necessaria conditio, vt operatio procedat ab agente veluti à principio: non tamen est de ratione intrinseca principij operatiui: neque videtur esse conditio simpliciter necessaria; ita vt implicet contradictionem esse agens, & propriè vel alienę carere subsistentię complemento. *Tertiò* satis probabile videtur, possibile fuisse humanam Christi naturam prius tempore assumi ad vnitatem existentiæ Verbi, quàm eius personali subsistētia terminaretur; quod fieri posse docet Astur. *in sæpe allegata q.5. Concl.3.* quo posito certum est humanitatem per gratiam à Deo collatam, aut etiam vnionem illam consequentem posse alteram personalem, scilicet vnionem cum Verbo sibi promereri. *Quartò* fieri potuit, vt humanitas Christi prius tempore vel natura, qua vniretur Verbo, vniretur Patri vel Spiritui sancto aut Deo, secundum eius subsistentiam essentialem tribus personis communem, & vt opera ab ipsa humanitate procedentia in illo priori ordinarentur ad merendum Incarnationem Verbi, sicut etiam opera eiusdem humanitatis vnitæ Verbo potuerunt ordinari ad merendum de condigno eiusdem humanitatis vnionem cum persona Patris vel Spiritus S. aut cum essentiali subsistentia Dei: Nam actiones humanitatis vnitæ personæ Verbi tantam habent infinitatem personalem & moralem in ratione meriti, quantam habet Incarnatio in ratione præmij. Si autem cogitetur humanitas vt tribus prioribus modis vnioni præexistens, haud dubium est, si temporis duratione præexistat, posse per actus ex gratia & charitate procedentes, accedente diuinæ voluntatis decreto & ordinatione, non solum ex congruo sed etiam ex condigno vnionem cum Verbo personalem promereri. Nec obstat quod supra diximus, nimirum vnionē hāc esse summā gratiam, & esse principium omnis gratiæ & omnis meriti: id enim verum est secundum ordinē præsentem diuinæ prouidentiæ supernaturalis, secundum quem omnium hominum gratia habitualis ex hypostatica vnione veluti ex primo fonte deriuatur: in prædictis autem casibus alius esset ordo; nam gratia humanitatis tunc ex gratia vnionis minimè dependeret in genere causæ efficientis physicæ vel moralis, sed in genere tantùm causæ finalis; quæ dependentia meritò de condigno in ordine ad vnionem ex illa gratia dependente non repugnat.

SED *quærit* Asturicensis: an meritum humanitatis in tertio casu, quo scilicet prius tempore diuinæ coniungeretur existentiæ quàm personalitati, perfectam & exactam haberet iustitiæ rationem. *Cui quæsito* respondet idem author negando, cuius ratio est; quia Verbi existentia humanitati communicata parum aut nihil conferret ad illius meriti valorem; atque adeò totus aut ferè totus meritorius valor ad habitualem gratiam humanitati collatam esset referendus, ac proindè non esset meritum omninò perfectum & rigorosum. Deindè ad infinitum meriti valorem necesse est, vt is qui meretur sit Deus & homo; adeò vt natura humana & diuina persona simul constituant vnum merentem: tunc autem non esset Deus & homo, cui meritū conueniret, sed natura tantùm humana mereretur vt quod; existentia verò concurreret vt mera conditio: quo fit vt nulla humanitatis sic vnitę merita sufficerent ad perfectè & rigorosè merendum similem alterius creatæ naturæ vnionem cum existentia Patris aut Spiritus sancti, vt ibidem etiam concludit Asturicensis.

Humanitā tē soli existētiæ diuinæ

Sed vt liberè dicam quod sentio, impossibilem arbitror esse vnionē hanc cum sola existentia Verbi, sicut nec fieri potest cū existentia tribus per-

Duæ vniones nō posse.

sonis communi. Primò; quia non sunt tres, sed vna tantùm diuinarum personarum existentia, quæ non est relatiua sed absoluta, vt ostendimus *in 1. p. q. 28. a. 2. in exp. textus* ex D. Th. *in 1. dist. 33. q. 1. a. 1. ad 1.* Secundò: quia ex sua propria ratione formali est vltima rei actualitas: sicut autem repugnat essentiæ diuinæ: quia purissimus actus est, esse formam alicuius in genere rerum; ita repugnat existentiæ diuinæ; quia pura actualitas est, esse vltimam rei creatæ actualitatem immediatè. Et confirmatur: quoniam, vt ait S. D. *1. p. q. 8. a. 1. Esse est illud, quod est magis intimum, & quod profundius omnibus inest, cum sit formale respectu omniū, quæ in re sunt:* Ex quo principio probat idem S. D. *in primo, cont. gent. c. 26.* quod Deus non est esse formale omnium: sequeretur enim (inquit) illum non esse super omnia, sed intra omnia; imò aliquid omniū. Tertio probatur idem, videlicet impossibilem esse prædictam vnionem Dei, vel diuinæ personæ cum humana natura secundùm solam existentiam, & immediatè: Quoniam, vt ostendimus *in 1. p. q. 3. a. 4. Contro. 1.* existentia est illa, qua formaliter res existens est ens reale simpliciter in rerum natura: igitur existētia est aliquid rei valdè intimum; cum sit ratio formalis constitutiua rei in esse reali simpliciter dicto: hoc autem veluti magna imperfectio diuinitati repugnat; igitur impossibile est Dei, aut diuinæ personæ existentiā cuiquam naturæ creatæ immediatè copulari, vt eius esse formale, quo sit existens in rerum natura.

Denique non placet, quod ait idem Author, nimirum meritum humanitatis sic vnitæ non fore de condigno: Nam quando meritum procedit ab operante dignitatis simpliciter infinitæ seipsum ei à quo meretur subijciente; non solùm est meritum condigni, sed etiam est de toto rigore iustitiæ: at humanitas sic vnita dignitatem haberet simpliciter infinitam ab existentia diuina sibi communicatam; ergò mereretur infinitè & de toto rigore iustitiæ.

NVNC *de merito* ordine tātùm naturæ hypostaticam vnionem præcedente dicendum est. Num scilicet per absolutam Dei potentiam inesse potuerit humanitati Christi. *Dico itaque primò*: Si Christi humanitas propriam habuisset existētiam, aut prius natura assumpta fuisset ad existētiam, quam ad subsistentiam Verbi, potuisse per gratiam à Deo acceptam vnionem sibi mereri cum eodem Verbo personalem. *Probatur*; quia natura cum sola existentia per Dei gratiam potest operari opera meritoria, vt antè diximus: at prioritas instantis naturæ sufficit ad verā & propriam meriti rationem in ordine ad aliquid tanquàm præmium, quod natura posterius est; ergo. Minor probatur; quoniam in vno temporis instanti plura possunt eidem aduenire, quæ sint ad inuicem ordinata secundum diuersa instantia naturæ, vt patet in igne de nouo genito, cui in eodem instanti aduenium ordinatè, quantitas, siccitas, leuitas, lux & calor: constat autem operationes intellectus & voluntatis in vno temporis instanti posse produci, & S. Th. *quodlib. 8. a. 9. & in 2. dist. 5. q. 7. a. 2. & in Sent. ad Anibal. eadem distinctione, q. & a.* docet non esse necessariū meritum præcedere præmium tempore, sed natura tantùm, quod etiam nos cum Cai. aduersus recentiores defendimus *in p. p. q. 63. a. 6. Contr. vnica §. Iam verò superest.*

Secundò dico: Si Christi humanitas non habuit existentiam prius natura quàm assumeretur à Verbo, impossibile fuit eam sibi vnionem cum Verbo personalem prius natura mereri, quàm vniretur. *Probatur*; quoniam ad operandum necessaria simpliciter est existentia ipsius operantis; alioquin essentiæ rerum agere multa potuissent ab æterno, quod fatuum & ridicum est cogitare.

QVAESTIO QVINTA. *An Christus meruerit, aut mereri potuerit vnionis hypostaticæ continuationem, & perpetuitatem.*

Quæstio 5. Christi nec meritocondigni, nec meritocongrui mereri potuisse di. vnionis continuationem & perpetuitatem.

Quæstionis huius resolutio quoad vtramq; partem ex præcedentium fundamentis & definitione colligitur, præsertim verò ex communi supra posito Theologorum axiomate sic arguendo: Principium alicuius meriti non potest esse præmium eiusdem meriti: sed gratia vnionis & eius continuatio est per se principium primum & radicale omnium meritorum Christi; ergò non potest esse eorum præmium. Maior patet ex prædictis. Minor quo ad eius primam partē est D. Th. *locis supra notatis*: quo ad secundam verò, scilicet gratiæ continuationem probatur: quia continuatio principij merendi non ponit in numerum cum substantia ipsius principij, sed tanquàm vnum cum ipso computatur, sicut etiam conseruatio rerum non ponit in numerum cum earum creatione: nam vt ait S. D. *in 1. p. q. 104. a. 1. ad 4.* conseruatio rerum non est per aliquam nouam actionem sed per continuationem actionis, quæ dat esse, sicut etiam conseruatio luminis in aere est per continuatum influxum à Sole; Quemadmodum igitur vna & eadem actio secūdū rē est creatio & conseruatio rei creatę; ita productio substātialis principij meritorum scilicet vnionis hypostaticæ, & eius continuatio vna & eadem actio realiter est; ac proindè sicut conseruatio creaturæ passiuè sumpta idem est realiter, quod ipsa creatura cum ordine ad Deum conseruantem, ita vnionis continuatio idem est realiter cum ipsa vnione passiuè sumpta, prout ordinem habet ad Deum vnientem. Sicut igitur vnio humanitatis cum Verbo principium est omnium meritorū Christi, sic & eius continuatio; ergò non minus huic, quàm illi repugnat esse præmium cuiuscunque meriti. *Secundò* prob. vtraque pars; quia omne Christi meritum post vnionem pendet ab ipsa vnione conseruata; ergò non potest ipsam vnionis conseruationem mererit antecedens est per se notum: nam remota conseruatione vnionis, sicut non esset Christus, ita non esset aut esse posset Christi meritum. Conseq. patet ex supradictis; quia idem respectu eiusdem secundum eandem rationem non potest esse causa & effectus in eodem genere causæ: hoc autem esset, si Christus suæ vnionis conseruationem mereretur; quia vnionis conseruatio, non minus quàm vnio, causa est omnis meriti, non solum physica sed etiam moralis & meritum causa est moralis efficiens præmij. *Tertiò*: Nullus potest sibi mereri gratiæ continuationem; ergò neque Christus mereri potuit suæ hypostaticæ vnionis cum Verbo continuationem. Antecedens probatur; quia mereri gratiæ continuationem est mereri perseuerantiam: at nullus potest perseuerantiam mereri, vt probat S. D. *in 1. 2. quæst. 114. art. 9.* Conseq. verò prob. quoniam ideò non potest homo iustus continuationem gratiæ sibi mereri; quia continuatio gratiæ est ipsa prima gratia, quæ primum & radicale merendi principium est, cui repugnat, vt sit ipsius meriti terminus & præmium: at vnio personalis humanitatis cū Verbo nō minus, sed multò magis primū principiū & prima radix

dix est omnium meritorum in Christo, quàm prima gratia in homine iusto, igitur Christus nullo modo potuit dictæ vnionis mereri continuationem. Et confirmatur à simili: quia potentia naturalis, puta intellectus & voluntas, quamuis se ipsam possit per suas operationes naturales perficere, adeò vt perfectio sit terminus operationum; non tamen potest sui continuationem in esse seu conseruationem causare: sed hoc munus est primæ causæ, quæ potentiam in esse produxit; ergò similiter primum merendi principiũ & radicalis merendi facultas potest quidem propriam sibi mereri perfectionem, puta augmentum gratiæ, sicut etiam Christus plures suæ Incarnationis meruit perfectiones, scilicet immortalitatem, gloriam corporis, & sui nominis exaltationem; at continuationem vnionis suę substãtialis mereri non potuit ob dictam causam; quia scilicet vnionis cõtinuatio idem est realiter cum ipsa vnione, nec cum ea, aut cum eius prima productione ponit in numerum.

Quartò prob. idem: quoniam vnio personalis tribuit operibus Christi totum valorem meritorium, quem possunt habere; sed non tribuit illis, vt actu sint meritoria cõtinuationis Incarnationis; ergò id non potest tribuere. Maior est certa; quia tribuit illis valorem infinitum, quo nullus potest esse maior in eodem subiecto. Minorem fatetur Suar. nobis in hac quæst. contrarius: Is enim *disput. 4. sect. 4. §. Dices* ait Christum Dominum nunquam ordinasse suum meritum ad præmium infinitum: at continuatio Incarnationis, non est minus infinita, quàm ipsa Incarnatio; ergò. Sed probatur illa minor: quoniam aliàs gratia vnionis collata Christi humanitati sine meritis solùm fuisset pro primo instanti: quod esse falsum ex eo patet, quòd illa gratia de se est continua, sicut quælibet gratia Dei est irreuocabilis, vbi non apponitur impedimentum: ibi autem nullum poterat apponi; quia Christus est impeccabilis. Confirmatur; quia alias totum meritum Christi fuisset exhaustum per tale præmium, & nihil amplius de condigno meruisset. Probatur hoc; quia continuatio Incarnationis est tantùm bonum, quantum est ipsa Incarnatio; & non minus quàm ipsum meritum Christi: est enim eius dignitas infinita; ergò si illa redditur in præmium meritorum Christi, nihil amplius ex iustitia debetur illis. Vltimò probatur idem: & *præmitto primò*, quòd licèt Christus, vt homo fuerit temporis mutationi subiectus, vt ait Aug. *lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. c. 25* qua ratione S. Lucas recenset eius ætatem per temporum differentias. Si tamen loquamur de vnione Verbi ad eius humanitatem eo modo, quo facta est, illa non tempore, sed æternitate vel æuo mensuratur, vt ostendimus *in 1. p. qu. 10. ar. 6.* vbi diximus existentiam animæ Christi, quæ diuina est & increata, dupliciter posse considerari: vno modo secundùm se, & ita mensurari æternitate & esse ipsam æternitatem increatam: alio modo vt est esse humanæ naturæ & animæ Christi supplens excellenter eius esse naturale: & secundùm hanc rationem diximus esse ipsum æuum. Nam, vt ibi latè probauimus, existentiæ Christi secundùm hanc rationem tota conuenit æui diffinitio: quatenus autem hoc esse sic vnitur humanitati, vt eam eleuet ad ordinem diuinum, æternitas est humanitati communicata. Quod non obscurè significat S. Thom. *infra qu. 50. a. 2.* dicens, vnionem hanc ex sui natura esse permanentiorem gratia; quam tamen ex Theologis multi docent in suo perfecto statu æternam esse: quod esse verum indicat eius operatio connaturalis, scilicet beata visio, quæ mensuratur æternitate. Et idem S. D. *in 3 dist. 21. qu. 1. art. 1. & in 3. ad Anib. aldum* ait vnionem vel adhæsionem humanitatis ad Verbum esse immutabilem, sicut adhæsio beatorum ad Verbum: sed immutabilitas est ratio æternitatis, & adhæsio beatorum ad Deum est æterna; ergò etiam hæc vnio. Quod explicat eruditè Caiet. *infra qu. 50. art. 2.* dicens: *Quantò ex propria ratione permanentius est esse, quàm operari, & esse substantiale, quàm accidentale, & esse substantiale diuinum hypostaticè, quàm esse accidentale diuinum adoptiue; tantò permanentius diuinæ gratiæ donum est vnio personalis carnis ad Verbum Dei, quàm gratia adoptionis filiorum Dei.* Dixi, vnionem illam esse immutabilem eo modo, quo facta est: quoniam, vt patebit infra *quæst. 6. art. 5.* facta fuit, vt esset vna in actu, & duæ in potentia, & vt existente humanitate vnio Verbi cum ipsa secundùm se perseueraret, ea verò non existente maneret cum eius partibus vnio Verbi, cum anima scilicet & corpore separatis, vt in triduo mortis Christi Domini, quod huius vnionis immutabilitatem non tollit aut minuit, cùm hoc non ex ipsius vnionis natura proueniat, sed ex defectu subiecti: sicut etiam esse animæ rationalis de se est immutabile & æuiternum; quia licèt aliquando corpori communicetur & aliquando subtrahatur: hoc tamen non euenit ex ipsius esse defectu, sed ex defectu corporis, quod est ab intrinseco corruptibile. *Secundò* præmitto *ex 1. p. qu. 10. ar. 4. & 5. & qu. 14. ar. 13.* æterna & æuiterna habere simul totum suum esse, & in se nullam admittere formalem vnionem vel successionem; sed tantùm secundùm extrinsecam coexistentiam tempori.

Quibus præmissis sic probatur intentum: In æternis vel æuiternis nulla est formalis continuatio; sed Christus non potuit mereri primum instans suæ Incarnationis, vt antè diximus; ergò neque eius continuationem vel conseruationem. Prima propositio probatur: Quoniam in æternis & æuiternis solùm reperitur vnum instans formaliter indiuisibile, licèt coexistenter ad tempus quandam habeat continuationem & quasi successionem ac diuisibilitatem; ergò in illis secundùm se non possunt assignari partes formaliter diuisæ aut diuisibiles: sed eorum tota duratio vnum est instans formaliter indiuisibile. *Ex his sequitur*, nec per Dei ordinationem & acceptationem opera Christi Domini potuisse mereri continuationem vnionis humanæ naturæ cum Verbo personalem; quoniam huic vnioni repugnat ex intrinseca sui ratione esse terminum ac præmium meritorum; eò quòd ex sui quidditate principium est primum omnium meritorum secundùm duplicem modum efficientis, scilicet physicum & moralem. Quare non video, quomodo ab extrinseco per Dei scilicet ordinationem & acceptationem possibile fuerit, opera Christi vnionis illius continuationem promereri. Nam ad ea, quę contradictionem implecant, Dei potentia non extenditur; constat autem ex ijs, quæ diximus, implicare contradictionem primum principium gratiæ esse terminum & præmium meriti ex eodem principio procedentis. Quamuis autem negandum non sit, hominem iustum mereri de congruo suæ gratiæ conseruationem; non tamen operibus Christi meritum congrui tribuendum est in ordine ad continuationem vnionis hypostaticæ; quia meritum illud congrui, quo iustus homo suæ gratiæ continuationem meretur, non tam ex ipsa gratia, quàm ex operãtis voluntate dependet; at vis tota meritorum Christi ex

sti ex ipsa vnionis gratia, veluti prima radice necessariò deriuabatur. Iam autem diximus, merita Christi, quæ ex illa vnione procedebant, virtutem ex illa habere minimè potuisse ad ipsius vnionis continuationem promerendam; sicut neque gratia habitualis actionibus hominis iusti vim potest conferre meritoriam, qua continuationem eius siue perseuerantiam mereantur.

QVAESTIO SEXTA. *An Christus meruerit, aut mereri potuerit circumstantias Incarnationis?*

Quæstio 6. Christum Dominum circumstantias omnes præcedentes concomitantes & consequentes meruisse, quatenus sunt hominum beneficia, solas verò consequentes etiã quatenus sunt humanitatis assumptæ beneficia meruisse.

Variæ sunt Incarnationis Dominicæ circumstantiæ; quædam enim sunt *præcedentes* vt Sanctitas Virginis, Angeli salutatio & Virginis consensus: quædam *concomitantes* vt tempus, locus, persona Virginis cum omni sua sanctitate & plenitudine gratiæ: quædam *consequentes*; vt apparitio Stellæ, Pastorum & Magorum adoratio, Fuga ex Iudæa in AEgyptum, &c. Quæ omnes dupliciter considerari possunt: Vno modo, quatenus beneficia sunt hominum & Angelorum: Alio modo, quatenus sunt humanitatis assumptæ beneficia. Et si quidem priori modo considerentur prædictæ circumstantiæ, *certum est.*

PRIMO, *Christum earum omnium effectum meruisse, scilicet hominum, & Angelorum beneficium*: meruit n. Christus vt Incarnationis suæ circumstantiæ in salutem subsequentium hominum; & in gloriam Virginis & Angelorum redundaret: Ex hoc enim, quòd per angelum fuit hoc admirabile mysterium Virgini nunciatum, & per Angelos pastoribus manifestatum, magnum Angeli gaudium accidentale receperunt.

SECVNDO certum est: *Christum circumstantias omnes Incarnationem consequentes vtroq; modo consideratas meruisse.*

Quæstio verò est *de præcedentibus & concomitantibus circumstantijs: num eas Christus sibi meruerit aut mereri potuerit?* Vasq. enim ad vtramque partem affirmatiuè respondet. Sed oppositam sententiam habet Asturicensis *in alleg. sæpè qu. 5. concl. 4.* Cuius præcipuum fundamentum confutat Vasq. cuius tamen opinio mhi non probatur: nec ea quibus ipse vtitur argumenta conuincunt. Ad euidentiam igitur propositi difficultatis recolendum est illud sæpè repetitum axioma commune, videlicet: *Principium meriti non potest esse terminus siue merces illius meriti, cuius est principium*: cuius rationem superius esse dixim⁹; quia sequeretur idem respectu eiusdem & secundùm eandè rationem posse esse causam & effectum in eodem genere & modo causæ; igitur nullum, quod verè & actu principium est meriti aut se tenet ex parte principij meriti, quatenus actu principium est meriti, potest sub idem meritum cadere; ita vt sit eius terminus & merces: constat autem circumstantias præcedentes & concomitantes mysterium Incarnationis se tenere ex parte ipsius Incarnationis & vnionis hypostaticæ, quatenus principium est omnis meriti; igitur nullius Christi meriti possunt esse merces. *Prolepsis.* *Nec obstat*, q mysterium Incarnationis potuisset alias, si Deo placuisset, habere circumstantias locorum, personarum, temporum &c. atque adeò circumstantiæ, quas actualiter habuit, videantur illi conuenire per accidens; *hoc inquam non obstat*; quoniam hoc ipso quòd actu circumstantiæ sunt primi principij merendi, se tenent ex parte eius, & ad ipsum primum meriti principium pertinent, prout actu constituitur in rerum natura; atque adeò, quatenus principium est, veluti conditiones sine quibus aut non esset principium hoc idem numero, aut non hæc eadem numero merita causaret. Quod argumentum, ni fallor, id quod intendimus euidenter ostendit. Et opposita Vasq. fundamenta subuertit. Deinde probatur idem; Quoniam homo, cùm iustificatur aut postquam iustificatus est, sicut non meretur neque mereri potest sibi primam gratiam; ita nec circumstantias temporis, loci, personarum, modi &c. pendent enim istæ non minus quàm prima gratia ex diuina liberalitate & misericordia; ergò multò minus Christus quando per gratiam vnionis humanitatis cum persona Verbi fuit substantialiter constitutus, meruit aut mereri potuit vnionis circumstantias. Probatur consequentia: quia sicut gratia vnionis humanitatis cum Verbo magis habet rationem gratiæ & principij meritorij, quàm gratia habitualis, ita circumstantiæ se tenentes ex parte gratiæ vnionis magis habet rationem gratuiti doni, & magis accedunt ad rationem principij meritorij, quàm circumstantiæ gratiæ habitualis; ergò magis eis repugnat antè vel post esse terminum meriti, quàm circumstantiæ gratiæ habitualis.

QVAESTIO SEPTIMA ET OCTAVA. *An Christus meruerit aut mereri potuerit quasi extensionem vnionis hypostaticæ ad eas materiæ partes, quas paulatim per mutationem acquirebat, vel quasi restitutionem eiusdem vnionis factam in resurrectione?* *Quæstio 7. & octaua.*

DVO sunt quæsita, quæ singula duas habent partes. Ad primum respondetur, quo ad vtramque partem affirmatiuè. Nam & si probabiliter dici possit extensionem illam vnionis ad partes materiæ fuisse Christo debitam ex vi primæ vnionis, & ex ea absque alio merito consecutam fuisse; eo quòd vnio personalis, qua filius Dei factus est homo integer & perfectus, requirebat vt omnes humanæ naturæ partes vna & eadem Verbi personalitate subsisterent; longè tamen probabilius dici potest, extensionem illam ex eius meritis fuisse Christo debitam, cum maioris sit dignitatis & excellentiæ perfectionem aliquam ex meritis sibi comparare (quando id congruè fieri potest) quàm illam absque meritis ex sola liberalitate donantis accipere; neque absurdum est eandem extensionem Christo fuisse debitam duplici titulo, scilicet quasi naturalis sequelæ ex prima vnione & titulo meritorum: quibus etiam modis Christo debita fuit gloria corporis. Hæc enim meritis & gloriæ animæ, vt ad eam naturaliter consequens, debebatur. *Respondetur vtriq; parti affirmatiuè.*

Ad secundum verò dico Christum Dominum resurrectionem suam, quæ quasi restitutio fuit vnionis, sibi meruisse: huic enim non repugnat esse terminum ac præmium meritorum, sed maximè conuenit excellentiæ Christi: Dixi autem Christi resurrectionem fuisse quasi restitutionem vnionis humanæ naturæ cum verbo; quia verè & simpliciter nunquam fuit vnio illa hypostatica resoluta: nam partibus humanitatis, scilicet animæ & corpori semper fuit vnita persona Verbi; sed quia per animæ separationem à corpore humanitas esse desijt: consequenter etiam vnio personalis cum ea cessauit, quæ rursum post triduum humanitate per vnionem animæ & corporis reparata, quasi naturali concomitantiâ fuit restituta.

PRIMA CONCL. *Dicere Christum aut eius humanitatem vnionem hypostaticam ipsius humanitatis cum Verbo per opera mysterium Incarnationis præcedentia condignè meruisse est error in fide.* Hæc patet ex dictis. *Conclusiones deductæ & probatæ.*

SECVN-

SECVNDA CONCL. *Christus aut eius humanitas non meruit de congruo vnionem ipsius humanitatis hypostaticam cum Verbo diuino prius natura, quàm illam haberet.* Hæc patet ex dictis.

TERTIA CONCL. *Christus per opera sequentia mysterium incarnationis non meruit ipsam Incarnationem.* Hæc patet ex dictis.

QVARTA CONCL. *Christus per Dei potentiam absolutam mereri nō potuit vnionem humanitatis cum Verbo personalem.* Hæc patet ex dictis.

QVINTA CONCL. *Per absolutam potentiam fieri potuit, vt humanitas temporis duratione præexisteret Incarnationi, & per opera ex diuina gratia habituali procedentia, vnionem sibi cum Verbo personalem mereretur.* Huius conclusionis sensus, & veritas patet ex dictis.

SEXTA CONCL. *Si Christi humanitas prius natura propriam habuisset existentiam cum propria, vel sine propria personalitate, aut prius natura assumpta fuisset ad existentiam, quàm ad subsistentiam Verbi, potuisset in priori instanti naturæ per gratiam à Deo acceptam vnionem sibi mereri cum ipso diuino Verbo personalem.* Hæc patet ex dictis.

SEPTIMA CONCL. *Christus nec meruit nec per Dei potentiam absolutam mereri potuit vnionis hypostaticæ continuationem & perpetuitatem.*

OCTAVA CONCL. *Christus nec meruit nec mereri potuit Incarnationis circumstantias.*

VLTIMA CONCL. *Christus meruit extensionem seu quasi extensionem vnionis hypostaticæ ad eas materiæ partes, quas paulatim per nutritionem acquirebat, & restitutionem seu quasi restitutionem vnionis factam in resurrectione cum humanitate secundùm se totam.* Hæc conclusio quo ad primam est valdè probabilis, vt supra diximus: Quoad secūdam verò partem sic probatur: Christus meruit suam resurrectionem; ergò meruit etiam restitutionem seu quasi restitutionem vnionis factam in resurrectione. Antecedens colligitur ex sacris litteris *ad Philipp. 2.* Vbi de Christo loquens Apostolus, ait: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum & donauit illi nomen &c.* Vbi sanctus Doctor exponens illa verba: *propter quod & Deus exaltauit illum*, ait: *scilicet vt de morte resurgeret. Item de immortalitate ad immortalitatem, &c.* Et *infra quæst. 53. art. 1.* ait: necessarium fuisse Christum resurgere, ad commendationem diuinæ iustitiæ, ad quam pertinet exaltare illos, qui se propter Deum humiliant secundùm illud *Luc. 1. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Et quia Christus propter charitatem & obedientiam Dei se humiliauit vsque ad mortem crucis, oportebat vt exaltaretur à Deo vsque ad gloriosam resurrectionem. Eandem expositionem verbis Apostoli supra notatis tribuunt Glossa, Beda & Augustinus, Dionys. Carthus. Caietanus & alij communiter. Eandem veritatem docet Hieronymus *exponens illud Psal. 44. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* ait enim vnctionem illam fuisse oleum resurrectionis, ascensionis & dominationis &c. quo Christus delibutus fuit in præmium bonarum actionum. Quod etiam significat Christus *Luc. 24.* cum duobus discipulis euntibus in Emaus, ait: *Nonne sic oportuit pati Christū, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suā?* Consequentia verò probatur; quia nomen resurrectionis Christi complectitur, non solùm humanæ Christi naturæ reparationem, sed etiam vnionis eius hypostaticæ cum verbo restitutionem: alioquin resurrectio Christi quatenus est Deus & homo non esset; est enim Deus homo nō per solam vnionem corporis & animæ seorsum cum Verbo, sed per vnionē totius humanitatis, tam secundùm partes quàm secūdùm se totam cū ipsa persona Verbi. Cùm itaque per resurrectionem reparata fuerit humana Christi natura, & vnio Verbi cum ea personalis, si Christus meruit suæ humanitatis reparationem: eadem ratione videtur vnionis hypostaticæ cum ea restitutionem mereri potuisse aut etiam actu meruisse.

CONTRA *primam & secundā* concl. arg. Vasq. *disp. 21. ca. 1.* Si contra fidem est meritum tam condignum quàm congruum Christo concedere ad vnionem, idem etiam cēsendum esset de merito congrui iustorum hominum ad eandem vnionē promerendam: At hoc non admittunt Thom. ergò nec illud ab eis est asserendum. Sequela maioris probatur; quia nulla potest esse maior ratio, vt negent hoc meritū Christo, & concedant illud hominibus iustis; ergò. Probatur assumptū, quia vnio hypostatica tam hominibus quàm Christo fuit gratia, quæ sine meritis datur; ergò. *Et confirmatur*: quoniam ex testimonijs quæ Medina producit, solùm constat hominibus esse gratiam; ac proinde illorum meritum excluditur. *Secundò* tā meritum congruum, quàm condignum cuius intuitu aliquid datur, in eo, quod datur, tollit verā rationē gratiæ & doni respectu accipientis, si meritum sit ex proprijs viribus; si autem sit meritū ex alia priori gratia, non tollit omninò rationem gratiæ & doni; sed efficit, vt id, quod datur sit secunda gratia, quæ dicitur gratia pro gratia; ergò licèt Christo concederemus meritum congrui, ex alia tamen priori gratia ipsa vnio etiam gratia foret, non quidem prima sed gratia pro gratia. Tertiò: quia concederet meritum aliquod humanitati Christi, quo obtinuisset suam vnionem cum Verbo, non cogebatur sentire cum Photino; ergò. Probatur assumptum: quoniam hic hæreticus ita dixit humanitatem illam suis meritis promeruisse Deitatem, vt ipsa non meruerit hypostaticam vnionem cum Deo, sed solam vnionem per gratiam adoptionis.

Argumēta, & Solutiones. Cont. 1. & 2. conc. ob. 1. *Conf.* *Obi. 2.* *Obiect. 3.*

Resp. ad primum falsam esse maioris conseq. Ad cuius probationē negatur assumptum: quoniam in Christo vnio hypostatica fuisset efficiens meriti causa tam physica quàm moralis, & meritum fuisset præmij causa moralis efficiens; Quod esse impossibile constat ex Philosophia; at non fuit vnio hypostatica vllo modo efficiens causam meriti sanctorum Patrum, sed finalis tantùm; & ideò potuit vnio illa sub meritum cōgrui SS. Patrum cadere, & ab eo quodam modo, vt à causa moraliter efficiente dependere. *Ad confirmationem* dico duo ex testimonijs supra notatis glossam Vasq. non admittere; cùm absolutè loquantur, vt supra dictum est. *Ad secundum* negatur assumptum, quoad secundam partem, quæ sola ad rem præsentem pertinet: non autem est vera de merito congrui, de quo loquimur respectu vnionis seu Incarnationis, à qua veluti à prima gratia & vt à causa finali deriuata est Sanctorum Patrum gratia cum omni eorum mērito. *Ad tertium* negatur antecedens. Ad cuius probationem negatur consequentia; quia licèt is, qui meritum illud concederet humanitati Christi, non cogeretur sentire cum Photino in vera Christi Deitate negata: cum eo tamen conueniret in asserendo Christi merito respectu Deitatis: & tantò maior esset eius error, quantò veræ Deitatis acquisitio similitudinis eius acquisitionem excedit. Nam quis nō videat maiorem esse absurditatem asserere humanitatem

Sol. obi. 1. *Ad conf.* *Sol. obi. 2.* *Sol. obi. 3.*

hanc

hanc posse suis meritis veram sibi Deitatem comparare, quam posse sibi veræ Deitatis similitudinem suis actibus promereri ? constat autem vtrumque illius hæretici dictum, vt hæresim ab Ecclesia fuisse condemnatum.

Contra easdem concl. sunt argum. quæ referunt & soluunt Medin. *super hoc art.* Asturic. *in allegata q. 5.* & Aluarez *disput. 15.* & Rada *in allegata Controu.*

CONTRA *tertiam* conclusionem sunt arg. quæ referunt & soluunt Medina *super hoc ar.* Suarez *disp. 10. sect. 4.* Asturicensis *in allegata quæst. 5.* Vasquez *disp. 21. cap. 7.* Rada *vbi supra.* Aluarez *disp. 15.*

CONTRA *quartam* conclusionem sunt argum. Suar. *in d. sect. 4.* quæ refert & soluit Aluar. *disp. 16.*

Contra 6. concl. Vas. q. 6. Obi. 2.

CONTRA *sextam* concluſ. argum. Vasq. *cap. 6. primò* : quia aut opera quæ simul tempore cum vnione inceperunt, erant meritoria vnionis, quatenus digna reddebantur ex ipsa vnione, aut quatenus prius natura considerantur, vt profecta ex solo auxilio gratiæ operantis & cooperantis, & effecta digna ex gratia habituali ; at neutrum dici potest; ergò. Probatur *primum dici non posse*; quia vnio hac ratione esset causa dignitatis operum; ac proinde principium meriti : principium autem meriti non cadit sub meritum, cuius est principium. *Secundum autem* esse non posse probatur : quia gratia habitualis & quodlibet auxilium gratiæ debet considerari vt posterius quid ipsa vnione hypostatica ; ergò neque per talia opera humanitas vnionem mereri potuit. Antecedens *probatur primò* quo ad gratiam habitualem: quia si gratia habitualis data fuisset Christo non ratione vnionis hypostaticæ & Deificationis naturæ humanæ, sed ex sola voluntate Dei absque dubio daretur ex solo affectu adoptionis; ac proinde Christũ hominẽ filiũ adoptiuũ cõstitueret: at hoc est absurdum ; ergò fatendum est gratiam habitualem necessariò datam fuisse humanitati intuitu gratiæ vnionis; ac proinde neque natura priorem fuisse ipsa vnione. Maior probatur; quia gratia habitualis secundùm se constituit Filium Dei, non naturalem sed adoptiuum. Minor probatur : quia adoptio cum vnione hypostatica omninò pugnat, & humanitas vnita Verbo adoptari non potuit. *Deinde probat* antecedens principalis argumenti, quoad alteram eius partem, scilicet nullum auxilium gratiæ dari potuisse humanitati nisi intuitu vnionis: Quia nullum opus potuit esse in Christo, quod non esset infinitè dignum & meritorium: sed ad hanc infinitam dignitatem, necesse est vt opus nitatur vnione ipsa tanquam principio ; vt ita sit opus humanitatis Deificatæ; ergò &c. Prima propositio probatur; quia nullum opus potuit esse in Christo, quod nõ esset infinitè dignum & meritorium. Secunda verò probatur : quia si intelligeretur opus aliquod præcedere vnionem, tanquam dispositio ex parte efficientis, illud non esset opus naturæ Deificatæ; ac proinde neque infinitè dignum. Quemadmodum si opus aliquod ex se non sanctificans animam præcederet ex parte efficientis infusionem gratiæ habitualis, illud non esset meritorium vitæ æternæ; quia non esset ab homine iusto. *Resp.* secundum verum esse, nimirum data hypothesi quòd humanitas prius natura propriam haberet existentiam, quàm vniretur Verbo, opera illa quæ simul tempore cum vnione incepissent, fore meritoria vnionis, quatenus prius natura considerantur vt profecta ex solo auxilio gratiæ operantis & cooperantis, & effecta digna ex gratia habituali. *Ad argum.* aduersus hanc partem, negatur antecedens quo ad vtramque partem loquendo de potentia Dei absoluta. Ad probationem minoris partis negatur minor. Ad eius probationem dico adoptionem simultaneam non autem præuiam vnioni hypostaticè repugnare: hæc enim esset veluti dispositio, quæ aduenientè vnione cessaret. Ad probationem verò secundæ partis negatur consequentia: quia licet nullum opus fuerit aut esse potuerit in Christo, quod non esset ex se infinitè meritorium; tamen secundùm Dei potentiam absolutam operationes omnes humanitatis, quas prius natura quàm vniretur Verbo producere potuisset, finitè tantùm essent meritoriæ.

Recentiorũ obi 1.

Contra eandem concluſ. argum. quidam recentiores viri doctissimi. *Primò*; quia ordo naturę ad existentiam subsistantialem mediante subsistentia & personalitate est adeò intrinsecus & quasi essentialis, vt non videatur posse à Deo mutari; ergò fieri non potest vt humanitas propriam habeat existentiam sine personalitate. Antecedens probatur; quoniam actus secundus & accidentalis supponunt actum primum substantialem, qui est intrinsecus ordo inter existentiam substantialem, quæ est vltimus actus eius, & subsistẽtiam vel personalitatẽ, quæ est actus ratione cuius natura est capax existentię. *Confirmatur*: quia operatio meritoria non potest esse sine existentia; quia est actus secundus ex natura rei supponẽs primũ, sed etiã subsistentia est actus prior ex natura rei suppositus ad existentiam & per consequens ad operationem; ergò. *Resp.* falsum esse antec. Ad cuius probationem dico non esse eam connexionem & ordinis necessitatem inter subsistentiam & existentiam, quæ est inter formam & operationem, seu inter actum primum & secundum; quia propriè loquendo existentia non est actus secundus sed vltima actualitas, quàm secundùm ordinem rerum naturalem præcedit subsistentia: quem tamen ordinem potest Deus immutare impediendo naturam à proprio complemento, quod est subsistentia, & illi immediatè existentiam substantialem tribuendo, secundùm quam res esset ens reale extra causas suas substantialiter existens, sed non actu subsistens, prout subsistere dicit naturæ terminum; quamuis esset subsistens, prout subsistere dicit modum substantiæ proprium distinctiuum eius ab accidente cui conuenit inhærere. *Et per hæc* satisfit etiam confirmationi.

Conf.

Sol.

Ad conf.

Secundò: Per Dei omnipotentiam res non existens non potest effectiuè operari ; ergò per eandem omnipotentiam, quod non existit vt quod, non poterit operari vt quod, & per consequens, licèt humanitas posset recipere existentiam sine personalitate ; non poterit tamen operari vt quod ; nec mereri vt quod ; quia hoc est proprium suppositi existentis vt quod, & humanitas sine personalitate non est suppositum existens vt quod. *Confirmatur* ; quoniam, vt insinuat Caietan. *in q. 4. art. 2. §. simpliciter autem*, &c. Suppositalitas est ratio formalis existendi vt quod, & recipiendi alias denominationes: exempli gratia, quod aliquis sit filius, pater, operans &c. ergò sine illa Deus non potest facere, vt humanitas sit existens & operans vt quod. Probatur consequentia: quoniam effectum formalem, etiam secundùm non potest Deus dare nisi mediante forma, sicut effectus secundus quantitatis est facere subiectum capax albedinis vel loci commensuratiuè ; & tamen Deus non potest ista tribuere sine quantitate. *Resp.* nullam esse conse-

Obiectio 2.

Conf.

Sol.

quen-

quentiam absolutè loquendo: quoniam operari vt quod, potest intelligi dupliciter: *Vno modo*, prout operans vt quod dicit agens habens debitum naturæ terminum & complementum, quod est complementum subsistentiæ: *Alio modo*; quatenus operans vt quid, distinguitur præcisè contra agens, vt quo: Si primo modo sumatur operãs vt quid, admissa consequentia dico in eo casu humanitatem fuisse operaturam vt quid secundo modo: Qui modus operandi sufficit, vt ei tanquam agenti principali tribui possit actio meritoria.

Ad conf. *Ad confirm.* dico suppositalitatem esse rationem propriam & adæquatam existendi vt quod primo modo, non autem secundo modo; quia talis modus potest etiam per Dei potentiam causari per existentiam immediatè naturam actuantem.

Obiectio 3. *Tertiò*: Ideò Theologi docent in Deo dari subsistentiam absolutam præintellectam personis; quia Deus præintellectus operatur vt quod, Verbi gratia creat; & operatio est actus subsistentis: at si daretur operatio sine subsistentia, hæc ratio nulla esset; ergò. *Confirmatur*: nam vt concedit Vasquez, contra quem etiam procedunt hæc argumenta, idem est terminus & principium operationis; sed humanitas quantumuis existens nequit generari, produci, prædestinari, adorari aut esse filia, vt habet D. Tho. *infra q. 24. a. 1. ad 2. & qu. 25. a. 5. & qu. 35. a. 5.* ergò neque operari vt quod; quia subiectum filiationis est subiectum quod & principium operationis.

Sol. *Respon.* maiorem apud Theologos esse veram loquendo de Deo operante vt quod, non vt præcisè distinguitur contra operans vt quo; sed prout dicit operans habens debitum naturæ terminum & complementum; hoc enim est subsistentia: quod certum est diuinæ naturæ deesse non posse, à qua nulla potest abesse perfectio: non est autem eadem ratio de natura creata. Vnde ad argumentum concessa maiori de tali operante negatur minor; licèt possit in rebus creatis per Dei potentiam esse aliud operans vt quod distinctum præcisè contra operans vt quo, non tamen in Deo. *Ad confirmationem* negatur antecedens de potentia Dei absoluta loquendo: dictum autem D. Th. intelligendum est de potentia Dei ordinaria.

Suar. Obi 1. con. 7. concl. CONTRA 7. concl. argum. Suar. *sect. 4.* Primò: quia licèt vnio & eius perpetua conseruatio physicè non distinguantur; quia per conseruationem nulla res additur rei permanenti & de se æternæ: tamen moraliter considerata, & in ordine ad libertatem causæ conseruantis multùm distat, vt per se constat; ergò Christus meruit perpetuam conseruationem vnionis. *Et confirmatur*; quia nulla est ratio cur non potuerit mereri aut actu non meruerit Christus, vt post mortem suam anima & corpus Verbo vnita permanerent; cùm sub valore operum eius hoc totum contineri posset, & non videatur à Deo debitum alijs titulis, & quamuis esset debitum, non esset propter eam causam negandum meritum.

Obi. 2. Secundò Christus meruit vt perpetuò glorificaretur tanquam Deus homo; ergò etiam meruit vt ea dignitas perpetuò conseruaretur in humanitate sua. Antecedens probatur; quia in hoc sensu dicitur dignus diuinitate.

Sol. obi. 1. *Respon. ad primum*, nullam esse consequentiam, quia licet moraliter differant vnio & conseruatio in ordine ad libertatem causæ conseruantis: hæc tamen differentia non sufficit ad rationem meriti respectu conseruationis: Quoniam vt ante diximus, non minus vnionis conseruatio quàm vnio ipsa principium est omnis meriti in Christo, quatenus homo. Et per hoc diluitur etiam *confirmatio*; quia ratio sufficiens ac euidens, cur vnionis continuatio non possit cadere sub meritum, iam assignata est; quia scilicet est principium omnis meriti. *Secundò Respond.* quòd data simul vnione immutabili sine meritis, simul etiam datur sine meritis tota eius duratio; quia est æterna & seruato ordine illi connaturali non potest corrumpi; ac proinde non datur neque dari potest ex meritis vnionis continuatio. *Sed contra priorem* respon. est argument. Quia continuatio Incarnationis pro die crastino non est principium meriti hodierna die; ergò potest cadere sub illo. Antecedens probatur; quia etiamsi Incarnatio Christi non continuaretur pro secundo die, posset esse principium merendi in primo die. *Resp.* falsum esse antecedens, nam continuatio non est formalis, sed solùm virtualis in tali vnione & formaliter est tota simul; & ideò si ipsa nunc est principium meriti, etiam ipsa secundùm existentiam, qua coexistit tempori futuro, est principium illius: quod autem per Dei potentiam possit cras non esse, non impedit coexistentiam illius ad diem crastinum; cùm etiam visio beata, quæ formaliter est æterna & indiuisibilis, coexistat anno futuro; & tamen ante illum potest à Deo destrui. *Ad secundum* negatur consequentia; quia glorificatio Christi; quatenus Deus & homo, posterior tempore est vnione, nec est principium meriti sicut vnio; & ideò potuit quidem Christus mereri, vt glorificaretur tanquam Deus & homo; & vt hæc glorificatio perpetuò duraret: non tamen mereri potuit ipsam materiam seu causam glorificationis, scilicet hoc quod est esse Deum & hominem. *Secundò resp.* Vnionis durationem esse æternam & totam simul; & ideò &c.

Ad Conf. *Replica.* *Sol.* *Sol. obi. 2.*

Vasq. obi. cont. eand. concl. *Contra eandem* concluſ. argument. Vasq. *cap. 8.* Quia Christus meruit gloriam corporis & resurrectionem illius; ergò etiam perpetuitatem vnionis. Probatur illatio; quia Christus non meruit gloriam corporis separati à Verbo; ergò. *Resp.* nullam esse consequentiam. Ad cuius probationem negatur consequentia; quia licet ad gloriam corporis requireretur vnio eius cum Verbo; illa tamen erat donum Dei gratuitum & prima gratia, cui repugnat esse terminum meriti. *Sed dices*: Christus meruit vt humanitas per mortem destructa repararetur per resurrectionem; ergò etiam meruit aut mereri potuit, vt eius vnio cum Verbo restitueretur. Probatur consequentia; quia vtrumque simul desijt & simul vtrũque fuit reparatum. *Respon.* hoc argum. probari Christum mereri potuisse vnionis hypostaticæ quasi reparationem, non autem vnionem simpliciter; quia nunquam simpliciter desijt; cùm semper corpus & anima fuerint in vnitate personæ coniuncta diuinitati, sed cessauit tamen secundùm quid seu secundùm quandam eius extensionem & complementum; prout scilicet prius ad formam totius, scilicet ad humanitatem ex anima & corpore simul coniunctis resultantem extendebatur, quæ extensio desijt in morte, & post triduum fuit glorioſa resurrectione reparata: Quæstio verò nostra est de continuatione vnionis simpliciter; non autem de continuatione aut reparatione, quo ad hanc vel illam eius rationem, & de conseruatione etiam simpliciter intelligenda est nostra conclusio, quam probant efficaciter argumenta supra posita. Quod autem hæc sint rationi consona probatur; Quia

Inst. *Sol.*

vnio-

vnioni hypostaticæ simpliciter & absolutè sumptæ conuenit per se primò, vt sit prima gratia & fons omnium meritorum ; ac proinde illi per se primò & propriè repugnat esse terminum meriti ex eadem persona procedentis : Eidem autem vnioni quatenus ad humanitatem extenditur, vt est ab anima corporeque distincta, veluti forma totius secundariò conuenit ratio primæ gratiæ ; & ideò sicut manente vnione hypostatica, tam corporis quàm animæ cum persona Verbi potest vnio humanitatis secundùm se cum Verbo cessare & de nouo restitui, sic in restitutione iam non habet formaliter loquendo rationem primæ gratiæ, sed materialiter tantùm; quatenus vna est vnio secundùm rem cum vnione hypostatica corporis & animæ, cuius vnionis hoc est complementum: formaliter autem prout scilicet vnio præcisè est humanitatis illi post desitionem restituta, terminus est meritorum Christi. Supponimus hac responsione diuini Verbi personalitatem prius natura corpori & animæ fuisse communicatā, quàm toti humanitati, quod inferius explicabitur cū Cai. *q. 6. a. 1. & 6.*

A B

Astur. alio modo diluit argumentum dicens, reunitionem Verbi cum humana natura secundùm se totam non fuisse factam ex vi resurrectionis, sed cum Verbi in triduo mortis esset vnitum ipsis naturæ partibus, ad eam pertinebat, vti eius suppositum, ita vt facta naturæ reintegratione, naturaliter consecutum fuerit, vt maneret tali supposito vnita ; atque ideò (inquit) formalissimè loquendo hæc reunitio Verbi cum integra humanitate, non tam est tribuenda Deo, vt resurrectionis authori, quàm eidem vt authori Incarnationis. *Sed quia* naturalis hæc sequela non repugnat rationi meriti, vt patet de gloria corporis Christi, quæ ex animæ gloria naturaliter effluit, & tamen eam Christus passionis humilitate promeruit ; ideò prior illa nostra responsio magis arridet.

C

CONTRA *octauam* conclus. arg. Vasq. volens probare circumstantias omnes, non solùm consequentes, sed etiam antecedentes tempore & concomitantes Incarnationem, quæ per se requisitæ non erant ad ipsam, fuere tamen peculiare beneficium, sub meritum humanitatis cecidisse, non solùm quatenus haberunt rationem beneficij respectu aliorum; sed etiam respectu ipsius humanitatis. Sic igitur arguit: Propter merita in tempore futura aliquid interdum datur, vt patet in gratia antiquorum Patrum ; quæ data fuit ante meritum Christi ; ergò circumstantiæ etiam illæ, quæ fuerunt prius duratione aut simul tempore cum merito Christi, potuerunt cadere sub eius meritum. *Secundò* circumstantiæ Incarnationis vel tempore antecedentes vel concomitantes mysterium non comparabantur cū merito Christi, tanquā principium illius, sicut vnio ipsa comparabatur ; ergò potuerunt cadere sub Christi meritum, licèt vnio cadere non potuerit. Consequ. patet ex supradictis. Antec. verò probatur discurrendo per singulas circumstantias : Nam quod annunciatum fuerit mysterium per angelū, prædictū per Prophetas, factū in ciuitate Nazareth, quod humanitas cōcepta fuerit ex Virgine incorrupta, ipsa etiā consentiente, quod ex Virgine sine peccato, & alia huiusmodi omnino accidentariè se habuerunt cū ipso mysterio & vnione, quę fuit principium meriti; ergò non se habuerunt per se ex parte principij ad ipsum meritum ; ac proinde sub illud cadere potuerunt. Antecedens probatur ; quia, si aliqua ex prædictis circumstantijs se habuisset ex parte principij, esset circumstantia talis matris ; at hæc non se habuit hoc modo; ergò. Probatur hæc minor : Nam quòd mater fuerit de stirpe Regum, quòd fuerit Virgo sine peccato, quòd tam profunda humilitate consensum præbuerit; quæ videntur beneficia aliqua facta humanitati Christi, omninò accidentarium fuit ipsi vnioni ; ergò hæ circumstantiæ omninò accidentariè se habuerunt cum principio merendi; ergò non se tenent ex parte principij. Antecedens probatur ; quia eadem omninò esset, etiamsi hæ circumstantiæ defuissent. Deinde, quòd ex hac numero muliere concepta fuerit humanitas, quæ vnita fuit Verbo: fuit etiam circumstantia accidentaria comparata cum ipsa vnione. Tertiò si ab hac matre seperemus cætera ornamenta dicta, & puram mulierem consideremus, non fuit beneficium peculiare ipsius humanitatis, quod sub meritum illius caderet. *Tertiò principaliter* probat Christum de facto circumstantias meruisse per opera posterius tempore facta & primò considerando circumstantias, quatenus fuere beneficia ipsorum hominum, & Angelorum : Quia ea singularis gratia & beneficiū meritis Christi ascribi debēt, & pro his omnibus gratiæ ipsi Christo agēdæ sunt, vt manifestè patet in dispositione, qua Virgo ad hoc mysterium præparata fuit : hanc enim ex meritis ipsius Christi habuisse dubitare non licet. Et quamuis Angelis non fuerit data gratia benè operandi in via & gratia ex meritis Christi, tamen certum est multa quæ pertinent ad gloriam ipsorum accidentariam, per merita Christi habuisse; qualis fuit annunciatio huius mysterij. *Quartò* probat idem quo ad circumstantias consideratas, quatenus fuere beneficia ipsius humanitatis Christi : Quia Christus nullum à Deo beneficium accepit sine meritis, quod sub merita ipsius cadere potuit: ergò. *Et confirmatur*; quia Christus gratias condignas Deo reddidit pro his singulis circumstantijs & beneficijs : at ipsæ circumstantiæ non fuere requisitæ ex parte principij merendi, vt probatum est ; ergò ipsa gratiarum actio pro illis beneficijs, etiamsi posterius tempore exhibita fuerit, rationem meriti respectu illorum habere debuit. *Resp. ad primum*, nullam esse consequentiam ; quia circumstantiæ Incarnationis se tenent ex parte principij meritorum ipsius Christi ; non autem gratia SS. Patrum. *Ad secundum* negatur conseq. Ad probationem dico, non solùm principium meriti, sed omne quòd se tenet ex parte principij meriti, non posse cadere sub meritum. Quamuis autem circumstantiæ illæ non sint principium meriti: se tenent tamen ex parte principij meriti ; non tamen omnes, quasi proximè & immediatè ad ipsum pertinentes, sed quædam etiam mediante persona diuina, vel mediante humanitate, ad quam proximè plures ex eis pertinebant, vel simpliciter quatenus erat hæc numero humanitas, sicut hæc numero mater substantialiter considerata, vel in ordine ad vnionem & eius effectum, scilicet redemptionem: decuit enim humanitatem Verbo diuino personaliter vniendam ex omnibus circumstantijs, non solùm vnioni tam excellenti sed etiam vniuersali hominum redemptioni diuinitùs aptissimam reddi : quod optimè per illas circumstantias, & alias similes effectum fuisse perspicuè patet ex ijs, quæ de singulis illis docuit S. Thom. De circumstantia quidem finis *q. 1. a. 2. & 4.* de circumstantia verò temporis & Prophetarum *in artic. 5. & 6. & qu. 35. art. 8.* Quæ non ad solam humanitatem; sed etiam ad Dei personam vniendam humanitati ; & ad ipsam

Vbi Vasq. cōt. 8. cōc. 1.

Secunda.

D

E

Tertiò.

Quartò.

Conf.

Soluitō primā

Secunda.

ipsam vnionem in ordine ad redemptionem, & alios effectus pertinent : de circumstantia verò personæ matris , tam secundùm eius substantiam, quàm secundùm eius qualitates agit S. D. *infra quæst. 27. 28. 29. & 30. a. 4.* De circumstantia verò personæ angeli, per quem annunciatum est Incarnationis mysterium , agit in *quæst. 30.* De genitoribus autem Matris agit *quæst. 31.* Denique de circumstantia actiui principij generationis Christi agit S. D. *in quæst. 32.* In his enim locis docet vnionis hypostaticę congruentiam tam ex parte Verbi diuini, quàm ex parte humanitatis,& ipsius vnionis secundùm se & effectuum eius ex dictis omnibus circumstantijs quàm maximè dependere , & ideò licèt ex eis multæ sint accidentariæ respectu vnionis absolutè consideratæ ; illi tamen vt congruè fieret fuere necessariæ. Et quoniam vnio principium est meritorum , ideò circumstantiæ ad huius vnionis ac principij congruitatem requisitæ dicuntur verè ac propriè se tenere ex parte principij ; non quia simul cum eo influant in actus meritorios ; sed quoniam illi tribuunt congruentiam tam secundùm se, quàm ex parte componentium , scilicet Verbi & humanitatis,& in ordine ad redemptionem & alios effectus . His adde circumstantias matris, temporis & loci ad huius indiuiduæ humanitatis generationem fuisse necessarias , nam eis mutatis non eadem , sed alia numero fuisset humanitas : circumstantia etiam personæ Spiritus sancti , cuius actiua virtute Maria Virgo concepit Dominum Iesum Deum & hominem , fuit simpliciter necessaria ; alioquin non Deum & hominem, sed purum hominem genuisset. Igitur hæ circumstantiæ se tenent ex parte principij gratiæ & meritorum , scilicet vnionis non solùm quo ad eius congruitatem;sed etiam quoad eius substantialem constitutionem ; vel ratione humanitatis vt mater , tempus , & locus; vel ratione ipsius vnionis , vt Spiritus sanctus. Cùm itaque circumstantiæ omnes de quibus agimus, ex parte principij meritorum se teneant, & ad ipsius principij constitutionem pertineant, impossibile est , vt eorumdem meritorum sint præmia:& ex his etiam patet, quid dicendum sit ad antecedens & ad eius probationem . *Ad tertium* respond. gratiam & dispositionem, qua beatiss. Virgo præparata fuit ad concipiendum in se Deum & hominem , fuisse ex meritis Christi, tanquam ex causa finali:illam autem gratiæ perfectionem, quam ex ipsa conceptione recepit, fuisse ex meritis Christi , non solùm vt ex causa finali,sed etiam effectiua:gloria etiam accidentalis quam Angelus habuit ex annunciatione , ex meritis Christi fuit, vt ex causa finali : Alia verò beneficia in omnes angelos ex Incarnationis mysterio redundantia ex merito Christi , vt ex efficienti causa deriuantur. *Ad quartum* resp. circumstantias illas omnes se tenere ex parte principij merendi , & ideò non potuisse cadere sub meritum gratiarum actionum vel aliorum operum . Implicat enim contradictionem, principium meritorum & ea quæ ad ipsum formaliter principium est in actu primo vel secundo pertinent , esse terminum seu præmium eorumdem meritorum.

Tertiò. *Quartò.*

CONTRA *vltimam* conclus. quoad secundam eius partem argumentantur quidam recentiores viri doctissimi. *Primò*: Quia sequeretur Christi meritum, tali præmio sufficienter fuisse præmiatum , & nihil amplius illi deberi de condigno: at consequens est absurdum ; ergò. Probatur illatio ; quia talis vnio saltem est æqualis in valore cum merito : cùm tribuat ei valorem; ergò, si illa datur in præmium meritorum, præmiantur ad æqualitatem . *Respond.* nullam esse consequentiam ; quia merita Christi negatur etiam consequentia ; quia merita Christi non ordinabantur per se primò ad iteratam vnionem humanitatis cum Verbo , sed secundariò tantùm & consequèter , id est tanquam ad effectum consequentem , ac debitum humanitati per resurrectionem,id est iteratam vnionem animæ & corporis resultanti. Et ideò Christi merita ad reunitionem humanitatis cum Verbo non ordinabantur nisi diminutè & secundùm quid,quatenus scilicet ex restituta humanitate consequitur , quæ in ordine ad Deum , vt agens secundùm prouidentiam supernaturalem se habet , vt materia summè disposita ad iteratam vnionem cum persona Verbi ; ita vt meritum ad resurrectionem id est iteratam vnionem animæ & corporis per se primò simpliciter & immediatè fuerit ordinatum , vnionem autem iteratam humanitatis cum Verbo respexerit , quatenus in partibus humanitatis vnitis , quasi radicaliter & virtualiter continebatur , quod est ad eam ordinari secundùm quid , ex quo planè colligitur restitutionem hanc vnionis non esse secundùm se, neque simpliciter & absolutè præmium meritorum Christi , sed tantùm secundùm quid , & prout in altero præmio principaliter intèto continetur,scilicet in reunione partium humanitatis ad inuicem ac proinde sequitur, tale præmium sub tali ratione respectum non posse meritis adæquari : implicat enim esse præmium adæquatum,& ad illud merita per se primò non ordinari : quamuis igitur vnio hypostatica secundùm se merita Christi posset adæquare : si ad illam vt ad præmium per se primò dirigerentur,non potest tamen illorum esse præmium adæquatum , si veluti contenta secundùm quid in altero præmio consideretur.

Obi.1.cont. vlt.concl.

Sol.

Secundò: Talis vnio consequitur ad vnionem factam in Incarnatione , & ad reunionem partium humanitatis inter se , quæ factæ sunt sine meritis ; ergo etiam hæc vnio fuit sine meritis. Antecedens probatur:nam ex hoc quod sine meritis assumpta est inamissibiliter humanitas & eius partes , sequitur quod quandocunque ipsa humanitas extiterit sit Verbo vnita: nam humanitas reintegrata in resurrectione debet subsistere per subsistentiam, quam habebat eius anima , quæ est suppositalitas Verbi.Consequentia verò probatur;quia sine meritis datur , quod naturali sequela sequitur ad id, quod gratis concessum est, ergò. Probatur hoc antecedens ; quia sine meritis habuit Christus gratiam & beatitudinem & scientiam infusam ; quia sequuntur ad vnionem quæ gratis facta fuit . Quod si dicatur Christum gloriam corporis meruisse , quæ sequebatur ad gloriam animæ , quam habuit sine meritis ; contra hoc est , quòd illa non sequebatur ad gloriam animæ, vt erat beata solùm in ordine ad Deum: quo modo solum anima Christi fuit beata ante passionem. Vnde S. Tho. *de ver. qu. 29. a. 6. ad 4.* ita respondet: *Gloria corporis sequitur ex gloria animæ: quoniam anima est omnino glorificata secundùm ordinem ad Deum, & secundùm ordinem ad corpus: sic autem anima Christi non erat glorificata , sed solùm in ordine ad Deum : secundùm autem, quod erat forma corporis , passibilis erat.* Et per hanc responsionem sustinet ibi S. D. Christum potuisse mereri gloriam corporis . Quod idem etiam explicat *in 3. dist. 18. q. 1. a. 4. q. 2.*

Obi.2.

al. *Respond.* nullam esse consequentiam. Ad cuius probationem negatur antecedens loquendo de eo, quod sequitur ad id, quod gratis concessum est, & per tempus aliquod esse desinit, & cum desinente desinit; huius enim restitutio siue reparatio sub eodem merito (quamuis non eodem modo) cadit, sub quo cadit illius reparatio, ad quod quasi naturaliter & necessariò sequitur. Vnde ad probationem antecedentis dico non esse simile quod affertur pro simili; quia gratia beatitudo & scientia infusa animæ Christi sequebantur vnionem animæ cum Verbo, quæ nunquam esse desijt: & ideo non potuerunt subsequi merita, sicut restitutio dictæ vnionis, sed priora fuerunt omni merito, sicut & ipsa vnio animæ cum Verbo.

Secvnda Controversia.

An antiqui Patres meruerint, aut mereri potuerint condignè, aut congruè diuini Verbi Incarnationem, aut eius accelerationem, vel circumstantias, aut aliquem Incarnationis effectum?

Sensus quæstionis. Nomine Patrum antiquorum non Sancti solum Mosaicæ legis; sed omnes etiam legis naturæ iusti comprehenduntur; Quibus Incarnationis mysterium explicitè vel implicitè fuit à Deo reuelatum, vt ait sanctus D. *in 2. 2. qu. 2. ar. 7.* non minus enim hi, quàm illi diuini Verbi Incarnationem sanctis suis operibus ad eam à Deo obtinendam ordinatis mereri de congruo potuerunt. Verùm ex Theologis plures Controuersiam hanc ad solos legis Mosaicæ Patres videntur arctare; non quia legis naturæ iustos excludant; sed quia solis istis promissa fuit Incarnatio Verbi diuini, vt ait Apost. *ad Rom. 15. c.* in hæc verba: *Dico enim Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis* (id est Iudaici populi) *propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum.* Et quæstio propriè est de merito congrui, tam respectu Incarnationis, quàm accelerationis & cuiuslibet circumstantiæ. Quid autem nomine accelerationis intelligendum sit, dicemus inferius.

Sententiæ Doctorum. In Hac Controuersia quatuor sunt præcipuæ Theologorum sententiæ. Ex quibus vltima quæ est D. Thomæ, quatuor habet dicendi modos. Est igitur Prima Sententia dicens, antiquos Patres non meruisse etiam de congruo Incarnationem quoad eius substantiam, sed tantum quo ad eius accelerationem. Hanc sequuntur D. Bonauentura *in 3. dist. 3. artic. 2. quæst. 2.* Marsilius *eadem distinct. quæst. 5.* Et Gabriel *ibid. q. 1.*

Secvnda Sententia est affirmans antiquos Patres non solùm meruisse accelerationem Incarnationis, sed etiam Incarnationem ipsam, non secundùm se, sed quo ad vnum tantùm eius effectum; non quidem quo ad illum, qui est iustificatio per gratiam, sed quo ad alterum, qui est apertio Regni cœlestis. Hanc etiam sequitur D. Bonauentura *loco notato*, & tribui solet Alensi, sed Vasquez obseruat doctorem hunc non distinguere de merito congrui respectu Incarnationis & accelerationis aut circumstantiarum.

Tertia Sententia est Vasquezij, *disp. 22. c. 4. & 23. c. 5.* qui dicit quatuor. *Primum* est, antiquos Patres non meruisse congruè ipsum mysterium Incarnationis: Ex quo sequitur (inquit) neque meruisse executionem illius, neque prædestinationem. *Secundum* est, eos congruè meruisse circumstantias aliquas eiusdem mysterij, & earum prædestinationem. *Tertium* est, Patres meruisse accelerationem Incarnationis. *Vltimum* est, antiquos Patres non meruisse singulas Christi actiones, quibus meruit redemptionem, neque tempus peculiare & determinatum illarum. Eandem sententiam, quoad tria prima dicta sequitur Pesantius, *disput. 3.*

Qvarta Sententia est D. Th. *in hoc ar. & in 3 ad Anib. dist. 4.* docentis, antiquos Patres de congruo meruisse diuini Verbi Incarnationem secundùm eius substantiam, non tamen ex condigno. Cuius sententiæ defensores variè eam interpretantur, aut proponunt.

Est igitur *primus dicendi modus* Val. *punct. 8.* qui tria dicit. Primum est; Patres non solùm promeritos esse de congruo Incarnationem quoad tempus, in quo Verbum Dei carnem sumpsit, vt scilicet tunc & ex semine Abrahę fieret sed etiam absolutè. Secundum est; ex condigno nullum hominum promeritum fuisse Incarnationem. Tertium est: ex hoc ipso, quod beata Virgo & alij sancti meruerunt ex congruo Incarnationem ipsam, meruisse quoq; per eadē opera à Deo præuisa, vt Deus præordinaret & vellet Incarnationis mysterium peragere; nam Deus non aliter res prædefiniuit, quàm eas exequatur.

Secundus dicendi modus est Suarezij *disp. 10. sect. 5. & 6.* Vbi octo dictis suam explicat opinionem. Primum est: nullus hominum meruit de condigno Incarnationem filij Dei. Secundum est: nulla pura creatura potuit de condigno propriè & perfectè mereri Incarnationem, etiamsi intercederet Dei promissio; quamuis illa posita esset aliqualis ratio meriti aliquam similitudinem habēs cum merito de condigno. Tertium est: Posita hac promissione adhuc non esset in illis operibus meritum propriè ac simpliciter de condigno habens seu inducens veram rationem iustitiæ. Quartum: eo modo imperfecto, quo potest vnus homo mereri Incarnationem in alia natura, potest etiam in propria. Quintum: Patres non potuerunt mereri de congruo prædestinationem Incarnationis. Sextum est: Non potuerunt antiqui Patres de potentia ordinaria mereri de congruo prædestinationem Incarnationis, quoad circumstantias eius. Septimum est: Antiqui Patres etiam meruerunt de congruo aliquas circumstantias Incarnationis, & aliquo modo dici possunt meruisse eiusdem accelerationem.

Tertius dicendi modus est Asturicensis *in rel. de gratia Christi, quæst. 5. pag. 478. & seq.* vbi suam sententiam explicat quinque conclusionibus. Prima est: Si Patres ita dicantur accelerationem Incarnationis Christi meruisse, vt propter eorum merita Verbum citius in mundum veniret, quàm per diuinum consilium fuerat dispositum, priusquam nostro intelligendi modo Deus merita Patrum præuidisset, improbabiliter diceretur Patres antiquos accelerationem Incarnationis Christi meruisse. Secunda Conclusio est: SS. Patres ita dicantur accelerationem Incarnationis Christi meruisse, vt Deus antequam præuiderit eorum merita, decreuerit quidem filium suum in mundum mittere; non tamen designauerit certum tempus, in quo illum esset missurus, sed quo ad hoc expectauerit merita Patrum: quibus in sua æternitate præuisis definierit determinatum tempus Incarnationis filij sui, cum aliqua probabilitate dici potest antiquos Patres meruisse Incarnationis Christi acce-

lera-

lerationem : sed multò probabilius oppositum asseritur. Tertia eius concl. est : Improbabiliter asseritur Patres antiquos meruisse de condigno Incarnationem Christi Domini, quoad secundum eius effectum, scilicet apertionem Regni cœlestis. Quarta eius Concl. est: Patres antiquæ legis meruerunt de congruo Incarnationem Christi Domini, & quo ad subiectum & quo ad tempus & quoad eius effectus & quo ad omnes eius circumstantias. Vltima eius Concl. est: Opera antiquorum Patrum non meruerunt, vt Deus sua dispositione prædefiniret ab æterno Incarnationem Christi in tempore futuram, sed prius secundùm rationem prædefiniuit Christi Incarnationem, quàm præuideret ipsa Patrum merita: at Patres antiqui meruerunt de congruo Christi Incarnationem, quantum ad temporalem eius executionem; nam vt sic fuit posterior eorum meritis. Sententiam hanc sequitur Rada *in sua 3. p. Controuers. 12. articul. 3. in 2. dubio:* sed discordat ab ea in vltima parte quartæ Conclusionis : ait enim antiquos Patres non potuisse de potentia ordinaria mereri Incarnationem, quoad omnes eius circumstantias.

Vltimus dicendi modus est Medin. qui dicit tria. Primum est : De potentia Dei absoluta purus homo in gratia Dei existens potuit mereri de condigno Incarnationem filij Dei. Secundum est : De lege, ac potentia ordinaria non potuerunt puri homines, quantumlibet iusti promereri de condigno Incarnationem. Tertium est: Patres antiqui meruerunt de congruo Incarnationem petendo & orando. Sententiam hanc & præcedentem sequitur Aluarez. Sed primum huius sententiæ dictum non approbat.

Resolutio.

QVATVOR sunt huius Controuersiæ capita in inscriptione proposita, circa quæ versantur omnes Theologorum opiniones supra notatæ, scilicet ipsa Incarnationis substantia, eius acceleratio, reliquæ circumstantiæ, & eiusdem Incarnationis effectus; secundùm hæc enim sola vel omnia vel aliqua videntur posse ad mysterium Incarnationis sibi & humano generi promerendum merita Patrum extendi. De his igitur singulis breuiter, ac dilucidè agendum est. Sed præmittenda primò sunt communia quædam his omnibus capitibus fundamenta.

Distinguitur meritũ in condignũ & congruũ, & vtriusq; modi rationes, conditiones, & differentiæ declarantur.

Notandum est igitur duplex esse meritum ; alterum de condigno; & alterum de congruo: *Meritum de condigno* est opus, cui de iustitia debetur merces. Et quia duplex est iustitia; altera perfecta seu rigorosa; & altera imperfecta : ideò duplex etiam est meritum apud Deum de condigno ; alterum perfectum, cui secundùm leges perfectæ & rigorosæ iustitiæ debetur præmium; & hoc soli conuenit Christo Dei & hominum mediatori, de quo merito multa diximus *supra quæstion. 1. articul. 2. Controuers. 2.* alterum imperfectum, quod innititur gratiæ & misericordiæ acceptantis; sed tamen est iustum & æquale simpliciter respectu præmij, scilicet æternæ mercedis: vt Caietan. aduertit *in 1. 2. qu. 114. art. 3.* postulat autem hic posterior modus meriti de condigno quatuor conditiones, vel magis principia, ex quibus omnis eius valor emanat, quæ proponit & explicat Medina *in allegato artic. 3.* & Asturicensis *in supra notata quæst. 5. Conclus. 4.* Sed hic tria tantùm assignat. Aluar. autem *disp. 17.* quatuor enumerat. Rada verò *loco supernus allegato* vnam ex eis omittit ; quia non placet Scoto. Est igitur *prima conditio*, siue merendi ratio gratia & amicitia Dei in operante, vt ait S. D. *in allegata quæst. 114. art. 3.* Secunda conditio est, vt operatio meritoria fiat formaliter aut virtualiter propter Deum summè dilectum ; in quo etiam includitur libertas actus, vt expresè docet sanctus Thomas *in eadem quæst. artic. 4.* Tertia conditio est, vt opus ex inclinatione gratiæ & charitatis dirigatur in præmium, ad quod assequendum ordinatur. Si namque merentis opus ex sola operantis libertate dirigeretur in præmium supernaturale, nec illi nec Deo supernaturalis præmij redditori esset omnino proportionatum ; ac proinde nec illius esset condignè meritorium, vt ait S. D. *in d. art. 4.* Ad hanc reducitur alia conditio seu causa meriti, quam assignat ibi S. Tho. & alijs meriti principijs annumerat Medina, nimirum, vt opus fiat ex virtute & motione Spiritus sancti nos in vitam æternam mouentis; iuxta illud *Ioann. 4. Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Quarta conditio est diuina promissio: quam esse necessariã affirmat S. D. *in dicta q. a. 1.* & ibi Cãiet. & probat Med. *in eadem qu. 114. a. 3.* Illa verò conditio siue radix merendi, vt scilicet qui meretur sit membrum Christi, quam ibi ponit, & ex Scripturis ostendit Medina, non est ad meritum absolutè necessaria: nam, si quis non ex meritis Christi gratiam haberet à Deo (quod fieri posse certum est) posset hic sibi per opera bona mercedem æternæ vitæ promereri.

Meritum autem *ex congruo* impropria ac lata acceptione meritum nuncupatur ; quomodo omnis præparatio ad aliquid habendum meritum appellatur, vt ait S. Thomas *in 3. dist. 4. quæstione 3. ar. 1.* Huic autem merito constituendo necessariæ sunt & sufficiunt duæ primæ conditiones: nam tertia his addita meritum causat ex condigno, vt etiam notat Asturicensis *in allegata qu. 5. Concl. 4.* Postulat ergo meritum congrui, vt operatio meritoria non dirigatur in præmium ex inclinatione gratiæ & charitatis, sed ex libera solum operantis voluntate, quæ operationem ex gratia & charitate procedentem ordinat ad præmium; sic enim considerata præmium à Deo meretur non ex condignitate, quæ nulla in ea est, sed ex congruitate; quia scilicet congruum est, vt opus bonum ab homine procedens in Dei gratia & amicitia constituto præmietur à Deo. Ad cuius euidentiam scito, duplicem esse congruitatem: altera est se tenens ex parte Dei, & eius misericordiæ; non autem ex parte hominis operantis ; & hæc nullam habet meriti rationem, sed mera congruitas est. De hac loquitur S. D. *in allegato art. 3.* cùm ait: *Videtur congruum, vt homini operanti secundum suam virtutem Deus recompenset secundùm excellentiam suæ virtutis:* Altera congruitas est, quam lex constituit amicitiæ; & hæc cùm in opus hominis ex gratia & charitate eidem inhærente deriuetur, non solùm ex parte Dei, & eius misericordiæ se tenet, aut considerat ; sed etiam ex parte hominis per gratiam & charitatem operantis ; congruum enim est, vt Deus amicos suos & filios sibi obedientes exaudiat, vt hic ait S. D. dicitur etiam meritum de congruo præparatio seu dispositio ad aliquod Dei donum recipiendum ; nam, vt ait S. D. *in 4. sent. ad Ambaldum, dist. 27. quæst. 1. ar. 4.* Actus fidei secundùm Augustinum meretur iustificationem, scilicet de congruo, quatenus est dispositio ad illam.

Ex his sequitur *vna conuenientia, & duæ differentiæ* inter meritum ex condigno & meritum ex congruo coram Deo. *Conuenientia* est, quòd vtrumque fundatur in gratia & charitate. *Prima*

differentia est: quòd meritum ex condigno rationem habet iustitiæ, licet imperfectæ coram Deo: meritum autem cógrui nullam habet iustitiam; sed est tantùm amicabile debitum: non enim regulatur per leges iustitiæ, sed per leges amicitiæ, secundùm quas congruum est, vt amicus amicum & pater filium sibi obedientem exaudiat, vt ante diximus. *Secunda differentia* quæ ex prima consequitur est, quòd meritum ex condigno infallibilem habet effectum apud Deum; meritū autem de congruo non habet ex sui ratione indeficientem effectum, eo quòd lex amicitiæ non æquè stricta est, vt lex iustitiæ, non enim exigit lex amicitiæ, vt amicus amico petenti semper & in omnibus morem gerat.

PRIMA CONTROVERSIAE PARS IN TRIA membra subdiuisa.

NVNC DE PRIMA *Controuersiæ parte*, scilicet de veterum Patrum merito respectu Incarnationis quo ad eius substantiam, agendum est: cuius tres adhuc sunt partes; vna quærens, *num actu Patres antiqui condignè meruerint Incarnationem*: altera, *num per Dei potentiam ordinariam, vel absolutam possibile fuerit eam Patres sibi, & humano generi condigne promereri?* Tertia: *num saltem merito congrui mereri potuerint, aut actu meruerint*;

Primum 1. controuersiæ partis membrum. SS. Patres neque actu meruisse, neq; per Dei potentiam absolutam mereri potuisse condignè mysterium Incarnationis, aut eius prædestinationē.

ET DE *merito quidem actuali* SS. Patrum respectu Incarnationis communis est Theologorū consensus negantium veteres Patres Incarnationem Verbi condignè meruisse. Quod non obscurè significant diuinæ litteræ *Psalm. 88.* ab illo versiculo. *Si dereliquerint filij eius legem meam, & mandata mea non custodierint, &c.* vsque ad illum: *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, &c.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Ephes. 2. *Deus autem, qui dues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo*: Cuius gratia estis saluati, *&c.* Ad Tit. 3. *Cum autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos; sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit, &c.* Si autem Patres ex condigno Verbi Incarnationem meruissent, diceremur nos, id est genus humanum ex operibus iustitiæ saluatorem; ac proinde etiam salutem sibi comparasse. Legenda sunt, quæ scribit Apostolus *ad Romanos cap. 3. vsque ad septimum.* Vbi probat neque Iudæos, neque Gentiles Incarnationem Verbi meruisse: quare periculosum esset asserere, Patres antiquæ legis Incarnationis mysterium humano generi condignè meruisse; quia diuinæ Scripturæ satis aperte loquuntur, nec facilè glossam admittunt. Legendus est Medina *super hoc artic.* Suar. *disp. 10. sect. 5.* & Porrecta *in append.*

2. membrū,

AN AVTEM *per Dei potentiam* ordinariam vel absolutam potuerint Patres Verbi diuini Incarnationem condignè promereri, ex principijs & argumentis, quibus secunda Conclusio probatur in textu, iudicandum est: Et primum quidem argumentum desumptum ex fine & præmio, ad quod ordinatur hominis operatio meritoria, non probat secundam illius conclusionem, nisi quoad Dei potentiam & legem ordinariam. Cùm enim ait S. D. operationem hominis meritoriam ordinari propriè ad beatitudinem, quæ est vnio beatæ mentis ad Deum per actum fruentis, & est virtutis præmium, quàm vnionem transcendit vnio Incarnationis; atque ideò non posse vnionem hanc cadere sub meritum, non negat per Dei potentiam absolutam potuisse merita sanctorum Patrum ad vnionem hypostaticam Verbi cum humana natura promerendam ordinari; sed tantùm explicat, quis sit ordo diuinæ prouidentiæ supernaturalis circa præmium humanis meritis assignandum. Secundum etiam argumentum non procedit, aut probat, nisi de potentia Dei ordinaria: alioquin destrueret tertiam conclusionem; nam, si Patres per Dei potentiam absolutam diuini Verbi Incarnationem mereri condignè non potuissent ob eam causam, quòd Incarnatio sit gratiæ & meriti principium; eadem ratione neque sub eorumdem Patrum meritum congrui cadere potuisset, cuius oppositum affirmat ipsa tertia conclusio. Quomodo autem possibile fuerit principium gratiæ & meriti cadere sub meritum congrui, dicemus inferius. Superest igitur tertia ratio omnium optima, quæ licèt non videatur conclusionem omninò necessariò ac demonstratiuè probare; si tamen eius vis, vt decet, ab intellectu bene disposito, & secundùm subiectam materiam consideretur, iuxta præceptum Aristot. *in 2. Metaphys. text. 16. & in 1. Ethic. cap. 3.* sufficiens erit ad efficiendum certum & firmum conclusionis assensum: non quidem Mathematicum, sed moralem in materia Theologica & supernaturali. Ratio tertia D. Th. hæc erat: Bonum alicuius puri hominis non potest esse causa boni totius humanæ naturæ; ergò non potest cadere sub meritum alicuius hominis singularis: Cuius argumenti maior sic absolutè posita, & intellecta non est vera, nisi de potentia Dei ordinaria. Nam vt ostendimus *supra quæst. 1. art. 2. in 4. Controu.* quamuis purus homo per absolutam Dei potentiam non potuerit ex toto rigore iustitiæ pro peccatis totius humani generis Deo satisfacere; potuit tamen pro eis satisfacere ad æqualitatem, non simpliciter, sed ex suppositione diuinæ gratiæ à Deo receptæ, prout gratia se tenet ex parte satisfacientis, & quatenus tanquam vnum cum eo constituens actionis principium consideratur: verum si maior illa non de bono totius humani generis secundum se, sed quo ad illius principium, quod est Incarnatio, & vnio Verbi diuini cum humana natura intelligatur (in quo sensu hic assumitur à D. Thoma) verissima est; nam Incarnatio & vnio diuinæ personæ cum humanitate, tam ratione termini simplicis, qui est diuina persona, quàm ratione termini compositi, qui est Deus homo siue Christus, est infinita simpliciter, vt patet ex his, quæ diximus *sup. a. 7. contr. 3.*

Vis igitur illius tertiæ rationis est: quòd cum Incarnatio Verbi diuini sit reformatiua totius humani generis, vt eius prima & propria causa, quam oportet esse simpliciter infinitam, non est possibile, etiam per Dei potentiam absolutam, vt ea cadat sub hominis puri meritum de condigno: quia nullum opus puræ creaturæ potest habere condignitatem in ordine ad bonū simpliciter infinitum tanquam præmium: quia finiti ad infinitum nulla potest esse proportio, quæ sufficiat ad æqualitatem verè ac propriè dictæ, licèt non rigorosæ iustitiæ constituendam: diximus enim meritum ex condigno necessariò postulare, vt opus ex intrinseca & naturali inclinatione gratiæ dirigatur in præmium; gratia verò quia suapte natura semen est gloriæ, naturalem habet ad eam proportionem & inclinationem, & in eam vt in præmium dirigit opera charitatis. Cùm igitur Incarnatio & vnio hypostatica ratione termini, siue simul

simul cum termino sumpta, qui Christus est Deꝰ & homo sit infinita simpliciter, ac proinde altioris ordinis (scilicet increati) quàm sit beatitudo, nullum opus ex gratia puræ creaturæ procedens proportionem poterit habere cum ea naturalem; aut ad eam veluti præmium ex intrinseca & naturali ipsius gratiæ inclinatione naturaliter ordinari. Sed sciolus quispiam fortassè dicet SS. Patres mereri potuisse Incarnationem præciso termino; sed leuis & ridicula est hæc responsio. primò; quia Incarnatio completa terminum suum includit totalé, qui Christus est Deus & homo. Secundò; quia eadem est quæstio de vnione, *quàm supra art. 8.* dixit S. Th. significari, vt in termino assumptionis, quem diximus esse simpliciter infinitum. Tertiò; quia de merito loquimur Incarnationis & vnionis, prout est humani generis redemptiua: quod illi non conuenit, nisi quatenus vtriusque termini, scilicet formalis & totalis habet complementum, ita vt sit idem quærere, num antiqui Patres mereri potuerint Incarnationem & vnionem diuinæ personæ cum humana natura: quod est quærere, num mereri potuerint vt Christus nasceretur, & vt Christus esset in mundo siue vt esset qui esset Deus homo, sicut affirmat S. Tho. eosdem Patres actu merito congrui meruisse Christi Incarnationem, quam à Deo petebant: constat autem ex diuinis Scripturis eos Christum Messiam & Saluatorem à Deo postulasse: non autem solam eius Incarnationem præcisè sumptam siue prout est in fieri; & nondum sui termini formalis aut totalis perfectione completa: eodem igitur modo sumitur à Doctoribus Incarnatio, cum disputant, an antiqui Patres potuerint eam suis bonis operibus cõdigne promereri.

Obiectio.

Solut.

Sed dices: opera SS. Patrum quamquam ex se, & prout ex habituali gratia procedunt, nullam habuerint proportionem aut condignitatem ad incarnationem seu vnionem diuinæ personæ cum humanitate: ex diuina tamen promissione fieri potuisse condigna: *Verum* ex conditione meriti de condigno supra notata diluitur hæc obiectio: necesse est enim, vt opus condigne meritorium ex intrinseca & naturali proportione & inclinatione gratiæ, à qua procedit; dirigatur in præmium: ex diuina verò promissione Patrum operibus superaddita nulla fit in eis, aut in eorum radice scilicet gratia, proportio vel inclinatio in ordine ad Incarnationem, vt præmium per ea veluti merita promerendum: sed extrinsecè tantùm & accidentaliter opera respicit, nec eorum intrinsecam auget dignitatem: & ideò non nisi secundùm quid ac valdè impropriè dici possent opera Patrum, ex tali ordinatione meritoria Incarnationis ex condigno, vt scitè notat Suarez *disp. 10. sect. 5.* & Astur. *in sæpè alleg. q. 5. pag. 494.* Et est doctrina D. Th. *in 1. 2. q. 114. a. 1. & in 2. dist. 27. q. 1. a. 3.* dicentis; inter meritũ de condigno & præmiũ esse necessariam æqualitatem, ita vt præmium de iustitia pro merito debeatur: implicat autem merito puri hominis de iustitia, & ad æqualitatem deberi Incarnationem, quæ est bonum multò sublimius, ergò. Et confirmatur; quoniam idem S. D. *in 4. dist. 46. qu. 1. ar. 2. qu. 1.* docet; non ideò aliquid esse iustum; quia solùm Deus voluit esse iustum & æquale alteri, sed quia est debitum alicui secundum aliquam eius conditionem: ergò quantumuis Deus ordinasset actiones puri hominis ad Incarnationem, non ideò ille mereretur ex cõdigno, & ad æqualitatem Incarnationem, quia

Obiectio.

Sol.

A in illis nihil esset æqualis valoris cum Incarnatione. Quod etiam probatur; quoniam extrinseca promissio & ordinatio, qua Deus ordinaret vnionem Verbi & humanitatis efficere propter ieiunium aut obedientiam Abrahæ, non tribueret illi maiorem dignitatem aut valorem intrinsecum, quàm secundùm se haberet ieiunium illud aut obedientia: sed hæc secundùm se non haberent condignitatem & æqualitatem cum Incarnatione; ergò. Et confirmatur; quia aliàs opera minus bona possent de condigno mereri maius præmium, quàm alia perfectiora, & opera inæqualia possent esse meritoria de condigno æqualis præmij: Consequens autem falsum est,

B nam condignitas quia attenditur secundùm æqualitatem, consistit in indiuisibili: Conseq. verò probatur; quia, si Deus proponeret Incarnationem in præmium vni ieiunio vnius vel actui charitatis alterius, illa opera essent inæqualia; & tamen essent eiusdem præmij meritoria de condigno; & similiter si proponeretur Incarnatio in præmium humilitatis Dauid, cùm humilitas B. Virginis quæ fuit excellentior solùm meruerit beatitudinem, minus de condigno meruisset quàm humilitas Regis Dauid, quæ de condigno meruisset Incarnationem. Quamuis ergò potuerit Deus bonis operibus hominum promittere Incarnationem in præmium; ea tamen opera non fuissent eius verè ac propriè

C meritoria de condigno, sed ex fidelitate tantùm Dei promittentis illis Incarnatio deberetur.

Ex quo sequitur, antiquos Patres non meruisse de condigno prædestinationem Incarnationis: hanc enim mereri minimè potuissent, nisi Incarnationem ipsam promerendo: immo maius aliquid est illam, quàm hanc mereri; sicut mereri prædestinationem, maius est quàm suam gloriam mereri: & ideò suam gloriam merentur homines; non verò suam prædestinationem: igitur si Patres Incarnationem Christi ex condigno mereri non potuerunt, neque illis possibile fuit prædestinationem Incarnationis condignè promereri.

D De Merito *verò cõgrui respectu Incarnationis*, de quo hoc tertio primę cõtrouersię huius partis membro differendum est, variæ sunt Theologorum opiniones, quas supra retulimus. Et quia duplex hìc est implicita difficultas: altera de merito Incarnationis secundùm se: & altera de merito prædestinationis eiusdem Incarnationis. Prius de Incarnatione, de qua loquitur tertia conclusio, agendum est. Deinde de eius prædestinatione differemus.

3. membrũ.

3. membri subdiuisio in duas partes, quarum prior est de Incarnatione.

Docet Autem hic S. D. *3. sua concl.* SS. Patres petendo & desiderando Incarnationem meruisse de congruo, quod etiam probatur ex eodem S. D. *in 2. 2. qu. 83. ar. 15.* dicente, orationes de

E necessarijs ad salutem mereri de congruo ipsis petentibus ea, quæ petunt; quia decet Deum illos exaudire: sed antiqui petebant Incarnationem; ergò. Minor probatur *Isai. 45. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Secundò probatur: quoniam antiqui per sancta desideria disponebantur ad recipiendum Christum: at talis dispositio secundùm D. Thom. est meritum de congruo: ergo. Et confirmatur; quia diuinam bonitatem decet non frustrare Sanctorum desideria de Incarnatione Verbi; propter quod vocatur Christus desiderium collium æternorum *Genes. 49. Donec veniret desiderium collium æternorum.* Quod etiam si-

SS. Patres meruisse de congruo Incarnationẽ filij Dei.

gnificat S.D. *3. sua conclus.* dicens, SS. Patres Incarnationem de congruo meruisse desiderando & petendo; quia congruum erat vt Deus exaudiret eos qui ei obediebant.

Posterior pars de prædestinatione Incarnationis.

ALTERA VERO pars quæ de merito quærit prædestinationis eiusdem mysterij, paulò difficilior est. Ad cuius euidentiam

Prædestinatio quid sit.

Notandum est primò ex D. Augustin. *in libr. de dono perseuerantiæ, cap. 14.* Prædestinationem esse præscientiam & præparationem beneficiorum Dei, qua certissimè liberantur quicumque liberantur; vel vt alibi dicit idem Augustinus & S. Thomas. Prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Nomine verò gratiæ & beneficiorum Dei intelligitur, tam gratia gratum faciens, quàm merita ex ea procedentia, & dona omnia & auxilia supernaturalia interna & externa: quibus veluti medijs & dispositionibus homo perducitur in vitam æternam.

Ordo prædestinationis.

Secundò sciendum est. In æterna Dei prædestinatione duplicem ordinem considerari: alterum scilicet secundùm intentionem: & alterum secundùm executionem. Postquam.n. Deus ante oēm præscientiam bonorum actuum & meritorum Petri elegit ipsum ad gloriam, constituit ad eam adipiscendam Petro dare merita cum perseuerantia, ad quæ ordinat gratiam cum auxilijs efficaciter cooperantibus: ad gratiam autem consequendam alia, quæ præuenientia dicuntur, decernit auxilia: & ideò secundùm ordinem intentionis loquendo, non solùm prædestinatio, vt est præparatio gloriæ in futuro, sed etiam vt est præparatio gratiæ pro præsenti vita, præcedit in signo rationis omnem præscientiam, & præuisionem bonorum operum & meritorum, quibus veluti causis, aut conditionibus, quæ ex parte hominis se teneant, possit homo gratiam aut etiam vitam æternam adipisci, vt ante probauimus & defendimus *in 1. p. quæst. 23. artic. 5. Controuers. 2.* Quod etiam egregiè præstat Aluarez *libr. 5. de Auxilijs diuinæ gratiæ, disput. at. 37.* At secundùm ordinem executionis prædestinatio Petri præsupponit volitionem, præscientiam & præuisionem omnium meritorum Petri: Præscientia verò meritorum supponit volitionem & præscientiam auxiliorum cooperantium siue præoperantium. Et hæc volitionem & præscientiam gratiæ gratum facientis, quæ præexigit volitionem & præscientiam vocationis, & aliorum auxiliorum, quæ vocabulo gratiæ præuenientis significantur.

Inuenitur autem hic ordo non solùm in executione reali prædestinationis, quæ fit in tempore; sed etiam in eadem executione prout est ab æterno à Deo mente præconcepta & volita: statuit enim Deus ab æterno hoc ordine Petri prædestinationem executioni mandare: vt scilicet primò ipsum vocaret & præpararet ad gratiam: Deinde illi gratiam conferret: Tertiò per auxilia efficacia ipsum moueret, & ei cooperaretur ad opera meritoria: Quartò muniret ipsum dono perseuerantiæ; & tandem ipsum ad felicissimam essentiæ diuinæ visionem eleuaret. In quo sensu, nimirum secundùm ordinem executionis multi Sanctorum de prædestinatione & electione loquentes, affirmant electionem fuisse factam à Deo secundùm præscientiam meritorum, quem ordinem expresè Christus Dominus significauit *Matth. 25.* referens ea verba, quæ ex æterna Dei præordinatione A ne dicturus est electis in iudicio tremendissimo: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; esurijui enim & dedistis mihi manducare*, &c. Prædestinationis autem nomen absolutè prolatum æternam Dei præparationem seu dispositionem secundùm ordinem intentionis significat: sic enim Patres & Scholastici communiter nomen prædestinationis vsurpant. Cùm igitur nullius hominis merita sint causa vel occasio suæ prædestinationis vel alienæ sic sumptæ, sequitur euidenter antiquos Patres, neque condignè neque congruè prædestinationem Incarnationis Christi meruisse simpliciter, & absolutè loquendo. E contra verò; quia merita, verbi gratia, Petri B sunt causa gloriæ, quam illi Deus in tempore propter eadem merita confert, in quo fit executio prædestinationis: ideò Petrus est causa suæ prædestinationis in executione positæ, quo ad vltimum eius effectum, qui est adeptio beatitudinis. vel (quod idem est) merita Petri sunt causa suæ electionis in executione positæ. Et oratio Stephani fuit de congruo meritoria totius prædestinationis Pauli quo ad executionem: meruit enim illi vocationem & auxilium efficax gratiæ præuenientis, & gratiam ipsum gratum facientem, & merita ex ea prouenientia, & præmium felicitatis æternæ. Sic igitur in proposito.

Patres antiquos secundum Dei potentiam ordinariam non potuisse congruè mereri prædestinationem Incarnationis, secundùm ordinem intentionis cōsideratam.

DICENDVM *est Patres antiquos, prædestinationem Incarnationis Christi secundum ordinem intentionis consideratam mereri etiam de congruo secundum Dei potentiam ordinariam minimè potuisse, sed eius executionem seu exhibitionem in tempore factam sanctis ac pijs suis desiderijs orationibus ac præparationibus bonorum operum congruè meruisse, & eandem per Dei potentiam absolutam secundùm intentionis ordinem mereri potuisse de congruo.* Et PRIMA quidem HVIVS DICTI PARS præter rationes omni prædestinationi communes hac etiam vt propria probari C potest. Quia prædestinatio Christi est causa prædestinationis & electionis omnium saluandorum efficiens, formalis & finalis: ergò Patres antiqui neque meruerunt neque mereri potuerunt prædestinationem Incarnationis Christi. Conseq. patet; nam alioquin idem respectu eiusdem & secundùm eandem rationem esset causa & effectus in eodem omnino genere causæ. Antecedens probatur 1. authoritate D. Thomæ *in 3. dist. 10. quæst. 3. artic. vnico, quæst. 3.* cuius verba sunt: *Prædestinationis nostræ causa efficiens est prædestinatio Christi; inquantùm ipse est mediator nostræ salutis, & formalis, inquantum in filios Dei ad imaginem eius prædestinamur: & finalis, inquantum nostra salus in eius gloriam redundat.* Idem, quamuis non ita distinctè docet S. Thom. *infra quæst. 24. art 4.* Secundò probatur idem antecedens, quo ad singulas D eius partes singulis dictis Apostoli. Nam ad *Ephes. 1.* dicit: *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*: Sed dictio *Per* denotat causam efficientem; sicut quando dicitur Pater operari per filium: igitur Christi prædestinatio est causa efficiens nostræ prædestinationis: Deinde Christi prædestinationem esse nostræ prædestinationis causam exemplarem affirmat Apostolus *ad Roman. 8. cap.* dicens: *Quos prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui* sed imago ad causam pertinet exemplarem; ergò. Denique Christi prædestinationem causam esse nostrę finalem docet idem Apost. *ad Eph. 4.* ab illis verbis: *Vnicuiq; autem nostrum data est* E

gra-

gratia secundum mensuram durationis Christi, vsque ad illa: *vt iã non simus paruuli*. Quæ loca notat S. D. *in allegata quæstiunc. 3.* Quibus addamus eiusdem Apost. testimonium *ex prima ad Cor. 3. c. Omnia enim* (inquit) *vestra sunt, siuè Paulus, siuè Apollo, siuè Cephas, siuè mundus, siuè vita, siuè mors, siuè præsentia, sinè futura; omnia enim vestra sunt; vos autem Christi: Christus autem Dei.* Quibus verbis significat homines, præsertim electos esse finem rerum omnium corporearum: hominum autem finem esse Christi Dei & hominis gloriam, ipsius autem Christi quatenus homo, finem esse Deum. Quamuis autem S. D. *in supra notata q. 3.* dicat: Prædestinationem nostrã quo ad id quod in ea æternum est, causam non habere, sed quo ad temporalem tantùm effectum: prout scilicet eius effectus producitur mediantibus aliquibus causis creatis; & ita Christi prædestinationem esse nostrę prædestinationis causam efficiẽtem, quatenus scilicet Christus mediator est nostræ salutis: hoc tamen intelligendum est de vera & propria causa realiter producente; atque adeo ab effectu per eam producto realiter distincta. Cum enim sit vnus actus simplicissimus diuinæ voluntatis & intellectus, quo Deus Christum & alios omnes electos ab æterno prædestinauit, nõ potuit actus, quo Deus Christum prædestinauit, illum actum causare, quo cæteri homines à Deo fuere prædestinati. Si verò de causa minus propriè ideſt de ratione volendi & prædestinandi sermo sit, congruè dici potest, non solũ Christi prædestinationem esse causam, ideſt rationẽ prædestinationis aliorum, sed etiam actum prædestinationis Christi esse quodammodo causam, id est rationem actus prædestinationis aliorum. Nam, vt diximus *in 1. p. q. 19. a. 5. Contr. 1.* licèt vnum bonum creatum non sit propriè & formaliter ratio Deo volendi aliud bonum creatum, vnum tamen bonum creatum potest esse ratio alteri bono creato, vt sit à Deo volitum, vt ibi declarauimus ex Cai. & Ferr. Deindè, sicut etiam ibi dictum est, distinguendo secundùm rationem plures in Deo volitiones haud absurdè dici potest Dei volitionem, prout ad vnum volitum terminatur, esse rationem seu causam virtualiter in essendo alterius diuinæ, volitionis, prout ad aliud volitum terminatur. Similiter itaque dici potest prædestinationem dupliciter esse causam meritoriam, ideſt rationem prædestinationis aliorum. Vno modo sumendo prædestinationem, tam Christi quàm aliorum passiuè: quem modum significat S. Th. *1. p. qu. 23. a. 2.* sic enim verum est dispositionem seu præparationem illam secundùm quam Christus vt homo, denominatur intrinsecè à Deo prædestinatus, esse rationem passiuè prædestinationis, ideſt dispositionis & præparationis, secundùm quam alij denominantur quasi intrinsecè à Deo prædestinati: Alio modo sumendo vtramque prædestinationem prout actio Dei est prædestinantis: sic enim Christi prædestinatio causa est virtualiter in essendo prædestinationis aliorum hominum saluandorum, quod alij significant alio modo dicentes; Christum meruisse nobis prædestinationem & efficacem electionem ad gloriam; non quidem quantùm ad absolutum ipsius actus prædestinantis: sed quantùm ad respectiuum quod connotat, seu quantùm ad terminationem ad aliquas personas, & ad tale vel tale obiectum secundarium. Quem dicendi modum sequitur & tuetur Alu. *l. 5. de auxilijs, disp. 89. Concl. 3.*

A SECVNDA PARS *dicti superius expręsi* est, Patres antiquæ legis pijs ac Sanctis suis desiderijs, petitionibus ac bonis operationibus executionem dominicæ Incarnationis congruè meruisse.

55. Patres executionẽ prædestinatæ Incarnationis congruè meruisse, sed Christũ sub priori & æterna ratione per modũ causæ finalis gratiam patribus meruisse, & patres per Dei potentiã absolutam Incarnationis prædestinationẽ secundũ ordinem intentionis mereri potuisse.

Ad cuius euidentiam *considerandum est primò*, quòd quamuis Incarnatio Christi in executione posita fuerit verè causa meritoria gratię iam antea Patribus antiquæ legis collatæ, non tamen gratiam in eis sub ea ratione & modo formali causauit, quo posita fuit in executione; sed sub alia priori & æterna ratione seu modo, quatenus scilicet ab æterno fuit à Deo præuisa & acceptata; & sermo est de Incarnatione Christi non precisè sed quatenus includit etiam ipsum Christũ & eius opera meritoria, ac præsertim passionem & sanguinis effusionem: quibus nos à peccato redemit, & iustis omnibus qui sunt fuerunt & futuri sunt gratiam & gloriam cum omnibus auxilijs & donis ad eam ordinatis condignè promeruit: & ideò *in Apoc. 13. cap.* Christus dicitur: *Agnus occisus ab origine mundi.* Et ex hoc agendi modo sũpsisse videntur occasionẽ plures Theologi dicendi Christum per modum causæ finalis gratiam Patribus meruisse: proprium enim causæ finalis est, vt ab agente præconcepta & eius intentioni præfixa moueat ipsum ad sui consecutionem. Ita S. D. *infra q. 61. a. 3. ad 1. & q. 62. a. 6.* & ibi Cai. & Astur. *pagina 489.* Quoniam itaq; Christi passio Patribus antiquis gratiam meruit & in eis causauit, non quatenus tunc existens, quæ est efficientis conditio, sed vt à Deo præuisa, & per eius voluntatem & intentionem ad humani generis redemptionem ordinata, & vt pretium secundum legem diuinæ iustitiæ sufficiens acceptata, qui modus causandi proprius est causæ finalis, ideò dici non incongruè potest, Christi Incarnationem & passionem gratiam antiquis Patribus meruisse per modum causæ finalis, licèt eius causalitas non fuerit propriè neque verè finalis sed efficiens moraliter; tunc quidem quasi mediatè, media scilicet diuini intellectus apprehensione & voluntatis ordinatione & acceptatione: postea verò etiam per se ipsam proximè & immediatè causando; quando scilicet actu fuit exhibita, veluti pretium redemptionis abundans, & vt meritum gratiæ & gloriæ filiorũ Dei. Quod exemplo satis accommodato ac facili declaratur. Est mercator qui merces alicui tribuit, nullum ab eo pretium aut obligationẽ soluendi recipiens, sed tamen certò sciens eius Patrem aut amicum tunc absentem: atque ideò nihil promittentem pro eo soluturum, cum venerit: & tandem Pater vel amicus eius, cui datæ sunt merces, veniens pretium totum liberè soluit mercatori. Sic itaque Deus instar mercatoris prætiosas Patribus contulit margaritas, remissionem scilicet peccatorum, gratiam filios Dei constituentem plurimis Spiritus sancti donis associatam, nullo ab eis aut ab alio recepto pretio vel obligatione, sed certò sciens tempore per ipsius infallibilem prouidentiam prædefinito Verbum, quod est secunda in Trinitate persona, humanitati fore secundùm hypostasim copulandum & pretium omne pro mercibus spiritualibus, quas antiqui Patres à Deo receperant, & omnes in humano genere iusti fuerant recepturi, plenè atque cumulatè soluturum: quod tandem susceptа nostræ carnis natura, Verbum DEI per passionem ac pœnam Crucis largissimè profuso sanguine veluti

infinito diuitiarum thesauro Deo persoluit. Sed antequam solueretur S S. Patres eius exhibitionem Sanctis suis desiderijs ac pijs operationibus congruè meruerunt.

Vltima demiq; pars dicti affirmans, antiquos Patres per Dei potentiam absolutam Incarnationis prædestinationem secundùm ordinem intentionis mereri potuisse, probatur; quia potuisset Deus gratiam patribus conferre sicut Angelis sine merito Christi: tunc autem per opera talis gratiæ in tempore facta, & ab æterno à Deo prædefinita & præuisa mereri potuissent Incarnationis prædestinationem, quo ad substantiam & circumstantias. Probatur hoc & explicatur: quia secũdùm ordinem iam à Deo prædefinitum nullus potest prædestinationem Incarnationis mereri; quia omne meritum est effectus prædestinationis Christi & nostræ; ergo si meritum aliquibus conferretur non causatũ ex Christi prædestinatione, posset Christi prędestinatio cadere sub eorum meritum.

Qua ratione potuerint sancti patres, non dato Christum incarnationem cõgrue promereri.

Secundò sciendum est, meritum congrui quo quis meretur alteri quodcunque donum à Deo conferendum, nihil ab eo dono tollere aut diminuere, quod ad rationem siuè modum pertineat gratuitæ collationis: quoniam vt ante diximus meritum congrui non regulatur per leges iustitiæ, sed per leges amicitiæ, quæ ratio est omnis gratuitæ collationis, tantùm abest vt eam tollat aut ex aliqua parte diminuat; quare meritum cõgrui quo Stephanus efficacem Paulo meruit vocationem & gratiam, nõ destruit aut minuit in vocatione rationem gratuiti, neque in ipsa prima gratia rationem gratiæ, sed magis eam statuit; cum ad eam secundũ leges amicitiæ conferendam moueat.

Ex quo sequitur primò, peccatorem gratiam à Deo postulantem aut etiam se ipsum ad eam ex diuina motione pręparantem non posse illam ex congruo promereri; eo quod amicitiam cum Deo nondum habeat, quæ prima radix est & cõditio necessaria ad aliquid merendum coram Deo.

Secundò sequitur, Patres antiquos pijs desiderijs & assiduis precibus Incarnationem Verbi & Christi redemptoris aduentum congruè meruisse; quia congruum erat, vt Deus amicis suis desiderantibus ac piè petentibus desiderata concederet; qua tamen saluis non solùm iustitiæ sed etiam amicitiæ legibus poterat denegare: atque ideò Patrũ merita nihil de ratione gratuitæ donationis, aut gratiæ, quæ summa est in sacrosancto mysterio Incarnationis, diminuere potuerunt. His adde, meritum hoc Sanctorum Patrũ nullam respectu Incarnationis dicere rationem debiti vel iustitiæ, sed dispositionem tantùm ad eam recipiendam; & ideò nulla absurditas est, si tale meritum in Patribus admittamus respectu sui principij; quia proprium & connaturale est dispositionibus vltimis ab ea forma causari, ad quam disponunt vt alibi declarauimus, & eadem ratione cum D. Augustino & D. Th. meritum congrui, prout solam dicit dispositionem, admittendum est in ordine ad primam gratiam; nõ autem vt dicit rationem debiti vel iustitiæ. Et quamuis, qui de condigno meretur causam, mereatur etiam id quod naturaliter & per se consequitur ad illam; non tamen qui de congruo tãtùm meretur causam aliquam liberè operantem, oportet vt eius effectum liberũ mereatur: quoniam effectu ille non per se cõsequitur ad talem causam: sicut si de congruo mereris gratiam Petro, qui per suas actiones liberas mereatur gratiã Paulo, non indè sequitur, te mereri de congruo gratiam Paulo: quod maximè verum est quando tali effectui libero repugnat cadere sub meritum sicut in proposito. Nam, quia ad Incarnationem redemptiuam, prout actu facta est, consequitur gratia sanatiua totius humanæ naturæ, Patres qui meruerunt Incarnationem eam vt causam gratiæ tantùm in communi meruerunt; non autem vt causam huius aut illius gratiæ collatæ Petro vel Ioanni in particulari; quoniam hic effectus non est Incarnationi connaturalis, sed est ei liberè coniunctus: & multò minus primam suam gratiam meruerunt; quoniam illi vt principio meriti repugnat cadere sub meritum: hoc tamen meritum congrui datum fuit à Deo Patribus ex meritis Christi ab æterno præuisis, quibus Christus in tempore congruentem illis ad Incarnationem meruit præparationem.

Tertiò sequitur, Christum non eodem modo, scilicet merito congrui meruisse aut mereri potuisse suam Incarnationem; primò, quia omne meritum Christi, cum sit infinitum in ratione meriti est ex perfecta iustitia; ac proindè non est meritum congrui sed cõdigni: ostendimus autẽ supra non fuisse possibile Christum vnionem suam hypostaticam scilicet Verbi cum humanitate, condignè mereri. Secundò, quia si Christus suam Incarnationem meruisset, ea ratione illam meruisset qua eiusdem meriti principium esset & causa, quod implicat contradictionem, vt supra diximus: Patres autem antiqui non ea ratione meruerunt Incarnationem, qua fuit principiũ gratiæ & meriti eorum, sed qua ratione tantùm eiusdem gratiæ & meriti fuit complementum & consummatio. Nam, vt scitè notat Asturicensis, non meruerunt Patres aduentum Christi sub ea ratione formali, qua fuit à Deo promissus siuè qua ratione fuit promissionis diuinæ completiuus, sicut nec mereri potuerunt, vt eiusdem Saluatoris aduentus illis à Deo promitteretur. Certum est autem Christi Incarnationem ea sola ratione fuisse principium gratiæ & omnis meriti S S. Patrum, qua fuit à Deo promissa & ipsius promissionis completiua: non autem quatenus fuit eiusdem gratiæ & meriti consummatio. Si namque nullum præcessisset in diuina mente decretum aut promissio de Verbi diuini Incarnatione propter humani generis redemptionem, gratia & merita Patrum non fuissent illis à Deo collata ex meritis Christi; & tamẽ eorũ gratia & merita per Christi gratiã & merita consummari debuissent: & ideò benè potuerunt S S. Patres pijs suis desiderijs & petitionibus Christum de congruo promereri, tanquam eorum gratiæ & meritorum consũmationem absq; hoc, quòd ipsum mererentur, prout fuit à Deo promissus aut diuinæ promissionis completiuus, quo solo modo fuit principium gratiæ & meriti Sanctorũ Patrum.

Vltimò notandum est: In æterna Dei voluntate & decreto de Incarnatione Verbi, nec explicitè claudi nec excludi respectum ad merita Sanctorum Patrum, qui tempore fuerunt ipsa Incarnatione priores; sed in eo quasi virtualiter & implicitè claudi; quia nimirum Deus Incarnationem Verbi pro redẽptione generis humani voluit vt sapienter & suauiter exequendam atque ideò voluit etiam implicitè ac virtualiter, vt eam multorum S S. vota & petitiones illius meritoriæ de congruo præcederent. Consequentia patet ex discursu D. Th. *supra q. 1. a. 5.* Vbi tres affert rationes ad probandum non fuisse conueniens Christum Incarnari ab initio mundi: ex quibus

quibus prima congruentiam affert ex desiderio & petitione remedij per ipsam Incarnationem futuri. Et ex his iam satis elucet, quomodo potuerint SS. Patres diuini Verbi Incarnationem mereri de congruo.

Secunda cõtrouersiæ pars. Quo sensu admitti possit Sanctos Patres Incarnationis accelerationem meruisse, aut meruisse potuisse.

SEQVITVR nunc SECVNDA CONTROVERSIAE pars inquirens, *an SS. Patres Incarnationis acceleratione meruerint aut mereri potuerint?* Quæ difficultas breuiter est expedienda.

Notandum est igitur primò, dictum hoc: Patres antiqui meruerunt accelerationem Incarnationis, triplicem sensum habere posse. *Primus* est, Patres antiquos meruisse vt Verbum Patris æterni nostram citius naturam assumeret, quam æterno diuinæ voluntatis decreto fuerat prædefinitum, priusquam nostro intelligendi modo Deus merita Patrum præuidisset. *Secundus* sensus est, Deum Incarnationem æterni Verbi decreuisse, antequam præuideret merita Patrum veteris testamenti; sed in eo signo rationis nullam temporis differentiam determinasse, in qua fieret Incarnatio, sed præuisis in posteriori signo rationis Patrum meritis certum illius executioni tempus determinasse: atque ita Patres accelerationem Incarnationis meruisse, quatenus vt in tali tempore fieret meruerunt. *Tertius* sensus est, Deum Incarnationem Verbi decreuisse cum omnibus circumstantijs, loci, temporis, personarum &c. Patres autem antiquos eius accelerationem meruisse; quia licet Deus in illo priori signo rationis nihil expresse cogitauerit aut decreuerit circa Patrum merita: ea tamen non excluſit, sed quasi implicite ac virtualiter voluit, quasi dispositionis & media ad executionem seu exhibitionem Incarnationis congruentia: & ideò in secundo signo rationis, in quo concepit ac prædefiniuit ordinem, quo decretum Incarnationis esset executioni mandandum, decreuit Patrum merita veluti dispositiones tantò mysterio ab hominibus obtinendo congruentes: Quatenus ergò Patres diuini Verbi Incarnationem cum circumstantijs omnibus, ac præsertim temporis meruerunt, dicuntur eius accelerationem meruisse; quia, scilicet meruerunt vt eo tempore fieret, quod ab æterno fuerat à Deo prædefinitum, nec longiore tempore tardaretur: *Et primus quidẽ sensus* manifestam continet absurditatem & errorem; quia mutationem inuoluit diuinæ volũtatis & prædefinitionis; affirmat enim Deum ante præuisa Patrum merita tempus decreuisse determinatum Incarnationis; sed meritis deinde præuisis in alio signo rationis aliud tempus Incarnationi futuræ constituisse. Falsum etiam esse dictum illud in sensu prædicto perspicue significat Apostolus *ad Galat.* quarto dicens: *Vbi venit plenitudine temporis misit Deus filium suum &c.* Plenitudo namque temporis nihil aliud significat, nisi partem illam temporis, in qua Deus ab æterno determinauit, vt filius humanitati iungeretur in vnitate personæ, quæ dicitur temporis plenitudo. Primò propter plenitudinem gretiarum quę in eo dantur. Secundò propter impletionem figurarum veteris testamenti: Tertiò propter impletionem promissorum. Quartò propter diuinam ordinationem in eo executioni mandatam: ab initio namq; mundi duratio temporis continuò fluens veluti imperfecta ad partem illam tendebat, vt ad totius præteriti temporis complementum, in qua filius Dei in assumpta carne, secundum Dei prædefinitionem erat hominibus exhibendus: non igitur ex meritis præuisis, sed ante omnia merita prædefinitum fuit à Deo tempus Incarnationis. Et quia dictũ illud: Patres antiqui meruerunt accelerationem Incarnationis, hunc veluti proprium ac planissimum efficit sensum; nimirum Patres meruisse vt Verbum citius carnem assumeret, quam fuerat à Deo prædefinitum: ideò simpliciter & absolutè loquendo negandum est Patres meruisse accelerationem Incarnationis Verbi diuini. Petitiones autem Patrum accelerationem Incarnationis sonantes vt *Psal. 11. Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit dominus*, & Isaiæ 4. *Vtinam dirumperes Cœlos, & descenderes.* Et aliæ similes accipiendæ sunt, vt significationes desiderij sanctorum conditionati, nimirum si fieri posset: eorum autem absoluta volũtas erat plenè diuinæ dispositioni cõformis.

Secundus verò sensus, quem approbat Vasq. *disp. 23. c. 5.* parum vel potius nihil habet probabilitatis, primò, quia prædestinatio pars est perfectissima diuinæ prouidentiæ, quæ rem quamlibet decreto futuram disponit secundùm omnes eius indiuiduas circumstantias loci, temporis, personarum &c. ergò Deus æterno suo decreto de Christi Incarnatione futura, quod præcessit in signo rationis præscientiam meritorum sanctorum Patrum, disposuit etiam de tempore determinato, in quo futura esset Incarnatio Verbi diuini. Certũ est autẽ, vt ante dixim⁹, decretũ diuinæ voluntatis esse penitus immutabile: non ergò potuerunt antiqui Patres accelerationem Incarnationis promereri. Secundò probo temporis determinationem non fuisse primò ex meritis Patrum præuisis, ita vt ante nullum esset Incarnationi tempus determinatum; quia secũdùm fidem asserendum est, merita Sanctorum Patrum à Deo præuisa fuisse, tanquàm in Christi meritis fundamentum habentia: at hoc verum esse non potest, si temporis determinatio fuit post merita Patrum à Deo præuisa; ergò. Minor probatur; quia merita Patrũ innitebãtur meritis Christi, non abstractè vel in communi consideratis, sed secundùm earum singularem & indiuiduam existentiam sumptis, prout scilicet Christi passio à Deo futura videbatur tali loco & tempore, & cum alijs singularibus circumstãtijs ad eius indiuiduam existentiam pertinentibus, igitur Patrum antiquorum merita præsupponebant Christi merita futura in tali temporis à Deo prædefinita differentia: ac proindè si non præexisteret in Christi meritis certa temporis determinatio, non posset illis inniti merita Patrum.

Solus itaque tertius sensus, quamquàm minus proprius, continet veritatem superius, cũ proponeretur, expressam, quam ita explicat Suar. *disput. 10. sect. 6. §. Dico quarto.* Aluar. *disput. 17.* & ex parte Vasq. *disp. 23. cap. 5.*

Tertia pars Controuersiæ.

TERTIA CONT. *pars* quærit *de circumstantijs Incarnationis.* Cui breuiter respondens dico, SS. Patres eisdem pijs desiderijs, precibus ac bonis operibus simul diuini Verbi Incarnationem & eius circumstantias de congruo meruisse. Ad cuius euidentiam *recolendum est*, quod supra diximus, nimirum Incarnationis vocabulo in præsenti materia comprehendi, non solum vnionẽ hypostaticam diuinæ personæ cum humana natura, sed etiam operationes omnes Christi meritorias ab ipso Incarnationis exordio, vsq; ad passionem & mortem inclusiuè. Nam de Incarnatione quæstio est, quatenus peccatorũ satisfactionẽ & humani generis redemptionẽ & salutẽ à Deo fuit ordinata. Incarnationẽ igitur ita cõsiderata, & omnes eius circumstantias Patres antiqui de cõgruo meruerũt: ac proindè singulas

Sanctos Patres omnes Incarnationis circumstantias cõgruè meruisse nõ quoad electionẽ, sed quoad executionẽ electionis æternæ.

Christi

Christi actiones, quibus nostram meruit redemptionem, & earum tempus determinatum cum ceteris circumstantijs, quibus erant futuræ & actu postea fuerunt in rerum natura meruerunt: non enim nudam aut abstractè sumptam, & minimè operatricem Incarnationem & Verbum ipsum Incarnatum, sed Christum vt redemptorem formaliter & Saluatorem Patres à Deo postulabant: constat autem Christum per omnes actus vitæ suæ coram Deo infinitè meritorios, veluti per vnum integrum meritum redemptionem & satisfactionem in eius passione & morte consummatam nos à peccati & Diaboli seruitute redemisse, Deo reconciliasse & nobis æternæ vitæ præmia meruisse. Cum itaque sic sumptam Incarnationem Patres à Deo postularent, eandem etiam hoc modo sumptam suis pijs desiderijs & petitionibus ac sanctis operibus à Deo cõgrue meruerunt; & quia singulariter existentem Incarnationem & Christum cum eius singularibus actibus à Deo petebant, quæ sine proprijs & indiuiduis circumstantijs esse non possunt: ideò singulas etiam horum omnium circumstantias Patres meruisse dicendum est: & de circumstantia quidem temporis certum est ex sacris litteris eam Patres frequenter à Deo postulasse; & consequenter etiam à Deo meruisse: personarum etiam circumstantias Patres meruisse diuina scriptura testatur *Gen. 22.* cum de merito obedientiæ Abrahę loquens ait: *Per memetipsum iuraui dicit Dominus; quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum &c. & benedicentur in semine tuo omnes gentes, quia obedisti voci meæ.* Quod autem ait Vasq. *in allegato 5. cap. disp. 25.* electionẽ, qua Deus elegit, vt Christus nasceretur ex semine Abrahæ fuisse ex meritis Abrahami, & non ex gratuita Dei volũtate & vocatione, & D. Th. *in 1. 2. q. 98. a. 4.* oppositum asserentem, intelligendum esse de meritis Abrahæ perfectis ex solo libero arbitrio ipsius, non autem de meritis ex gratia profectis, vt tandem reducat electionẽ semitis Abrahæ in gratiam Dei, qui ita voluit præuenire Abrahamum & ipsum talem efficere, vt ex illo congruè Christus nasceretur, falsum est & merum ac futile ipsius Vasquezij commẽtum; quia meritum congrui, vt ante diximus, fundatur in gratia & amicitia Dei; igitur ex solo libero arbitrio nullum est meritum coram Deo; ergo de merito ex gratia procedente loquitur S. D. Nec particula causalis, *quia*, denotat causam electionis, vt Christus ex semine Abrahæ nasceretur, sed denotat causam executionis diuini decreti, seu electionis ab æterno à Deo factæ, vt Christus ex semine Abrahę nasceretur: voluit enim Deus ab æterno ob suam solam bonitatem & misericordiam in primo signo rationis Christi Incarnationem cum omnibus circũstantijs; atque adeò vt esset ex semine Abrahæ: in secundo verò sine rationis voluit eam executioni mandari mediantibus meritis Abrahæ, & præcedente speciali quadam Iudaici populi sanctificatione, vt ait S. D. *in allegato artic. 4.* & ita factum est in tempore; quia Christi Domini natiuitatem præcesserunt Abrahæ merita, & specialis Israelitici populi sanctificatio: B. etiam Virginem de congruo meruisse, vt esset mater Dei, ostendimus cum D Th. & alijs *in sequenti Contr.* Cui etiam addi possunt Simeon & Anna, quos sacer textus indicat *Luc. 2.* de congruo meruisse videre Christum dominum, quid multò magis dicendum est de Ioseph, qui meruit esse Christi A nutritius & eius custos ac ductor in eius infantia, quando ex Iudæa fugit in Aegyptum, & inde rediit post mortem Herodis. Et quoniam ex dictis satis constat cæteras Incarnationis circũstantias eadem ratione, qua duæ prædictæ, sub meritum congrui SS. Patrum cadere debuisse, sufficient ea quæ pro huius tertiæ partis declaratione dicta sunt.

Vasquezij dictum confutatur.

Vltima controuersia pars. Respondetur quæstio negatiuè.

SVPEREST *postremò* QVARTA CONTROVERSIAE *pars* de meritis Patrum inquirens circa secundum Incarnationis effectum; *An Sancti Patres meruerint Incarnationem, quo ad secundũ eius effectum, scilicet aperitionem regni Cœlorum?* Cui satisfacit Ang. D. *in 3. dist. 18. q. 1. a. 6. q. 2. &* B *3.* negatiuè respondens; quam etiam partem probat discursus huius articuli: quia meritum puri hominis limitatur ad eius suppositum; sicut gratia adoptionis, à qua tale meritum procedit; alioquin esset gratia capitis in alios influens; at mereri Incarnationem quo ad aperitionem regni cęlestis est mereri alijs. Secundò probatur idem: quia Incarnatio, quo ad hunc & alios effectus est altioris ordinis, quàm meritum nostrũ; quia pertinet ad ordinem hypostaticum, & meritum nostrum vltra condignum præmiatur, si aperta semel ianua regni cęlestis conferatur pro illo beatitudo. Confirmatur; quia aliàs eadem ratione mereri potuissent Patres Incarnationem C vt dignificatiuam & reformatiuam totius vniuersi Patribus ipsis exceptis, & quatenus est in redemptionem aliorum, & vt per illam illuminantur Angeli; quia vt sic non fuit causa prædictorum meritorum. Tertio probatur idem; quoniam Incarnatio sic considerata tenet se ex parte principij meriti; quia vt sic tollit peccatũ: remissio verò peccati ad principium meriti pertinet; ergò non potest cadere sub meritum antiquorum. Alias probationes vide apud S. Thom. *loco supra notato, scilicet in 3 dist. 18. q. 1. a. 6. q. 2. & 3.*

Cõclusiones, deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *SS. Patres antiquæ legis, & illi qui fuerunt sub lege naturæ, non meruerunt condignè diuini Verbi Incarnationem secundum se, aut quo ad aperitionem regni cælestis.* Hæc patet ex dictis, & D probant eam Sanct. Doct. & eius expositores & Asturicensis *loco supra notato* multis argumentis.

SECVNDA CONCL. *SS. Patres per Dei potentiam ordinariam, aut etiam absolutam non potuerunt Incarnationem Verbi diuini condignè promereri.* Hæc patet ex dictis, & probat eam Suarez, *sect. 5.*

TERTIA CONCL. *SS. Patres simpliciter & absolutè loquendo Incarnationis prædestinationem aut electionem non meruere de congruo.* Hæc conclusio est contra Vasquezium, & patet ex dictis.

QVARTA CONCL. *SS. Patres pijs suis desi-* E *derijs, petitionibus ac bonis operibus de congruo meruerunt executionem, seu exhibitionem prædestinatæ ab æterno Incarnationis.* Probatur hæc conclusio ex principijs supra positis & explicatis. Nam meritum congrui duabus constituitur conditionibus: Prima est vt operans Dei gratiam habeat & amicitiam: Secunda, vt operetur formaliter aut virtualiter propter Deum summè dilectum: sed vtramque conditionem habebant SS. Patres antiquæ legis; vt patet ex sacris scripturis: ergò.

QVINTA CONCL. *SS. Patres non meruerunt ex condigno accelerationem Incarnationis.* Probatur; quia acceleratio Incarnationis est bonum vni-

vniuersale, ad quod non se extendit meritum de condigno personæ particularis; ergò. Secundò; quia gratia adoptionis & eius merita præmiantur vltra condignum per beatitudinem; sed acceleratio Incarnationis est ordinis hypostatici. & materialiter est idem cum ipsa Incarnatione, quæ est aliquid excellentius beatitudine; ergò merita Patrum respectu illius non habent condignitatem

SEXTA CONCL. *SS. Patres absolutè loquendo non meruerunt accelerationem Incarnationis.* Probatur ex dictis; quia mereri absolute Incarnationis accelerationem idem est quod mereri, vt filius Dei antè prædefinitum tempus à Deo, carnem assumeret; quod est impossibile vt ostendimus.

SEPTIMA CONCL. *SS. Patres non meruerũt acceleratione Incarnationis in eo sensu, videlicet, vt Deus in priori signo rationis Incarnationem prædefinierit absque vlla temporis circumstantia; & deinde in altero signo rationis præuiderit merita Patrum, & propterea determinauerit tempus Incarnationis.* Hæc patet ex dictis.

OCTAVA CONCL. *SS. Patres in eo sensu congruè dici possunt Incarnationem Verbi meruisse: Quia scilicet prædefinita per Dei prouidentiam in primo signo rationis Incarnatione cum omnibus circumstantijs postea in secundo rationis signo prædefiniuit ordinem, quo decretum Incarnationis esset executioni mandandum, & præordinauit Patrum merita veluti dispositiones, vt diuinissimum illud mysterium cum omnibus suis effectibus ab infinita Dei bonitate possent homines obtinere cum omnibus eius circumstantijs, ac præcipuè cum circumstantia temporis, vt scilicet coram Deo mererentur, vt eo tempore filius Dei nostram naturam assumeret, quod fuerat ab æterno prædefinitum, nec longius differretur.* Hæc patet ex dictis: nulla enim absurditas est id quod Deus ex æterna sua prouidentia & voluntate gratuita futurũ esse decreuerat in primo signo rationis, voluisse in altero signo rationis quandam aliam causam creatam & moralem habere, scilicet merita Patrum; quamquàm exigua valdè & inæqualia mysterio ac tanto præmio minimè digna.

VLTIMA CONCL. *SS. Patres circumstantias omnes Incarnationis cum ipsa congruè meruerũt.* Hæc patet ex dictis in vltima parte Controuersiæ.

Argumẽta, & solutiones. CONTRA *primam* concl. sunt argum. quæ afferunt & soluunt S. D. *hic* & Med. *super hoc a. dub. 2.*

Cont. 3. cõc. obi. 1. CONTRA *tertiam* concl. argum. Vasq. *Primò* Eodem modo philosophandum est de meritis respectu executionis & prædestinationis; ergò si Patres meruerunt de congruo executionem Incarnationnis filij Dei; etiam eius prædestinationem meruerunt, & è conuerso si non meruerunt Incarnationem neque meruerunt eius exe-

Nõ. cutionem. *Resp.* falsum esse antec. cuius falsitatẽ ostendimus *loco supra notato*, & vberius Aluar. *in allegato disp. 37.*

Obi. 2. *Secundò*: Si mysterium Incarnationis prædestinatum fuisset gratis, & non intuitu aliquorum meritorum, necessariò deberet in tempore fieri absque vllo intuitu meritorum; ergò. Probatur assumpta conditionalis; quia voluntas prædestinandi sine meritis efficax esset; ergò sola sufficeret sine alia causa vt haberet effectum in tempore; ergò.

Solut. *Resp.* fallam esse conditionalem assumptam: ad cuius probationem respondetur, antecedens posse duplicem habere sensum: *Primus est*, vt voluntas prædestinandi excludat omnia merita, A tam secundùm ordinem intentionis, quàm secũdùm ordinem executionis: & in hoc sensu falsũ est illud antecedens; quia licèt voluntas prædestinandi non includat volitionem meritorum in primò signo rationis, in quo consideratur solus ordo intentionis: includit tamen eam in secundo signo rationis; in quo attenditur ordo executionis, vt à Deo conceptus & volitus; & licèt in primo signo rationis non includatur in prædestinatione volitio meritorum explicitè; non tamen excluditur, vt supra notauimus. *Secundus* sensus est, vt voluntas prædestinandi, quo ad ordinem intentionis sit sine meritis explicitè B volitis: & in hoc sensu admisso antecedente negatur illatio; quia voluntas illa pro illo signo rationis, sicut merita non includit ita nec excludit; quæ tamen includit in secũdo signo, in quo intelligitur compleri ratio prædestinationis.

Obiectio: 3. *Tertiò*. Si mysterium hoc fuit prædestinatum non intuitu meritorum, sed ex sola Dei voluntate, fieri non potuit, vt ipsa merita postea in tempore exhibita vim aliquam haberent ad impetrandam Incarnationem; ita vt in executione ex meritis dari diceretur, quia ex priori illa voluntate in tempore fieret. *Resp.* antec. huius con- *Sol.* ditionalis, & totam ipsam conditionalem nõ esse diuersam ab illo antecedente, cuius sensum distinximus in præcedente responsione: & ideò C distinguendã esse eodẽ modo & in priori sensu negandum est voluntatem prædestinandi esse sine meritis: in secundo verò sensu admisso antecedente, neganda est consequentia. *Sed contra* resp. hanc militat aliud argumentum Vasq. quoniam diuersa est (inquit) ratio mediorum quæ physica dicuntur & moralium: nam phys. media reali actione conducunt ad consequendum finem constitutum: in intentione autem voluntatis prior est constitutio finis electione mediorum; contra verò in executione & effectione prior est efficacitas mediorum quàm consecutio finis; at media moralia, qualia sunt merita, non sunt media physica quæ actione aliqua reali ad consecutionem finis operentur, sicut D medicina operatur ad sanitatem, sed solum sunt causa consequendi finem per modum impetrationis relata ad voluntatem eius, qui confert alteri finẽ; ergo meritum nunquàm in tempore potest esse medium, nisi moueat voluntatem alicuius ad conferendum finem; ergo eadem merita debent præcedere in intentione; ergo Deus ita confert finem in tempore propter merita & ex meritis, vt eodem modo in æternitate non nisi ex præscientia illorum dare illum præfiniat. Prima consequentia patet. Secunda probatur; quia est eadem voluntas dandi in executione & in consultatione, & ab eodem moueri debet. Vltima verò consequentia probatur: Nam alioquin non esset eadem voluntas in Deo ab æter- E no prædefiniendi finem & in tempore dandi illũ.

Replica.

Respon. secundum ordinem intentionis loquendo, finem mediorum moralium dupliciter posse cõsiderari: *Vno modo* secũdùm se, prout scilicet est quoddã bonum appetibile à voluntate: & hoc modo nõ est finis, nisi radicaliter seu fundamẽtaliter; *Alio modo*, prout exercet actu rationẽ finis seu prout actu finalizat. Exempli gratia, Regnum à Cęsare appetitum dupliciter potest consideràri; vno modo vt quoddam bonum secundùm se: alio modo vt exerceat rationem finis; quatenus scilicet propter ipsũ appetitur amicitia Ciceronis apti ad persuadendũ, vt Cęsar acceptetur in regem, & fauor populi vel optimatum, ad quos spectat electio: & finis quidẽ primo mo-

Sol.

do sum-

do sumptus prius est volitus quàm secundo modo; prius enim Cæsar appetit regnum secùdùm se consideratum, quàm velit & eligat media ad ipsius acquisitionem ordinata; atque adeò quàm appetat Regnum, prout exercet rationem finis: Sic igitur secundùm ordinem intentionis Incarnatio, prius fuit à Deo volita, prout est quoddã bonum secundum se, & in ordine ad humani generis redemptionem. Deinde volita fuit vt finis meritorum Sanctorum Patrum: & ita merita Sãctorum Patrum fuere secundùm hunc ordinem posterius volita; at secundum ordinem executionis, vt sic, & effectionis moralis prius volita sunt Patrum merita quàm Incarnatio. *Ad cuius euidentiam scito*, medium morale longè aliter mouere voluntatem, quàm moueat finis; quoniam hic mouet vt finis, ideſt per modum causæ finalis, illud mouet per modum efficientis moralis ad finem ordinati: cõcipitur enim ab intellectu, vt bonum propter aliud: & ideò non mouet voluntatem ad sui appetitionem vt finis, sed vt medium ducens efficienter, non physicè sed moraliter ad finem assequendum. Cum autem dico, efficiens morale, dico efficiens media apprehensione & volitione eius propter finem, siuè vt ordinati ad finem consequendum: sicut ergò phys. media priora sunt in executione & effectione sua physica quàm cõsecutio finis, ita media moralia priora sunt in executione & effectione sua morali, quæ illis conuenit media apprehensione intellectus & appetione voluntatis, quàm consecutio finis; ac proindè secundùm ordinem executionis prius fuerunt volita Patrũ merita quàm Incarnatio. *Ad argum. itaque* admisso antec. cum prima conseq. dico secundàm consequentiam falsam esse, si consequens eius loquatur de prioritate secundùm ordinem intentionis. Ad cuius probationem respondetur eandem esse voluntatem dandi in executione & in consultatione secundùm rem, sed ratione diuersam; quoniam in intentione, id est prout vult finem, quatenus finis est prius vult finem quàm media: in executione verò vt executio est à Deo concepta & volita, prius vult media quàm finem; quia vult media vt efficientia respectu finis: prior est autem efficientia mediorum quàm assecutio finis. Nec verum est, voluntatem dandi in consultatione ab eodem moueri, à quo mouetur in executione: quia in consultatione mouetur à fine à quo veluti principio incipit consultatio: in executione verò prout executio distinguitur contra intentionem, mouetur voluntas à medijs effectiuè moraliter, vt ante diximus. Posset etiam breuiter dici eandem esse voluntatem, sed non esse eundem ordinem volitorum secundum intentionem & secundum executionem. Si autem sermo sit de prioritate secundùm ordinem executionis & effectionis moralis, & sumendo vocabulum intetnionis pro volitione, (cum intentio propriè non sit eius, quod est ad finem, sed potius finis) admissa illa secunda consequentia neganda est vltima; quoniam ex hoc, quod merita secundum ordinem executionis & effectionis moralis, quam habent media apprehensione & volitione, mouent voluntatem ad conferendum finem; atque ideò prius ordine executionis volita sunt, non sequitur in bona Metaphys. Deum in æternitate non prędefinire se finem daturum, nisi ex præscientia meritorum: sit enim transitus ab ordine executionis ad ordinem intentionis, vt patet: Verum est tamen, Deum ab æterno cõcepisse & voluisse ordinem illum executionis, qui fuit in tempore: voluit enim in secundo signo rationis merita Patrum vt quasdam medias causas morales Incarnationis, vt ante diximus: sed ex hoc non sequitur, Deum prædefiniisse se missurum filium ex præscientia meritorum: Ad probationem autem vltimæ consequentiæ neganda est illatio; ex dictis enim patet esse eandẽ Dei voluntatem, qua Deus ab æterno finem prędefiniuit, & vult ipsum priusquàm media. Et quia vult etiam ab æterno finem acquiri per media, quæ hoc ipso sint executionis ordine priora: ideò in eodem actu volitionis, necesse est distinguere diuersa signa rationis propter duos illos oppositos ordines, scilicet intentionis & executionis, qui nascuntur ex ipsis ordinatorum naturis, scilicet ex fine, & medijs: ille enim ex sua natura prior est intentione: posterior autem in executione vel assectione; hæc autem scilicet media suaptè natura priora sunt in executione: cum prius necesse sit ea agens habere quàm finẽ; eò quod per ea ducatur ad finem: sunt autem intentione posteriora; quia non nisi propter finem primò intentum sunt volita.

Cont 4 cõc. ob.

CONTRA *quartam concl.* sunt argum. quæ referunt & soluũt Med. *in fine Commentarij*. Suar. *disp. 10. sect. 6.* Astur. *in allegata q. 5. in resp. ad 4. argum. concl. 4. pag. 482.* & Aluar. *disp. 17.* Contra eandem concl. argum. Vasq. *cap. 4.* Primò: Quia S. Th. *hic ad 3.* concedit, B. Virginem meruisse maternitatem; negat autem meruisse Incarnationem: at S. Th. non concedit in B. Virgine meritum condigni respectu maternitatis; sed tantùm meritum congrui; ergò negat etiam meritum congrui in B. Virgine respectu Incarnationis; ac proindè multo magis illud negat in SS. Patribus.

Vasq. 10. disp.

Resp. primò. Valdè mirum esse, virum hunc audere suam opinionem imponere D. Th. qui tertia sua conclusione contrariã sententiam disertis verbis expresserat, quam etiam in vtroque scripto super sententias perspicuè docuit, vt videre est *in 3. dist. 4. q. 3. a. 1. ad 2. & 4. Et ad Anibaldum eadem dist. q. vnica, a. 4.* &c. *Secundò dico* D. Th. in illa responsione asserere B. Virginem condigne ex gratia sibi data illum puritatis & sanctitatis gradum meruisse, vt congruè posset esse mater Dei, vt etiam aduertit Med. *in fine Cõmentarij*, & ratione probari potest: quia argumentum gratię cadit sub meritum de condigno, vt patet ex doctrina D. Th. & expositorum *in 2. 2. q. 24. a. 6.* gradus autem puritatis & sanctitatis, quem sibi meruit B. Virgo, vt congruè posset esse mater Dei, ad augmentum gratiæ pertinet; ergò meriti de condigno præmium fuit.

Sol.

Secundò: Si antiqui Patres meruissent Incarnationis mysterium in executione, vno ex duobus modis illud meruissent, aut ex gratia ad hoc accepta à solo Deo non intuitu ipsius Christi & meritorum eius, sed sola liberalitate & misericordia ipsius Dei, aut ex gratia accepta à Deo intuitu Christi: at neutro modo SS. Patres meruerunt Incarnationem; ergò: Maior patet ex dictis: Minor, quo ad primam partem probatur; quia Patribus veteris testamenti nihil fuit gratiæ concessum, nisi ex meritis Christi: quo ad secũdam verò; quia sequeretur principium meriti cadere sub ipsum meritum, quod est absurdum; ergò nullo modo Patres antiqui Incarnationis mysterium meruerunt.

obi. 2.

Resp. principium meriti, ea ratione qua principium est, non cadere sub meritum; mysterium autem Incarnationis principium est omnis meriti SS. Patrum secundùm ordinem intentionis &

Sol.

nis & ad modum finis; prout scilicet fuit in intentione & prædestinatione Dei: & hoc modo consideratum non potuit cadere sub merita Sãctorum Patrum: at secundum ordinem executionis ab æterno à Deo conceptum & volitum ac in tempore factum, potuit vt præmium merita Patrum congrua terminare, vt satis ostendimus in præcedentibus. Et ratio præcipua est; quia meritum congrui non innititur iustitię sed gratiæ & amicitiæ; neque necesse est illud habere suaptè natura proportionem ad præmium aut rationem iustitiæ; & ideò non tollit aut diminuit rationem gratiæ, quæ illi datur vt præmiũ.

Replica. *Sed hanc respons. impugnat* Vasq. primò; quia mysterium Incarnationis fuit principium gratię & meriti SS. Patrum non solum in intentione & prædestinatione; sed etiam re ipsa futurum; ergò. Probatur antec. quia Incarnatio Christi fuit principium meriti antiquorum Patrum; quia gratia qua merebantur data est illis ex meritis Christi præuisis; at merita Christi præuideri nõ poterant; quin præuideretur ipse Christus, vt re ipsa & in executione futurus, & non solùm vt prædestinatus, & præuisio Christi futuram eius existẽtiam & non solùm prædestinationem supponebat; igitur Christus vt re ipsa & in executione futurus mouit Dei voluntatem, vt daret gratiam Patribus & fuit principium meriti ipsorum; ita vt non solum verè dicamus: Patres antiqui meruerunt & rectè operati sunt; quia Christus prædestinatus est; sed etiam quia Christus reipsa venturus erat: quo modo loquendi denotamus ex parte Christi venturi causam, non finalem sed meritoriam: è cõtra verò, nõ licèt dicere; ideò antiqui Patres operati sunt vel meruerunt, vt prædestinaretur Christus, aut vt re ipsa veniret; in quo denotaretur causa meritoria ex parte operum antiquorum Patrum; ergò.

Sol. *Huic argumento*, suppositis ijs, quæ latissimè diximus, *q. 1. a. 3. Controu. vnica*, respondetur præmissis tribus distinctionibus. *Prima distinctio est*: Incarnatio Christi siuè Christus ipse & eius merita, & similiter Patrum merita dupliciter possunt considerari: *Vno modo*, prout ab æterno sunt in mente diuina præconcepta & volita seu Prædefinita secundum vtrumque ordinem, scilicet intentionis & executionis: *Alio modo*, prout re ipsa producuntur in tempore. *Secunda distinctio* est: in vtraque causa, scilicet finali & effectiua morali duo consideramus, scilicet causalitatem & eius complementum. *Vltima distinctio* est: In causalitate finali duo consideramus, scilicet rationem finalizandi & hæc est esse in rerum natura, & conditionem causandi & hæc est esse in intentione: quæ duo conueniunt causæ finali toto eo tempore quo durat agentis actio: alioquin agens ageret & non propter finẽ. *Quibus præmissis.*

Dico primò, merita Christi & patrum gratiam & merita; quatenus à Deo sunt ab æterno præcõcepta, & præordinata secundùm ordinem executionis à Deo volitum, mutuam habere causalitatem efficientem moralem, & etiam finalem; quia nimirum vnum vt est à Deo volitũ, est alteri ratio, vt sit à Deo volitum; ita vt causalitas referatur ad obiecta volita; non autem ad volitionem, vel etiam vt referatur ad volitionem non secundum se, sed vt terminatur ad volita, vt explicauimus *in 1. p. q. 19. a. 5. Contro. 1.* Et causalitas quidem effectiua ex parte Christi & meritorum eius, perspicua est; quia bona opera Christi siuè merita præuisa fuerunt causa meritoria mouens quodãmodo effectiuè diuinã voluntatẽ ad volenda & prædefiniẽda Patrũ merita, vt dispositiones ad exhibitionem Christi & meritorũ eius ordinata. Causalitas verò finalis ex eo patet, quod Christi gloria finis est totius ordinis gratiæ & meritorum puræ creaturæ, vt ostendimus, *q. 1. a. 3. Contr. vnica.* Gratiæ verò & meritis Sãctorum Patrum causalitas cõuenit effectiua moralis respectu Christi & meritorum eius, hoc ipso quod illis meritis Patres Christi merentur Incarnationem; quia causa meritoria est efficiens causa moralis. Sed quoniam, vt supra diximus, merita Patrum rationem habent dispositionis respectu Incarnationis; ideò comparantur ad eã, magis vt causæ materiales in genere moris, quàm vt causæ efficientes morales. Et quoniam vt *in allegata Contro.* diximus reparatio & exaltatio humanæ naturæ finis est Incarnationis immediatus ac proximus, licèt secundarius; ideò gratia & merita Sanctorum Patrum quandam habent finalem causalitatẽ respectu Incarnationis Christi & meritorum eius. Vt autem *in dicta Contro.* notauimus, causa finalis secundùm propriã causalitatem mouet immediatè; secundùm effectiuam autem causalitatem mouet medio agente ab ipsa finaliter moto. Sic igitur Incarnatio Christi secundùm ordinem intentionis mouet Deum finaliter & immediatè ad sui volitionem, & etiam ad volenda ea quæ ad ipsam vt ad finem ordinantur, qualia sunt gratia & merita Patrum. Secundùm ordinem autem executionis eadem Incarnatio mouet effectiuè mediante agente scilicet Deo operante Incarnationem & inclinante Patrum voluntates efficaciter ad opera meritoria. Sed Patrum merita, quia secundum vtrumque genus causalitatis à Christi Incarnatione vt principali causa dependent, & non sunt eius finis principalis sed secundarius, verè dici non possunt mouere Dei voluntatem immediatè ad volendum & præfiniendum Incarnationis mysterium; iam enim fuerat à Deo volitum, vt finis præcipuus totius ordinis gratiæ; sed dici possunt Patrum merita voluntatem quodammodo mouere ad executionem dicti mysterij iam ab ęterno prædefiniti; atque ita immediatè mouere, tã per modum finis quàm per modum etiam efficientis moralis; vel magis concurrere per modũ dispositionis: quatenus scilicet apud Deum immediatè merentur Incarnationem de congruo; atque ita mouent Dei voluntatem ad efficiendũ Incarnationis mysterium: Et quoniam hæc effectio Dei physica est; ideò dici possunt etiam Patrum merita à Deo volita & intenta, vt finis Incarnationis secundarius mouere ad effectionem physicam mediatè.

Secundò dico, Patrum merita prout sunt iã re ipsa producta, esse causas moraliter; quamuis nõ efficaciter effectiuas Incarnationis futurę, & post eorum seculum & mortem à Deo productæ: hoc patet quia Patres pijs suis desiderijs ac precibus vt meritis de congruo apud Deum meruerũt, vt Dei filius tali tempore nostram assumeret humanitatem: iam autem diximus causam meritoriã esse causam effectiuam moralem.

Tertiò dico, Incarnationem actu iam factã fuisse causam effectiuam moralem meritorũ SS. Patrum, quo ad eorum perfectionem & complementũ, quod habuerũt ex gratia Christi capitali.

Quartò dico, eandem Incarnationem Christi iam factam non causasse tunc actu effectiuè gratiam, & merita Patrum quo ad eorum substantiam propriè loquendo, sed antiquam suam respectu eorum cõplesse causalitatem. Prima pars probatur; quia causæ in actu respondet effectus in actu; qui scilicet actu saltem dispositiuè procedat

cedat à causa: tempore autem Incarnationis iam erant producta Patrum merita: Secunda verò pars probatur; quia tunc Christus Deo sua obtulit merita, quorum respectu iam antea Deus antiquis Patribus gratiam infuderat: qua congruè possent Incarnationis mysterium promereri.

Quintò dico, eandem Christi Incarnationem actu productam actu finalizasse Patrum merita ad eam, vt finem obtinendam ordinata, non quia tunc incipiat actu finalizare; nam ab æterno vt à Deo prædefinita, tanquàm finis gratiæ & meriti SS. Patrum finalizabat; & multò magis positis in actu meritis Sanctorum Patrum ad eam, vt ad finem ordinatis: sed ideò finalizauit actu producta; quia actum finalizandi compleuit. Legenda sunt ea, quæ latè & subtiliter scribit Cai. & alij post eum *in 1. 2. q. 1. a. 1.* de causalitate finali.

Ad argum. in forma, dico primò; Mysterium Incarnationis futurum, id est secundùm esse in rerum natura, quod ab æterno non erat; & tamen suo modo causabat finaliter & effectiuè moraliter, vt ante diximus, fuisse principium gratiæ & meriti Sanctorum Patrum vtroque modo, scilicet finaliter & effectiuè moraliter, pro tempore tamen à Deo prædefinito. Nec tamen sequitur, Patres non meruisse de congruo Incarnationem secundùm eius substantiam & quo ad complementum causalitatis effectiuè ipsius Incarnationis; & quatenus per eam complenda erant gratia & merita Patrum: & secundùm hoc falsa est argumenti consequentia; quia non implicat contradictionem, mysterium Incarnationis esse causam moraliter effectiuam gratiæ & meritorum Patrum, antequam essent Patres, aut eorum merita; & Patres mereri Incarnationem, vt est cõpletiua gratiæ, & meritorum: sic enim non est principium gratiæ & meritorum, sed quasi terminus & perfectio: Probatio verò antecedentis hoc solum euincit, quod Incarnatio Christi secundùm esse reale in rerum natura fuerit principium gratiæ & meritorum Patrum, non vt ea primò causans; quia iam erant causata; sed vt suã circa ea iam producta complens causalitatem. Iam autem diximus Patrum gratiam & merita fuisse producta, quo ad eorum substantiam non autem quo ad complementum, quod solùm habere potuerunt post exhibitum Incarnationis mysterium: & circa hoc versantur Patrum merita: & secundùm hoc dici possunt meruisse Incarnationem; & vt Christus re ipsa veniret, vt actũ merendi compleret, per actualem operationum exhibitionem & vt gratiæ & meritis Patrum vltimum afferret complementum. *Secundò respond.* nullum inconueniens esse, Patres meruisse de cõgruo Incarnationem, & merita Christi nondum actu exhibita fuisse, & tamẽ gratiam & merita Patrum eis fuisse data ex meritis Christi gratis prędestinatis & præuisis; quia meritum congrui nõ repugnat gratiæ. Et rursus non meruerunt Incarnationem secundùm eam rationem, qua fuit principium gratiæ & meriti Sanctorum Patrum, vt ante diximus.

Replica 2. *Secundò arguit eandem responsionem:* Quoniam hoc est discrimen inter causam efficientem physicam, seu media physicè operantia ad consecutionem finis, & causam meritoriam seu merita ipsa, quæ sunt causa mercedis, quòd causæ & media quæ physicè operantur ad consequutionem finis re ipsa attingunt efficacitate sua finem ipsum, neque operantur in illum mouendo aliquam voluntatem, & ita in executione sunt priora ipso fine; licèt finis fuerit prior in intentione, id est in voluntate operãtis: at vero merita, quæ sunt media moralia, nunquã operantur re ipsa ad finis consecutionem, nisi mouendo voluntatem alicuius; ergò, siuè in intentione, siuè in executione, semper merita præcedere debent retributionem; ergò, si merita Sanctorum Patrum fuerunt causa moralis Incarnationis, ac proindè meritorum Christi, quæ ex ipsa Incarnatione ortum habuerunt, sequitur fuisse causam, tam in æterna electione quàm in executione, quasi mouendo voluntatẽ Dei ad prædestinandum mysterium Incarnationis in præscientia, & in tempore illud faciendi; ergò non possumus dicere, mysterium Incarnationis fuisse prius in intentione quàm merita Sanctorum Patrum, & posterius illis in execu- Sol.
tione, &c. *Resp.* falsam esse primam conseq. quia res apprehensa & volita dupliciter potest mouere voluntatem ad aliquid aliud volendum: *Vno modo* per modum finis, qui mouet ad electionẽ eorum, quæ fini consequendo sunt idonea: *alio modo*, per modum medij moraliter efficientis, quod mouet voluntatem alterius ad aliquid efficiendum in actu, puta ad retribuendam mercedem benè merenti: vel etiam ad gratiam alteri concedendam: primo modò scilicet per modum finis Incarnatio siuè Christus cum omnibus suis perfectionibus ac meritis mouet Dei voluntatẽ ad gratiam & merita Patribus concedenda, & etiam secundo modo non quomodocunque, sed vt prima causa effectiua in genere causæ meritoriæ: Merita verò Patrum, mouerunt Dei voluntatem dupliciter; *Primò* vt finis secundarius Incarnationis præuentus ab ipsa Incarnatione, vt fine principali gratiæ & meriti Sanctorum Patrum; atque ideò non potuit mouere ad electionem, aut prædestinationem Incarnationis; quæ iam in primo signo rationis intelligitur à Deo prædefinita. *Secundò* mouerunt Dei voluntatem moraliter effectiuè ad exhibendum Incarnationis mysterium cum omnibus eius perfectionibus & meritis: quæ motio manifestè pertinet ad ordinem executionis: quemadmodum enim causa physica exequendo præconceptum ac prędefinitum ordinem reali sua efficacitate finem attingit; ita causa moraliter efficiens exequendo præconceptum ordinem media conceptione & volitione, quam de ipsa habet; non ipsa causa moralis, sed aliud, attingit effectum: exempli gratia: Princeps vult ciuitatem ab hostibus captam recuperare, ad hunc finem bonum esse iudicat vti opera cuiusdam strenuissimi Ducis; & vt suauius ac melius agat negotium, vult sibi à populo captiuo preces porrigi, vt strenuum illum Ducem ad eum ab inimici tirannide liberandum mittat, & ita demum exequendum esse decreuit. In hoc exemplo manifestè constat preces à populo captiuo porrectas non mouere finaliter animum Principis, nec habere rationem principij secundùm ordinem intentionis, nec esse causam mouentem effectiuè animum Principis ad eligendum Ducem illum, sed esse tantùm causam motiuam moralem ad exhibendum Ducem iam electum: quia scilicet preces illæ apprehensæ, & iam antea volitè mouent, vt media ad hunc finem electa Principis animum ad exhibendum actu, quod medijs populi precibus exhibere decreuerat; atque ita preces media principis voluntate per eas mota causant effectiuè exhibitionem ducis, & sunt illa priores secundùm ordinem executionis; posteriores autem secundùm ordinẽ intentionis: sic in proposito, &c.

Alia

Alia eiusdem authoris argumenta ex prænotatis facilè diluuntur.

Cont. eandē cōc. Obi. 1. *Contra eandem concl.* argum. Pesantius: *primò*; quia Fulg. *lib. de Incarnatione, cap. 7.* Glossa. *in Psal. 73.* Hierony. *Dialogo primo contra Pelag.* & alij ex Patribus negant absolutè Incarnationem factam esse ex meritis; ergò videtur excludere

Sol. omne meritum etiam de congruo. *Resp.* SS. Patres loqui de merito simpliciter & propriè dicto, quod est meritum ex condigno; & ideò falsa est argumenti consequentia.

Obi. 2. *Secundò*, Augustt. *de Prædestinatione SS. c. 15.* vult Incarnationem ita esse factam gratis, sicut gratis datur gratia: at hæc datur sine vllis meri-

Sol. tis etiam de congruo; ergò. *Resp.* Augustt. loqui de Incarnatione in ordine ad merita Christi; nō autem in ordine ad merita SS. Patrum: & ita currit similitudo, vt quēadmodū nullus potest etiā de congruo sibi mereri primam gratiam, sed alteri; ita Christus sibi non meruerit Incarnationem, quam SS. Patres congruè meruerunt; non quidem illi sed sibi & humano generi.

Obi. 3. *Tertiò*: Deus propter merita Christi mouetur ad dandam gratiam antiquis Patribus & merita non sunt, nisi solùm existentia in præscientia Dei; ergò necesse est, vt fuerint præuisa futura independenter à meritis Sanctorum Patrum; ergò hæc non potuerunt esse illius meritoria. Probatur prima consequentia: quia nunquā id quod est prius causalitate, posterius est in eodem genere causæ, etiam quo ad executionem; sed semper in eodem genere prius est, licèt possit esse posterius empore, vel in aliquo alio genere; vt patet in sanitate, quæ semper tam in intentione, quàm in executione prior est medicina in genere causæ finalis; posterior autem vtroque modo

Sol. in genere causæ efficientis. *Resp.* nullam esse primam consequentiam, si sermo sit in consequente de dependentia Christi, & meritorum eius à meritis Patrum secundùm omnem rationem, & modum dependentiæ sumendo latè dependentiam, prout etiam id quod ex merito congrui veluti ex causa datur, dici potest ab eis dependere, quo ad eius acquisitionem à merēte. Ad probationem consequentiæ negatur antecedens loquendo de eadem re secundum diuersam rationem & modum dependentiæ, vt patet ex dictis: nulla enim repugnantia est merita SS. Patrum quo ad substantiam dependere à meritis Christi in genere causæ meritoriæ merito condigni; & eadem merita esse congruè meritoria aduentus Christi & meritorum eius, quatenus hæc merita completiua sunt gratiæ & meriti SS. Patrum; atque ita diuersa ratione esse priora & posteriora. Vel dicas merita sanctorum Patrum esse dispositionem ad Saluatorem à Deo missum recipiendum.

Obi. 4. *Quartò*: Si SS. Patres meruerunt Incarnationem; sequitur post lapsum hominis sibi meruisse habere redemptionem; ergò primum principium redemptionis nō esset ex Deo sed ex no-

Solut. bis, quod est Pelagianum. *Resp.* nullam esse conseq. quia gratia qua meruerunt ex congruo sancti Patres Incarnationem, erat à Deo & ex meritis Christi; nec innitebantur merita Patrum iustitiæ sed beneuolentiæ Dei: & ideò nec tollunt nec minuunt rationem gratiæ in beneficio redemptionis.

Contra *sextam* concl. sunt plura loca diuinæ scripturæ, quæ referunt & exponunt Suarez *d. sp. 10. sect. 6.* & Asturicensis *in alleg. quæst. 5. pag. 475.* Hæc verò sunt. Psal. 11. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus.* Psal. 71. *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ.* Isaiæ 4 *Vtinam dirumperes Cœlos, & descenderes.* Et capit. 51. *Cito veniet salus tua.* Abacuch 2. *Veniens veniet, & non tardabit.* Daniel. 9. *Septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ sunt*, &c. Quæ omnia de acceleratione in sensu septimæ conclusionis sunt intelligenda

Contra *Vltimam concl.* argum. Rada: Si *Obi. cont. vlt. concl.* liceret asserere Abraham & Dauid meruisse de congruo vt fieret illis specialis de Christo promissio, & B. Virginem vt congruè disponeretur ad Christi conceptionem, simili ratione liceret affirmare populum Hebræorum meruisse, vt ipsum Deus in populum peculiarem eligeret contra illud, *Deuter. 9. Neque enim propter iustitias tuas*, &c. Et *confirmatur*; quia iam *Conf.* omnes circumstantiæ Incarnationis ante præuisa merita Patrum fuerant à Deo prædefinitæ; ergò. Probatur antecedens; quia per specialem gratiam ordinabantur illis Patres antiqui vt se disponerent congruè ad Incarnationem, scilicet Abraham & Dauid, vt fieret illis specialis de Christo repromissio, & beata Virgo vt cōgruè disponeretur ad Christi conceptionem; ergò illa gratia supponebat electionem ad hęc munera, quæ sunt Incarnationis circumstantiæ; ergò hæc electio non cecidit sub meritum; sed potius ipsum meritum ab ea processit. Secundò: quia homines non se disposuerunt ad susceptionem Incarnationis tali tempore, potius quàm alio, nisi per auxilium gratiæ omnia merita præcedens: sed quod hoc auxilium datum fuerit potius hoc tempore quàm alio ex sola Dei voluntate processit; ergò prima temporis prædefinitio, quo Christus incarnari debuit; non fuit ex meritis hominum præuisis, sed ex sola Dei voluntate: idemque de alijs Incarnationis circumstantijs dicendum est. *Respond.* nullam esse *Sol.* consequentiam; quia plus est mereri electionem, quàm rem ipsam electam: nos autem non asserimus sanctos Patres meruisse electionem, aut prędestinationem circumstantiarum; sed ipsas circumstantias iam à Deo prædefinitas. *Ad confirma-* *Ad Conf.* *tionem* negatur consequentia; quia potest eadem res fieri pluribus titulis debita, & vt talis ijs quibus debita est exhiberi; vt supra diximus de gloria corporis Christi, quæ illi debebatur ex animæ gloria; ex qua naturaliter sequebatur; & tamen facta est illi debita ex merito passionis. Sic Incarnatio Verbi diuini cum omnibus circumstantijs nobis à Deo ex diuina & æterna prædefinitione, veluti causa principali debebatur: & tamen voluit eam alio titulo nobis deberi, scilicet ex merito congrui, veluti medio ad eam suauiter hominibus exhibendam.

Tertia Controversia.

An Beata Virgo condignè, aut congruè meruerit esse Mater Dei?

Quidam ex antiquis Theologis, quos refe- *Sententiæ* runt hic recentiores, affirmarunt Beatam *Doctorum.* Virginem meruisse de condigno esse matrem Dei; ex his præcipui sunt Gab. *in 3. dist. 4. q. vnica, art. 3. dub. 3.* Almainus *q. 1. dub. 3.* Maior *q. 4. in fine*, & Abul. *Paradoxo 1. c. 34. & 38.* Alij verò antiquiores moderatius se loqui putantes dicunt Beatam Virginem non de condigno, sed de digno maternitatē sibi diuinā meruisse: ita S.

Bonau. *in 3. dist. 4. a. 2. q. 2.* & ibi Ricard. *a. 3. q. 1.* & Marsil. *q. 5. a. 3. dub. 1. concl. 2. & 3.* Val. *puncto vlt. huius q.* duo dicit: *Primum* est B. Virginem ex congruo tantùm Incarnationem; ac proinde etiam eodem modo diuinam maternitatem meruisse; & meritum hoc in pijs actionibus Virginis fuisse, non vt habebant vim à donis gratiæ; atque adeò ab ipsa Incarnatione diuinitus præuisa, tanquàm à prima donorum omnium radice, sed vt ipse erant rectæ ac bonæ moraliter. *Secundum* est; Hoc ipso quod B. Virgo, & alij SS. meruerunt de congruo Incarnationem, ipsam meruisse quoque per eadem opera à Deo præuisa, vt Deus præordinaret & vellet mysteriũ Incarnationis peragere. Eandem sententiam sequitur Vasq. *disp. 23. a. 1. cap. vsque ad 4. inclusiuè.*

Suar. dicit nouem. *Primum* est Beatis. Virginem fuisse condignè dispositam vt esset mater Dei. *Secundum* Beatis. Virg. consecutam esse hãc dispositionem, partim ex sola diuina gratia eam præueniente, partim per opera sua & merita de condigno. *Tertium* est B. Virginem non meruisse de condigno esse matrem Dei. *Quartum* est B. Virginem per Dei potentiam absolutam potuisse dictam maternitatem condignè promereri; si videlicet intercederet pactum seu promissio de tali præmio conferendo. *Quintum* est tertium dictum esse quidẽ magis probabile & simpliciter verum; sed contrariam sententiam nulla nota esse dignam, præterquàm minoris probabilitatis & falsitatis. *Sextum* est non potuisse B. Virginem de condigno mereri maternitatem simpliciter & absolutè, non merendo de condigno Incarnationem. *Septimum* est potuisse Beatam Virginem mereri ex condigno maternitatem, quasi sub conditione seu facta suppositione, quòd Deus sit futurus homo, non merendo ex condigno Incarnationem. *Octauum* est Beatã Virginem non meruisse de congruo, vt prædestinaretur seu eligeretur in matrem. *Vltimum* est B. Virginem meruisse de congruo vt esset mater Dei.

Magister Porrecta *circa respon. ad 3.* ait: aliud esse mereri Deum Incarnari, & aliud esse mereri ipsum ex mera bonitate sua incarnandum recipere in vtero proprio virginali, portare, parere, lactare & fouere more matris debito; & de hoc secundo merito, non de primo Ecclesiam loqui; cum prædicat illam meruisse dominum portare. Videtur autem hic expositor loqui de merito condigni; nam de merito congrui S. D. *3. sua cõcl.* affirmat in textu SS. Patres, ac proindè multò magis B. Virginem Incarnationem desiderãdo & petendo meruisse.

Med. *super hoc a.* dicit quinque. *Primum est* B. Virginem non meruisse de condigno esse matrem Dei. *Secundum* est oppositam sententiam non esse satis tutam in fide. *Tertium* est eam opinionem esse friuolam & periculosam in fide, quę dicit B. Virginem non meruisse absolutè Incarnationem merito condigni, sed suppositа prædestinatione diuina & sub conditione. *Quartum* est B. Virginem meruisse de congruo Incarnationem & illam ineffabilem dignitatem, vt esset mater Dei. *Vltimum* est B. Virginem de condigno meruisse eum puritatis & sanctitatis gradum, vt congruè esset mater Dei.

Asturicensis à Medina discordat in tertio, & 4. dicto: ait enim sententiam illam oppositam posse defendi salua fide & absque vllo erroris periculo; in alijs cum eo conuenit. Quibus etiam consentit Aluarez, & alij Thomistæ communiter, & colliguntur ex littera præsentis articuli.

Resolutio. Meritum condigni quã congrui, quod vtrique est, in solis actionibus naturalibus positiũ esse.

RECOLENDA *est hic in primis* distinctio meriti superius explicata; nimirum duplex esse meritum: alterum ex condigno: & alterum ex congruo. Sed præterea supra *q. 1. a. 2. Contro. 2.* meritum ex condigno diximus esse duplex: alterũ ex toto rigore iustitiæ: alterum autem diuinam præsupponens misericordiam & gratiam gratificantem & acceptantem opus, vt sit Deo acceptum in ordine ad præmium. Denique meritum ex congruo tripliciter dicitur: primò per affectionem rei eo modo quo Crux dicitur meruisse portare talentum mundi. Et de bono Latrone dicitur, quod meruit indulgentiam ideſt obtinuit. Huius acceptionis plura exempla vide apud Canisium *lib. 2. de Deipara, cap. 16.* Secundò dicitur meritum congrui dispositio proxima & supernaturalis ad aliquod donum Dei supernaturale recipiendum, vt explicauimus *in præcedenti Controu.* Et his duobus modis satis impropriè dicitur meritum congrui. Tertiò itaque dicitur propriè meritum congrui operatio supernaturalis, cui non secundum leges iustitiæ, sed secũdùm leges amicitiæ conuenit retributio præmij; vt supra declarauimus cum D. Th. & ad hoc mẽbrum videtur pertinere meritum digni, quod statuunt Ricard. & Bonau. quamuis alij fortasse nomine talis meriti intendant meritum illud ex condigno, quod non est ex toto rigore iustitiæ.

Secundò notandum est, meritum non solum condigni sed etiam congrui propriè sumptum respectu præmij supernaturalis in solis actibus consistere supernaturalibus, vt probat S. D. *in 1. 2. quæst. 109. art. 5.* Vbi loquens de merito in cõmuni, prout extenditur ad meritum condigni & congrui, vt notat ibi Conr. docet, hominem non posse per sua naturalia, sed per gratiam tantùm mereri vitam æternam, quod probat: Quia nullus actus excedit proportionem principij actiui: vita æterna est finis excedens proportionem naturæ humanæ; ergo non potest homo per sua naturalia producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ; ergò requiritur altior virtus, quæ est virtus gratiæ. Probat maiorem; quia videmus in rebus naturalibus, nullam rem posse perficere effectum per suam operationem; qui excedat virtutem actiuam; sed operatione sua solùm potest effectum producere suæ virtuti proportionatum. Quo etiam medio probat eandem conclusionem *eodem lib. quæst. 114. artic. 2.* Igitur meritum illud, quod habuit Beata Virgo respectu maternitatis, fuit tantum per actus supernaturales, vt etiam affirmant Hieronymus *Epist. 12. de custodia virginitatis ad finem.* Anselmus *de Laudibus Virginis, cap. 8.* Ambrosius *Epist. 32.* Bernard. *serm. 4. de assumptione.* & Chrysost. *Hom. 49. in Gen.* & Maxentius *Dialogo 1. cap. 12.* ait; Mariam fide plenam Deum meruisse concipere. Et Augustin. *lib. de Natura, & gratia, cap. 36.* Petrus Damianus *in serm. 2. de Assumptione* docent; B. Virginem id meruisse ex abundantia gratiæ, & Greg. *lib 1. reg. cap. 1.* ait id meruisse per merita excellentiora meritis Angelorum. Cum itaque abundantia gratiæ & merita excellentiora meritis Angelorum sint supernaturalia ex Dei auxilio supernaturali deriuata; sequitur etiam merita Beatę Virginis quibus diuinam meruit maternitatem, fuisse supernaturalia.

Beatissimã Virginem

Tertiò sciendum est, aliud esse loqui de merito maternitatis, & aliud de merito talis gradus

condignè sibi meruisse dispositionem ad maternitatem, non autè ipsam maternitatem.

dus puritatis & sanctitatis, quo B. Virgo congruè posset esse mater Dei: sicut etiam aliud est loqui de acquisitione formæ, & aliud est loqui de acquisitione dispositionis ad formam: talis enim gradus puritatis &c. qui est congrua dispositio ad maternitatem potest cadere sub meritum, non solùm congrui sed etiam condigni, vt infra patebit: maternitas autem cadere non potest sub meritum condigni sed congrui tantũ: sicut etiam dispositiones ad formam hominis, quæ est anima intellectiua, produci possunt efficaciter à generante; à quo tamen non potest anima intellectiua produci, sed eam solus Deus creat & infundit corpori à generante medijs dispositionibus præparato. Quod autem non potuerit B. Virgo diuinam maternitatem ex condigno mereri, patebit ex probationibus primæ conclusionis: potissimas tamen hic afferemus probationes. Ad cuius videntiam.

Quartò notandum est, maternitatem Beatissimæ Virginis respectu Christi dupliciter posse considerari: *vno modo*, prout est coniunctio cum Christo, quatenus homo est, abstrahendo à dignitate personæ, & ita dicitur maternitas secundùm quid & imperfectior est quàm gratia & gloria, vt ita Aug. *in Epist. 38. & lib. de sancta Virginitate, cap. 3.* & Iustinus *q. 136. ad orthodoxos*, & Cyprianus *in sermone de passione Do.* atque ideò potest cadere sub meritum tam congrui quàm condigni, non minus sed multò magis quàm gratia & gloria: *Alio modo* potest cõsiderari, prout est quædam affinitas cum Christo Deo & homine, vt ait S. D. *2. 2. q. 103. a. 4. ad 2.* & quatenus operationes matris Dei attingunt fines diuinitatis, vt ait ibi Cai. & hoc modo dicitur maternitas simpliciter, & non potest cadere sub meritum condigni: *Primò*, quia maternitas secundùm hanc rationem nobilior est omni gratia adoptionis & omni merito eius, vt asserunt August. *in lib. de Assumptione.* Bernardus *in sermone de natuit. Virginis exponens illud Apoc. 12. Signum magnum apparuit in Cælo.* Ansel. *lib. de excellentia Virginis à principio*, & Origenes *Hom. 1. ex diuersis*, & Laurentius Iustinianus *serm. 2. de Purificat.* & huius signum est, quòd B. Virgini propter maternitatem Dei debetur excellentior adoratio, quàm cuilibet alio Sancto propter excellentiam gratiæ, vt ait S. D. *loco supra notato.* Secũdò; quia meritum B. Virginis procedebat ex gratia adoptionis, quæ vt sic solùm respicit & inclinatur ad augmentum ipsiusmet gratiæ, & conseruationem beatitudinis in eodem subiecto in quo est, & ad alia similia; non autẽ ordinatur ad ea promerenda, quæ pertinent ad ordinem hypostaticum & reparationem totius humanæ naturæ. *Tertiò*: si B. Virgo meruit ex condigno vt esset mater Dei; ergo meruit de condigno vt Deus ex ea nasceretur & vt esset filius eius, ergo meruit vt Deus incarnaretur, & vt Christus esset in rerum natura: at hoc meritum in B. Virgine sicut etiã in Patribus esse non potuit, vt ostendimus *Controuersia præcedenti*; ergò. Prima consequentia patet; quia consequens includitur intrinsecè in antecedẽte: maternitas enim & filiatio sunt correlatiua. Secunda etiam consequentia est euidens; quia Deus per hoc quod in Virgine concipitur & in eius vtero nascitur dicitur incarnari, & Deum incarnari est Christum poni in rerum natura; quia Christus idem est quod Deus Incarnatus. Alias probationes vide apud Medinam & alios recentiores & præsertim Suarezium & Vasq.

Beatissimã

Quintò Considerandum est dupliciter intelligi posse, B. Virginem Dei maternitatem condignè meruisse: Vno modo absolutè & absque vlla suppositione: & hoc modo certum est tale meritum in se claudere meritum Incarnationis, vt ostendimus: Alio modo potest intelligi Beatam Virginem eandem maternitatis dignitatem meruisse ex hypothesi, quod Deus futurus esset homo & humanam naturam ex vna aliqua sœina esset assumpturus: & dummodo sentit Suarez præscindi posse meritum maternitatis, à merito Incarnationis. Sed oppositum docet Medina supra relatus & cum eo alij recentiores viri doctissimi. Et probatur huius sententiæ veritas optimis argumentis. *Primo*: quia supposito Incarnationis decreto Verbum concipi ex Virgine erat bonum infinitum pertinens ad ordinem superiorem, quàm sit gloria, per quam vltrà condignũ præmiatur meritum Virginis; ergo illud non potuit cadere sub meritum eiusdem Virginis de condigno. *Secundò* probatur; quia aliàs supposito eiusdem Incarnationis decreto meruissent Abraham & Dauid ex condigno, vt Christus ex eorum semine nasceretur, quod non est admittẽdum. *Tertiò*, quia decretum Incarnationis perfectum respicit illam secundùm omnes eius circumstantias: ex quibus vna præcipua est cõcursus Virginis tanquàm matris. *Denique* meritum ex condigno postulat, vt opus meritorium ordinetur in præmium ex inclinatione gratiæ, vel vt aliqui volunt ex diuina promissione: sed prẽsuppositis futuritione Incarnationis merita B. Virginis neutro horum modorum ordinabantur in maternitatem Dei veluti in præmium; ergo. Maior patet. Minor quo ad primam partem probatur: Quia gratia B. Virginis, à qua procedebant eius merita, erat gratia adoptionis; ergò ex sui natura ordinabantur solùm ad augmentũ proprium, & ad beatitudinem promerendam, & non extendebantur ad aliquid pertinens ad ordinem vnionis hypostaticæ, ad quem pertinet maternitas Dei; ratione cuius B. Virgo habet affinitatem cum ipso Deo, vt ait S. D. *in 2. 2. loco supra notato*, & explicat ibi Caietanus. Quo ad secundam verò partem probatur primò; quia nullibi extat talis promissio. Secundò, quia licèt fuisset à Deo facta; non tamen imprimeret operibus B. Virginis valorem aliquem illis intrinsecum, ratione cuius ad æqualitatem & de condigno mererentur talem maternitatem. Denique facta illa suppositione meritum maternitatis, est meritum executionis mysterij Incarnationis iam à Deo prædefiniti; ergò est meritum ipsius mysterij, prout est in executione hic & nunc, &c.

Virginẽ neque meruisse, neq; mereri condigne potuisse, vt esset mater Dei ex hypothesi, quòd filius Dei futurus esset homo.

Sextò obseruandum est; aliud esse loqui de merito prædestinationis & electionis ipsius B Virginis in matrem Dei, & aliud de merito maternitatis. Nam vt B. Virgo mereretur prædestinationem & electionem suam in matrem Dei, oporteret eius merita à Deo prædefinita & præuisa esse causas prædestinationis & electionis eius in matrem Dei; non autem è contra, ideſt electio eius in matrem non esset causa meritorum eius: vt autem B. Virgo maternitatem, saltem ex congruo mereatur, id non requiritur; sed potius supponitur, sicut de facto fuit, ex electione Virginis in matrẽ Dei eius merita causari, quibus secundũ ordinẽ executionis diuinæ prouidẽtiæ maternitatẽ Dei, ad quã ab æterno fuit electa, de cõgruo mereatur. Vnde sic possumus argumẽtari: Electio B. Virginis ad maternitatẽ fuit principiũ omnis gratiæ & meritorũ eius; ergò non fuit electa in matrẽ Dei ex suis meritis.

Beatissimã Virginẽ non meruisse sibi electionẽ in matrẽ Dei.

Consequentia patet ex dictis *in præcedenti Cont.* Antec. verò prob. quia S. Thom. & Caiet. *infra q. 27. a. 5. & 6.* docent, excellentem gratiam Beatæ Virgini fuisse à Deo collatam; quia electa fuerat in matrem Dei. Quod idem affirmant S. Bern. *Epist. 174.* S. Bon. *in speculo Mariæ, cap. 5. 6. & 7.* Damas. *oratione prima de dormitione Mariæ.* August. *serm. 21. de tempore* Cyp. *sermone primo de Natiuitate,* Alb. M. *lib. de B. Maria, c. 69. 70. & 71.* & alij. Confirmatur hoc & explicatur. Nam prædestinatio B. Mariæ V. ad tantam gloriam præcessit merita illius: sed electionem illius ad tantam gloriam præcessit illius electio ad dignitatem matris Dei; quia ideò fuit electa ad tantam gloriam; quia decebat sic exaltari Matrem Dei; ergò. Scio Vasq. hæc impugnare; sed ex ijs, quæ diximus *in præcedenti Controuersia, & alibi,* patet eius impugnationes & respõsiones nullius esse momenti.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

Prima concl. B. Virgo non meruit sibi diuinam maternitatem per actiones moraliter tantum rectas & bonas. Hæc concl. est contra Val. & patet ex dictis.

" Secvnda Concl. *B. Virgo non meruit nec* " *mereri potuit etiam per Dei potentiam absolutam ex* " *condigno maternitatem Christi simpliciter dictam.* Hæc concl. patet ex dictis in quarto Notabili & ex præcedenti Contro. Vbi diximus, meritum Incarnationis si aliquod esse posset debere esse simpliciter infinitum. Iam autem ostendimus in merito condigno maternitatis includi meritum Incarnationis. Cum itaque nullum B. Virginis meritum fuerit simpliciter infinitum, nullum etiam esse potuit respectu maternitatis ex condigno.

" Tertia Concl. *B. Virgo maternitatem nõ* " *meruit nec mereri condignè potuit ex facta suppositio-* " *ne, quòd Deus futurus esset homo.* Hęc patet ex quinto fundamento.

" Qvarta Concl. *Beata Virgo neque ex con-* " *digno neque ex congruo meruit, vt eligeretur in matrẽ* *Dei.* Hæc patet ex vltimo fundamento.

" Qvinta Concl. *B. Virgo ex gratia illi à* " *Deo collata condignè meruit eum gradum puritatis &* " *sanctitatis, quo posset esse congruè mater Dei.* Hæc est S. D. *hic ad tertium,* & probatur. Nam gradus ille sanctitatis, qui dicebat eam quam Deus elegerat in Matrem Christi Dei & hominis, est illa summa perfectio gratiæ & virtutum, quam habuit quando Christum concepit: sed hanc perfectionem meruit ex condigno; ergò. Probatur minor; quia hæc pertinet ad augmentum gratiæ & virtutum: constat autem nos augmentu gratiæ & virtutum ex condigno mereri. Ad huius confirm. afferunt recentiores dictum singulare S. Bern. Senensis *in sermone 51.* ita loquentis: *Beata Virgo per consensum, quem præbuit conceptioni Verbi, plus meruit, quàm omnes homines, & Angeli simul suis actibus meritorijs meruissent:* Sed hic erat gradus supremus sanctitatis, qui dicebat eam, quæ erat futura Mater Dei; ergò. Nec verum est, quod ait Suarez *hic disputatione decima, sectione septima, conclusione secunda,* videlicet; B. Virginẽ non propriè meruisse dispositionem hoc consensu factam, sed illam effecisse libera sua voluntate, diuina gratia singulariter excitata & adiuta. Nam licèt huius dicti secunda pars vera sit: prima tamen omnino falsa est; nam sicut alia priora gratiæ & virtutum augmenta Beata Virgo per actus singula augmenta præcedentes promeruit; ita & hoc vltimum gratiæ & virtutum; ac proindè dispositionis ad maternitatem Dei complementum per actum, quo præbuit conceptioni consensum, promeruit. Vide, si placet, dictum expositorẽm loco notato conclusionem hanc declarantem.

Sexta Concl. *Beata Virgo mereri condi-* " *gnè potuit & fortasse meruit maternitatem Chri-* " *sti secundùm quid acceptam, prout scilicet est con-* " *iunctio cum Christo, quatenus homo est, abstrahen-* " *do à dignitate personæ:* Hæc patet ex dictis & ex eo præsertim, quod meritum hoc non excedit proportionem gratiæ Beatæ Virginis & eius maximè decet excellentiam.

Vltima Concl. *Beata Virgo merito con-* " *gruì, non solum impropriè sed propriè dicto meruit* " *esse mater Dei.* Probatur quia non solum fuit " actu per Dei gratiam facta mater Dei: nèc solas habuit dispositiones excellentis gratiæ gratum facientis in sua conceptione, & gratiæ præuenientis & adiuuantis, & priuilegiorum perpetuæ innocentiæ, & carentiæ fomitis & similium, quæ in prima sanctificatione gratis accepit: sed alias etiam habuit dispositiones ex sua libera voluntate gratiæ Dei ac donis eius cooperante deriuatas, & augmenta gratiæ & virtutum vsque ad filij Dei conceptionem; quibus non solùm quotidiè sed per singulas horas & ferè momenta dispònebatur; Quæ augmenta pijs ac sanctissimis suis actibus sibi promeruit; vt ante diximus. Dicta sanctorum Patrum ad huius conclusionis probationem lege, si placet, apud Val. & Suar. *sect. 8.* & Vasq *disp. 23.*

Contra *primam concl.* sunt argum. Val. *tomo 2. disp. vltima, quæst. vltima.* Quibus in proprio loco, Deo dante, satisfiet. *Argumẽta, & Solutiones.*

Contra *secundam* concl. sunt argum. quæ referunt & soluunt Vasq. *in allegata disput. 23.* Contra eandem conclusionem quo ad eam partem, quæ loquitur de potentia Dei absoluta, argumentatur Suar. Quoniam hæc dignitas Matris non est tam infinita, sicut ipsa vnio hypostatica; ergò quamuis opera gratiæ ex natura sua non tendant ad hoc præmium; si tamen intercederet pactum siue promissio de tali præmio conferendo, possent re vera habere valorem sufficientem, & dignitatem proportionatam tali præmio, vt esset in eis vera ratio iustitiæ; ac proinde meritum ex condigno. Et *confirmatur*; quia non est essentiale huic merito, vt opus in quo fundatur ex natura sua tendat in præmium, sed sufficit quęcunque proportio & condignitas in æstimatione morali suppositis alijs conditionibus, & præsertim promissione & lege; quod etiam in humanis præmijs seu brauijs videre est. *Respond.* nullam esse consequentiam, primò quia meritum maternitatis Dei claudit intrinsecè, licèt secundariò meritum Incarnationis quod est præmium simpliciter infinitum: Secundò quia pactum & promissio Dei non auget intrinsecum operum valorem; atque ideò nullam operi conferunt proportionem ad præmium, quod est altioris dignitatis & ordinis. *Ad confirmationem* negatur antecedens, si sermo sit de tendentia secundùm operis proportionem: hanc enim esse necessariam affirmat Sanct. Doct. *locis supra notatis ex prima secundæ.*

Obi. cõt. 2. concl. *conf.* *Sol.* *Ad conf.*

Contra *tertiam* conclusionem argumentum Suarez Quia facta suppositione quod Deus futurus sit homo, præscindi potest meritum maternitatis à merito Incarnationis; ergò. Probatur antecedens: quia præsupponit illam *Obi. cõt. 3. concl.*

illam futuram & aliunde potest meritum habere æqualitatem cum illa dignitate præcisè sumpta & non cum Incarnatione; quod potest exemplo declarari: Nam si Princeps venturus ad ciuitatem sit, & ciuis aliquis impetret ac mereatur, vt potius in suam, quàm alterius domum diuertat, rectè intelligitur non mereri aduentum simpliciter, & nihilominus mereri circumstantiam quæ illum necessariò præsupponit. *Respond.* falsum esse antecedens. Ad cuius probationem negatur antecedens, absolutè loquendo; cùm nihil sit verè propriè ac simpliciter in abstracto futurum; sed in indiuiduo: Incarnatio autem Verbi indiuiduatur secundùm hanc vnam numero humanitatem assumptam ex hac Virgine, tali modo scilicet Spiritus sancti virtute agente, & ipsa etiam Virgine concurrente & purissimum sanguinem ministrante: alioquin si ex alia materia, aut Virgine vel muliere aut alio modo fieret, iam non eadem incarnatio numero sed alia. *Sed obiicit Vasq.* quia bene (inquit) potuit intelligi hæc numero humanitas cum hoc corpore & carne sumpta ex Virgine, sine concursu ipsius tanquam matris; quoniam hæc materia eadem omnino esset; etiamsi Virgo munus matris non subijsset, sed solùm materia ex ipsa sumeretur, sicut costa ex Adamo. Deinde quia hæc numero materia intelligi potuit in humanitate, etiãsi pri' non fuisset in Virgine; nam ad rationem indiuiduam materiæ, sicut non requiritur dignitas & munus matris in Virgine; ita etiam non fuit necesse prius eam extitisse in ipsa Virgine; nam ex quauis alia re, in qua esse poterat, desumi posset & ex ea formari eadem numero humanitas. *Respon. primò:* aliud esse loqui de Incarnatione, & aliud de humanitate: illa enim est actio: hæc autem substantia: actio verò physicè sumpta eadem est realiter cum ipsa mutatione includente actionem & passionem: constat autem mutationem in mysterio Incarnationis ex parte materiæ factam esse per hoc, quod Virgo mater materiam ministrauit, quam Spiritus sanctus actiua sua virtute formauit. Si autem alio modo, puta, sine concursu matris aut aliunde sumendo materiam etiam eandem numero, facta fuisset Incarnatio iam non esset eadem sed alia mutatio; & per consequens alia esset Incarnatio. Cùm autem Incarnatio quocunque modo fiat, principium sit omnium meritorum: & meritum maternitatis etiam ex suppositione iam dicta includat meritum Incarnationis, consequens est vt mereri condignè maternitatem sit mereri condignè principium meritorum. *Secũdò resp.* Quamuis absolutè possit intelligi hæc numero humanitas prædictis modis; non tamen potest intelligi aut esse hæc numero humanitas, vt à Deo propriè & simpliciter prædefinita: Deus enim res prædefinit in indiuiduo, & secundùm omnes & singulas eius circumstantias. Ad exemplum autem dico, illud esse valdè dissimile: nam Principis aduentus in ciuitatem vnus & idem numero erit, siue ad hanc siue ad illam domum diuertat; quia domus omnes partes sunt vnius integræ ciuitatis: & rursus potest Princeps in ciuitatem venire, & ad nullam domum particularem diuertere, vel prius venire quàm domum aliquam eius ingrediatur: & ideò potest aliquis aduentum Principis in domum suam mereri absque hoc, quod eius aduentum simpliciter in ciuitate mereatur: non potest autem Deus incarnari hac vna numero incarnatione, nisi ex tali materia, & tali modo carnem sumat; nec prius incarnari potest abstractè & postea singulariter, &c.

Sol. *Replica Vasquezij.* *Sol.* *Solutio 2. 4. Obi.*

CONTRA *quartam* concl. sunt argum. Vasq. *in allegata disp. 23. c. 4.* Quibus nunc ea sufficient, quæ in præcedenti Controu. de Patrum meritis circa prædestinationem Incarnationis notata sunt. Contra eandem concl. est hoc argum. Beata Virgo facta fuit in tempore Dei mater ex meritis; ergò ab æterno electa fuit in matrem ex meritis. Antecedens patet ex supradictis: consequẽtia verò probatur: Quia quæ Deus in tempore tribuit ex meritis, ab æterno præparauit dare ex meritis, & è contra; ergò si in tempore fecit illam matrem ex meritis, etiam ab æterno elegit eam in matrem ex meritis. *Respond.* nullam esse consequentiam, quia Deus non tribuit Sanctis gloriam sine meritis; nec tamen eos ad gloriam prædestinauit ex meritis; quamuis eadem voluntate qua voluit eis beatitudinem voluerit etiam illos eam assequi per merita: diximus enim *in præcedenti controuer.* duplicem ordinem esse contemplandum in mente Dei præordinantis homines ad vitam æternam: alterum intentionis, quo Deus ex sola libera sua & gratuita voluntate, quos voluit elegit ad gloriam: alterum executionis, quo voluit electos ad gloriã suis eam meritis adipisci. Sic igitur in proposito Deus libere & ex sua gratia voluit eligere B. Virginem in matrem; voluit tamen vt ipsa per sua merita causata à tali libera electione Dei disponerrtur ad assequendam illam dignitatem.

Obi. cont. 4. concl.

CONTRA *vltimam* concluſ. sunt argum. quæ profert & soluit Suar. *in supra notata sect. 8.* Quorum solutiones impugnat Vasquez assumptis falsis suæ doctrinæ principijs: de quibus alibi.

ARTICVLVS XII.

Vtrum gratia vnionis fuerit homini Christo naturalis.

AD duodecimum sic proceditur. Videtur, quòd gratia vnionis non fuerit homini Christo naturalis: Vnio enim Incarnationis non est facta in natura, sed in persona: vt dictum est: sed vnumquodque denominatur à termino. Ergo gratia illa magis debet dici personalis, quàm naturalis.

Inf. qu. 7. a. 13. 2 & qu. 34. a. 32. & 3. dist. 4. q 3 a. 2. q. 1. a 1. & 2. huius q.

Præterea: Gratia diuiditur contra naturam: sicut gratuita, quæ sunt à Deo, distinguuntur contra naturalia, quæ sunt à principio intrinseco. Sed eorum, quæ ex opposito diuiduntur, vnum non denominatur ab alio. Ergo gratia Christi non est ei naturalis.

Præterea: Naturale dicitur, quod est secundum naturam. Sed gratia Vnionis non est naturalis Christo secundum naturam diuinam (quia sic conueniret alijs personis) nec etiam naturalis est ei secundùm naturam humanam: quia sic conueniret omnibus hominibus, qui sunt eiusdem naturæ cum ipso. Igitur videtur, quòd nullo modo gratia Vnionis sit Christo naturalis.

Sed contra est quod Aug. dicit in Enchir. In humanæ naturæ susceptione fit quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum possit admittere peccatum.

Cap. 40. 10. 3.

Respondeo dicendum, quòd secundùm Philosophum in quinto Metaphys. natura vno modo dicitur ipsa natiuitas, alio modo essentia rei. Vnde naturale potest aliquid dici dupliciter. Vno modo, quod est tantùm ex principijs essentialibus rei. Sicut igni naturale est sursum ferri. Alio modo dicitur esse homini naturale, quod ab ipsa natiuitate habet: secun-

dum illud Ephes. 2. Eramus natura filij iræ. Et Sap. 12. Nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum.

Gratia igitur siue Vnionis, siue habitualis, non potest dici naturalis, quasi causata ex principijs humanæ naturæ in Christo: quamuis possit dici naturalis, quasi proueniens in naturam humanam Christi, causante diuina natura ipsius.

Dicitur autem naturalis vtraque gratia in Christo, inquantum eam à natiuitate habuit: quia ab initio conceptionis fuit natura humana diuinæ personæ vnita, & anima eius fuit munere gratiæ repleta.

Ad primum ergo dicendum, quòd licèt Vnio non sit facta in natura, est tamen causata ex virtute diuinæ naturæ, quæ est verè natura Christi. Et etiam conuenit Christo à principio suæ natiuitatis.

Ad secundum dicendum, quòd non secundùm idem dicitur gratia, & naturalis: sed gratia quidem dicitur, inquantum non est ex merito: naturalis autem dicitur, inquantum est ex virtute diuinæ naturæ in humanitate Christi ab eius natiuitate.

Ad tertium dicendum, quòd gratia Vnionis non est naturalis Christo secundùm humanam naturam, quasi ex principijs humanæ naturæ causata: & ideò non oportet, quòd conueniat omnibus hominibus. Est tamen naturalis ei secundùm humanam naturam, propter proprietatem natiuitatis ipsius: prout sic conceptus est ex Spiritu sancto, vt esset idem naturalis filius Dei, & hominis. Secundùm verò diuinam naturam est ei naturalis, inquantum diuina natura est principium actiuum huius gratiæ. Et hoc conuenit toti Trinitati, scilicet huius gratiæ esse actiuum principium.

Sensus quæsiti.

CVR nomini Christo dictionem illam homini S. D. addiderit, docet hic optimè Caiet. alios huius quæsiti terminos exponit accuratè Suar. in suo Com. ad hunc a. Vbi etiam affirmat modum illum vnionis supra confutatum.

Forma Textus.

PRAEMISSA vna distinctione respondetur quæsito tribus conclusionibus.

DISTINCTIO est: Naturale potest aliquid dici dupliciter: *Vno modo*, quod est tantùm ex principijs essentialibus rei; sicut igni naturale est sursum ferri: *alio modo* dicitur esse homini naturale, quòd ab ipsa natiuitate habet. Probatur primò tota distinctio: quia secundùm Philosophum in 5. Metaph. tex. 5. natura dicitur: Vno modo ipsa natiuitas: alio modo essentia rei; ergò naturale dicitur dupliciter &c. Deinde probatur specialiter. Secundum membrum authoritate Scripturæ dicentis ad Ephes. 2. Eramus natura filij iræ, & Sap. 12. Nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum.

» PRIMA CONCLVSIO est: *Gratia Christi siue*
» *vnionis siue habitualis non potest dici naturalis, quasi*
» *excusata ex principijs humanæ naturæ in Christo.*
» SECVNDA CONCLVSIO: *Vtraq; gratia Chri-*
» *sti dici potest naturalis, quasi proueniens in naturam*
» *humanam Christi causante diuina natura ipsius.*
» TERTIA CONCLVSIO: *Vtraque gratia di-*
» *citur in Christo naturalis, inquantum eam à natiuita-*
» *te habuit.* probatur: Quia ab initio conceptionis fuit natura humana diuinæ personæ vnita, & anima eius fuit munere gratiæ repleta.

Expositio Textus.

AD HVIVS articuli intelligentiam obseruandum est primò ex Caietano quem alij sequuntur expositores, Secundum membrum distinctionis in textu positæ posse dupliciter intelligi: ac proinde etiam in duo distingui: naturale enim dictum quod habeatur à natiuitate dupliciter dicitur: *Vno modo*, quòd præcisè est alteri coæuum; ita scilicet, vt ea solùm ratione dicatur alteri connaturale; quia simul tempore incepit cum eo, sicut cæcitas quæ simul tempore cœpit esse cum Petro, dicitur esse Petro naturalis: Alio modo dicitur aliquid alicui naturale, non ea tantùm ratione, quod esse cum eo cœperit simul tempore; sed etiam eo quod insit illi ex vi natiuitatis; quo modo sextus digitus dicitur eum habenti naturalis, quia scilicet inest illi ex vi talis natiuitatis abundantis in materia, &c. Priori modo diceretur iustitia originalis non solùm Adæ, sed etiam posteris, qui nascerentur in statu innocentiæ si perseuerasset esse naturalis, vt ait S. D. *in 1 p. q. 100. a. 1. in c. & ad 2.* quomodo etiam Angelis dici potest gratia naturalis. Peccatum autem originale sub diuersa ratione dici potest hoc aut altero modo naturale. Nam si naturale dicatur vt consequens naturam secundùm se vel tanquam proprietas naturalis aut ex vi natiuitatis conuenientis homini secundùm naturam purè, & secundùm se consideratam, non potest dici tale peccatum homini naturale, nisi primo modo: Si verò dicatur naturale vt consequens vitiatam naturam, aut ex vi natiuitatis vitiatæ naturæ sic dicitur etiam naturale secundo modo, vt ait S. D. *in suo Comm. in epist. ad Ephes. 2. cap.* Vbi dictum illud Apost. *Eramus natura filij iræ*, sic exponit: *id est per originem naturæ; non quidem naturæ, vt natura est; quia sic bona est, & à Deo; sed naturæ, vt vitiata est, filij iræ, id est vindictæ, pœnæ, & gehennæ.* Quod etiam notauit Conradus *1. 2. q. 81. art. 1.* Quam etiam doctrinam significat S. D. *in a. 2. eiusdem q.* Et ex his conciliari possunt expositorum dicta, quæ videntur opposita: Caietanus enim & Suarez affirmant peccatum originale esse non tantum primo sed etiam secundo modo naturale. Aluarez autem primo tantum modo docet esse naturale: Illi enim peccatum asserunt esse homini naturale, id est, ex vi natiuitatis vitiatæ naturæ: hic autem negat esse naturale, id est per originem naturæ vt natura est, &c. Posteriori verò modo dicitur vtraque gratia, scilicet vnionis & habitualis homini Christo naturalis, vt probat optimè Caietanus Gabrielis Archangeli testimonio dicentis: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*; Quam doctrinam sequuntur ad verbum recentiores.

Secundò aduerte D. Tho. non probare primam conclusionem; quia verè est per se nota: implicat enim gratiam esse gratiam & causari ex principijs humanæ aut cuiusuis creatæ naturæ; & rursus implicat id quod est ordinis supernaturalis, ab eo causari quod est ordinis naturalis. Cùm enim nihil agat vltra suam virtutem, hoc ipso, quod aliquid ab ente ordinis naturalis causatur est ordinis naturalis: & ideo gratia siue vnionis siue habitualis, non solùm ab humanitate causari non potest; sed neque vllo modo est illi debita eo modo, quo naturali potentiæ debetur proprius actus: nulla enim est aut esse potest in humanitate aut in alia quacunque natura creata vel creabili, potentia naturalis ad gratiam vel ad aliquod supernaturale.

Tertiò: Circa secundam conclusionem asserentem, vtramque Christi gratiam dici posse naturalem, vt quasi prouenientem in naturam humanã Christi causante diuina natura ipsius notandæ sunt duæ præcipuæ expositorum intelligen-

gentiæ. *Primò itaque Caietan.* obseruat vt aliquid dicatur naturale à natura pro essentia, duo requiri. Primum est causalitas vt scilicet causetur à natura Secùdùm est modus causandi vt scilicet naturaliter & non liberè causetur: & quoniam (inquit) omnis Dei causalitas ad extra libera est & nulla est naturalis; ideò gratia in Christo ex diuina natura causata deficit à naturali in modo quo fit, & potest dici naturalis quo ad primum, quia ex diuina causatur natura: quo ad secundum verò potest dici naturalis non formaliter, quia verè non naturaliter, sed liberè causatur, sed quasi virtualiter seu conditionaliter; hoc est quia, si diuinæ naturæ competeret ad extra modus vterque causandi, scilicet naturaliter vel liberè, vtraque gratia in Christo naturaliter causaretur; quia gratia vnionis spectat ad esse personale ipsius diuinæ naturæ; ac per hoc ad causalitatem naturalem pertineret: gratia verò habitualis in Christo spectaret ad proprietatem humanę naturę vnitæ iam secundùm esse diuinæ naturæ: & propterea (inquit) S.D. cautè apposuit duo vocabula, videlicet potest dici & quasi proueniens, vt per hæc quasi naturalem modum significaret &c. *Deinde Medina* vtramque gratiam existimat dici posse naturalem, licet vtraque à diuina natura liberè procedat; eò quòd vt dicatur naturalis satis est, vt dimanet ab aliqua natura intrinseca ipsius Christi; sicut motus animalis sursum est naturalis licèt sit à principio libero scilicet à voluntate & homini naturale est discurrere tametsi liberè discurrat. Quam expositionem sequitur & explicat Suarez dicens, vtramque gratiam dici Christo naturalem; quia dicitur id esse alicui naturale, quod per proprias vires suæ naturæ facit; sed tamen nonnulla differentia est (inquit) inter gratiam vnionis, & habitualem, quod gratia vnionis cùm sit prima omnium in Christo, licèt in eo sensu possit dici naturalis, quia virtute naturali diuinitatis fit; non tamen potest dici naturalis, tamquam aliquo modo debita homini Christo; quia nec debetur humanæ naturæ nec diuinæ; at gratia habitualis, quia in Christo supponit aliam scilicet gratiam vnionis, nõ solùm est dicto modo naturalis, sed etiam quia debetur humanitati iam vnitæ, quomodo naturales possunt dici omnes gratiæ, quæ Christum supponunt Deum & hominem constitutum.

Vasquez ij ib. *Sed hanc expositionem* impugnat Vasq. *ca. 2. Primò*; quia difficilè videtur, quod dicunt prædicti expositores cum S. Th. gratiã vnionis dici posse naturalem, quatenus dicitur aliquid naturale alicui, quod à natura illius prouenit. *Primò*; quia licèt vnio sit gratia ipsi Christo secũdùm naturã humanam; tamen hæc gratia non prouenit ex natura diuina, quatenus iã est coniuncta humanę in eadem persona, sed prout secũdùm se consideratur ante ipsam vnionem; ergò hæc gratia non dicitur prouenire à principijs propriæ naturæ. *Secundò* quia hæc gratia prouenit liberè à natura diuina, & non naturaliter; nec refert quòd ridere, qui est actus liber, dicatur esse homini naturale; quia ridere non semper liberè procedit ab homine, neque suaptè natura est actus liber: quinimò posita cognitione rei ludicræ necessariò sequitur risus: vnire autem ex suo genere liberum est. Deinde quia ridere nascitur à principio intrinseco rei iam constitutæ: vnire autem nascitur quidem à Deitate, quæ est natura Christi; sed non nascitur ab ea, prout iam vnita & coniuncta cum natura humana in eadem persona. *Sol.* *Sed hæc argumenta* frivola sunt. *Ad primum* enim dico vnionem duarum in Christo naturarum prouenire à diuina natura dupliciter. *Vno modo* effectiuè; quia scilicet natura diuina sua infinita virtute assumpsit & vniuit sibi naturam humanam in vnitate personæ; & ita verum est gratiam vnionis non prouenire ab ipsa diuina natura, quatenus iam est coniuncta humanæ naturæ, nisi prout eam iam factam conseruat, sed ab ea prouenit quatenus secundùm se consideratur ante vnionem. *Alio modo* prouenit eadem vnio ex diuina natura, quasi ad modum causæ formalis, quatenus scilicet diuina natura secundùm hanc suam naturalem subsistentiam personalem seipsam vnit humanæ naturæ, ipsam formaliter terminando, & suam ei subsistentiam communicando, eo ferè modo quo forma dicitur seipsam formaliter vnire materiæ, & illi seipsam & suam omnem actualitatem communicare; & hoc modo gratia vnionis ex diuina natura prouenit, non prout prius est actu coniuncta, neque prout antè coniunctionem consideratur, sed in ipsa actuali coniunctione, vel potius est ipsa actualis coniunctio: est enim quasi effectus formalis ipsius diuinæ naturæ secundùm personalem Verbi subsistentiam terminantis & sustentantis seu suppositantis humanitatẽ; sicut etiam forma actuando & determinando materiæ potentialitatem causat formaliter sui vnionem cum illa: atque ideò dicitur vnio personalis duarum naturarum in Christo prouenire ab intrinseco principio, quod est ipsa diuina natura. Et quoniam hæc vnio instãtanea est; & in ea simul est fieri & factum esse, & quod est vnio etiam est vnitum: ideò considerando etiam diuinam naturam, prout est vniens seipsam effectiuè, & sumendo actionem vniendi in esse completo, prouenit etiam hæc vnio ab ipsa essentia diuina, vt ab intrinseco principio Christum constituente; terminus enim quo actio hæc vnitiua completur est Christus, vt supra diximus *a. 4.* *Ad secundum* quidquid sit de ridere, patet ex duobus exemplis à Med. productis, quæ sunt ascensus hominis corporeus & actus discurrendi, eos actus liberos dici posse naturales, qui per solas naturæ vires exercentur; sic verò sumptum naturale distinguitur contra supernaturale, & contra id quod ab extrinseco est. Alias quasdam interpretationes refert Vasq. & impugnat: sed quia non sunt ad mentem D. Th. earum defensionem relinquimus ijs, quibus placuerint.

Quartò circa tertiam concl. lege, quæ notat sapienter ac eruditè Cai. & quæ scribit Suar. *in suo com. ad hunc a.*

Controversia Vnica.

An gratia vnionis & habitualis dicendæ sint absolutè Christo naturales?

Sententia Doctorum. Caietan. attendens modum loquendi S.D. in textu, negat gratiam vnionis aut habitualem esse vel dici posse propriè & absolutè naturalem: quæ fuit sententia Durandi *in 3. distinct. 4. q. 3.* & Ricardi *dist. 3. a. 3. q. 2.* Quam etiam sequitur Suar. dicens, neutram gratiam dici posse simpliciter & absolutè naturalem; quia non est pertinens ad ordinem naturæ; sed relatiuè seu respectu Christi dici posse vtramque gratiam esse illi naturalem. Eandem Caietani sententiam sequitur Rada *controu. 4. a. 5.* Sed vtramque gratiam dici posse simpliciter naturalem affirmant Med. Porrecta & Aluar. *super hoc a.* Et in eandem sententiam inclinat Val. Vasq. vtraq; sententia cũ doctri-

doctrina D. Thomæ reiecta, ait controuersiam hanc inter Scholasticos ortam esse ex dicto D. Augustini *in Enchirid. c. 4. vit. in arg. sed contra.* D. autem Augustinum ibi dixisse gratiam homini Christo fuisse naturalem in eo sensu, in quo alij Patres dixerunt vnionem duarum naturarum in Christo esse naturalem, hoc est duarum naturarum inter se secundùm suum esse naturale & reale, ita vt denotarent Deum vnitum esse humanitati, non secundùm dignitatem & affectum, sed secundùm esse reale & naturale suum.

Resolutio. Distinguitur & explicatur multiplex sensus terminorum quæsiti.

PRAECIPVA huius controuersiæ difficultas in huius vocis *naturale* siue *naturalis* ambiguitate posita est; eius itaque multiplices significationes primò distinguemus. Deinde propositis conclusionibus sententiam nostram aperiemus.

Prima distinctio sit: Naturale dupliciter dicitur: *Vno modo* prout idem est quod reale & physicum distinctum contra ens imaginarium vel rationis, aut etiam contra morale vt alibi notauimus & hic etiam aduertit Vasq. *alio modo* prout significat id, quod habet coæuam cum aliquo connexionem ex aliqua causa: quod dupliciter dicitur vt ait S. D. in textu: Vno modo quod est causatum ex principijs essentialibus rei: alio modo dicitur aliquid esse naturale quod rei conuenit à principio suæ generationis. Rursus naturale primo modo dicitur dupliciter: vno modo id q̃ per ipsa principia naturalia constituitur, sicut si dicamus naturalem esse homini vnionem ex anima & corpore, esse animal & esse rationale: & hæc minus propriè dicuntur naturalia: verè namque & propriè hæc ad ipsam hominis naturam & essentiam pertinent: alio modo dicitur naturale quod consequitur ex principijs essentialibus rei, & ad ipsam essentiam minimè pertinet, sicut ferri sursum est igni naturale. Præterea naturale quod rei conuenit à principio generationis dupliciter dicitur, vt supra notauimus ex Caietano: vno modo quod præcisè est alteri coæuum: alio modo quod inest alteri ex vi natiuitatis. *Secunda distinctio principalis est:* Naturale dicitur dupliciter: vno modo absolutè quod scilicet constituit ordinem naturalem, qui distinguitur contra ordinem supernaturalem: alio modo comparatiuè ad talem rem & hoc modo aliquid ordinis supernaturalis potest dici naturale alteri eiusdem ordinis: exempli gratia, videre est naturale beato habenti lumen gloriæ & diuinam essentiam, vt speciem intelligibilem. Rursus naturale absolutè, id est pertinens ad ordinem naturalem duplex est: quoddam enim dicitur naturale; quia vel est intrinsecum naturæ rei, vel eam necessariò sequitur: quoddam autem dicitur naturale; quia est ex solis naturæ viribus, etiamsi liberè fiat, vt hominis ambulatio & discursus; & hic modus naturalis distinguitur contra supernaturale. *Tertia distinctio principalis.* Naturale dupliciter dicitur. Vno modo formaliter & secundùm se: alio modo ratione termini consequentis, aut per ipsum constituti, vt infra declarabitur ex D. Th. *in 3. sent. Quarta distinctio est:* De gratia siue vnionis siue habituali tripliciter loqui possumus. Primò per comparationem ad humanitatem. Secundò per comparationem ad diuinitatem. Tertiò per comparationem ad Christum secundùm se totum. *Quinta distincto est:* In conceptione Christi duplex est actio: altera productiua humanitatis, & altera assumptiua siue vnitiua eius ad personam Verbi. *Vltima distinctio:* gratiam vnionis aut habitualem dici Christo naturalem absolutè potest intelligi dupliciter: Vno modo prout absolutè distinguitur contra comparatiuè: Alio modo prout idem est quod sine addito. Quibus præmissis ad quæsitum respondeo decem conclusionibus.

Conclusiones, deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Gratia vnionis aut habitualis non potest dici formaliter siue secundùm se aut absolutè naturalis, prout absolutè naturale distinguitur contra naturale comparatiuè ad Christum.* Probatur; Quoniam illud in hoc sensu est absolutè & formaliter naturale, quod pertinet ad ordinem naturalem distinctum contra ordinem supernaturalem: at gratiæ prædictæ non pertinent ad ordinem naturalem, sed ad supernaturalem; ergò.

SECVNDA CONCL. *Vtraque gratia, & præsertim vnionis potest appellari naturalis, id est realis & physica, & non imaginaria vel rationis.* Hæc patet ex dictis. Vbi aduerte D. Augustinum *in Enchiridio ad Laurentium, cap. 40.* non loqui secundùm sensum huius conclusionis: cùm ait, in naturæ humanæ susceptione factam fuisse quodammodo ipsam gratiam illi homini naturalem, sed in sensu sequentis conclusionis; quare Vasq. *ca. 2.* violenter & contra mentem Augustini verba illa ad hunc sensum pertrahit. Nec verba *c. 41.* Vasq. sauent; sed eius interpretationem perspicuè falsam esse conuincunt. Cùm enim subdit Augustinus: *Dei quoque gratia Verbo Patris vnigenito; non gratia filio, sed natura, in vnitate personæ modo mirabili, & ineffabili adiunctus, atque concretus.* nimirum homo, id est humana natura, non significat vt exponit Vasq. hominem fuisse coniunctum filio Dei, non gratia participata sed natura; quamquam & hoc verum sit; sed significat hominem in vnitate personæ Patris vnigenito fuisse coniunctum Dei gratia: & hanc gratiam non esse gratiam filio, sed naturam; quia gratia Dei essentialiter est ipsa Dei natura. Alia verò dicta Patrum à Vasq. relata deseruiunt huic probandæ conclusioni.

Vasq. interpretatio reijcitur.

TERTIA CONCL. *Vtraque gratia potest dici naturalis humanitati, quatenus illi conuenit à principio suæ generationis.* Hæc est S. D. in textu.

QVARTA CONCL. *Neutra gratia potest dici naturalis, vt causata ex principijs humanitatis.* Hæc patet ex se.

QVINTA CONCL. *Neutra gratia est Christo naturalis ex vi conceptionis, qua ratione conceptio est effectiua præcisè humanitatis, nisi tantùm concomitanter.* Prima pars probatur; quia aliàs puræ humanitati formatę à Spiritu sancto, & ex B. Virgine vt sic formatæ & effectæ deberetur vnio ex vi talis actionis, quod est absurdum, vt patet ex *a. 1. 1. q.* Secunda verò pars probatur; quoniam actio productiua humanitatis fuit simul in eodem instanti temporis cum actione vnitiua eius cum Verbo.

SEXTA CONCLVS. *Vtraque gratia dici potest Christo naturalis ex vi conceptionis tot aliter sumptæ; quatenus scilicet vtraque in se claudit actionem, scilicet effectiuam humanitatis & vnitiuam eius cum Verbo:* & hæc est S. D. *ad 3.* quam probat & explicat Cai. & alij expositores post eum.

SEPTIMA CONCLVS. *Vtraq; gratia potest dici Christo naturalis, vt proueniens in humanam naturam causante illam diuina Christi natura sua virtute naturali, sed liberè.* Hæc est S. D. *in textu.*

OCTAVA CONCL. *Gratia vnionis potest dici Christo naturalis, id est, intrinseca & substantialis.* Hanc concl. statuunt hic Med. & Valentia; & probatur; quia Christus consideratus, non ratione vnius tantùm naturæ diuinæ, vel humanæ, sed totaliter & adæquatè, vt Christus formaliter est quædam res composita, quæ intrinsecè constat ex duabus dictis naturis inuicem vnitis; ergò intrin-

secè naturalis est illi harum naturarum vnio. Antecedens patet ex dictis *in a.4.huius q.* Conseq. autem est euidens.

„ Nona Concl. *Gratia vnionis dicitur Christo* „ *naturalis, quantum ad effectum, quod est esse filium* „ *Dei naturalem.* Hæc est D. Th. *in 3.dist.4.q.3.a.2.q.* 1. Et probatur ibidem; quoniam nec gratia ordinatur ad vnionem in persona diuina, secundùm quam vnionem ille homo dicitur naturalis filius Patris. Et hanc conclusionem intendit iudicio meo D. Augustin. *loco supra notato*, si verba dictorum capitum sincerè & attentè considerentur.

„ Vltima Concl. *Vtraque gratia potest dici* „ *simpliciter, id est absque addito esse Christo naturalis.* Probatur hæc *ex 4.6.7.8.& 9.conclusionibus.* Et cõfirmatur; quia cùm dico; Gratia vnionis est Christo naturalis, dictio illa *Christo* facit sensum comparatiuum; ita vt non significetur gratiam vnionis aut habitualem esse secundùm se ordinis naturalis: sed gratiam vnionis esse tali composito, scilicet Christo Deo & homini naturalem, id est intrinsecam & substantialem; gratiam verò habitualem eidem ex proprijs viribus conuenire; quia causatur ab vna eius intrinseca natura, scilicet essentia diuina in humanitate, quasi ad modum naturalis proprietatis, vt ait S. D. *in 3.loco notato, & inf.q.7.a.13.* Vbi latè dictum hoc examinabitur.

Argumẽta, & solutio nes. Contra *septimam* concl. sunt arg. Vasq. supra relata & soluta.

Contra *vltimam* sunt argumenta, quę profert & soluit Aluar. *in expositione præsentis articuli*; in quibus etiam est ratio Cai. ex modo loquendi D. Th. desumpta: cui planè satisfit dicendo, verba illa *potest dici*, & dictionem illam *quasi* non habere vim diminuendi; sed exprimendi gratiæ tam vnionis quàm habitualis connaturalitatem iuxta illud *Ioan.1.Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*, vt hic aduertit Magister Porrecta, & post eum Aluarez. Quomodo etiam accipienda est dictio illa *quodammodo* in verbis Augustini relatis in argumento *sed contra.*

Quaestio Tertia.

De modo vnionis ex parte personæ assumentis, in octo articulos diuisa.

Deinde considerandum est de vnione ex parte personæ assumentis.

Et circa hoc quæruntur octo.

Primò, vtrum assumere conueniat personæ diuinæ.

Secundò, vtrum conueniat naturæ diuinæ.

Tertiò, vtrum natura possit assumere abstractam personalitate.

Quartò, vtrum vna persona possit assumere sine alia.

Quintò, vtrum quælibet persona possit assumere.

Sextò, vtrùm plures personæ possint assumere vnam numero naturam.

Septimò, vtrum vna persona possit assumere duas numero naturas.

Octauò, vtrum magis fuerit conueniens de persona filij Dei, quòd assumpserit humanam naturam, quàm de alia persona diuina.

Ratio ordinis.

Absoluta vnionis seu Incarnationis essentia quasi in communi, nunc incipit de eius ratione & modo tractare magis in particulari, & primò quidem ex parte personæ assumentis in præsenti quæst. Deinde verò ex parte assumptæ naturæ in quæstione sequenti. Duæ sunt autem huius quæstionis partes præcipuè: Prior est de modo vnionis huius mysterij prout actu factum est: altera est de modis eiusdem mysterij possibilibus. Prioris tres sunt partes: in prima agitur de assumptione seu vnione personæ diuinæ indistinctè sumptæ *in primo art.* secunda agit de vnione naturæ diuinæ *in secundo art.* Tertia de assumptione, seu vnione personæ filij *in octauo art.* Posterior verò pars in duas diuiditur: in prima tractatur de potestate naturæ diuinæ in ordine ad assumptionem *in tertio art.* In secunda verò agitur de potestate personæ respectu dictæ assumptionis, & primò tractat quæstionem de possibili necessariò connexam quæstioni & veritati Incarnationis, prout actu facta est, quærens *in ar.* 4. Vtrum vna persona possit assumere sine alia: nam si non posset, consequens esset, omnes personas actu fuisse Incarnatas; quod est falsum. Deinde proponit alia tria quæsita de possibili ad maiorem explicationem huius mysterij: & primò quo ad singulas personas, siue simul siue separatim sumptas in ordine ad assumptionem creatæ naturæ, siue sit vna siue plures, *in art. 5.* Deinde quo ad omnes simul sumptas in ordine ad vnam numero naturam, *in 6.art.* Tertiò, quo ad vnam tantùm personam in ordine ad plures naturas: in quibus vt patet à communioribus & minus distinctis ad minus communia & magis distincta proceditur.

Articvlvs I.

Vtrum personæ diuinæ conueniat assumere naturam creatam.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd personæ diuinæ non conueniat assumere naturam creatam. *Persona enim diuina significat aliquid maximè perfectum. Perfectum autem est, cui non potest fieri additio. Cùm igitur assumere fit quasi ad se sumere: ita quòd assumptum addatur assumenti, videtur, quòd personæ diuinæ non conueniat assumere naturam creatam.* 3 d.5.qu.2. a.1.

Præterea, illud, ad quod aliquid assumitur, communicatur quodammodo ei, quod in ipsum assumitur: sicut dignitas communicatur ei, qui in dignitatem assumitur. Sed de ratione personæ est, quòd sit incommunicabilis: vt in prima parte dictum est. Ergo personæ diuinæ non conuenit assumere, quod est ad se sumere. 1 29. 4.1.

Præterea, Persona constituitur per naturam. Sed inconueniens est, quòd constitutum assumat cõstituens: quia effectus non agit in suam causam. Ergo personæ non conuenit assumere naturam.

Sed contra est, quòd Aug. dicit de Fide ad Petrum: Formam, id est naturam, serui in suam accepit Deus ille, scilicet Vnigenitus, personam. Sed Deus vnigenitus est persona. Ergo personæ competit accipere naturam, quod est assumere.

Respondeo dicendum, quòd in verbo Assumptionis duo importantur, videlicet principium actus, & terminus: dicitur enim assumere, quasi ad se sumere. Huius autem sumptionis persona est, & principium, & terminus. Principium quidem, quia personæ propriè competit agere: huiusmodi autem sumptio carnis per actionem diuinam facta est. Similiter etiam persona est huius sumptionis terminus: quia, sicut supra dictum est: Vnio facta est in persona non in natura. Et sic patet, quòd proprissimè competit personæ, assumere naturam. Cap.2.&3. 3 praced.q. 1.& 2.

Ad pri-

Ad primum ergo dicendum, quòd, cum persona diuina sit infinita, non potest ei fieri additio. Vnde Cyrillus In ep. 1 Syn. ad Nest. *dicit in Epist. Synodali Ephes. Conc. Non secundum appositionem coniunctionis intelligimus modum: sicut etiam in vnione hominis ad Deum, quæ est per gratiam adoptionis, non additur aliquid Deo: se illud, quod diuinum est, apponitur homini. Vnde non Deus, sed homo perficitur.*

Ad secundum dicendum, quòd persona dicitur incommunicabilis, inquantùm non potest de pluribus suppositis prædicari: nihil tamen prohibet plura de persona prædicari. Vnde non est contra rationem personæ sic communicari, vt subsistat in pluribus naturis: quia etiam in personam creatam possunt plures naturæ concurrere accidentaliter: sicut in persona vnius hominis inuenitur quantitas, & qualitas. Hoc autem est proprium diuinæ personæ, propter eius infinitatem, vt fiat in eo concursus naturarum, non quidem accidentaliter, sed secundùm subsistentiam.

q. 2. a. 1. *Ad tertium dicendum, quòd, sicut supra dictum est, natura humana non constituit personam diuinam simpliciter: sed constituit eam, secundùm quod denominatur à tali natura, Non enim ex natura humana habet filius Dei, quòd sit simpliciter, cùm fuerit ab æterno: sed solum, quòd sit homo. Sed secundùm naturam diuinam constituitur persona diuina simpliciter. Vnde persona diuina non dicitur assumere diuinam naturam, sed humanam.*

Sensus quæsiti.

TRes sunt in hoc quæsito termini declarandi. *Primus* est dictio illa *assumere*, quæ formaliter, & propriè sumitur: prout videlicet significat actum assumptionis actiuæ distinctum ab vnione, & Incarnatione formaliter, vt patet *ex corpore articuli, & resp. ad argumenta*. Et per hoc distinguitur hic articulus ab articulo secundo quæstionis præcedentis; in quo quæsitum fuit: Vtrum vnio Verbi incarnati sit facta in personam; Val. Iapsus. quod non aduertens Valentia, vtrumque simul confundit quæsitum. *Secundus* terminus est verbum *conueniat*, quo non sola potentia ad assumendam naturam creatam significatur, sed exercitium assumendi denotatur; ac si quæreretur; an persona diuina fuerit actu assumens naturam creatam, vel an actus assumendi sit tribuendus personæ diuinæ. *Tertius* terminus est *persona*, quo nomine persona diuina significatur indistinctè, id est, absque determinatione ad hâc vel illam, ad vnam vel plures; quatenus persona distinguitur contra naturam tam abstractè quàm concretè sumptam: & videtur hic esse sermo de persona propriè & completè sumpta, alioquin superflueret tertius artic.

Forma Textus.

„ CONCL. est: *Proprijssimè conuenit personæ assu-*
„ *mere naturam. Probatur*; quia persona est huius assumptionis principium, & terminus; ergò proprijssimè; &c. *Antecedens, quoad priorem partem probatur*; quia carnis assumptio per actionem diuinam facta est; at personæ diuinæ propriè, competit agere; ergò persona diuina est principium assumptionis. *Quo ad secundam verò partem probatur*; quia vnio facta est in persona, vt dictum est *supra qu. 2. a. 2.* ergò etiam persona est huius sumptionis terminus. *Consequentia* verò principalis enthimematis probatur; quia, in verbo assumptionis duo importantur, videlicet principium actus, & terminus; nam assumere dicitur, quasi ad se sumere.

Expositio Textus.

SINGVLOS terminos Conclusionis explicat accuratè Caietanus. Vbi tamen aduerte nomen *personæ* quamquam in ea sumatur abstractione, quam hic explicat idem interpres, accipiendum esse propriè; prout scilicet significat subsistens completum in diuina natura, non curando pro nunc, an illud sit absolutum vel relatiuum, licèt verè non sit aut esse posset nisi relatiuum.

Vide etiam apud eundem & apud Porrectam & Suarez. declarationem responsionum ad argumenta D. Thom. & præsertim ad primum, vbi (vt Porrecta & post eum Suarez aduertit) non negat S.D. per assumptionem humanitatis, & vnionem cum persona diuina aliquid ipsi personæ realitatis adiungi: alioquin si per assumptam humanitatem nihil reale adderetur Verbo seu diuinæ personæ de nouo, Verbum siue Deus non fieret realiter homo de nouo: sed negat Deo quidquam addi reale, quod illi imperfectionem adiungat. Cætera vide, si placet apud dictos expositores.

Disputat hic Suarez de vnitate & pluralitate existentiæ & subsistentiæ diuinæ: de qua latè diseruimus *1. p. q. 39. a. 4. controu. 1. & q. 28. a. 2. in expositione textus*. Med. *in postrema parte sui com. ad hunc art.* disputat eruditè de veritate conclusionis D. Tho.

PRIMA CONTROVERSIA.

An ita sit proprium diuinæ personæ posse naturam creatam assumere, vt nec per Dei potentiam absolutam persona creata possit alienæ naturæ suam communicare personalitatem & in ea subsistere?

PRIMA *sententia* solet tribui Tertulliano *in libr. de carne Christi, cap. 4. & 6. & libr. 3. contra Marcionem, cap. 9.* dicenti, Angelos cùm assumunt corpora vnire ea sibi in vnitatem personæ; quam opinionem sequutus Origenes ait, Malachiam fuisse angelum incarnatum, vt notat D. Hieronymus *in præfat. super Malach. & in Comment. in Agæum, ca. 1.* Affirmat etiam idem, scilicet Origenes *in 2. Tomo in Ioan. exponens ea verba Ioan. 1. Hic venit in testimonium, &c.* plures Angelos olim incarnatos fuisse, & ex eis vnum fuisse Ioannem Baptistam. Sententia Doctorum.

Secunda sententia huic proxima fuit Ochami *in 3. dist. 1. q. 1. dub. vlt. ad 13.* & Gabr. *eadem dist. q. 2. ar. 3. dub. 5.* Mai. *q. 5.* Almaini, *q. 2. dub. vlt.* & Scoti, *q. 4.* Qui tamen oppositam existimat esse probabilem. Hi docent, posse creatam personam humanam aut Angelicam per Dei potentiam absolutâ alienam naturam assumere ad vnitatem sui personalem. Eandem opinionem sequitur Pesantius *super hoc a.*

Tertia sententia est Valentiæ *super hac quæst. puncto vlt.* Vbi quatuor dictis suam explicat opinionem. Primum est: si sermo sit de persona iam creata secundùm legem Dei ordinariam, non potest etiam per Dei potentiam absolutam terminare alienam naturam. Secundum est, si sermo sit de persona possibili creari à Deo, valdè probabilis est opinio Ochami, videlicet possibile esse per Dei potentiam absolutam, aliquam personam creari eiusmodi perfectione essentiali ab initio suæ creationis præditam, vt possit hypostaticè terminare alienam etiam naturam. Tertium est, satis probabiliter posse concedi per abso-

absolutam Dei potentiam personam aliquam creari posse, quæ terminare valeat infinitas naturas, si infinitæ essent. Vltimum est: non omnis persona creata, quæ plures posset terminare naturas, eo ipso posset terminare infinitas.

Vltima sententia est D. Tho. *hic ad 2.* dicentis, proprium esse diuinæ personæ propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus diuersarum naturarum; non quidem accidentaliter; sed secundùm substantiam. Ex quibus verbis deducunt Cai. & Med. *super hoc a.* Suar. *disp. 13. sect. vlt.* Vasq. *disp. 25.* & Aluar. *disp. 18.* secundùm mentem D. Tho. personam creatam nec per Dei potentiam absolutam vniri posse personaliter alienæ naturæ. Quam sententiam præter dictos expositores sequuntur etiam Durand. *dist. 1. q. 5.* Palud. *q. 1. a. 2.* Sotus *in 4. dist. 9. q. 2. a. 2.* & Henric. *quodlib. 11. q. 10.* sed in afferenda veritatis huius probatione valdè dissentiunt: quilibet enim ex recentioribus alterius probationes reijcit, vt minimè sufficientes & vnam aliam aut plures in medium affert, vt efficaces; Nos hic ea tantùm attingemus, quæ definiendæ ac explicandæ veritati fuerint oportuna.

Ad Hvivs Controuersiæ resolutionem præmittendæ sunt primò quatuor distinctiones quibus aperietur sensus quæsiti & aditus patefiet inuestigandæ veritati. Secundò statuenda sunt quædam fundamenta, ex quibus tertiò deducendæ sunt conclusiones, & tandem aduersariorum argumenta diluenda.

Resolutio. Propositis quatuor distinctionibus declaratur sensus quæsiti.

Prima distinctio est; Quæstio hæc potest moueri dupliciter, videlicet de facto num scilicet aliqua persona creata, puta Angelus, nonnunquam assumat alienam naturam, puta naturam hominis, ignis, nubis? &c. & potest moueri de possibili, an scil. fieri possit hæc assumptio, tametsi nunquam actu facta fuerit? quæstio hæc est de possibili tantùm; cum de facto satis perspicuè constet pars negatiua, vt dicemus. *Secunda distinctio* est; de persona creata dupliciter loqui possumus: vno modo sumendo personam creatam pro ea, quæ iam actu secundùm legem ordinariam est à Deo producta: Alio modo accipiendo personam creatam pro quacunque persona; non solùm creata; sed etiam à Deo creabili per absolutam eius potentiam: In hac quæstione loquimur cum D. Thom. Caietan. & alijs Thomisticæ doctrinæ professoribus de persona creata secundo modo sumpta. *Tertia distinctio* est: Quæstio hæc potest esse de possibili tripliciter: Primò secundùm potentiam personæ creatæ naturalem: Secundò secundùm potẽtiam ordinariam ipsius Dei; quatenus est agens supernaturale, vel etiam creatæ personæ illi à Deo communicatã eo modo, quo Sacerdoti communicatur facultas absoluendi pœnitentes confessos à peccatis, & transubstantiandi panem in corpus Christi, & vinum in sanguinem. Tertiò secundùm Dei potentiam absolutam, qua potest efficere quidquid non implicat simul rationem entis & non entis, siue quod non implicat contradictionem, vt ait S. D. *1. p. qu. 25. a. 3.* hic quæstio est præcipuè de possibili tertio modo sumpto de alijs autem modis, quasi secundariò. *Vltima distinctio* est: cùm in assumptione alienæ naturæ ad vnitatem personalem duo sint, videlicet actus assumendi & assumptæ naturæ terminatio seu personatio quæstio hæc duplex esse potest, nimirum tam de actu assumendi quàm de terminatione, num scilicet creatæ personæ possit vtrumque conuenire, vel de solo actu terminandi seu personatione, ita vt quæstio sit: an licèt persona creata non possit alienam naturam assumere, & eam sibi personaliter copulare, saltem possit Deo illam vniente terminare, adeò vt nulla sit ex parte personæ creatæ repugnantia: & quamuis hæc controuersia vtramque difficultatem includat, præcipuè tamẽ secundam intẽdit: circa eam enim versantur omnes ferè supra notatæ Doctorum opiniones. Quibus præmissis.

Notandum est primò, personalitatem esse terminum rationalis naturæ realiter ab ea distinctum, & personæ intrinsecum vt eius formale constitutiuum: adeò vt persona vel suppositum sine tali termino, nec per primam operationem possit intelligi, vt ostendimus *1. p. quæst. 50. artic. 2. Controuers. 3.* Pertinet igitur personalitas & suppositalitas ad intimam personæ suppositique substantiam. Cùm itaque substantia prima, quæ est ipsum suppositum, non suscipiat magis neque minus secundùm substantialem sui perfectionem: adeò vt vna & eadem numero substantia prima nequeat esse modo magis & modo minus perfecta, vt ait Aristoteles *in prædicamentis:* Consequens est vanam ac planè ridiculam & absurdam eorum phantasiam, qui dicunt posse per Dei potentiam personalitatem hanc extendi, vt possit vnam aliam aut etiam plures naturas terminare. Quemadmodũ enim aucta vel imminuta substantiali specificæ differentiæ perfectione, iam non esset eadem differentia, nec species per eam constituta, sic variata personalitatis seu suppositalitatis perfectione, qua substantia prima constituitur vt sit principaliter & maximè substantia, iã non remaneret eadem numero personalitas aut suppositalitas, nec eadem persona vel suppositum; nam sicut formalibus differentijs species constituuntur & ab inuicem distinguuntur; ita gradibus indiuidualibus intimis & substantialibus constituuntur & differunt ab inuicem substantiæ primæ: nihil verò magis ad gradum huius suppositi indiuidualem pertinet, quam tantæ perfectionis suppositalitas, igitur ea variata non remanebit idem numero suppositum aut persona; igitur impossibile est etiam per absolutam Dei potentiam huius Angeli personalitatem ad maiorem perfectionem extendi, vt possit vnam aliam aut plures substantiales naturas terminare.

Ex propria ratione & modo perfectionis personalitatis tam absolutæ sumptæ quàm creatæ vel increatæ probatur non posse creatã personalitatem per Dei potentiam absolutam eleuari, vt alienã terminet naturam ad modum causæ principalis, aut instrumentalis.

Secundò sciendum est, habitudinem personalitatis seu suppositalitatis ad naturam ea personatam & suppositatam esse habitudinem termini substantialis instar formę perficientis & complentis naturam, vt sit per se subsistens separatim vt quoddam totum & perfectum; Ex quo *sequitur primò*, per nullum accidens reale: aut intentionale à Deo superadditum augeri aut extendi posse personalitatem, vt de nouo terminet aliam naturam: Nullum enim accidens augere potest propriam & intimam substantię perfectionem & eis substantialem, ac formalem effectum ex tali perfectione prouenientem adiungere: implicat enim augeri substantialem perfectionem intrinsecè aut eius formalem effectum, & hoc fieri per extrinsecum accidens illi superadditum; sicut etiam implicat munus realitati substantiali proprium immediatum & connaturale per qualitatem extrinsecus additam exerceri, non minus quàm implicet albedinem formaliter calefacere, aut calorem formaliter dealbare, aut lineam albedine formaliter terminari. *Secundò sequitur*, non posse creatam personalitatem per Dei potentiam absolutam eleuari, vt alienam naturam terminet vt instrumen-

mentum ; implicat enim personalitatem actum circa naturam exercere terminandi, & non tanquam in suo ordine principalem ; quoniam vt scitè recentiores aduertunt , personalitatem aliquam terminare naturam idem est, quod proprium suum illi esse personale communicare: hoc autem est concurrere ad modum causæ principalis:nam quod se ipso formaliter concurrit, & immediatè ac propria virtute & per esse proprium, hoc ipso concurrit vt causa principalis in suo ordine: causa namq; instrumentalis, solùm ex motione principalis agentis operatur; ergò non est possibile creatam personam terminare naturam alienam, vt instrumentum diuinæ virtutis principaliter operantis.

Tertiò recolenda sunt, quæ diximus *in 1.p. quæst. 39. ar. 4. Controu. 1.* de duplici in Deo subsistentia, nimirum essentiali & personali ; ex quibus tria præcipuè ad rem præsentem pertinent . *Primum* est , essentialem subsistentiam vt in tribus personalibus relationibus intimè clausam per eas modo nostro intelligendi modificari,adeò vt iuxta dictarum relationum pluralitatem, plures ab inuicem distinctæ realiter resultent subsistentiæ personales. *Secundum* est , essentiæ diuinæ per se primò conuenire subsistentiam , & per ipsam relationibus & personis; ac proinde personalem subsistentiam modo nostro concipiendi , ex essentiali deriuari & personas diuinas seipsis quidem esse formaliter subsistentes sed hoc habere ab essentia radicaliter. *Tertium* est , personalem subsistentiam diuinæ personæ , puta Patris dicere perfectionem simpliciter, quatenus subsistentia est ; sed quatenus Patris est , abstrahit à perfectione & imperfectione : sic enim dicit relationis respectum , qui neque perfectio est neque imperfectio ; sicut etiam eadem personalis subsistentia ratione inclusæ incommunicabilitatis non dicit perfectionem neque imperfectionem . Tota igitur perfectio, quam subsistentia personalis dicit in Patre , eadem numero est in Filio & Spiritu sancto , vt hic etiam aduertit Caietanus & alij : & ideò non sunt in diuinis realiter distinctæ perfectiones , sed vna tantùm ; & quia quælibet diuina imperfectio simpliciter est infinita ; ideò subsistentia personalis , quæ perfectio simpliciter est, suam habet modo sibi proprio conuenientem infinitatem: hæc autem non est infinitas in essendo,aut in causando formaliter,loquendo de subsistentia personali,prout ab essentiali distinguitur ; sed in terminando: & sicut ab essentiali subsistentia , quæ per se primò diuinæ conuenit essentiæ , deriuantur tanquam ex radice ac primo fonte subsistentiæ personales ad tria suppositа relationibus formaliter subsistentibus constituta ; ita subsistentiæ personalis infinitas ex infinitate Deitatis & essentialis eius subsistentiæ , velut ex radice ad ipsam personalem subsistentiam,formaliter conuenit, deriuantur, vt hic etiam admonet Caietanus.

Quartò considerandum est , terminare seu supponitare naturam , sicut nullam dicit causalitatem, vt notat *hoc in loco* Caiet. & latius *infra quæst. 4. a. 2.* Quod nos etiam vberius explicauimus *1.p. qu. 50. ar. 2. in 1. Controu.* ita nullam de nouo perfectionem adiungit personæ aut subsistentiæ terminanti naturam alienam , quamuis , vt notant recentiores, posse terminare naturam alienam dicat perfectionem in persona vel subsistentia potente eam terminare. Sed obseruandum est aduersus Valent. & alios ex eadem omnino perfectione , tam secundùm rem quàm secundùm modum seu gradum personæ aut subsistentiæ conuenire , vt possit vnam aliquam extraneam naturam & plures aut etiam infinitas terminare , vt hic asserit cum Durando Caietanus , ob eam causam quòd vbi pluralitas non facit differentiam, nec infinitas eam faceret, si infinitas esset possibilis; quod axioma verum est; quando ex eodem principio nascitur possibilitas aut impossibilitas pluralitatis & infinitatis , vt patet ex Aristotele *in 4. Physic text. 76.* arguente,si duo corpora possunt esse simul in vno loco, non impedirent nec etiam plura aut infinita simul esse prohiberent . Ratio verò propria,cur personalitas creata non possit alienam naturam terminare hæc est : Quia terminat naturam sibi propriam per modum naturalis adæquationis, nec aliam aut alias personalitates continet formaliter aut eminenter , vt possit earum munera vel actus in terminando supplere , sicut potest diuina subsistentia , quæ creatas omnes & creabiles in vna sua simplicissima ratione continet eminenter . Et si dari possit vna creata personalitas, quæ vnam aliam contineret eminenter , id esset, quia superioris ordinis esset ac proinde contineret etiam infinitas ad inferiorem ordinem pertinentes , quarum officia supplere posset in terminando singulas earum naturas . Iam autem ostendimus non posse vnam personam fieri alterius naturæ terminum per modum instrumenti , nec eius perfectionem aut virtutem extendi posse , sed actum personaliter terminandi fieri non posse, nisi per modum causæ principalis.

Quintò obseruandum est , subsistentiam personalem in diuinis dicere perfectionem simpliciter infinitam,vt ostendimus *in 1.p. quæst. 39. art. 4. Controu. 1. §. Sed iam de triplici. & qu. 28. a. 2. Controu. 1. & 2.* Quod etiam hic affirmat Caietanus : Et quamuis infinitas diuinæ personæ non sit in causando sed in terminando: ad modum tamen attinet perfectionis simpliciter; nam vt hic ait idem expositor infinitas Dei prout est personæ, dat illi perfectionem infinitam in terminando, quia scilicet non solùm est actu terminus diuinæ naturæ,quæ simpliciter est infinita,sed cùm omnes tam factarum quàm factibilium creaturarum subsistentias & personalitates contineat eminenter , potest infinitas , si tot esse possent,naturas terminare: Quare falsa est Vasq. doctrina, *disp. 26. c. 4.* negantis, essentiam diuinam in conceptu relationis includi , & rationem subsistentiæ relationi ab essentia prouenire,& relationes personales infinitatem vllam includere : de quibus latè contra eundem expositorem disputauimus *in allegata quæst. 28. articul. 2. Controu. 1.* *Vasq. doctrina reijcitur.*

Ex dictis *sequitur primò*, D. Thom. *hic ad 2.* rectè ex infinitate diuinæ personæ probasse illi soli proprium esse , vt fiat in ea concursus diuersarum naturarum secundùm subsistentiam . *Secundò sequitur*, Dur. & Cai. bene probasse personæ infinitatem esse necessariam , vt possit subsistere, nedum in propria sed etiam in aliena natura per illud axioma : *Vbi pluralitas non facit differentiam, nec infinitas haberet differentiam*, &c. *Tertiò sequitur* , propriam causam , cur persona creata non possit alienam naturam assumere , aut illi diuina virtute copulari, eam esse quam nos adduximus, à qua parum distant illæ,quas adducunt Vasq. & & Aluar. *Vltimò sequitur*, personam creatam neque potentia sua naturali neque potentia Dei ordinaria , neque absoluta vniri posse secundùm subsistentiam alteri naturæ.

PRI-

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCLVS. *Infinitas perfectionis diuinæ personæ in terminando propria causa est, vt fieri possit in ea concursus diuersarum naturarum secundùm subsistentiam. Cuius optima probatio est, quam afferunt Durand. & Cai.*

SECVNDA CONCLVSIO: *Persona creata, nec per naturalem suam virtutem, nec per Dei potentiam ordinariam potest alienam naturam terminare.* Probatur primò; quia persona creata non est infinita simpliciter in terminando, nec continet eminenter alias personalitates. Secundò: quoniam alias mysterium Incarnationis non esset miraculum omnium miraculorum. Alias probationes lege apud recentiores.

TERTIA CONCLVSIO: *Persona creata non potest per Dei potentiam absolutam vniri alteri naturæ secundùm subsistentiam.* Probatur primò; quoniam implicat contradictionem: esset enim finita, & infinita; Deinde non potest vniri, nec ad modum causæ instrumentalis, nec ad modum causæ principalis, vt probauimus; ergò. Probatio verò Suar. friuola est, vt bene probant Vasq. & Aluar.

Suar probatio reijcitur

Obi cont. 1. concl. 2.

CONTRA *primam concluſ.* est argumentum Scoti relatum & solutum à Cai. Cuius solutionē impugnat Vasq. quia ratio terminandi alienam naturam est relatio personalis; quoniam illud est ratio terminandi alienam naturam, quod est proprium personæ terminantis naturam ipsam; proprium autem est sola relatio; in conceptu verò relationis non includitur essentia; ac proinde nec vllum genus infinitatis, neque subsistentia prouenit relationi ab essentia; quia subsistentia est sola ratio personæ, & sola proprietas personalis & sola relatio; ergò infinitas diuinæ personę in terminando non est propria ratio &c. *Resp.* rationem quidem terminandi esse relationem personalem, sed in eius conceptu includi essentiam, vt ostendimus *in prima parte, loco notato*, & tamen ipsa relatio sic sumpta propria est personæ per eam constitutę, vt ibi declarauimus: & ideò relationi conuenit infinitas & subsistentia formaliter in eam ab essentia diuina deriuata.

Sol.

Obi. 2.

Contra eandem conclusionem quo ad secundam partem, scilicet probationem Durandi & Caiet. argumentatur Valen. Maior perfectio requiritur in personalitate ad terminandum plures naturas; ergo infinita perfectio requiritur ad terminandum infinitas naturas; ergo falsa est illa maior Durandi & Caietani. Vbi pluralitas non facit difficultatem, nec infinitas eam facit.

Volut.

Resp. falsum esse antecedens videlicet maiorem perfectionem requiri in personalitate ad terminandum tres aut quatuor aut centum naturas, quàm duas; quoniam, vt supra diximus, ex eadem causa qua potest duas, potest & tres & decem & centum & etiam infinitas, si tot esse possent, terminare, & è contra, id est, ex eadem causa, qua non potest centum, & infinitas terminare, non potest tres vel duas tantum terminare.

CONTRA *secundam* concl. sunt dicta Tertul. & Orig. innixa narrationibus scripturarum, quæ angelos in assumptis corporibus appellant homines, & quædam illis tribuunt opera vitæ, quibus satisfaciunt Med. Val. Suar. & Vasq. præter quæ, sunt etiam quædam argumenta, quæ profert & soluit Med.

Est. 3 concl. Obi.

CONTRA *tertiam* concluſ. sunt argumenta, quę referunt & soluunt Med. *super hoc a.* & Aluar. *disp. 18.* Contra eandem concl. argumentatur Val. quia posset à Deo creari persona finita, quæ esset altioris ordinis, quàm omnes aliæ personæ creatæ; igitur hæc posset plures & infinitas etiam naturas terminare. *Resp.* falsum esse antecedens, quia non est possibile dari altiorem ordinem, quàm sit ordo creaturæ spiritualis, vt ostendimus *in 1. p. qu. 50. a. 1.* Alia, quæ profert idem expositor aduersus hanc concluſ. non sunt argum. sed verba. Sol.

ARTICVLVS II.

Vtrum diuinæ naturæ conueniat assumere.

3. d. ſt. 4. q. 2. a. 2.

AD *secundum sic proceditur. Videtur, quòd naturæ diuinæ non conueniat assumere. Quia, sicut dictum est, assumere dicitur quasi ad se sumere. Sed natura diuina non sumpsit ad se humanam naturam: quia non est facta vnio in natura, sed in persona: sicut supra dictum est. Ergo naturæ diuinæ non competit assumere naturam humanam.*

Art. præc.

q. 2. a. 1 & 2.

Præterea, Natura diuina communis est tribus personis. Si ergo naturæ conuenit assumere, sequitur quòd conueniat tribus personis. Et ita Pater assumpsit naturam humanam, sicut & Filius: quod est erroneum.

Præterea, Assumere est agere. Agere autem conuenit personæ, non naturæ, quæ magis significatur, vt principium, quo agens agit. Ergo assumere conuenit naturæ.

c. 2. to. 3.

Sed contra est, quod Augustl. dicit in libr. de Fide ad Pet. Illa natura, quæ semper genita manet ex Patre, id est, quæ est per generationem æternam accepta à Patre, naturam nostram à matre sine peccato suscepit.

Respondeo dicendum, quòd, sicut dictum est, in verbo Assumptionis duo significantur, scilicet principium actionis, & terminus eius. Esse autem Assumptionis principium, conuenit naturæ diuinæ secundùm seipsam: quia eius virtute Assumptio facta est. Sed esse terminum assumptionis non conuenit naturæ diuinæ secundùm seipsam: sed ratione personæ, in qua consideratur. Et ideo primò quidem, & proprissimè persona dicitur assumere: secundariò autem potest dici, quòd etiam natura assumpsit naturam ad sui personam. Et secundùm etiam hunc modum dicitur natura incarnata: non quasi sit in carnem conuersa, sed quia naturam carnis assumpsit. Vnde Damascenus dicit, dicimus naturam Dei incarnatam esse, secundùm beatos Athanasium, & Cyrillum.

Lib. 3 ca. 6. Ath. in Symbol.

Ad primum ergo dicendum, quòd ly se, est reciprocum, & refert idem suppositum. Natura autem diuina non differt supposito à persona Verbi: & ideò inquantùm natura diuina sumit naturam humanam ad personam Verbi, dicitur eam ad se sumere. Sed quāuis Pater sumat naturam humanam ad personam Verbi, non tamen propter hoc sumit eam ad se quia non est idem suppositum Patris, & Verbi, & ideo non potest dici propriè, quòd Pater assumat naturam humanam.

Cyr. in conc. Chalc. act. 1. post epist. Cyr. ad Ioā. Epist. Ant.

Ad secundum dicendum, quòd illud, quod conuenit naturæ diuinæ secundùm se, conuenit tribus personis: sicut bonitas, sapientia, & huiusmodi. Sed assumere conuenit ei ratione personæ Verbi, sicut dictum est. Et ideò soli illi personæ conuenit.

Ad tertium dicendum, quòd sicut in Deo idem est, quod est, & quo est: ita etiam in eo idem est, quod agit, & quo agit: quia vnumquodq; agit, inquantum est ens. Vnde natura diuina est illud, quo Deus agit, & est ipse Deus agens.

Sensus quæsiti.

TRES tituli terminos explicat accuratè Caietanus dicens, *diuinam naturam* hic sumi, non vt significatur per modum naturæ tãtùm, vt nomine Deitatis, sed etiam vt accipitur per modum subsistentis in natura vt sic; quomodo significatur nomine Dei siue huius Dei, id est Dei, non quasi specificè sed indiuidualiter sumpti. *Verùm* Suarez ait existimare se D. Thom. præcipuè intendere priorem sensum; quia de hoc Deo vt abstrahit à personis, nihil disseruit S. Tho. *Sed fallitur* Suar. qui responsionem ad 3. argum. cui nititur expositio Caiet. nimis apertè dissimulauit; dicendo namque D. Thom. in Deo idem esse quod agit & quo agit; ac proinde naturam diuinam esse quo Deus agit, & ipsum Deum agentem, perspicuè declarat dictum suum in corpore, videlicet esse principium actionis conuenire naturæ diuinæ secundùm se ipsam intelligendum esse, non solùm de principio quo, sed etiam de principio quod; atque ideo naturam ibi sumi præcipuè vt concretè significatur, & vt sumitur pro hoc Deo habente Deitatem; & eodem modo accipiendam esse naturam in titulo. Et confirmatur: quoniam actiones sunt subsistentium, cum hic quæratur de actione assumendi, an naturæ conueniat, de natura per modum subsistentis significata præcipuè debet intelligi: significatur autem, vt subsistens diuina natura per hoc nomen Deus; quia significat eam per modum habentis naturam, siue per modum suppositi, cui propriè conuenit subsistentia.

Suar interpretatio reijcitur.

Forma Textus.

» PRIMA CONCLVSIO est: *Primò & proprijssimè persona dicitur assumere, secundariò autem potest dici quòd etiam natura assumpsit naturam ad sui personam.* Probatur; quia in verbo *assumptionis* duo significantur, scilicet principium actionis & terminus eius: at esse principium actionis conuenit naturæ diuinæ secundùm se ipsam; esse verò terminum assumptionis non conuenit naturæ diuinæ secundùm se ipsam, sed ratione personę in qua consideratur; ergo primò & proprijssimè persona dicitur assumere, &c. Prima propositio patet ex articulo præcedenti. Secunda verò quoad priorem partem probatur: quia virtute naturæ diuinę assumptio facta est; posterior verò patet ex articulo præcedente, in quo etiam probatum est personam esse propriè principium assumptionis.

» SECVNDA CONCL. *Natura diuina dicitur incarnata, non quasi sit in carnem conuersa; sed quia naturam carnis assumpsit*; hæc sequitur ex prædictis. Et confirmatur authoritate Damasceni dicentis *lib. 3. Fid. Orthod. cap. 6.* Dicimus naturam Dei incarnatam esse secundùm beatos Athanasium & Cyrillum.

Expositio Textus.

NOTANDA *sunt primò* quæ circa probationem secundæ partis minoris aduertit Cai. & post eum Vasq. *in explic. a.* & ea quæ circa eandé partem ex SS. Patribus notat Suarez & ante eum Valentia.

Secundò circa dictum Augustini relatum *in argum. sed contra* duo sunt obseruanda. Primum impropriam & in rigore falsam esse locutionem illam *Natura, quæ semper genita manet ex Patre.* Vt patet *ex 1. p. qu. 39. ar. 5.* & ideò S. D. exponit vt sit sensus: Natura, quæ est per generationem æternam accepta à Patre, quæ expositio verissima est.

Sed ea admissa (inquit Suar.) dictum illud Augustini fit inefficax ad posteriorem illam partem minoris comprobandam; quia pari ratione exponi poterit in sensu improprio, dicendo naturam genitam ibi sumptam esse impropriè pro persona, vt etiam litteræ contextus indicare videtur; *sed hùic* cauillationi facilè satisfit, *dicendo primò* argumentum illud *sed contra*, quod pro vera sententia solet adducere S. D. non semper probare veritatem, sed nonnumquam nimis probare, aut etiam falsum concludere, adeò vt solutis prioribus argumentis illi etiam in fine respondeat. Proponitur enim illud argumentum, vt alteram etiam partem propositæ difficultatis reddat verisimilem. *Secundò dico:* D. Augustinum de natura diuina duo dicere: alterum est illam esse genitam, id est per generationem acceptam, vt hic exponit S. D. alterum est eam assumpsisse nostram naturam, quorum vtrumque verissimum est, essentiam namque diuinam Filius à Patre per æternam generationem accepit, & eadem essentia vt principium assumptionis naturam nostram assumpsit. *Tertiò dico*, exposita priori parte in sensu improprio, vt scilicet natura genita stet pro persona, adhuc posterior pars in proprio sensu verissima est, scilicet naturam diuinam assumpsisse naturam nostram ex matre: non enim absurdum est, naturam in duabus eiusdem locutionis partibus variè sumi; quia talia sunt subiecta, qualia permittuntur à prædicatis: prioris verò partis prædicatum, scilicet *genita*, non permittit vt natura assumatur pro essentia, quod tamen permittitur à posterioris partis prædicato, illo videlicet *naturam nostram susceptit*: constat enim non repugnare, sed suo modo conuenire naturæ diuinæ nostram naturam assumere. *Postremò* dico sufficere, nomen naturæ, & Verbum assumẽdi siue suscipiendi, vt ex Augustini dicto redderetur apparens oppositæ veritas, quam S. D. solido probaturus erat argumento; quare debuit abstinere Suar. à censura.

Suarezij explicatio. *Reijcitur:*

Tertiò circa secundam concl. vide, quæ scribit Med. *in vlt. suo dub. super hoc a.* POstremò lege quæ scribunt Cai & Suar. circa responsiones ad argumenta D. Th.

PRIMA CONTROVERSIA.

An persona diuina naturam humanam terminauerit ratione diuinæ essentiæ, vel alicuius proprietatis, aut perfectionis absolutæ, vel ratione proprietatis relatiuæ?

Sententiæ Doctorum.

TOTA ferè huius Controuersiæ difficultas oritur ex varia Doctorum opinione circa rationem diuinæ subsistentiæ; de qua disputat hic subtiliter & eruditè Caiet. & post eum Med. & Suarez vberrimè, *disputatione 11.* Nos de hac re latè disserimus *in 1. parte, quæstione 39. articulo 4. Controu. 1.* Vbi tres Doctorum sententias examinauimus, & solam Caiet. sententiam veram esse probauimus. Et quia Cai. hic & Med. *in suo Comm.* Et Suar. *disp. 12. sect. 2.* Valen. *puncto 1.* & Vasquez *disp. 26.* & Aluar. *disp. 21.* doctrinam D. Th. in prima Concl. benè declarant & tuentur egregiè; ideò propositæ Controu. discussionem, vt minimè necessariam omittemus. Quædam tamen erunt in disputationibus Suar. & Vasq. à lectore cauenda.

Camillus Suar.

Nam primò Suarez *in allegata disput. 2. sect. 2.* ait Caiet. asserentem cum Scoto, diuinam relationem,

nem, vt sic non dicere perfectionem, vix posse vitare quin vel relatio habeat vim terminandi à perfectione absoluta, quam habet ratione essentiæ; vel terminet, prout nullam dicit perfectionem: nam si relatio diuina, vt sic nullam dicit perfectionem; ergò non continet eminenter personalitatem creatam: ergò non potest supplere vicem illius; ergò secundùm propriam rationem non potest esse terminus huius vnionis. *Sol.* *Cui cauillationi* facilè satisfit ex doctrina Caietani *hic & in præcedenti articulo*, dicendo relationes personales dupliciter posse considerari: Vno modo quatenus dicunt ad seu respectum ad terminum, quomodo non sumuntur secundùm eorum integram & completam rationem: alio modo quatenus sunt personarum constitutiuæ, veluti hypostaticæ formæ; & ita sumuntur secundùm perfectam & completam eorum rationem. Cùm igitur ait Cai. relationes diuinas vt relationes sunt, nullam dicere perfectionem de eis loquitur priori modo sumptis: sic enim nullam possunt dicere perfectionem, vt ostendimus *in 1. parte, quæst. 28. ar. 2. Controu. 2.* & secundùm hanc rationem præcisè sumptam non habet filiatio vt terminet assumptam humanitatem; quoniam vt sic nulla conuenit illi subsistentia essentialis aut personalis, qua sola potest assumpta natura terminari. Cùm autem hic affirmat, Verbum ratione proprietatis suæ personalis humanitatẽ assumptam terminare, de proprietate seu relatione personali loquitur integrè sumpta, quam *in articulo præcedente* dixerat habere perfectionem infinitam in terminando, & tamen nullam dicere causalitatem: hic autem duo dicit, primum est; Filium subsistere formaliter sua personalitate, quæ est ipsa filiatio. Secundum est; subsistere esse formaliter magis personale quàm essentiale in diuinis. Quibus si addamus subsistentiam formaliter esse perfectionem simpliciter; sequitur euidenter ac necessariò relationem personalem, puta filiationem integrè sumptam dicere perfectionem simpliciter infinitam in terminando; atque ideò continere personalitatem omnem creatam & creabilem eminenter. Et ex ijs soluitur quædam difficultas, quam idem expositor in fine dictæ disput. proponit, dicens non videri quomodo humanitas Christi possit terminari per relationem, quin Christus vt homo referatur ad patrem; *dicendum est enim* Christi humanitatem terminari per relationem filij quatenus est subsistentia personalis seu personalitas ipsius filij; ita vt ratio terminandi conueniat subsistentiæ & personalitati, vt personalitas est formaliter, relationi verò siue filiationi vt relatio est, quasi materialiter: constat autem subsistentiam & personalitatem diuinam sub hac ratione personalitatis & subsistentiæ non dici ad aliud; vt cum Augustin. *7. de Trin. cap. 6.* docet S. D. *in 1. p. q. 29. a 4. ad 1.* Solutiones autem Suar. lege, si placet, apud eum loc. not.

Vasquezij impostura. *Deinde aduerte* Vasq. *c. 2. & 3.* imponere Caiet. quòd docuerit in Deo quatuor esse subsistentias, vnam absolutam & tres relatiuas, quæ est manifesta calumnia: nam, sicut hic Deus non ponit in numerum cum Patre & Filio & Spiritu S. sed tres istæ personæ sunt vnus & idem Deus; sic essentialis subsistentia non ponit in numerum cum tribus personalibus subsistentijs; eo quòd hæ tres subsistentiæ personales sint realiter vna & eadem essentialis subsistentia, vt latè cum Caietano declarauimus *1. p. in alleg. Controu. 2. ad a. 4. q. 39.* Non sunt ergo quatuor in diuinis subsisten-

A tiæ simpliciter loquendo; quia essentialis subsistentia à nulla ex personalibus est distincta realiter, & ideò non ponit cum eis in numerum. Cur autem in Deo dicantur absolutè quatuor esse relationes; cùm spiratio actiua sit eadem realiter paternitati & filiationi diximus *in 1. p. qu. 32. a. 2. Contr. 3.*

Suarezij impostura. *Postremò scito*, Suar. *disp. 12. sect. 2.* imponere Cap. sententiam seu magis errorem Durandi, quem etiam Vasq. *disp. 26. ca. 2.* tribuit non solum Capr. sed etiam Victoriæ & Soto, quos Aluar. *in alleg. disp. 21.* ab iniuria vindicat.

Secvnda Et Tertia Controuersia.

B

DVae aliæ supereessent hic proponendæ ac definiendæ Controuersiæ, nisi satis ab alijs fuissent examinatæ, ac optimè definitæ. ALTERA est; *An per Dei potentiam potuerit aliqua creatura vnionem hypostaticam Verbi cum humanitate, vt instrumentum attingere?* Cuius partem affirmatiuam tenet Suar. *disp. 10. sect. 1.* dicens pium esse & probabile, Beatissimam Virginem ad dictam vnionem instrumentaliter concurrisse: *sed oppositam* sententiam solidioribus fundamentis innixam alij recentiores sequuntur; ac præsertim Vasq. *disp. 25. ca. 1.* & Aluar. *disp. 19* ad quos lectorem remittimus. ALTERA *Controu.* est: *An in Christi humanitate ratione mysterij Incarnationis,* C *sint Pater & Spiritus S. per concomitantiam?* Cuius partem affirmatiuam tuetur Vasq. *disp. 28. c. 2.* Sed opposita sententia quam sequitur Aluar. *disp. 20.* longè probabilior est & magis consona doctrinę D. Th. vt probat hic expositor *in alleg. disp.* Quam vide si placet.

Suar. sent. reijcitur.

Articvlvs III.

Vtrum abstracta personalitate per intellectum natura diuina possit assumere.

AD tertium sic proceditur. *Videtur, quòd abstracta personalitate per intellectum, natura non possit assumere. Dictum est enim, quòd naturæ conuenit assumere ratione personæ. Sed quod conuenit* D *alicui ratione alicuius, remoto eo, non potest ei conuenire: sicut corpus, quod est visibile ratione coloris, sine colore videri non potest. Ergo abstracta personalitate per intellectum, natura assumere non potest.* 3. d 5. q. 2. a. 3. *Art. præc.*

Præterea, Assumptio importat terminum Vnionis; vt dictum est. Sed Vnio non potest fieri in natura, sed solùm in persona. Ergo abstracta personalitate, natura diuina non potest assumere. *Art. 2. huius q.*

Præterea, In prima parte dictum est: quòd in diuinis abstracta personalitate, nihil manet. Sed assumens est aliquid. Ergo abstracta personalitate, non potest diuina natura assumere.

Sed contra est, quòd in diuinis personalitas dicitur proprietas personalis: quæ triplex est, scilicet E *paternitas, filiatio, & processio: vt in prima parte dictum est. Sed remotis his per intellectum, adhuc remanet Dei omnipotentia, per quam est facta Incarnatio: sicut Angelus dicit Lucæ primo: Non erit impossibile apud Deum omne Verbum. Ergo videtur, quòd remota personalitate, natura diuina possit assumere.* q. 40. a. 3. q. 30. a 2.

Respondeo dicendum, quòd intellectus dupliciter se habet ad diuina. Vno modo, vt cognoscat Deum sicuti est: & sic impossibile est, quòd circunscribatur per intellectum aliquid à Deo, & quòd aliud remaneat: quia totum, quod est in Deo, est vnum, salua distinctione personarum: Quarum tamen vna

tollitur ſublata alia, quia diſtinguuntur ſolùm relationibus, quas oportet eſſe ſimul. Alio modo ſe habet intellectus ad diuina, non quidem quaſi cognoſcens Deum, vt eſt, ſed per modum ſuum, ſcilicet multipliciter & diuiſim id, quod in Deo eſt vnum. Et per hunc modum poteſt intellectus noſter intelligere bonitatem, & ſapientiam diuinam, & alia huiuſmodi, quæ dicuntur eſſentialia attributa, non intellecta paternitate, vel filiatione, quæ dicuntur perſonalitates. Et ſecundùm hoc abſtracta perſonalitate per intellectum poſſumus adhuc intelligere naturam aſſumentem.

Ad primum ergo dicendum, quòd quia in diuinis idem eſt quo eſt, & quod eſt, quicquid eorum, quæ attribuuntur Deo in abſtracto, ſecundum ſe conſideretur
D.1081. *aliis circunſcriptis, erit aliquid ſubſiſtens, & per conſequens perſona, cùm ſit in natura intellectuali. Sicut igitur nunc poſitis proprietatibus perſonalibus in Deo dicimus tres perſonas: ita excluſis per intellectum proprietatibus perſonalibus, remanebit in conſideratione noſtra, natura diuina, vt ſubſiſtens, & vt perſona. Et per hunc modum poteſt intelligi, quòd aſſumat naturam humanam ratione ſuæ ſubſiſtentiæ, vel perſonalitatis.*

Ad ſecundum dicendum, quòd etiam circunſcriptis per intellectum perſonalitatibus trium perſonarum, remanebit in intellectu vna perſonalitas Dei, vt Iudæi intelligunt, ad quam poterit terminari aſſumptio, ſicut nunc dicimus eam terminari ad perſonam Verbi.

Ad tertium dicendum, quòd abſtracta perſonalitate per intellectum, dicitur nihil remanere per modum reſolutionis: quaſi aliud ſit, quod ſubijcitur relationi, & aliud ipſa relatio: quia quicquid conſideratur in Deo, conſideratur vt ſuppoſitum ſubſiſtens. Poteſt tamen aliquid eorum, quæ dicuntur de Deo, intelligi ſine alio, non per modum reſolutionis, ſed per modum iam dictum.

Senſus quæſiti.

SENSVM huius quæſiti declarat S. D. *in c.* & eũ explicat optimè Cai. & poſt eum latè Med. & Suar. qui tamen à Cai. videntur in vna præcipua parte diſſentire. Ait Cai. hic ſermonem eſſe de abſtractione ex parte intellectus tantùm, qua perſonalitates abſtrahuntur à natura diuina, non autem qua perſonalitates abſtrahuntur ſolùm ab actu Incarnationis; non autem à natura diuina. Quam ſententiam ſequuntur Valentia *puncto 5.* & Porrecta *ſuper hoc art.* Sed de vtraque abſtractione loqui D. Thom. exiſtimant & bonis coniecturis probant Medina & Suar. *in ſuo Comment. ad hunc articul.* Verùm vtraque ſententia poſſet facilè conciliari dicendo, D. Thom. hic primariò & expreſsè queſtionem proponere de natura diuina abſtractis ab ea perſonalitatibus, ſecundario autem & implicitè ſeu virtualiter aliam etiam intendere, quæ eſt de natura diuina abſtractis perſonalitatibus ſolùm ab actu Incarnationis. Nam priorem ſenſum exprimunt manifeſtè reſponſiones ad primum & ſecundum argumentum: Vbi dicitur ex tali abſtractione remanere perſonam vt Iudæi intelligunt; conſtat autem ex abſtractione perſonalitatum à ſolo actu Incarnationis non remanere perſonam vnam abſolutam in Deo vt Iudæi intelligunt: argumentum autem *ſed contra* vtrique ſenſui poteſt accommodari: Coniectura verò quam affert Suarez ex modo proponendi quæſitum, friuola eſt: ait enim in quæſito fieri ſenſum abſolutum, dum quæritur, an natura poſſit aſſumere; ſi autem quæſtio eſſet de natura, abſtractis ab ea perſonalitatibus quæſtio eſſet conditionalis, & quæſitum ſic eſſet proponendum; an poſita hypoteſi quòd in natura diuina non eſſent perſonalitates relatiuæ, poſſet illa natura aſſumere naturam creatam? Sed hæc coniectura nullius eſt omnino valoris. Nam eam virtutem, quam data illa hypotheſi intelligeretur habere tunc diuina natura, neceſſe eſt eandem nunc habere, quamuis non intelligatur eam exercere, niſi poſita conditione, ſicut ſi dicerem, Cæſarem acceptis armis & exercitu poſſe Pompeium in prælio ſuperare, ſignifico non ſolùm futuram ex hypoteſi, ſed præſentem etiam Cæſaris virtutẽ, qua victor effici poſſit in prælio: atque ideo poſſet duplici modo Cæſaris virtus exprimi; vel dicendo Cæſar acceptis armis poteſt &c. vel Cæſar acceptis armis poſſet: ſic igitur in propoſito vti congruè potuit S. D. verbo *poſſit* ad ſignificandam præſentem naturæ diuinæ facultatem non nunc, ſed poſita conditione exercendam, & congruè etiam potuiſſet vti verbo *poſſet*, ad ſignificandam eiuſdem naturæ potentiam, tunc veluti ad agendum ſeu terminandum expeditam ob poſitam in actu cõditionem: Rationes verò, quas affert Medina poſt relatam ſententiam Caietani ſatis probabiles ſunt ad ſuadendum D. Thom. ſecundùm illum ſenſum ſecundariò & implicitè ſaltem intendiſſe, & huius articuli doctrina virtualiter & conſequenter illum determinaſſe.

Coniectura Suar. friuola.

Forma Textus.

PRAEMISSA duplici diſtinctione: altera formali & explicita, & altera virtuali & implicita reſpondetur quæſito ſimiliter duplici concluſione: altera virtuali & implicita; & altera formali & explicita.

Diſtinctio explicita eſt Intellectus noſter dupliciter ſe habet ad diuina: Vno modo vt cognoſcat Deum ſicuti eſt: Alio modo non quidem quaſi cognoſcens Deum ſicuti eſt ſed per modum ſuum, ſcilicet multipliciter & diuiſim id quod in Deo eſt vnum.

Secunda diſtinctio implicita eſt: Duplex intelligi poteſt eſſe abſtractio perſonalitatum à natura diuina, ſcilicet ex parte rei vnde fit abſtractio, & ex parte intellectus tantùm. Primum huius diſtinctionis membrum correſpondet primo prioris diſtinctionis: ſecundum autem ſecundo.

PRIMA CONCL. implicita eſt: *Abſtractis perſonalitatibus primo modo, non poſſumus intelligere naturam aſſumentem.* Probatur; quia impoſſibile eſt quòd tali modo circumſcribatur per intellectũ aliquid à Deo, & quòd aliud remaneat; ergo. Antecedens probatur; Quia totum quod eſt in Deo, eſt vnum ſalua diſtinctione perſonarum; quarum tamen vna tollitur ſublata alia; quia diſtinguuntur ſolùm relationibus, quas oportet eſſe ſimul.

SECVNDA CONCL. explicita eſt: *Abſtractis perſonalitatibus ſecundo modo, poſſumus intelligere naturam aſſumentem.* Probatur; quia per hunc modum poteſt intellectus noſter intelligere bonitatem & ſapientiam diuinam & alia huiuſmodi, quæ dicuntur eſſentialia attributa: non intellecta paternitate vel filiatione; ergo abſtractis hoc modo perſonalitatibus, poſſumus intelligere naturam aſſumentem.

Expoſitio Textus.

SVAREZ *in Comment. ad hunc artic.* expendens primam diſtinctionem tria dicit. *Primum* eſt ra diſtinctionem illam eſſe veram, quoad hoc quòd in illa viſione clara non poteſt videri aliquid

Suar. cenſu-

quid in Deo; quin omnia videantur, quæ in illo formaliter sunt: in cognitione autem abstractiua potest vnum ab alio secundùm rationem separari. *Secundum* est differentiam hanc non videri multum referre ad præsentem quęstionem: Quia videns Deum & Deus ipse se comprehendens cognoscit veritatem illius conditionalis: si natura existeret sine relationibus, posset assumere: vnde etiam (inquit) in Deo vidente Deum potest esse sufficiens abstractio ad præsentę quęstionem necessaria: quia hęc non requirit cognitionem vnius sine alio, sed cognitionem propriã huius vnionis, & eius termini formalis; & licèt non videat naturam sine personis, videt tamen quid sit proprium naturæ & quid personæ; sicut etiam videt nunc Verbum terminare naturam per relatiuum; non per absolutum non terminando per relationem. & hoc modo potest dici esse in eis sufficiẽs abstractio ad vtrumque sensum quæstionis; quia illa non consistit in cognitione vnius sine alio, sed in distincta cognitione absoluti & ralatiui. *Tertium* est se existimare D. Th. non sine causa distinctionem illam hoc loco promisisse, vt in solutione (inquit) ad tertium explicabo: Vbi tamen nullam affert causam, qua necessitas ostendatur illius distinctionis & satisfiat obiectis.

Defensio. *Dico itaque* distinctionem illã propositæ quęstioni soluendæ & sermoni formali ac scientifico fuisse nó solùm opportunam, sed etiam maximè necessariam: quæsitum enim præsentis articuli: Vtrum abstracta personalitate per intellectum natura possit assumere, de abstractione formali absque dubio intelligendum est. Cum igitur hæc formalis abstractio, non per omnem cognitionis modum, quo Deus ab homine cognoscitur, effici possit sed per vnum tantùm, distingui debuerunt duo cognitionis modi prout distinguuntur in textu. Et quamuis videns Deũ & Deus ipse cognoscat veritatem illius cõditionalis: si natura existeret sine relationibus &c. & videat quid sit proprium naturæ & quid sit proprium personæ; ac proindè videre possit & videat, an natura possit terminare per absolutum, non terminando per relationem: hæc tamen non est propriè neque verè & formaliter abstractio, sed virtualiter tantùm & æquialenter, & apud scientificè formaliter & clarè docentes debet ad abstractionem formalem ab homine viatore factam reduci; & ita quæsitum proponi ac definiri; quia nec Deus aut Beati per eam cognitionem quid fieri possit intelligunt, nisi quatenus virtualis quædam abstractio est, quæ à Doctore claram planamque doctrinam profitente ad abstractionem formalem est reducenda, & secundum eam iudicanda.

CIRCA *probationem* primæ conclusionis lege quę notat Cai. circa primum modum cognitionis & abstractionis.

Aduerte præterea Caiet. & alios expositores nullam in textu probationem secundæ conclusionis agnoscere, nisi eam quæ est in argumento, *sed contra*, & eam quæ habetur ex solutionibus argumentorum; nobis autem planam litteræ seriem & sensum considerantibus apparet D. Thomam ratione supra posita conclusionem illam probare voluisse. Ad cuius euidentiam scito cõsequentiam dictæ rationis in duobus fundari. Primum est ratio assumptionis, in qua duo includuntur, scilicet principium & terminus: secundum est collectio omnium perfectionum & attributorũ diuinæ naturæ: ex quibus quædam pertinẽt ad principium, quo fit assumptio, vt omnipotentia, intellectus, volũtas, sapientia, misericordia & similia ad principium agendi pertinentia: quędam autem spectant ad terminum assumptionis formalem, vt subsistentia & existẽtia & substantia sumpta pro substãtia prima cõpleta. Cum igitur abstractis secundo abstractionis modo personalitatibus à diuina natura remaneant, tam priores quam posteriores perfectiones & attributa; cõsequens est cum dicta abstractione posse nos intelligere diuinam naturam assumentem. Et quia S. D. hæc, quæ facta abstractione remanent, aut etiam in ea resultãt, & ad terminum assumptionis pertinent, de quo præcipuè est difficultas, in responsionibus ad argumenta erat explicaturus; ideò nec latius explicauit antecedens nec illationem probauit; quia declarato antecedente, vt fit in dictis responsionibus, quo ad eas perfectiones, quæ ad terminum pertinent assumptionis, consequens ex eo sequitur euidenter & necessariò.

Postremò lege, si placet ea quæ circa respõsiones ad argumenta scribunt Caiet. Suar. & Porrecta.

CONTROVERSIA VNICA.

An existentibus in Deo tribus personis, possit natura diuina ad essentialem sui subsistẽtiam creatam naturam assumere; ita vt ad eã solam per se primò terminetur assumptio?

Sensus quæstii, & sententiæ Doctorum.

SVPPONIT hæc quæstio, diuinam essentiam concretè sumptam id est hunc Deum esse verè ac propriè subsistentem subsistentia essentiali à tribus personalibus subsistentijs distincta formaliter illi per se primò conueniente & per eam singulis in Trinitate personis: quæ tamen subsistentia non est personalitas, vt alibi diximus; cũ illi desit incommunicabilitas ad complendam personalitatis rationem necessaria. Quæritur ergò: *num ad hãc solam subsistentiam potuerit aut possit assumptio terminari?* non quomodocunque sed vt ad per se primò terminum: ita vt ad personas non æq; primò & immediatè terminetur: sed vel nullo modo vel secundariò.

Sententiam negantem tuetur Alensis *3. p. q. 7. memb. 1. a. 2. & 3.* & Bonau. *in 3. dist. 1. a. 1. q. 3.* & Capr. *ibidem, q. vnica, a. 1. concl. 4. & a. 3. ad argumenta Dur. contra 4. Concl.* & Victoria & Sotus, vt notant recentiores. Quam opinionem sequitur Vasquez negans in Deo communem & absolutam subsistentiam, per quam cõstituatur indiuiduum Deitatis, id est hic Deus: & ait naturam humanam nõ posse vniri Deo ratione illius proprietatis communis & essentialis; sed solùm singulis personis ratione personalis proprietatis, addens idem apertè docere D. Th. *in hoc art.*

Dur. affirmat vnionem actu factam fuisse cũ hoc Deo; negat tamen Patrem, aut Spiritum sanctum esse hominem, nisi cum addito inquantùm Deus. Cuius sententiam latè refert Vasquez *disp. 26.*

Val. qui cum prædictis negat in Deo cõmunem subsistentiam absolutam mediam inter existentiam per se essentialem & subsistentias relatiuas personales ait, essentiam diuinam posse assumere alienam naturam per suã existentiam essentialem per se; quia cum natura pẽdeat à personalitate extrinsecè, poterit eius virtus ab essẽtia diuina vim personalitatis eminenter præhabentę sup-

te suppleri. Qui dicendi modus quo ad hãc partem asserentem posse assumptionem ad solam existentiam terminari placet etiam Asturicensi *in Relect. de Christi gratia, quæst. 5. conclus. 3. pag. 460.* Cai. hic affirmat, assumptionem humanitatis ad solam essentialem tribus diuinis personis communem subsistentiam potuisse per se primò terminari. Quam sententiam sequuntur & tuentur Med. *super hoc articulo.* Suar. *disp. 13.* Pesantius *in sua Disput.* Aluar. *in expositione a.* & Rada *in sua 3. p. Cont. 2.*

Resolutio. PRAETER duplicem subsistendi rationem, scilicet absolutam & relatiuam, quam in Deo esse ponẽdam probauimus loco supra notato, supponenda hic etiam duo sunt. *Primum* est distinctio subsistentiæ ab existentia, de qua multa diximus *1. p. q. 50. a. 2. Contro. 3.* Secundum est, quæstionem hic esse de assumptione terminatiuè possibili ex vi substantialis subsistentiæ præcisè sumptæ; An scilicet considerato Deo prout nũc est; quatenus scilicet vnam habet subsistentiam essẽtialem & absolutam,& tres personales ac relatiuas,possit assumptio creatæ naturę per se primò & immediatè ad essentialem subsistentiam terminari; non autem æquè primò & immediatè ad subsistentias personales. Quibus præmissis.

Nõ posse diuinã nã. urã vt natura est, aut existentiam vi existentia est, assumptionẽ creatæ naturæ terminare. CONSIDERANDVM *est primò*, differentiam esse inter naturam diuinam vt natura est, & hũc Deum qui est subsistens absolutum in ipsa natura diuina, quòd diuina natura vt sic concipitur & significatur vt forma & quidditas & vt qua Deus est Deus; ac proindè quamuis sit realiter & verè subsistens in esse completo & perfectissimo; sic tamen præcisè concepta prout natura est distincta secundùm rationem habentem in re eminentissima ac simplicissima fundamentum ab habente naturam, non consideratur vt subsistẽs neque vt habens essendi complementum; nec vt principium quod operationis, quod soli subsistenti propriè conuenit;ita vt diuina natura siuè Deitas neque generet neque generetur;Deus autem qui est habens diuinam naturam &in ea subsistit & generet & generetur, vt patet *ex 1. p. q. 39. a. 4. & 5.* igitur à fortiori (vt Cai. ait) in mysterio Incarnationis diuina natura vt natura, nõ potest esse terminus assumptionis; quam tamen potest hic Deus, qui est in ipsa Deitate subsistẽs, terminare. Probatur Consequentia: Naturam diuinam vt natura est, esse terminum assumptionis est vnionem assumentis & assumptæ naturæ fieri in vna natura, quod esse impossibile probauit S. D. *in quæst. præced. a. 1.* Neque cogitari aut fingi potest aliquis modus, quo substantialiter diuina natura vt natura est, se ipsam communicet creatæ naturæ, sicut diuina persona vt persona est, seipsam communicat substantialiter humanæ naturæ secundum suam propriam personalem subsistentiam.Quod autem ait Val.& post eum Astur. posse per Dei potentiam absolutum assumi creatam naturam ad solam existentiam essentialem diuinæ naturæ præcisa quacunque subsistentia,tam essentiali quam personali, pluribus argumentis falsum esse probauimus *in q. præcedenti, a. 11. Contr. 1. q. 4.* Ad cuius ampliorem euidentiam.

Dictũ Valentiæ, & Asturicen. reijcitur.

Secundò notandum est, subsistentiam ad naturam comparari vt proprium & vltimum eius complementum, quo fit existentiæ capax;atque ideò non solùm subsistentiam esse intrinsecam rei subsistenti eo ferè modo quo forma est intrinseca composito; sed etiam naturæ dependẽtiam à subsistentia intrinsecam esse quodammodo ipsi naturæ eo ferè modo, quo dependentia siuè habitudo materiæ ad formam intrinseca est ipsi materiæ: ordo namque naturæ ad subsistentiam transcendentalis est, nec ab ipsa natura distinguitur; sed idem est quod ipsa natura, quatenus in suum tendit complementum & terminum. Ex quo sequitur, vt natura pendeat à subsistentia primariò, quatenus habet formaliter rationem subsistentiæ; atque ideò necesse est, vt id quod huius termini & complementi munus exercet, siuè naturaliter vt propria naturæ personalitas, siuè supernaturaliter vt in mysterio Incarnationis, supplendo propriam & creatam subsistentiam, hoc ipso rationem habeat subsistentiæ, non virtualiter solùm sed etiam formaliter: id enim est formaliter subsistentia, quod formaliter terminat & complet naturam; ita vt sit quo formaliter natura subsistit. Et confirmatur; quia subsistentia vt sic est perfectio simpliciter; atque ideò formaliter Deo conuenit; ergò si creatam supplet subsistentiam terminando naturam, id non præstat nisi per ipsam formalẽ suam subsistentiam immediatè. Probatur hæc consequentia; quoniam effectus formalis formæ vel se habentis ad modum formæ,non potest esse nisi ab habente formaliter eandem formæ rationem, vt patet in hoc quod est esse album, frigidum, calidum, dulce &c. Constat autem subsistere esse proprium effectum formalem subsistentiæ;ergò non potest esse, nisi ab habente formaliter rationem subsistentiæ. Cum itaque natura diuina aut eius existentia præcisè sumpta, non habeat rationem formaliter subsistentiæ, non poterit eius effectum in natura creata supplere; quod si ponatur supplere,hoc ipso tribuitur ei formaliter subsistentia; est igitur impossibile, naturam diuinam vt natura est, assumere creatam naturam ad existentiæ suæ vnitatem. Nunc videndum est; *an & quomodo possit hic Deus naturam creatam ad essentialem & absolutam sui subsistentiam assumere?* Ad cuius euidentiam.

Posse creatã naturam ad essentialem tribus personis cõmunẽ subsistẽtiã assumi, & creatam terminari.

Tertiò considerandum est, subsistentiæ quatenus subsistentia est per se conuenire esse naturæ terminum & complementum. Cum itaque diuina natura per se primò sibi vendicet essentialem & absolutam subsistentiam infinitam in terminando, ex qua simul cum ipsa natura constituitur hoc subsistens, quod est hic Deus communis Patri & Filio & Spiritui sancto. Consequens est posse creatam naturam per eãdem subsistentiam, vt eminenter præhabentem omnem creatam subsistentiam terminari,non minus quã nũc actu sola diuini Verbi personalitate terminetur. Et quia subsistens hoc in natura diuina non habet totam & integram personæ vel hypostasis rationem, cum illi desit incommunicabilitas, qua veluti vltima differentia seu conditione completur personæ vel hypostasis diffinitio: ideò sicut hæc vnio non esset in natura, nec in aliquo ad rationem naturæ formaliter pertinente;ita non esset in persona vel hypostasi propriè & completè sumpta, sed esset per se primò &immediatè in hoc subsistẽte in natura diuina, quod est hic Deus: consequenter autem & mediatè veniretur assumpta natura personaliter tribus subsistentibus in eadem Deitate personis; nam sicut hic Deus non est, nisi Pater & Filius & Spiritus sanctus; ita tunc Deus homo non esset nisi Pater & Filius & Spiritus S. Et quemadmodum quicquid Deo conuenit secundùm se, conuenit Patri & Filiò & Spiritui S. Ita facta tali assumptione; quia Deo secundùm se conueniret esse hominem, conueniret etiam cuilibet diuinæ personæ; ita

næ; ita tamen vt huius assumptionis & vnionis terminus per se primò esset hic Deus; eius verò termini secundarij essent tres personæ modo paulò post explicando, supplereturque tunc naturæ creatæ personalitas per solam essentialem Dei subsistentiam; quæ personalitas non est sed vim ac perfectionem omnem in se præhabet eminenter creatæ personalitatis. Ex quo sequitur assumptionem & vnionem hanc esse quodammodo similem illi, quæ facta est in persona Verbi, simpliciter autē esse diuersam vt hic scitè Caietanus aduertit.

Quomodo assumptio ad cōmunē tribus hypostasibus subsistentiā ad ipsas hypostases secundario terminaretur.

Sed obseruandum est, cum dicimus assumptionem creatæ naturæ ad essentialem communemque tribus hypostasibus subsistentiam terminari ad ipsas hypostases secundariò, dupliciter intelligi posse; *Vno modo* vt ipsæ etiam diuinæ personæ secundùm proprias suas personalitates terminent formaliter & immediatè ipsam assumptionem; Quem sensum videtur habuisse Caietanus, cum dixit; considerato vtroque termino, scilicet primario & secundario humanæ naturæ assumptæ, personalitas propria, qua careret, suppleretur perfectè, quo ad perfectam rationem personalitatis: quam suppletionem non faceret primarius terminus assumptionis secundùm se. Si namque diuinæ personæ non ratione suæ personalitatis formaliter & immediatè terminarent dictam assumptionem; sed ratione tantùm subsistentiæ communis essentialis in eis intimè clausæ, ad nullam verè ac propriè dictam personalitatem terminaretur assumptio; ac proindè non posset ex vllo secundario termino suppleri creata personalitas: *Alio itaque modo* intelligi potest assumptio illa ad tres diuinas personas terminari ex sola & præcisa ratione, qua communem & essentialem includunt subsistentiam; quia nimirū facta per se primò ad communem hanc subsistētiam assumptione creata naturæ fieret etiam cōsequenter & secundariò, ad vnamquamque triū personarum, non ratione personalis ac relatiuæ subsistentiæ; sed ratione solùm communis subsistentiæ in qualibet earum inclusæ; in quo sensu futuram tunc secundario ad personas assumptionem & vnionem Med. Suar. & Aluar. intelligunt & admittunt. Et hic sensus verissimus est: quoniam ex vi assumptionis & vnionis creatæ naturæ ad essentialem Dei subsistentiam non sequitur assumptio & vnio eiusdem creatæ naturæ cum qualibet aut cum vna aliqua diuina persona secundùm propriam & relatiuam eius personalitatem: sed tantùm cum qualibet diuina persona; quatenus subsistentiam habet absolutum, vt argumentorum solutio declarabit. Et probatur etiam; quia subsistentia illa essentialis & absoluta, quamuis non sit personalitas aut suppositalitas propriè loquendo; quia non est incommunicabilis; vera tamen & realis subsistentia est prius ac perfectius dicens & claudens modum essendi per se, quàm personalitas relatiua; ergò potest ipsa sola absque concursu relatiuæ subsistentiæ naturam creatam terminare. Et confirmatur; quia licèt esse absolutum & esse relatiuū in Deo sint idem realiter; tamen Pater Filio communicat esse absolutum, & non suum esse relatiuū; ergò similiter fieri poterit, vt tres diuinæ personæ communicent assumptæ naturæ subsistentiam ipsis communem & absolutam, non communicatis eidem proprijs suis relatiuis & personalibus subsistentijs.

Qui plures probationes desiderat, legat Medinam *super hoc articulo*, & Suarez *in allegata disput. 23. sect. 1.* Vbi quatuor obiecta diluendo rem hanc plenè & eruditè declarat. Quod autem facta assumptione creatæ naturæ ad absolutam illam & tribus personis communem subsistentiam, quælibet earum esset homo, probat hic optimè Cai. contra Dur. & latè post eum Med. & Suarez *disp. 12. sect. 2.* ad quos lectorem remittimus.

cōclusiones, deductæ, & probatæ.

PRIMA CONC. *Diuina natura vt natura est, non potest assumere naturam creatam*; hæc patet ex dictis.

SECVNDA CONCL. *Ad solam præcisè & formaliter sumptam existentiam, prout à subsistentia distinguitur, non potest assumi creata natura*; hæc patet ex dictis & latè probata est in loco supra notato.

TERTIA CONCL. *existentibus prout nūc sunt, in Deo tribus personis, possibile fuit naturam diuinam ad essentialem sui subsistentiam creatam naturam assumere; ita vt ad eam solam per se primò & immediatè terminaretur assumptio*; hæc patet ex dictis.

QVARTA CONCL. *Facta assumptione naturæ creatæ ad essentialem Dei subsistentiam intelligeretur etiam fieri vnio consequenter, & secundariò ad omnes & singulas in Trinitate personas; non tamen ratione personalis cuilibet diuinæ personæ propriæ subsistentiæ, sed ratione tantùm communis, & essentialis subsistentiæ in singulis personis, & earum subsistentijs intimè clausæ.* & hæc patet ex dictis.

VLTIMA CONCL. *Facta tali assumptione & vnione, non solùm hic Deus, sed etiam quælibet persona diuina esset homo*; hanc probant Cai. Med. Suar. & alij.

Argumēta, & Solutiones. Valentia. Obi. cont. 1. & 2. concl.

CONTRA *primam, & secundam* concluſ. argum. Val. primò: Quia res infinita omnem eam vim creatæ rei virtute sua eminenti supplere potest, à qua res aliqua creata extrinsecè pendeat; sed vis personalitatis creatæ, est huiusmodi respectu naturæ quam terminat; ergò potest res infinita, qualis est etiam essentia diuina vt natura, supplere in natura creata hanc vim personalitatis creatæ; ita scilicet vt natura peculiari modo per se existat ex vi diuinæ essentiæ, tanquā ex vi cuiusdam sui termini substantialis extrinseci. Minor patet; quia personalitas creata non est quoddam intrinsecum naturæ, sed extrinsecum. Maior probatur dupliciter; *primò*; quia si vna res pendet ab alia extrinsecè, sicut pendet natura à personalitate, non pendet ab ea, vt ab habente rationem talem; sed primariò tanquàm ab habēte tantam vim & perfectionem, vt ex vi illius possit existere. Cum ergò res infinita habeat infinitè perfectius & melius omnem eiusmodi vim, poterit virtutem talis rei creatæ supplere; quando verò pendet ab altera intrinsecè, cum pendeat ab ea primariò, tanquàm ab habente rationem talem, non potest munus eius rei, à qua res altera sic intrinsecè dependet suppleri ab alia re, quæ non habeat formaliter illam ipsam rationem; & ideò non potest Deus supplere rei formam neque materiam; cum tamen possit supplere causam efficientem; quia scilicet res à forma & à materia pendet intrinsecè; atque adeò primariò, quatenus habet forma vel materia talem rationem, ex qua res partim constituitur; ab efficiente verò solùm extrinsecè pendet; ac proinde primariò quidem, non quatenus causa efficiens habet hanc vel illam rationem, sed quatenus habet vim tantam, quæ scilicet sufficiat ei rei, quæ ab ipsa extrinsecè dependet; vnde fit vt possit ea vis à re infinita, quæ vim eminētiorem

tiorem habet suppleri: & eadem ratione potest Deus causam finalē supplere; quia &c. *Secūdò* probatur eadem maior; quia neque ex parte rei infinitæ, vt patet, neque etiam ex parte rei, quæ ab altera dependet extrinsecè, apparet repugnātia, quominus queat à re infinita suppleri omnis ea vis, à qua dependet res extrinsecè; ergò. Antec. probatur; Quoniam eiusmodi vis non est secundùm rationem suam formalem (hoc est quatenus est talis) intrinseca essentiæ rei ab ipsa dependentis, nulla sequitur implicatio contradictionis, si res existat & non existat per illā vim extrinsecam, & formaliter talem sed per aliam vim eminentiorem.

Sol. *Resp. primò*, falsam esse minorem; quia, licèt creata personalitas secundùm se non sit intrinseca naturæ, tāquàm pars quidditatis ipsius; est tamen intrinseca, vt eius substantiale complementum & terminus, & dici potest intrinseca ratione habitudinis intimæ & essentialis, quam habet natura ad personalitatem vel subsistentiā; sicut forma dici potest intrinseca materiæ, quatenus est substantialis eius perfectio, & ratione ordinis essentialis materiæ ad formam; & ideò quemadmodum illud solum, quod habet formaliter rationem formæ, potest exercere vel supplere effectum formalem formæ; ita solùm illud, quod est formaliter personalitas vel subsistentia, potest exercere vel supplere effectum formalem subsistentiæ, qui est terminare naturam, & esse quo natura subsistit. *Secundò dico*, maiorem esse veram de dependentia prorsus extrinseca, qualis est dependentia effectus à causa efficienti & à causa finali, & in hoc sensu procedūt eius duæ probationes.

CONTRA *tertiam* concl. sunt argumēta quæ proferunt & soluunt Med. *super hoc a.* Suar. *disp. 12. sect. 2. §. Sed super sunt breues difficultates*, & Aluar. *in expositione art.*

Cont. 3. cōcl. Obijcit. Vasquez. *Cōtra eandē* conc. argum. Vasq. *Primò* Quia antiquis Patribus & concilijs cum disputarent cōtra Eutichetem & Nestorium nullum aliud genus vnionis in mentem venit, quàm vnionis in natura & in persona. Et hoc quidem possibile esse dixerunt; illud autem impossibile, ergò. Et *confirmatur*; quoniam ex eo quod vnio naturæ humanæ non fuit facta in natura, colligunt factam fuisse in persona ratione proprietatis personalis: ita enim argumentatur Concilium Tolet. II. in confessione fidei. Verba Cōcilij sunt: *Solus tamen filius formam serui accepit in singularitate personæ, non in vnitate diuinæ naturæ in id, quod proprium est filio, non quod commune Trinitati.* Et hoc eodem modo arguit Ansel. *lib. de Incarnatione Verbi, cap. 4. post medium* contra quosdam, qui dicebant, Incarnatio filio Dei necesse fuisse Incarnari Patrem & Spiritum sanctum, nisi persona distingueretur à natura realiter; eius Verba sunt: *Nam qui rectè suscipit eius Incarnationem, credit eum non assumpsisse hominem in vnitatem naturæ, sed in vnitatem personæ; hic autem* (nempè ille, cōtra quem scribebat) *somniat hominem filio Dei magis esse assumptum in naturæ vnitatem, quàm in personæ vnitatem; si enim hoc non opinaretur, non diceret magis necessarium esse Patrem cum Filio Incarnatum, quam esse possibile illum simul non esse incarnatum; quia sunt plures personæ.*

Conf.

Sol. Respondetur nullam esse consq. quia cum eo tempore nulla fuisset apud Catholicos aut hæreticos orta dubitatio aut Controuersia de vnione aut de possibilitate vnionis naturæ creatæ cum hoc Deo vt essentialiter subsistente; sed tota eorum quæstio esset; an facta fuisset hæc vnio in persona vel in natura vt natura est: ideò nō fuit necesse Patres aut Concilia de hoc vnionis modo, de quo nunc agimus, meminisse; quem tamen esse possibilem non obscurè significarunt ex ijs, quæ de modo vnionis humanæ naturæ cū diuinæ personæ subsistentia tradiderunt. *Ad cōfirmationem dico primò*, non benè colligi ex verbis Concilij talem arguendi formam. *Secundò dico*, benè procedere formam illam argumentandi suppositā quæstione illa tantùm bimembri inter Catholicos & hæreticos; quibus essentialis illa subsistentia erat ignota; aut saltem de vnione humanitatis cum illa nihil opinabantur. *Tertiò dico*, bonam esse consequentiam hanc: vnio non est facta in natura; ergò facta est in persona ratione proprietatis personalis, si in antecedente sumatur natura, prout distinguitur cōtra personam; sic enim natura dicitur non solùm Deitas; sed etiam hic Deus tribus personis communis. Et per hoc soluitur etiam argumentum desumptum ex verbis Anselmi; nam si facta est vnio humanitatis substantialis cum Deo, non est facta in natura prout distinguitur contra personam propriè & completè sumptam, necesse est factam fuisse in persona ratione proprietatis personalis; è contra verò, si facta fuisset in natura siuè abstractè siuè concretè sumpta, facta necessariò fuisset cum tribus etiam personis.

Ad conf.

Alia huius expositoris argumenta confutauimus *in prima parte, loco supra notato*, & quædam etiam diluūtur ex ijs, quæ supra notata sunt; nec D. Th. vt ait Vasq. illi fauet, sed nobis vt patet ex responsione *ad primum a. sequentis* addita expositione Cai.

CONTRA *quartam & quintam* conclusionem sunt argumenta Dur. relata & soluta partim à Caietano, partim à Suar. *in dicto §. sed super sunt* &c.

ARTICVLVS IV.

Vtrum vna persona possit sine alia naturam creatā assumere.

AD *quartam sic proceditur. Videtur, quòd vna persona non possit assumere naturam creatam alia non assumente. Indiuisa enim sunt opera Trinitatis: vt dicit Aug. in Enchir. sicut autem trium personarum est vna essentia, ita & vna operatio. Sed assumere est operatio quædam. Ergo non potest conuenire vni personæ diuinæ, quin conueniat alij.* 3. d. 1. q. 2. art. 1. Ca. 38. fol. 3.

Præterea, Sicut dicimus personam Filij incarnatam, ita & naturam: tota enim diuina natura in vna suarum hypostasum incarnata est: vt dicit Damas. in 3. lib. Sed natura communis est tribus personis: ergo, & assumptio. cap. 6.

Præterea, Sicut humana natura in Christo assumpta est à Deo, ita etiam & homines per gratiam assumuntur ab ipso; secundum illud Rom. 14. Deus illum assumpsit. Sed hæc assumptio communiter pertinet ad omnes personas: ergo, & prima.

Sed contra est, quòd Dionys. 2. cap. de Diuin. nom. Incarnationis mysterium dicit pertinere ad discretam Theologiam: secundum quam scilicet aliquid distinctum dicitur de diuinis, personis.

Respondeo dicendum, quòd (sicut dictum est) assumptio duo importat, scilicet actum assumentis, & terminum assumptionis. Actus autem assumentis procedit ex diuina virtute, quæ communis est tribus personis, sed terminus assumptionis est persona, sicut dictum Art. 1.

ctum est. Et ideò id, quod est actionis in assumptione, commune est tribus personis: sed id, quod pertinet ad rationem termini, conuenit ita vni personæ, quòd non alij. Tres enim personæ fecerunt, vt humana natura vniretur vni personæ Filij.

Ad primum ergò dicendum, quòd ratio illa procedit ex parte operationis. Et sequeretur conclusio, si solam illam operationem importaret, absque termino, qui est persona.

Ad secundum dicendum, quòd natura dicitur incarnata, sicut & assumens ratione personæ, ad quam terminata est vnio (sicut dictum est) non autem, prout Art. 1. *est communis tribus personis. Dicitur autem tota natura diuina incarnata: non quia sit incarnata in omnibus personis, sed quia nihil deest de perfectione diuinæ naturæ, personæ incarnatæ.*

Ad tertium dicendum, quòd assumptio, quæ fit per gratiam adoptionis, terminatur ad quandam participationem diuinæ naturæ secundum assimilationem ad bonitatem illius: secundum illud 2. Pet. 1. Vt diuinæ consortes naturæ, &c. Et ideò huiusmodi assumptio communis est tribus personis, & ex parte principij, & ex parte termini. Sed assumptio, quæ est per gratiam Vnionis est communis ex parte principij, non autem ex parte termini: vt dictum est.

Sensus quæsiti.

QVAESTIO est de assumere, quod absolutè & simpliciter possit enunciari de vna persona & de alijs negari; hoc autem est assumere integrè sumptum, siuè secundùm totam eius rationem; quatenus scilicet dicit non solùm actum sed etiam terminum assumptionis. Et quæstio est non solum de possibili, sed etiam de facto: an scilicet sola persona Verbi potuerit creatam naturam assumere, ita vt actu sola fuerit incarnata.

Forma Textus.

PRAEMISSA ratione assumptionis respondetur quæsito duabus conclusionibus. Ratio assumptionis duo importat (inquit S. D.) scilicet actum assumptionis & terminum assumptionis.

» PRIMA CONCL. *est: Id quod est actionis in as-*
» *sumptione, commune est tribus personis.* Probatur; quia actus assumendi nomine assumptionis importatus procedit ex diuina virtute, quæ communis est trib⁹ personis; ergò id quod est actionis &c.

» SECVNDA CONCL. *Id quod pertinet ad ratio-*
» *nem termini, conuenit ita vni personæ, quod non alteri;* Probatur, quia terminus assumptionis est persona; ergò. Deinde probatur ambę conclusiones simul; quia tres personæ fecerunt, vt humana natura vniretur vni personæ filij.

Expositio Textus.

QVINQVE ad huius articuli intelligentiam & veritatis confirmationem sunt notanda. *Primum* est, ex duabus supra positis conclusionibus, & earum probationibus deduci conclusionē directè quæsito respondentem, videlicet: vna persona potest sine alia creatam naturam assumere, vt hic aduertit Cai. & post eum Vasquez. *Secundum* est: Concl. hanc esse fidei dogma, quod ex Concilijs & scripturis probat Magister Porrecta addita authoritate Dionysij ex argumēto, *sed contra. Tertium* est: Val. hic referre *puncto 2.* quendam Clericum in Gallia temporibus D. Anselmi oppositum huius conclusionis docuisse, & eius errorem in Concilio primo Remensi damnatum fuisse. Sed non fuit hic error dicti Clerici, sed alius nempè diuinam naturā à personis realiter esse distinctam; ad cuius erroris probationem hoc vtebatur argumento; quia si esset eadem res natura & persona, sequeretur incarnata vna persona, alias etiam incarnatas fuisse, vt notat Vasq. *disp. 28. cap. 1. Quartum* est, Val. & Vasq. *locis allegatis* proferre & soluere quædā argumenta; quibus posset catholica veritas secūdæ conclusionis impugnari. *Quintum* est circa responsi. ad primum, ex qua deducit Cai. doctrinam de assumptione naturæ creatæ ab hoc Deo tribus personis communi consonam esse menti D. T. cum enim ait, rationem illam: *sicut trium personarum est vna essentia, ita & vna operatio* &c. procedere ex parte operationis, & quòd sequeretur conclusio, si solam illam operationem importaret absque termino, qui est persona, satis apertè significat, quòd si assumptio non importaret personam vt terminum, esset communis tribus personis: constat autem facta abstractione personarum ab essentia per actum Incarnationis modo superius explicato, assumptionis terminum non esse personam, sed hunc Deum; igitur tunc assumptio communis esset tribus personis secundùm doctrinam D. Th. *Sed ait* Suar. verba illa: *Qui est persona,* non esse addita per modū restrictionis, sed ad explicandum cur ex parte termini possit vnio esse propria & non communis omnibus personis; videlicet quia ille terminus est persona. *Sed quamuis* hæc expositio sit probabilis; malè tamen & absque ratione reijcitur expositio Caiet. quæ probabilior est, & cui fauet etiam doctrina præcedentis articuli, & ea quam alibi tradit S. D. de subsistentia essentiali, cui non magis quàm personali repugnat; sed æquè congruit esse posse terminum creatæ naturæ, vt patet *ex præcedenti Contr.*

CONTROVERSIA VNICA.

An Pater & Spiritus Sanctus fuerint in Christi humanitate per concomitantiam, non solùm ratione operationis, sed etiam speciali quadam alia ratione?

Sententiæ Doctorum.

RADA *in sua 3. p. Contr. 1.* sententiam sequitur negantem, quam ait esse communiorem & probabiliorem: & deducit eam ex quodam discursu Scoti *in 3. dist. 2. q. 2. littera A.* Sed oppositam sententiam tenuit Gabriel *lect. 42. super Can. concl. 2.* Maior *in q. 4. dist. 11. q. 1. a. 3.* & Viguerius *in instit. Theol. c. 6. §. 3. v. 4.* Quam sequitur Suar. *disp. 12. sect. 1.* & Vasq. *disp. 28. a. 2.* dicens, se primum eas Patrum sententias collegisse, quibus vtitur Suar. ad suam hanc opinionem comprobandam.

Resolutio. Pars affirmatiua probatur, & explicatur vberrimè.

SVPPONENDA *sunt hic primò ea,* quæ latè diximus de existentia Dei in rebus *1. p. q. 43. a. 3. q. 8. a. 1. Contra. 1. & 2. & Contra. vnica.* Cū enim triū diuinarum personarum sit vna virtus & operatio, necesse est operationem illam qua Deus vnamquamque rem ex nihilo produxit, & productam in esse conseruat, esse tribus in Deo personis rationem in omnibus rebus à Deo creatis & conseruatis æqualiter existendi. Et quia gratia & gloria sanctis à Deo collata vnus est tribus personis communis effectus, quæ ad vnū etiam pertinent cognitionis & amoris obiectū: ideò secundum hunc etiam peculiarem modum, quo

quo Deus exiſtit in rationali creatura per gratiã, & habitat in ea ſicut in templo; tres etiam æqualiter ſunt in ea diuinæ perſonæ.

Secundò ſupponenda ſunt ea quæ de modis, quibus vna perſona exiſtit in alia, docet S. Th. *1. p. q. 42. a. 5.* & ibi Cai. & alij expoſitores Thomiſtæ: ex quibus primus & præcipuus eſt modus, quo vna perſona exiſtit in alia per identitatem eſſentiæ. Cum enim pater ſit ſua eſſentia, & hæc ſit in Filio & in Spiritu S. neceſſe eſt etiam Patrem eſſe in Filio & in Spiritu Sancto & eadem ratione probatur Filium eſſe in Patre & in Spiritu ſancto, & Spiritum ſanctum in Patre & Filio.

Tertiò Recolenda ſunt, quæ diximus *in eadem 1. p. q. 39. a. 4. Controu. 1.* Vbi probauimus, in qualibet diuina perſona duplicem eſſe ſubſiſtẽtiam; alteram eſſentialem & alteram perſonalem, & illam ſcilicet eſſentialem in tribus perſonalibus proprietatib⁹ intimè claudi, & per eas modo noſtro intelligendi modificari; ita vt iuxta diſtinctionem & pluralitatem earum plures atque diſtinctæ reſultent ſubſiſtentiæ perſonales: adeò, vt eſſentialis ſubſiſtentia, prout includitur in paternitate, & per eam modificatur, ſit formaliter ipſa perſonalis ſubſiſtentia patris Et eadem ratione, prout intimè clauditur in filiatione, & per eam modificatur ſit perſonalis ſubſiſtentia filij.

Quartò conſiderandum eſt, perſonam filij per ſe primò terminare naturam aſſumptam ratione ſuæ propriæ ſubſiſtentiæ perſonalis. Et quoniam, vt ante diximus, in perſonali ſubſiſtentia clauditur eſſentialis intimè & in ea modificatur; neceſſe eſt etiam, vt perſona filij quaſi ſecundariò eandem terminet humanitatem ratione eſſentialis ſubſiſtentiæ, nõ quidem abſolutè ſumptæ; ſed prout in perſonali filij ſubſiſtentia clauditur. Cum enim in ſubſiſtentia filij duo ſint; Primum vt ſit ſubſiſtentia: Secundum vt ſit talis perſonæ ſcilicet filij, duo pariter alia ſunt in humanitate terminata conſideranda: Primũ quod ſubſiſtit: Secundum quod tali ſubſiſtentia ſcilicet Verbi ſubſiſtit: & ſicut hoc ſecundum ex illo ſecundo dependet, ſic illud primum ex illo primo deriuatur. Sed quia terminus dicit rationem vltimi, & terminus vltimus naturæ eſt ipſius naturæ complementum; ideò terminare aſsũptam naturam, non ſolùm per ſe primò; ſed etiam propriè & abſolutè loquendo ſoli conuenit ſubſiſtentiæ perſonali; quoniam ea ſola ratione habet vltimi, & per eam completur, non ſolùm aſſumpta natura, ſed etiam eſſentialis ſubſiſtentia in ratione ſuppoſiti ſiuè perſonæ. Cum enim de ratione ſuppoſiti vel perſonæ ſit incommunicabilitas, vt vltimum eius complementum, quod eſſentiali ſubſiſtentiæ ſecundum ſe conſideratæ non conuenit: non habet eſſentialis ſubſiſtentia rationem ſuppoſiti vel perſonæ, niſi incõpletè: addita verò perſonali proprietate, quæ ratio eſt perſonaliter ſubſiſtendi, completur ratio ſuppoſiti vel perſonæ; ac proinde etiam ratio termini: & ideò ſoli perſonali ſubſiſtentiæ non autem eſſentiali, propriè & abſolutè conuenit naturam aſſumptam terminare: Sed quamuis eſſentialis ſubſiſtentia propriè & ſimpliciter non terminet aſſumptam naturam; quia ſic quęlibet diuina perſona eſſet homo; concurrit tamen ſuo quodam modo ad terminandum, eo ferè modo quo animal ſeu ſenſibile concurrit ad hominem conſtituendum, licèt hominis conſtitutio propriè & abſolutè tribuatur rationali & vltimæ differentiæ. In perſonali namque Verbi ſubſiſtentia naturam humanam terminante duo ſunt, ſcilicet ſubſiſtentia & perſonalitas ſeu proprietas perſonalis, & in aſſumpta natura duo ſunt ſcilicet ſubſiſtere & ſubſiſtere tali ſubſiſtentia ſcilicet Verbi perſonalitate. Itaque reducendo more Metaphyſico proprios effectus in propriας cauſas ſeu principia, ſubſiſtere humanitatis, vt ſubſiſtere eſt, reducitur vt in propriam cauſam ſeu principium aut rationem in ſubſiſtentiam Verbi vt ſubſiſtentia eſt: ſubſiſtere verò ſubſiſtentia Verbi perſonali reducitur vt in propriã cauſam ſeu rationem in ſubſiſtentiam Verbi perſonalem vt ſic. Et ſicut Verbi ſubſiſtentia perſonalis præcisè ſumpta non terminat aſſumptam humanitatẽ, ſed quatenus etiam intimè claudit ſubſiſtentiam eſſentialem, ita & multò magis eſſentiali ſubſiſtentię non conuenit terminare, niſi quatenus per additam perſonalem proprietatẽ, quæ eſt ratio perſonaliter ſubſiſtendi, conſtituitur ſubſiſtentia perſonalis & hypoſtaſis ſeu perſona. Sed quoniam in perſonali ſubſiſtẽtia clauditur eſſentialis & non è contra, & perſonalis ſubſiſtentia, vltimum habet in ratione ſubſiſtẽtiæ complementum: ideò ratio terminandi non ſolùm primò ſed etiam propriè & abſolutè perſonali ſubſiſtentiæ tribuenda eſt; eſſentiali verò ſubſiſtentiæ, neque ſecundariò propriè loquendò conuenit aſſumptam à Verbo naturam terminare; quamuis vt ſupra dixi quaſi ſecundariò terminet ob ſupradictam reductionem effectuũ in proprias cauſas ſeu rationes. Sed quoniã ſubſiſtentia, vt ſic non habet rationem vltimi, ſed completur & quaſi terminatur proprietate perſonali, vt ratione perſonaliter ſubſiſtendi: ideò ſola perſonalis ſubſiſtentia rationem habet vltimi & termini reſpectu aſſumptæ humanitatis, de Incarnatione & aſſumptione loquendo prout actu facta eſt: potuiſſet enim vt ſupra diximus cũ Cai. & alijs, aſsumptio fieri ad ſolam eſſentialem ſubſiſtentiam, & tunc eſſentialis ſubſiſtentia rationem haberet & exerceret vltimi termini; non quia rationem haberet completè ſuppoſiti vel perſonæ; ſed quia ſuppleret excellenter munus creatæ perſonalitatis, vt diximus in propria Cõtrou. Quoniam igitur eſſentialis ſubſiſtentia tribus diuinis perſonis communis modo ſupra dicto concurrit ad aſſumptam à Verbo humanitatem terminandam; ita vt formaliter ad ipſam rationem termini, quatenus terminus eſt pertineat; conſequens neceſſariò eſt, vt Pater & Spiritus S. qui realiter idem ſunt, quod eſſentialis illa ſubſiſtentia, ſint ſpeciali ratione in Chriſti humanitate, ſcilicet ratione myſterij Incarnationis factæ in perſona filij, ita vt ſi per impoſſibile non eſſet in ea, nec in alijs rebus per immenſitatem, ſiuè per operationem, adhuc eſſent in ea ratione dicti myſterij: Quemadmodum enim tres diuinæ perſonę ſunt in omnibus rebus per eſſentiam; quia earum omnium vna eſt eſſentia, & operatio & ipſæ ſunt vnum agens in rebus intimè operans, ita ſunt omnes in Chriſti humanitate ratione myſterij Incarnationis; quia earum omnium vna eſt eſſentialis ſubſiſtẽtia ad formalem aſſumptionis & vnionis terminum formaliter pertinens modo dicto. Et quoniam vt dictum eſt vna perſona eſt in alia; ideò vbicunque eſt vna ibi eſt alia; nec poteſt vna perſona ex vi peculiaris vnionis fieri præſens alicui naturę, quin aliæ diuinæ perſonæ fiant eidem naturæ præſentes, non quidem vt eodem modo illi naturæ cõiunctæ, ſed per concomitantiam ob realem & naturalem exiſtentiam, quam habent in illa vna perſona ſic vnita. Quod exemplo ex anima noſtra

stra desumpto declaratur: hæc enim per vnionem ad corpus vt forma substantialis ad propriam suam materiam sit præsens omnibus eius partibus: & quoniam intellectus & voluntas sunt in anima, consequens fit vt vbicunque est anima, sint etiam ibi præsentes intellectus & voluntas; quamuis non eodem vnionis vinculo, quo anima corpori coniungantur; quia non sunt corporis formæ. Et hoc est quod Augustinus non minus profundè quàm eleganter expressit *in sermone tertio de tempore.* Vbi sic loquitur: *Filius suscepit carnem, & non deseruit Patrem, nec se diuisit à Patre: suscepit (inquam) filius carnem proprietate; sed tamen Pater & Spiritus sanctus non defuit maiestate: in diuinitate æqualitas, in carne sola Filij proprietas; non tamen ab eo Patris aut Spiritus sancti recessit aliquando diuinitas: cum ergò vna sit Deitas, vna sit diuinitas; impleuit quidem carnem Christi, & Pater & Spiritus sanctus, sed maiestate non susceptione. Vis scire; quia cum eo fuit & Pater? non sum* (inquit) *Dominus Iesus Christus solus, sed Pater mecum est: Audi de Spiritu sancto quia cum eo erat, Euangelista refert; quia Iesus plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane: Ecce sic solus Iesus Christus suscepit carnem, & tamen Pater & Spiritus sanctus non defuit maiestate.* His addamus modum hunc existendi personarum in humanitate ab vna persona Verbi tantum assumpta esse omninò distinctum & longè diuersum ab eo, quo tres personæ per operationem tanquam vnum agens sunt in omnibus rebus intimè; ita vt præciso per intellectum à diuinis personis hoc modo in rebus existendi, remaneat adhuc ille alius, quo per hypostaticam vnionem vnius personæ cum humanitate, aliæ duæ personæ non quidem per vnionem earum personalem, sed per concomitantiã specialiter sunt in eadem humanitate ob earum consubstantialitatem cum persona humanitati personaliter vnita. Et quemadmodum ratione Incarnationis factæ in vna persona filij dicuntur Pater & Spiritus S. esse speciali modo in ipsa filij humanitate per concomitantiam, ita dici rectè possunt speciali modo in vtero Virginis extitisse; cùm tamen sola persona Filij ibi fuisse dicatur vt concepta, sicut sola verè dicitur incarnata. Consistit autem hæc præsentia Patris & Spiritus S. in humanitate in duobus iam superius explicatis. Primum est inexistentia Patris & Spiritus sancti secundùm identitatem essentiæ in personam filij vnita personaliter humanitati. Secundũ est concursus earumdem personarum secundùm essentialem subsistentiam in terminando modo dicto.

Quintò notandum est Patrem & Spiritum sanctum esse per concomitantiam, non solùm in Christi humanitate secũdùm eius modum essendi naturalem; sed etiam prout est in Sacramento; sed non eodem concomitantiæ modo. Ad cuius euidentiam aduerte, dupliciter aliquid esse in Sacramento per concomitantiam, scilicet immediatè & mediatè. *Primò modo* illud dicitur ibi esse, quod immediate est vnitum illi, quod est ibi per se & primò id est ex vi verborum; & sic anima est immediatè per concomitantiam sub speciebus panis; quia hæc immediatè cõiuncta sunt corpori. *Secundò verò modo* illud est in Sacramento per concomitantiam, quod ibi est propter coniunctionem eius cum eo, quod illi vnitum est immediatè, cui per se primò & ex vi verborum conuenit esse in Sacramento: & hoc modo gratia & charitas animæ Christi sunt in Sacramento per concomitantiam; quia ibi sunt vt inhærentia animæ, quæ corpori coniungitur immediatè, quod per se primò & ex vi verborum est in Sacramento. Cum itaque Verbum sit vnitum corpori immediatè, erit etiam in Sacramento per concomitantiam immediatè: Pater autem & Spiritus sanctus non immediatè vniuntur humanitati vel corpori sicut Verbum, sed tantum consubstantiales Verbo, quod immediatè vnitum est corpori secundùm subsistẽtiam; & ideo non sunt ibi per concomitantiam immediatè sed mediatè: In humanitate verò secundùm modum eius essendi naturalem, quem habent extra Sacramentum, sunt per concomitantiam immediatè; quia sunt ibi propter immediatam vnionem secundùm identitatem essentiæ, quam habent cum persona Filij, quæ per se ipsa immediatè & ex vi Incarnationis per se primò vnitur humanitati.

PRIMA CONCL. *Pater & Spiritus S. speciali modo scilicet ratione mysterij Incarnationis sunt in Christi humanitate.* Conclusionem hanc probant Suarez & Vasquez multis SS. Patrum testimonijs. Ex quibus duo præcipua sunt. Primum est illud quod ex Augustino supra notauimus. Secundum est ex Cyrillo, cuius dicta latè refert Vasq. *cap. 28.* Porrò Basilius *in Epistola 43.* rem hanc eleganter explicat exemplo catenæ de Spiritu Sancto sic loquens: *Et quoniam Christi Spiritus teste Paulo, ex Deo est, sit, vt quemadmodum in catena, qui vnius annuli summitatem apprehendit, hoc ipso simul, & alterum insertum attrahit, ita & hic, qui Spiritum habuit trahit, vt propheta* (inquit) *per ipsum & Filium & Patrem vnà simul attraxit, & si quis verè Filium apprehenderit habebit, & ipsum vtrinque, hinc Patrem illius, hinc Spiritum sanctum vnà compactum, &c.* *Cõclusiones, deductæ, & probatæ.*

Sed ait Rada ex hac authoritate non plus haberi, quàm quòd personæ diuinæ secundum essentiam non separantur, nec quantum ad inexistentiam vnius in alia, nec Basilium aliud voluisse, quàm ostendere inseparabilitatem personarum à se, & in se inuicem, vel quòd si quis quantùm ad operationem aliquam habet Patrem, habet & alias personas; quia quò ad actionem ad extra sunt inseparabiles; *sed iam ostendimus,* præcisa à diuinis personis immensitate & præsentia per operationem sequi ex hoc, quod vna diuina persona est in alia per identitatem essentiæ, Patrem & Spiritum Sanctum esse speciali modo in Christi humanitate; quare non videtur hic author satis intelligere propriã vocem. Si namque diuinæ personæ non separantur propter identitatem essentiæ, & propter inexistentiam vnius in alia, sequitur identitatẽ essentialem & existentiam, præcisa etiam immensitate & operatione, esse sufficientem rationem, vt vbi est vna persona, ibi sint etiam aliæ, saltem per concomitantiam; atque ideò, si vna persona singulari modo, puta per vnionem personalem, sicut in proposito persona Verbi est in humanitate: consequens est ibi, non quidem per vnionem, secundùm proprias personalitates, sed per concomitantiam esse duas alias personas, puta Patrem & Spiritum sanctum, qui modi essendi in ea humanitate; cum non pertineat ad immensitatem vel operationem, alius quidam modus est singularis ab eo distinctus. *Replica.* *Refutatio.*

SECVNDA CONCL. *Pater & Spiritus Sanctus duplici ratione modum habent specialem existendi in Christi humanitate. Prima est eorum consubstantialitas cum Verbo, quod personaliter est vnitum humanitati. Secunda est essentialis subsistentia tribus personis communis suo modo concurrens ad terminandam*

» *dam & sustentandam humanitatem.* Hæc patet ex dictis.

» VLTIMA CONCL. *Pater & Spiritus San-*
» *ctus sunt per concomitantiam immediatè in Christi*
» *humanitate ; in Sacramento verò Eucharistiæ sunt*
» *per concomitantiam mediatè solùm.* Hæc patet ex dictis.

Argum. & solutiones. vbi. cont. 1. concl.

CONTRA *primam concl.* argumentatur Rada. Primò: quia Verbum existit in humanitate, vt suppositum in natura, sed ex hac inexistentia non licèt inferre modum existendi peculiarem aliarum personarum in humanitate; ergo nec ex vnione hypostatica. Conseq. cum maiori est nota. *Minor probatur primò*; quia Verbum supponitat in se naturam humanam, non per aliquid commune tribus; sed per aliquid proprium, scilicet per propriam personalitatem; at aliæ personæ ad Verbum quatenus persona est & suppositum, nó pertinent; imò vt sic ab eo separantur seu distinguuntur; ergò ex inexistentia Verbi in humanitate per modum suppositi non licet inferre peculiarem modum inexistendi aliarum personarum. *Secundò probatur eadem minor*; nam si ex vi inexistentiæ Verbi in humanitate per modum suppositi præcisè infertur alias duas personas esse ibi modo speciali; ergò hic modus debet referri ad modum existendi in humanitate per modum suppositi; sed consequens est falsum; quia tunc aliæ personæ primò vel concomitanter suppositarent naturam assumptam; quod est plusquam falsum; ergò ex vi vnionis Pater & Spiritus sanctus non sunt in humanitate aliquo speciali modo. Prima consequentia probatur, tũ ratione tùm exẽplo. Ratio est; quia vis & natura talis existentiæ id requirit; ergò: Antecedens probatur; quoniam hæc est existentia personalis ex vnione hypostatica proueniens; ergò exposcit ex ratione sua, quod ea quæ ex vi eius sunt in humanitate, hypostaticè ei vniantur, saltem si ex prima eius vi ibi existunt; si verò concomitanter requirit quòd personæ primò vnitæ insint, vel tanquam natura vel tanquam aliqua sibi connexa & in eadem persona coniuncta: at Pater & Spiritus sanctus neutro modo Verbo cõnectuntur, vt satis patet; ergò ex vi vnionis nõ sunt in humanitate, nec primò nec concomitanter. Simile est in Sacramento altaris; nam quæ ibi existunt ex vi Sacramenti primò vel concomitanter, sunt ibi Sacramentaliter; ergò quæ sunt in humanitate assumpta ex vi vnionis primò vel concomitanter, debent esse ei hypostaticè vnita. *Confirmatur* hæc omnia; quia quæ cõcomitanter existunt in Sacramento, ea sunt, quæ in eadem persona ipsi Christo coniunguntur, cuiusmodi sunt proprietates vtriusque naturæ contra personalia distinctæ. *Tertiò probatur eadẽ minor*; qua modus existendi personalis in humanitate assumpta Verbo competens, nec per se nec concomitanter requirit alias personas diuinas; ergò ex vi talis existentiæ Verbi, non licet inferre alias personas ibi esse primò vel concomitanter. Cosequentia est nota. Antecedens probatur & primo, quod non requirat eas per se patet; quia persona Verbi non includit in se intrinsecè personam Patris nec Spiritus sancti; quia non sunt de ratione eius personali, immò sic ab eis distinguitur, & quasi à se excludit, à communione videlicet eiusdem personæ, nec requirit eas concomitanter; quia non connectuntur in eadem persona, imò ab ea personaliter secernuntur; ergò. *Et confirmatur*; quia Verbum ita perfecta persona est in se, etiam si sola esset, sicut cum alijs; ergò ex ratione personæ non requirit illas; ergò cum in humanitate sit sicut suppositum & persona in natura; sequitur quod ex vi existentiæ non potest concludi existentia aliarum personarum, etiam per concomitantiam; nam etsi sint inter se connexæ & inseparabiles, tùm ratione naturæ, tùm ratione inexistentiæ vnius in alia; tamen quo ad istum modũ personandi humanam naturam nullam connexionem habent; cum Verbum per sibi proprium & quatenus ab alijs distinctum, suppositet naturam humanam; ergo quamuis ex inexistentia personæ Verbi in humanitate inferatur esse in Verbo personante humanitatem alias personas propter inexistentiam earum in se inuicem; non tamen infertur peculiaris modus existendi in humanitate; quoniam hic conuenit Verbo per sibi proprium. *Resp.* falsam esse minorem: *Ad primam probationem* negatur consequentia; nam sequitur solum, alias personas non esse in humanitate per earum vnionem personalem sicut Verbum; quia licèt aliæ personæ secundùm suas proprietates personales ad personam Verbi vt suppositum est, non pertineant, sed ab ea distinguantur: ad eam tamen pertinent ratione communis naturæ, propter quam non possunt ab ea separari. Secundò dico, licèt Verbum non supponitet naturam per aliquid commune tribus; requirit tamen subsistentiam tribus communem, quæ suo modo concurrit ad supponitandum, vt ante diximus. *Ad secundam probationem* negatur prima consequentia; Ad eius probationem negatur antecedens: ad cuius probationẽ negatur cõsequẽtia, quo ad secundã partem consequentis, illam scilicet. Si verò concomitanter, &c. quia satis est, si per identitatem essentiæ insint personæ, quæ primò est vnita. Ad argumentum ex sacramento altaris, negatur consequentia: nam sequitur tantùm, personas, quæ sunt in humanitate concomitanter ad vnionem personæ Verbi, esse ibi secundùm modum essendi naturalem, prout modus essendi naturalis distinguitur contra modum essendi Sacramentalem. *Ad confirmationem* dico, non illa tantùm, sed etiam personam Patris & Spiritus Sancti ob identitatem essentiæ cum persona filij esse in Sacramento per concomitantiam, nó quidem immediatè sed mediatè, vt supra declarauimus.

Sol.

Ad tertiam probationem minoris negatur antecedens. Ad eius probationem dico, modum illum vnionis requirere alias personas concomitanter: Ad impugnationem negatur consequentia; quia sufficit connexio in eadem essentia. *Ad confirmationem* negatur prima consequẽtia. Sed potius sequitur oppositum: primò, quia perfectio personæ Verbi necessariò includit essentiam duabus alijs personis communem: & ideò ex ratione personæ, quatenus intimè claudit essentiam, aliarum personarum sibi vendicat concomitantiam. Secundò; quia persona Verbi terminat humanam naturam ratione subsistentiæ personalis, quatenus includit subsistentiam essentialem suo modo concurrentem ad terminandum, vt supra diximus. Et quamuis ex vnione Verbi cum humanitate non inferatur specialis modus existendi in humanitate aliarum personarum, qui sit eiusdem rationis cum eo modo, quo Verbum est in humanitate: infertur tamen specialis modus distinctus ab alijs modis, quibus dicitur Deus esse, vel in omnibus rebus per operationem, vel in Sanctis per gratiam, vel in Beatis per gloriam.

CONTRA *eandem* conc. sunt arg. quę referũt

& soluunt Suar. & Vasq. quorum solutiones patent ex dictis.

ARTICVLVS V.

Vtrum quælibet persona diuina potuerit humanam naturam assumere.

3. dist. 1. q. 2. art. 3

AD quintum sic proceditur. *Videtur, quòd nulla alia persona diuina potuerit humanam naturã assumere, præter personam Filij. Per huiusmodi enim assumptionem factum est, quòd Deus sit filius hominis. Sed inconueniens esset, quòd esse Filium hominis conueniret Patri, vel Spiritui sancto: hoc enim vergeret in confusionem diuinarum personarum. Ergo Pater, vel Spiritus sanctus carnem assumere non potuit.*

Præterea, Per Incarnationem diuinam homines assecuti sunt adoptionem filiorum: secundum illud Rom. 8. Non accepistis spiritum seruitutis, iterum in timore, sed Spiritum adoptionis filiorum. Sed filiatio adoptiua est participata similitudo filiationis naturalis, quæ non conuenit, nec Patri, nec q. 43. a. 4. & q. 22. a. 3. *Spiritui sancto: vnde dicitur Rom. 8. Quos præscuit, & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui. Ergo videtur, quod nulla alia persona potuerit incarnari, præter personam Filij.*

Præterea, Filius dicitur missus, & genitus natiuitate temporali, secundum, quòd incarnatus est. Sed Patri non conuenit mitti, qui etiam est innascibilis: vt in prima parte habitum est: ergo saltem persona Patris non potuit incarnari.

Art. 1. *Sed contra est, quòd quicquid potest Filius, potest Pater, & Spiritus sanctus: alioquin non esset eadem potentia trium personarum. Sed Filius potuit incarnari. Ergo similiter Pater, & Spiritus sanctus.*

Respondeo dicendum, quòd sicut dictum est, assumptio duo importat, scilicet ipsum actum assumentis, & terminum Assumptionis: principium autem actus est virtus diuina: terminus autem est persona: Virtus autem diuina communiter, & indifferenter se habet ad omnes personas: eadem etiam est communis ratio personalitatis in tribus personis, licèt proprietates personales sint differentes. Quandocunque autem virtus aliqua indifferenter se habet ad plura, potest ad quodlibet eorum suam actionem terminare: sicut patet in potentijs rationalibus, quæ se habent ad opposita, quorum vtrũque agere possunt. Sic ergo diuina virtus potuit naturam humanam vnire personæ Patris, vel Spiritus sancti, sicut vniuit eam personæ Filij. Et ideo dicendum, quòd Pater, vel Spiritus sanctus potuit carnem assumere, sicut, & Filius.

Ad primum ergo dicendum, quòd filiatio temporalis, qua Christus dicitur filius hominis, non constituit personam ipsius, sicut filiatio æterna: sed est quiddam consequens natiuitatem temporalem. Vnde, si per hunc modum nomen Filiationis ad Patrem, vel Spiritum sanctum transferretur, nulla sequeretur confusio diuinarum personarum.

Ad secundum dicendum, quòd filiatio adoptiua est quædam participata similitudo filiationis naturalis. Sed fit in nobis appropriatè à Patre, qui est principium naturalis filiationis: & per donum Spiritus sancti, qui est amor Patris, & Filij: secundum illud Gal. 4. Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem, Abba pater. Et ideò sicut filio incarnato, adoptiuam filiationem accipimus ad similitudinem filiationis naturalis eius: ita Patre incarnato, adoptiuam filiationem reciperemus ab eo, tanquam à principio naturalis filiationis, & à Spiritu sancto tanquam à nexu communi Patris, & Filij.

Ad tertium dicendum, quòd Patri conuenit esse innascibilem secundùm natiuitatem æternam: quod non excluderet natiuitas temporalis. Mitti autem dicitur filius Dei secundùm Incarnationem, eo quòd est ab alio, sine quo Incarnatio non sufficeret ad rationem missionis.

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat optimè Caiet.

Forma Textus.

CONCL. *est: Pater vel Spiritus Sanctus potuit carnem assumere sicut & filius.* Probatur; quia diuina virtus potuit naturam humanam vnire personæ Patris vel Spiritus sancti, sicut vniuit eam personæ Filij. Consequentia probatur; quoniam assumptio duo importat, scilicet actum assumentis, & terminum assumptionis, quorum alterum scilicet virtus diuina, est principium actus, alterum autem scilicet persona, est terminus. Antecedens autem probatur; quia quandocunque virtus aliqua indifferenter se habet ad plura, potest ad quodlibet eorum suam actionẽ terminare. Sed virtus diuina indifferenter se habet ad omnes personas; ergò. Maior probatur seu magis declaratur ex potentijs rationalibus, quæ cum se habeant ad oppositа, vtrumque possunt agere. Minor verò probatur, primò ex parte virtutis, qua fit assumptio; quia virtus diuina communiter & indifferenter se habet ad omnes personas. Secundò ex parte personarum, ad quas terminanda esset assumptio; quia eadem est communis ratio personalitatis in tribus personis.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt quæ scribit Caiet. circa discursum præsentis articuli, & quæ circa cõclusionem & responsionem ad primum notat Porrecta. Et quia tota huius articuli doctrina facilis, & plana est, pertranseo cum alijs expositoribus, qui vix hunc articulum attigerunt.

ARTICVLVS VI.

Vtrum plures personæ diuinæ possint assumere vnam numero naturam.

AD sextum sic proceditur: *videtur, quòd duæ personæ diuinæ non possint assumere vnam, & eãdem numero naturam. Hoc enim supposito, aut essent vnus homo, vel plures. Sed non plures: sicut enim vna natura diuina in personis pluribus non patitur esse plures Deos, Ita vna natura humana in pluribus personis non patitur esse plures homines. Similiter etiam non possent esse vnus homo: quia vnus homo est iste homo, qui demonstrat vnam personam: & sic tolleretur distinctio trium personarum diuinarum: quod est inconueniens. Non ergo duæ, aut tres personæ possunt accipere vnam naturam humanam.* 3. dist. 2. q. c. ars. 4.

Præterea, Assumptio terminatur ad vnitatem personæ: vt dictum est. Sed non est vna persona Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ergo non possunt tres personæ assumere vnam naturam humanam. Art. 2.

Præterea, Damasc. dicit in 3. lib. & August. in 1. de Trin. quòd ex incarnatione Filij Dei consequitur, quod quicquid dicitur de Filio Dei, dicitur de Filio hominis, & è conuerso. Si ergo tres personæ assumerent vnam naturam humanam, sequeretur, quòd, quicquid dicitur de qualibet trium personarum, dicere- c. 3. & 4. c. 11. 12 & 13. fo. 3.

tur de illo homine: & è conuerso, quæ dicerentur de illo homine, possent dici de qualibet trium personarum. Sic ergo id, quod est proprium Patris scilicet generare filium ab æterno, diceretur de illo homine: & per consequens diceretur de filio Dei, quod est inconueniens. Non ergo est possibile, quod tres personæ diuinæ assumant vnam naturam humanam.

Sed contra, Persona incarnata subsistit in duabus naturis, diuina scilicet & humana. Sed tres personæ possunt subsistere in vna natura diuina. Ergo etiam possunt subsistere in natura humana, ita scilicet, quòd sit vna natura humana à tribus personis assumpta.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, ex vnione animæ, & corporis in Christo, non fit neq; noua persona, neque noua hypostasis: sed fit vna natura assumpta in personam, vel hypostasim diuinam. Quod quidem non fit per potentiam naturæ humanæ, sed per potentiam diuinæ personæ. Est autem talis diuinarum personarum conditio, quòd vna earum non excludit aliam à communione eiusdem naturæ, sed solùm à communione eiusdem personæ. Quia igitur in mysterio Incarnationis tota ratio facti, est potentia facientis (vt Augustinus dicit in Epist. ad Volusianum) magis circa hoc est iudicandum secundum conditionem diuinæ personæ assumentis, quàm secundum conditionem naturæ humanæ assumptæ. Sic ergo non est impossibile diuinis personis, vt duæ, vel tres assumant vnam naturam humanam. Esset tamen impossibile, vt assumerent vnam hypostasim, vel vnam personam humanam: sicut & Anselm. dicit in lib. Cur Deus homo, quòd plures personæ non possunt assumere vnum, eundemque hominem: scilicet in vnitatem personæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd hac positione facta, scilicet quòd tres personæ assumerent vnam humanam naturam, verum esset dicere, quòd tres personæ essent vnus homo, propter vnam naturam humanam. Sicut enim nunc verum est dicere, quòd tres personæ sunt vnus Deus propter vnam diuinam naturam, sic verum esset dicere, quòd essent vnus homo propter vnam naturam humanam. Nec ly Vnus, importaret vnitatem personæ, sed vnitatem in natura humana. Nõ enim posset argui ex hoc, quòd tres personæ sunt vnus homo, quòd essent vnus simpliciter: nihil enim prohibet dicere, quòd homines, qui sunt plures simpliciter, sint vnus quantum ad aliquid: puta vnus populus. Et, sicut Augustinus dicit 6. de Trin. diuersum est natura Spiritus Dei, & spiritus hominis, sed inhærendo fit vnus Spiritus, secundum illud 1. Cor. 6. Qui adhæret Deo, vnus Spiritus est.

Ad secundum dicendum, quòd illa positione facta, humana natura esset assumpta in vnitatem, nõ vnius personæ, sed in vnitatem singularum personarum: ita scilicet, quòd sicut diuina natura habet naturalem vnitatem cum singulis personis: ita natura humana haberet vnitatem cum singulis per assumptionem.

Ad tertium dicendum, quòd circa mysterium Incarnationis fit communicatio proprietatum pertinentium ad naturam: quia quæcũque conueniunt naturæ, possunt prædicari de persona subsistente in natura illa, cuiuscunque naturæ nomine significetur. Prædicta igitur positione facta, de persona Patris poterunt prædicari, & ea quæ sunt humanæ naturæ, & ea quæ sunt diuinæ, & similiter de persona Filij, & Spiritus sancti. Non autem id, quod conueniret personæ Patris ratione propriæ personæ, posset attribui personæ Filij, aut Spiritui sancto, propter distinctionem personarum, quæ remaneret. Posset ergo dici, quòd, sicut Pater est ingenitus, ita homo esset ingenitus, secundum quòd ly Homo supponeret pro persona Patris. Si quis autem vlterius procederet, Homo est ingenitus, Filius est homo; ergo Filius est ingenitus: esset fallacia figuræ dictionis, vel accidentis. Sicut & nunc dicimus Deum esse ingenitum, quia Pater est ingenitus: nec tamen possumus concludere, quòd Filius sit ingenitus, quamuis sit Deus.

Sensus quæsiti.

SENSVS huius quæsiti est: an plures personæ possint vnam & eandem numero naturam assumere, vt per se primò diuersi termini assumptionis; ita vt quælibet persona diuina assumens per se primò terminet assumptionem, vt hic explicat eruditè Caietanus quem sequitur Suarez.

Forma Textus.

PRIMA CONC. *est: Non est impossibile diuinis personis vt duæ vel tres assumant vnam naturam humanam.*

SECVNDA CONCL. *Impossibile esse vt assumerent vnam hypostasim vel vnam personam humanam.*

Probantur primò ambæ simul: Quia circa hoc mysterium, in quo ex vnione animæ & corporis in Christo, neque fit vna persona, neque vna hypostasis; sed fit vna natura assũpta in personã vel hypostasim diuinã, magis iudicãdũ est secũdũ cõditionem diuinæ personæ assumentis, quàm secundùm conditionem humanæ naturę assumptę; ergò non est impossibile diuinis personis &c. Antecedens probatur: quia in mysterio Incarnationis tota ratio facti est potentia facientis, vt Augustinus dicit *in Epist. ad Volusianum*: Conseq. verò probatur; quia talis est diuinarum personarũ conditio, quòd vna earum non excludit aliam à communione eiusdem naturæ, sed solùm à communione eiusdem personæ. Deinde probatur specialiter secunda conclusio authoritate Anselmi dicentis *in lib. Cur Deus homo*, plures personas non posse assumere vnum eũdemque hominem, scilicet in vnitatem personæ.

Expositio Textus.

ADVERTE *primò*, Val. plurimis modis formare discursum præsentis articuli sed minus aptè, vt patet conferenti singulos illos modos cum ea forma, quam adhibet Caiet. à qua non multum distat ea, quam vt breuiorem & faciliorem supra posuimus.

Secundò scito, dictum Anselmi pro secunda cõclusione relatum à D. Thom eum sensum habere, quem illi tribuit S. D. vt optimè probat Caiet. à quo licèt in principio ob mirus attentam verborum eius inspectionem discordet Suarez *in suo Com.* carpens etiam ex parte D. Thom. tandem tamen ab ipsa veritate coactus vtrique cõsentit.

Vltimò vide Vasq. *disp. 29. cap. 2.* explicantem responsionem ad 3. argum. D. Th.

PRIMA CONTROVERSIA.

De veritate primæ Conclusionis; an scilicet plures diuinæ personæ possint simul assumere vnam & eandem numero naturam?

TRES sunt Doctorum sententiæ. *Prima Sententia Doctorum.* Prima est Alberti *in tertio distinct. 1. art 10. in resp. ad 1. quæstiunculam*, & Ric. *a. 1. q. 3.* Quã sequitur Scotus

Scotus *eadem dist. q. 2. §. Ad quæstionem igitur*, & Rada *in sua 3 p. Controu. 1. a. 4.* Vbi eam explicat tribus conclusionibus. *Prima* est: Si terminus primus & totalis sit persona, non potuerunt tres personæ assumere vnam singularem naturam ad vnitatem personæ. *Secunda* est: Si terminus primus & immediatus vnionis ponatur persona, implicat plures personas diuinas eandem assumere naturam singularem, ita vt ipsis vniatur hypostaticè. *Tertia* est: Si terminus vnionis immediatus ponatur natura diuina per se subsistẽs, seu hic Deus per se subsistens, eadem natura potest assumi à tribus quasi mediatè.

Secunda sententia est. S. Th. *in hoc a.* dicentis posse plures personas diuinas vnam & eandem numero naturam assumere; quam etiam tuentur Alensis *3. p. q. 2. memb. 4.* S. Bona. *in 3. dist. 1. a. 2. q. 2.* Dur. *eadem dist. q. 3.* Gabriel. *q. 1. a. 3.* & alij antiquiores quos referunt recentiores. eundem sententiam sequuntur omnes discipuli D. Th. Capr. *q. 1. a. 1. concl. 2.* Cai. & Med. *super hoc a.* quibus accedunt etiam extranei S. D. expositores, scilicet Val. *puncto 3.* Suar. *disp. 13. sect. 2.* & Vasq. *disp. 29.*

Vltima sententia est Paludani *in allegata dist. 1. q. 3. a. 2.* asserentis vtramque sententiam esse probabilem.

Resolutio. Declaratur sensus quæ stit.

Notandum est primò, dupliciter posse tres personas eandem numero naturam, puta hanc humanitatem assumere. *Primò modo* terminando illam proximè & immediatè per solam ipsis communem subsistentiam essentialem: sic enim, vt supra diximus, quælibet diuina persona naturã illam secundariò diceretur assumere. Et in hoc sensu, quæstio hæc definita fuit *supra artic. 3. Alio modo* possunt tres personæ diuinæ eandem numero naturam assumere, terminando illam proprijs personalitatibus, ita vt in ea natura sint tres personæ subsistentes, quarum quælibet sit homo, & hic est sensus propositæ Controuersiæ.

Distinguitur & explicatur duplex dependentiæ modi.

Secundò sciendum est, duplicem esse dependentiam essentialem alicuius entis ab altero; *quædam* est propriè dicta: & hęc necessariò est cum aliqua causalitate, vel efficienti vel formali, &c. *Quædam* alia est dependentia essentialis minus propriè dicta: & hæc est sine causalitate, cum sit inter ea quorum vnum est alteri necessariò connexum, & tamen neutrum est alterius causa; sicut duo correlatiua necessario sunt simul natura, nec tamen vnum est alterius causa, & similiter duæ oppositæ differentiæ commune genus diuidentes necessariò simul sunt, nec tamen vna est alterius causa, & linea recta necessariò simul est cum puncto terminante, nec tamen ab eo causatur. *Et de priori* quidem dependentia diximus *in 1. p. q. 52. a. 3. Contro. vnica* vnum & eundem effectum numero posse, Deo volente, à pluribus eiusdem ordinis causis efficientibus totalibus simul sumptis, & ad modum vnius causæ consideratis dependere, & singulas earum esse sufficientes ad producendum effectum, quo ad omnem eius perfectionem, sed non quo ad eius numericam vnitatem, quæ ex illis pluribus simul acceptis, & ad modum vnius integræ causæ deriuatur: vt ibi declarauimus. Quo fit vt indigentia effectus, quo ad eius perfectionem suppleri possit à qualibet eius causa totali; sed eiusdem effectus indigentia, quo ad vnitatem numeralem, non nisi ab omnibus illis simul acceptis, à quibus ponitur dependere possit expleri. Et ex hoc fundamento subuertitur totus discursus Vasquezij *disput. 19. cap. 4.* ex Caietano desumptus, quo veluti demonstratiuo vtitur contra sententiam nostram, vt inferius argumentorum solutiones indicabunt. *Dependentia verò minus* propriè dicta, qua vnum à pluribus dependet, quædam est eiusdem rationis siuè speciei: sicut similitudo albi vt quatuor dependet tanquã à terminis eiusdem rationis à pluribus albis, vt quatuor, quorum singuli terminant relationem similitudinis totaliter intensiuè, quamuis non totaliter extensiuè, vt hic etiam explicat Caiet. & ante eum Capr. *loco notato:* cuius rationem assignat Caiet. ex differentia inter dependentiam causalem & non causalem, quòd illa ponit imperfectionem, & indigentiam in causa, quæ, si sublata fuerit totaliter ab vna causa, implicat vt remaneat indigens altera causa; sed hæc, scilicet dependentia non causalis, potest absque vlla imperfectione & indigentia reperiri, vt videre est in relatiuis quæ in diuinis sunt absque vlla imperfectione & indigentia; ac proinde potest aliunde, id est ex alterius conditione & sufficientia prouenire, vt quod ab vno totaliter intensiuè terminatum est, possit etiam ab alio terminari; sed hæc ratio examinabitur infra. Quædam est dependentia minus propriè dicta qua vnum dependet à pluribus diuersarum rationum; quæ ideò non est eiusdem rationis: sicut albedo vt quatuor dependet secundùm vnius rationis dependentiam ab vna alia vel pluribus albedinibus eiusdem gradus eandem relationem similitudinis terminantibus; quatenus autem dissimilis, dependentiam habet alterius rationis à nigredine & rubedine, & à minus aut magis albo relationem dissimilitudinis terminantis.

Tertiò notandum est, dependentiam naturæ à personalitate non esse causalem, vt Caiet. aduertit, *q. sequenti, a. 2.* de qua re multa diximus *1. p. q. 50. a. 2. Contro. 3* quod perspicuè patet in mysterio Incarnationis; nam si persona Verbi quatenus assumptam terminat humanitatem, rationem aliquam haberet causalitatis formalis aut effectiuę necesse esset eam duabus alijs personis esse communem; ac proindè nõ solùm Verbum, sed etiam Patrem & Spiritum Sanctũ eidem humanitati fuisse personaliter vnitum, quod est erroneum.

Eãdem numero naturam posse à tribus personis assumi.

Quartò sciendum est, duobus modis intelligi posse vnum ab alio totaliter dependere: primo, si eo sublato consistere nequeat: Secundò, si eo posito & omni alio remoto potest sufficienter consistere. Qui duo modi differunt; nam ex primo sequitur secundus, non autem è contra; quia potest esse secundus sine primo; vt patet in dependentia vnius numero paternitatis à pluribus numero filiationibus: vna enim sola filiatione posita & omni alia remota consistit paternitas; nec remouetur paternitas vna aut altera filiatione remota, dummodo vna remaneat; cùm tamen à qualibet filiatione paternitas dependeat totaliter intensiuè: Hoc igitur secundò modo; non autem primo dicimus humanam naturam, si à tribus diuinis personis assumeretur, ab vnaquaque earum totalem, habituram esse dependentiam; quia tunc humana natura, ita subsisteret ex vi cuiuslibet personalitatis diuinæ, vt quacunque remota posset ex vi vnius tantùm eam naturam terminantis subsistere; quod etiam dicendum est de pluribus causis totalibus eiusdem generis & ordinis à Deo applicatis ad vnum numero effectum producendum: hic enim quo ad totam suam perfectionem à qualibet earum causarum produceretur alia quacunque, vel etiam cæteris omnibus remotis.

Quintò considerandum est ex Caiet. diuina suppositа personaliter sumpta prout scilicet suis personalibus proprietatibus constituuntur & distinguuntur, esse quodammodo vnius & quodammodo diuersæ rationis; nam si rationem attendamus personalitatis communem, vna omnium communis est ratio, vt cum D. Thom. & alijs ostendimus *1. p. q. 30. a. 4.* Si verò propria cuiusque diuinæ personæ consideremus, diuersæ sunt rationis, vt ostendimus *1. p. q. 27. a. 4. Cõtro. 3.* & affirmat expressè S. D. *de potent. q. 10. art. 2. in responsione ad 12. & 1. p. q. 32. a. 2.*

Ex quibus *sequitur primò* doctrinam de causali dependentia vnius effectus à pluribus causis totalibus, eiusdem generis & ordinis ad huius controuersiæ definitionem minimè pertinere. *Secundò sequitur*, assumptionem vnius & eiusdem numero naturæ fieri possibilem à tribus simul personis esse diuersæ rationis absolutè loquendo, & consequenter etiam dependentiam illius naturæ à tribus suppositis esse diuersæ rationis quasi specificæ, sicut & ipsa diuina suppositа quodam modo specificè distinguuntur; Nam quemadmodum vnio personalis huius naturæ cum Patre alterius est rationis ab vnione eiusdem naturæ personali cum Filio, & ab vnione cum Spiritu S. quia distinctæ personalitates diuersarum rationum essent etiam diuersarum vnionum termini formales eas formaliter & realiter distinguentes, ita potentia obedientialis in eadem natura, qua potest vniri Patri personaliter, alterius est rationis ab ea potentia, qua potest vniri Filio & ab ea qua potest vniri Spiritui sancto, atque ideò non essent in his vnionibus dependentiæ eiusdem rationis, sed alia esset dependentia huius naturæ à subsistentia filij, & alia à subsistẽtia Patris, & alia à subsistentia Spiritus sancti, vt hic benè deducit Caiet. quẽ sequitur Suar. & Vasq. *Tertiò sequitur*, præcisa etiam à tribus personalitatibus specifica diuersitate, posse nihilominus ab eis simul eandem numero creatam naturam terminari; quia naturæ creatæ dependentia à personalitate diuina non prouenit ex indigentia naturæ, sed ex sufficientia diuinæ personalitatis & potentia naturæ obedientiali ad ipsam. Cum igitur vnaquæque diuina personalitas sufficientiam, præcisa diuersitate specifica ab altera, habeat infinitam & in natura creata sit potentia obedientialis ad quamlibet diuinam personalitatem, cõsequẽs est eandem numero naturam simul à tribus personalitatibus etiam præcisa inter eas rationis diuersitate posse terminari.

Cur natura creata terminata per personalitatem à nulla persona, etiã diuina possit assumi, terminata verò per vnã diuinã personalitatem ab alijs duabus in Deo personis possit assumi.

Quintò Notanda est multiplex differentia inter modum, quo natura creata terminatur propria personalitate, & quo terminatur aliena puta diuina. *Prima differentia* est illa, quam assignat Cai. dicens modum quo hæc humanitas propriã habet personalitatem esse, quia ipsa humanitas est principium constitutiuum suæ personæ; quia ex vnione animæ & corporis constituitur non solùm vna natura singularis, sed etiam vna persona; adeò vt ratio habendi propriam personam sit ipsa substantialis & perfectà natura extra causas suas in rerum natura sibi dimissa. Et quia (inquit Caiet.) hæc humanitas suaptè natura non se extendere potest, nisi ad cõstituendam vnam personam sibi propriam, & personæ repugnat assumi ab alia persona in vnitate personali; ideò hæc humanitas sic personatur in Socrate propria personalitate, vt ea terminetur totaliter intensiuè & extensiuè. Sed hæc humanitas alio modo, & alia ratione personatur per assumptionẽ; quia non constituendo personam personatur: & ideò potest ab alia persona assumi absque hoc, quod assumatur ea personalitas, qua primò fuerat terminata. Huic differentiæ *secundam etiam addit* Caietanus, dicens diuersam esse vtrobique rationem terminandi; quia diuina persona terminat ex sua infinitate, & natura humana non naturali sed obedientiali potentia personatur per alienam personam: at persona Socratis non ex aliqua excellentia sed ex naturali adæquatione terminat personaliter suam naturam, & è contra natura Socratis per eam naturaliter est adæquabilis personaliter. *Tertia differentia* est quam assignat Medina *in resp. ad quartum Scoti*, qua declaratur prima differentia Caiet. ait enim naturam hanc humanam per se constituere personalitatem propriam, quæ terminat illam naturam, & suscipitur in illa tanquam perfectio intrinseca; & ideò impossibile esse assumere naturam humanam in propria persona, & non simul assumere propriam personalitatem, quæ tamen est inassumptibilis; at personalitas diuina quodammodo extrinseca est humanæ naturæ; & ideò postquàm assumpta est ab vna diuina persona, assumi potest etiam ab altera. Quem dicendi modum sequitur Aluar. *disp. 26.* dicens, impossibile esse naturam assumi, quin assumatur eius suppositum, nisi destruatur, ob naturalem & intrinsecam connexionem quam habet cum natura, à qua tanquàm formalis effectus secundarius emanat, quod explicat exemplo ex hoc mysterio Incarnationis accepto. Nam quia natura diuina necessariam & intrinsecam habet connexionem cũ personalitate Verbi, eo ipso quod Verbum nostram naturam assumpsit, & eam per se primò terminauit, consequenter etiam diuina natura eandem naturam assumpsit secundariò, non in se ipsa sed in persona Verbi: sic igitur proportionabiliter ob naturalem & intrinsecam connexionem propriæ personalitatis cum natura quam terminat, impossibile est assumi naturã propria personalitate terminatam, quin secundariò saltem assumatur ipsa persona, nisi diuina virtute supernaturali destruatur. *Quarta differẽtia* est, quã constituit Cap. *loco notato* dicens, differentiã esse; quia suppositum creatũ terminat dependentiã naturæ suæ secundùm vnam esse & vnum subsistere, in quo aliud suppositũ creatũ communicare non potest; sed diuersorum suppositorum sunt diuersæ subsistentiæ in creaturis; Diuinæ verò personæ vnicam habent subsistentiam, licèt habeant distinctas personalitates; & ideò non sequitur, quod eadem natura haberet plures subsistentias, si assumeretur à pluribus diuinis personis; sed solùm, quod esset vnita à pluribus personalitatibus relatiuis. Quod dictũ quamuis innitatur falso fundamento nimirum in diuinis non esse tres subsistentias relatiuas, sed vnam tantùm absolutam; potest tamen optimè proposito deseruire adhibito moderamine dicendo, differentiam esse inter suppositа creata & diuina, quòd suppositа creata singula terminant dependentiam naturę suæ secundùm vnum subsistere & vnum esse, quod alteri supposito nõ est commune: diuina verò suppositа, quamuis tres habeant subsistentias relatiuas & personales; vnam tamen habent communem substantialem subsistentiam, quæ vt tribus relationibus modificata, est triplex subsistentia personalis; & ideò sicut diuina natura tribus illis personalibus subsistentijs naturaliter terminatur, ita hæc vna numero natura creata potentiam habet obedientialem, vt tribus illis personalibus subsistentijs

stentijs termiinetur. Si autem fieri posset, vt plura supposita creata, vel vnum creatum & aliud increatum haberet, vnam aliquam communem subsistentiam, sicut habent diuinæ personæ, tunc vnum suppositum creatum non terminaret totaliter extensiuè dependentiam naturæ; sed posset vlterius terminari per aliud suppositum habens eandem subsistentiam; sed quia nullum suppositum communicat cum alio supposito in eadem subsistentia; ideò suppositum omne creatum suæ naturæ dependentiam terminat totaliter intensiuè & extensiuè. *Quinta differentia* est, quam subiungit ibi Capreolus dicens, suppositum creatum terminare dependentiam naturæ eo modo, quo totum subsistens terminat dependentiam partium; personam autem diuinam terminare dependentiam assumptæ naturæ eo modo, quo subsistens terminat dependentiam alicuius sibi vniti, sicut subiectum terminat dependentiam accidentis: constat autem idem non posse esse partem duorum totorum subsistentium; cùm tamen idem accidens possit vniri duabus substantijs habentibus eandem subsistentiam, sicut quantitas materiæ & formæ. *Sexta differentia* est ea, quam assignant Suar. & Vasq. tanquã solam efficacem ad intentum probandum, nimirum naturam personatam propria personalitate assumi non posse: dicunt enim personalitatem esse modum naturæ propriæ intrinsecum per se existendi, qui modus formalem & propriam habet repugnantiam cum eo modo vnionis, quem habet natura assumpta in alieno supposito; quia esse per se & esse in alio modi sunt adeò repugnantes, vt vnus proximè includat negationem alterius. Nam idem accidens non potest simul esse per se & actualiter inhærere; sicut nec eadem virga potest esse recta simul & curua: persona verò extrinseca naturam assumens non est assumptæ naturæ modus intrinsecus, sed tribuit illi modum essendi in alio; magis autem repugnant modus essendi per se & in alio, quàm duo modi essendi in alio; quia illi duo modi ita se habent, vt vnus includat negationem alterius; isti verò minimè, sed sunt prorsus disparati, sicut idem accidens potest esse in duobus subiectis; non tamen per se & in alio. Ex quo etiam facilè est intelligere, cur possit eadem natura diuina esse in tribus personis; quia scilicet in illis omnibus est per se, & omnes illæ personalitates sunt veluti modi per se existendi, & non dicunt vnionem ad extrinsecam personam; & ideò non includunt illam repugnantiam & negationem mutuam, quam includunt modus per se & in alio.

Sed hæc doctrina, quam ad excludendos modos dicendi Caietani, Medinæ, & Capreoli, Suarez diligenter explicauit, in eo falsa est, quod ait, personalitatem naturæ propriam esse modum eius intrinsecum non realiter sed formaliter seu ex natura rei tantum ab ea distinctum; quo ad alia verò verissima est, & prædictis dicendi modis parum ab inuicem differentibus, quàm maximè fauet; eorum enim radicem indicat & sensum aperit. Ex eo namque quòd hæc humanitas sic propriam habet personalitatem, vt sit principium constitutiuum suæ personæ, sit eadem personalitate per se subsistens; ita vt natura & substantia, non per aliud à se sed per seipsam subsistat; quia subsistere per proprium & intrinsecum terminum non distinguitur contra subsistere per se; quia proprius terminus est aliquid terminati, & ad eius pertinet complementum. Quamuis igitur natura & substantia interminata, non per se subsistat, sed necesse sit vt proprio termino compleatur, natura tamen completa seu terminata, verè dicitur seipsa subsistens, vt subtiliter ac eruditè docet Caiet. *in quæst. sequenti, ar. 2 respondens ad 5. argumentum Scoti*: igitur secundùm expressam doctrinam Caiet. ex hoc, quòd natura principium formale est suæ personalitatis constitutiuum (eo scilicet modo, quo res tendens ad sui complementum & terminum suæ perfectionis intrinsecum, dici potest illius seu complementi seu termini principium formale, vt infra declarabitur in propria Controuer.) habet, vt postquam fuerit ea personalitate completa seu terminata, sit verè & propriè per seipsam subsistens; modo verò per se subsistendi repugnat, vt dictum est ex Suar. modus in alio existẽdi; & ideò natura sic personata non potest assumi, & fieri in alia natura subsistens. Et hoc idem voluit significare Capreol. in secunda apud eum, & apud nos quinta differentia; nam etsi nãtura ad suum suppositum non propriè comparetur vt pars ad totum, sed magis vt incompletum ad completum, vt ante diximus ex Caiet. ratio tamen siue modus quidam est totius & partis in natura & supposito proprio adinuicem comparatis, propter quem dicitur natura esse in proprio supposito tãquam in quodam toto; sed magis propriè loquendo, natura dicitur esse in supposito eo modo, quo res prius incompleta dicitur esse in se ipsa postea completa: iam autem diximus, naturam subsistentia completam esse per se subsistentem, cui vt sic repugnat subsistere in alio extrinseco subsistente. Ex hac doctrinæ Caiet. declaratione dilui facilè poterunt argumenta, quæ contra eam producit Suarez & alij recentiores.

Conclusiones deductæ & probatæ.

PRIMA CONCL. *Plures diuinæ personæ possunt assumere eandem numero naturam, vt plures termini diuersarum rationum eam singuli totaliter terminantes.* Hæc patet ex dictis.

SECVNDA CONCL. *Præcisa à diuinis personalitatibus diuersitate specifica possunt adhuc plures personæ eandem numero naturam creatam assumere.* Hæc patet ex dictis.

TERTIA CONCLVSIO: *Nec plures, nec vna ex diuinis personis potest assumere naturam propria personalitate; vel subsistentia terminatam ob eas rationes, quas adducunt Caietan. Capreol. Medina & Aluar.*

VLTIMA CONCLVS. *Non implicat contradictionem vnum numero effectum dependere simul à pluribus efficientibus eiusdem ordinis tot alibus.* Hæc patet ex dictis *in 1. p q. 52. a. 3.*

Argumẽta & Solutiones.

CONTRA *primam & secundam* conclusionem sunt septem argumenta Scoti quæ refert & soluit Capreolus *in 3. distinct. 1. quæst. vnica. Contra secundam suam conclusionem* ex quibus primum tantùm hic affert Caietanus & latissimè soluit. Quædam etiam argumenta contra eandem conclusionem referunt & soluunt Medina *super hoc artic.* Valent. *puncto 3.* & Aluar. *disput. 26.* Sed quia Rada producit argumenta Scoti & impugnat responsiones Caietani, operæ pretium erit eadem hic eodem ordine referre, quo producuntur ab eo, & ea cum impugnationibus responsionum Caietani diluere. *Arguit igitur primò*; Quia D. Anselmus *lib. 2. Cur Deus homo, cap. 9. in principio* ait, plures personas non posse vnum eundemque hominem assumere; ergò. *Respond.* cum D. Thoma & Caietano Anselm. negare plures personas posse assumere vnum, eundemque hominem in vnitate personæ, siue, vt ait Caiet. assumere vnam personam humanam. *Sed hanc* responsionem

Cont. duas primas conclus. obijcit. Sol.

Replica.

non esse ad mentem Anselmi probat Radæ: Quoniam Anselm. *in illo cap.* inquirit in qua persona Deus, qui est tres personæ, humanam naturam assumpserit, & sumit tanquam certum, illam vnionem non esse factam in pluribus personis: (*Quoniam inquit impossibile est plures personas vnum eundemq; hominem accipere*) vt inde concludat, in vna tantum persona, quę est secunda Trinitatis, vnionem esse factam: at si per vnum eundemque hominem intelligeret Ansel. hypostasim humanam, nihil concluderet; ergo. Probatur hæc minor; quia sicut implicat assumi à pluribus vel tribus personis vnam hypostasim humanam, ita implicat assumi ab vna sola: at Anselm. expresè concedit, hominem esse assumptum ab vna persona, & statim ostendit illum esse Filium Dei; ergò per ly *vnum eundemq; hominem* naturam atomam & singularem intelligit. Et *confirmatur*; quia seruato eodem locutionis modo & acceptione nominis, statim subdit Verbum assumpsisse hominem; ergo nomine hominis idem vtrobique significat. Sed cùm ait, Verbum hominem assumpsisse, necessariò intelligit naturam humanam singularem; ergò similiter cùm dixit eundem hominem à pluribus personis accipi non posse, &c. *Resp.* Verba D. Anselmi *in illo c.* hęc esse: *Nunc quoque quærendum est, in qua persona Deus, qui est tres personæ, hominem assumat; plures enim personæ nequeunt vnum, eundemq; hominem assumere in vnitate personæ; quare in vna persona tantum hoc fieri necesse est*: & addit, se de hac vnitate personæ Dei & hominis, & in qua persona Dei hoc magis fieri oporteat, alibi locutum fuisse. Ex quibus apparet, Anselmum supponere Christum vnum tantùm hominem personaliter fuisse, vt fides Catholica docet, ex quo infert eius humanitatem vni tantùm & non pluribus personis hypostaticè fuisse coniunctam: & ideò non absolutè negauit, tres personas posse eandem humanitatem assumere, sed cum addito, scilicet in vnitatem personæ: constat autem impossibile esse tres personas nõ posse assumere eandẽ numero humanitatem in vnitatem personæ: nam id fieri non posset, nisi assumendo personalitatem humanam; cùm tres diuinæ personæ non possint in vnam numero personam conuenire: & ideò S. D. sola verba D. Anselmi referens ait, plures personas non posse assumere vnum eundemque hominem in vnitatem personæ; ita scilicet vt in assumpta humanitate sit vna persona subsistens; cùm tamen id possit vna persona: Et quamuis nomine vnius & eiusdem hominis Anselmus intelligat vnam & eandem numero humanitatem, quod non negat hic S. D. quia tamen, vt dixi, non possent plures personæ assumere eandem numero humanitatem in vnitatem personæ, nisi assumendo personalitatem & personam humanam; ideò bene Caietanus nomine vnius & eiusdem hominis intellexit humanam personam significari: quia si non directè & primò; consequenter tamen & secundariò verba illa; *vnum eundemq; hominem*, personam humanam significant: vbi de pluribus personis assumentibus sermo est, ob dictam causam. *Ad argumentum igitur* in forma negatur minor: ad cuius probationem dico ea benè probari per dicta verba directè & primò significari naturam atomam & singularem; sed tamen, vt dixi, consequenter significatur humana persona: Vbi de pluribus personis diuinis assumentibus sermo est, propter addita illa verba: *in vnitate personæ*: & eodem modo soluitur *confirmatio*.

Secundò arguit cum Scoto: In omni dependentia essentiali, vnum dependẽs non dependet præcisè, nisi ad vnum, quod totaliter terminat eius dependentiam: sed in hac vnione hypostatica est dependentia essentialis vnius naturæ, & vna persona terminat totaliter eam; ergò eadem natura non potest sic ad plures personas dependere. Consequentia est bona. Maior probatur in omni dependentia causati ad causam; quia impossibile est, idem causatum habere plures causas in eodem genere causãdi; quia sequeretur quod dependeret essentialiter ab aliquo, quo non existente nihilominus esset, quod tamen inuoluit contradictionem; id ipsum apparet. Verùm in omnibus dependentijs, etiam quæ non sunt causati ad causam, quod cùm dependentia alicuius fuerit totaliter terminata ad aliquid, ipsum non potest dependentia eiusdem rationis ad aliud dependere, vt patet de accidente respectu plurium subiectorum primorum: Implicat enim idem accidens dependere simul ad duo subiecta prima. Albedo enim non potest dependere ad Petrũ; cùm eius dependentia totaliter fuerit terminata ad Ioannẽ. Minor probatur; quia personalitas creata totaliter terminaret dependentiã naturę; & illa stante nõ posset simul esse in alia creata vel increata: at non minus terminat naturam & eius dependentiam personalitas cuiuscunque personæ diuinæ, quàm creata; ergò sicut stante personalitate creata non potest illa natura ab alia persona assumi; ita stante vna personalitate increata eam terminante non potest ab alia assumi. *Et confirmatur*, quia per quamlibet totaliter terminatur: at implicat eandem dependentiam simul terminari à duobus totalibus terminis; ergò.

Respon. primò, falsam esse maiorem in quolibet genere dependentiæ, etiam causati ad causam, vt patet ex dictis. Ad probationem, quòd sequeretur aliquid ab aliquo essentialiter dependere; quo non existente nihilominus esset; quod tamen inuoluit contradictionem: Resp. duobus vt supra diximus, modis intelligi posse vnum ab alio totaliter dependere: Vno modo si eo sublato consistere nequeat: Secundò si eo posito & omni alio remoto potest sufficienter consistere: argumentũ aũt procedit ac si vno modo tantùm, scilicet primo modo, diceretur aliquid totaliter dependere; nam quod ita dependet ab aliquo impossibile est, vt eo remoto perseueret in esse: Quod autem secundo modo præcisè pendet ab aliquo, potest etiam eo remoto permanere, sic autem dicimus vnum effectum à pluribus causis totalibus posse dependere, & non primo modo. Quod idem dicendum est de dependentia minus propriè dicta, vt relatiui à correlatiuo: & in proposito naturæ humanæ à personalitate diuina: est enim dependentia totalis, non primo sed secundo modo dicta; quia scilicet id, quod ab alio dependet, potest omni alio remoto permanere. Ad id, quod ait de accidente respectu plurium primorum subiectorum, respondet Caiet. *Secundò resp.* cum Caiet. maiorem non esse veram, nisi triplici addita limitatione: prima quoad dependentiam, vt intelligatur de dependentia propriè dicta, quæ est effectus à causa: *Secunda*, quo ad particulam illam, *non dependet*, vt intelligatur de dependentia eiusdem omnino rationis siue speciei infimæ. *Tertia* est, quo ad dictionem illam, *totaliter*, vt intelligatur tam intensiuè quàm extensiuè: In hac autem dependentia naturæ à supposito nulla est causalitas suppositi respectu naturæ: Deinde non est eiusdem rationis dependentia vnius naturæ à tribus personis. Postremò, natura non est totaliter

Conf. — Sol. — Conf. — Sol. — Ad Conf. — Obi. 2.

ter extensiuè terminata ab aliqua vna persona A
Replica. diuina; sed tantùm à tribus. *Sed instat Rada contra primam* limitationem argumento iam soluto. Deinde *contra secundam*, quatenus applicatur proposito; Quia licèt tres relationes sint alterius rationis secundùm se; non tamen vt terminant, sed potius eiusdem rationis; ergò. Probatur assumptum; quia terminant sub ratione personalitatis seu hypostasis: & sub hac ratione sunt eiusdem rationis & speciei. Demum *contra tertiam*; quia effectus qui diuisim potest esse à duabus causis totalibus, postquam habet esse ab vna, non potest simul esse ab alia, licèt eius dependentia non sit terminata totaliter extensiuè sed solùm totaliter intensiuè, vt patet de calore qui B
& ab igne & à sole produci potest; ergò cum natura humana assumpta à Verbo sit terminata totaliter intensiuè, licèt non extensiuè, non est assumptibilis simul ab alia, stante scilicet assumptione priori. Et *confirmatur*; quia quod est terminatum totaliter extensiuè, non potest termini ab alio extensiuè totaliter; ergo similiter quod est totaliter intensiuè terminatum, non potest vlterius simul intensiuè totaliter terminari: sed natura assumpta est totaliter intensiuè terminata à Verbo; ergò non potest simul totaliter intensiuè terminari ab alia persona. *Respondetur*: *Ad argumentum contra secundam limitationem*, negatur assumptum. Ad probationem C
negatur etiam assumptum; quia tunc quælibet persona terminaret assumptam naturam, non sub communi tantùm ratione personalitatis; sed sub ratione sua propria; sicut Verbum terminat assumptam naturam; non sub communi ratione tantum, alioquin non solùm Verbum sed etiam Pater & Spiritus sanctus eodem modo terminarent humanam naturam; quia personalitas quæ communis est tribus personis, æquè conuenit omnibus. *Ad argumentum contra tertiam limitationem* negatur consequentia; quia dependentia effectus à causa est secundùm esse existentiæ in rerum natura, quod est vnius rationis: & semel productum ab vna causa non potest D
iterum ab alia produci: implicat enim contradictionem produci id quod actu est; quamuis, vt ante diximus, cum actu producitur ab vna causa totali, possit etiam ad eius productionem concurrere alia causa totalis eiusdem generis & ordinis. Dependentia verò naturæ creatæ à persona diuina non est proximè & immediatè secundùm existentiam in rerum natura; sed quo ad subsistentiam, quæ in tribus personis diuinis est diuersarum rationum, cui ex parte naturæ correspondet potentia obedientialis diuersæ rationis, vt ait Caietanus: & ideò postquam fuerit natura creata per vnam, puta Verbi personalitatem, totaliter intensiuè terminata, potest ad-
Ad conf. huc per aliam totaliter intensiuè terminari. *Ad confirmationem* negatur consequentia, quia omne, quod est terminatum ab aliquo totaliter extensiuè, est etiam terminatum ab eo totaliter intensiuè: Non enim potest esse, vt aliquid sit totaliter extensiuè terminatum; quin sit etiã ab eo totaliter intensiuè terminatum; terminatio namq; personalis tota fit intensione à quolibet terminante, nec ab vllo fieri potest, nisi tanquam à termino totali: sicut etiam punctus ex vna parte terminans lineam non eam terminat, vt partialis eius terminus sed vt totalis, nec magis intensè potest eam terminare quàm faciat: Non omnè autem, quod ab aliquo terminatur totaliter intensiuè, terminatur ab eo totaliter etiam extensiuè ob rationes superius assignatas. *Tertiò, Resp. ad*

argum. principale, & negatur minor si fermo sit de terminare totaliter, non solùm intensiuè sed etiam extensiuè. Ad cuius probationem respondetur cum Caietano primò, personam diuinam minus extensiuè terminare naturam assumptam, quàm terminaret eius propria personalitas. Secundò respondetur, probationem illam peccare secundùm non causam vt causam: quia ratio propria cur persona diuina relinquat naturam creatam assumptibilem ab alia persona, non est; quia minus terminet naturam, quàm terminaret propria personalitas; sed ratio propria est, quia terminat illam alio modo, vt supra notauimus ex Caietano & alijs: Vbi multas enumerauimus differentias inter modum quo natura creata propria personalitate & modum quo terminatur aliena nempè diuina.

Sed instat Rada contra differentiam assignatam à Caiet. quòd scilicet hæc humanitas, sic habet propriam personalitatem, vt sit principium constitutiuum suæ personæ, &c. & ait hanc doctrinam seu solutionem indignam esse suo authore primò; quia hæc humanitas non constituit personam; sed potius ipsa est, quæ personatur. Secundò, quoniam ex eo quod natura creata constituat naturam creatam, non rectè colligitur quod terminetur propria personalitate totaliter intensiuè & extensiuè. Tertiò: quia natura creata personata potest assumi ab alia persona; non quidem simul; sed diuisim, scilicet separata propria personalitate; ergò propria personalitas non terminat totaliter extensiuè. *Resp.* ad primam falsum esse antecedens; quia natura suo modo constituit personam, vt supra diximus. Ad secundam dico, optimam esse deductionem, vt patet ex quinto notabili. Ad tertiam dico, eam personalitatem dici in proposito terminare naturam totaliter extensiuè, quæ simul non compatitur aliam personalitatem in eadem natura, licèt ea, quam habet, dimissa, possit aliam assumere.

Rad. replica. *Conf.* *Sol.* *Sol.*

Tertiò principaliter arguit; Quia eadem natura singularis non potest constitui duabus differentijs singularibus primis; nec eadem natura pluribus differentijs specificis; ergo nec vna natura creata pluribus potest personalitatibus terminari. Et *confirmatur*; quia natura animalis determinata per rationalitatem intensiuè, non tamen extensiuè, non potest simul alia differentia specifica terminari; ergo natura creata terminata intensiuè totaliter per personalitatem increatam non potest simul alia personalitate personari etiam increata. *Resp.* Consequent. valere de pluribus personalitatibus intrinsecis & ex ipsa natura deriuatis & ad eius naturale complementum pertinentibus, non autem de personalitatibus extrinsecè & supernaturaliter terminantibus: & ratio est; quia sicut vna est rei essentia per differentias essentiales constituta, ita vnum subsistantiale & intrinsecum ac naturale ipsius essentiæ complementum, quod est propria subsistentia seu personalitas, qua hypostasis vel persona constituitur. Et per hæc diluitur *confirmatio*; quia rationalitas ita determinat animal, vt essentiam hominis tanquam pars eius essentialis constituat; & si adderetur alia differentia, resultaret alia essentia & prior destrueretur: personalitas autem diuina non ita terminat naturam, vt constituat aliquod totum, tanquam pars eius essentialis; sed constituit vnum quoddam compositum ex natura & supposito, cui non repugnat alia compositio ex eadem natura & alio diuino supposito, vt iã ostendimus.

obi. 3. *Conf.* *Ad Conf.*

CONS

Cōl. 3 concl. Obi. 1.

CONTRA *tertiam conclusionem* sunt duo argumenta, quæ profert & soluit Aluarez *disput. 26.*

Contra eandem conclusionem argumentatur Val. *puncto 3.* volens probare, vanam esse rationem Caietani, qua probat illam conclusionem; quia cum natura per propriam personalitatem terminatur, non est principium constitutiuum suæ personalitatis formaliter; ita vt eodē formaliter sit persona, quo est formaliter natura, sed dici potest tantummodo principium constitutiuum personalitatis suæ tanquam origo seu fons; vnde propria personalitas emanat; ergò nihilominus manet distinctio formalis, immò & realis secundùm Caietanum inter naturam & personalitatem eius propriam: sed hac distinctione salua non apparet vlla ratio, cur si natura est principium & quasi origo personalitatis suæ, nequeat assumi, quando est per personalitatem propriam terminata; nisi assumatur persona, id est, ipsa natura quatenus terminata per suam personalitatem. Quo etiam argumento vtitur Suarez *disputat. 14. sect. 1. §. & ideò addit vlterius Caietanus.*

Sol. *Resp. primò*, falsam esse subsumptam propositionem. Quia personalitas est complementum substantiale, & intrinsecum naturæ conferens illi modum essendi per se, id est non in alio, tanquam quo in quod: & ideò natura assumi non potest, nisi assumatur etiam eius complementum & personalitas, quod est impossibile, vt antè diximus. Nec obstat distinctio realis personalitatis à natura; quoniam hoc ipso, quòd personalitas est naturæ complementum intrinsecum conferens illi prædictum essendi modum, non potest assumi natura, nisi prout sic est completa & subsistens, cui tamen vt sic repugnat esse in alio subsistente.

Ob. 2. *Contra eandem* partem argumentatur Suarez: In Sanctissima Trinitate videmus eandem naturam vltimò terminatam in persona Patris rursus terminari per relationem filij; quamuis vna personalitas non terminet personaliter aliam; ergo facilius poterit Verbum terminare naturam personatam, & non personalitatem eius. Probatur consequentia; quoniam inter hæc est distinctio ex natura rei, quæ non reperitur inter essentiam & personalitates diuinas. *Resp. primò*, in antecedente duas implicari falsitates. *Prima* est; diuinam naturam totaliter terminari personalitate Patris absolutè seu simpliciter loquendo: nam cùm duas ratione distinctas ponamus in Deo subsistentias, scilicet absolutam & relatiuam, quę distinguitur in tres subsistentias personales realiter distinctas, certum est patris personalitatem ea ratione, qua includit in se subsistentiam absolutam, totaliter terminare diuinam naturam, eo modo quo terminabilis est per subsistentiam absolutam: quod idem dicendum est de duabus alijs personalitatibus; quatenus eandem includunt subsistentiam absolutam. Sed qua ratione personalitas Patris dicit relationem paternitatis, & subsistentiam personalem realiter distinctam à duabus alijs personalibus subsistentijs, sic non propriè terminat totaliter diuinam naturam, nisi cum hac limitatione, videlicet modo suo, præter quem sunt alij duo modi realiter & formaliter ab eo distincti, quibus terminabilis est diuina natura, scilicet per subsistentiam filij & Spiritus sancti. *Secunda falsitas* in eodem antecedente clausa est diuinam naturam prius terminari personalitate Patris quàm personalitate filij & Spiritus sancti: quod omninò falsum est, vt ostendimus cum D. Tho. *in 1. p. q. 42. a. 3.* in diuinis enim est ordo naturæ, siue originis, non quo alter est prior altero, sed quo alter est ex altero. Itaque diuina natura ex sui infinita perfectione sibi vendicat, vt secundùm ordinem originis in tribus personis subsistat, & vt earum personalitatibus terminetur; adeò vt non intelligatur vnquam diuina natura perfectè terminata, nisi tribus subsistat personalibus subsistentijs, à quibus est naturaliter terminabilis. Secundò negatur illatio; quia personalitas creata terminat totaliter naturam, vt eius intrinsecum & naturale complementum: persona verò diuina non terminat creatam naturam, vt eius intrinsecum & naturale complementum; sed vt terminus quidam extrinsecus, qui supponeret naturam prius esse propria personalitate completam & terminatam; & ideò si naturam assumeret naturali personalitate terminatam, necessariò etiam assumeret personalitatem, vt supra probauimus, quod est impossibile.

Obiectio 3. *Secundò arguit* idem expositor, differentiam illam assignatam à Caietano, quòd scilicet propria personalitas terminat creatam naturam ex naturali adæquatione: quia licèt humana natura existens in propria persona sufficienter & adæquatè terminetur; ita vt neque natura sua appetat aliam personalitatem neque habeat naturalem capacitatem eius; non tamen sequitur implicare contradictionem, vt supra naturam excellentiori modo terminetur per infinitam personam; ergò: Probatur assumptum; quia persona Verbi nō solùm adæquatè, sed etiam excellenter terminat naturam humanam, & nihilominus potest simul terminari ab alia persona; ergò eadem natura licèt terminetur propria personalitate poterit simul terminari ab excellentiori persona. *Resp.* hāc differentiam Caietani non esse omninò distinctā à præcedenti ab eodem assignata, sed eam supponere, & ex ea deduci; nā ex eo quod natura personalitate propria terminatur personā constituendo modo superius explicato; & ex eo quod personalitas naturę propria est illius intrinsecū & naturale complementum, sequitur vt natura per eam terminetur per modum naturalis adæquationis; quia scilicet personalitas est intrinsecum & adæquatum complementum naturæ; ac proinde confert illi modum adæquatum per se existendi; adeò vt non possit in alia persona existere. Solut.

Tertiò arguit rationem assignatam à Capreolo & Dur. sed adhibita illi rationi moderatione suprapositā nulla relinquitur vis in argumento dicti expositoris. Obi. 4.

CONTRA *vltimam* concl. argum. Vasq. *disput. 29. c. 4.* ratione desumpta ex Caietan. & alijs; quia natura nihil potest habere superuacaneum; at si essent duæ causæ totales; altera earum esset superuacanea; ergò. *Resp.* falsam esse secundam propositionem seu minorem, primò: quia non omne quod nō est necessariū, debet dici superfluum in natura. Secundò dico causas propriè dici totales respectu perfectionis effectus; non autem respectu indiuiduationis; quando igitur producitur aliquis effectus, puta illuminatio, aut ignis à duabus causis totalibus, est ibi abundantia virtutis respectu perfectionis effectus, cui producendæ sufficeret vna tantum earum, sed respectu indiuiduationis vtraque est necessaria, vt ostendimus *1. p. loc. not.* Obi. cont. vlt. concl.

Sed instat Vasq. ratione Caietani quia quod aliquis effectus pendeat ab aliqua causa, & ad eam referatur, indigentiæ & necessitatis naturæ ipsius est, eo quòd effectus non possit à se ipso esse & conseruari; & ideò indiget alio efficien- Replica.

ciente aut conseruante ; ac proinde non conue- A
nit ei liberè sed necessariò; ergò, si eadem res sufficienter pendeat ab vna causa, iam ab illa eius indigentia naturalis expleta est; ergò ita adæquatè respondet vni causæ , tanquam supplenti suam indigentiam , vt ad alteram qua non indiget, referri nequeat vt ad causam. Probatur hæc consequentia ; quia fundamentum talis relationis debet esse indigentia naturæ ; ergò si talis indigentia per alteram causam absoluta sit , nullum remanet naturale fundamentum , quo ad alteram causam referatur & ab ea pendeat. Probatur hæc illatio; quia non pro voluntate, sed pro indigentia postulat à causa pendere, &c. *Resp. primò*, duplicem esse indigentiam effectus respectu causæ : al- B
Sol. tera est quo ad suam perfectionem , & contra hanc si sola esset procederet argumentum : altera est quoad indiuiduationem , & aduersus hanc non militat argumentum: quoniam hic effectus, quem asserimus à duabus causis totalibus eiusdem ordinis produci, non esset idem numero, si ab altera tantùm earum produceretur : non est autem possibile produci effectum aliquem ab vna, vel pluribus, quo ad ipsius effectus perfectionem; quin ab eis etiam producatur, quo ad indiuiduationem. *Secundò dico*, in duabus illis causis totalibus duo considerari , scilicet totalitatem virtutis, & distinctionem eiusdem: perfectio effectus pendet essentialiter ab alterutra earum, & C
ab vtraque simul ratione perfectionis virtutis in altera , & in vtraque simul existente; non autem ratione distinctionis, qua perfectio virtutis vnius causæ distinguitur à perfectione virtutis alterius causę ; & ideò posito concursu duarum talium causarum ad producendum vnum effectum, indigentia effectus non ab vna tantum, sed ab vtraque tanquam vna suppleretur per communem vtriusque virtutis perfectionem; & ideò sublata earum altera , tam quo ad distinctionem , quàm quo ad perfectionem virtutis vtrique communem , tollitur etiam effectus ; quia tollitur absolutè perfectio causæ , à qua pendet D
perfectio effectus. Videnda sunt quæ diximus *in 1.p.loc.sup.not.*

Circa *resp. ad 1. argum.* disputant expositores; an in eo casu tres diuinæ personæ essent vnus homo vel plures homines ? sed quoniam huius Controu. definitio pendet ex ijs, quæ latè diximus *in 1.p.q.39.a.3.* Quo loco probauimus secundùm D. Th. futuras tunc tres personas vnum hominem absolutè : ideò sufficiat aduertere Caiet. non rectè affirmare D. Th. hic ad primum, dicere quòd tres personæ essent vnus homo, & tamen nõ propterea essent vnus homo simpliciter : non enim ita loquitur S.D. sed ait : *Verum esset dicere, quòd essent vnus homo propter vnam naturam humanam ; nec ly vnus importaret vnitatem personæ, sed vnitatem in natura humana : non enim posset argui ex* E
hoc, quòd tres personæ sunt vnus homo, quòd essent vnus simpliciter : nihil enim prohibet dicere, quòd homines, qui sunt plures simpliciter sunt vnus , quantum ad aliquid, puta vnus populus : Quibus verbis nihil aliud intendit S.D. nisi propositionem hanc in eo casu esse falsam, vt tres personæ sunt vnus, propter rationem illam quam assignat idem S.D. *1.p.q.31. artic.2.ad 4.* ex differentia inter nomen masculinum, & neutrum dicens, masculino significari suppositum; neutro verò essentia; ideò rectè dici, quòd Pater & Filius sunt vnum, sed non vnus. Vide quæ scribit hic Suar. *circa resp. ad 1.disp. 18.sect.2.§.Quarta difficultas.*

Articvlvs VII.

Vtrum vna persona diuina possit assumere duas naturas humanas.

Ad *septimum sic proceditur. Videtur*, quòd vna 3 d.1.q.2.a.
persona diuina non possit assumere duas natu- 5.
ras humanas. *Natura enim assumpta in mysterio Incarnationis non habet aliud suppositum præter suppositum personæ diuinæ : vt ex supradictis patet. Si ergo ponatur esse vna persona diuina assumens duas humanas naturas, esset vnum suppositum duarum naturarum eiusdem speciei. Quod videtur implicare contradictionem : non enim natura vnius speciei multiplicatur , nisi secundùm distinctionem suppositorum.* Art.præc. & a.2.huius q. & qu. 2.a.2.& 3.

Præterea, Hac suppositione facta, non posset dici, quòd persona diuina incarnata esset vnus homo : quia non haberet vnam naturam humanam. Similiter non posse dici, quòd essent plures : quia plures homines sunt suppositò distincti , & ibi esset tantum vnum suppositum . Ergo prædicta positio est omnino impossibilis.

Præterea , Incarnationis mysterio tota natura diuina est vnita toti naturæ assumptæ, id est cuilibet parti eius, est enim Christus perfectus Deus, & perfectus homo, totus Deus, & totus homo: vt Damasc. dicit in 3.libr. Cap.7.
Sed duæ humanæ naturæ non possent totaliter sibi inuicem vniri: quia oporteret, quòd anima vnius esset vnita corpori alterius : & quòd etiam duo corpora essent simul: quod confusionem induceret naturarum. Non ergo est possibile , quòd vna persona diuina duas humanas naturas assumat.

Sed contra est , quòd quicquid potest Pater , potest Filius . Sed Pater post Incarnationem Filij potest assumere naturam humanam aliam numero ab ea, quam Filius assumpsit : in nullo enim per Incarnationem Filij est diminuta potentia Patris, vel Filij . Ergo videtur , quòd Filius post Incarnationem possit aliam humanam naturam assumere præter eam , quam assumpsit.

Respondeo dicendum , quòd illud quod potest in vnum , & non in amplius, habet potentiam limitatam ad vnum . Potentia autem diuinæ personæ est infinita, nec potest limitari ad aliquid creatum . Vnde non est dicendum, quòd persona diuina, ita assumpserit vnam naturam humanam , quòd non potuerit assumere aliam . Videretur enim ex hoc sequi, quòd personalitas diuinæ naturæ esset , ita comprehensa per vnam naturam humanam, quòd ad eius personalitatem alia assumi non possit. Quod est impossibile: non enim increatum à creato comprehendi potest. Patet ergò, quòd siue consideremus personam diuinam secundum virtutem, quæ est principium Vnionis, siue secundùm suam personalitatem , quæ est terminus Vnionis, oportet dicere, quòd persona diuina præter naturam humanam quam assumpsit, possit aliam numero naturam humanam assumere.

Ad primum ergo dicendum , quòd natura creata perficitur in sua ratione per formam , quæ multiplicatur secundùm diuisionem materiæ. Et ideò si compositio materiæ, & formæ constituat nouum suppositum, consequens est , quòd natura multipliciter secundùm multiplicationem suppositorum. Sed in mysterio Incarnationis vnio formæ, & materiæ, id est, animæ, & corporis, non constituit nouum suppositum , vt suprà dictum est, & ideò posset esse multitudo secundùm numerum ex parte naturæ propter diuisionem materiæ absq; distinctione suppositorum. Art. præc.

Ad secundum dicendum , quòd posset videri dicendum , quòd prædicta positione facta, sequeretur, quòd essent duo homines propter duas naturas absque hoc,

quòd

quòd essent ibi duo suppositа: sicut è conuerso tres personæ dicerentur vnus homo, propter vnam naturam assumptam, vt supra dictum est. Sed hoc non videtur esse verum: quia nominibus est vtendum secundum quòd sunt ad significandum imposita: quod quidem est ex consideratione eorum, quæ apud nos sunt. Et ideo oportet circa modum significandi, & consignificandi considerare ea, quæ apud nos sunt in quibus nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum. Homo enim, qui est duobus vestimentis indutus, non dicitur duo vestiri, sed vnus vestitus duobus vestimentis: & qui habet duas qualitates, dicitur singulariter aliquis secundùm duas qualitates. Natura autem assumpta quantum ad aliquid, se habet per modum indumenti, licèt non sit similitudo, quantum ad omnia: vt supra dictum est. Et ideò si persona diuina assumeret duas naturas humanas, propter vnitatem suppositi, diceretur vnus homo, habens duas naturas humanas. Contingit autem, quòd plures homines dicuntur vnus populus, propter hoc, quod conueniunt in aliquo vno: non autem propter vnitatem suppositi. Et similiter si duæ personæ diuinæ assumerent vnam numero humanam naturam, dicerentur vnus homo (vt supra dictum est) non vnitate suppositi, sed inquantum conueniunt in aliquo vno.

Art. præc. ad 1.

q.16.6.ad 2.

D.249. D.258.

q.4.6.ad 3.

Ad tertium dicendum, quòd diuina & humana natura non eodem ordine se habent ad vnam personam diuinam, sed per prius comparatur ad ipsam diuina natura, vtpotè quæ est vnum cum ea ab æterno. Sed natura humana comparatur ad personam diuinam per posterius, vtpotè assumpta ex tempore à diuina persona: non quidem ad hoc, quòd natura sit ipsa persona, sed quòd persona in natura subsistat: filius enim Dei est sua Deitas, sed non est sua humanitas. Et ideò ad hoc, quòd natura humana assumatur à diuina persona, requiritur, quòd diuina natura vnione personali vniatur toti naturæ assumptæ, id est, secundùm omnes partes eius. Sed duarum naturarum assumptarum esset vniformis habitudo ad personam diuinam, nec vna assumeret aliam. Vnde nõ oporteret, quòd vna earum totaliter alteri vniretur, id est, omnes partes vnius omnibus partibus alterius.

Sensus quæsiti.

ADVERTE adiectiuum illud, *humanas* hic non ad limitandum quæsitum adiungi; sed ad faciliorem & clariorem difficultatis explicationem; & quia eadem omnino ratio est de diuersis specie vel genere naturis; ideò quæsitum ad earum etiam assumptionem extenditur, & ex communi doctrina difficultas ad plures naturas, etiam specie vel genere distinctas extensa definitur. Vide etiam rationem quæsiti quam Caietanus assignat.

Forma Textus.

„ CONCLVSIO est: *Siue consideremus personam*
„ *diuinam secundùm virtutem, quæ est prin-*
„ *cipium vnionis, siue personalitatem, quæ est ter-*
„ *minus vnionis, oportet dicere, quòd persona diuina præ-*
„ *ter naturam humanam, quam assumpsit, posit a-*
„ *liam numero naturam humanam assumere.* Probatur *primò*, quo ad primam partem; quia, quod potest in vnum & non in amplius, habet potentiam limitatam ad vnum: at potentia diuina non potest limitari ad aliquid creatum; ergo, considerata persona diuina secundùm virtutem, quæ est principium vnionis, oportet dicere &c. Minor probatur: quia potentia diuinæ personæ est infinita. *Deinde* probatur conclusio, quo ad alteram partem: quia videtur ex hoc sequi quòd personalitas diuinæ naturæ esset ita comprehensa per vnam naturam humanam, quòd ad eius personalitatem alia assumi non posset: at hoc est impossibile; ergo si consideremus personam diuinam secundùm suam personalitatem, quæ est terminus vnionis, &c. Minor probatur; quia increatum à creato comprehendi non potest.

Expositio Textus.

ADVERTENDVM *hic primò* est, D. Thom. in probatione conclusionis supponere tãquam notum & indubitatum, nullam ex parte naturarum esse repugnantiam: sed in eis esse potentiam obedientialem; vt ab eadem diuina persona possint assumi & simul in ea subsistere, vt hic etiam aduertit Suar.

Secundò, Notanda est expositio Caietani circa maiorem illam: *Quod potest in vnum, & non in amplius, &c.*

Tertiò Obseruandum est ex probatione secundę partis conclusionis deduci diuinam personalitatem esse infinitam in terminando, vt hic scitè Caiet. aduertit.

Quartò, Vide si placet, ea, quæ circa secundam partem Conclusionis scribit Suar. *disp. 13. sect. 3. in princ.*

Quintò, Lege ea quæ notat Caiet. circa responsiones ad argumenta, & post eum Suar.

PRIMA CONTROVERSIA.

An, si vna persona diuina plures naturas humanas assumeret, dicenda esset vnus homo, vel plures?

Sententiæ Doctorum.

RICARDVS *in 3. dist. 1. ar. 1. qu. 5.* ait in eo casu neque esse vnum neque plures homines simpliciter; sed vtrumque secũdùm quid. Quam opinionem secuti sunt quidam discipuli D. Th. quos hic innominatos refert Med.

S. Th. *in 3. dist. 1. qu. 2. art. 5. in resp. ad 2. 3. 4. & 5.* docet in eo casu, personam illam dicendam esse plures homines; quæ fuit opinio Altisiodorensis *in summa lib. 4. tract. 1. c. 1. q. 5.* Quam etiam secuti sunt Scotus *in 3. dist. 1. q. 5. & in 1. dist. 12. q. vnica*, & Durandus *in 3. eadem dist.* Oppositam sententiam habet hic S. D. *ad 2.* Quam sequuntur quidam antiquiores Theologi, quos refert Suar. *disput. 13. sect. 3.* & omnes expolitores.

Bergomas *dub. 249.* & latius ac melius Ferrar. *in 4. cont. gent. c. 11.* nititur vtramque sententiam conciliare, & vt probabilem sustinere.

Resolutio.

PENDET huius Controuersiæ resolutio ex illa regula S. D. *in 1. p. qu. 39. a. 3.* videlicet singularitas vel pluralitas nominis in substantiuis attenditur secundùm formam significatam per nomẽ: in adiectiuis autem attenditur singularitas & pluralitas secundùm suppositа; quæ si bene fuerit intellecta veritatem aperiet quàm inquirimus; & oppositа diluet argumenta: eius autem sensum diligenter ac perspicuè declarauimus *in 1. p. qu. 39. art. 3. Controu. vnica*: quam vide si placet. Quædam tamen huic nostræ disputationi maximè necessaria ex ijs, quæ latè diximus ibi, breuiter attingemus.

Ex rationibus substantiui, & adiectiui nomen minus esse diuinæ personam assumentem duas humanitates dicendã esse simpli-

Sciendum est igitur primò ex Ferrariensi *libr. 4. cont. gent. cap. 11. §. ad primum horum* nominum singularitatem & pluralitatem ex duobus dependere; quorum alterum est ratio & causa formalis singularitatis vel pluralitatis: alterum autem eandem rationem concomitatur, & potest nuncupari causa siue conditio sine qua non. Et quia nomina substantiua significant aliquid per modum substantiæ, quæ sicut per se habet esse, ita

per

aliter vnum hominem.

per se habet vnitatem vel multitudinem, ideò singularitas vel pluralitas nominis substantiui attenditur ex forma per nomen significata, tanquam ex causa & ratione formali singularitatis vel pluralitatis: & quoniam apud nos non inuenitur forma substantialis multiplicata sine suppositorum multiplicatione: ideo hæc etiam necessaria est veluti causa seu conditio sine qua, vt nomen substãtiuum pluraliter dici possit; quod hic etiam expresè docet S. Th. *ad 2.* dicens nunquam nomen ab aliqua forma impositum dici pluraliter nisi per pluralitatem suppositorum. Nomina verò adiectiua significant aliquid per modum accidentis: accidentia verò suam vnitatem vel pluralitatem habent ex subiecto, in quo & ex quo etiam habent esse: & ideò in adiectiuis attenditur singularitas ex pluralitate suppositorum, tanquam ex ratione & causa præcipua singularitatis & pluritatis, itaque si solam attendamus rationem seu causam vnitatis aut pluralitatis in nominibus substantiuis, sola sufficit formæ singularitas ad eius singularitatem & pluralitas ad pluralitatem: & in hoc sensu accipienda sunt verba S. D. *in 1 p. loc. not. & alibi* dicentis, singularitatem vel pluralitatem nominis substãtiui attẽdi secundùm formam significatam per nomẽ: si verò nõ solam rationem & causam præcipuam, sed etiam id q̃ simul cum ea secũdariò concurrit, vt necessarium ad eiusdem nominis singularitatẽ vel pluralitatem simpliciter & absolutè constituendam attendamus, dicendum est ad substantiui nominis pluralitatem necessariam esse pluralitatem suppositorum, vt *hic ad secundum* ait S. D.

Secundò notandum est, naturam humanam Verbo personaliter vnitam, quantum ad aliquid se habere per modum habitus, qui est vltimum prædicamentum: ac proinde præ se ferre modum accidentis, quatenus aduenit diuino supposito post eius esse completum: & non identificatur ipsi supposito: accidentia verò vt antè diximus, multiplicantur & numerantur iuxta multitudinem & numerum suppositorum: & ideò nomen hoc, *homo*, dictum de Christo aliquid habet de conditione nominis adiectiui: & secundùm huius conditionis seu modi considerationem accipit pluralitatem à pluralitate suppositorum, qua deficiente non dicitur nisi singulariter: & ideò S. D. *hic ad secundum* ad prædictam huius nominis, *homo*, de Christo prædicati conditionem seu modum respiciens, dixit; quòd si persona diuina assumeret duas naturas humanas, propter vnitatem suppositi diceretur vnus homo habens duas naturas humanas; Sed rursus eadem natura humana, non solùm quædam substantia est secundùm se; sed etiam trahitur ad vnitatem & esse diuini suppositi quod in ea subsistit: ideò hoc nomen, *homo* dictum de Christo est verè propriè & absolutè nomen substantiuum; ac propterea si Verbum duas humanitates assumeret, haberet in se causam & rationem præcipuam pluraliter prædicandi hoc nomen *homo* de Verbo vel de Christo, dicendo Verbum vel Christus est duo homines: nec tamen sequitur propositionem hanc simpliciter, id est nullo addito vel subintellecto, veram esse: (quoniam ad pluralitatem nominis substantiui, præter formæ seu naturæ significatæ pluralitatem, requiritur etiam necessariò pluralitas suppositorum, vt antè diximus:) sed vera est ea propositio subintellecta dicta limitatione, videlicet quantum ad rationem seu causam pluralitatis: opposita verò propositio simpliciter vera esset; illa videlicet: Verbum vel Christus est vnus homo; quia Verbum esset vnũ vtriusque naturæ suppositum. Nec verum est quod ait Ferrar. *in d. cap. 11.* nimirum S. Thomam *hic ad secundum* loqui de hoc nomine, *homo*, tanquam de nomine substãtiuo, vt clarè patet ex similitudine vestimenti quam hic adducit: Et quamuis *in articulo præcedenti* de hoc eodem nomine, tanquam de substantiuo locutus fuerit; nõ tamen sequitur, eodem modo fuisse nomen illud hicà D. Tho. consideratum. Quòd si non placet hæc expositio, dicas cum Ferrarien. ad pluralitatem nominis substantiui concurrere pluralitatem formæ significatæ, & pluralitatem suppositorum; illam tanquam rationem & causam formalem pluralitatis: hanc verò tanquam causam seu conditionem sine qua non posset esse pluralitas nominis substantiui: non per hoc tamen excludi suppositorum pluralitatem, quæ suo modo dictæ pluralitatis est causa, si de pluralitate nominis substantiui simpliciter dicta sermo sit; si verò de pluralitate nominis substantiui non absolutè dicta, sed quasi secundùm quid seu cum addita prædicta determinatione, videlicet quantum ad rationem seu causam pluralitatis, nullam secum fert, aut admittit suppositorum pluralitatem; & secundùm hanc nominis substãtiui pluralitatem secundùm quid seu cum addito docet quandoque S. D. quòd si vna persona diuina plures assumeret humanitates, esset & diceretur plures homines.

Ex dictis sequitur, Primò ex vnitate suppositi optimè inferri singularitatem concreti substantiui; quoniam, vt diximus, ad pluralitatem substantiui simpliciter & propriè dictam requiritur pluralitas suppositorum, vt causa siuè conditio sine qua non; igitur si non fuerint plura sed vnum suppositum: tametsi plures sint formæ vel naturæ, non poterit nomen substantiuum concretum de illo supposito, nisi singulariter prædicari.

Corollariè deducitur conciliatio doctrinæ D. Th. & modus loquendi in aliis casibus diuinæ omnipotentiæ possibilibus.

Secundò sequitur, solam pluralitatem suppositorum, non inferre pluralitatem concreti substantiui; quia requiritur formæ seu naturæ significatæ pluralitas, vt ratio seu causa formalis dictæ pluralitatis: & ideò tres personę diuinæ non sunt tres Dij; quoniam earum est vna diuinitas. Huius doctrinæ, quæ est Cai. *circa resp. ad 2. arg. D. Th.* & ipsius S. D. *hic ad 2. & aliis locis supra notatis*, nititur Suar. *disp. 13. sect. 3* rationem assignare; quæ tamen non videtur satis firma; videat eam, qui voluerit.

Tertiò, sequitur non esse prorsus opposita dicta D. Th. supra relata; sed dictis modis facilè posse conciliari.

Quartò sequitur, quòd si Verbum dimitteret assumptam humanitatem, & eam Pater assumeret non esset diuersus sed idem homo, sicut nec Verbum homo & Pater homo essent plures, sed vnus homo; quia Pater esset in eadem numero humanitate subsistens, & similiter si vice versa, Verbum eam quam habet humanitatem dimitteret, & aliam assumeret, perseueraret idem homo, quemadmodum si panis dimissa ea quam habet albedine aliam recipiat, non erit diuersum sed idem album: Ratio verò est; quia eadem est vnitatis aut pluralitatis ac proinde etiam identitatis ac diuersitatis ratio, siue ponantur plures naturæ simul in eodem supposito siue successiuè: & similiter eadem ratio est siue ponatur eadem natura numero simul assumi à duabus personis siue successiuè. Cùm itaque tam plures personæ diuinæ simul habentes

tes actu eandem humanitatem, quàm vna perſona ſimul habens duas humanitates dicendæ ſint ſimpliciter vnus homo; conſequens eſt vt ſi hæc illis ſucceſſiuè conueniant, in vtroque caſu maneat vnus homo ſimpliciter; vt etiam *in allegata ſect. 3.* Suarez aduertit: poſita tamen aſſumptione ſucceſſiua maior quædam eſſet diuerſitas inter compoſita ſibi ſuccedentia, quàm eſſet inter eadem compoſita ſimul aſſumptionem terminantia; quoniam in priori caſu differret poſterius à priore, ſicut ens à non ente: prius enim compoſitum altero ſuccedente ceſſaret; atq; ideò minùs impropriè dici poſſet, Patrē cui ineſſet humanitas à filio dimiſſa, eſſe diuerſum hominem ab eo, qui dicebatur de filio & in eo caſu plures eſſe homines filium olim incarnatum, & Patrem actu habentem humanitatem, quàm dicerentur plures homines Pater & Filius, ſi eandem ſimul aſſumerent humanitatem; quod idem dicendum eſt in eo caſu, quo ponitur vna perſona plures ſucceſſiuè naturas aſſumere; comparatione eiuſdem perſonę ſimul eaſdem naturas aſſumentis.

Concluſiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Si vna perſona diuina duas aſſumeret humanitates, diceretur vnus homo duas habens humanitates.* Hæc eſt D. Th. *hic ad ſecundum*, & patet ex dictis: vbi aduerte verba illa: *duas habens humanitates* non eſſe modificantia, aut diminuentia rationem vnitatis; ſed diſtinguentia hominem ſimpliciter vnum ab alio homine ſimpliciter vno; quia homo vnam tantùm habens humanitatem eſt vnus vnitate ſimpliciter ex vtraque parte deriuata ſcilicet ex parte naturæ & ex parte ſuppoſiti: homo verò duas habens humanitates eſt vnus ſimpliciter propter vnitatem ſuppoſiti, vt hic ait S.D. *ad ſecundum* ſpectata verò naturarum pluralitate, non eſt vnus homo ſed plures. Sed quoniam hæc ſola non ſufficit, vt verè & abſolutè dicatur eſſe plures homines; cùm requiratur etiam pluralitas ſuppoſitorum; ideò propriè & ſimpliciter eſt vnus homo, & ita loquendum eſt.

„ SECVNDA CONCLVS. *Si Filius Dei aſſumeret*
„ *duas humanas naturas, & ſecundùm vnam vocaretur*
„ *Ieſus, & ſecundùm aliam vocaretur Ioannes, eſſent*
„ *plures homines, conſiderata cauſa & ratione plura-*
„ *litatis communi cuilibet nomini ſubſtantiuo concreto,*
„ *quæ eſt pluralitas naturarum.* Hæc exprimit mentem D. Th. *in 3.* vt patet ex ſupradictis.

„ TERTIA CONCLVSIO: *In prædicto caſu*
„ *dici poſſet Ieſum & Ioannem eſſe plures homines ſe-*
„ *cundùm quid, & vnus homo ſecundùm quid, prout*
ſecundùm quid diſtinguitur contra ſimpliciter acceptum, prout idem eſt quod omnibus modis: Declaratur & probatur hæc concluſio. Et primò quoad primam partem; quoniam hæc pluralitas non eſt ſecundùm omnia; ſed tantùm ſecundùm vnum requiſitum ad pluralitatem nominis ſubſtantiui, ſcilicet ſecundùm naturarum pluralitatem; ergò eſt pluralitas ſecundùm quid. Quoad alteram verò partem probatur etiam eodem medio: quoniam hæc vnitas non eſt ſecundùm omnia, quę poſſunt concurrere ad vnitatem concreti ſubſtantiui; ſed tantùm ſecundùm vnum ſc. ſecundùm ſuppoſiti vnitatem; non eſt autem ſecūdùm vnitatem naturę; quia duplex eſt natura; ergò non eſſet tunc vnus homo ſimpliciter, i. omnibus modis, quibus eſſe poteſt vnus homo; cùm tamen ſit vnus ſimpliciter, id eſt ſine addito vel abſolutè: & in hoc ſenſu vera eſt prima ſententia.

Argumēta, & ſolutiones.

CONTRA primam concluſ. ſunt argum. quæ proponunt & ſoluunt Med. *ſuper hoc ar.* & Suarez *diſp. 13. ſect. 3.* quæ, per ea, quę ſupra notata ſunt facilè diluentur. Ex quibus etiam ſatisfieri poteſt argumentis ex doctrina D. Th. deductis, ac præſertim *ex 3. loc. ſup. not.*

SECVNDA CONTROVERSIA.

An facta ſuppoſitione, quòd diuina perſona duas aſſumeret humanitates, vel vnam humanitatem & vnam Angelicam naturam, id quod vni naturæ conueniret, tribueretur eidem perſonæ etiam vt ſuſtentat alteram naturam?

Sententiæ Doctorum.

SVAR. *in ſuo comm. ad hunc a.* opinionem tuetur affirmantem; quam ſequitur Montagnolius *ſuper hoc art.* dicens id concedere D. Tho. *in 3. diſt. 1. qu. 2. art. 5. ad 2.* Vbi ait: ſi filius Dei aſſumeret duas humanitates & ſecundùm vnam vocaretur Ieſus, & ſecundùm alteram Petrus, hæc eſſet vera: *Petrus eſt Ieſus.* Sed oppoſitum docet Caietanus *hic ad tertium* dicens, futuram non eſſe tunc communionem conuenientium illi perſonæ ſecundùm vnam naturam aſſumptam cum conuenientibus illi ſecundùm aliam naturam aſſumptam, & poſſe tunc mori ſecundùm vnam & viuere ſecundùm aliam; adeò vt mortuo Verbi gratia Ieſu, non poſſet dici mortuus Petrus; ſed bene diceretur mortuus Deus & Dei filius, & ſimiliter viuo Petro tantùm, non verè diceretur viuus Ieſus ſed viuus Deus & Dei filius. Quam ſententiam ſequuntur Medin. & Valent. *ſuper hoc art.*

Reſolutio. Oſtendunt partem negantem eſſe verā loquēdo de prædicatione per ſe, affirmantem eſſe verā loquēdo de prædicatione per accidens.

PRINCIPIVM *huius* definiendæ Controuerſiæ ſumendum eſt ex reſponſione S. D. *hic ad 3. argumentum:* vbi ſtatuit differentiam inter propriam diuinæ perſonæ naturam & humanitatem aut quamlibet aliam naturam aſſumi poſſibilem, quòd diuina perſona eſt ſua Dei; non autem ſua humanitas. Ex qua ſequitur alia differentia nimirum vt cuicumque aſſumptæ naturæ fuerit hypoſtaticè per ſe primò coniuncta diuina perſona, eidem toti naturæ ſecundariò Deitas vnietur, non autem humanitas: ſed hæc alteri aſſumptæ naturæ in vna diuina perſona vtrique perſonaliter vnita per accidens iungeretur manente inter vtramque diſtinctione; non ſecundùm ſubſtantiam ſolùm ſed etiam ſecundùm locum. Et ex hac ſecunda ſequitur tertia differentia, videlicet in eo caſu nullam eſſe communicationem eorum quæ vni aſſumptæ naturæ conueniunt & de ea prædicantur, cum ijs quæ ſecundùm aliam aſſumptam naturam eidem perſonæ conueniunt & de illa prædicantur; immò (vt ante diximus ex Caietano) poſſet ſimul mori ſecundùm vnam & viuere ſecundùm aliam, &c. Sed obſeruandum eſt differentiam hanc intelligendam eſſe de prædicatione ſubſtantiali & per ſe, qualis eſt ea qua de Deo ſeu perſona Verbi prædicantur ea quæ ſunt hominis, & è contra, vt patet *ex qu. 16.* ſic enim non prædicarentur de perſona diuina ſubſiſtente in vna aſſumpta natura ea, quæ ſecundùm alteram aſſumptam naturam illi conuenirent, ſed prædicatione tantùm per accidens: ſicut nunc in Petro muſico & medico prædicatur muſicum de medico, & è contra, propter vtriuſque coniunctionem in vno ſuppoſito; & eadem ratione dici verè poteſt muſicum curare & medicum cantare; quæ tamen ſunt prædicationes omninò per accidens. Ex quo patet veram eſſe doctrinam Caietani dicentis, communicationem idiomatum inter duas Chriſti naturas in concreto ſignificatas ex eo prouenire, quod diuinitas &per-

ſo-

sona Verbi sunt omnino idem ; non autem ex eo præcisè quòd sit vna persona subsistens in vtraque natura ; intelligenda est enim de prædicatione per se : si verò de communicatione sermo sit secundùm quemcunque prædicandi modum, siue per se siue per accidens, sola sufficiet vnitas personæ subsistentis in vtraque natura: & in hoc deceptus fuisse videtur Suarez inter duos prædictos prædicationis modos non distinguens.

Conclusio. *Ex dictis* sequitur hęc VNICA CONCLVSIO : *Si diuina persona duas eiusdem, aut etiam diuersæ rationis naturas assumeret, non esset inter eas concretè sumptas idiomatum communicatio cum prædicatione per se: sed tantùm cum prædicatione per accidens.*

Obi. CONTRA *concl.* argumentatur Suarez *primò:* Quia communicatio idiomatum, quæ est inter duas Christi naturas concretè sumptas, non fundatur in hoc, quòd diuinitas & persona Verbi sunt omninò idem ; sed in hoc quòd vna & eadem persona sub vtraque natura subsistit, & pro ea supponunt nomina naturam ipsam significantia in concreto ; ergò esset inter duas naturas idiomatum communicatio. Antecedens probatur primò ; quia duæ formæ accidentales existentes in eodem supposito communicant in prædicatis. Secundò si Verbum duas assumpsisset naturas scilicet Angelicam & humanam, bona esset huius expositorij syllogismi consequentia: Hic homo patitur; ergò Verbum patitur: rursùs sed Verbum est hic Angelus: ergò hic *Solut.* Angelus patitur. *Resp.* falsum esse antecedens loquendo de prædicatione per se. Ad primam probationem dico communicationem illam esse secundùm prædicationem per accidens, vt patet in hac propositione; album est musicum. Ad secundam admissa prima consequentia, dico, propositionem illam subsumptam: *sed Verbum est hic Angelus,* dupliciter intelligi posse: *Vno modo,* vt hoc suppositum quod est Verbum secundùm se sit idem realiter, quod illud suppositum, quod est Angelus, & sic vera tunc esset illa propositio, sed falsa est consequentia ex ea deducta, videlicet; ergo Angelus patitur per se loquendo : *Alio modo,* vt illud suppositum, quod est Verbum, non solùm secundùm se, sed etiam ea ratione, qua conuenit illi passio, sit idem quod suppositum Angeli : & in hoc sensu falsa est illa propositio; quia persona Verbi non est passibilis, nisi ratione humanitatis, secundùm quam est persona humana: constat autem Verbum vt est persona humana, non posse esse personam Angelicam; & ideò in argumento est fallacia accidentis; quia Verbum tunc esset idem in ratione suppositi vt sic cum Angelo & homine, sed non esset idem secundùm rationem suppositi talis & talis naturæ puta humanæ & Angelicæ; quia Verbum vt suppositum, non dicit vnionem aut subsistentiam in humana aut in Angelica natura : & ideò homo & Angelus tunc conuenirēt tam cum Verbo quàm inter se in ratione suppositi : sed inter se differrent secundùm naturas seu secundùm vniones ad naturas, & secundum subsistentiam in tali & in tali natura; ac proinde fallacia manifestè committitur accidentis; quoniam ex eo, quòd secundùm vnam rationem extrema per se vniuntur in medio, concluditur quòd etiam inter se conueniant secundùm id quo distinguuntur tam inter se quā ab ipso medio : non est igitur hoc argumentum expositorium, sed deceptorium. Pro confutatione etiam huius argumenti faciunt ea, quæ latè scripsimus *in 1.p.q.28. a.3. Contr. vnica* de sensu illius principij: *Quæcunq; vni & eidem sunt eadem, sibi inuicem sunt eadem.*

Secundò arguit: quia S. Th. *in 3. dist. 1. q. 2. a. 5.* admittit hanc communicationem idiomatum in eo casu. *Resp.* D. Th. ibi communicationem hanc admittere secundùm prædicationem per accidens; non autem per se: illa enim prædicatio: Petrus est Iesus, non est prædicatio per se, sed per accidens, sicut hæc: album est musicum. *Obi. 2.*

ARTICVLVS VIII.

Vtrum fuerit magis conueniens, quòd persona filij assumeret humanam naturam, quàm alia persona diuina.

AD octauum sic proceditur. *Videtur, quòd non fuerit magis conueniens filium Dei incarnari, quàm Patrem, vel Spiritum sanctum. Per mysterium enim Incarnationis, homines ad veram Dei cognitionem sunt perducti: secundùm illud Ioan. 18. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhib. veritati. Sed ex hoc, quòd persona filij Dei est incarnata, multi impediti fuerunt à vera Dei cognitione, ea quæ dicuntur de Filio secundùm humanam naturam referentes ad ipsam Filij personam : sicut Arrius, qui posuit inæqualitatem personarum propter hoc, quod dicitur Ioann. 14. Pater maior me est. Qui quidem error non proueniisset, si persona Patris incarnata fuisset : nullus enim æstimasset Patrem Filio minorem. Magis ergo videtur fuisse conueniens, quòd persona Patris incarnaretur quàm persona Filij.* *Inf. q. 39 a. 8. tertium. & 3. d. 1. q. 2. a. 2. & 4. con. c. 39. f. & 42.*

Præterea, Incarnationis effectus videtur esse recreatio quædam humanæ naturæ, secundùm illud Gal. vlt. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed noua creatura. Sed potentia creandi appropriatur Patri. Ergo magis decuisset Patrem incarnari, quàm Filium.

Præterea, Incarnatio ordinatur ad remissionem peccatorum: secundùm illud Matth. 1. Vocabis nomen eius Iesum : ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Remissio autem peccatorum attribuitur Spiritui sancto, secundùm illud Ioann. 20. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiſ. pec. re. eis. Ergo magis congruebat personam Spiritus S. incarnari quàm personam Filij.

Sed contra est, quod Damas. dicit in 3. lib. In mysterio Incarnationis manifestata est sapientia, & virtus Dei: sapientia quidem, quia inuenit difficillimi solutionem pretij, quàm decentissimam: virtus autem, quia victum fecit rursus victorem. Sed virtus, & sapientia appropriantur Filio : secundùm illud 1. Cor. 1. Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Ergo conueniens fuit personam Filij incarnari. *Cap. 2.*

Respondeo dicendum, quòd conuenientissimum fuit, personam Filij incarnari. Primò quidem ex parte vnionis. Conuenienter enim ea, quæ sunt similia, vniuntur. Ipsius autem personæ Filij, qui est Verbum Dei attenditur vno quidem modo communis conuenientia ad totam creaturam: quia verbum artificis, id est, conceptus eius, est similitudo exemplaris eorum, quæ ab artifice fiunt. Vnde Verbum Dei, quod est æternus conceptus eius, est similitudo exemplaris totius creaturæ. Et ideò sicut per participationem huius similitudinis, creaturæ sunt in propriis speciebus institutæ, sed mobiliter : ita per vnionem Verbi ad creaturam non participatam, sed personalem, conueniens fuit reparari creaturam in ordine ad æternam, & immobilem perfectionem. Nam, & artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsum si collapsum fuerit, restaurat. Alio modo habet conuenientiam specialiter cum humana natura, ex eo quòd

Verbum est conceptus æternæ Sapientiæ, à quo omnis sapientia hominum deriuatur. Et ideò per hoc homo in sapientia perficitur, quæ est propria eius perfectio, prout est rationalis, quòd participat Verbum Dei: sicut discipulus instruitur per hoc, quòd recipit Verbum magistri: vnde Eccl. 1. dicitur, Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis. Et ideò ad consummatam hominis perfectionem conueniens fuit, vt ipsum Verbum Dei humanæ naturæ personaliter vniretur.

Secundò potest accipi ratio huius congruentiæ ex fine vnionis, qui est impletio prædestinationis, eorum scilicet, qui præordinati sunt ad hæreditatem cœlestem, quæ non debetur, nisi filius eius: secundum illud Roman. 8. Si filij, & hæredes. Et ideò congruum fuit, vt per eum, qui est filius naturalis, homines participarent similitudinem huius filiationis secundum adoptionem: sicut Apostolus ibidem dicit: Quos præscíuit, & prædestin. conformes fieri imagin. filij sui. Tertiò potest accipi ratio huius congruentiæ ex peccato primi parentis, cui per Incarnationem remedium adhibetur. Peccauerat enim primus homo, appetendo scientiam: vt patet ex verbis serpentis promittentis homini scientiam boni & mali. Vnde conueniens fuit, vt per Verbum veræ sapientiæ homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum scientiæ recesserat à Deo.

Ad primum ergo dicendum, quòd nihil est, quo humana malitia non possit abuti: quando etiam ipsa Dei bonitate abutitur secundum illud Rom. 2. An diuitias bonitatis eius contemnis? Vnde etiamsi persona Patris fuisset incarnata, potuisset ex hoc homo alicuius erroris occasionem sumere, quasi Filius sufficere non potuisset ad humanam naturam reparandam.

Ad secundum dicendum, quòd prima rerum creatio facta est à potentia Dei Patris per Verbum. Vnde & recreatio per Verbum fieri debuit à potentia Dei Patris, vt recreatio creationi responderet: secundum illud 2. Corin. 5. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.

Ad tertium dicendum, quòd Spiritui sancto proprium est, quòd sit donum Patris, & Filij. Remissio autem peccatorum sit per Spiritum sanctum, tanquam per donum Dei. Et ideò conuenientius fuit ad iustificationem hominum, quòd incarnaretur Filius, cuius Spiritus sanctus est donum.

Forma Textus.

» CONCL. est: *Conuenientissimum fuit, personam* » *Verbi incarnari.* Probatur tripliciter: *primò* ex parte vnionis; qm̃ ea quæ similia sunt conuenienter vniuntur; sed persona Filij qui est Verbum Dei habet conuenientiam seu similitudinẽ, vno quidem modo communem ad totam creaturam: alio verò modo specialem cum humana natura; ergò conueniẽtissimum fuit, &c. Maior patet. Minor quoad primã partem probatur; quia Verbum artificis, id est conceptus eius est similitudo exemplaris eorum, quæ ab artifice fiunt; ergò Verbum Dei, quod est æternus conceptus eius, est similitudo exemplaris totius creaturæ. Ex qua probatione deducit S. D. aliã probationem conclusionis: quoniam artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsũ si collapsũ fuerit restaurat; ergò sicut per participationem dictæ similitudinis exemplaris, quæ est Verbum Dei, creaturę sunt in proprijs speciebus institutę sed mobiliter; ita per vnionẽ Verbi ad creaturam non participatam sed personalem conueniens fuit reparari creaturam in ordine ad æternam & immobilem perfectionem. Secundò probatur eadem minor, quoad secũdam partem; Quia per hoc homo in sapientia perficitur, quæ est propria eius perfectio, prout est rationalis, A quod participat Verbum Dei; ergò ad cõsummatam hominis perfectionem conueniens fuit, vt ipsum Verbum Dei humanæ naturæ personaliter vniretur. Antecedens probatur tripliciter. Primò: quia Verbum est conceptus æternæ sapientię à qua omnis sapientia hominum deriuatur; ergò. Secundò probatur à simili; quia discipulus instruitur per hoc quòd recipit Verbum magistri. Tertiò authoritate Scripturæ *Eccl. 1.* dicẽtis: *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Secundò probatur conclusio. Ex fine vnionis, qui est impletio prædestinationis, eorum scilicet, qui prædestinati sunt ad hæreditatem cœlestem; Quoniam hęreditas cœlestis non debetur, nisi filijs Dei; ergo cõgruum fuit vt per eũ qui est filius naturalis B homines participarẽt similitudinẽ huius filiationis secundùm adoptionem. Antecedens probatur ex Apost. *ad Rom. 8. cap.* dicente: *Si filij, & hæredes.* Consequentia verò probatur authoritate eiusdẽ Apost. ibidem dicentis: *Quos præscíuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Tertiò probatur conclusio ex parte peccati primi parentis, cui per Incarnationem remedium adhibetur: Quoniam homo peccauerat appetendo scientiam; ergò conueniens fuit, vt homo qui per inordinatum appetitum scientię recesserat à Deo reduceretur in Deum per Verbum veræ sapientiæ.

Expositio Textus.

C VIDE si placet formam, quam adhibet Caiet. discursui præsentis a. & ea, quæ circa probationes conclusionis aduertit Med. & loca Patrum quæ notat Vasq.

QVAESTIO QVARTA.

De modo vnionis ex parte naturæ humanæ assumptæ in sex articulos diuisa.

D*Einde considerandum est de Vnione ex parte assumpti. Circa quod primò considerandum occurrit de his, quæ sunt à Verbo assumpta. Secundò, de coassumptis, quæ sunt perfectiones & defectus. Assumpsit autem Dei filius humanam naturam & partes eius.*

Vnde circa primum triplex consideratio occurrit. Prima est quantum ad ipsam naturam humanam. Secunda est quantùm ad partes ipsius. Tertia quantum ad ordinem assumptionis.

Circa primum quæruntur sex.

Primò, vtrum humana natura fuerit magis assumptibilis à Filio Dei, quàm aliqua alia natura.

Secundò, vtrum assumpserit personam.

Tertiò, vtrum assumpserit hominem.

Quartò, vtrum fuisset conueniens, quòd assumpsisset naturam humanam à singularibus separatam.

Quintò, vtrum fuisset conueniens, quòd assumpsisset E *humanam naturam in omnibus eius singularibus.*

Sextò, vtrum fuerit conueniens, quòd assumeret humanam naturam in aliquo homine ex stirpe Adæ progenito.

Ratio ordinis.

QVAESTIO hæc est de modo vnionis hypostaticæ ex parte naturæ humanæ: & primò quo ad ipsam naturam: Secundò quo ad modos essendi aut concipiendi eidem conuenientes & eius originem. *Circa primum*; quærit primò S. D. de assumptibilitate humanæ naturæ, non curando vtrum sit personata nec ne. Secundò agit de eadem natura quatenus est personata. Tertiò mouet quæstium de modo loquendi: An scilicet Deus assumpserit hominem Cuius

ius determinatio ex secundi quæsiti resolutione dependet. *Circa secundum* autem quæritur primò de natura à singularibus separata: illa enim secundùm Platonem est ante singularia. Secundò quærit de ea, vt habet esse in omnibus suis singularibus. Demum agit de illa, quo ad eius originem & consequenter etiam, quo ad statum in vltimo articulo: hæc enim sunt magis extrinseca.

Articvlvs I.

Vtrum natura humana fuerit magis assumptibilis à Filio Dei, quàm alia natura.

3.d.2 q.1.a. 1 & 4. con. c.13 3. & 4 Quæst ep.3. 10.2.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd humana natura non fuerit magis assumptibilis à filio Dei, quàm quælibet alia natura. Dicit enim Augustin. in epist. ad Volusianum, in rebus mirabiliter factis tota ratio facti, est potentia facientis. Sed potentia Dei facientis Incarnationem, quæ est opus maximè mirabile, non limitatur ad vnam naturam: cùm potentia Dei sit infinita. Ergo natura humana non est magis assumptibilis à Deo, quàm aliqua alia creatura.

q prac. a.8. Præterea, Similitudo est ratio faciens ad congruitatem Incarnationis diuinæ personæ: vt supra dictum est. Sed, sicut in creatura rationali inuenitur similitudo imaginis, ita in creatura irrationali inuenitur similitudo vestigij. Ergo creatura irrationalis assumptibilis fuit, sicut humana natura.

Hom 34 in Euang. Præterea, In natura Angelica inuenitur expressior Dei similitudo, quàm in natura humana: sicut Gregor. dicit in homilia de centum ouibus, introducens illud Ezech. 28. Tu signaculum similitudinis. Inuenitur etiam in Angelo peccatum, sicut in homine: secundùm illud Iob 4. In Angelis suis reperit prauitatem; ergo natura Angelica fuit ita assumptibilis, sicut natura hominis.

Præterea, Cùm Deo competat summa perfectio, tantò magis est Deo aliquid simile quantò est magis perfectum. Sed totum vniuersum est magis perfectum, quàm partes eius, inter quas est humana natura; ergò totum vniuersum est magis assumptibile, quàm humana natura.

Sed contra est, quod dicitur Prou. 8. ex ore Sapientiæ gentæ Deliciæ meæ esse cum filijs hominum. Et ita videtur esse quædam congruentia vnionis Filij Dei ad humanam naturam.

Respondeo dicendum, quòd aliquid assumptibile dicitur, quasi aptum assumi à diuina persona. Quæ quidem aptitudo non potest intelligi secundùm potentiam passiuam naturalem: quæ non se extendit ad id, quod transcendit ordinem naturalem, quem transcendit vnio personalis creaturæ ad Deum. Vnde relinquitur, quòd assumptibile aliquid dicatur, secundùm congruentiam ad vnionem prædictam. Quæ quidem congruentia attenditur secundùm duo in humana natura, scilicet secundùm eius dignitatem, & necessitatem. Secundum dignitatem quidem, quia humana natura, inquantum est rationalis, & intellectualis, nata est contingere aliqualiter ipsum Verbum per suam operationem, cognoscendo scilicet & amando ipsum. Secundùm necessitatem autem, quia indigebat reparatione, cùm subiaceret originali peccato. Hæc autem duo soli humanæ naturæ conueniunt: nam creaturæ irrationali deest congruitas dignitatis: naturæ autem Angelicæ deest congruitas prædictæ necessitatis. Vnde relinquitur, quòd sola natura humana sit assumptibilis.

Ad primum ergo dicendum, quòd creaturæ denominantur aliquales ex eo, quod competit eis secundùm proprias causas: non autem ex eo, quod conuenit eis secundùm causas primas, & vniuersales: sicut A dicimus aliquem morbum incurabilem, non quia non potest curari à Deo, sed quia per propria principia subiecti curari non potest. Sic ergo dicitur aliqua creatura non esse assumptibilis, non ad subtrahendum aliquid potentiæ diuinæ, sed ad ostendendum conditionem creaturæ, quæ ad hoc aptitudinem non habet.

Ad secundum dicendum, quòd similitudo imaginis attenditur in natura humana secundùm quòd est capax Dei, scilicet ipsum attingendo propria operatione cognitionis, & amoris. Similitudo autem vestigij attenditur solùm secundùm repræsentationem aliquam, ex impressione diuina in creatura existentem: non autem ex eo, quòd creatura irrationalis, in qua est sola talis similitudo, possit Deum attingere per solam suam B operationem. Quod autem deficit à minori, non habet congruitatem ad id, quod est maius: sicut corpus, quod non est aptum perfici anima sensitiua multò minus est aptum perfici anima intellectiua. Multò autem maior, & perfectior est vnio ad Deum secundùm esse personale, quàm quæ est secundùm operationem. Et ideò creatura irrationalis, quæ deficit ab vnione ad Deum per operationem, non habet congruitatem, vt vniatur ei secundùm esse personale.

Ad tertium dicendum, quòd quidam dicunt Angelum non esse assumptibilem: quia à principio suæ creationis est in sua personalitate perfectus, cùm non subiaceat generationi, & corruptioni. Vnde non posset in vnitatem diuinæ personæ assumi: nisi eius personalitas C destrueretur: quod neque conuenit incorruptibilitati naturæ eius, neque bonitati assumentis: ad quam non pertinet, quòd aliquid perfectionis in creatura assumpta corrumpat. Sed hoc non videtur excludere totaliter congruitatem assumptionis angelicæ naturæ: potest enim Deus producendo nouam angelicam naturam, D.128. copulare eam sibi in vnitate personæ: & sic nihil præexistens ibi corrumperetur. Sed, sicut dictum est, deest congruitas ex parte necessitatis: quia, etsi natura angelica in aliquibus peccato subiacet, est tamen eius peccatum irremediabile, vt in prima parte habitum est.

Ad quartum dicendum, quòd perfectio vniuersi, D.251. non est perfectio vnius personæ, vel suppositi: Sed eius, quod est vnum positione, vel ordine, cuius plurimæ partes, non sunt assumptibiles, vt dictum est. Vnde relinquitur, quòd solùm natura humana sit assumptibilis. p.q.q.64 a. 2.

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat Cai. ex littera D. Tho. & post eum Suar. vberrimè.

Forma Textus.

CONCLVSIO est: *Sola natura humana est assumptibilis.* Probatur: quia assumptibile aliquid dicitur secundùm congruentiam ad vnionem cum diuina persona; sed hæc congruentia soli humanæ naturæ conuenit; ergò. Maior probatur; quoniam aliquid assumptibile dicitur, E quasi aptum natum assumi, quæ quidem aptitudo non potest intelligi secundùm potentiam passiuam naturalem; ergò assumptibile aliquid dicitur secundùm congruentiam ad vnionem prædictam. Antecedens probatur: quia potentia passiua naturalis non se extendit ad id, quod transcendit ordinem naturalem; at vnio personalis creaturæ ad Deum transcendit ordinem naturalem; ergò dicta aptitudo non potest intelligi secundùm potentiam passiuam naturalem. Minor verò principalis argumenti, quæ ob dictionem illam exclusiuam, *solus*, duas habet exponentes: alteram affirmatiuam, scilicet humana natura est assumptibilis; & alteram negatiuam,

scilicet nulla alia natura est assumptibilis. Probatur primò quo ad exponentem affirmatiuam, & primò quoad congruitatem dignitatis; quia humana natura, inquantum est rationalis & intellectualis, nata est cõtingere aliqualiter ipsũ Verbum per suam operationẽ cognoscendo & amãdo ipsũ. Secũdò quoad congruitatẽ necessitatis; quia indigebat reparatione; ergò. Probatur hoc assumptum; quia subiacebat originali peccatò. Deinde probatur eadem minor, quo ad exponentem negatiuam: Quia creaturæ irrationali deest congruitas dignitatis: naturæ autem Angelicæ deest congruitas prædictæ necessitatis; ergò.

Expositio Textus.

MVLTA sunt in hoc textu breuiter & absque disputatione declaranda. *Primum* est vis illius consequentiæ in probatione maioris, videlicet, *aptitudo ad assumi non potest intelligi secundùm potentiam passiuam naturalem; ergò assumptibile aliquid dicitur secundùm congruentiam ad vnionem: Falsa enim videtur* hæc consequentia; quia potest attendi secundum potentiam obedientiæ. *Sed huius* consequentiæ vim aperit S. D. *ad 1.* dicens, creaturas denominari aliquales ex eo, quòd competit illis secundùm propriας causas; non autem ex eo, quod competit illis secundùm causas primas & vniuersales: sicut dicimus aliquem morbum esse incurabilem; non quia non potest curari à Deo; sed quia per propria principia subiecti curari non potest, quod dictum, vt indicat exemplum morbi, non omninò absolutè sed limitatè intelligendum est: quando scilicet oppositæ denominationes conueniunt creaturis secundùm proprias & secundùm primas causas: tunc enim secundùm propriam causam denominantur simpliciter aliquales: secundùm primam verò causam denominantur aliquales cum addito: puta, morbus, quia ex propria causa simpliciter est incurabilis, dicitur secundùm primam causam curabilis, cùm hoc addito scilicet per Dei potentiam. Sic igitur in proposito creaturæ dicuntur simpliciter assumptibiles secundùm propriam causam, scilicet congruitatem prædictam; quæ verò ea carent, dicuntur simpliciter inassumptibiles: cùm tamen omnes secundùm primam causam dicantur assumptibiles cum hoc addito, scilicet per Dei potentiam, vel per potentiam obedientiæ, quæ respondet omnipotentiæ Dei: & ideo ad eiusdem rationis denominationem pertinet. Quamuis enim assumptibile dicatur tantùm in ordine ad Deum; attendi tamen potest ex parte naturæ creatæ congruentia quædam, aut incongruentia secundùm illius propria: & secundùm illam dicitur assumptibilis, & secundùm hanc inassumptibilis; cùm tamen opposito modo secundùm Dei potentiam sit denominabilis; quia secundùm eam omnis natura est assumptibilis. *Ad rationem igitur* in oppositum dico, bonam esse consequentiam illam; quia consequens eius loquitur de assumptibili simpliciter, id est sine addito: hoc autem non dicitur secundùm potentiam obedientiæ præcisè sumptam; sed secundùm congruitatem vt hic etiam aduertit Caietan. Vide etiam Med. *dub. 3.*

Secundum est dictum illud in probatione minoris: *naturæ Angelicæ deest congruitas necessitatis*: ex quo deducit S. D. naturam Angelicam non habere, simpliciter loquendo, congruitatem ad vnionem. Circa quod obseruandum est, maximam esse in Angelica natura lapsa reparationis indigentiam & necessitatem; quia tamen ea necessitas non habet congruitatem ad reparationem, eò quòd peccatum eius est irreparabile: ideò S. D. ait deesse illi congruitatem necessitatis, & consequenter etiam in Angelica natura non esse congruitatem ad vnionem absolutè loquendo; quia congruentia ad vnionem hypostaticam cum diuina persona ex vtraque simul sumpta conditione consurgit, scilicet ex dignitate & necessitate, seu indigentia reparabili, vt expressè docet sanctus Thomas *hic ad 3.* licèt, oppositum illi tribuat Suarez absque fundamento.

Tertium est illa propositio: *potentia passiua naturalis non se extendit ad id, quod transcendit ordinem naturalem*: ex qua patet secundùm mentem D. Tho. nullam esse in intellectu nostro potentiam naturalem ad visionem Dei supernaturalem.

Quartum est, principium illud *in respon. ad 2. Quod non potest in maius, non potest in minus*: non est enim accipiendum vniuersaliter & absolutè sed limitatè: quo ad ea scilicet, quæ ita se habent, tanquam maius & minus, vt sint ad inuicem subordinata, vt patet in exemplo quod affert S. D. de anima sensitiua & intellectiua: constat autem, visionem Dei & vnionem personalem esse per se subordinata, quo ad congruitatem, quamuis non quoad capacitatem: & ideò creatura deficiens à visione quæ minor vnio est, non habet congruitatem ad vnionem personalem, quæ maior est. Sed quia visio & vnio personalis non sunt subordinata, quo ad capacitatem; ideò creaturæ omnes capaces sunt vnionis cum Deo personalis; non omnes autem sunt capaces visionis essentiæ Dei.

Quintum est illa propositio *in eadem resp. ad 2.* videlicet; *Multò maior & perfectior est vnio ad Deum, secundùm esse personale, quàm quæ est secundùm operationem*. Cuius probatio optima est, quam affert Caietanus, quia scilicet vnio personalis confert vnito perfectius esse, scilicet esse Deum secundùm substantiam, id est hypostasim; non autem secundùm accidentia, vt sunt operationes intellectus & voluntatis, quibus Deum attingimus & eo fruimur. Quamuis enim ad actum visionis plus nobilitatis exigatur ex parte naturæ, quam ad vnionem hypostaticam cum diuina persona; quoniam ad illum exigitur natura & operatio intellectualis, quæ ad vnionem hanc hypostaticam non sunt necessaria; longè tamen maior est vnio hypostatica, siue esse personale, quod creaturæ potest à Deo conferri secundùm eius naturam, quàm visio beatifica & quodcunque aliud, quod possit à Deo creaturæ conferri secundùm eius operationem; quia secundùm hanc non potest eis conferri esse substantiale personale; sed esse tantùm accidentale. Vide Cai. *hic in resp. ad 2.* & Med. *dub. 2.*

Postremò, Vide, si placet apud Med. dubit. vltimam in eius Com. in qua propositis argumentis disputat: *An sit maior gratia, Deum esse hominem, quàm Deum se nobis in cibum, & potum dedisse in Eucharistia?* Cui dubitationi non minus eleganter, quam eruditè satisfacit.

CON-

Controversia Vnica.

An quælibet substantialis vel etiam accidentalis natura assumi possit à diuina persona?

EX Hoc vno quæsito quæstiones continentur. Prima est: *de substantia spirituali completa, quæ est Angelus.* Secvnda *est de substantia corporea irrationali.* Tertia *est de partibus integralibus.* Qvarta *est de sola forma dictæ substantiæ.* Qvinta *est de sola materia prima.* Sexta *est de accidentibus*: circa quæ singula variæ sunt tam antiquorum, quàm recentiorum doctorum opiniones.

Quæstio 1. sententiæ Doctorum.

Est igitur Prima Qvaestio: *An Angelica natura sit assumptibilis à diuina persona?* Cuius quæstionis partem negantem tuetur Alb. cognomẽto Magnus *in 3. dist. 2. a. 2.* In quam sententiam nititur Vasq. *disp. 30. c. 4.* trahere D. Thom. cũ tamen, (vt idem ait) *in solutione 3.* S D. videatur oppositum significare.

S. Th. *in 3. dist. 2. q. 1. a. 1. q. 2.* docet Angelicam naturam esse à diuina persona assumptibilem secundùm Dei potentiam absolutam: quod etiam affirmat *eadem dist. ad Anibal. & in 4. contragent. cap. 55.* & idem non obscurè significat *in hoc art.* Quam sententiam sequuntur omnes eius discipuli, & est communis opinio Theologorum. Ferrar. *in dicto c. 55. §. Circa secundam rationem* duo dicit. Primum est: Ex hoc, quod in Angelis non sit distinctio naturæ à persona, non tolli quin absolutè possit Deus assumere naturam Angelicam in vnitatem personæ. Secundum est: posse Deum nouam naturam Angelicam producendo eam sibi in vnitatem personę copulare, & etiam posse aliquam naturam Angelicam nunc existentem propria existentia priuare & propria personalitate & eam ad se in vnitatem personæ trahere. Quem dicẽdi modum impugnat Suar. *disp. 14. sect. 2.*

Resolutio.

Considerandvm *est primò* ex D. Th. *in 3. dist. 1. q. 2. a. 3.* dupliciter aliquid dici Deo possibile: Vno modo secundùm potentiam absolutam: Alio modo secundùm potentiam ordinatam. Si namque possibile dicatur aliquid; quia subest diuinę potentię secundùm se, & pręcisè consideratæ, dicitur illud esse Deo possibile secundùm eius potentiam absolutam. Si verò dicatur aliquid esse possibile; quia subest diuinæ potentiæ vt operãti ex directione sapientiæ & imperio, seu motione voluntatis, dicitur illud esse Deo possibile secundùm eius potentiam ordinatam, vt autem ait S. D. *in eodem libro dist. 2. q. 1. a. 1.* secundùm Dei potentiam absolutam vna creatura non est magis assumptibilis, quàm altera; quia in omnibus æquè potentia est obedientialis, secundùm quam in creatura fieri potest, quidquid in ea facere potest Deus: secũdùm potentiam verò Dei ordinatam Deus illam tantùm creaturam potest assumere, quam congruit eum assumere ex ordine suæ sapientiæ: & ideò ea tantùm creatura dicitur assumptibilis (intellige simpliciter, id est sine addito) in qua huiusmodi congruitas inuenitur.

Posse Deum absoluta sua potẽtia Angelicã assumere naturã, licèt in ea non distinguere-

Secundò sciendum est, in Angelis distingui realiter & intrinsecè suppositum à natura vt *in articulo sequenti* probat latissimè Caiet. de qua re prolixam scripsimus Controuersiam *in 1. p. quæst. 50. art. 2.* Sed posita etiam in Angelo identitate reali naturæ cum supposito sola inter hæc duo existente distinctione formali actuali seu ex

A natura rei, adhuc Angeli natura esset assumptibilis à diuina persona, vt scitè Ferr. affirmat *in allegato cap. 55.* Cuius tamen dicti nullam rationem assignat: sic tamen explicari potest & probari: Nam in albedine decem graduum quilibet gradus idem est realiter cum albedine & cum alio gradu; quia gradus illi omnes sunt vna simplex qualitas; & tamen non solùm per Dei potentiam sed etiam virtute naturalis agentis, potest decimus gradus ab albedine separari, manẽte albedine nouem graduum, quam iterum posset Deus ad pristinum complementum perducere creato aut quouis alio modo producto nouo albedinis gradu & nouem gradibus addito; aut etiam eandem albedinem alteri albedini perfectissimæ in eodem subiecto copulando. Similiter igitur in proposito posset Deus complementum illud siue terminum Angelicæ naturæ, qui est eius personalitas, ab ea separare manente sola natura, quo ad ea omnia quæ ad eius essentiam pertinent, & naturam hanc ad vnitatem suæ personalitatis assumere; ita vt natura quæ per intrinsecum, id est connaturale & vnum cum ea realiter complementum, erat per se subsistens in semetipsa veluti quoddam totum, fieret in alio, scilicet in diuina persona, subsistens, supplente per excellentiam diuina personalitate perfectionem ac munus ablatæ ab ea natura subsistentiæ. Et eadem ratione posset Deus naturam aliquam Angelicam absque personalitate de nouo creare & eam sibi in vnitatem personæ copulare. Posse autem Angelicam naturam impedita vel ablata seu destructa eius personalitate diuinæ personæ coniungi in vnitate suppositi, docet apertè S. Thom. *in 3. dist. 2. quæst. 1. art. 1. quæst. 2. & ad Amb. eadem dist. q. vnica, & in 4. contragent. c. 55.* Quam sententiam hic etiam exprimunt responsiones ad primum & ad tertium simul coniunctæ: nam ex responsione ad primum argumentũ collata manifestè colligitur assumptibile duplicem habere respectum, alterum ad primam & vniuersalem causam, cuius omnipotentia extenditur ad omne possibile: alterum ad proprias causas seu magis conditiones rei, quæ est assumptibilis & quasdam creaturas, puta Angelicam & irrationalem dici inassumptibiles respectu conditionum talibus creaturis conuenientium: quæ tamen non sunt inassumptibiles in ordine ad diuinam omnipotentiam. Ex quo sequitur respectu huius dici posse assumptibiles, cum hoc addito tamen, scilicet per diuinam omnipotentiam. In responsione verò ad tertium perspicuè docet posse Deum producendo nouam Angelicam naturam sibi in vnitate personæ copulare, solamque negat ab ea congruitatem. Eandem veritatem non obscurè significat Apost. *ad Heb. 2.* cum de Filio loquens, ait: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Quibus verbis supponit Apost. Angelicam à Verbo naturam assumi potuisse, vt patet ex cõmuni Doctorum expositione ac præsertim Glossę & Primasij.

tur realiter in suppositum à natura.

cõclusionæ, deductæ, & probatæ.

Prima Conc. *Deus ex absoluta sua potentia assumere potuit Angelicam naturam.* Probatur hæc conclusio. Primò; quia in Angelo distinguitur realiter suppositum à natura; ergò: Pro hac cõclusione facit eorum Patrum & Scholasticorum sententia, quæ dicit Angelum peccasse appetendo vnionem hypostaticam cum Verbo: de qua *1. p. q. 64.*

Secvnda Concl. *Tametsi non distinguerẽtur realiter in Angelis suppositum à natura, posset assumi à Deo Angelica natura.* Probatur; quia

posset impediri vel auferri ab ea propria perso- A
nalitas, vt ostendimus; ergò: Deinde si perso-
nalitas in Angelo distingueretur sicut modus
rei à re, hoc ipso natura desineret esse persona,
quod iam non in se ipsa sed in alio scilicet in di-
uina persona, subsisteret.

„ TERTIA CONCL. *D. Th. non solùm alibi, sed*
„ *etiam in hoc a. docet assumi posse naturam Angelicam*
„ *à diuina persona.*

Argumẽta, & solutiones. CONTRA *primam* concl. sunt argum. quę re-
ferunt & soluunt Med. *dub. 1. super hoc art.* Val.
puncto 1. argum. 4. Suarez *disput. 14. sect. 2.* Aluar.
disputatione 22.

Obi Suarez ij cõt. 2. concl. CONTRA *secundam* concl. argum. Suar. *Pri-*
mò: Si persona Angeli non distinguitur à natu- B
ra; ergò personalitas Angeli nihil est præter ip-
sam naturam; ergò non potest ea priuari. *Resp.*
dictionem illam *præter* positam in consequente
primæ consequentiæ dupliciter intelligi posse:
Vno modo, vt denotet distinctionem realem per-
sonalitatis Angeli à natura, & ita vera tunc esset
illa prima consequentia, sed secunda falsa est vt
patet ex dictis: *Alio modo*, vt denotet distinctio-
nem formalem actualem seu ex natura rei, & ita
negatur prima consequentia; quia nostra conclu-
sio est de sola indistinctione reali. Secundò ne-
gatur vltima consequentia; quoniam hoc ipso,
quod assumeretur desineret esse persona.

Ob. 2. *Secundò*: si ad hanc assumptionem nõ esset ne- C
cessaria distinctio suppositi à natura, nunquàm
propter hoc mysterium SS. Patres & Theologi
Sol. hanc distinctionem docuissent; ergò. *Resp. primò*,
non omnes SS. Patres docuisse distinctionem
realem & intrinsecam inter suppositum & natu-
ram in Angelo, sed plures oppositum significas-
se cum Aristot. *Secundò dico* multos quidem do-
cuisse distinctionem, sed non affirmasse eam esse
realem. *Tertiò dico* distinctionem aliquam saltem
ex natura rei conferre ad melius intelligendum
fuisse Deo possibile naturam Angeli sibi in vni-
tate personæ copulare.

Obiectio 3. Aluarezij. *Contra eandem* concl. argum. Aluar. quia se-
queretur vt eo ipso quod vnio hypostatica fieret
ex parte naturæ, ita vt natura Angeli vniatur D
personæ Verbi, deberet etiam vniri secundariò
personæ Verbi suppositum ipsius Angeli, quod
est impossibile. Probatur sequela: nam vnio hu-
manitatis non potest fieri in persona Verbi; quin
secundariò fiat in natura diuina; ergò si natura &
suppositum sola ratione distinguerentur in An-
gelis, implicaret contradictionem, quod Ver-
bum diuinum vniretur immediatè naturæ An-
gelicæ, & non mediatè & secundariò vniretur
Sol. eius suppositi. *Resp.* nullam esse consequentiam.
Ad eius probationem dico falsam esse consequẽ-
tiam; quia longè dispar est ratio de hac & de illa
vnione; quoniam in vnione Verbi cum humana
natura remanet actu ratio personæ Verbi & ratio
naturæ diuinę; & ideò facta vnione personæ cum
humanitate vnitur etiam eidem secundariò na- E
tura diuina; sed in vnione diuinæ personæ cum
Angelica natura non remaneret actu personali-
tas assumptæ naturæ, sed hoc ipso desineret esse,
quod ea natura non in se ipsa, sed in persona di-
uina subsisteret, vt ante diximus.

CONTRA *vltimam* concl. assumit Vasq. *cap.*
4. argumentũ ex Caiet. *in prima dubitatione*, & ex
Med. *dub. 3.* Cui iam plenè satisfecerant hi duo
expositores, & cum nihil afferat noui, nisi verba
prætereo.

Quæstio 2. Quæstio secunda. *An persona diuina possit assu-*
mere ad vnitatem suæ subsistentiæ personalis naturam
irrationalem.

Sententia Doctorum. Plures antiqui scriptores magni nominis exi-
stimarunt, nec per infinitam Dei potentiam ef-
fici posse, vt irrationalis natura Deo in vnitate
personæ copuletur, nisi habeat ordinem ad ra-
tionalem naturam, vt eximant Christi corpus in
triduo mortis, quod necessariò credendum est;
in eo etiam triduo vnitum cum diuina persona
mansisse. Hi verò sunt Alex. Al. *in sua 3. p. q. 2.*
mẽb. 7. & q. 11. mẽb. 1. & q. 12. mẽb. 1. a. 1. S. Bon.
in 3. distinct. 2. a. 1. q. 1. Henr. *quodl. 13. q. 5.* Io.
Picus *in Apol. de defensione quartæ propositionis.* Sed
oppositam sententiam tuetur S. D. *in 3 dist. 2. q.*
1. a. 1. q. 1. Quem sequuntur omnes eius discipu-
li: quorum princeps Capr. *in 3. dist. 2. q. vnica*
longam instituit disput. Eandem sententiam se-
cuti sunt *in eadem dist.* Scotus, Palud Dur. Mar-
silius, Ocham & alij. Quidam autem vtramque
sententiam existimant esse probabilem, vt Ri-
cardus *in 3. dist. 2. art. 1. quæst. 4.* Gab. *ibidem q.*
2. art. 1. & 2.

RESOLVTIO.

Posse diuinam personam per absolutam sui poten-
tiam assumere naturam irrationalem ad vnitatem
suæ subsistentiæ.

IN HAC quæstione *præ oculis habendum* est
documentũ Caiet. nimirũ vt in materia vilio-
rum creaturarum & eorum etiam, quæ suppositalem hanc vnionem consequerentur sobriè ac
sine piarum aurium offensione loquamur. *Dein-*
de cauendum est, ne sententiam oppositam acrio-
ri, quàm par est censura notemus; quamuis enim
haud vera doceant & minimè consonè loquantur
eius defensores, non tamen apertè conuincuntur
in hoc à fidei veritate deriuare: ea namque limi-
tatio; nisi habeat ordinem ad rationalem naturã,
satis excusare videtur eos ab hæresi.

Tertiò Videnda sunt, quæ pro sententia D. Th.
confirmanda scribunt Med. *dub. 1.* & post eum
melius ac latius Suar. *disp. 14. sect. 2. §. Dico secun-*
do, & Vasq. *disp. 30. c. 2.* Aluar. *disput. 22. conclus.*
2. loca Patrum pro eadem sententia refert Vasq.
loco notato.

Quartò notandum est ex D. Th. *in 3. dist. 2. q.*
1. a. 1. q. 1. ad 1. Si Verbum assumeret naturam
irrationalem, puta lapidem aut Leonem vnio
tunc non esset in persona formaliter vt persona
est, sed in persona vt hypostasis vel suppositum
est. Cuius ratio est; quia persona super hypostasim non addit nisi determinatam naturam scilicet rationalem, vt ex Boetio docuit supra S. D.
q. 2. a. 1. conueniunt igitur persona & suppositũ
in ratione subsistentiæ: si igitur assumpta natura fuerit rationalis; ac proindè capax personalitatis, dicetur vnio Verbi seu personæ diuinæ cũ
tali natura facta esse, non solùm in subsistentia
Verbi aut diuinæ personæ, sed etiam in personalitate vt personalitas est: si verò assumpta natura fuerit irrationalis atque ideo personalitatis
incapax, dicetur esse facta secundum subsistentiam; non autem secundùm personalitatem formaliter vt personalitas est, vt etiam aduertunt
Suar. & Aluar.

Quintò obseruandum est, differentiam esse inter formam & personalitatem, quod forma vnita materiæ dat esse specificum & essentiale compositò; ex quo sequitur esse existentiæ in rerum
natura; & quia est primum principium operationis dicitur etiam conferre operationem. Quo
fit vt si cui naturæ repugnet operatio alicuius
formæ, repugnet etiam illa forma: Exempli gra-
tia

tia, naturæ terræ repugnat motus sursum naturalis, & ideò repugnat ei forma ignis: & naturæ Leonis aut Asini repugnat discursus: & ideò repugnat ei anima rationalis. Personalitas autem nullum confert esse specificum essentiale supposito vel naturæ, sed solùm dat ei subsistere, quod ex sui ratione nullius est operationis principiũ propriè loquendo, quamuis operationibus voluntarijs infinitam in genere moris conferat dignitatem & assumptæ ac vnitæ naturæ præstet, vt assumi possit à Deo, veluti instrumentũ cõiunctum ad patranda miracula. Quamuis igitur irrationalis naturæ non sit capax diuinæ visionis & fruitionis, eo quod hęc operatio fundetur in gratia, quæ participatio quædam est diuinæ naturæ, quæ proprium principium est dictæ operationis; quia tamen naturaliter conuenit ei subsistentia, potentiam habet obedientialem, & capacitatem vt per Dei potentiam absolutam eleuetur ad vnitatem diuinæ subsistentiæ.

Sextò considerandum est, ex vnione hypostatica diuinæ personæ cum humana natura duplicé ipsi humanæ naturæ sanctificationem acquiri; quarum altera nuncupatur Deificatio, quæ est veluti effectus formalis huius vnionis, quatenus vnio hypostatica est: per hanc enim assumptæ naturæ concrete sumptæ communicantur idiomata diuinæ naturæ pariter in concreto sumptę: & ideò necesse est vt hoc modo seu genere sanctificationis, quæcumque natura siuè rationalis siuè irrationalis fuerit assumpta ad vnitatem diuinæ subsistantiæ, sanctificetur. Altera eiusdem humanæ naturæ sanctificatio in eam ex vnione deriuata est, quæ sit per gratiam & iustitiam ac rectitudinem inhærentem & eius operationes informantem ac dirigentem, & hæc soli potest humanæ naturæ conuenire; quia sola hæc est gratiæ & iustitiæ capax.

Vltimò aduertendum est ex negatione congruentiæ quæ deficit irrationali naturæ, non rectè deduci indecentiam ex parte diuinæ personæ; quia si Deus vni tali naturæ personaliter iungeretur, nihil faceret virtuti aut rectitudini contrarium, nec illi modus aut ratio deesset, propter quam sapienter ac decenter id faceret, vt expresse docet Tertullianus *in lib. de Carne Christi, capit. 4.* Vbi contra Marcionem asserentem indignum esse Deo terrestre corpus assumere, sic loquitur: *Ita videbitur, si res humano sensu ponderetur; non autem, si diuino, quia stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & idem esset, si de Lupa, seu de Vacca prodire voluisset, & fera, aut pecoris corpore indutus regnum Cœlorum prædicaret, tua opinio illi censura præscriberet, turpe hoc Deo, & indignum Dei filio, & stultum: propterea, qui ita credat, sit planè stultus si de nostro sensu iudicemus Deum. Sed circumspicè Marcion (si tamen non delest.) stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes.*

Ex dictis sequitur hæc VNICA CONC. *Persona diuina potest per absolutam Dei potentiam assumere naturam irrationalem.* Probatio huius cõclusionis potissima est; quoniã illud omne Deo possibile est, quod non implicat contradictionem; sed Deum assumere naturam irrationalem non implicat contradictionem; ergò. Maior est D. Thom. *1. p. quæst. 25. art. 3.* & est communis confessio Theologorum: Minor verò probatur dupliciter; primò: quia nulla est implicantia ex parte personæ assumentis: hæc enim vt suprà suo loco probauimus infinita est, non solùm in causando; sed etiam in terminando, neque etiam implicat ex parte naturæ insensibilis; quoniam vt ante diximus, natura quælibet substantia-

A lis creata propriam naturaliter habet subsistentiam, sicut etiam rationalis natura; ergò sicut hæc potentiam habet obedientialem, vt impediri possit à propria subsistentia, & diuina personalitate subsistere: sic illa eandem habebit obedientialem potẽtiam, vt scilicet impediri à propria & terminari diuina valeat subsistentia. Secundò probatur eadem minor; quia Christi cadauer insensibile in triduo mortis fuit vnitum hypostaticè Verbo Dei. *Nec valet responsio* Henrici dicentis, cadauer hominis habere ordinem ad animam rationalem. *Primò*: quia ordo ille non est ordo naturalis, neque realis sed B magis rationis. *Secundò*, quia persona Verbi tũc erat vnita cadaueri, quatenus tale prout scilicet formam habebat cadaueris: sic autem non ordinabatur ad animam; ergò non implicat contradictionem, vt quæuis alia natura insensibilis assumatur à Verbo, aut ab alia diuina persona.

CONTRA conclusionem sunt argumenta quæ referunt & soluunt Capreolus *in 3. dist. 2. quæst. vnica.* Medina *super hoc artic. dubio primo* Valentia *puncto primo* Suarez *disput 14. sect. 2.* Vasquez *disput. 30.* & Aluarez *disput. 32.* Quæ ferè omnia ex supra notatis facilè poterunt C expediri. *Argum. & solutiones.*

QVAESTIO TERTIA. *An vna sola pars integralis possit assumi?* *Quæstio 3.*

Quæstio hęc est de parte, quæ sit actu pars per actualem vnionem cum alijs in toto; nam quæ diuisa est, iã non est pars sed completa substantia per se subsistẽs. *Probatur impossibile esse partem solã assumi, quæ sit actu pars.*

Partem affirmantem tuentur Med. *dubio 1.* Suar. *disp. 4. sect. 3.* Aluar. *disp. 22. concl. 4.* Sed ea quæ negat, longè mihi probabilior est; quoniam hoc ipso quod pars in toto cęteris est vnita, vnam simul cum eis constituit subsistantiam completam, cui per se primò conuenit subsistere & per ipsam partibus eam integrantibus sicut etiam toti per se primò conuenit esse tam essentiæ quàm existentiæ, & per ipsum partibus, vno tantùm homine excepto, cuius formæ quæ est anima intellectiua per se primò conuenit subsistentia & existentia, & per ipsam corpori & eius partibus. Quamuis enim essentia totius in genere causæ materialis ex partibus eius integralibus dependeat: in genere tamen quasi causæ formalis dependet essentia partium integralium ab essentia totius, præsertim heterogenei: ad speciem enim exempli gratia Leonis directè ac per se primò pertinet ipse totus Leo: indirectè verò seu reductiuè & secundariò ad eandem speciem pertinent caput eius cor iecur & pedes; quia scilicet aliquid sunt Leonis & ad eius constitutionem pertinent. Sicut autem implicat contradictionem caput aut pedes vniri corpori, & non participare eius naturam; quoniam hoc ipso quod hæ partes vnitæ sunt in toto, ad eius naturam pertinent & in eadem cum eo specie constituuntur; ita contradictio est caput & pedes in vno toto subsistente, puta Leone coniungi, & eius subsistentiam veluti partes eius non participare: Totum enim ideò dicitur per se subsistere; quia non in alio habet esse; nec vt accidẽs in subiecto; nec vt pars in toto; igitur è contra pars actu existens in toto hoc ipso, quod in alio est vt in toto ipsius totius subsistentia subsistit. Iam autem diximus in præcedentibus implicare contradictionem, personam aut quamcumque rem subsistentem, salua eius propria personalitate aut subsistentia ad vnitatem diuinæ personalitatis assumi; igitur impossibile

est

est partem vnam actu existentem in toto ad vnitatem assumi diuinæ personæ cæteris non assumptis. Sicut etiam implicat contradictionem, albedinem aut eius partem actu niui inhærentem ad existentiam vel subsistentiam diuinam assumi: hoc ipso namque quod actu existit in alio iam non per se existit actu neque subsistit, quod autem vnitur hypostaticè personæ diuinæ non existit in alio veluti in subiecto, sed in alio vt natura in supposito subsistit. Et confirmatur argumentum: Quia alioquin totum subsisteret subsistentia totius & non subsistentia totius, sed subsistentia partis: supponamus enim æquales aut etiam plures esse partes assumptas ijs quæ nõ sunt assumptæ, tunc certè totum subsistet subsistentia totius; quia toti ex omnibus partibus suis constituto necessariò conuenit subsistere per modum substantiæ completæ: implicat enim esse substantiam completam & subsistere incompletè; igitur subsistet subsistentia totius; Quod autem tunc, non totius sed partis haberet subsistentiam, probatur; quia subsistentia illa creata ad quasdam tantùm partes extenderetur & non ad omnes: hoc autem est subsistere subsistentia partis & non subsistentia totius: igitur ex ea positione sequitur vtraque pars contradictionis; ergò est impossibilis. Et hæc ratio cum argumẽto per eam confirmato probat etiam, nullam ex partibus essentialibus totum actu componentibus assumi posse seorsum ab alia, etiam si pars assumpta non esset à materia dependens, vt anima intellectiua quia militat eadem ratio.

Conclusio. Ex dictis ergò sequitur VNICA CONCLVSIO *Pars vna sola integralis existens actu pars, non potest assumi ad vnitatem diuinæ personæ.*

Argumẽta, & Solutiones. Obi. 1. CONTRA *concl.* argum. Suar. Hæc pars subsistit in toto saltem partialiter; ergò illa potest vniri Verbo & amittere illum partialem modũ per se essendi. Et Verbum poterit terminare & quasi sustentare partem illam, non terminando reliquas. Antec. probatur; quoniam hæc pars suum habet partialem per se essendi modum.

Resp. falsum esse antec. Ad cuius probationem negatur assumptum; falsum est enim quamlibet partem siuè integralem siuè essentialem, suam habere partialem subsistentiam & partialem essendi modum, vt suo loco demonstrabitur.

Sol.

Ob. 2. *Secundò* sic potest obijci ex eodem. In eo casu Verbum non esset pars, neque etiam subsistẽtia Verbi denominaretur partialis; ergò possibilis est hæc assumptio: Antecedens quo ad primã partem probatur; quia Verbum ex hoc quod est vnitum animæ aut sanguini, non dicitur anima, aut sanguis, eo quòd denominatio partis non est denominatio suppositi sed naturæ incompletæ. Quo ad alteram verò partem probatur; quia subsistentia non continuaretur nec per se vniretur cum subsistentia aliarum partium; sed solũ esset subsistentia vnius partis, quæ continuaretur & vniretur cum alijs partibus ad componendam vnam naturam, non ad componendam vnam subsistentiam.

Sol. *Resp.* nullam esse consequentiam; quoniam etsi non ex hac parte sit impossibilis hæc assumptio: implicat tamen ex alia parte; quia nimirum pars hoc ipso quod est actu pars, subsistit secundariò subsistentia totius, vt ante diximus.

QVAESTIO QVARTA. *An sola forma possit vniri hypostaticè diuinæ personæ non vnita illi materia.*

Sententia Vasq. *disp.* 30. *c.* 5. negat formam substantiam A lem à materia dependentem, siuè sit in materia, siuè sit ab ea separata, assumi posse ad vnitatem hypostaticam diuinæ personæ. *Doctrina.*

Suar. *disp.* 14. *sect.* 3. formam omnem siuè cõiunctam siuè separatam asserit vniri posse diuinæ personæ: qui tamen oppositum, quo ad formam coniunctam à materia dependentem asserit esse probabile. Quam sententiam sequitur Aluar. quamuis non expresse loquatur de forma cõiuncta. Medina de sola anima mentionem facit, quam assumi posse pronunciat & videtur loqui de rationali.

DE FORMA, quæ suaptè natura pars est com- *Resolutio. Formã coniunctã solã assumi non posse sed separatam.*
B positi, sermo est: Hæc autem duplex est: altera namque est immersa materiæ & ab ea dependens, vt omnes rerum irrationalium formæ; altera est supra materiam eleuata & ab ea minimè dependens, & hæc est anima sola rationalis; & vtraque (saltem per Dei potentiam) duplicem potest habere modum essendi, scilicet materiæ coniunctum & separatum. Et quo ad priorem quidem essendi modum, cum sit actu pars compositi, quæ seorsum ab alia parte & ab ipso toto composito nequit assumi, vt ostendimus quæstione præcedenti, neutrius ordinis formam possibile est assumi ad vnitatem hypostaticam diuinę personæ. Quo ad modum autem essendi separatum, qui formis à materia dependentibus per absolutam Dei potentiam potest conuenire: animæ verò intellectiuæ pro aliquo tempore naturaliter
C ineſt: certum est secundum fidem, animam intellectiuam posse diuinæ personæ in vnitate subsistentiæ copulari. Anima namque Christi Saluatoris in triduo mortis diuino Verbo mansit vnita: quod etiam ratio satis euidenter euincit: quia anima separata suam habet, quamquàm incompletè, subsistentiam ad modum semipersonæ; igitur ablata vel impedita propria illa subsistentia poterit diuina personalitate terminari & ea subsistere, sicut de completa substantiali natura dictum est. Cæteras verò formas substantiales si verum est posse eas per Dei potentiam absolutam à materia separari & ita subsistere,
D vt recentiores affirmant, dubitandum non est quin eadem potentia possit eas diuina persona ad vnitatem suæ personalitatis assumere: cuiuslibet enim creatæ subsistentiæ munus supplere potest excellenter diuina personalitas. Ad cuius euidentiam scito, ad formam à materia separatam sequi naturaliter subsistentiam; quamuis ipsa formæ separatio sit omninò supernaturalis; sicut ad intellectum supernaturaliter essentia diuina informatum, vt specie intelligibili naturaliter sequitur visio supernaturalis, & ad visionem fruitio; quamquàm hæc subsistentia esset alterius rationis ab ea subsistentia, quæ conuenit substantiæ completæ vel animę rationali; & ideò nõ minus hæc quàm alia quælibet naturalis sub-
E sistentia potest diuina personalite suppleri: cuius oppositum absque solido fundamento docet Vasq. *Vasquezij dictum reiicitur.*

PRIMA CONCL. *Nulla forma quæ sit actu vnita materiæ, potest sola assumi ad hypostaticam vnitatem diuinæ personæ.* Probatur; quia nulla pars, dum est actu pars totius compositi, potest assumi non assumpto toto; sed forma quæ est actu vnita materiæ, est actu pars totius compositi: ergò. Maior patet ex quæstione immediatè præcedenti. Minor est per se nota. *Conclusiones deductæ, & probatæ.*

SECVNDA CONCL. *Anima intellectiua à corpore separata potest assumi.* Hæc patet ex dictis. ,,

TERTIA CONCL. *Forma substantialis à materia* ,,

» teria dependens, si per Dei potentiam absolutam fue-
» rit à materia separata, poterit per eandem Dei po-
» tentiam vniri diuinæ personæ. Hæc patet ex dictis.

Argum. & solutiones. Obi. cõc. 1. concl. 1. Sol.

CONTRA *primam* concl. argum. Suar. *Primò*: quoniam anima intellectiua, etiam cum actu informat corpus, est forma subsistens; ergò potest assumi. *Resp.* animam intellectiuam dum actu informat corpus, esse subsistentem id est independentem à materia, & non esse subsistentem vt quod in actu; quoniam hoc ipso quòd est actu pars, subsistit subsistentia totius, id est quæ soli toti completè conuenit: & ideò necesse est vt in toto existens vnam cum eo habeat subsistentiam; alioquin totum ipsum subsisteret non subsistentia totius; nam totius vt totum, existentia non est quę non extenditur ad omnes partes.

Sol. 2.

Secundò. Forma vel natura assumpta non omninò per se est, sed habet modũ vnionis ad personam assumentem; ergò probabile est hanc vnionem non ita repugnare cum actuali informatione materiæ, sicut repugnat modus per se essendi; ergò probabile est hanc formam hoc ipso, quod est capax huius vnionis hypostaticæ, posse ad illam assumi, etiam si actu informet. *Resp.* nullam esse primam conseq. quoniã hoc ipso quòd actu forma est, subsistit actu subsistentia totius compositi ex ea, & materia resultantis vt ante diximus.

Sol.

Ob. cont. 3. concl.

CONTRA *tertiam* concl. argum. Vasq. Quia formæ substantiales corruptibiles non sunt aptæ natæ ex se, vt per se existant; ergò non sunt aptæ natæ, vt aliena subsistentia loco propriæ sustententur. Probatur antecedens; nam quod per diuinam potentiam per se possint esse, non satis est, vt dicantur ex seipsis natæ subsistere; alioquin etiam accidentariæ formæ aptæ natæ essent per se subsistere. *Resp. primò* hoc argumento cõcludi formas substantiales non habere naturalẽ inclinationem ad vnionem cum diuina persona; quod libenter admittimus. *Secundò*, si per aptitudinem illam, tam in antecedente quàm in cõsequente intelligat potentiam obedientialem dico, falsum esse antecedens: quia cum sint actus nobiliores formis accidentalibus, quia pertinẽt ad genus substantiæ, cui conuenit esse per se, facilius per Dei potentiam poterunt à materia separari, quàm accidentia, quibus naturaliter cõuenit esse in alio, scilicet in subiecto. Si verò differenter sumat dictionem illam, *aptæ natæ*, ita vt in antecedente accipiatur, prout significat aptitudinem naturalem; in consequente verò potentiam obedientialem, falsa est manifestè consequentia.

QVAESTIO QVINTA. *An materia prima præcisè sumpta possit assumi?*

Sententiæ Doctorum.

Qui docent, materiam primam posse per Dei potentiam à forma separari, & absque ea subsistere, consequenter etiam affirmant eam sic à forma seiunctam assumi posse ad vnitatem hypostaticam diuinæ personæ. Ex quibus Suar. *disput. 14. sect. 3.* existimans materiam etiam actu vnitam formæ esse entitatem subsistentem propria subsistentia partiali, quam (inquit) semper retinet, quamuis forma varietur affirmat materiam posse per Dei potentiam à forma separari & diuinæ personæ secundùm subsistentiam vniri; & eandem etiam vnitam formæ & existentem in toto, posse eodem modo diuinæ personæ cõiungi.

Ban. *1. p. q. 66. a. 1. dub. 2. concl. 3.* dicit esse vtissimile, Verbum diuinum posse terminare & cõplere dependentiã materiæ, quam habet à forma quantum ad existentiam; ita vt materia separata formaliter existat existentia diuina.

Oppositam sententiam tuetur Med. *dub. 1.* Vasquez *disput. 30. cap. 5. in fine*, & Aluarez. *disput. 22. concl. 3.* & omnes Thomistæ qui cum D. Th. negant posse materiam ab omni forma separari.

MATERIAM primam formæ coniunctam, & simul cum ea totum componentem assumi nõ posse constat ex dictis *in 3. quæst. præsentis Contr.* Difficultas ergò tota est de materia, prout secũdùm priorem sententiam potest inueniri separatim à forma subsistens. Et quamuis hoc in loco supponenda esset doctrina S. Thomæ, quam omnes eius discipuli sequuntur, videlicet implicare contradictionem, materiam primam esse sine forma; non erit tamen ab re breuem huius difficultatis definitionem attingere, & oppositæ sententiæ fundamenta conuellere.

Ad cuius euidentiam supponendum est hic existentiam realiter ab essentia distingui, vt latè probauimus *in 1. p. q. 3. art. 4. in 1. Contr.* Vbi etiam ostendimus, existentiam esse vltimam actualitatem, & nunquàm esse in potentia, vt sit actu existentia; & essentiam nunquam esse in potentia, vt sit actu essentia; & essentias seipsis formaliter esse entia realia realitate essentiæ; per existentiam autem esse entia realia realitate existẽtiæ, & (quod in idem redit) seipsis esse entia realia nominaliter: per existentiam autem esse entia realia participialiter.

Resolutio. Distinguitur in cõposito & partibus eius duplex existentia, & assignantur tres inter vtramq; differentiæ & explicatur vtriusque ratio.

Quibus suppositis aduertendum est, nomen existentiæ æquiuocum esse ad existentiam, quæ est vltima actualitas per se primò conueniens formę & per eam composito & partibus eius tam essentialibus quàm integralibus, & ad existentiam quæ est effectus aut quasi effectus formalis vltimæ actualitatis. Differunt enim inter se *primò*; quia existentia primo modo dicta est effectus formalis secundarius formæ, quæ primò causat essentiam compositi; secundariò verò causat eius existentiam & partium eius: existentia verò secundò modo dicta est quasi tertius effectus formæ causatus media existentia primò modo dicta; & vocatur à Scoto & recentioribus actus entitatiuus; quoniam est entitas, qua formaliter res est extra causas. *Secundò* differunt; quia existentia primo modo sumpta distinguitur realiter à forma & ab essentia compositi & partium eius: existentia verò secundò modo dicta cum singulis, quorum existentia est, identificatur. *Tertiò* differunt, quòd existentia primo modo dicta vna tantùm est primò conueniens formæ & per eam composito, & partibus eius: secundo verò modo dicta multiplex est: alia est enim existentia formæ alia compositi alia materiæ. Quod idem dicẽdum est de existentia singularum partium integralium: variatur tamen hæc existentia materię iuxta varietatem formarum in ea sibi succedentium. Ad quorum ampliorem intelligentiam.

Considerandum est PRIMO: Ens reale dupliciter dici scilicet nominaliter & participialiter, & priori quidem modo est ens reale realitate essentiæ, quæ ab æterno est: posteriori verò modo est ens reale realitate existentiæ, secundùm quam realitatem dicitur aliquid esse ens extra causas suas, & esse pertinens ad ordinem vniuersi: quæ quidem realitas conuenit formæ, materiæ, cõposito & partibus integralibus per existentiam primo modo dictam;

dictam; non tanquàm per intrinsecam formale constitutiuum; quoniam existentia sic sumpta est singulis istorum essentijs extrinseca & ab eis distincta realiter: sed tanquàm per principium formale, quo causatur in eis prædicta realitas, qua realitate formaliter & intrinsecè dicuntur entia realia extra causas suas; qui modus essendi extra causas à recentioribus vocatur existentia; cum tamen sit effectus quasi formalis existentiæ priori modo sumptæ. Et quoniam hic essendi modus multiplicatur iuxta rerum numerũ, quæ sunt extra causas suas; neque realiter differt à re, cuius est modus: ideò cum recentioribus dici potest existentiam hoc posteriori modo sumptam non esse realiter ab essentia differentem; & tot esse in rebus partiales & incompletas existẽtias, quot sunt in eis essentiæ partiales & incompletæ, & existentiam materiæ esse potentialem ad existentiam formæ tam primò, quàm secundo modo sumptam: & existentiam completam substantiæ compositæ esse compositam ex incõpletis partium existentijs. Et sicut verum est materiam esse ens purè potentiale, & tamen esse ens reale extra causas suas, ita verum est materiam esse existentem, existentia secundo modo dicta, quam recentiores cum Scoto appellant actũ entitatiuum, & tamen esse ens mere potentiale. Et quoniam hic effectus prout materiæ conuenit, necessariò pendet à forma, tam in fieri, quã in conseruari: ideò nec per absolutam Dei potentiam fieri potest, vt materia sit existens in rerum natura sine forma. Quod autem hic effectus vtroque modo necessariam habeat cum forma connexionem. Probatur; quia nulla res existere potest in rerum natura, nisi ad aliquam speciem & ad vnum aliquod indiuiduum fuerit determinata: res autem ad speciem determinatur à forma, sicut ad vnitatem indiuidualem determinatur à materia quantitate signata; ergò hæc existentia materiæ necessariò pendet à forma, tam in fieri quàm in conseruari. *Sed ait* Suar. *in sua Metaphys. disp. 15. sect. 9. num. 10.* Substantialem materiæ differentiam non esse à forma, sed ex ipsa materiæ natura, & materiam primam esse in aliqua specie materiæ vel cęlestis vel elementaris, & eandem materiam specie & numero differre sub diuersis formis, & formam dare differentiam specificam, non materiæ sed composito. *Sed hæc responsio* tripliciter deficit, *primò*; quia species omnis constat ex genere & differentia, & genus sumitur à materia vel ab eo quod est potentiale: differentia verò sumitur à forma vel ab eo quod est actuale; at materia nihil habet actuale cum sit pura potentia. *Sed dices*, speciem materiæ corruptibilis desumi ex ordine ad formã corruptibilem vel rei corruptibilis, sicut species materiæ cęlestis sumitur ex ordine ad formã incorruptibilem. *Sed facilè* præcluditur hoc effugium; quia, quod non est vnum specie secundùm se, non potest in altero ad ipsum ordinato causare specificam vnitatem: at forma rerũ corruptibilium non est vna specie sed genere; ergò non potest dare speciem materiæ. Et eadem ratione forma incorruptibilis vt sic, non potest dare speciem vltimam materiæ cęlesti; quia corpora cęlestia inter se & earum formæ inter se, non solùm specie sed etiam genere physico differunt; ergò *Secundò* deficit principalis illa responsio; quia materia prima præcisè sumpta non est vna numero positiuè sed negatiuè tantùm, vt cum Auerroe docet S. D. & eius discipuli. *Tertiò* deficit; quia nõ est alia sed vna & eadẽ species substãtialis partiũ & totius ex eis cõpositi pro-

Suarezij responsio.

Confutatio.

Obiectio.

Soultio.

S. Thom.

priè & absolutè loquendo; species enim substantialis ea est in proposito, quæ sub genere & prædicamento substantiæ collocatur: constat autem compositum substantiale per se primò, & directè in tali genere & prædicamento collocari: Secundariò autem & indirectè seu reductiuè partes compositi ad idem prædicamentum pertinere: nec alio modo quàm media completa substãtia, cuius sunt actu partes, sub eo genere contineri; ergò male & contra canones verę Philosophię dicitur materiam habere ex se & non à forma specificam vnitatem.

SECVNDO *considerandum est*, existentiam, tã primo quàm secundo modo dictam, non eodẽ modo se habere ad formam, & ad compositum & ad partes compositi. Nam existentia primo modo sumpta non distinguitur à forma, nisi ex natura rei: non autem sicut res à re; sed est ipsa forma, vt est tale ens reale extra causas, quod est formale essendi principium; ac proindè cui per se primò conuenit existere, vt quo; adeò vt existentia primo modo sumpta sit ipsa realitas formalis, qua forma denominatur intrinsecè ens reale extra causas suas. Ex quo sequitur existentiam secundo modo dictam in forma informante, & multò magis in subsistente non esse realiter, sed ex natura rei tantùm distinctam ab existentia primo modo dicta: nulla est enim necessitas in forma duas prædictas existentias realiter distinguendi, sicut in composito & eius partibus, vt statim dicemus. Cum enim forma constituat cõpositũ, & illi ac eius partibus det esse tã specificũ quod est esse essẽtię, quã esse existẽtię necesse est primò, vt eadẽ vltima actualitate, quæ per se primò conuenit formæ, non solùm vt ipsius actualitatis formali principio, sed etiam vt quod existit: incompletè tamen & dependẽter à materia, si sermo sit de forma corruptibili, dicatur quasi extrinseca denominatione existens compositum & eius partes; ita vt eadem existẽtia, quæ intrinsecè formam denominat existentem, totum etiam & partes, quasi extrinsecè denominet existentes: dico autem quasi extrinsecè; quoniam existentia primo modo dicta distinguitur à composito & ab eius partibus, sicut alia ab eis realitas. Cum autem existentia sit realitas entis participialiter dicti, & nullum ens sit reale aliena, & extrinseca sibi realitate, necesse est alterius rationis existentiam à prædicta esse in composito, & eius partibus, ex qua propriè & intrinsecè sint, & dicantur entia realia participialiter. Hæc autem existentia nihil aliud est, quàm ipsa essentia totius & singulæ partium essentiæ, vt positæ extra causas suas: quod poni extra causas conuenit illis à generante vel producente vt ab efficiente, & à forma vt primo formali principio quo, & ab existentia quæ est vltima actualitas formæ vt proximo formali principio; quoniam ex hoc, quod materia actuatur à forma, & ex tali actuatione constituitur compositum, fit vt tam compositum quàm materia dicantur existere illa vna existentia, quæ primò conuenit formæ vt principio formali; sed quia realitas formæ, cui identificatur realitas existẽtiæ, est alia realitas à realitate compositi & materiæ & partium integralium: ideò non potest illa existentia esse horum realitas, vt scilicet ab hac existentia seu ab hoc esse dicantur intrinsecè denominatione entia participialiter; necesse est vt ab hac existentia, veluti à principio formali deriuetur, vt effectus formalis intrinseca realitas ad compositum & eius partes, ex qua denominentur intrinsecè entia realia participialiter,

Existentia, prout est vltima actualitas, nõ differt realiter à forma, sed à cõposito, & à materia, & à partibus integralibus.

id est

id est entia extra causas in rerum natura, & hæc est existentia secundo modo dicta, quam recentiores vocant actum entitatiuum.

Probatur existentiam secũdo modo dictã nõ distingui realiter à cõposito, & eius partibus, sed ratione ex natura rei, & deducuntur quinque corollaria.

TERTIO *sciendum est*, existentiam secundo modo dictam non esse realiter physicè distinctã à composito aut ab eius partibus, sed formaliter actualiter seu ex natura rei, vel realiter metaphysicè. Cum autem S. D. affirmat, in qualibet re creata distingui realiter existentiam ab eius essentia, de existẽtia loquitur primo modo sumpta, & de distinctione reali, prout etiam extenditur ad distinctionem realem metaphysicam, quam Scotus&recentiores appellant distinctionem ex natura rei: quod dico propter formas in quib⁹ existẽtia primo modo sũpta nõ distinguitur ab ipsis, nisi ex natura rei, vt ante diximus, & propter existentiam secundo modo dictam, quę tantùm ex natura rei distinguitur ab eo, cuius est existentia: eadem enim res, quæ solam ab æterno realitatem actualem habebat essentiæ, per agentis operationem media causalitate formali in nouam augetur realitatis perfectionem: fit enim eadem specie & numero ens actu extra causas existens, per quod nouum accipit realitatis modum, vt quod prius actuali solius essentiæ realitate, & virtute causæ potentis illud producere erat ens reale; atque adeò quasi diminutè & incompletè, nunc per essendi modum, quem habet extra causas, simpliciter & completè sit ens reale.

Ex quo *patet primò*, existentiam actu existentem extra causas suas non differre à seipsa absolutè sumpta, sicut ens à non ente; sed tanquàm ens participaliter ab ente nominaliter; quod tamen est non ens participaliter: ac proindè non differre sola ratione in re fundamentum habente, vt opinatur Suar. *disput. Metaph. 31. sect. 6.* sed ex natura rei sicut includens realem perfectionem, seu realitatem à non includente illam, loquendo de re existẽte existentia secundo modo sumpta. Si verò sermo sit de re, seu essentia existente, prout existit etiam existentia primo modo sumpta, certum est distingui realiter à se ipsa absolutè sumpta, & etiam vt existente existentia secundo modo sumpta; quia addit vltimam actualitatem realiter ab essentia sic accepta distinctam. *Secundò patet*, sententiam nostram esse consonam doctrinæ D. Th. Vbique loquentis de existentia primo modo sumpta; quamuis ex parte alio modo dicta S. Doct. exponat, quã hucusque fuerint ab eius discipulis intellecta. *Tertiò patet* ex hoc dicẽdi modo facilè posse difficiliora Scotistarum, & recentiorum Scotothomistarum argumenta dissolui, quæ ad probandam realem identitatem essentiæ cum existentia proferunt contra D. Th. *Quartò patet* materiam non habere propriam existentiam, nisi dependentem à forma, tàm in fieri quàm in conseruari: atque ideò non posse etiam per Dei potentiã absolutam à forma separari, & ita separatam cõseruari. *Quintò patet* omnium ferè opinionum dicta parum esse differentia.

Conclusiones deducũtur.

POSTREMO sequuntur ex dictis duæ Conclusiones.

» PRIMA CONCL. *Materia prima nec per Dei* » *potentiam potest existere sine forma.*

» SECVNDA CONCL. *Sola materia prima non* » *potest assumi ad vnitatem diuinæ subsistentiæ, vel existentiæ.* Probatur: quia materia sic accepta per nullam esset specificam aut indiuidualem differentiam determinata, vt ostensum est; ergò.

Argum. & solutiones.

CONTRA *primam* concl. sunt arg. quæ referunt & soluunt Cap. *in 2. dist. 13. q. vnica* Cai. *de Naz. in D. Tho. 3. partem*

A *ente, & essentia c. 5. q. 8.* Iauel. *lib. 8. Metaph. q. 1.* Ferr. *in 3. cont. gent. c. 4.* Ban. *1. p. q. 66. a. 1. dub. 2.* & alij.

Contra eandem conclus. argum. Fons. *8. Metaph. quæst. 1. Primò*; quia materia prima creata est in initio mundi propria & peculiari creatione; ergò peculiarem habet existentiam ab existentia formarum diuersam. Antecedens probatur; Quia formæ quæ initio cum materia horum inferiorum creatæ sunt, perierùnt; ipsa verò materia semper conseruata est; ergò materia propriam habet conseruationem; ergò peculiarem B habet existentiam ab existentia formarum diuersam. Probatur hæc secunda consequẽtia; quia si materia per eam solam existentiam extitisset, per quam primæ formæ existebant, ijs pereuntibus materia quoque perijsset. Probatur hæc illatio; quia conseruatio nihil aliud est, quàm eiusdem numero existentiæ continuatio. *Resp.* falsum esse antecedens: ait enim S. D. *1. p. q. 45. a. 4.* Propriè creata sunt subsistentia; accidentia verò formæ & huiusmodi, quæ non subsistunt, magis sunt coexistentia, quàm entia; & ideò magis debent dici concreata, quàm creata, ex quo deducitur sola subsistentia peculiarem ac propriam habere creationem. Ad probationem respondetur primò, falsum esse antecedens: si de C materia vna numero positiuè sermo sit: variatur enim specie & numero materia iuxtà variationẽ formarum, & dimensionum eam determinantium. Si autem intelligatur antecedens de materia vna numero negatiuè, falsa est consequentia. Nam sicut corpus esse album pendet ab albedine, quamuis non ab hac aut ab illa albedine determinatè; ita materiam existere pendet à forma, quamuis non ab hac vel ab illa determinate; atque ideò propriam non habet conseruationem, sed communem sibi & formæ ac toti composito & multipliciter variabilem iuxta varietatẽ formarum succesiuè materiam actuantium. Vide, si placet ea quæ de hac difficultate scripsimus *in* D *Controuersia ad dictum articulum quartum, præsertim in responsionibus ad argumenta contra secundam conclusionem.*

Obi. 1. cõt. 1. concl.

Sol.

Secundò: Magis pendent formæ à materia, quæ ex illius potentia educuntur, quàm ab illis materia: at formæ suam habent peculiarem existentiam; ergò potiori ratione materia habebit suam; ergò poterit existere sine forma. Prima propositio probatur; quia materia non pendet à formis in fieri, sed tantùm in conseruari: formę autem, pendent à materia vtroque modo. *Resp.* nullam esse consq. peccat enim argumentum per fallaciam, quæ est secundùm non causam vt causam: Nam causa, quòd forma propriam habeat existentiam modo superius explicato, non est E maior aut minor independentia; sed actualitas quæ per se primò formæ conuenit, & ideò etiam illi primò conuenit existentia, quæ est vltima actualitas per se primò formæ conueniens, & per eam composito & partibus eius integralibus & materiæ.

Ob. 2.

Sol.

Contra eandem concl. arg. Suar. *disp. Metaph. 15. sect. 9.* Primò; quia materia, sicut suam habet partialem entitatẽ essentiæ, ita & existentiæ; ergò sine vlla implicatione vel repugnantia potest Deus sicut formam sine materia, ita materiam sine forma conseruare. *Resp. primò*, falsum esse antec. loquendo de entitate existentiæ, quæ est vltima actualitas: hæc enim est propria formæ, & per eam communicatur materiæ: si verò sermo sit de entitate existentiæ, prout est realitas materiæ extra causas, admisso antecedente-

Obiect. 5.

Sol.

te negatur consequentia, quoniam hæc entitas existentiæ pendet à forma, tam in fieri quàm in conseruari, vt supra probauimus ea ratione; quia materia sine forma nec esset vna specie nec vna numero, quem defectum non potest Deus supplere sine forma ad speciem determinante, & quantitate numericam vnitatem conferente, & ex hoc fundamento diluuntur alia eiusdem authoris argumenta, quæ supponunt materiã absque forma speciem habere determinatam, quod esse falsum superius ostensum est.

CONTRA *secundam* concl. sunt argum. quæ referunt & soluunt Med. *dub. 1.* & Aluar. *disp. 22.*

Conf. 2. cõc. Obiect. Contra eandem concl. argum. Suar. *disp. 13. sect. 3.* quia materia suum habet actum entitatiuum & partialem existentiam, in qua potest à Deo conseruari sine forma; ergò potest assumi. Consequentia est euidens. Antecedens autem probatur; Quia licèt fortasse secundùm ordinem naturæ à forma pendeat, non tamen pendet ab ipsa, vt à causa intrinsecè, ac formaliter constituente entitatem eius; ergò potest Deus effectiuè supplere illam dependentiam, sicut supplet in accidente dependentiam à subiecto, quando separatum illud conseruat. *Solut.* *Resp.* admissa prima parte antecedentis in bono sensu superius explicato, falsam esse alteram partem, videlicet posse materiam in eo actu entitatiuo à Deo conseruari sine forma. Ad probationem respondetur, nullam esse consequentiam; quia licèt actus materiæ entitatiuus non pendeat à forma, vt à formali intrinseco constitutiuo; pendet tamen ab ea, quò ad aliquid necessariò requisitum, aut inclusum in entitate materiæ, scilicet quò ad determinationem ad speciem sine qua nihil esse potest in rerum natura.

QVAESTIO SEXTA. *An accidens vniri possit hypostaticè diuinæ personæ?*

Sententiæ Doctorum. Duæ sunt oppositæ de quæstione proposita Doctorum opiniones. Prima negat accidens assumi posse à diuina persona, quam ex quibusdam antiquioribus Theologis hausta sequuntur Suarez, *disp. 13. sect. 4.* & Vasquez *disput. 30. c. 5.*

Secunda sententia huic opposita multò plures, ac Illustriores habet authores ac defensores: Hi verò sunt Marsilius *in 3. quæst. 3. art. 1.* Almainus *dist. 2. q. 2.* Gabriel *dist. 1. q. 2. art. 2. ad 7.* Med. *dub. 1. super hoc art.* & Val. *puncto 1. in 2. quæsito:* Vbi ait posse diuinã personã ex infinita sua virtute suppleri vim creati subiecti, qua naturaliter potest esse terminus dependentiæ accidentis, sic vt ex vi eius possit accidens existere; cum alioquin absque sub subiecto proprio non posset existere; quamuis supplere non possit rationem creati subiecti; quatenus afficitur & perficitur accidentibus. Aluarez *disp. 22. conclus. 4.* dicit, opinionem affirmantem esse multorum Thomistarum, & eam explicans ait, fieri posse vt accidentia vniantur Deo hypostaticè; non ita vt immediatè vniantur subsistentiæ personali alicuius personæ diuinæ, sed vt immediatè & formaliter existant per existentiam creatam.

RESOLVTIO.

Probatur accidens inhærens subiecto assumi nõ posse, & accidens separatum habere modum essendi modo substantiæ similem.

PRO QVAESTIONIS *huius resolutione notandum est primò* duplicem essendi modum accidenti posse conuenire: *alterum* naturalem qui est A inhærere subiecto; *alterum* supernaturalem qui est esse sine subiecto: & in priori quidem essendi modo certum est, accidens assumi non posse; quia manifesta contradictio est in subiecto esse, & subsistere cuiusuis suppositi subsistentia. Hoc enim est esse per se, vt distinguitur contra esse in alio, tanquàm accidens in subiecto & tanquàm in toto. Ad cuius euidentiam aduertendum est, dupliciter intelligi posse accidens assumi & vniri diuinæ personæ: *Vno modo* proximè & immediatè: ita vt existat formaliter & immediatè per subsistentiam, aut existentiam diuinæ personæ; & ita certum est, vt diximus, accidens inhærens subiecto assumi non posse. *Alio modo* mediatè; quia scilicet assumitur proximè & immediatè natura substantialis; cui inhærent accidentia, B quæ mediatè dicuntur assumi & vniri diuinæ personæ assumenti; non quidem secundùm personam; sed in persona, vt *quæst. 2.* docet Caietanus.

Si verò consideretur accidens in altero essendi modo, quidam negant quidam autem affirmant illud vniri posse diuinæ personæ. Et qui sententiam tuentur affirmantem, in modo vnionis asserendo non conueniunt, vt patet ex opinionibus supra notatis. Vt igitur in hac difficultate satis perplexa, quid nobis magis probabile videatur, explicemus.

Secundò considerandum est, accidens à subiecto diuina virtute separatum quendam habere subC sistendi modum longè diuersum à modis subsistendi completæ substantiæ, animæ intellectiuę, & formæ substantialis à materia dependentis, si diuina virtute à subiecto abstracta subsisteret; ex primo namque miraculo, quo separatur accidens à subiecto, consequitur naturali sequela modus quidam in accidente; qui licèt materialiter ad genus & speciem pertineat accidentis, formaliter tamen conuenit cum substantiæ modo, qui est esse per se, cui modus opponitur proprius & naturalis accidentis, qui est esse in alio tanquàm in subiecto; quamuis itaque modus ille consequens accidens à subiecto separatum, quatenus naturam habet materialiter accidentis, D habeat vt ei non repugnet inhærere subiecto; quatenus tamen est modus talis, scilicet essendi per se, id est separatim à subiecto, repugnantiam habet ex intrinseca sua ratione; non minus, quàm proprius & naturalis substantiæ modus ad inhærendum subiecto. Necessitas autem constituendi talem modum in accidente miraculosè separato ex eo colligitur, quod hi duo modi, scilicet esse per se & esse in alio duos denotant entium terminos; nam esse per se dicit subsistentiam, quæ terminus est substantiæ naturalis: esse verò in alio vt in subiecto, dicit terminum naturalem accidentis, qui consistit in vnione eius cum subiecto. In entibus autem E quæ aliquo veluti termino suaptè natura terminantur, ablato eius proprio termino, statim naturaliter resultat aliud, vt patet in lineæ, superficiei & corporis diuisione: remoto namque priori puncto lineam terminante resultat alius; remota linea quæ superficiem terminabat, alia noua consurgit, & remota figura corpus terminante resultat alia, & similiter in Christi humanitate non impeditur propria subsistentia, nisi diuinã inducendo personalitatem, quæ si auferetur, propria statim subsistentia naturaliter in ea pullularet: Sic igitur ablato ab accidẽte modo ac termino eius naturali, qui est inesse subiecto, resultat in eo naturaliter alius modus ac terminus modo ac termino substantiæ similis, qui

est

est esse per se; qui licèt materialiter sit ignobilior accidente, cuius est modus; formaliter tamen superexcedit accidentis naturam; quamuis non adæquet substantialis modi nobilitatem. Et ex his apparet, quid veritatis habeant ea, quæ in hac materia dissidentes scribunt Caietanus *infra quæst. 77. a. 1.* Suar. *ibidem disp. 56. sect. 2.* Val. & Nugnus *super eodem a.* post Sotum *in 4. dist. 10. q. 2. a. 1.*

Posse accidens à subiecto separatũ assumi ad vnitatẽ diuinæ subsistentiæ. nõ aũt ad vnitatẽ solius subsistẽtiæ.

Tertiò recolendum est, quod sæpè diximus, hinc mirum, diuinam personalitatem esse simpliciter infinitam in terminando: ex quo sequitur in ea contineri supereminenter creatam omnem personalitatem & subsistentiam, ac subsistendi modum possibilem creaturæ communicari: atque ideò sicut terminare potest Angelicam & humanam, ac quamlibet substantialem naturam; ita poterit eadem ratione accidentalem naturam à proprio subiecto miraculosè separatam terminare præueniendo modum illum subsistendi, quem naturaliter sequi diximus ad accidens à subiecto miraculosè separatum: dicetur autem hæc vnio materialiter quidem secundùm personam & hypostasim, formaliter autem secundùm subsistentiam, accepto nomine subsistentiæ prout communis est vtrique modo essendi per se, scilicet modo substantiæ & modo accidentis à subiecto diuina virtute separati. Et quemadmodum vnio humanæ naturæ cum persona Verbi est vnio per se in ratione suppositi: sic vnio talis accidentis cum diuina subsistentia esset vnio per se in ratione subsistentiæ. Et quemadmodum in illa; ita & in hac vnione fieret idiomatum communicatio, si præsertim nomina imponerentur ad significandum suppositum diuinum talem habentem naturam accidentalem sibi in vnitate subsistentiæ copulatam. Quare si Verbum assumpsisset albedinem posset dici album, si nomen hoc *album* significaret habẽtem albedinem, non vt inhærentem, sed vt in vnitate subsistentiæ copulatam.

Quartò notanda est differentia inter subsistentiam & existentiam, quòd illa verè & propriè terminus est naturæ substantialis nullam dicens causalitatem: hæc autem est vltima rei actualitas & quasi forma & actus omnium actuũ quæ sunt in re: ratio verò termini nullam in ipso terminãte dicit imperfectionem, quæ tamen intrinsecè clauditur in forma vel actu alterum informante vel actuante: si autem diuina persona assumeret accidens ad vnitatem solius existentiæ, id non alio modo fieret, quàm actuando per suam existentiam accidentis naturam assumptam, quæ absurditas satis accedit ad eorum Philosophorũ errorem, qui dicebant Deum nihil aliud esse, quàm ipsum esse formale rerum omnium, quos arguit S. D. *prima parte, quæst. 3. art. vltimo, & in primo cont. gent. cap. 26.* sed de hoc plura diximus in præcedentibus.

Ex dictis deducta.

Ex Dictis sequuntur duæ conclusiones.

Prima Concl. *Persona diuina potest ad vnitatem suæ subsistentiæ naturam accidentis à subiecto miraculosè separatam assumere.*

Secvnda: *Accidens non potest assumi à diuina persona, vel ab hoc Deo ad vnitatem solius existentiæ.*

Argum. & solutiones.

Contra *primam* concl. sunt argum. quæ referunt & soluunt Med. Val. & Aluar. Quorum etiam solutiones colligi facilè possunt ex dictis.

Obi. 1. cõt. 1. concl.

Contra eandem concl. argum. Suar. Quia non potest assumi accidens ad existendum existentia Verbi, nec quò ad modum existendi terminari A subsistentia diuina; ergò forma accidentalis est omninò incapax substantialis vnionis; ergò non potest ad illam fieri vnio secundùm subsistentiam. Antecedens (inquit) quò ad primam partem probabitur *infra q. 17.* quò ad secundam verò probatur: Quia quamuis accidens separatum per se aliquo modo constituatur: tamen ille modus per se essendi non est vera subsistentia; sed est modus in se accidentalis; ergò forma accidẽtalis est omninò incapax subsistentiæ, &c. Et *cõfirmatur* ac explicatur varijs modis: *Primò*: quia accidens non potest vniri ad componendum vnum per se: & multò minus ad componendum vnam personam: at vnio cuiuscunque creatæ naturæ cum Deo tantùm esse potest per modum vnius subsistentiæ vel personæ; ergò. *Secundò*: Quia substantia non potest vlla ratione poni in alio per modum inhærentis; quia hoc pugnat cum natura substantiæ, quæ est omninò incapax talis modi essendi; ergò pari ratione natura accidentis non potest trahi ad subsistendum. *Tertiò*, intelligi non potest, punctum immediatè terminare corpus & superficiem; quia non est proportio neque capacitas; ergò simili modo &c. *Resp.* Antecedens quò ad primam partem verum esse, si de sola existentia, secluſa omninò subsistentia sermo sit; si autem de assumi ad existentiam præuia ordine naturæ vnione cum subsistentia intelligatur falsum est, vt ostendemus *in allegata quæst. 17. a. 2.* quò ad secundam etiam partem negatur idem antecedens. Ad probationem negatur antecedens & consequentia: est enim in accidente miraculosè separato vera subsistentia, quamuis analogicè dicta respectu subsistentiæ substantialis. Et quamuis materialiter sit modus accidentalis: assimilatur tamen modo substantiæ in hoc, quod positus in accidente constituit in eo repugnantiam ad inhærendum subiecto, dum est sub tali modo: & quãuis non possit accidens trahi ad vnitatem diuinæ subsistentiæ sub ea ratione, qua substantialis est: potest tamen ad eam trahi sub ea ratione qua supereminenter continet omnem modum subsistendi distinctum à modo existendi per inhærentiam in subiecto. *Ad primam confirm.* negatur assumptum; quia potest vniri per se cum diuina persona modo iam dicto, & constituere vnam personam compositam ex natura accidentis & subsistentia personali; quatenus eminenter continet omnem subsistendi modum. *Ad secundam* confirm. distinguo consequens: Vel enim loquitur de subsistere substantiali subsistentia vt talis, & ita conceditur argumentum cum ipso consequẽte: vel loquitur de subsistentia prout analogicè dicitur etiam de modo accidentis à subiecto separati, qui modus continetur eminenter in diuina personalitate, & in hoc sensu negatur consequentia; quia vnus tantùm est modus possibilis inhærendi, qui naturaliter conuenit accidẽti; sed nõ est tantùm vnus modus possibilis subsistendi; & magis intrinseca est substantiæ subsistentia actualis, vt opposita inhærentiæ, quàm inhærentia actualis accidenti; quia subsistentia conuenit substantiæ secundùm se, & non in ordine ad aliud: inhærentia verò conuenit accidẽti ex ordine, & vnione cum substantia: & ideò potest accidens trahi ad subsistendum: substantia verò trahi non potest ad inhærendum. *Ad tertiam* confirmationem negatur consequentia; quia punctum non continet eminenter lineam, neque superficiem, sicut diuina subsistentia continet eminenter omnem subsistendi modum.

Conf. 1.

Conf. 2.

Conf. 3.

Solutio.

Ad 1. Conf.

Ad 2.

Ad 3. conf.

Obi. 1. *Contra eandem* concl. argum. Vasq. Diuina personalitas terminans alienam naturam subrogatur in locum subsistentiæ creatæ; ergò illa sola natura quæ ex se habet propriam subsistentiã, hoc genere vnionis vniri potest diuinæ personæ: at forma accidentalis ex se non habet subsistentiam; ergò assumi non potest à Verbo diuino etiam separata à subiecto media subsistentia & suppositalitate increata in vnitatem hypostasis: alio autem modo vniri posse affirmare non licet, nisi firmo aliquo supposito fundamento.

Sol. *Resp.* antecedens verum esse loquendo de subsistentia conueniente naturæ creatæ, siue ex se, id est naturaliter, siuè alio modo, puta ex separatione à subiecto facta miraculosè; nam vtramque subsistentiam potest supplere diuina personalitas; & in hoc sensu admisso antecedente negatur consequentia, quæ loquitur de sola subsistentia rei naturaliter conueniente, & ita ruit totum argumentum.

Ob cont. 2. concl. CONTRA *secundam* concl. argum. Aluarez. Subsistentia Verbi; quia est infinitæ virtutis & continet eminenter omnem subsistentiam creatam, potest immediatè terminare, & de facto terminat naturam humanam communicando illi propriam personalitatem; ergò similiter existentia diuina; cum contineat eminenter omnẽ existentiam & inexistentiam creatam, poterit immediatè supplere inexistentiam accidentis, & dependentiam quam habet à substantia creata, & illud immediatè terminare; ita vt accidens immediatè & formaliter existat per existentiam diuinam.

Solut. *Resp.* personalitatem diuinam non ob eam solam, vt integram causam terminare naturam creatã; quia est infinitæ virtutis, & continet eminenter omnem substãtiam creatam: sed hoc etiam addendum est, quod terminare & personare naturam nullam dicit imperfectionem in ipsa personalitate; quia nullam dicit causalitatẽ formalem & multò minus materialem. Existentia verò diuinæ personæ; quamuis sit infinitæ virtutis & contineat eminenter omnem creatam existẽtiã & inexistẽtiã: nõ potest tñ creatã naturã absq; maxima imperfectione immediatè terminare; quia non alio modo potest naturam immediatè terminare, quàm illam actuando & informando, vt eius vltima actualitas.

A *ex eo, quod ad aliquid sumitur. Vnde illud, quod assumitur, oportet præintelligi assumptioni; sicut illud, quòd mouetur localiter, præintelligitur ipsi motui. Persona autem non præintelligitur in humana natura assumptioni, sed magis se habet vt terminus assumptionis, vt supra dictum est. Si enim præintelligeretur,* 9 præcart. *vel oporteret, quòd corrumperetur: & sic frustra esset* 1. & 2. *assumpta, vel quòd remaneret post vnionem: & sic essent duæ personæ, vna assumens, & alia assumpta. Quod est erroneum, vt supra ostensum est: Vnde relinquitur,* q. 2. art. 6. *quòd nullo modo filius Dei assumpsit humanam personam.*

Ad primum ergo dicendum, quòd naturam humanam assumpsit Filius in atomo, id est in individuo: quòd non est aliud à supposito increato, quòd est persona filij Dei. Vnde non sequitur, quòd persona sit assumpta.

B

Ad secundum dicendum, quòd naturæ assumptæ nõ deest propria personalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem humanæ naturæ pertinet: sed propter additionem alicuius, quòd est supra humanam naturam: quod est vnio ad diuinam personam.

Ad tertium dicendum, quòd consumptio ibi non importat destructionem alicuius, quod prius fuerat, sed impeditionem eius, quod aliter esse posset. Si enim humana natura non esset assumpta à diuina persona, natura humana propriam personalitatem haberet: & pro tanto dicitur persona consumpsisse personam, licet impropriè: quia persona diuina sua vnione impediuit,

C *ne humana natura propriam personalitatem haberet.*

Sensus quæsiti.

CVM SINT tres modi, quibus intelligi potest Filium Dei assumere personam, *primò* propriè & formaliter; quod esset si personalitas ipsa creata ad vnitatem increatæ personalitatis assumeretur: *Secundò* minus propriè & concomitanter; quo modo diceretur assumi, si natura assumeretur manente propria personalitate. *Tertiò* valdè impropriè; vt si natura assumeretur destructa, quam prius habebat, personalitate: Túc enim diceretur assumi persona tanquàm termi-

D nus à quo; sicut dicitur panis & vinum consecrari, tanquàm materia ex qua fit transubstantiatio. Et hos omnes sensus videtur intendere S. D. & iuxta singulos in articulo respondere.

ARTICVLVS II.

Vtrum filius Dei assumpserit personam.

Locis ar. sequẽti notatis.

AD *secundum sic proceditur. Videtur, quòd filius Dei assumpserit personam. Dicit enim Damas.* Cap. 11. *in tertio lib. quòd filius Dei assumpsit humanam naturam in atomo, id est in individuo. Sed individuum rationalis naturæ est persona: vt patet per Boet. in lib. de Dua. natur. Ergo filius Dei, personam assumpsit.*

Lib. 3. c. 6. *Præterea, Damas. dicit, quòd filius Dei assumpsit ea, quæ in natura nostra plantauit. Plantauit autem ibi personalitatem. Ergo filius Dei assumpsit personam.*

Præterea, Nihil consumitur, nisi quòd est. Sed Innocen. tertius dicit in quadam Decre. quòd persona Dei consumpsit personam hominis. Ergo videtur, quòd persona hominis fuerit prius assumpta.

Cap. 2. to. 3. *Sed contra est, quòd August. dicit in lib. de fide ad Pe. quòd Deus naturam hominis assumpsit, non personam.*

Respondeo dicendum, quòd aliquid dicitur assumi

E

Forma Textus.

CONCL. *est: Nullo modo filius Dei assumpsit humanam personam.* Probatur: Illud quod assumitur oportet præintelligi assumptioni: at persona non præintelligitur in humana natura assumptioni, sed potius se habet vt terminus assumptionis; ergò. Maior probatur; quia aliquid dicitur assumi ex eo, quod ad aliquid sumitur, & manifestatur exemplo; Quia quod

E mouetur localiter præintelligitur ipsi motui. Minor verò probatur ducendo ad inconueniens; quia si persona præintelligeretur assumptioni, vel oporteret vt corrumperetur, vel vt remaneret post vnionem: at vtrumque est absurdum; ergò. Probatur hæc propositio; quia si corrumperetur frustra esset assumpta; si autem remaneret post vnionem essent duæ personæ, vna assumens & alia assumpta, quod est erroneum; ergò.

Expo-

Expositio Textus.

Proponuntur octo dubitationes & breuiter tãguntur aut indicantur earum solutiones.

Prima Dubitatio.

DOCTRINAM præsentis articuli tã in corpore quàm in responsionibus ad argumenta declarant expositores varijs propositis dubitationibus, quibus pro suo quisque iudicio nititur satisfacere: sunt autem octo.

PRIMA & omnium maxima est: *An & quomodo distinguantur in qualibet creata substantia tã corporea quã incorporea suppositũ à natura, & subsistẽtia ab existẽtia?* de qua latissimè disseruimus *1.p.q.50. a.2. Contr.3.* quibus adde ea, quæ diximus *in eadem 1.p. q. 30. a. 4.* & ea quæ breuiter ac eruditè scribit Aluar. *in sua disp. 23.*

2. Dubitatio.

SECVNDA est: *An natura propria subsistentia terminata possit assumi?* quam hic versant Suarez *disp. 14. sect. 1.* Vasquez *disp. 33.* Aluar. *disp. 26.* & Val. *quæst. præced. a. 6.* Vbi contra recentiores id fieri non posse defendimus.

3. Dubit.

TERTIA est: *An humana Christi natura inclinetur in propriam personalitatem?* quæ propter Vasq. Cai. & alijs recentioribus D. Thom. discipulis aduersum erit examinanda.

4. Dubit.

QVARTA est: *Quomodo persona diuina impedierit naturam humanam à personalitate propria*, quę coincidit cum ea quæst: *An sit aliqua causalitas in humana natura respectu propriæ personalitatis?*

Vasquezij solutio.

Cui respondet Vasquez *disp. 34. cap. 4. num. 15.* dicens, personalitatem non produci ab ipsa natura, neque ab ea formaliter promanare, sed esse tantùm eius subiectum & materiam recipientem, eo quod Deus producens vel conseruans naturam, aut causa creata generans ipsam naturam sit causa sufficiens personalitatis, sicut etiã est causa sufficiens existentiæ. Quam opinionem Aluar. *disp. 24.* tribuit Med. sed immerito: is enim *dubio 2.* perspicuè docet generans per naturam & essentiam rei genitæ, tanquàm per principium & causam producere personalitatẽ, quæ est terminus ipsius naturæ & essentiæ, eo ferè modo quo generans per naturam & essentiam rei genitæ, tanquàm per principium quod producit propriam passionem per simplicem quãdam emanationem &c.

Sed veritas est, naturam respectu propriæ personalitatis duplicem habere causalitatem: *Primò* materialem quatenus eam recipit tanquàm sui perfectionem & complementum, ab ea tamen realiter distinctum; quia naturam complet, non vt præcisè natura est seu in esse naturæ, sed vt in esse personali constituitur; sicut materia completur per formam, non vt præcisè materia est, hãc enim rationem habet ex sui natura; sed ideò completur quia per eam in esse completo sui totius, tanquàm pars eius in actu constituitur. *Secundò* causalitatem etiam formalem seu principij formalis habet natura respectu suæ personalitatis, tanquàm effectus eius secundarij. Primus enim effectus naturæ est dare esse essentiæ compositò. Secundus autem effectus est subsistentia. Qui duo effectus vna & eadem efficientis seu generantis operatione, & in eodem instanti temporis licet non naturæ, producuntur: generans enim seu producens substantiam compositam vna & eadem intentione & operatione perfecta producit essentiam subsistentiam & esse, ita vt nunquàm intelligatur agentis operatio completa, nisi postquàm fuerit natura subsistens & actu existens in rerum natura. Ex quibus patet, falsam esse Vasquezij consequentiam ex fundamento nobis & illi communi deductam. Cum autem dicimus naturam esse

A causam materialem personalitatis: ac proinde personalitatem habere causalitatem quandam formalem respectu naturæ: de tali personalitate scilicet creata, cui materialiter & quasi per accidens est annexa dicta causalitas, sermo est; nam si de personalitate vel subsistentia vt sic loquamur, nullam habet respectu naturæ causalitatem, sed terminus purus est vt sæpè diximus. Reliqua ad hanc materiam pertinentia, vide apud Cai. Med. & Aluar. locis superius allegatis.

5. Dubit.

QVINTA Dubitatio est: *An si Verbum dimitteret humanitatem, ad eam absque noua actione personalitas sequeretur?* Hanc tertio loco proponit & eruditè soluit Medina: & patet eius solutio

B ex ijs, quæ pro dubitationis præcedentis solutione notata sunt: Quemadmodum enim lapis sursum genitus ac detentus remoto prohibente mouetur per se deorsum à generante eadem actione, qua lapidem in esse produxit: sic humana Christi natura Spiritus sancti virtute, cooperante Virgine matre genita, & priusquàm propriæ personalitatis acciperet complementum, à Verbo præuenta & illi personaliter vnita, si remoto personalis illius vnionis vinculo dimitteretur, vi præcedentis generationis ad naturale suum complementum & terminum properãtis seipsam statim in propriam personalitatem explicaret.

6. Dubit.

SEXTA Dubitatio est: *An Christus Dominus sit*

C *humana persona eiusdem rationis cum alijs personis humanis?* Cuius plana ac vera solutio est, eiusdem esse rationis & speciei; quia specificæ rationis vnitas ex vnitate specifica naturæ, non autem suppositi, pensanda est, vt benè probat & declarat Medina *in vltima sua Dubitatione.*

7. Dubit.

SEPTIMA Dubitatio est: *An singulæ totius naturæ partes propriam habeant subsistentiam, sicut & ipsa tota natura?* Cui dubitationi Vasq. *disp. 32.* negatiuè respondet, & pluribus argumentis oppositam Suarezij confutat opinionem & eius omnia diluit argumenta.

Vlt. Dubit.

VLTIMA Dubitatio est: *An per Dei potentiam absolutam possit aliqua substantia creata subsis-*

D *tere sine subsistentia propria vel aliena?* quam breuiter absoluit Aluar. *disp. 25.* sequens probabilem sententiam Scoti & Cai. dicentis se nullam videre rationem impossibilitatis, quare scilicet non possit Deus naturam absque omni personalitate conseruare: cum actu tamen essendi miraculosè. Cuius tamen opposita sententia non minus videtur esse probabilis; quia non minus ad naturam substantiæ singularem positam extra causas suas sequitur naturaliter ac necessariò complementum & terminus, qui est subsistentia, quam ad lineam in esse productam sequatur punctus vt eius terminus, & quàm ad corpus se-

E quatur figura, & ad fundamentum relatio posito termino, & ad hominem risibile: certum est autem contradictionem implicare lineam esse sine puncto, corpus sine figura, fundamentum sine relatione posito termino, & secundùm Caietanum subiectum esse sine propria passione; igitur etiam contradictio est esse naturam substantialem sine subsistentia. Probatur consequentia; quia non minus intima est subsistentia naturæ substantiali, quàm punctus lineæ, figura corpori, & passio propria suo subiecto; cum subsistentia ad genus substantialis naturæ pertineat, & sit eius proprium & vltimum complementum. Et confirmatur; quia sicut subsistere prout distin-

guitur contra inhærere, conuenit substantiæ ex hoc ipso, quod non est inhærens subiecto sicut accidens, ita subsistere prout distinguitur contra inexistere sicut pars in toto, conuenit substantiæ ex hoc ipso, quòd est quoddam totum & nullius est actu pars; igitur implicat contradictionem naturam aliquam substantialem, quæ nullius sit actu pars existere, & propria carere subsistentia.

Controversia Vnica.

An humana Christi natura habeat inclinationem seu appetitum naturalem ad propriam personalitatem?

Sententiæ Doctorum.

Vasq. *disp. 34.* opinionem sequitur affirmantem, quam innominatis quibusdam authoribus tribuit Cai. qui contrariam tuetur sententiam, quam sequuntur Med. *dub. 2.* & Aluar *disput. 27.* & videtur esse iam communis opinio.

Resolutio Naturalem appetitū dupliciter posse cōsiderari, scilicet secundū rationē actus primi, & secundū rationē actus secundi.

Svppositis septem illis differentijs, quas *in 1. p. q. 19. art. 1.* constituimus inter appetitum naturalem & animalem; quatenus hoc vocabulo comprehenditur etiam appetitus intellectiuus, *Notandum est primò*, naturalem appetitū dupliciter posse considerari: *Vno modo*, quatenus rationem seu modum habet actus primi: & hoc modo nihil aliud est quàm ipsa rei natura vel etiam potentia secundùm se considerata, & vt nondum actualiter tendens in assecutionem boni; sed quasi habitualiter tantùm & in actu primo in illud inclinata: *Alio modo* potest idem appetitus considerari per modum actus secundi, prout scilicet iam actu tendit in assecutionem proprij boni: & hoc modo non est idem omninò formaliter cum ipsa rei natura vel potentia; sed est illius quasi actus secundus & operatio. Verbi gratia, grauitas lapidis est appetitus & inclinatio quædam lapidis naturalis in locum deorsum; grauitare autem idem est appetitus per modum actus secundi: & quia locus sursum non est lapidi connaturalis; sed violenter in eo detinetur; ideò lapis sursum detentus per grauitatem veluti actualem appetitum, non solùm inclinatur per modum actus primi in locum deorsum, vt in bonum suum, sed etiam actu grauitando nititur vim prohibentis eius descensum euincere. E contra verò quamuis intellectus Deum videntis secundum se consideratus inclinetur appetitu naturali in omne verum; quia suapte natura tendit in verum naturaliter ab eo cognoscibile: hæc tamen inclinatio non inest ei, nisi per modum actus primi; quia diuina essentia clarè visa continet eminenter omne verū naturaliter ab intellectu cognoscibile; & ideò nullam habet intellectus Deum videns actualem inclinationm seu tendentiam in tale verum per modum actus secundi, satiato iam plenè intellectus appetitu naturali in vno perfectissimo visionis actu. Quemadmodum si materiæ Deus formam imprimeret, quæ formas omnes virtualiter contineret, nullam aliam in actu secundo aut quasi secundo formam appeteret, licet eandem semper materiæ naturam & singularum formarum capacitatem retineret; qua veluti in actu primo dici posset eas appetere & in eas inclinari. Sic autem rationabiliter distingui posse naturalem appetitum patet ex simili distinctione Vasq. *in allegata disp. 34. c. 2.* dicentis, potentiam naturalem hoc ipso, quòd caret suo actu & perfectione, ad ipsam comparari metaphoricè A per modum desiderij & appetitus; cum autem illam habet comparari ad eam per modum delectationis: constat autem desiderium & delectationem in propria significatione actus esse animalis appetitus elicitos: similiter itaque distingui poterunt in appetitu naturali modus actus primi & modus actus secundi, sicut in appetitu animali distinguuntur actus primus & actus secundus cum præsertim distinctio hæc ipsius appetitus naturæ congruat, vt ostendimus.

Secundò sciendum est, dupliciter aliquid eminenter in altero contineri: *Vno modo* completè & perfectè. Illud tantùm hoc modo continetur in B alio quod secundùm omnia ad eius esse pertinentia potest ab eo causari: quo modo res omnes à Deo creatæ & ab eo creari possibiles in Deo cōtinenter eminenter; quoniam ab eo solo qui est ipsum esse per essentiam, produci possunt, tàm spiritualia secūdùm simplicem eorum naturam, quam materialia quo ad eorum compositam naturam & partes eam intrinsecè componentes, scilicet materiam & formam: *Alio modo* continetur aliquid in altero eminenter sed incompletè & imperfectè: quo modo in rebus creatis ea, quæ sunt inferioris ordinis aut gradus, continentur in ijs quæ sunt altioris ordinis siuè gradus, prout explicauimus *in 1. p. q. 57. a. 1. & 2. & q. 55. a. 1.* Et hoc modo diximus *in allegata q. 57. a. 1.* in C rationali natura contineri vegetatiuam & sensitiuam respectu animæ rationalis.

Tertiò recolendum est, quod supra diximus, nimirum naturam esse principiū formale suæ propriæ subsistentiæ vel personalitatis. Quod etiam probat Aluar. *in alleg. disp. 27.*

Humanitatē vnitam Verbo habere inclinationē naturalem ad modū actus primi in propriā personalitatem, non autē ad modū actus secundi.

Quartò notandum est ex Cai. humanam Christi naturam dupliciter posse considerari: *Vno modo* secundùm se siuè præcisa diuina personalitate cui actu coniuncta est, & sub hac ratione naturalis illi conuenit appetitus propriæ personalitatis, non solùm ad modum actus primi sed etiam: ad modum actus secundi, quia scilicet illum haberet non solùm per modum actus primi, secūdùm quem non potest ab ea separari; sed etiam D per modum actus secundi, nisi præuenta fuisset à diuina personalitate. Et quoniam humanitas Christi in assumptione consideratur secundum se, & vt nondum vnita Verbo; quia id quod assumitur vt ait S. D. præintelligitur assumptioni; ideò in illo priori intelligitur, vt inclinata naturaliter vtroque modo in propriam personalitatem; ac proindè recta est illa locutio D. Th. *hic ad 3. Persona diuina sua vnione impediuit, ne humana natura propriam personalitatem haberet*; vt hic etiam aduertit Cai. quia scilicet per impedimentum in præterito denotatur inclinatio naturalis conueniens humanitati secundùm se: cui tamen ex tali impedimento nulla vis infertur, ita vt violenta sit assumptio actiuè aut passiuè E sumpta; quoniam actio assumendi non solùm est impeditiua propriæ personalitatis, sed etiam excellenter consummatiua naturalis appetitionis eiusdem propriæ personalitatis; cum præsertim passum, quod est humana Christi natura, vim conferat obedientiæ huic actioni, quæ nomine assumptionis significatur: *Alio modo* potest humana Christi natura considerari, prout actu vnita est hypostaticè diuinæ personæ: & ita naturalem quidem habet inclinationem ad modum actus primi; quoniam hæc est ordo transcendens, qui est ipsa humanitatis essentia, vt suo complemento & naturali termino coaptata seu per naturalem capacitatem proportionata,

nata, quæ coaptatio capacitas & proportio cùm ad quidditatem pertineat humanitatis, impossibile est vt per assumptionem ad diuinam personalitatem ab ea separetur: non tamen in ea remanet inclinatio per modum actus secundi ad propriam suam personalitatem, quod probat optimè Caiet. hoc argumento: Si potentia naturalis perficiatur per aliquid perfectius continens quidquid est in eo, ad quòd naturaliter inclinatur, non inclinatur amplius in illud: at potentia naturalis humanitatis ad terminari propria personalitate perficitur in Christo diuina personalitate, tanquam termino excellenter in se & in terminando continente quidquid habet creata personalitas; ergò appetitus naturalis humanitatis Christi assumptæ ad personalitatem diuinam per eam habitam satiatur & consummatè perficitur; ac proinde quiescit absque appetitu cuiuscunque alterius personalitatis. Maior probatur; Quia naturalis appetitus satiatur ex perfectiori continente illud, ad quod naturaliter tendebat; ergò. Probatur hoc antecedens; quia non minus est satiatus appetitus ex acquisitione illius perfectionis, quàm fuisset satiatus ex acquisitione illius imperfecti, ad quod naturaliter tendebat; at si acquisiuisset illud imperfectum, ad quod tendebat, iam fuisset expletus appetitus, nec amplius appeteret sed quiesceret in illo absque alterius appetitu; ergò si ponitur acquisiuisse illud, in quo continetur, quicquid in alio est, quiesceret in illo absque alterius appetitu. Minor verò principalis argumenti probatur; quia persona diuina est infinita & in essendo & in terminando.

Reſq resp. *Sed resp.* Vasq. negando maiorem; ad cuius probationem negat antecedens & ad eius probationem negat Maiorem; quòniam (inquit) appetitus naturalis solùm conuenit potentiæ naturali ad naturalem formam, quæ est naturalis eius perfectio; & ideò appetitui naturali potentiæ naturalis adæquatè respondet forma naturalis: ad supernaturalem autem formam nequit esse appetitus naturalis; quia neque potentia naturalis esse potest. Reddit autem rationem Vasq. negationis dictarum propositionum ex differentia inter appetitum elicitum & appetitum naturalem; quoniam appetitus elicitus sequitur cognitionem, quæ mutatur ex possessione rei perfectioris, & ideò mutatur etiam appetitus; at naturalis appetitus nullam sequitur cognitionem; ideò &c.

Confutatio *Sed hæc responsio* non diluit argumentum, cuius vis in hoc posita est, quòd appetitus naturalis oritur ex potentia, quatenus propria caret perfectione sibi debita, qua capacitas eius naturalis expleatur & satietur; igitur, si fuerit ea capacitas altioris ordinis perfectione plenè satiata, nullus erit amplius in ea potentia naturalis appetitus per modum actus secundi, licèt in ea remaneat per modum actus primi. Et hoc solùm infert ea differentia, quam ex communi Philosophorum doctrina Vasq. assignat inter appetitum elicitum & naturalem. Deinde si non solùm per modum actus primi sed etiam per modum actus secundi humanitas Christi inclinaretur in propriam personalitatem, sequeretur eam perpetuò sua naturali inclinatione frustrari, & violenter diuina personalitate subsistere. Probatur consequentia; quia violentum est id, cuius principium est extra passo non conferente vim, id est, resistente per naturalem inclinationem, vt patet in lapide sursum detento, qui grauitando semper resistit; & ideò violenter sursum detinetur: Si autem humanitas Christi naturalem haberet inclinationem ad modum actus secundi in propriam personalitatem, resisteret semper diuinæ personalitati, tanquam impedienti propriam & naturalem personalitatem; ergò violenter diuina personalitate subsisteret. Maior est Aristotel. Minor probatur; quoniam hoc ipso, quòd humanitas Verbi personalitate terminata inclinatur in propriam, resistit diuinæ personalitati tanquam impedienti, ne possit propria terminari: cùm non possit humanitas vtraque simul personalitate terminari. *Hoc argumentum* fatetur Vasquez necessario ac euidenter concludere aduersus eos, qui censent propriam personalitatem ab ipsa natura prouenire, tanquam à causa efficienti vel formali: secundùm autem opinionem eorum, qui dicunt naturam solam esse subiectum propriæ personalitatis & causam materialem illius, nihil omnino difficultatis habere; quia materiæ nulla vis inferri potest in eo, quod careat aliqua personalitate seu forma quamuis sibi naturali. Quam opinionem secutus Vasquez ad argumentum respondet negando sequelam. Ad cuius probationem negat minorem; ad cuius probationem negat assumptum, si loquatur de inclinatione per modum principij efficientis aut formalis; si verò sermo sit de inclinatione per modum causæ materialis, negat consequentiam; sed falsam esse opinionem illam cui nititur hæc responsio, patet ex ijs quæ supra diximus pro priori sententia asserente, naturam esse formale principium propriæ suæ personalitatis. Quam etiam optimo argumento confirmat Aluar. *in alleg. disp. 27.*

Cõclusiones, deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Humanitas vnita Verbo inclinationem habet naturalem ad modum actus primi in propriam personalitatem.* Hanc conclusionem probant argumenta Vasquezij; quibus impugnat sententiam Caietani, & probatur etiam à simili; quia voluntas beata, quamuis summi boni fruitione satietur, & nihil extra Deum actu desideret; eius tamen natura inclinatio quædam est in actu primo in omne bonum, tam in vniuersali, quàm in particulari, sibi concupiscendum secundùm rectæ rationis iudicium; igitur etiam appetitus humanitatis Christi, quo naturaliter appetit suam propriam personalitatem, licèt diuini Verbi personalitate perfectè satietur; atque ideò per modum actus secundi non inclinetur in propriam personalitatem; in eam tamen semper inclinatur ad modum actus primi; quoniam hic appetitus idem est, quòd ipsa humanitatis essentia, vt propria personalitate terminabilis modo dicto; quatenus scilicet ex se vim habet eam naturaliter producendi, quæ per hoc non tollitur, quod humanitas diuina personalitate terminatur, vt patet ex communi Theologorum sententia cum D. Thoma dicentium: Si Verbum assumptam dimitteret humanitatem, propriam naturali consequio statim personalitatem habituram: quod esse nullo modo posset, nisi prædicta naturalis inclinatio ad modum actus primi, & quasi radicaliter, etiam post assumptionem ad vnitatem diuinæ personalitatis in ea maneret.

SECVNDA CONCLVS. *Humanitas vnita Verbo non habet inclinationem per modum actus secundi in propriam personalitatem.* Hęc conclusio patet ex dictis.

CONTRA secundam conclusionem sunt argumenta quæ referunt & soluunt Caiet. Med. & Aluarez *loc. sup. not.* Contra eandem concl. argum. Vasquez. *Primò*: quia inclinatio & appetitus na-

Obi. 1. cõtr. 2. concl.

turalis non elicitus alicuius potentiæ ad suum actum per modum desiderij non est effectus aliquis elicitus, sed ipsamet potentia quatenus potest talem actum habere & non habet; sed humana natura, quantumuis consecuta fuerit altiorem actum nempe diuinam personalitatem, semper manet cum potentia natiua, vt habeat propriam; ergò interim dum illam non habet, etiamsi habeat aliam quantumuis perfectiorem, comparabitur cum ea per modum appetentis & desiderantis illam. *Sol.* *Resp.* maiorem esse veram de inclinatione per modum actus primi: falsam autem de inclinatione per modum actus secundi. Hæc enim, licèt non sit propriè actus elicitus, est tamen propriè actus secundus realiter distinctus à primo; sicut motus deorsum realiter distinguitur à grauitate: vnde admissa minori, non sequitur nisi naturam inclinari naturaliter in propriam personalitatem, per modum appetentis in actu primo.

Ob. 2. *Secundò* arguit; quia materia prima etiam adepta forma rationali, quæ est omnium perfectissima, adhuc habet inclinationem & appetitum naturalem ad alias formas, cùm tamen habeat formam omnium perfectissimam, quæ eminentiori quadam ratione cæteras in se continet; non quidem alia ratione, nisi quia potentiam habet vt illas habeat, & dum est sub anima rationali, eis priuata est; ergo eadem ratione humanitas dum est in personalitate Verbi, habet appetitum, licèt diuina quam habet, sit perfectior; quia priuata est propria: *Sol.* *Resp.* falsam esse partem illam antecedentis, quæ dicit animam rationalem eminentiori quadam ratione cæteras in se formas continere; si de continentia completa sermo sit, vt patet ex notatis in secundo fundamento; si verò de continentia loquatur incompleta, negatur consequentia; quia diuina personalitas non incompletè sed completè continet gradum & perfectionem omnem creatæ personalitatis. Alio modo diluit Aluar. hoc argum. sed non videtur eius solutio plenè satisfacere.

ARTICVLVS III.

Vtrum persona diuina assumpserit hominem.

3. d 6. q. 1. a 2. & d. 7. li 2. & opusc. 3. c. 21. & opusc. 3. c. 215. & Rom. 1. lect. 3 co 5. fin. Et Phil. 2. col. 4. fin. Cap. 11. 10. 3.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd persona diuina assumpserit hominem. Dicitur enim in Psal. Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, quod gloss. exponit de Christo, Et August. dicit in lib. de agone Christiano, quòd filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana perpessus est.

Præterea, Hoc nomen Homo significat naturam humanam. Sed filius Dei assumpsit humanam naturam. Ergo assumpsit homimem.

Præterea, Filius Dei est homo. Sed non est homo, quem non assumpsit: quia sic esset pari ratione Petrus, vel quilibet alius homo. Ergo est homo, quem assumpsit.

Refertur in Calced. act. 1.

Sed contra est authoritas Felicis Papæ, & Martyris, quæ introducitur in Ephesyna Synodo. Credimus in Dominum nostrum Iesum Christum de Virgine Maria natum: quia ipse est Dei sempiternus filius, & Verbum: & non homo à Deo assumptus, vt alter sit præter ipsum.

Art. præc. Respondeo dicendum, quòd, sicut supra dictum est, illud quod assumitur, non est terminus Assumptionis, sed assumptioni præintelligitur. *qu. 3 a. 1. & 2.* Dictum est autem, quòd individuum, in quo assumitur humana natura, non est aliud, quàm diuina persona, quæ est terminus Assumptionis. *Lib. 3. c. a. 4 & 11.* Hoc autem nomen homo significat humanam naturam, prout nata est in supposito esse: quia, vt dicit Damascenus sicut hoc nomen Deus significat eum, qui habet diuinam naturam: ita hoc nomen homo significat eum, qui habet naturam humanam. Et ideò non est propriè dictum, quòd filius Dei assumpsit hominem, supponendo (sicut rei veritas se habet) quòd in Christo sit tantùm vnum suppositum, & vna hypostasis. Sed secundùm illos, qui ponunt in Christo duas hypostases, vel duo supposita, conuenienter, & propriè dici posset, quòd filius Dei hominem assumpsisset. Vnde & prima opinio, quæ ponitur in 6. dist. 3. libr. Sententiarum, concedit hominem esse assumptum: sed illa opinio erronea est, vt supra dictum est. *D. 706. Dist. 6. q. 2. a. 6.*

Ad primum ergò dicendum, quòd huiusmodi locutiones non sunt extendendæ, tanquam propriæ: sed piè sunt exponendæ, vbicunque à sacris Doctoribus ponuntur: vt dicamus hominem assumptum, quia eius natura est assumpta, & quia assumptio terminata est ad hoc, vt filius Dei sit homo.

Ad secundum dicendum, quòd hoc nomen homo significat naturam humanam in concreto, prout scilicet est in aliquo supposito: & ideò, sicut non possumus dicere, quòd suppositum sit assumptum, ita non possumus dicere, quòd homo sit assumptus.

Ad tertium dicendum, quòd filius Dei non est homo, quem assumpsit, sed cuius naturam assumpsit.

Sensus quæsiti.

QVAESTIO hic non est de hac propositione formaliter: *Persona diuina assumpsit hominem*, in qua homo est prædicatum, sed est quæstio de re significata nomine hominis:: *An scilicet assumpta fuerit à Verbo Dei?* vt Caiet. aduertit *circa resp. ad 2.* Cuius rationem affert; quia sub hoc quæsito cadit etiam illud: *An homo sit assumptus à filio Dei?* Vbi homo ponitur à parte subiecti: est igitur quæstio de re, & non de sola illa propositione. Nec tamen coincidit hæc difficultas cum ea, quæ definita est *articulo præcedenti*; sed est longè diuersa; quoniam ibi quæsiuit de persona formaliter & præcisè, sicut in articulo primo quæsierat de natura præcisè, & abstractè sumpta: hic autem quærit de natura humana concretè sumpta, prout significatur hoc nomine *homo*: quo nec sola natura nec sola personalitas; sed natura vt in habente vel suppositum vt habens naturam significatur. Posset etiam dici, quæstionem hic esse de modo loquendi, in re per hoc nomen, *homo*, significata fundamentum habente: non est igitur hæc quæstio de vocibus, vt arbitratur Vasquez *disp. 35. in princip.* sed de re, vel de modo loquendi in ipsa re fundamentum habente.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. *Non est propriè dictum quòd filius Dei assumpsit hominem, supponendo (sicut rei veritas habet) quòd in Christo sit tantum vnum suppositum & vna hypostasis.* Probatur: Illud quod assumitur non est terminus assumptionis, sed assumptioni præintelligitur: at homo est terminus assumptionis & non præintelligitur assumptioni; ergò. Maior patet. Minor probatur; Quia hoc nomen homo significat humanam naturam, prout nata est in supposito esse; sed indiuiduum seu suppositum, in quo assumitur & est humana natura, non est aliud quàm persona diuina, quæ est terminus assumptionis; ergo homo est terminus assumptionis & non præintelligitur assumptioni, s. vt terminus à quo.

SECVNDA CONCLVS. *Secundùm illos, qui ponunt in Christo duas hypostases, conuenienter & propriè dici posset, quòd filius Dei hominem assumpsisset.* Probatur: quia prima opinio, quæ ponitur *in 3. sent. dist. 6.* concedit hominem esse assumptum: illa autem opinio ponebat in Christo duas hypo-

sta-

staſes; quæ tamen eſt erronea, vt ſupra probatum eſt *q.2.a.6.*

Expoſitio Textus.

SS. Patres, qui Deum aut Verbum aſſumpſiſſe hominem pronunciarunt recenſent Medina, Suar. & Vaſq. *ſuper hoc a.* Cui dicto quatuor expoſitiones adhibet Medina; quæ tamen omnes huic propoſitioni, prout ab vnoquoque patrum inuenitur expreſſa, minimè congruunt, ſed vna vel plures iuxta ſubiectam materiam & propoſitum eius, à quo profertur.

Vaſquez hic vberem ac eruditam de veritate concluſionis diſputationem inſtituit: cauenda tamen in eo eſt interpretatio eorum verborum Felicis Papæ, quæ ex Synodo Epheſina refert S. D. in argumento, *ſed contra*, illis enim ſenſum ei contrarium tribuit, quem S. D. intendit, ſed legitimam eorum expoſitionem affert Suar. *in Comment.*

Vide præterea, quæ ſcribunt Cai. & Suar. circa reſponſiones ad argumenta.

ARTICVLVS IV.

Vtrum filius Dei debuerit aſſumere humanam naturam abſtractam ab omnibus indiuiduis.

Sup.q.2 ar. 2.ad 3.& 5. ad 2.& q. 4.a.2.ad 1. & 3.c. Et 3. d.5.q.3 a.3 ad 1.& d.6. q.1 a.1. q 3. ad 5.

AD quartũ ſic proceditur. Videtur, quòd filius Dei debuerit aſſumere humanam naturam abſtractam ab omnibus indiuiduis. Aſſumptio enim humanæ naturæ facta eſt ad communem omnium hominum ſalutem: vnde dicitur 1. ad Timoth. 4. de Chriſto, quòd eſt Saluator omnium hominum, maximè fidelium. Sed natura, prout eſt in indiuiduis, recedit à ſua communitate. Ergo filius Dei debuit humanam naturam aſſumere, prout eſt ab omnibus indiuiduis abſtracta.

Præterea, In omnibus id, quod eſt nobiliſſimum, eſt Deo attribuendum. Sed in vnoquoq; genere illud, quod eſt per ſe, potiſſimum eſt. Ergò filius Dei debuit aſſumere hominem per ſe. Qui quidem ſecundùm Platonicos eſt humana natura ab indiuiduis ſeparata. Hanc igitur debuit filius Dei aſſumere.

Vt patet ex Arist. 1. Met. tex. 6. & 25. ari. præc.

Præterea, Humana natura non eſt aſſumpta à filio Dei, prout ſignificatur in concreto per hoc nomen homo, vt dictum eſt. Sic autem ſignificatur, prout eſt in ſingularibus, vt ex dictis patet. Ergo filius Dei aſſumpſit naturam humanam, prout eſt ab indiuiduis ſeparata.

Sed contra eſt, quòd dicit Damaſc. in 3. lib. cap. 11. Deus Verbum Incarnatum non eam, quæ nuda contemplatione conſideratur, naturam aſſumpſit: non enim incarnatio hoc, ſed deceptio & fictio Incarnationis eſſet. Sed humana natura prout eſt ab indiuiduis ſeparata, vel abſtracta, in nuda contemplatione cogitatur: quia ſecundùm ſeipſam non ſubſiſtit, vt ibidem Damaſc. dicit. Ergo filius Dei non aſſumpſit humanam naturam, ſecundum quod eſt à ſingularibus ſeparata.

Reſpondeo dicendum, quòd natura hominis, vel cuiuſcunque alterius rei ſenſibilis, præter eſſe, quod in ſingularibus habet, dupliciter poteſt intelligi. Vno modo, quaſi per ſeipſam eſſe habeat, ſicut Platonici poſuerunt. Alio modo, ſicut in intellectu exiſtens, vel humano, vel diuino. Per ſe quidem ſubſiſtere non poteſt: vt Philoſophus probat in ſeptimo Metaphyſ. quia ad naturam ſpeciei rerum ſenſibilium pertinet materia ſenſibilis, quæ ponitur in eius diffinitione: ſicut carnes & oſſa in diffinitione hominis. Vnde non poteſt eſſe, quòd natura humana ſit præter materiam ſenſibilem.

Ter. 26. & 27.

Si tamen eſſet hoc modo ſubſiſtens natura humana, non fuiſſet conueniens, vt à Verbo Dei aſſumeretur.

Primò quidem, quia aſſumptio iſta terminatur ad perſonam: hoc autem eſt contra rationem formæ communis, vt ſit in perſona: quia in perſona indiuiduatur. Secundò: quia naturæ communi non poſſunt attribui, niſi operationes communes, & vniuerſales: ſecundum quas homo non meretur, nec demeretur. Cum tamen illa aſſumptio ad hoc facta ſit, vt filius Dei natura aſſumpta nobis mereretur. Tertiò: quia natura ſic exiſtens non eſt ſenſibilis, ſed intelligibilis. Filius autem Dei aſſumpſit humanam naturam, vt hominibus in ea viſibilis appareret, ſecundum illud Baruch 3. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Similiter etiam non potuit aſſumi humana natura à filio Dei, ſecundùm quòd eſt in intellectu diuino: quia ſic nihil aliud eſt, quàm natura diuina: & per hunc modum ab æterno eſſet in filio Dei humana natura. Similiter non conuenit dicere, quòd filius Dei aſſumpſit humanam naturam, prout eſt in intellectu humano: quia hoc nihil aliud eſſet, quàm quòd intelligeretur aſſumere naturam humanam. Et ſic, ſi non aſſumeret eam in rerum natura, eſſet intellectus falſus. Nec eſſet aliud iſta natura humanæ aſſumptio, quàm fictio quædam Incarnationis: vt Damaſ. dicit.

Ad primum ergò dicendum, quòd filius Dei Incarnatus eſt communis omnium Saluator, non communitate generis, vel ſpeciei, quæ attribuitur naturæ ab indiuiduis ſeparatæ: ſed communitate cauſæ, prout filius Dei Incarnatus, eſt vniuerſalis cauſa ſalutis humanæ. Lib. 3. c. 11.

Ad ſecundum dicendum, quòd per ſe homo, non inuenitur in rerum natura: ita quòd ſit præter ſingularia, vt Platonici poſuerunt, quamuis quidam dicant, quòd Plato non intellexit hominem ſeparatum eſſe, niſi in intellectu diuino. Et ſic non oportuit, quòd aſſumeretur à Verbo, cùm ab æterno ſibi aſſuerit. Apud Arist. li 1. Metap. tex 6. & 25

Ad tertium dicendum, quòd quamuis natura humana non ſit aſſumpta in concreto, vt ſuppoſitum præintelligatur Aſſumptioni: ſic tamen aſſumpta eſt in indiuiduo, quia aſſumpta eſt, vt ſit in indiuiduo.

Senſus quæſiti.

DVo ſunt in hoc quæſito termini præcipui, quorum alterum explicat S. D. *in c.* ſcilicet nomen illud *abſtractam*; alterum explicat Caietanus ſcilicet verbum illud *debuerit* dicens eo denotari debitum congruentiæ, quem ſenſum, ait expreſſiſſe S. Tho. in introductione quæſtionis: Vbi diuidendo articulos hunc ita proponit: *Vtrum fuiſſet conueniens, &* &c. *at* Suar. ait D. Th. voluiſſe docere modum Incarnationis in titulo propoſitum, & ſecundùm ſe fuiſſe impoſſibilem, & ad finem Incarnationis, qui eſt redemptio noſtra, eſſe ineptum & diſconuenientem; & ideò titulum articuli ſub illis verbis propoſuiſſe; *ſed melius* dicendum videtur, hic primariò quæri cõuenientiam vt patet ex ſecunda & vltima concluſione. Secundariò verò poſſibilitatem, aut impoſſibilitatem: ex hac enim ſcilicet impoſſibilitate ſequuntur euidenter inconuenientia, vt etiam Caietanus aduertit & patet ex prima probatione ſecundæ concluſionis: & ideò S. D. primam concluſionem de impoſſibilitate propoſuit; quia conueniens eſſe non poteſt, quod Deo poſſibile nõ eſt: quod etiã videtur inſinuaſſe Cai. *in ſol. ſuæ 1. dubitationis:* & quamuis duæ poſtremæ probationes ſecundæ concluſionis inconuenientiam probent in ordine ad finem Incarnationis. Prima tamen eiuſdem concluſionis probatio, & vltima concluſio cum ſua probatione manifeſtè loquitur de conuenientia abſolutè, & non ſolùm in ordine ad talem finem. Suar interpretatione ejicitur.

For-

Formæ Textus.

PRAEMISSA distinctione respondetur quæsito quatuor conclusionibus.

Distinctio est: Natura hominis vel cuiuscunque rei sensibilis præter esse, quod in singularibus habet, dupliciter potest intelligi: Vno modo, quasi per se ipsam esse habeat; sicut Platonici posuerunt: Alio modo sicut in intellectu existens vel humano vel diuino.

PRIMA CONCL. *Natura humana primo modo abstracta, id est per se ipsam habens esse, non potuit assumi à filio Dei.* Probatur; quia natura humana per se subsistere non potest, vt Philosophus probat *in 7. Metaph. text. 26. & 27.* ergò. Antecedens probatur; quia ad naturam speciei rerum sensibilium pertinet materia sensibilis, quæ ponitur in eius diffinitione, sicut carnes & ossa in diffinitione hominis; ergo non potest humana natura per se subsistere præter materiam sensibilem.

SECVNDA CONCLVS. *Si natura humana esset hoc modo subsistens, non fuisset conueniens, vt à Verbo Dei assumeretur.* Probatur tripliciter. *Primò*: quia assumptio hæc terminatur ad personam; ergò natura humana sic subsistens non posset assumi. Probatur consequentia: quia contra rationem formæ communis est vt sit in persona; ergò. Probatur hoc assumptum: quia forma communis in persona indiuiduatur. *Secundò* probatur conclusio; quia naturæ communi non possunt attribui, nisi operationes communes & vniuersales, secundùm quas homo non meretur, nec demeretur; ergò non fuisset conueniens, vt à Verbo Dei assumeretur. Probatur illatio: quia assumptio ad hoc facta est, vt filius Dei in natura assumpta nobis mereretur. *Tertiò* probatur: quia filius Dei assumpsit humanam naturam vt hominibus in ea visibilis appareret: at natura sic existens non est sensibilis sed intelligibilis; ergò. Maior probatur authoritate Scripturæ *Baruch 3.* de Verbo Incarnato dicentis: *Posthæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

TERTIA CONCL. *Non potuit assumi humana natura à filio Dei, secundum quod est in intellectu diuino.* Probatur; quia per hunc modum humana natura esset ab æterno in filio Dei; ergò. probatur sequela antecedentis; quia natura humana prout est in intellectu diuino, nihil aliud est quàm natura diuina.

VLTIMA CONCL. *Non conuenit dicere, quòd Filius Dei assumpserit humanam naturam, prout est in intellectu humano.* probatur; quia hoc nihil aliud esset, quàm quòd Filius Dei intelligeretur assumere naturam humanam; ergò non conuenit dicere, &c. probatur consequentia; quia si non assumeret eam in rerum natura, esset intellectus falsus; nec esset aliud ista naturæ humanæ assumptio, quàm fictio quædam Incarnationis, vt Damascenus dicit *lib. 3. c. 11.*

Expositio Textus.

VIDENDA sunt, quæ subtiliter ac eruditè scribit Caiet. circa singulas ferè propositas conclusiones, & earum probationes, earum sensus aperiens & efficacitatem ostendens. Et quia Med. & Suar. expositionem Caietani reprehendunt circa propositionem illam: *Contra rationem formæ communis est, vt sit in persona:* ideò de eius intelligentia specialem proponemus Controuersiam.

CONTROVERSIA VNICA.

De sensu illius propositionis. Contra rationem formæ communis est, vt sit in persona.

CAIET. tria dicit. *Primum* est rationem D. Tho. in qua assumitur illa propositio, non afferri ad monstrandum impossibilitatem assumptionis sed incongruentiam. *Secundum* est hunc esse dictæ propositionis sensum, videlicet: Contra rationem naturæ communis est, vt sit in persona humana: tali scilicet quales sunt personæ humanæ quas cognoscimus. Cuius dicti rationem affert ex D. Tho. quia contra rationem humanitatis sic subsistentis est indiuiduari eo modo, quo apud nos natura indiuiduatur. *Tertium* est: Si humanitas esset separata, sequeretur vtrumque contradictorium: nam primò sequeretur eam non esse personam; quia ponitur esse tantùm humanitas, in quo differret à naturis Angelicis, quæ non sunt tantùm ipsæ, sed sunt habentes naturas suas. Deinde sequeretur eam habere personam; quia per se separatim subsisteret naturaliter: nec mirum (inquit) est vtrumque sequi contradictorium; quia antecedens implicat incompossibilia. *Sententia Doctorum.*

Medina duo dicit. *Primum* est, sententiam Caietani non esse consonam rationi D. Thom. quia S. Thom. loquitur de natura communi, quam ponebant Platonici ab omni conditione materiæ segregatam, & quæ iuxta sententiam Arist. *in 7. Metaph. tex. 28. 31. & 45.* non solùm erat vniuersalis & communis in ratione exemplaris; sed etiam in essendo, & de hac (inquit) optimè procedit ratio D. Thom. videlicet quòd naturæ communi ascribendæ sunt operationes communes in quibus non reperitur ratio meriti, &c. *Secundum* est: Etiamsi natura Angelica sit magis abstracta & immaterialior quàm humanitas; nihilominus assumi potuisse naturam Angelicam singularem, eo quod est determinabilis per personalitatem; non autem humanitas abstracta ab omnibus conditionibus singularibus.

Suarez *in Commentario* tria dicit. *Primum* est, Caietanum dicere contraria. *Secundum* est D. Thomam in hac parte articuli voluisse ostendere impossibilem esse assumptionem talis naturæ abstractæ, non solùm quia impossibile est naturam illam sic existere, sed etiam quia haberet specialem repugnantiam cum assumptione; quia natura in communi, etiamsi fingatur existere, solùm posset esse subsistens subsistentia in communi & non certa & determinata personalitate; quia in persona indiuidua non potest esse, nisi natura indiuidua: assumptio autè determinata est ad certam & determinatam personam. *Secundum* est facta ea hypotesi, sequi contradictionem, scilicet naturam illam fore vniuersalem non tantùm in causando, sed etiam in essendo & prædicando, & fore indiuiduam; quia esset existens: & ex priori membro sequi illam naturam vt sic non esse assumptibilem nec personabilem nec principium operationum particularium &c. *Tertium* Angelicam naturam re vera non existere separatam, seu abstractam à singularibus; sed esse quandam indiuiduam & singularem naturam, non minus quàm hæc humanitas.

BREVITER absoluenda est hæc Controuersia, quoniam expositores illi, cùm in rei veritate sententiam approbent Caiet. in eo solùm videntur ab eo dissentire, quòd cùm eius dicta minimè per- *Resolutio. Explicatur sensus dictæ propositionis & instit.*

perceperint, ea perperam interpretantur. Vt igitur eniteat perspicua veritas & appareat sensus dictorum Cai. & concilienter opiniones, quę videntur esse discordes. *Notandum est primò* ex D. Th. & Cai. *1.p.q.13.a.9. & de ente, & essentia, cap. 5.* naturam aliquam dupliciter esse communicabilem: *Vno modo* secundùm rem: huius autem communicabilitatis fundamentum est inuentio illius naturæ in multis in actu simultaneo, vt videre est in humana natura, aut actu successiuo vt dicitur de Fœnice, aut in potentia tantum vt domus mille angulorum, quæ fortasse nunquam ædificabitur: Alio modo aliquid est communicabile secundùm rationem tantùm: hæc verò communicabilitas fundamentũ habet in modo intelligendi nostri intellectus; quia nimirum intellectus noster res immateriales intelligit ad modum rerum materialium abstrahendo eas ab omni singularitate: Gabrielem enim intelligit, non vt est hoc suppositum singulare, sed vt natura quædam est specifica abstrahens ab hic & nunc & ab omni singularitate: ac proinde, quatenus secundùm rationem communis est & vniuersalis, & de multis eiusdem rationis indiuiduis prædicabilis, vt locis notatis explicat optimè Caiet. *Differunt autem* hę duæ communicabilitates seu communitates: *primò* quòd prima est communicabilitas siue communitas simpliciter & absolutè dicta: secunda verò non est communicabilitas siue communitas nisi secundùm quid; quia nullum habet in re fundamentum sicut prima; sed in solo fundatur intellectus humani modo intelligendi. *Secundò differunt*; quia si natura primo modo communicabilis subsisteret, esset sola natura; & ideò propriè esset abstracta subsistens ad modum naturæ communis & vniuersalis; quoniam ex sui natura communicabilis est pluribus: natura verò secũdo tantùm modo communicabilis, puta natura Gabrielis est naturaliter abstracta subsistens; quoniam vt ait S. D. *in secundo contra gent. cap. 93.* substantiæ separatæ sunt quædam quidditates subsistentes: sed non est abstracta subsistens; per modum naturæ communis; quia cum ex se sit hæc, repugnat ex sui natura communicabilitati, sed est abstracta per modum naturæ illimitatæ ac infinitæ secundùm quid, omnem specificæ suæ perfectionis gradum & modum possibilem in se comprehendens; & consequenter vt modum habens indiuisæ ac minimè participatæ naturæ. Ex hac sequitur *tertia differentia*, quòd natura primo modo communicabilis non subsisteret in persona suæ quidditati conformi, quæ scilicet esset eiusdem rationis cum ijs, in quibus nũc actu multiplicata subsistit: natura verò secundo modo communicabilis subsistit in persona suæ quidditati conformi, quæ scilicet apta nata est spirituali naturę cõuenire. *Quarta differentia* est, quòd impossibile est naturam primo modo communicabilem per se subsistere, quia duo sequerentur opposita, nimirum eam esse communem; quia ponitur in sua sola specifica ratione subsistens, & eam non esse communem, sed in persona determinata (quamuis alterius rationis esset ea personalitas ab ijs, quæ naturam humanam modo terminant) subsistentem: Natura verò secundo modo communicabilis omninò singularis est, & in propria ac sibi connaturali persona subsistit. *Vltima differentia* est, quòd natura primo modo abstracta esset talis per essentiam propriè ac strictè loquendo: humanitas enim subsistens esset humanitas per essentiam, & albedo subsistens esset albedo per essentiam, & nihil habet adiunctum quod non esset realiter ipsa natura: natura verò secundo modo abstracta, vt natura Gabrielis propriè & absolutè loquendo non est talis per essentiam, quia multa sunt illi coniuncta, quæ non sunt idem realiter, quod ipsa natura, vt potentiæ habitus operationes personalitas & existentia; est tamen quodammodo talis per essentiam; prout scilicet esse tale per essentiam distinguitur contra esse tale limitatè & participatiuè. Videnda sunt quæ diximus *in 1.p. q.4. in Dubit. de esse subsistenti.* Et *q.44.a.1. Contr. vnica, §. Tertiò, vt eluceat.* Et *q.50.a.1. in secunda Controuers.* Vbi mentem nostram clarius explicauimus.

Ex his patet primò veritas singulorum dictorum Caiet. Nam primariò quidem intendit probare S.D. assumptionis incongruentiam: sed secundariò & in ordine ad hanc probat etiam inconuenientiam. Deinde patet etiam humanitatem sic subsistentem aliquam rationem habituram suppositi vel personæ, licèt alterius rationis esset illa personalitas ab ea, quam nunc habet humanitas in indiuiduis, nec esset realiter ab ea humanitate distincta; quoniam, vt diximus, humanitas sic abstracta esset tantùm humanitas, & nihil extraneum haberet adiunctum. Præterea patet ex abstractione dictæ naturæ duo sequi contradictoria: sequeretur enim eam esse in persona indiuidua; quia esset realiter subsistens; & sequeretur eam non esse in persona indiuidua; sed tantum vniuersali; quia natura esset vniuersalis, cui vt sic repugnat esse in persona particulari.

Secundò patet dicta Med. & Suar. in rei veritate non esse dictis Caiet. contraria, vt ex singulorum collatione facilè posset ostendi.

Tertiò patet sensus illius propositionis D. Tho. *Contra rationem formæ communis est, vt sit in persona*: intelligenda est enim de esse in persona indiuidua & determinata: hoc enim repugnat formæ communi vt communis est; quia forma communis ex eo, quod in persona est, indiuiduatur, & desinit esse communis.

Postremò patet solutio argumentorum quæ ex dictis Med. & Suar. formari & produci possent contra Cai.

Articvlvs V.

Vtrum filius Dei naturam humanam assumere debuerit in omnibus indiuiduis.

Sup. q.2. ar. 5. ad 1. & 3. d.2.q.1.a.2. q.1.

AD quintum sic proceditur. *Videtur, quòd filius Dei humanam naturam assumere debuerit in omnibus indiuiduis. Illud enim, quod prius, & per se assumptum est: est natura humana. Sed quod conuenit per se alicui naturæ, conuenit omnibus in eadem natura existentibus: ergo conueniens fuit: vt natura humana assumeretur à Dei Verbo in omnibus suis suppositis.*

Præterea, Incarnatio diuina processit ex diuina charitate, vnde dicitur Ioann. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Sed charitas facit, vt aliquis se communicet amicis, quantum est possibile. Possibile autem fuit Filio Dei, vt plures naturas hominum assumeret (vt supra dictum est) & eadem ratione omnes. Ergo conueniens fuit, quòd Filius Dei assumeret naturam humanam in omnibus suis suppositis. q.3.a.7.

Præterea, Sapiens operator perficit opus suum breuiori via, qua potest. Sed breuior via fuisset, si omnes homines assumpti fuissent ad naturalem filiationem, quàm quòd per vnum filium naturalem multi in adoptionem filiorum adducantur: vt dicitur Gal. 4. Ergo hu-

go humana natura debuit à Filio Dei assumi in omnibus suppositis.

Sed contra est, quòd Damasc. dicit in 3. lib. c. 11. quòd Filius Dei non assumpsit humanam naturam, quæ in specie consideratur: neq; enim omnes hypostases eius assumpsit.

Respondeo dicendum, quòd non fuit conueniens, quòd humana natura in omnibus suis suppositis à Verbo assumeretur. Primò, quia tolleretur multitudo suppositorum humanæ naturæ, quæ est ei connaturalis. Cùm enim in natura assumpta non sit considerare aliud suppositum præter personam assumentem (vt supra dictum art. 3. huius q. *est) si non esset humana natura, nisi assumpta, sequeretur, quòd non esset, nisi vnum suppositum humanæ naturæ, quod est persona assumens. Secundò, quia hoc derogaret dignitati Filij Dei Incarnati, prout est primogenitus in multis fratribus secundùm humanam naturam, sicut est primogenitus omnis creaturæ secundùm diuinã: essent enim tũc oẽs homines æqualis dignitatis. Tertiò, quia conueniens est, quòd sicut vnum suppositum diuinum est Incarnatum: ita vnam solam naturam humanam assumpserit, vt ex vtraq; parte vnitas inueniatur.*

Ad primum ergò dicendum, quòd assumi conuenit secundùm se humanæ naturæ: quia scilicet non conuenit ei ratione personæ, sicut naturæ diuinæ conuenit assumere ratione personæ. Non autem conuenit ei secundùm se, sicut pertinens ad principia essentialia eius, vel sicut naturalis eius proprietas: per quem modum conueniret omnibus eius suppositis.

Ad secundum dicendum, quòd dilectio Dei ad homines, manifestatur non solùm in ipsa assumptione humanæ naturæ, sed præcipuè per ea, quæ passus est in humana natura pro alijs hominibus: secundùm illud Roman. 5. Commendat autem Deus suam charitatem in nobis: quia cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est: quòd locum non haberet, si in omnibus hominibus naturam humanam assumpsisset.

Ad tertium dicendum, quòd ad breuitatem viæ, quam sapiens operator obseruat, pertinet, quòd non faciat per multa, quod sufficienter potest fieri per vnum. Et ideò conuenientissimum fuit, quòd per vnum hominem omnes alij saluarentur.

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat optimè Caietanus & declaratur etiam à D. Thom. *in corpore* per ea verba: *si non esset humana natura, nisi assumpta.*

Forma Textus.

CONCL. est: *Non fuit conueniens, quòd humana natura in omnibus suis suppositis à Verbo assumeretur.* Probatur tripliciter. *primò*; quia tolleretur multitudo suppositorum humanæ naturæ, quæ est ei connaturalis; ergo. PROBATUR antecedens cum inclusa cosequentia; Quia in natura assumpta non est considerare aliud suppositum præter personam assumentem; ergò si non esset humana natura nisi assũpta, siue assumeretur in omnib. in diuiduis, sequeretur quod non esset, nisi vnum suppositum humanæ naturæ, quòd est persona assumens. *Secundò* probatur concl. quia hoc derogaret dignitati Filij incarnati; ergò. Probatur antecedẽs; quia tunc omnes homines essent æqualis dignitatis; ergò. Probatur hoc assumptum; quia tunc Filius Dei non esset primogenitus in multis fratribus secundùm humanam naturam, sicut est primogenitus omnis creaturæ secundùm diuinam. *Tertiò* probatur concluſ. quia conueniens A est vt sicut vnum suppositum diuinum est incarnatum, ita vnam solam humanam naturam assumpserit; ergò. Antecedens probatur; quoniam ex vtraque parte debuit vnitas inueniri.

Expositio Textus.

MEDINA vltimam probationem in duas diuidit. Aluarez prædictis tribus probationibus quartam adiungit ex responsione ad quartum. Quibus addi posset, quinta ex authoritate Damasc. in argumento *sed contra.* Vide præterea, quæ circa veritatem concl. breuiter aduertit Med. & quę circa partem illam concluſ. *in omnibus suis suppositis* notat Vasq. sumit enim hic S.D. B suppositа pro naturis singularibus, vt patet ex illis verbis; *si non esset humana natura, nisi assumpta:* videtur autem S.D. eo modo locutus; quia nunc de facto singulares omnes naturæ sunt in suppositis; vel dicas, hic sumi suppositа pro subiectis prædicationis. Vide etiam ea, quæ scribit Caiet. circa responsiones ad argumenta.

ARTICVLVS VI.

Vtrum conueniens fuerit, quòd Filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adæ.

C AD *sextum sic proceditur. Videtur, quòd non fuerit conueniens vt Filius Dei naturam humanam assumeret ex stirpe Adæ. Dicit enim Apost. ad Heb. 7. Talis decebat, vt esset nobis Pontifex segregatus à peccatoribus. Sed magis esset à peccatoribus segregatus, si non assumpsisset naturam humanam ex stirpe Adæ peccatoris. Ergo videtur, quòd non debuerit de stirpe Adæ naturam humanam assumere.* Inf. q. 31. a. 1 & 3. d. 2. q. 1. a. 2. q. 2. & opus. 3. c. 224.

Præterea, in quolibet genere principium nobilius est eo, quod est à principio. Si igitur assumere voluit humanam naturam. Magis debuit eam assumere in ipso Adam.

Præterea, Gentiles fuerunt magis peccatores, quàm Gl. interl. *Iudæi: vt dicit gl. ad Gal. 2. super illud, Nos natura Iu-* D *dæi, & non ex Gentibus peccatores. Si ergo ex peccatoribus naturam humanam assumere voluit, debuit eam magis assumere ex gentibus, quàm ex stirpe Abrahæ, qui fuit iustus.*

Sed contra est, quòd Luc. 3. generatio Domini reducitur vsque ad Adam.

Respondeo dicendum, quòd sicut Aug. dicit in 13. de Trin. c. 18. to. 3. poterat Deus hominem aliunde suscipere, non de genere istius Adæ, qui suo peccato obligauit genus humanum: sed melius iudicauit de ipso, quod victum fuerat, genere assumere hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum.

Et hoc propter tria. Primò quidem, quia hoc videtur ad iustitiam pertinere, vt ille satisfaciat, qui peccauit. Et ideò de natura per peccatum corrupta debuit assumi id, per quod satisfactio erat implenda pro tota natura. Secundò, quia hoc etiam pertinet ad maiorem hominis dignitatem. dum ex illo genere victor diaboli nascatur, quod per diabolũ fuerat victum. Tertiò, quia per hoc etiam Dei potentia magis ostenditur, dum de natura corrupta, & infirma assumpsit id, quod in tantam virtutem, & dignitatem est promotum.

Ad primum ergo dicendum, quòd Christus debuit esse à peccatoribus segregatus quantum ad culpam, quam venerat destruere: non quantùm ad naturam, quam venerat saluare: secundùm quam debuit per omnia fratribus assimilari, vt idem Apost. dicit ad Heb. 2. Et in hoc etiam mirabilior est eius innocentia, quòd de massa peccato subiecta, natura assumpta tantam habuit puritatem.

Ad se-

Ad secundum dicendum, quòd (sicut dictum est) oportuit eum, qui peccat a venerat tollere, esse à peccatoribus segregatum, quantum ad culpam, cui Adam subiacuit, & quem Christus à suo delicto eduxit: vt dicitur Sap. 10. Oportebat autem eum, qui mundare omnes venerat, non esse mundandum, sicut, & in quolibet genere motus primum mouens est immobile secundum illum motum: sicut primum alterans est inalterabile. Et ideò non fuit conueniens, vt assumeret humanam naturam in ipso Adam.

Ad tertium dicendum, quòd quia Christus maximè debebat esse à peccatoribus segregatus; quantùm ad culpam quasi summam innocentiæ obtinens, cõueniens fuit, vt à primo peccatore vsq; ad Christum perueniretur, mediantibus quibusdam iustis, in quibus præfulgerent quædam insignia futuræ sanctitatis. Et propter hoc etiã in populo, ex quo Christus erat nasciturus, instituit Deus quædam sanctitatis signa, quæ incœperunt in Abraham, qui primus promissionem accepit de Christo, & circumcisionem in signum fœderis consummandi: vt dicitur Gen. 17.

Sensus quæsiti.

POSTREMA tituli verba, nimirum *ex stirpe Adæ* posita sunt ad differentiam aliorum modorum, quibus poterat Deus ex infinita sua potentia & sapientia naturam aliquam humanam producere, & eam sibi personaliter copulare. Tres verò præcipuos modos recenset in expositione tituli Cai.

Forma Textus.

CONCLVS. est: *Conueniens fuit, quòd Filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adæ.* Probatur *primò* in argumento, *sed contrà* authoritate Scripturæ *Luc. 3. Secundò* authoritate Augustini *libr. 13. de Trinitat. cap. 18.* vt patet in textu. *Tertiò*, probatur tribus rationibus. *Prima:* quia hoc videtur ad iustitiam pertinere vt ille satisfaciat qui peccauit; ergò de natura per peccatum corrupta debuit assumi id, per quod satisfactio erat implenda pro tota natura. *Secunda* ratio est; quia hoc pertinet ad maiorem hominis dignitatem; ergò. Antecedens probatur; quia sic victor diaboli ex illo genere nascitur, quod per diabolum fuerat victum. *Tertia* ratio est; quia per hoc Dei potentia magis ostenditur; ergò. Probatur antecedens; quia filius Dei assumendo naturam humanam ex stirpe Adæ assumpsit de natura corrupta & infirma id, quod in tantam virtutem & dignitatem est promotum.

Expositio Textus.

VIDE pulchram & excellenti Theologo dignam speculationem Caiet. circa secundam rationem D. Tho. & ea quæ notat Porrecta circa respons. ad 3. & in appendice. Cætera perspicua sunt.

QVAESTIO QVINTA.

De modo vnionis ex parte partium humanæ naturæ in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de assumptione partium humanæ naturæ.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primò, vtrum Filius Dei debuerit assumere verum corpus.

Secundò, vtrùm assumere debuerit corpus terreum, scilicet carnem & sanguinem.

Tertiò, vtrum assumpserit animam.

Quartò, vtrum assumere debuerit intellectum.

Ratio ordinis.

ANOTIORIBVS secundùm ordinem cognitionibus supernaturalis huius mysterij, quòd ex assumpta carne dicitur Incarnatio procedens S. D. in hac quæstione de modo vnionis ex parte partium humanæ naturæ, inchoat à corpore proponens primò quæsitum in vniuersali *in 1. a. 2.* magis in particulari *in 2. a.* Deinde *in 3. art.* quæstionem mouet de anima in communi. Postremò speciáliter quærit de anima rationali *in vlt. a.* singulos articulos singulis opponens hæreticorum delirijs.

ARTICVLVS I.

Vtrum filius Dei debuerit assumere verum corpus.

AD primum sic proceditur. Videtur, quòd Filius Dei non assumpserit verum corpus. Dicitur enim Philip. 2. quòd in similitudinem hominum factus est. Sed quod est secundum veritatem, non dicitur esse secundum similitudinem: ergo Filius Dei non assumpsit verum corpus. *Infr. a. 2 c. & q 14. a 1. c. & 3 d. 2. q. 1. a 3. q. 1. c. & qu. 2. co & 4. cont. c. 29. 30. & 34. princ & 35. col. 2. fin Et Po. q. 6. a. 7. cor col. 1. & opus. 3. cap. 213. & 227*

Præterea, Assumptio corporis in nullo derogauit dignitati diuinitatis: dicit enim Leo Papa in sermone de Natiu. quòd nec inferiorem naturam consumpsit glorificatio, nec superiorem minuit assumptio. Sed hoc ad dignitatem Dei pertinet, quòd sit omninò à corpore separatus. Ergò videtur, quòd per assumptionem non fuerit Deus corpori vnitus.

Præterea, Signa debent respondere signatis. Sed apparitiones veteris Testam. quæ fuerunt signa apparitionis Christi, non fuerunt secundum corporis veritatem, sed secundum imaginariam visionem: sicut patet Isaiæ 6. Vidi Dominum sedentem, &c. Ergò videtur, quòd etiam apparitio filij Dei in mundo, non fuerit secundùm corporis veritatem, sed solum secundùm imaginationem.

Sed contra est, quòd dicit Aug. in lib. 83. qu. Si phantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus. Et si fefellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Ergo non fuit phantasma corpus eius. Et sic patet, quòd verum corpus assumpsit. *Ser. 1 q. 14 to. 4.*

Respondeo dicendum, quòd sicut dicitur in libr. de Eccles. dogmatibus, natus est Dei Filius, non putatiuè, quasi imaginatum corpus habens, sed corpus verum. *Cap. 2. habetur inter opera Aug. tom 3.*

Et huius ratio potest tripliciter assignari. Quarum prima est ex ratione humanæ naturæ: ad quam pertinet verum corpus habere. Supposito igitur ex præmissis, quòd conueniens fuerit filium Dei assumere humanam naturam, consequens est, quòd verum corpus assumpserit. Secunda ratio sumi potest ex his, quæ in mysterio Incarnationis sunt acta. Si enim non fuit verum corpus eius, sed phantasticum; ergo nec veram mortem sustinuit: nec aliquid eorum, quæ Euangelistæ de eo narrant, secundùm veritatem gessit, sed solũ secundum apparentiam quandam. Et sic etiam sequeretur, quòd non fuerit vera salus hominis subsecuta: oportet enim effectum causæ proportionari. Tertia ratio potest sumi ex ipsa dignitate personæ assumentis: quæ, cùm sit veritas, non decuit, vt in eius opere aliqua fictio esset. Vnde, & Dominus hunc errorem per seipsum excludere dignatus est, Luc. vlt. cùm discipuli conturbati, & conterriti, putabant se spiritum videre, & non verum corpus: & ideò se eis palpandum præbuit, dicens: Palpate, & videte: quia

quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.

Ad primum ergo dicendum, quòd similitudo illa exprimit veritatem humanæ naturæ in Christo, per modum, quo omnes, qui verè in natura humana existunt, similes specie esse dicuntur: non autem intelligitur similitudo phantastica. Ad cuius euidentiam Apostolus subiungit, quod factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Quod fieri nō potuisset, si esset sola similitudo phantastica.

Ad secundum dicendum, quòd per hoc, quod Filius Dei verum corpus assumpsit, in nullo est eius dignitas diminuta. Vnde Aug. dicit in lib. de fid. ad Pet. cap. 2. to. 3. Exinaniuit seipsum formam serui accipiens, vt fieret seruus: sed formæ Dei plenitudinem non amisit. Non enim Filius Dei sic assumpsit verum corpus, vt forma corporis fieret. Quod repugnat diuinæ simplicitati, & puritati. Hoc enim esset assumere corpus in vnitatem naturæ. Quod est impossibile, vt ex supra dictis patet. Sed salua distinctione naturæ assumpsit corpus in vnitatem personæ. q 2. a. 1.

Ad tertium dicendum, quod figura debet respondere rei, quantùm ad similitudinem, non quantum ad rei veritatem. Si enim secùndum omnia esset similitudo, iam non esset signum, sed ipsa res: vt Damas. dicit in 3. lib. cap. 26. Conueniens ergo fuit, vt apparitiones vet. Test. essent secundùm apparentiam, quasi figuræ: apparitio autem filij Dei in mundo, esset secundum corporis veritatem, quasi res figurata per illas figuras. Vnde dicit Apostol. 2. Col. 2. Quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi.

Sensus quæsiti.

MOVETVR hoc quæsitum vt veritas Catholica definiatur aduersus Manichæos, Marcionistas & alios hæreticos corporis veritatem in Christo negantes. Et sermo est de corpore physico ad genus substantiæ pertinente.

Forma Textus.

„ CONCLVS. est: *Filius Dei verum corpus assumpsit.* Probatur *primò* authoritate Augustini in „ argumento, *sed contra*, & authoritate libri de Ecclesiasticis dogmatibus *in corpore. Secundò* probatur tribus rationibus. *Prima* est ex ratione humanæ naturæ; quia conueniens fuit Christum assumere humanam naturam; ergò, & verum corpus assumpsit. Antecedens patet ex quæst. præcedenti: Consequentia verò probatur; quia ad rationem humanæ naturæ pertinet corpus habere. *Secunda* ratio sumitur ex ijs, quę in Mysterio Incarnationis sunt acta; quia, si corpus assumptum à Filio Dei non fuit verum corpus; ergò, nec veram mortem sustinuit, nec aliquid eorum, quæ Euangelistæ de eo narrant, secundùm veritatem gessit; sed solùm secundùm apparentiam quandam; ergò nec fuit vera salus hominis subsecuta. Probatur hæc secunda consequentia; quia oportet effectum causæ proportionari: causa verò salutis est Christi mors, & aliæ Christi actiones, & passiones; ergò, si Christus veram mortem non sustinuit, &c. non fuit vera salus hominis subsecuta. *Tertia* ratio sumitur ex dignitate personæ assumentis; Quia persona assumens est veritas; ergò verum corpus assumpsit. Consequentia probatur; quia veritatem non decet aliqua fictio. *Vltimò* probatur conclusio authoritate Domini *Luc. vlt.* vt patet in textu.

Expositio Textus.

CONCLVSIO præsentis art. est fidei dogma certissimū in sacris litteris expressum *Matt. 1. & Luc. 2.* Vbi narratur Christi natiuitas ex Virgine. Et *Luc. vlt.* vt notatur in textu, & *Ioan. 1.* vbi dicitur: *Verbum caro factum est.* Et Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem.* Et ad Gal. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere.* Quam veritatem Ecclesia in multis generalibus Concilijs firma fide à fidelibus custodiendam definiuit. Et Patres ac Scholastici Doctores pluribus argumentis ex diuina Scriptura & lumine naturali petitis comprobarunt. Concilia & Doctores nonnullos refert Medina *super hoc art.* Videndus est D. Thom. *in 4. contra gent. cap. 29. & seq.*

ARTICVLVS II.

Vtrum filius Dei debuerit assumere corpus terrenum, scilicet carnem, & sanguinem.

AD *secundum sic proceditur. Videtur, quòd Christus non habuerit corpus carnale, siue terrestre, sed cœleste: dicit enim Apost. 1. ad Cor. 15. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Sed primus homo, scilicet Adam, fuit de terra, quantum ad corpus, vt patet Gen. 1. Ergo etiam secundus homo, scilicet Christus, fuit de cœlo, quantùm ad corpus.* Inf. q. 35. a. 3 c & q. 37 a. 1 c. & q. 54 a. 2 c. et 3. d. 2 q. 1. a. 3 q. 1 c & q. 2 c & 4 con. c. 30.

Præterea, 1. ad Cor. 15. dicitur, Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt. Sed regnum Dei principaliter est in Christo. Non ergo in ipso est caro, & sanguis, sed magis corpus cœleste. & 34 & opus 3 c. 214.

C *Præterea, Omne, quod est optimum, est Deo attribuendum. Sed inter omnia corpora nobilissimum est corpus cœleste. Ergo tale corpus debuit Christus assumere.*

Sed contra est, quòd Dominus dicit Luc. vlt. Spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere. Caro autem, & ossa non sunt ex materia cœlestis corporis, sed ex inferioribus elementis. Ergo corpus Christi non fuit corpus cœleste, sed carneum, & terrenum.

Respondeo dicendum, quòd eisdem rationibus appareret, quare corpus Christi, non debuit esse cœleste, quibus ostensum est, quòd non debuit esse phantasticum.

Primò enim, quia sicut veritas humanæ naturæ non Art. præc. D *saluaretur in Christo, si corpus eius esset phantasticum (vt posuit Manichæus) ita etiam non saluaretur, si poneretur cœleste: sicut posuit Valentinus. Cùm enim forma hominis sit quædam res naturalis, requirit determinatam materiam, scilicet carnes & ossa, quæ in hominis diffinitione poni oportet; vt patet per Philosophum Met. 7.* Tex. 39.

Secundò, quia hoc etiam derogaret veritati eorum, quæ Christus in corpore gessit. Cùm enim corpus cœleste sit impassibile, & incorruptibile (vt probatur in primo de cœlo) si Filius Dei corpus cœleste assumpsisset, non vere esuriisset, nec sitisset, nec etiam passionem, & mortem sustinuisset. Tex. 20.

Tertiò etiam, derogaret veritati diuinæ. Cùm enim E *Filius Dei se hominibus ostenderit, quasi corpus carneum, & terrenum habens, fuisset falsa demonstratio, si corpus cœleste habuisset. Et ideò in libr. de Ecclesiasticis dogmatibus dicitur, Natus est Dei filius carnem ex Virginis corpore trahens, & non de cœlo secum asserens.* cap. 2. to. 3. ap. Aug.

Ad primum ergo dicendum, quòd Christus dicitur de cœlo descendisse dupliciter. Vno modo ratione diuinæ naturæ: non ita quòd natura diuina in cœlo esse desierit, sed quia in infimis nouo modo esse cœpit, scilicet secundùm naturam assumptam: secundùm illud Ioan. 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo Filius hominis, qui in cœlis est. Alio modo ratione corporis: non quia ipsum corpus Christi secundùm suam substantiam de cœlo descenderit, sed quia virtute cœlesti, id est Spiritu sancto est eius corpus formatum. Vnde

*de Aug. dicit ad Orosium, exponens authoritatem inducta*m. *Cœlestem dico Christũ: quia non ex humano conceptus est semine. Et hoc etiam modo Hilar. exponit in lib. de Trin.*

Dial. 65. qu. 4. to. 4. lib. 10. de Trin.

Ad secundum dicendum, quòd caro & sanguis non accipiuntur ibi pro substantia carnis, & sanguinis, sed pro corruptione carnis, & sanguinis. Quæ quidem in Christo non fuit quantum ad culpam: fuit tamen ad tempus quantum ad pœnam, vt opus nostræ redemptionis expleret.

Ad tertium dicendum, quòd hoc ipsum ad maximam Dei gloriam pertinet, quòd corpus infirmum & terrenum ad tantam sublimitatem prouexit. Vnde in Ephes. synodo legitur verbũ S. Theophili dicentis. Qualiter artificum optimi non in pretiosis tantùm materiebus artẽ ostẽdentes, in admiratione sunt, sed vilissimum lutum, & terram dissolutam plerunque assumentes, suæ disciplinæ demonstrantes virtutem, multò magis laudantur: ita omnium optimus artifex Dei Verbum, non aliquam pretiosam materiam corporis cœlestis apprehendens, ad nos aduenit, sed in luto magnitudinem suæ artis ostendit.

A

B

Sensus quæsiti.

PROPONITVR hica. aduersus hæresim Valentini, vt patet in textu.

C

Forma Textus.

CONCLVSIO est: *Corpus Christi non fuit corpus cœleste, sed carneum & terrenum.* Probatur *primò* eisdem medijs, quibus ostensum est nõ debuisse esse phantasticum; Primò, quia sicut veritas humanę naturæ non saluaretur in Christo, si corpus eius esset phantasticum, vt posuit Manichæus, ita etiam non saluaretur, si poneretur cœleste, sicut posuit Valentinus; ergò. Assumpta conditionalis probatur; quia forma hominis est quædam res naturalis; ergò requirit determinatam materiam, scilicet carnes, & ossa; ergò sicut veritas humanæ naturæ, &c. Probatur hæc secunda consequentia; quia determinata materia, scilicet carnes & ossa necessariò ponenda est in diffinitione hominis. *Secundò* probatur cõclusio; quia hoc derogat veritati eorũ, quæ Christus in corpore gessit, scilicet esurire, sitire, pati, & mori: ergò. Probatur antecedens; quia corpus cœleste est impassibile & incorruptile; ergò si Filius Dei corpus cœleste assumpsisset, non verè esurijsset, nec sitisset, nec passionem & mortem sustinuisset. *Tertiò* probatur conclusio; quia hoc derogaret veritati diuinæ; ergò. Probatur assumptum; quia Filius Dei se hominibus ostendit, quasi corpus carneum & terrenum habens; quæ demonstratio falsa fuisset si corpus cœleste habuisset; ergò. *Vltimò* probatur conclusio authoritate libri *de Ecclesiasticis dogmatibus, c. 2.* vt patet in textu.

D

E

Expositio Textus.

SVAREZ *disp. 15. sect. 3.* Vasquez *disp. 36. cap. 1. & 2.* & Aluarez *in Expositione Textus* referunt & confutant multos errores antiquorum hæreticorum huius & præcedentis articuli conclusionibus aduersos. Bellarminus autem *tom. 1. lib. 3. de Christo, cap. 1.* recensẽt omnes nostri temporis hæreticorum errores circa mysterium Incarnationis. Valentia *puncto 2.* disputat aduersus hæreticos corpori Christi vbiquitatem tribuentes. De qua latissimè disputat Bellarminus *loco not. à c. 11. vsq; ad 20. inclusiuè.*

Quid ex discursu S. D. directè, quidve indirectè sequatur, explicat optimè Suarez *in Commentar.*

Circa respons. ad primum argum. D. Thom. Vbi exponuntur illa Apostoli verba ex *Epistol. 1. ad Cor. cap. 15. Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis*, videnda est interpretatio Caiet. & expositiones, quas ex Patribus refert Suar. *in alleg. sect. 3. versus fin.* Vide etiam elegantem expositionem S. D. *in Comment. loci prædicti.*

CONTROVERSIA VNICA.

An Filius Dei ad vnitatem sui personalem assumpserit sanguinem, & tres alios humores, & dentes & capillos & vngues & spiritus vitales & animales?

Sententiæ Doctorum.

DE SINGVLIS huius Controuer. partibus variæ sunt Doctorum opiniones. *Prima sententia* fuit Durandi *in 4. dist. 10 quæst. 1. numer. 19.* dicentis, sanguinem non fuisse immediatè ac verè vnitum hypostaticè Verbo, sed habuisse propriam subsistentiam & fuisse assumptum à Verbo tantùm remotè, quatenus erat sanguis humanæ naturæ, quæ personaliter erat vnita Verbo: quam secuti sunt Franciscus de Maironis *in 4. dist. 43. & in sermone qui incipit: Memoriam fecit.* Et Gabriel *in Canonem, lect. 53.* & supplementum Gabrielis *in 4. dist. 44. q. 1. propè finem.* Eandem opinionem quoad sanguinem à Christo separatum in triduo mortis tenuit Abulensis *Paradoxo 2. cap. 4. & 43* & Ricardus *in 3. dist. 2 a. 2. quæst 1. ad 2.* Docet tamen Abulensis, Filium Dei non solum sanguinem sed etiam pilos & vngues & alias minus principales partes assumpsisse.

Secunda sententia est Caietani *inf. quæst. 54. a. 2.* dicentis duplicem in Christo, sicut etiam in cæteris hominibus sanguinem extitisse, alterum nutrimentalem, quem ait humorem fuisse sanguineum adhuc crudum, hoc est non redactum adhuc perfectè in sanguinem, qui pars est hominis: atque ideò non esse partem hominis integralem: alterum perfectè decoctum & veram habentem sanguinis naturam: ac proinde pertinentem vt partem integralem ad veritatem humanæ naturæ: & priorem quidem sanguinem negat vnitum fuisse personaliter Verbo Dei: posteriorem autem affirmat diuini Verbi personalitate fuisse terminatum: Eandem sententiam sequitur, & explicat Sylu. *in suis quæstionibus post Auream Rosam, q. 31.* Vbi sententiam hanc tribuit D. Tho. vt patet etiam ex eius quæst. sequenti, *f. 32.* Eandem etiam tuetur Aluar. *disp. 28.*

Tertia sententia fuit Capr. *in 4. dist. 10. qu. 2. ad 4. contra 1. concl.* Quam sequitur Sotus *eadem dist. q. 1. a. 2.* & dicitur etiam placuisse Victoriæ. Docet hæc opinio sanguinem non esse partem humanæ naturæ; & tamen assumptum fuisse à Filio Dei.

Quarta sententia est Medinę *super hoc a.* qui sex propositionibus suam explicat opinionem. *Prima* propositio est: Sanguis in Christo Domino fuit vnitus Verbo hypostaticè; & contrarium asserere est magnus & intolerabilis error. *Secunda* propositio est: Licèt sanguis non esset pars humanæ naturæ & haberet formam distinctam non cogimur dicere Filium Dei assumpsisse duas naturas. *Tertia* propositio: Licèt concedatur quòd sanguis fuit vnitus Verbo diuino, non compellimur idem dicere de cęteris humo-

tribus. *Quarta* propositio: Illa sententia quòd sanguis est pars continua humani corporis, & informatur anima rationali, quantum ad esse vegetabile, mihi maximè probatur; & est valdè consentanea fidei. *Quinta* propositio: asserere quòd omnes quatuor humores sunt vniti Christo personaliter, est doctrinæ diuinæ Theologiæ maximè consonum. *Vltima* propositio: Capilli & vngues in Christo informabantur anima rationali, & erant vniti personaliter diuinitati; capillos tamen attonsos ab vnione sua personali dimisit. Eandem ferè sententiam sequitur Suarez, & addit probabile esse spiritus vitales & animales fuisse assumptos: substantias autem, quas arbitratur esse medias inter cibum & alimentum, & sanguinem, quæ vocantur ros & cambium, non fuisse assumptas, eo quòd non sint de veritate humanæ naturæ nec per se requisitæ ad perfectam consistentiam eius & ad vitæ operationes.

Vltima sententia est Vasquezij, qui dicit quinque. *Primum* est: distinctionem illam Caietani nullum in philosophia & ratione firmum habere fundamentum, & falsam & absurdam esse sententiam Caietani; quatenus asserit aliquem sanguinem non fuisse vnitum hypostaticè. *Secundum* est; nec sanguinem nec reliquos humores sanguini permistos viuere. *Tertium* est: reliquos humores, sicut & sanguinem assumptos fuisse. *Quartum* spiritus vitales fuisse Verbo personaliter vnitos. *Vltimum* est: capillos & vngues non viuere, & tamen fuisse assumptos. Valentia conuenit in primo dicto, & addit sibi probabilius esse, sanguinem informari anima rationali.

A vt fertur, delatus in Ecclesia sancti Andreæ custoditur. Esse autem in humano corpore sanguinem hunc nutrimentalem à Caietano & Syluestro nuncupatum probari potest primò: quia cibus virtute caloris naturalis alteratus mutatur in sanguinem: at sanguinis formam & speciem non habet, antequam recipiatur in epate secundùm medicos, vel in corde secundùm Arist. sed tamen in colore & alijs: accidentibus magnam habet cum sanguine affinitatem: ideo sanguis nutrimentalis à Caietano & alijs nuncupatur; quia scilicet humor nutrimentalis est in sanguinem proximè conuertendus, & est illi simillimus. Secundò quoniam vt tradunt Medici, in venis alij B tres humores, scilicet pituita, cholera & melancolia, sanguini sunt admisti non quidem mistione perfecta; sed per iuxtapositionem, & virtute caloris quidam ex illis vertuntur in sanguinem, quòd pituitæ in venis existenti certum est non rarò contingere, vt docent artis medicæ professores: itaq; pituita cum in sanguinẽ transmutatur & eius nonnullam habet similitudinem, sed nondum formam & speciem est assecuta, sanguis impropriè & cum addito scilicet nutrimentalis in sensu Caietani non incongruè potest appellari. Sed obseruanda est magna differentia inter sanguinem hunc nutrimentalem ex pituita genitum, & alium sanguinem nutrimentalem qui proximè ex alimento aut ex chile generatur in C epate, aut in venis ducentibus ad epar, quas Medici meseraicas appellant, quoniam hic sicut non informabatur anima, ita nec vniebatur Verbo personaliter: ille verò quia informabatur anima, vt infra declarabitur, erat etiã Verbo personaliter vnitus. Sed obseruandum est secundùm D. Thom. *in 4. dist. 44. quæst. 1. artic. 2. quæst. 4. & quodlib. 5. art. 5.* sanguinem omnem ex cibis generatum ac perfectè concoctum esse ac dici sanguinem nutrimentalem, quod etiam asserunt artis medicæ professores, & sanguinem qui quandoque fuit actu pars humani corporis, non secundum totam sui quantitatem ad veritatem humanæ naturæ pertinere: sed secundùm eam tantùm, quæ ad debitam corporis humani perfectionem est necessaria: Et ideò Petro resurgente D non resurget in eo tota quantitas sanguinis, quæ in toto vitæ decursu fuit in eo & successiue defluxit: esset enim immoderata & eius corpori minimè proportionata; sed ea tantùm quæ ad debitam corporis perfectionem & quantitatem est necessaria. Quod idem dicendum est de Christo resurgente: ita tamen vt asseramus, sanguinem omnem in passione fusum pro generis humani redemptione ad eius corpus in resurrectione redijsse, vt probat S. D. *in allegato quodlibeto*, quod intelligendum est de sanguine propriè & vniuocè dicto, quod scilicet formam habet & speciem sanguinis: vt notat Sylu. *in alleg. qu. 31. & 32.* crudum enim nutrimentum, quod nondum formam & speciem sanguinis est assecutum, nomine E sanguinis apud D. Th. minimè comprehenditur: Nec tamen ineptè Cai. Sylu. & alij Thomistæ recentiores vocabulum *sanguinis* ad illud extendunt, propter similitudinem eius ad verum sanguinem superius explicatam.

Secundò notandum est ex D. Thom. *in 4. dist. 44. qu. 1. a. 2. qu. 4.* & Syluestro *in dicta q. 31.* in statu mortalis vitæ triplicem sanguinem esse homini necessarium. *Primus* est qui veram & propriam habet formam sanguinis; & hic simpliciter appellatur sanguis. *Secundus* est, qui iam est in via transeundi de forma sanguinis in formam membri, puta carnis &c. Et hic potest in duplici statu con-

---

CONTROVERSIAE PARTITIO.

Prima Pars Controversiae.

Resolutio. Nomen tam sanguinis, quàm sanguinis nutrimentalis esse multiplex, & non omnem sanguinẽ fuisse Verbo personaliter vnitum.

Qvatvor sunt huius Controu. partes. *Prima* est de sanguine. *Secunda* est de tribus alijs humoribus. *Tertia* est de dentibus, capillis & vnguibus. *Vltima* est de spiritibus vitalibus & animalibus: de quibus singulis breuiter, ac distinctè agendum est: Igitur

Ad Primae *partis euidentiam considerandum est primò*, nomen *sanguinis* æquiuocum esse ad sanguinem propriè dictum, qui vnus est ex quatuor humoribus & pars est actu corporis humani, ad eius integritatem & perfectionem pertinens, & ad sanguinem minus propriè dictum, qui scilicet nondum habet formam & speciem sanguinis, sed ad eam tendit per actionem caloris illum continuè transmutantis: & ideò non est actu pars humanæ naturæ, sed est humor nutrimentalis non plenè decoctus, quem Caietanus *infra quæst. 54. artic. 2.* sanguinem nutrimentalem appellat, per hoc distinguens eum à sanguine perfectè decocto, qui est de veritate humanæ naturæ, qui sanguis simpliciter nuncupatur. Et ex hac sequitur alia differentia, nimirum sanguinem propriè & absolutè dictum fuisse Verbo diuino personaliter vnitum: sanguinem autem minus propriè dictum non fuisse Verbo personaliter vnitum. Has differentias explicat latè Syluester *in Aurea Rosa, qu. 31.* affirmans sanguinem illum, qui terra mistus in ampulla vitrea sanctæ Mariæ Magdalenæ in Ecclesia sancti Maximini conseruatur, non esse sanguinem perfectè decoctum, sed sanguinem nutrimentalem: quod idem asserit de sanguine, qui Mantuæ à Longino,

ſtatu conſideraris primò, vt eſt in principio trãſmutationis & ſic dicitur Ros. Secundò, vt eſt in progreſſu tranſmutationis & incipit dealbari & ſic vocatur Cambium, quòd eſt quaſi tertium genus ſanguinis. In ſtatu verò reſurrectionis in quo ceſſat actio caloris reſoluentis primus tantùm ſanguis eſt neceſſarius: & ideò in nullo reſurgente erit ros, aut cambium: ac proinde ſi aliquid de huiuſmodi ſanguine ex Chriſti corpore in paſſione fuit effuſum, non fuit ab eo reaſſumptum, ſed dimiſſum, & à fidelibus veluti ſanguis è terra collectum, & ſumma cum veneratione cuſtoditum; quamuis veram ſanguinis ſpeciem non haberet, ſed coloris tantùm & aliorum accidentium ſimilitudinem, ſicut de ſanguine nutrimentali iuxta ſententiam Caiet. dictum eſt. Notandus eſt autem hic obiter lapſus Suarez *ſect. 7.* dicentis, cibum priuſquam in ſanguinem conuertatur, in Rorem, & in Cambium conuerti, quod non ſolum aduerſatur doctrinæ D. Thom. ſed etiam communi & vulgatæ ſententiæ Medicorum. Hæc autem eſſe non ſolùm veritati, ſed etiam doctrinæ D. Th. conſona defendit Sylu. *in dicta qu. 31. & 32.* quem lege, ſi placet: Vide etiam quę de Chriſti ſanguine ſcribunt hic Med. & alij recentiores. Videnda ſunt præterea quæ ſcribit Caietanus de natura ſanguinis comparatione partium ſolidarum humani corporis *ſuper hoc a. & 1. p. q. 119. a. 1. circa reſp. ad 3. & inf. q. 44. a. 2.*

Sur. lapſus.

Poſtremò ſciendum eſt ſecundùm Ariſt. lib. 3. de partibus animalium: Principium venarum omnium, & ſanguinis eſſe cor: ac proinde totum illum humorem fluẽtem à venis meſeraicis vſque ad cor habere quidem ſanguinis ſimilitudinem: non tamen eſſe verè, & vniuocè ſanguinem, qui ſit actu pars humanæ naturæ; & huius ſanguinis pars potuit per vulnus lanceæ ex corpore Saluatoris exire, & in terram defluere, & à pijs viris, & mulieribus colligi, & in Eccleſia vſque ad hæc noſtra tempora conſeruari.

Ariſt.

SECVNDA PARS *Controuerſiæ. An Alij tres humores humani corporis à Verbo fuerint aſſumpti?*

Aſſumptos fuiſſe probatur ex D. Th. & Inn. 3.

S. D. *in 4. diſt. 44. quæſt. 1. artic. 2. quæſt. 3. in corpore* docet ſanguinem & alios tres humores, ſcilicet pituitam choleram & melancholiam habere formam determinatam, ſecundùm quam continentur intra partes corporis; & tamen ordinari ad membra, quæ ex eis generantur: quod latius ibidem explicat *in ſolutione tertij argumenti*. Vbi etiam affirmat eos perfici, id eſt informari ab anima rationali. Verba D. Thomæ ſunt: *Sicut elementa ſunt in via generationis reſpectu corporum miſtorum; quia ſunt eorum materia: non autem ita, quòd ſemper ſint in tranſeundo in corpore miſto: ita & humores ſe habent ad membra: & propter hoc, ſicut elementa in partibus vniuerſi habent formas determinatas, ratione quarum ſunt in partibus vniuerſi, ſicut corpora miſta, ita & humores ſunt de perfectione corporis humani, ſicut & aliæ partes, nec elementa habent ita perfectas formas, ſicut miſta: ſicut autem partes omnes vniuerſi perfectionem à Deo conſequuntur, non æqualiter, ſed ſecundùm ſuum modum vnumquodq;: ita etiam humores aliquo modo perficiuntur ab anima rationali: non tamen eodem modo, ſicut partes perfectiores.* Cum igitur humores ad perfectionem pertineant humani corporis & informentur ab anima; ſequitur euidenter eos aſſumptos fuiſſe à Verbo Dei, qui perfectam & omnibus numeris abſolutam humanitatem ſibi in vnitate perſonæ copulauit. Quæ veritas ſatis perſpicuè ab Innocẽtio III. in cap. *In quadam* de celebratione Miſſarum videtur fuiſſe definita: ſic enim poſt multa in ea decretali concludit: *Cum autem ad compoſitionem humani corporis quatuor elementa concurrant, videlicet Terra, aqua, aer, & ignis, & ad vegetationem eiuſdem corporis quatuor humores conſimiles illis, videlicet ſanguis, cholera, phlegma, & melancholia, vt veritatem humani corporis expreſsius demonſtraret, vnum ex illis, & vnum ex iſtis Ioannes expreſsit, &c.* Philoſophus tamen pituitam & bilem quandoque vocat excrementa; tum quia non per ſe ordinantur ad corporis nutritionem, vt ſanguis; tum etiam quia licèt ex ſui ratione ſint partes humani corporis ad eius integritatem pertinentes; ſæpè tamen vt excrementa redundant.

TERTIA PARS *Controuerſiæ. An dentes, capilli, & vngues fuerint à Verbo aſſumpti?*

Partem affirmantem eſſe veram probatur ex D. Th.

Capillos & vngues à Verbo aſſumptos fuiſſe docet Angelicus Doctor *in 4. diſt. 44. quæſt. 1. artic. 2. quæſt. 2. ad 3.* quoniam (inquit) capilli & vngues nutriuntur; ergo aliqua operatione participant; ergo neceſſe eſt vt ab anima perficiantur: & cùm in homine ſit vna tantum anima, ſcilicet anima rationalis: conſequens eſt vt ab anima rationali perficiantur; non tamen vt operatione ſenſus participent, ſicut nec oſſa; quæ tamen conſtat eſſe de integritate indiuidui. Eadem itaque ratione dentes vniti fuere Verbo perſonaliter; quoniam & ipſi nutriuntur & creſcunt, ſicut oſſa, capilli & vngues, & non minus ſed multò magis quàm capilli & vngues ad humani corporis attinent perfectionem. Capillos autem, de quibus maior poteſt eſſe dubitatio, probat Suar. *ſect. 7. diſp. 15.* fuiſſe Verbo perſonaliter vnitos productis Sanctorum dictis, quibus Vaſq. oppoſitam ſententiam tenens, minimè ſatisfacit; ſed à propoſito diuertit, vt patet legenti eius verba, *cap. 7. diſput. 36.*

Vaſquezij ſent. reiic.

VLTIMA PARS *Controuerſiæ. An ſpiritus vitales & animales fuerint à Verbo aſſumpti?*

Aſſumptos fuiſſe defenditur.

Vtramque partem vt probabilem defendit Suarez *in allegata ſect. 7.* ſed veram eſſe partem affirmantem probatur; quia ſpiritus vitales & animales neceſſarij omninò ſunt ad humani corporis conſeruationem ſecundùm eius naturalem ſtatum & ad operationes vitæ: ac proinde pertinent ad veritatem & integritatem humanæ naturæ, ſicut ſanguis & alia prædicta: & ideò tales ſpiritus manebunt etiam in corpore glorioſo.

Suar. reſp.

Sed ait Suar. non eſſe omninò eandem rationem; eò quòd humores ſubſtantiam habeant magis ſtabilem & conſtantem: atque adeò magis intrinſecè neceſſariam corpori humano: Spiritus autem ferè continuam habent tranſmutationem: & ideò magis videntur eſſe extra humanæ naturæ integritatem. *Sed facilè reijcitur* dicendo partes humani corporis ad perfectam humanæ naturæ conſtitutionem ordinatas ſuaptè natura diuerſam diſpoſitionem, naturam & eſſendi modum poſtulare; vt patet in oſſibus, neruis, carnibus & humoribus: ex his enim quædam habent modum eſſendi firmum & ſtabilem, vt oſſa, quibus proximè accedunt nerui; quædam autem ex parte conſumuntur & reparantur, vt carnes: quædam autem minus ſtabilia ſunt, vt humores ac præſertim ſanguis, qui cùm ſit actu corporis pars, adhuc eſt in potentia ad alias ſtabiliores corporis partes; quid mirum ergò, ſi ſpiritus vitales & animales ad operationes vitales & animales per ſe primò directi magis variabilem ac inſtabilem habeant eſſendi

Confutatio.

modum: ſtabilitas enim eorum naturæ & officio in hoc ſtatu naturę mortali minimè congruebat; poſt reſurrectionem autem quia natura humana perfecta donabitur incorruptibilitate, ſpiritus cum ſua locali mobilitate abſq; vlla corruptione durabunt. Et quemadmodum ſanguis fluxibilem in venis habens naturam perficitur, tanquam pars humani corporis ab anima rationali tanquam forma, ita ſpiritus vitales & animales, tametſi facilè mobilis ac tranſmutabilis ſint naturæ, perficiuntur & informantur ab anima rationali, tanquam partes ad integritatem humani corporis pertinentes.

Cõcluſiones, deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Sanguis propriè & abſolutè dictus, & alij tres humores, dentes, capilli, & vngues, & ſpiritus vitales & animales informantur ab anima.* Probatur: quoniam hæc omnia ſunt de veritate & integritate humanæ naturæ; ergo informantur eadem forma ſubſtantiali, quæ eſt anima intellectiua. Antecedens patet ex dictis: Conſequentia verò probatur; nam alioquin homo non eſſet vnum numero, ſed per aggregationem multarum ſpecierum, vel ad ſummum haberet ordinis vnitatem, ſicut vniuerſum; quæ non eſt vnitas eſſentialis ſeu ſubſtantialis, ſed accidentalis.

SECVNDA CONCLVS. *Sanguis nutrimentalis, qui ex cibis proximè generatur & nondum eſt perfectè concoctus; atque ideò nec propriè nec abſolutè, ſed cum addito ſanguis eſt, ſicut non informatur ab anima, ita nec aſſumptus fuit à Filio Dei ad vnitatem perſonæ.* Probatur; quoniam hic ſanguis non pertinet ad veritatem aut integritatem humanæ naturæ; ſed merum eſt illius nutrimentum.

TERTIA CONCLVSIO. *Sanguis ex alimento generatus, & perfectè decoctus, quem S. D. nutrimentalem appellat, ſicut informatur anima intellectiua, ita fuit à Verbo aſſumptus, & ei fuit ſemper vnitus, etiam quando in triduo mortis fuit ab alijs partibus corporis ſeparatus.* Hanc concluſionem probat latè Sylueſter & alij recentiores ſupra nominati; & eſt dogma fidei certiſſimum.

QVARTA CONCL. *Alij tres humores, ſcilicet pituita, bilis, & melancholia fuere ſemper Chriſto perſonaliter vniti.* Hæc patet ex dictis.

QVINTA CONCL. *Sanguis nutrimentalis ex pituita, aut alio humore genitus; ſed nondum veram ſanguinis formam aſſecutus vniebatur Filio Dei perſonaliter.* Probatur; quia humor ille ex hoc, quod actu conuertitur in ſanguinem, non definit eſſe pars actu humanæ naturæ; ſicut nec ſanguis, cùm actu conuertitur in carnes, deſinit eſſe pars integralis actu humanæ naturæ.

SEXTA CONCL. *Ros & Cambium in Chriſto vniebantur actu perſonæ Verbi.* Probatur eodem medio quo præcedens. Et confirmatur; quia ros & cambium informantur anima intellectiua non minus, ſed multò magis, quàm ſanguis & alij quatuor humores, cùm nobiliores habeant diſpoſitiones: ergò.

SEPTIMA CONCLVS. *Dentes, capilli, vngues & ſpiritus vitales in Chriſto exiſtentes erant vniti Verbo perſonaliter.* Hæc ſequitur ex prima concluſione. Deinde probatur: quia hæc omnia pertinent ſaltem ſecundariò, ad integritatem & perfectionem humanæ naturæ: & ideò dentes, capilli &c. qui nunc ſunt in Chriſto, eandem cum illo retinent vnitatem.

Argum. & ſolutiones. Obi. 1. cõ. 1. concl.

CONTRA *primam concl.* argumentatur Vaſq. probans ſanguinem non viuere. *Primò*, quia S. Th. *1. p. q. vlt. a. 1. ad 3.* ait, humidum radicale eſſe illud, in quo fundatur virtus ſpeciei; quòd ſi ſubtrahatur reſtitui non poteſt; ſed humidum nutrimentale eſſe id, quod nondum peruenit ad ſuſcipiendum perfectè naturam ſpeciei; ergò. *Reſp.* nullam eſſe conſequentiam; quoniam humidum nutrimentale quale eſt ſanguis, licet non perfectè participet naturam ſpeciei; quia non eſt pars corporis ſolida, vt caro &c. participat tamen imperfectè naturam ſpeciei & modo ſuæ naturæ conuenienti; quatenus ſc. ita pars integralis eſt humani corporis, vt via ſit ad partem eiuſdem corporis perfectiorem, vt ibi notat Caietanus, qui ſua declaratione prædictum diluit argumentum. Sol.

Secundò S. D. *infr. quæſt. 31. art. 5. ad 1.* inquit, ideò Verbum ſumpſiſſe humanitatem de ſanguine Virginis, non de carne, aut de oſſe, ne minueret illius naturam, auferens id quod actu erat pars humanitatis ipſius; ſed de ſanguine, qui nondum erat pars: intelligit autem (inquit) partem animatam & viuentem vita totius. *Reſp.* ſanguinem illum nõ fuiſſe actu partem ſcilicet perfectam & ſolidam, ſed imperfectam cum tendentia ad partem perfectiorem: & ideò potuiſſe abſque diminutione propriè & ſimpliciter dicta ex eo ſanguine formari corpus Chriſti. *Secundò dico*, ſanguinem illum fuiſſe quidem actu partem modo dicto, ſed non pertinuiſſe ad neceſſariam integritatem & perfectionem virginei corporis, ſed ex diuina prouidentia media operatione naturæ ad hoc fuiſſe præparatum vt eſſet diuinæ conceptionis materia: ſi namque in cæteris humanis corporibus non eſt vſque adeo determinata ſanguinis latitudo, vt ſalua corporis perfectione & ſanitate non poſſit aliqua pars per venæ ſectionem, aut alio aliquo modo ſubtrahi, multò magis exiſtimandum eſt in SS. Incarnationis myſterio peragendo tantam in Virgine fuiſſe ſanguinis quantitatem, quantam ſimul ad corporis B. Virginis perfectionem & ad fœtus miraculosè concepti formationem erat neceſſaria. Ob. 2. Sol.

Tertiò, Ariſtot. *3. de partibus animal. cap. 5.* apertè docet ſanguinem eſſe totius corporis materiam; ſed hoc verum eſſe non poſſet, niſi ſanguis eſſet in potentia, vt per nutritionem ſubſtantialiter tranſmutatus in quamlibet aliam partem viueret eadem anima; qua & reliquæ partes. Et *2. de partibus animalium, cap. 3.* ſic ait: *Cùm omnis alimenti, omniſq; accrementi conceptaculum aliquid habere neceſſe ſit, venæq; quaſi vaſa ſint ſanguinis patet ſanguinem eſſe animalibus ſanguineis vltimum alimentum:* Ad rationem autem vltimi alimenti pertinet, vt ſit alterius naturæ ante conuerſionem, hoc eſt, vt ſit naturæ diuerſæ à natura totius in quod conuertitur, vt teſtatur Ariſt. *libr. 1. de Gen. & Cor. tex. 29. & 38. & libr. 2. de Anima, text. 45.* demùm *3. de partibus animalium, cap. 5.* docet ſanguinem eſſe irriguum per venas, deriuariq; per illas in totum corpus, ob eandem cauſam, qua aqua ducitur per ſulcos & riuulos in olera & plantas, nempè vt ſit alimentum corpori, ſicut aqua eſt oleribus & plantis: Addit præterea venas in poros deſinere; & quia parui ſunt & admodum conſtricti, non patere per illos viam ſanguini: bene tamen humori, qui dum per illos emittuntur, conſtipatur & in ſudorem reſoluitur: atq; ob eandem cauſam contingit, vt aliquando, nimium laxatis poris ſanguis aliquis crudus effluat. *Reſpond.* ſanguini duo conuenire: alterum eſt, vt ſit actu pars corporis animalis: alterum eſt, vt ſit in potentia ad alias partes, & ratione huius ſecundi dicitur eſſe totius corporis materia, quo ad partes eius perfectiores & ſolidas & dicitur vltimum eius alimentum, & dicitur eſſe irriguum per venas ad inſtar aquæ &c. ſanguis Obiect. 3. Sol.

guis aut ille crudus, qui ex poris nonnunquàm emittitur, videtur esse materia pituosa nondum perfectè in sanguinem cõuersa, quæ cum sit subtilis, per poros egreditur. *Sed instat* Vasq. Quia nutritio est substantialis transmutatio, qua corrumpitur forma alimenti, & acquiritur forma aliti; at si sanguis viueret, substantialiter transmutari non posset in alias partes eadem vita viuentes; ergò vel nutritio non esset transmutatio substantialis sed accidentalis, aut nutritio solùm esset trasmutatio cibi in sanguinem, quorum neutrum nullus hactenus Philosophus dixit. *Resp.* alimentum in corpore animalis plures status & essendi modos habere. Primus est ante perfectam concoctionem, id est antequàm conuertatur in sanguinem & deriuetur ad venas. Secundus est, quem habet in venis in quibus iam est actu pars animalis & informatur ab anima secundùm gradum vegetatiuum, & est proximum cęterarum partium solidarum alimentum. Tertius, quando ex sanguine transit in rorem & cãbium. Vltimus est, quando fit gluten & mutatur in carnem, neruos, ossa &c. & dum ab vno statu in alium transit, actum exercet nutriendi. Nec tamen quælibet mutatio & actus nutriendi siuè nutritio est substantialis transmutatio; sed prima tantùm, qua scilicet à primo statu transit ad secundum. Aliæ verò mutationes accidentariæ sunt, quia cum alimentum iam sit animatum eadem anima, qua totum animal in esse constituitur, nulla secundum ordinem naturæ fieri potest in eo mutatio, nisi secundùm dispositiones & accidentia: quamuis dici posset mutatio sanguinis in carnem neruos &c. substantialis virtualiter, eo quod anima intellectiua virtutem plurium habens formarum & animarum sanguinem informat secundùm gradum vegetatiuum; carnes autem aut neruos secundùm gradum sensitiuum, id est prout ad ipsa sequitur virtus sentiendi; atque ideò cum sanguis mutatur in carnem, dici potest ea mutatio substantialis virtualiter & per se; quamuis quasi per accidens, id est propter coincidentiam dictorum graduum in vnam & eandem formam substantialem, vt causam vtriusque sufficientem non sit formalis & actualis mutatio secundùm formam substantialem. *Ad argu. itaque dico*, primam propositionem esse veram de alimento tantùm secũdũ primã eius transmutationẽ, qua de primo statu transit in secundũ; nõ autẽ secũdũ omnẽ eius transmutationẽ. Cũ autem ait Aristot. sanguinẽ esse vltimum alimentum, nomine sanguinis intelligit etiam rorem & cambium: quę omnia dicuntur vltimum alimentum ad distinctionem alimenti in primo statu, in quo nondum habet formam aliti: in vltimò verò formam habet aliti; sed cum tendentia ad perfectiorem modum habendi; quia mutandum est in partes animalis solidiores & perfectiores.

Quartò principaliter sic arguit: Sanguis continuo motu exit à corpore humano in terram scissa vena; ergò eadem forma habet esse in corpore humano vsque ad terram: at nemo dicet sanguinem viuere, dum est in terra aut in vase, in quod defluit: ergò neque in corpore humano. *Resp.* sanguinem è vena continuo motu in terrã aut in vas effluentem quamdiu continuitatem habet & calorem ac alias dispositiones vitæ necessarias, absque dubio viuere; cessante verò cõtinuatione vel dispositionibus vitam amittere, & æquiuocè tantùm esse sanguinem. Et quemadmodum brachium aut crus in corpore marcessit aut arescit & vitam amittit reliquis alijs membris illi continuis, & ipso toto homine viuente, sic mirum non est sanguinem effluentem aut effluxum in ea parte vitam amittere, quæ dispositiones amisit vitæ necessarias, & in reliqua parte intra vel extra venas illi continua viuere; & quia dispositiones istas ferè statim amittit in egressu ob euanascentes spiritus; ideò non cogimur admittere sanguinem in terra aut in vase receptum viuere, tametsi cum effluente cõtinetur.

Quintò: Sanguis dum est in venis non nutritur, nec crescit more animalis, hoc est per omnem partem secundùm proportionem; sed sicut aqua & quiuis liquor infusione alterius augetur; ergò non viuit. Probatur consequentia; quia propria operatio viuentis est crescere per omnem partem secundùm proportionem, quod idem (inquit) intelligendum est de alijs humoribus, qui sanguini admisti sunt in nutrimentum commune animalis, & de spiritibus etiam vitalibus & animalibus. *Resp. primò* falsum esse antecedens; nã sicut caro & ossa, &c. addito alimento in ipsam conuerso crescit in omnem partem, ita & sanguis addito primo alimento in ipsum conuerso crescit in omnem partem; quamuis ob fluidam sui naturam alium etiam cęteris fluidis commune habeat augumenti modum, à quo non facilè discerni potest modus augumenti vitalis. *Secundò dicò*, hoc augumentum vitale sanguini nõ deberi ob eam causam, quia est in via ad partes corporis solidiores & principaliores, quibus solis propriè conuenit tale augumentum. Quod idem dicendum est de alijs humoribus sanguini commixtis. De spiritibus autem vitalibus & animalibus neutra pars constare potest, & dici facilè posset hoc augmentum eorum naturæ non congruere, nec eis deberi.

Sextò: Contra eandem concl. argum. idem expositor probans vngues & capillos minimè viuere: Quia non augentur more viuentium secundùm proportionem ex omni parte quæ est propria operatio viuentium, sine qua nullum viuens reperitur; sed tantùm per additionem ex vna parte; ergò. Probat antecedens: quia si quis signet partem aliquam in vnguibus, aut etiam in pilis inter duo puncta, nunquàm illa pars fit maior; ergò signum est accretionem harum partium non fieri secundùm proportionem, sed per iuxta positionem. *Resp. primò* augmentum secũdùm proportionem ex omni parte proprium esse suppositi viuenti secundùm se totum, prout distinguitur ab alio supposito non viuente; non tamen necesse est vt hic modus augmenti conueniat cuilibet parti viuentis, sed vnicuique iuxta suam naturam. *Secundò dico* experimentum illud non esse omninò certum ac euidens; quia tã paruum fieri posset augmentum in ea parte, vt sensu difficillimè aut nullo modo discerni posset: neque enim necesse est in qualibet parte eãdem omninò proportionem augumenti seruari, sed iuxta cuiuslibet partis naturam & modum.

CONTRA *secundam concl.* præsertim quatenus implicat distinctionem sanguinis in nutrimentalem & in sanguinem qui est actu pars humanæ naturæ, argumentatur Suarez *Primò*; quia Scriptura, Concilia & Patres asserentes aut significantes Christi sanguinem fuisse Verbo personaliter vnitum indefinitè loquuntur: indefinita verò locutio æquialet vniuersali; ergò omnis sanguis qui fuit in corpore Christi quique ab illo pro nobis effusus est, fuit immediatè vnitus Verbo hypostaticè.

Solut. *Resp. primò* Scripturas, Concilia & Patres loqui de sanguine simpliciter & propriè dicto, qui est pars humanæ naturæ; non autem de sanguine nutrimentali qui non est absolutè & propriè sanguis, sed cum addito scilicet nutrimentalis; nec est pars humanæ naturæ sed merum eius nutrimentum. *Secundò dico* falsam esse secundam propositionem, scilicet indefinitam propositionem semper æquiualere vniuersali; alioquin è medio tollendæ esse regulæ logicales. *Tertiò dico* cum Syluestro *in allegata quæst. 31.* prædictas authoritates intelligendas esse de sanguine salubri, qui fuit effusas vt pretium nostræ redemptionis: hic verò fuit sanguis, qui erat actu pars humanæ naturæ: non autem de sanguine, qui salubriter quidem fuit effusus; non tamen propriè salubris; quia non fuit pretium nostræ redemptionis: hic autem fuit sanguis merè nutrimentalis, qui non erat actu pars humanæ naturæ: vt enim ait Syluester, omnis sanguis effusus à Christo fuit salubriter effusus; quia ad salutem contulit ex parte fundentis per modum meriti; non tamen omnis fuit salubris post effusionem per modum efficientiæ; sed solus ille qui erat pars humanæ Replica. naturæ, & cui Deitas erat vnita. *Sed hanc* respõs. impugnat Vasq. *capitulo vlt.* Quia sanguis Christi eatenus salutaris nobis fuit; quatenus cũ merito fuit effusus; non quia secundùm se vnitus esset hypostaticè; ergò nullum est discrimen inter sanguinem salubrem & sanguinem salubriter effusum. Antecedens probatur; quia nostra salus non alio modo ex sanguine Christi fuit, quã per modum meriti; nam sanguis effusus ex latere post mortem Christi non fuit causa nostræ salutis; quia licèt esset vnitus hypostaticè; non fuit effusus meritoriè. Solut. *Respond.* falsum esse antecedẽs præcisè & propriè loquendo; quia sanguis Christi non solùm per modum meriti media effusione, sicut aliæ Christi operationes fuit nobis salutaris; sed etiam, vt pretium redemptionis, & per modum sacrificij ac instrumẽti physicè mouentis & operantis, vt patet ex D. Th. *infra q. 48.* eadem enim est ratio de humanitate & de quacunque eius parte personaliter vnita Verbo; cõstat autem humanitatem ex vnione ad Verbum in vnitate personæ prædictis modis nobis fuisse salutarem, vt ibidem ait S. D. Cum itaque sanguis nutrimentalis, qui nondum erat actu pars corporis Christi, non esset Verbo personaliter vnitus, non potuit his modis nobis esse salutaris: sed per modum meriti tantum in effusione.

Obiectio. 2. *Secundò* arguit Suar. Quia si non totus sanguis, qui fuit in corpore Christi, fuit vnitus scilicet sanguis nutrimentalis; ergò neque totus sanguis qui fuit effusus, fuit vnitus: at consequens est valdè falsum; ergò. Probatur falsitas; tum quia totus sanguis effusus à Christo eiusdẽ valoris censetur in Scriptura & Patribus omnibus; tum etiam quia Clemens VI. definit quãlibet guttam sanguinis effusi fuisse infiniti valoris propter vnionem. Confirmatur; nam ex vi verborum consecrationis calicis totus sanguis ponitur sub speciebus: sed vbicunque est sanguis Solut. Christi, vel aliqua pars eius, ibi est per concomitantiam totum suppositum Christi; ergò. *Resp.* negando falsitatem consequentis intellecti de toto sanguine, tam simpliciter dicto quàm nutrimentali. Ad probationes dico eas procedere de sanguine simpliciter & propriè dicto, qui est pars humanæ naturæ; non autem de sanguine merè nutrimentali qui non est actu pars humanæ naturæ, neque absolutè sanguis est, sed nutrimentum tendens ad sanguinem & simile sanguini.

Tertiò arguit: Quia non est verisimile esse in sanguine substantialem varietatem; quãuis quo ad accidentalem perfectionem possit esse magis, vel minus purus; ergò. Antecedẽs probatur: quia illa substãtialis distinctio nullo probabili signo colligi aut discerni potest; ergò. Probatur hoc assumptum; quia quo ad exteriora accidentia totus sanguis est eiusdem modi & rationis: totus etiam est in corpore cõtinuus: nullus est etiã vsus, ad quem vnus sanguis possit deseruire, cui non videatur vtilis etiam alius; ergò. Probatur hæc pars: quia sanguis nutrimentalis & nutritioni & actionibus animalis vitæ deseruit, & eo melius quo purior est. Solut. *Resp.* hoc argumento probari dictam sanguinis distinctionem nõ esse in sanguine, qui est in venis qui est pars actu humanæ naturæ, & nuncupatur à D. Th. nutrimentalis, quia est vltimum nutrimentum humanæ naturæ: non autem probat sanguinem generaliter & analogicè sumptum non posse dicto modo distingui; ita vt sanguis nutrimentalis sit, qui non est perfectè concoctus; nec habet verè naturam sanguinis; nec adhuc ex epate transiuit ad venas. Et per hæc soluitur aliud eiusdem expositoris argumentum.

CONTRA *tertiam conclusionem* sunt argumenta, quæ referunt & soluũt Syluester, Medina, Suarez, Valentia, Vasq. & Aluarez *locis supra notatis.*

CONTRA *quartam concl.* sunt arg. quæ referunt & soluunt authores prædicti.

CONTRA *sextam* concl. arg. Suar. Quoniam hæ substantiæ non sunt de veritate humanæ naturæ, nec per se requisitæ ad perfectam consistẽtiam eius & vitæ operationes; ergò. *Resp.* falsum esse antecedens: nam cum Ros & Cambium sint ex perfectioribus ac solidioribus partibus, quàm sanguis & alij tres humores ad integritatem humanæ naturæ secundum eius esse corruptibile pertinebũt, non minus quam sanguis & alij tres humores.

CONTRA *septimam* concl. arg. Vasq. Capilli & vngues non viuunt, neque ad veritatem naturæ sed ad ornatum solùm pertinent; ergo non fuerunt vniti hypostaticè Deo. *Resp.* falsum esse antec. vt patet ex dictis.

Contra eandem concl. est hoc argum. Capilli & vngues facillimè trasmutantur per resolutionem & abscissionem & augmentum; igitur ferè continua erat harum partium assumptio & dimissio: ac proindè successu temporis non modica facta fuit assumptæ & dimissæ materiæ mutatio. Quod videtur absurdum & Damasceni illi dicto, veluti axioma commune recepto contrarium: Quod Deus semel assumpsit, nunquàm dimisit. *Resp.* nullam hic esse absurditatem sed ita accidisse necessariò dicendum est; non solùm in vnguibus & capillis, sed etiam in sanguine & in continua resolutione & nutritione cæterarũ partium: Dictum autem illud Damasceni intelligendum est de partibus illis, quæ per se primò fuerunt assumptæ, scilicet de anima & corpore: at partes illæ corporis materiales, quæ continuò resoluuntur & crescunt, assumi de nouo ac dimitti potuerunt; quo ad illam præsertim materiam quæ ad veritatem & perfectionem corporis resurgentis erant necessaria.

Obi. 3. Solut. Obi. cõt. 6. concl. Solut. Ob. cont. 7. concl. 1. Solut. Obi. 2. Solut.

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrum Filius Dei assumpserit animam.

3. d. 2. q. 1. art. 3. q. 2. & 4. cō ca. 32. 34. prin. 35. fi. 37 fi. & 41. & veri. q 20. art. 1. cap. Et vnio. a. 1. & opus. 14, 211.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd Filius Dei animam non assumpserit. Ioannes enim Incarnationis mysterium tradens dixit: *Verbum caro factum est*, nulla facta de anima mentione. Non autem dicitur caro factum, eo quòd sit in carnem conuersum, sed quia carnem assumpsit. Non ergo videtur assumpsisse animam.

Præterea, Anima necessaria est corpori ad hoc, quòd per eam viuificetur. Sed ad hoc non fuit necessaria corpori Christi, vt videtur: quia ipsum Verbum Dei, est, de quo dicitur in Ps. *Domine apud te est fons vitæ*. Superfluum ergo fuisset animam adesse, Verbo præsente. Deus autem, & natura nihil frustra faciunt: vt etiam Philosophus dicit in primo de Cæ. Ergo videtur, quòd Filius Dei animam non assumpserit.

Tex. 32. & lib. 2. text. 59.

Præterea, Ex vnione animæ ad corpus constituitur natura communis, quæ est species humana. In Domino autem Iesu Christo non est communem speciem accipere, vt Dam. dicit in 3. lib. Non igitur assumpsit animam.

Cap. 3. & 11.

Cap. 21. tom. 3.

Sed contra est, quòd Aug. dicit in libro de Agone Christiano, *Non eos audiamus, qui solum humanum corpus dicunt esse susceptum à Verbo Dei: & sic audiunt, quod dictum est, Verbum caro factum est*, vt negent illum hominem, vel animam, vel aliquid hominis habuisse, nisi carnem solam.

Cap 49. & 55. tom. 6.

Respondeo dicendum, quòd sicut dicit Augustin. in lib. de hæresibus: opinio fuit primò quidem Arrij, & postea Apollinaris, quòd Filius Dei solam carnem assumpsit absque anima, ponentes, quòd Verbum fuerit carni loco animæ. Ex quo sequebatur, quòd in Christo non fuerint duæ naturæ, sed vna tantum: ex anima enim & carne; vna natura humana constituitur.

Sed hæc positio stare non potest propter tria. Primò quidem: quia repugnat authoritati Scripturæ, in qua Dominus de sua anima facit mentionem Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, & Ioann. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam*. Sed ad hoc respondebat Apollinaris, quòd in his verbis anima metaphoricè sumitur: per quem modum in vet. Test. Dei anima commemoratur, Isa. 1. *Calendas vestras, & solennitates vestras odiuit anima mea* Sed sicut dicit

1. 80. to. 4.

Augustin. in lib. 83. quæst. Euangelistæ in euangelica narratione narrant, quòd miratus est Iesus, & iratus, & contristatus, & quòd esuryt. Quæ quidem ita demonstrant eum veram animam habuisse: sicut ex hoc; quòd comedit, & dormiuit, & fatigatus est, demonstratur eum habuisse verum corpus humanum. Alioquin si & hæc ad metaphoram referantur, cum similia legantur in vet. Testam. de Deo, peribit fides Euangelicæ narrationis. Aliud enim est, quod propheticè nuntiatur in figuris, aliud quod secundum rerū proprietatem ab Euangelistis historicè scribitur. Secundò derogat prædictis error vtilitati Incarnationis, quæ est liberatio hominis. Vt enim argumentatur Aug. in

Cap. 13. to. 6.

lib. contra Felicianum: *Si accepta carne Filius Dei animam omisit, aut innoxiam sciens, medicinæ indigentem non credidit, aut à se alienam putans, redemptionis beneficio non donauit, aut ex toto insanabilem iudicans, curare nequiuit, aut vt vilem, & quæ nullius vsibus apta videretur, abiecit: Horum duo blasphemiam important in Deum: quomodo enim diceretur Omnipotens, si curare non potuit desperatam? aut quomodo omnium Deus, si non ipse fecit animam nostram? Duobus autem aliis, in vno animæ causa nescitur, in altero meritum non tenetur. Aut intelligere causam putandus est animæ, qui eam ad accipiendam*

A *legem habitu infinitæ rationis instructam à peccato voluntariæ transgressionis nititur separare? Aut quomodo eius generositatem nouit, qui ignobilitatis vitio dicit esse despectam? Si originem attendas, pretiosior est animæ substantia: si transgressionis culpam, propter intelligentiam, peior est carne. Ego autem Christum, & perfectam sapientiam scio, & pijssimum esse non dubito: quorum primò meliorem, & prudentiæ capacem non despexit: secundò eam, quæ magis fuerat vulnerata, suscepit. Tertiò verò hæc positio est contra ipsam Incarnationis veritatem: caro enim, & cæteræ partes hominis per animam speciem sortiuntur. Vnde recedente anima, non est os, aut caro, nisi æquiuocè, vt* B *patet per Philosophum in 2. de anima, & 7. Metaphys.*

Lib. 2. de anima tex. 9 lib 7. metap. tex. 35.

Ad primum ergo dicendum, quòd cum dicitur, Verbum caro factum est, caro ponitur pro toto homine: ac si diceret, Verbum homo factum est: sicut & Isa. 40. Videbit omnis caro pariter, quòd os Domini loquutum est. Ideo autem totus homo per carnem significatur: quia, vt dicitur in authoritate inducta, per carnē Filius Dei visibilis apparuit. Vnde subditur, Et vidimus gloriam eius. Vel ideo: quia vt Aug. dicit in lib. 83. quæst. in tota illa vnitate susceptionis principale Verbum est, extrema autem, atque vltima caro. Volens itaque Euangelista commendare pro nobis dilectionem humilitatis Dei, Verbum, & carnem nominauit, omittens animam, quæ est Verbo inferior, carne præstantior. Rationabile etiam fuit, vt nominaret carnem: quæ propter hoc, quòd magis distat à Verbo, minus assumptilis videbatur.

q. 80. to. 4.

Ad secundum dicendum, quod Verbum est fons vitæ, sicut prima causa vitæ effectiua. Sed anima est principium vitæ corpori tanquam forma ipsius: forma autem est effectus agentis. Vnde ex præsentia Verbi magis concludi posset, quòd corpus esset animatum: sicut ex præsentia ignis potest concludi, quòd corpus, cui ignis adhæret, sit calidum.

Ad tertium dicendum, quòd non est inconueniens, imò necessarium dicere, quòd in Christo fuerit natura, quæ constituitur per animam corpori aduenientē. Damas. autem negat, in Domino Iesu Christo esse communem speciem, quasi aliquid tertium resultans ex vnione diuinitatis, & humanitatis. D

Sensus quæsiti.

SENSVS & ratio præsentis quæsiti patet ex littera S. Thom. de anima namque propriè dicta sermo est aduersus hæresim Arrij & Apollinaris.

Forma Textus.

REFERTVR *primò* error Arrij & Apollinaris negantium Filium Dei animam assumpsisse. *Secundò* confutatur tribus argumentis & simul probatur opposita VERITAS; *nimirum* E *Dei filium animam assumpsisse*. Primum argumentum est ex sacris litteris, in quibus Christus de sua anima facit mentionem, vt patet *Matt. 26. & Ioan. 10.* Et quia respondebat Apollinaris, animam in illis locis metaphoricè sumi, hanc interpretationem confutat argumento ex Augustin. desumpto, vt patet in textu. *Secundum* argumētum est: quoniam error prædictus derogat vtilitati Incarnationis; ergò. Antecedens probatur ratione ex Augustino ad Verbum relata. *Tertium* argumentum est: Quia positio illa est contra ipsam Incarnationis veritatē; ergò. Antecedēs probatur; quia sine anima nō est os, aut caro nisi æquiuocè; ergò. Probatur hoc assūptū, primò: quia caro, & cęterę partes hominis per animā speciem for-

fortiuntur. Secundò authoritate Philosophi in secundo *de anima*, & 7. *Metaph.*

Expositio Textus.

LEGENDA sunt quæ breuiter ac eruditè notat hic Med. & Magister Por. *in appendicè* & Val. *supra q. 2. puncto 1. §. Quartus error:* nihil enim aliud addendum occurrit.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Filius Dei assumere debuerit intellectum.

3. d. 2. q. 1. a. 3. q. 2. c. & 4 con. c. 33. & veri. q. 20. a. 10. & vnio. a. 1. & opus. 3. c. 212. — AD quartum sic proceditur. *Videtur, quòd Filius Dei non assumpserit mentem humanam, siue intellectum. Vbi enim est præsentia rei, non requiritur eius imago. Sed homo secundum mentem est ad imaginem Dei, vt Aug. dicit in lib. de Trin. Cum ergo in Christo fuerit præsentia ipsius diuini Verbi, non oportuit ibi esse mentem humanam.*

Lib. 14. c. 3. & to. 3. — *Præterea, Maior lux offuscat minorem. Sed Verbũ Dei, quòd est lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum (vt dicitur Io. 1.) comparatur ad mentem, sicut lux maior ad minorem: quia, & ipsa mens lux quædam est, quasi lucerna illuminata à prima luce. Prouerb. 10. Lucerna Domini spiraculum hominis. Ergo in Christo, qui est Verbum Dei, non fuit necessarium esse mentem humanam.*

Tex. 6. & 12. — *Præterea: Assumptio humanæ naturæ à Dei Verbo, dicitur incarnatio eius. Sed intellectus, siue mens humano neque est caro, neque est actus carnis, quia nullius corporis actus est: vt probatur in tertio de Anima. Ergo videtur, quòd Filius Dei humanam mentem non assumpserit.*

Cap. 14. to. 3. — *Sed contra est, quòd Augustt. dicit in lib. de fi. ad Pe. Firmissimè tene, & nullatenus dubites Christum Filium Dei habere veram nostri generis carnem, & animam rationalem, qui de carne sua dicit, Palpate & videte: quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere, Luc. vlt. Animam quoq; se habere ostendit dicens, Ego pono animam meam, & iterum sumo eam. Io. 10. Intellectum quoq; animæ ostendit se habere dicens, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, Matt. 11. Et de ipso per Prophetã Deus dicit, Ecce intelliget puer meus, Isa. 52.*

Cap. 55. to. 6. — *Respondeo dicendum, quòd sicut Aug. dicit in lib. de hæresibus, Apollinaristæ de anima Christi à Catholica Ecclesia dissenserunt, dicentes, sicut Arriani, Deum Christum carnem solam sine anima suscepisse. In qua quæstione testimonijs Euangelicis victi, mentem defuisse animæ Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse dixerunt. Sed hæc positio eisdem rationibus conuincitur, sicut & prædicta. Primò enim hoc aduersatur narrationi Euangelicæ, quæ commemorat eum fuisse miratum, vt patet Matth. 8. Admiratio autem absque ratione esse non potest: quia importat collationem effectus ad causam: dum scilicet aliquis videt effectum, cuius causam ignorat, & quærit: vt dicitur in principio Metaphysicæ. Secundò repugnat vtilitati Incarnationis, quæ est iustificatio hominis à peccato. Anima enim humana non est capax peccati, nec gratiæ iustificantis, nisi per mentem. Vnde præcipuè oportuit mentem humanam assumi. Vnde dicit Damascen. in 3. lib. quòd Dei Verbum assumpsit corpus, & animam intellectualem, & rationalem. Et postea subdit, Totus toti vnitus est, vt toti mihi salutem largiretur: quòd enim inassumptum est, incurabile est. Tertiò hoc repugnat veritati Incarnationis: cum enim corpus proportionetur animæ, sicut materia propriæ formæ, non est verè caro humana, quæ non est perfecta anima humana, scilicet rationali. Et ideo, si Christus animã sine mente habuisset, non habuisset veram carnem humanam, sed bestialem: quia per solam mẽtem anima nostra differt ab anima bestiali. Vnde dicit Aug. in lib. 83. q. quòd secundum hunc errorem sequeretur, quòd Filius Dei beluam quandam cum figura humani corporis suscepisset. Quod iterum repugnat veritati diuinæ, quæ nullam patitur fictionis falsitatem.* Cap. 2. Cap. 6. 2. 80. to. 4.

Ad primum ergo dicendum, quòd vbi est ipsa res per sui præsentiam, non requiritur eius imago ad hoc, quòd suppleat locum rei: sicut, vbi est imperator, milites nõ venerantur eius imaginem. Sed tamen requiritur cũ præsentia rei imago ipsius, vt perficiatur ex ipsa rei præsentia, sicut imago in cera perficitur per impressionem sigilli, & imago hominis resultat in speculo per eius præsentiam. Vnde ad perficiendam mentem humanam, necessarium fuit, quòd eam sibi Verbum Dei vniuerit.

Ad secundum dicendum, quòd lux maior euacuat lucem minorem alterius corporis illuminantis, non tamen euacuat, sed perficit lucem corporis illuminati: ad præsentiam enim solis, stellarum lux obscuratur, sed aeris lumen perficitur. Intellectus autem, seu mens hominis est quasi lux illuminata à luce diuini Verbi: & ideo per præsentiam Verbi non euacuatur mens hominis, sed magis perficitur. Inf. q. 9. a. 1. ad 2. Et 3. d. 13. q. 1. a. 1. ad 3. & d. 14. art. 1. q. 1. ad 2.

Ad tertium dicendum, quòd, licet potentia intellectiua non sit alicuius corporis actus: ipsa tamen essentia animæ humanæ, quæ est forma corporis, requiritur, quòd sit nobilior ad hoc, quòd habeat potentiam intelligendi: & ideo necesse est corpus melius dispositum ei respondeat.

Sensus quæsiti.

SVMITVR hic intellectus tam pro potentia intelligendi quàm pro ipsa animæ rationalis essentia, ex qua veluti ex fonte vis intellectiua promanat; sed quis horum duorum sensus sit alteri præponendus, non facilè dixerim: si tamen vnionem ipsam hypostaticam attendamus, certum est hic principaliter animam rationalem intendi: illi enim per se ac immediatè conuenit assumi. Potentia verò intellectiua dicitur assumi, quatenus facultas est animæ Verbo personaliter vnitæ: si verò finem Incarnationis, qui est redemptio facta per operationes intellectus & voluntatis, consideremus, de virtute intellectiua principaliter inquiri certum est & priori quidẽ sensui fauet, tertia probatio S. D. in textu: posteriori verò duæ priores. Argumentum autem *sed contra* vtrumque complectitur sensum. Et quoniam vnio principalior est operatione, & ex anima rationali, velut ex radice procedit intellectus: cuius nobilitas & abstractio ex animæ rationalis nobilitate & abstractione deriuatur, quamuis ex intellectus operatione rationalis animę natura, vt ab effectu nobis notiori cognoscatur, ideò simpliciter loquendo de intellectu quæstio principaliter est, prout idem est quod anima intellectiua siue rationalis. Hunc autem esse legitimum huius quæsiti sensum satis clarè patet ex disputatione Sanct. Doct. aduersus Apollinarem *in quarta cont. gent. cap. 33.* Vbi probat Verbum animam assumpsisse rationalem contra dictum hæreticum asserentem illum assumpsisse animam sensitiuam. Vide etiam, quæ circa sensum huius quæsiti notat Suarez.

For-

Formâ Textus.

REFERITVR *primò* ex Augustino hæresis Apollinaristarum dicentium Deum Christũ carnem solam sine anima rationali susceпisse. *Deinde tribus* rationibus cõfutatur & eisdem probatur opposita *veritas, nimirum debuisse Dei filium animam rationalẽ & Mentẽ assumere.* Prima ratio est; quia opinio illa aduersatur narrationi euangelicæ &c. *Secunda* ratio est; quia repugnat vtilitati Incarnationis, quæ est iustificatio hominis à peccato &c. *Tertia* ratio est: quia repugnat veritati Incarnationis.

Expositio Textus.

HAERESIM Apollinaris refert accuratè & confutat Vasq. *disp. 37. c. 1. & 2.*

Circa primam rationem nota declarationem Cai. Quomodo autem in Christo fuerit admiratio, declarat S. D. & expositores *infra quæst. 15. art. 8.*

Circa secundam & tertiam rationem aduertè, potuisse quidem Deum per sui potentiam absolutam animam assumere sine mente, & actiones eius ac assumptæ naturæ ad iustificationem hominis ordinare, & per eas efficaciter hominem à perditione liberare: quamuis ea liberatio non fuisset per modum meriti, sed alijs modis, puta redemptionis, sacrificij & efficientiæ physicè, sed longe minor fuisset in hac assumptione ac liberationis modo congruentia ob secundam & tertiam rationem D. Th. in textu; in quibus Verbum repugnantiæ solam conuenientiæ negationem importat: nam quod attinet ad secundam rationem, certum est homines per actiones & passiones assumptæ naturæ, etiamsi nulla esset in ea gratia habitualis, potuisse iustificari (quãuis non ita congruè) quoniam ex gratia vnionis valor in eas deriuaretur infinitus. Tertia verò ratio, quæ magis vrget, probat eam assumptionem repugnare veritati diuinæ, supposito quòd Deus alia via veritatem aperiendo mentes hominum non præseruasset ab errore; sed facta veritatis manifestatione sola supereresset minor conuenientia. Vide præterea quæ notat hic Med. & Por. *in appendice.*

QVAESTIO SEXTA.

De modo assumptionis quantùm ad ordinem in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est *de ordine Assumptionis prædictæ.*

Circa quod quæruntur sex,

Primò, vtrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.

Secundò, vtrum assumpserit animam mediante spiritu, siue mente.

Tertiò, vtrum anima fuerit prius assumpta, quam caro.

Quartò, vtrum caro Christi fuerit prius à Verbo assumpta, quàm anima vnita.

Quintò, vtrum tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus.

Sextò, vtrum sit assumpta mediante gratia.

Ratio ordinis.

IN NATVRA assumpta à Filio Dei considerauimus *primò* naturalia substantialia, quales sunt partes eius essentiales scilicet anima & caro & ipsa tota natura. *Secundò* superadditas perfectiones supernaturales, ex quibus præcipua est gratia; igitur de ordine assumptionis humanæ naturæ agit primo S. D. quo ad substantialia inter se comparata *in primis 5. art.* Deinde quo ad substantialia per comparationem ad gratiam *in vltimo artic.* Quo ad substantialia verò inter se comparata, duplex ordo in assumptione potest inter ea considerari, scilicet naturæ & temporis. Differit ergò primò S. D. de vtroque ordine assumptionis inter partes essentiales humanæ naturæ, quæ sunt anima & caro, *in primis quatuor articulis*: deinde de ordine assumptionis inter totam humanam naturam, & eius partes *in quinto articulo.* Quo ad ordinem autem assumptionis inter partes, quæritur primò de ordine naturæ *in 1. & 2. artic.* deinde de ordine temporis *in tertio & quarto artic* Prius autem agit S. D. de ordine naturæ quam de ordine temporis, primò quia assumptioni vt assumptio est, proximior & vt ita dicam intimior est ordo naturæ, quã ordo temporis: quoniam ordo naturæ de quo quæritur, est ordo causalitatis in assũptione passiua; quatenus scilicet vnum est alteri causa siue ratio, quòd sit assumptibile: ordo verò temporis omninò extrinsecè & per accidens se habet ad assumptionem: secundò quia ordo doctrinæ postulat, vt primò quæ vera sunt & ex principijs notis lumine naturali sunt demonstrabilia, præmittantur: deinde falsitates excludantur, quæ circa eandem materiam, licèt non secundum eandem rationẽ catholicæ veritati sunt aduersæ. Cum itaque sit in assumptione partium humanitatis verus ordo naturæ: nullus autem sit ordo temporis & hunc statuere sit error intollerabilis, rectè prius de ordine naturæ quàm de ordine temporis quæsita proponuntur. Et quia prima & notissima comparatio partium secundùm ordinem naturæ est illa, quæ fit inter carnem siuè corpus & animam, quæ sunt veræ & reales partes humanitatis: altera verò magis occulta est illa, quæ est inter animam & spiritum siuè mentem, qui sunt duo gradus vel quasi duę partes animæ secundùm rationem; ideò primo agit de ordine assumptionis inter carnem & animam *in primo art.* Deinde de ordine assumptionis inter animam & spiritum siuè mentem *in secundo articulo.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Filius Dei assumpserit carnem mediante anima.

AD *primum sic proceditur. Videtur*, quòd Filius Dei non assumpserit carnem mediante anima, *Perfectior enim est modus, quo Filius Dei vnitur humanæ naturæ, & partibus eius, quàm quo est in omnibus creaturis. Sed in creaturis est immediatè per essentiam, potentiam, & præsentiam. Ergò multò magis Filius Dei immediatè vnitur carni, & non mediante anima.*

Præterea: Anima & caro vnita sunt Dei Verbo in vnitate hypostasis, seu personæ. Sed corpus immediatè pertinet ad personam, siue hypostasim hominis, sicut & anima, quin imò magis videtur se de propinquo habere ad hypostasim corpus, quod est materia, quàm anima, quæ est forma: quia principium individuationis, quæ importatur in nomine Hypostasis, videtur esse materia. Ergo Filius Dei nõ assumpsit carnem mediante anima.

Præterea: Remoto medio separantur ea, quæ per medium coniunguntur: sicut remota superficie, cessaret color à corpore, qui inest corpori per superficiẽ. Sed separata per mortem anima, adhuc remanet vnio Verbi ad

3 d. 2 q. 2. ar. 1. & disp. 3 q. 5. a. 2. cor. & 4. contra c. 44. Et spiritu, art. 3.

q 50. ar. 2 bi ad carnem: quod infra patebit. Ergo Verbum non A
coniungitur carni mediante anima.

Sed contra est, quod Augustl. dicit in Epist. ad Volusianum: Ipsa magnitudo diuinæ virtutis, animam sibi rationalem, & per eandem corpus humanum, totũque omnino hominem in melius mutandum coopta-
Inf. art 3. & q. 33. a. 2. & 3. d. 2. q. 2. art. 3. Epi. 3. 10. 2. uit.

Respondeo dicendum, quòd medium dicitur respectu principij, & finis. Vnde, sicut principium, & finis important ordinem, ita & medium. Est autem duplex ordo. Vnus quidem temporis, alius autem naturæ. Secũdum autem ordinem temporis nõ dicitur in mysterio Incarnationis aliquid medium: quia totam humanam
q. 33. ar. 3. naturam simul sibi Verbum Dei vniuit: vt infra patebit. Ordo autem naturæ inter aliqua potest attendi dupliciter. Vno modo secundum gradum dignitatis, sicut dicimus Angelos esse medios inter homines, & Deũ. Alio modo secundum rationem causalitatis: sicut dicitur media causa existere inter primam causam, & vltimum effectum. Et hic secundus ordo aliquo modo cõsequitur primum: sicut enim dicit Dion. 13. c. de Diuinõ. Deus per substantias magis sibi propinquas agit in ea, quæ sunt magis remota. Sic ergo, si attendamus gradum dignitatis, anima media inuenitur inter Deũ, & carnem: & secundum hoc potest dici, quod Filius Dei vniuit sibi carnem mediante anima, sed & secundum ordinem causalitatis ipsa anima est aliqualiter causa carnis vniendæ Filio Dei: non enim esset assumptibilis, nisi per ordinem, quem habet ad animam rationalem, secundum quem habet, quòd sit caro humana. Dictum est enim supra, quod natura humana præ
q. 4. art. 5. cæteris est assumptibilis.

Ad primum ergo dicendum, quòd duplex ordo considerari potest inter creaturam, & Deum, Vnus quidem secundum quòd creaturæ causantur à Deo, & dependent ab ipso, sicut à principio suiesse: & sic propter infinitatem suæ virtutis Deus immediatè attingit quãlibet rem, causando, & conseruando. Et ad hoc pertinet, quòd Deus immediatè est in omnibus per essentiã, præsentiam, & potentiam. Alius autem ordo est, secundum quòd res reducuntur in Deum, sicut in finem. Et quantum ad hoc inuenitur medium inter creaturã & Deum: quia inferiores creaturæ reducuntur in Deũ per superiores: vt dicit Dionys. in lib. Cæles. hierar. Et ad hunc ordinem pertinet assumptio humanæ naturæ à Verbo Dei, quod est terminus assumptionis: & ideo per animam vnitur carni.

Ad secundum dicendum, quòd si hypostasis Verbi Dei cõstitueretur simpliciter per humanam naturam, sequeretur quòd corpus esset ei vicinius: cùm sit materia, quæ est indiuiduationis principium: sicut & anima, quæ est forma specifica, propinquius se habet ad naturam humanam. Sed quia hypostasis Verbi est prior & altior, quam humana natura, tantò id quod est in humana natura, propinquius ad eam se habet, quãtò est altius: & ideò propinquior est Verbo Dei anima, quam corpus.

Ad tertium dicendum, quòd nihil prohibet, aliquid esse causam alicuius quantum ad aptitudinem, & cõ- E
gruitatem, quo tamen remota, illud non tollitur: quia fieri alicuius dependet ex aliquo, postquam tamen est in facto esse, ab eo non dependet. Sicut si inter aliquos amicitia causatur aliquo mediante, eo recedente adhuc amicitia remanet: & si aliqua in matrimoniũ ducitur propter pulchritudinem (quæ facit congruitatẽ in muliere ad copulam coniugalem) tamen pulchritudine cessante, adhuc durat copula coniugalis. Et similiter separata anima, remanet vnio Verbi ad carnem.

Sensus quæsiti.

CARNIS nomine totum corpus hic intelligitur, quod ex principaliori parte significatur: dictio verò illa *mediante*, id est medij rationem habente, declaratur in textu, vt hic etiam aduertit Caietanus.

Forma Textus.

PRAEMISSA distinctione cum sub diuisione respondetur quæsito tribus conclusionibus: *Distinctio* est: Medium dupliciter dicitur, scilicet B
secundùm ordinem temporis & secundùm ordinem naturæ. Probatur; quia, sicut principium & finis important ordinem, ita, & medium: sed duplex est ordo; vnus quidem temporis: alius autem naturæ; ergò duplex est medium: vnum secundùm ordinem temporis: & aliud secundũ ordinem naturæ. Prima propositio probatur; quia medium dicitur respectu principij & finis; ergò, sicut principium, & finis important ordinem, ita & medium.

Subdiuisio est: ordo naturæ inter aliqua potest attendi dupliciter: Vno modo secundum gradũ dignitatis, sicut dicimus Angelos esse medios inter homines & Deum: Alio modo secundùm rationem causalitatis, sicut dicitur media causa C
existere inter primum & vltimum effectum. Declaratur hæc subdiuisio comparatione membrorum eius adinuicem: nam secundus ordo aliquo modo consequitur primum. Quia sicut ait Dionysius: Deus per substantias magis sibi propinquas ait in ea, quæ sunt magis remota.

PRIMA CONCL. *Secundum ordinem temporis non dicitur in mysterio Incarnationis aliquid medium.* Probatur: quia totam humanam naturam simul sibi Verbum vniuit; ergò.

SECVNDA CONCL. *Si attendamus gradum dignitatis potest dici, quod filius Dei vniuit sibi carnem mediante anima.* Probatur; quia anima media inuenitur inter Deum & carnem.

TERTIA CONCL. quæ non nisi implicitè D
habetur in textu: *Secundùm ordinem causalitatis Filius Dei vnitur sibi carnem mediante anima.* Probatur: quia anima est æqualiter causa carnis vniendæ Filio Dei; ergò. Antecedẽs probatur: quia caro non esset assumptibilis, nisi per ordinem, quem habet ad animam rationalem; ergò. Probatur hoc assumptum: quia caro secundùm hunc ordinem habet vt sit caro humana; ergò non est assumptibilis, nisi per hunc ordinem. Probatur hæc consequentia; quia natura humana præ cæteris est assumptibilis.

Expositio Textus.

ADVERTE *primò* primam conclusionem in E
textu positam fuisse, non vt principaliter intentam sed ad faciliorem difficultatis propositæ declarationem: iam enim diximus, quæsitum huius articuli intelligendum esse de medio assumptionis secundùm ordinem naturæ tantùm. De eius veritate disputant latè Suar. *disput. 16.* & Vasq. *disp. 37. c. 4.*

Secundo Nota primum argumentum D. Tho. ad modũ enthymematis sic posse formari: Deus est in creaturis immediatè per essentiam, potentiam & præsentiam; ergò multò magis Filius Dei immediatè vnitur carni & non mediante anima. Antecedẽs patet: Consequentia probatur: quia perfectior est modus essendi quo filius Dei vni-

vnitur humanæ naturæ, quàm quo est in omnibus creaturis. Responsio verò formalis consistit in negatione consequentiæ. Cuius negationis rationem affert S. D. quia duplex (inquit) est ordo inter creaturam & Deum: alter secundùm dependentiam creaturæ ab ipso tanquàm à principio sui esse, & secundùm hunc ordinem necesse est, Deum attingere immediatè quamlibet rem causando & conseruando: ac proindè esse in omnibus rebus immediatè per essentiam, potẽtiam & præsentiam: Quia virtus Dei agentis est infinita: alter ordo est secundùm reductionem rerum in Deum tanquàm in finem; & secundùm hunc ordinem inuenitur medium inter creaturam & Deum, vt patet ex Dionysio. Et ad hunc ordinem pertinet assumptio humanæ naturæ à Verbo Dei, quod est terminus assumptionis, & ideò per animam vnitur carni.

In qua responsione duo sunt obseruanda, & explicanda. PRIMVM est ratio illius dicti; videlicet *secundùm ordinem dependentiæ creaturarum à Deo necesse est Deum attingere quamlibet rem immediatè*, &c. Probatur enim hic; quia virtus Dei agentis est infinita. Cuius rationis vim explicat S. D. *in 3. cont. gent. cap. 68.* radix autem eius habetur *in 1. p. q. 8. a. 1.* Vbi probatur Deum esse in omnibus rebus immediatè; quia Deus est ipsum esse per essentiam, ex quo sequitur, quòd esse creatum est proprius effectus eius: esse autẽ, vt ait S. Doct. ibi, est illud quod est magis intimum cuilibet & quod profundius inest: igitur oportet vt Deus sit in omnibus & intimè: constat autem ipsum esse per essentiam esse infinitũ simpliciter: & ideò ei tanquàm agenti simpliciter infinito deberi virtutem infinitam simpliciter, qua causet rerum omnium esse, quod est omnibus rebus intimum; ideò oportet, vt Deus sit in omnibus immediatè per essentiam, potentiam & præsentiam; sed hic non est locus plura dicendi. Vide quæ scripsimus *in quatuor Contr. ad dictum a.* SECVNDO obseruandum est D. Th. hic loqui de medio secundùm ordinem executionis ad finem assequendum: non autem secundùm ordinem intentionis: est enim sermo de medio quo caro disponitur ac præparatur & redditur idonea, vt assumatur à Verbo. Tale verò mediũ est mediũ nõ intẽtionis sed executionis: vt etiã aduertit Vas. *disp. 37. c. 7.* Et nõ loquitur S. D. de medio quod, sed de medio quo, vt ex dicendis patebit, & hic optimè post Caiet. probãt expositores. Tale verò medium inter creaturam & Deum non inuenitur secundùm priorem ordinem, quo creaturæ causantur à Deo: non enim forma disponit & præparat materiam vt creationi sit idonea, sed ipsa materia ex sui natura, & secundùm seipsam, & non minus quàm forma immediatè refertur ad Deum, vt primam causam creantem illam & conseruantem; cùm sit ens per participationem, sicut & forma. Deindè quod præparatur ad aliquid ex actione agentis recipiendum, oportet vt prius natura saltem sit ens reale extra causas antè actionem illam, & eius effectum: implicat autem materiam esse ens reale extra causas ante actionem Dei creantis, & ante creationis effectum: quia proprius creationis effectus est esse in rerum natura extra causas; ergò non potest materia per formam, vt mediũ præparari vt sit apta creationi. Et ex his patet vanam esse obiectionem Suarezij contra responsionem hanc D. Th. & solutionem seu magis excusationem nullius esse momenti.

Vasquezij obiectio diluitur.

Circa resp. ad secundum Notanda est doctrina Cai. cuius sensum nõ videtur Suar. attigisse: non enim comparat Cai. subsistentiam animæ cum subsistentia materiæ; quia secundùm illum & veritatem materia nullam habet sibi propriam subsistentiam: sed ait, animam intellectiuam nõ deferre secum subsistentiam illi propriam, vt quod subsistit, nisi in potentia: sed esse propriũ subsistentiæ principium vt quo, & habere occasionaliter hæcceitatem à corpore. Suarez autem ait, animam intellectiuam esse subsistens perfectius quàm corpus, quidquid (inquit) dicat Cai. hanc enim comparationem neq; somniat Cai. Vide etiam ea, quæ scribit Aluar. *circa eandem responsionem.*

Postremò circa resp. ad tertium D. Th. lege quę notat Cai. & post eum Suar. *in Com.* Et Vasq. *disp. 37. c. 9.* Vbi doctrinam Caiet. declarat: sed Corollarium ab eo deductum impugnat, nimirum carnem ipsam in se terminare assumptiuam actionem & non solum vt animata & humana, licèt non attingeret eam, nisi esset animata: sic autem *Vasquezij obiectio.* *arguit*: Si carnem accipiat non pro materia prima secundùm se, sed quatenus habet aliud esse substantiale, sequitur eatenus solùm vnitam mansisse, quatenus viuebat per animam rationalem: si verò accipiat carnem pro materia prima secundùm se, aut prout habet aliquas dispositiones accidentarias non minus falsa est: quia materia prima vniri non potest Verbo peculiari vnione, neque ipsa secundùm se à Verbo terminari, quãdiu est in humanitate, sed vnica solum vnione & sustentatione totius humanitatis Verbo vniri & sustentari potest; ergò dictum Corollarium falsum est. Deinde caro Christi mortua non ideò in triduo mansit vnita; quia retinuerit vnionem propriam, quam prius habuerit, sed alia *Solutio* ratione. *Resp.* carnem accipi pro materia prima, quatenus ordinem habet ad animam rationalem: Ad rationem aduersus hanc partem dico nullam esse consequentiam: quia aliud est materiam primam vniri Verbo secundùm se, & non tantùm ea ratione qua est vnita formæ & cum ea constituit humanitatem: & aliud est eam vniri materiæ vnione particulari distincta ab vnione humanitatis cum Verbo: illud enim verum est, hoc autem falsum; quia vna tantum est vnio ad partes secundùm se, & ad totum secundùm se terminata: & ideò verum etiam est carnem Christi in triduo (sumendo carnem pro materia animę) ideò mãsisse vnitã Verbo; quia retinuit vnionem illam Verbi cum humanitate secundùm eam rationem, qua terminabatur ad ipsam materiam secundùm se.

CONTROVERSIA VNICA.

De veritate & sensu secundæ & tertiæ Conclusionis D. Thom. An scilicet & quomodo Filius Dei vnierit sibi carnem mediante anima.

Sententiæ Doctorum.

DVR. *in 3. dist. 2. quæst. 2.* negat vllum in assumptione humanitatis fuisse ordinem secundùm naturam inter animam & carnem, & ait dicta Sanctorum Patrum esse intelligenda de ordine secundùm rationem duobus modis considerandum, scilicet secundùm partium dignitatem & secundum fructum assumptionis in eis participatum. Et quia maior est animæ dignitas quàm carnis, & maior fructus in anima quàm in carne; & maior in mente quàm in cæteris animæ potentijs participatur: ideò Verbum dicitur carnem assumpsisse mediante

diante anima & animam mediante mente.

Suar. *disp. 17.* Vbi Scoti, Cai. & aliorum plurium Scholasticorum sententias haud fideliter refert, vndecim dictis suam explicat opinionem. *Primum* est ordine intentionis vnionem animæ ad corpus esse aliquo modo naturâ priorem vnione eiusdem ad verbum. *Secundum* est: ordine executionis prius natura animam esse vnitam Verbo, quàm corpori. *Tertium* est: ordine intentionis priorem esse vnionem carnis ad animam quàm ad Verbum. *Quartum* est: ordine executionis carnem esse prius vnitam Verbo; quàm animæ. *Quintum*, ordine intentionis animam prius natura assumptam esse, quàm caro. *Sextum*, ordine executionis vtramque partem dici posse prius assumptam, quàm alia in suo genere causæ: simpliciter tamen videri assumptionem corporis præcedere hoc ordine naturæ. *Septimum* est: animam non fuisse medium ad assumendum carnem tanquàm vinculum vniens ipsam ad Verbum. *Octauum* est: Animam non fuisse tale medium ad assumendam carnem, vt ad illam solam sit vnio immediatè terminata, ad corpus verò solùm mediatè, quatenus animæ vnitum est: sed hoc sensu tam corpus quàm anima immediatè assumpta sunt. *Nonum* est: vnionem Verbi ad animam non fuisse medium ad assumendam carnem tanquàm viam ad illam; nec quia ex illa necessariò consecuta sit carnis assumptio. *Decimum*; corpus dici assumi mediante anima; quia corpus non fuit assumptibile, nisi ratione animæ & in ordine ad animam; non quia necesse sit, vt actualis vnio ad animam ordine naturæ præcesserit: nec quia ipsa anima ordine executionis prius natura assumpta fuerit; sed ideò quod caro assumpta sit propter habitudinem ad animam & ratione illius. *Vltimum* est: animam respectu carnis assumendæ fuisse medium ex congruentia absolutè loquendo. Si verò sermo sit de Incarnatione ad nostram redemptionem ordinata, potest in ordine ad talem finem esse medium necessarium. Sed hic dicendi modus longè distat à sententia D. Tho. Caietani, Scoti, Medinę, Vasquezij & aliorum veterum ac recentiorum Scholasticorum, præsertim verò Thomistarum inferius explicanda; ac pro viribus defendenda. Ad cuius euidentiam.

Resolutio Propositis septem distinctionibus explicatur modi, quibus anima potest aut non potest esse medium in assumptione.

Præmittenda sunt primò nonnullæ distinctiones & fundamenta, vt ex eis secundùm veritatẽ & mentem D. Th. quæsito respondeamus, & argumenta quibus innititur opposita sententia diluamus. *Prima distinctio* est: Animam fuisse medium in assumptione carnis tripliciter existimari potest: *Primò*, vt fuerit medium ad modũ vinculi inter Verbum & carnem, quod antiquiores Theologi vocant medium colligantiæ, vt Ricard. & Bonau. *in 3. dist. 2. Secundò*, vt sit mediũ solius extrinsecę denominationis: ita scilicet vt anima sola secundùm se ac propriè dicatur assumi ad vnitatem & subsistentiam Verbi personalem: caro autem siuè corpus non dicatur assumi secundùm se; sed ratione tantùm animæ; sicut accidentia Christi dicuntur assumpta & vnita Verbo, non immediatè & secundùm se; sed mediatè tantùm & ratione assumptæ humanitatis cui inhærent. *Tertiò*, vt anima sit medium secundùm ordinem naturæ, tanquàm causa & ratio assumendi corpus. *Secunda distinctio est:* animam esse medium hoc tertio modo contingit dupliciter: *Vno modo*, vt anima ita sit causa vt corpus assumatur, quòd anima prius intelligatur assumi, sicut in generatione hominis prius secũdùm ordinem naturæ generatur homo quàm risibile; adeò vt risibile præsupponat hominem tanquàm id quod prius est genitum: *Alio modo*, vt anima sit tantùm causa siue ratio assumptionis corporis; quia scilicet est ratio quòd corpus sit assumptibile; non tamen ipsa prius assumatur, & secundùm priorem quidem mediandi modum diceretur anima medium, non solùm vt quo sed etiam vt quod in assumptione passiua: secũdùm posteriorem verò modum diceretur medium tantùm vt quo, sicut mulieris pulchritudo medium est vt quo assumendi eam in vxorem. *Tertia distinctio est:* dupliciter intelligi potest animã esse medium ad assumendum corpus: *Vno modo* secundùm ordinem intentionis: quia scilicet ex volita redemptione nostra, tanquam fine elegit Deus assumptionem animæ rationalis, quã electione mediante decreuit carnem assumere: medium enim secundùm ordinem electionis est id, quod inter ea quæ per se ordinantur ad vnũ finẽ, est ipsi fini propinquius: hoc enim est ratio & medium eligendi aliud minus eidem propinquum: sicut ad conseruandam domum eliguntur artifices, & media hac electione decernitur solutio mercedis vt habeantur artifices: *Alio modo* potest intelligi animam esse medium assumendi corporis secundùm ordinem exequutionis; quia scilicet in actuali finis affectione anima rationalis informando corpus reddidit ipsum idoneum vt assumeretur à Verbo. *Quarta distinctio est:* medium assumptionis siue vnionis corporis ad Verbum secundùm vtrunque ordinem duplex potest intelligi: *alterum necessitatis* sine quo scilicet non posset assumptio fieri, vt corporis temperamentum est medium omninò necessarium, vt anima cum eo perseueret: *alterum est congruentiæ*: id scilicet sine quo fieri posset assumptio corporis: sed eo interueniente redditur corpus assumptioni magis idoneum. *Quinta distinctio* ex D. Thom. *ad tertium* Medium congruentiæ in assumptione & vnione carnis ad Verbum duplex potest intelligi: *alterum* in fieri & in facto esse; quia scilicet per illud caro redditur assumptioni & vnioni idonea: & ideò est ratio assumendæ carnis & rursus eo remoto tollitur vnio: *Alterum* est medium tantùm in fieri, quo scilicet caro apta redditur assumptioni & vnioni; sed eo remoto non definit vnio, sicut mulieris pulchritudo medium est congruitatis ad copulam coniugalem; sed tamen amota pulchritudine perseuerat copula coniugalis.

Secunda. *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.*

Sexta distinctio: Anima respectu carnis potest dici medium necessarium dupliciter: *Vno modo* absolutè & ex natura rei: *Alio modo* ex suppositione finis quem sibi præstituit persona diuina carnem assumens.

Sexta.

Vltima distinctio est: Anima vt medium siuè necessitatis siue congruentiæ ad assumendam carnem, dupliciter potest carni vel corpori comparari: *Vno modo* sumendo carnem propriè prout est caro viuens & humana, *aut prout* caro vel corpus dicit materiam distinctam contra animam, & contra omne esse ab anima receptum: & hoc modo caro idem est, quod materia prima. Hac, vel simili distinctione vtuntur Physici ad explicandam primam animæ definitionem, qua dicitur anima esse actus corporis physici organici, &c.

Septima.

Præterea notanda est ex Caietano differentia inter

Octaua.

in assumptione non esse medium vt quod, sed tantum vt quo.

inter animam & carnem respectu assumptionis, quod inter actionem creatiuam carnis & actionem assumptiuam eiusdem ad vnitatem Verbi personalem mediat actio siuè causalitas animatiua carnis, qua scilicet à Deo creatur ac simul infunditur anima corpori, quæ ipsi dat esse viuens & rationale formaliter: sic enim efficitur humana caro, quæ sola congruentiam habet, vt assumatur à Verbo: at inter actionem animæ creatiuam & actionem assumptiuam illius nulla mediat actio; sed hoc ipso, quod est anima rationalis, habet vt congruè possit assumi. Et quia prædictus ordo est ordo naturæ secundùm veram & realem causalitatem in re: ideò rectè dicitur anima esse ratio & medium, quo caro siuè corpus assumitur: quod tamen medium scilicet anima non est necesse vt sit, quod prius assumitur, quamuis necesse sit animam assumi prius; vt quo: nam vt hic aduertit Caiet. ex hoc quod anima est ratio, vt caro sit assumptibilis, non sequitur animam assumi prius vt quod, sed tantũ vt quo. Et quia forma nullam habet actualiter & realiter causalitatem formalem respectu materiæ, nisi per actualem informationem illam actuando, & esse specificum illi conferendo; ideò caro nec fuit assumptibilis nec actu fuit assumpta, nisi postquàm actuali animæ informatione fuit animata, sicut nec anima prius fuit assumpta, quàm esset actu forma corporis; quia non prius creatur, & postea infunditur corpori, sed creatur in corpore, nec prius intelligitur in se subsistens, quàm corpus informet; cuius oppositum gratis affirmat Suar. Neque cùm actu corpus informat, subsistit vt quod, nisi in potentia: sed tantùm vt quo, quamquam in hoc differat à formis corruptibilibus, quod est semper independens à materia: propter quam independentiam potest appellari subsistens non solùm in potentia sed quodammodo etiam in actu: Sed quia dum est in corpore, non per se separatim existit; cum sit compositi pars: ideò propriè & absolutè loquendo dici non potest, animam existentem in corpore esse subsistentem vt quod; sicut neque pes aut brachium dicitur absolutè subsistens vt quod, quamuis dicatur subsistens id est non inhærens vt accidens, vt ait S. D. *1. p. q. 75. a. 2.* Hanc verò doctrinam de animæ coniunctæ subsistentia tradit expresè Caiet. *infra art. 3.* relicta priori sententia, quam tenuerat *in 1. p. q 76. art. 1. circa resp. ad 5. D. Th.* & *quæst. 90. a. 2.* Quamuis absque legitimo fundamento *in dicto a. 3.* dicat, animam nostram in corpore glorioso habituram esse subsistentiam vt quod, quam habuit in statu separationis, vt bene notat Ban. *1. p. q. 76. a. 1. dub. 5. §. sed tunc insurgit grauis difficultas.* Vbi posteriorem sequitur sententiam Caietani, & opposita diluit argumenta. Eandem etiam esse rationem de subsistentia animæ nostrę in vtroque statu, quo vtitur corpori, scilicet corruptibili & glorioso, probat Suarez *disp. 17. sect. 1. §. ad confirmationem.* Vbi tamen sequitur priorem Caietani sententiam de animæ nostræ subsistentia, dum est vnita corpori; de qua plura dicemus *articul. sequenti.*

Suarezii dictum reijcitur.

Conclusiones, deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Anima non fuit medium, quod vocant colligantiæ, siuè ad modum vinculi ad vniendã carnem personæ Verbi.* Hæc conclusio patet ex doctrina D. Tho. *supra quæst. 2. a. 10. & infra q. 6. a. 6.* Vbi probat S. D. & expositores inter humanitatem & personam Verbi nullum posse intercedere medium, quo veluti dispositione, aut glutino humanitas vniatur hypostaticè Verbo diuino; in hac conueniunt S. Bonau. & Ricardus *in 3. dist. 2.* Suar. *disp. 17. sect. 4.* Vasq. *disp. 37. c. 7.* & alij recentiores.

SECVNDA CONCL. *Anima non fuit medium assumendæ carnis secundùm solam extrinsecam denominationem: ita scilicet, vt anima sola secundum se, ac propriè dicatur assumi ad vnitatem Verbi personalem: caro autem non dicatur assumi secundùm se sed ratione tantùm animæ.* Hæc concl. videtur omninò certa secundùm fidem dicente scriptura Ioan. 1. *Et Verbum caro factum est.* Et ad Coloss. 2. *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Deinde ratione probatur: Quia diuini Verbi personalitas supplet propriam, & naturalem subsistentiam assumptæ humanitatis: at naturalis subsistentia humanitatis in quolibet homine terminat immediatè, non solùm animam, sed etiam corpus. Et confirmatur; quoniam alias in triduo non fuisset Verbũ secundũ se & intrinsecè corpori vnitum. Quod asserere est error intolerabilis in doctrina fidei.

TERTIA CONCL. *Anima non ita fuit mediũ assumendæ carnis, vt prius natura fuerit assumpta, quàm caro, tanquàm id quod assumitur, vel prius quã corpori vniretur.* Probatur primò: quia anima nostra non prius est subsistens, quàm corpori vniatur, & vnita corpori nõ subsistit in actu vt quod, sed tantùm in potentia; ergò anima Christi non prius subsistit subsistentia Verbi, quàm corpori vniatur; nec vnita corpori prius vt quod vnitur Verbo, quàm corpus. In hac conclusione conueniunt Caiet. Scotus & Vasq. *cap. 7. & 8.* ab ea verò dissentiunt Val. *puncto 2. in fine.* Suar. *sect. 1. & 3.* & magis patebit ex probationibus sequentibus Conclusionis.

QVARTA CONCL. *Anima fuit mediũ vt quo assumendæ carnis: atque ideò prius natura vt quo fuit assumpta:* Prima pars huius conclusionis coincidit cum tertia conclusione S. D. in textu: & probatur eodem argumento, quia scilicet caro non est assumptibilis, nisi per ordinem quem habet ad animam, &c. Secundò probatur; quia vnica tantũ fuit assumptio animæ & corporis in vna ex vtroque constituta humanitate; & anima per se est assumptibilis sine corpore: corpus autem non est assumptibile, nisi per animam; ergò anima fuit medium, vt quo assumendæ carnis. Antecedens quo ad primam partem probatur; quia eadem assumptione assumitur totum & partes eius essentiales, prout in eo sunt ipsum constituentes. Iàm autem diximus animam creari in corpore; igitur assumitur, vt pars humanitatis ipsam actu constituentis, & eadem ac multò potiori ratione corpus assumitur, vt actu pars est humanitatis; ergò eadem assumptione vtrumque assumitur scilicet anima & corpus, qua tota humanitas. Secunda verò pars antecedentis patet ex littera D. Th. Altera verò pars conclusionis sequitur ex præcedenti: Si namque anima assumpta est vt causa & ratio assumendæ carnis; ergò prius natura id est ordine causalitatis assumpta est vt quo, id est vt ratio assumendi carnem, quàm ipsa caro: nulla tamen necessitas est, vt anima prius assumatur vt quod, quàm ipsa caro: quoniam vt hic subtiliter aduertit Caiet. licèt anima & caro fuerint assumpta à Verbo vt quod partiale; quia verè terminata est assumptio ad has duas partes secundũ se; non tamẽ est ordo naturæ inter eas; quatenus sunt quæ assumuntur; quia anima non prius intelligitur assumpta, quam animet carnem: non animat autem carnem, nisi per actionem creatiuam, qua creatur in corpore;

nec caro prius assumitur, quã sit humana, quod non ei conuenit, nisi per actualem animæ informationem, per quam recipit esse specificum humanæ carnis; igitur inter has partes, quatenus sunt quæ assumuntur, nullus est aut esse potest ordo humanæ naturæ.

" QVINTA CONCL. *Anima respectu corporis* " *assumendi est medium tam secundùm ordinem intentionis, quàm secundùm ordinem executionis.* Hæc cõclusio, quo ad primam partem satis apertè colligitur ex D. Th. *in hac quæst. art. 5. in corpore*: Vbi loquens de ordine secundùm intentionem agentis inter totam naturam humanam, & eius partes in assumptione sic loquitur: *Manifestum autem est, quòd secundùm intentionem facientis prius est completum, quàm incompletum, & per consequens totum, quàm partes: & ideò dicendum est, quòd Verbum Dei assumpsit partes humanæ naturæ mediãte toto: sicut enim assumpsit corpus propter ordinem, quem habet ad animam rationalem, ita assumpsit corpus, & animam propter ordinem, quem habent ad humanam naturam.* Quibus verbis planè significat, animam rationalem esse medium assumendæ carnis secundùm ordinem intentionis; quemadmodum totum eodem ordine medium est in assumptione respectu partium. Et confirmatur; quia illud est prius secundum ordinem intentionis, quod est fini propinquius: talis autem est anima, quæ propinquior est Deo, cum in ea sit imago Dei, & sit capax gratiæ & gloriæ &c. Secunda verò pars patet ex præcedenti conclusione & eius probationibus. Et probatur: quia anima secundùm ordinem executionis disponit carnem & habilem reddit, vt possit assumi: ipsa verò est assumptibilis, tam secundum se quàm vt dispositio carnis ad assumptionem; ergò prius natura secundùm ordinem exequutionis assumpta fuit, vt quo, siuè vt ratio assumendi carnem: Antecedens patet; quia dispositio prior est natura secundùm ordinem executionis forma seu termino ad quem disponit. Nec absurdum est, idem sub diuersa ratione esse prius altero natura secundùm vtrumque ordinem: sicut in proposito, anima rationalis vt fini propinquior, prior est in assumptione quàm caro secundùm ordinem intentionis, & eadem quatenus actum habet disponendi carnem, vt sit habilis assumptioni, prior est secundùm ordinem executionis.

" SEXTA CONCL. *Anima rationalis respectu as-* " *sumendæ carnis, vt est caro viuens & humana, fuit* " *medium ex natura rei & absolutè necessarium.* Probatur; quia impossibile est esse carnem humanã absque anima rationali.

" SEPTIMA CONCL. *Anima rationalis respectu* " *materiæ primæ assumendæ non fuit medium simpliciter* " *necessarium, sed tantùm congruum: quamuis ex sup-* " *positione finis à Deo voliti fuerit necessarium.* Prima pars probatur; quia poterat Deus materiam illam sub alia quacumque forma substantiali sibi personaliter vnire. Secunda verò pars probatur; quoniam intentio Dei erat redimere genus humanum medio hominis merito ac satisfactione perfecta in carne. Cùm itaque non possit esse humana caro absque anima rationali, necessarium fuit, vt ita genus humanum à Deo redimeretur, animam rationalem vniri materiæ, vt ea constitueretur humana caro, quæ Dei Filio personaliter vniretur, vt in ea patiendo pro peccatis humani generis Deo perfectè satisfaceret, & remissionem nobis & gloriam condignè mereretur.

" OCTAVA CONCL. *Anima rationalis respectu carnis humanæ viuentis vt sic, à Verbo assumptæ, fuit* " *medium necessarium non solùm in fieri; sed etiam in* " *facto esse.* Probatur; quoniam implicat esse carnẽ humanam viuentem sine anima rationali; ergò.

" NONA CONCL. *Ex suppositione finis ac intenti* " *à Deo modi redemptionis humani generis, anima ra-* " *tionalis fuit medium necessarium vnionis materiæ car-* " *nis, non solùm in fieri, sed etiam in facto esse, quo ad* " *totum tempus redemptionis, non autem in triduo mor-* " *tis.* Prima pars patet ex dictis. Secunda verò pars probatur; quia tunc Verbũ erat carni personaliter vnitum, quæ tamen non erat animata.

B " VLTIMA CONCL. *Simpliciter loquendo ani-* " *ma rationalis respectu materiæ carnis vnitæ non est* " *medium in facto esse, nec secundùm congruentiam, nec* " *secundùm necessitatem ex suppositione tam dicta; sed* " *tantùm in fieri.* Hæc est D. Th. *hic ad 3.* & eam explicat Caiet. & patet ex dictis; quoniam in triduo Verbum erat vnitum carni personaliter: cũ tamen non esset animata. Ex quo benè deducit Caiet. carnem ipsam secundùm se terminasse assumptionem, & non solùm quatenus animata aut humana, &c.

CONTRA *tertiam* concl. argum. Suar. *sect. 1. disp. 17. Primò*; quia si anima prius esset vnita C corpori, prius esset composita tota humanitas, quàm anima assumpta; ergò in subsequenti signo naturæ prius assumpta esset tota humanitas, quàm anima. Probatur conseq. quia postquàm intelligitur existens tota humanitas, nihil intelligitur prius assumi quàm illa. *Resp. primò* nullam esse conseq. quia prius natura intelliguntur partes vnitæ, quàm ex eis resultet tota natura. Ad probationem consequentiæ dico, falsum supponi, scilicet totam humanitatem nó esse posteriorem ordine naturæ partibus vnitis. *Argum. & solutiones. Cõi. 3 conc. Obj. nar. 1. Solut.*

Secundò dico, antecedens verum esse de priori secundùm ordinem intentionis; non autem secundùm ordinem executionis, vt magis patebit *infra art. 5.* Vbi agitur de ordine inter totum & D partes in assumptione.

Secundò arguit: Anima Christi prius natura fuit subsistens, quàm vniretur corpori; ergò prius fuit assumpta vt quod assumitur. Antecedens probatur; quia anima Christi fuit eiusdem naturæ cum nostris quæ fiunt per creationem, & per se producuntur, & non tantùm comproducuntur cum tota natura; quia hoc est proprium materialis formę; ergò sunt subsistentes; quia creari proprium est subsistentium, vt ait S. D. *1. p. q. 45. a. 4.* Conseq. verò probatur; quia alioquin anima Christi, antequàm vniretur corpori, habuisset propriam subsistentiam; quia non fuisset impedita per subsistentiam Verbi, si tunc E anima non fuisset assumpta. *Resp.* falsum esse antec. loquendo de subsistente vt quod in actu: Ad probationem dico, formas illas propriè cõproduci cum tota natura, quæ per idem agens creatum proximum producuntur, à quo totum ipsum producitur; tales autem formæ educuntur ex potentia materiæ. Constat autem animam rationalem, neque à proximo illo agente produci, à quo generatur homo, neque educi de potentia materiæ, sed à Deo immediatè creari; non quidem omninò per se, id est separatim à corpore; sed in ipso corpore. Vnde illa propositio *creari proprium est subsistentium* intelligenda est indifferenter de subsistentibus in actu per se separatim, vt omnes substantiæ completę; & de subsistentibus per solam independẽtiam à materia; quamuis non actu subsistant vt *Obi. 2. Solu.*

quod,

quod, sed in potentia tantùm, quales sunt animæ rationales.

Obiic. 3. *Tertiò arguit sect. 3.* Materia simpliciter supponitur ordine naturæ creationi animæ & est fundamentum totius generationis: supponitur autem subsistens, & in eo instanti non potuit subsistere, nisi subsistentia Verbi; ergò supponitur Conf. 1. etiam assumpta ad sic subsistendum. *Et confirmatur*; quia in quacumque generatione humana supponitur materia existens & subsistens; ergò. Conf. 2. *Denique confirmatur*; quia optimè quadrat, vt ordo excutionis sit contrarius ordini intentionis; quia licèt perfectiora sint magis intenta: tamen executio à minus perfectis, vt à fundamentis inchoari solet, & ad hoc explicandum (inquit) conferre potest exemplum de ædificante domũ; in qua fundamentum alijs partibus supponitur; & ideò cum successiuè fit domus, prius tempore iacitur fundamentum; ac proinde etiamsi quis haberet vim ædificandi domum in instanti, intelligeretur tamen ordine naturæ prius esse iactum fundamentum; ergò similiter in hac assumptione intelligimus prius natura esse assumptum id, quod est tanquàm fundamentum cęterorum.

Solut. *Resp.* falsum esse supponi ordine naturæ materiam subsistentem & existentem: non enim subsistit neque existit materia nisi per formam cõstituẽtem totũ, cui primò conuenit subsistere & existere: & ideò anima rationalis priꝰ natura subsistit & existit vt quo, quàm materia per eam in- Ad 1. Conf formata. Vnde *ad primam confirm.* negatur ante- Ad 2. Conf cedens. *Ad secundam confirmationem dico*, principium illud: ordo executionis est contrarius ordini intentionis verum esse tantùm in ijs ordinatis, quæ mutuam habent dependentiam: si verò aliqua duo ita se habeant, vt vnum omninò secundùm actionem illam, in qua duplex ille ordo consideratur, ab altero dependeat: alterum autem nullo modo secundùm actionem illam sit ab eo dependens, tunc idem in vtroque ordine poterit esse prius altero. Exempli causa: prius secundùm ordinem intentionis est infusio gratiæ, quàm motus liberi arbitrij in detestationem peccati & in Deum; quoniam hic motus est dispositio proxima ad gratiam à Deo obtinendam; & tamen prius etiam ordine executionis est infusio gratiæ, quàm dictus motus liberi arbitrij; quoniam hic motus fit virtute gratię tunc à Deo infusæ, vt *1. p. q. 62. a. 3.* declarauimus ex D. Th. & Cai. *1. 2. q. 113. a. 8.* sic in proposito in assumptione passiuè sumpta inuenitur causalitas animæ rationalis respectu carnis, tam secũdùm genus causæ finalis, quàm secundùm genus causæ formalis: habet enim anima rationalis in assumptione rationem finis respectu carnis; quia anima nobilior est & fini proximior est, qui est persona assumens & gratia redemptionis. Et rursus habet rationem causæ formalis disponentis & habilem reddentis carnem, vt apta fit assumptioni: at verò carni respectu animæ rationalis nulla videtur in assumptione causalitas conuenire: non enim caro finis est animæ assumendæ, ita vt anima assumatur propter carnem à peccato redimẽdam, & Verbo Dei personaliter vniendam; neque dispositiua est ad animam assumendam; quia anima rationalis secundum se est assumptibilis, etiam si non esset vnita materiæ. Vtraque verò pars, scilicet anima & caro, respectu totius, id est humanæ naturæ ex eis compositæ causalitatem habet, quasi materialem seu dispositiuam; quia humanitas nec esse nec assumi potest, nisi prius ex partibus suis vnitis, quæ sunt anima & corpus fuerit constituta: & ideò secundum ordinem executionis prius assumi potuerunt partes, vt Caiet. ait *infra art. 5.* signum afferens ex morte Christi, in qua assumptio quasi cępit resolui quia humanitas desijt esse, & consequenter desijt ab assumptione: anima verò & corpus prius habitam assumptionem retinuerunt; cùm igitur vltimum in resolutione sit primum in compositione, manifestum est assumptionem secundùm ordinem executionis à partibus inchoasse. Ad exemplum igitur domus in instanti fabricatæ, dico illud procedere, quo ad partes toti comparatas; quoniam, vt modo diximus, respectu eius semper habent causalitatem; non B autem vna pars respectu alterius habet causalitatem secundùm actionem ad ipsas partes, & ad tot ordinatam, sicut in proposito caro nullam habet causalitatem respectu animæ rationalis secundùm assumptionem, vt ostendimus.

CONTRA *quartam* concl. sunt argum. pro sententia Dur. quæ referunt, & soluunt Caiet. & Med. *super hoc a.* Val. *puncto 2.* & Vasq. *in allegata disp. 37. c. 10.*

CONTRA *quintam* concl. argum. Vasq. *cap. 8. num. 52.* Quia quamuis in intentione prius sit medium propinquius fini quàm remotum; & ita in hoc ordine prius esset anima quàm caro, tamen in executione & assumptione non posset anima esse medium assumendi carnem; sicut dici non potest per medium propinquius fini mediũ remotum applicari; ergò. Antecedens manifestatur: Quia licèt (exempli gratia) in consultatione Medici prius sit scissio venæ & sanguinis missio ad sanitatem sicut ad finem, quàm vocare Chirurgum qui scissurus est venam, tamen in executione dici non potest media scissione venæ fuisse vocatum Chirurgum; sed medio Chirurgo accersito fuisse scissam venam: quamuis rectè dicatur media electione missionis sanguinis elegit Medicus vocare Chirurgum; ergò similiter in proposito: licèt diceretur Deus in consultatione & electione media anima decreuisse assumere carnem: tamen re ipsa non diceretur media anima illam assumpsisse, sed potius contra media carne animam. Et *confirmatur*; quia anima & Conf. caro non sunt diuersa media; sed anima dicitur fuisse medium per modum formæ informantis & reddentis idoneam materiam, vt assumeretur. *Resp.* Medium fini propinquius habere rationem Solut. finis respectu medij minus propinqui: finis autem tunc actu finalizat exercendo suam causalitatem finalem, quando ex eius volitione & intentione, non solùm eliguntur media ad finis assecutionem accommodata; sed etiam & multò magis quando actu per media tenditur in finem; atque ideò quod habet & exercet rationem finis respectu alterius in eligendo & operando, dici E potest medium in eligẽdo & in operando respectu eius; quamuis ex vsu loquentium magis propriè dici videatur medium quo ad electionem, quàm quo ad actualem operationem; quoniam in electione medij propter finem aut propter aliud medium fini proximius apparet manifestè causalitas finalis, quam etiam exprimit loquendi modus, cum dicitur media electione sectionis venæ eligitur vocatio Chirurgi: in actuali verò operatione tendente ad finis assecutionem; licet id quod habet rationem finis actu finalizet exercendo suam causalitatem finalem; non tamen ex modo loquendi significatur expresse & principaliter actus ille finalizandi, sed actio efficientis aut causalitas disponentis ad finis assecutionem: & ideò non ita receptum est ex vsu loquentium, vt dicamus media

obi. cõtr. 5. concl.

sectione venæ fuisse vocatum aut vocari Chirurgum, sed vt dicamus medio Chirurgo vocato fuisse scissam venam: in assumptione verò humanitatis ex vsu Theologorum receptum est vt congruè dicamus, carnem assumptam fuisse mediante anima prius in assumptione intenta, & partes mediante toto prius intento; quia cum hæc assumptio sit vnica actio, & non nisi in instanti congruè fiat, atque ideò non possint ibi distingui plures actiones, quarum vna sit propter aliam, tota ratio ordinis & causalitatis, attenditur penes ea quæ assumuntur, in quibus quo ad assumptionem adinuicem comparatis magis elucet causalitas finalis quàm effectiua, quæ nulla est aut dispositiua, quam solùm habent partes respectu totius: & ideò magis congruè dicitur, carnem assumptam fuisse mediante anima, & partes mediante toto, quàm è conuerso. *Præterea dici posset*, animam vtramque habere causalitatem, & rationem medij respectu carnis: ipsi verò carni respectu animæ neutrum horum conuenire, vt antè diximus: & ideò secundùm vtrâque causalitatem, & secundum vtrumque ordinem scilicet intentionis & executionis rectè dici carnem assumptam fuisse à Filio Dei immediante anima.

A

B

C

D

E

ARTICVLVS II.

Vtrum Dei filius assumpserit animam mediante spiritu, siue mente.

Locis supra a. 1. citatis. *AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd Filius Dei non assumpserit animam mediante spiritu. Idem enim non cadit medium inter seipsum, & aliquid*

p. p. q. 77. art. 1. ad 1. *aliud. Sed spiritus, siue mens non est aliud in essentia ab ipsa anima: vt in prima parte habitum est. Ergo Filius Dei non assumpsit animam mediante spiritu, siue mente.*

q. 4. art. 1. *Præterea, Illud, quo mediante facta est assumptio, videtur esse magis assumptibile. Sed spiritus, siue mēs non est magis assumptibilis, quàm anima: quòd patet ex hoc, quòd spiritus Angelici non sunt assumptibiles: vt supra dictum est. Ergo videtur, quòd Filius Dei non assumpserit animam mediante spiritu.*

Præterea, Posterius assumitur à primo mediāte priori. Sed anima nominat ipsam essentiā, quæ est prior naturaliter, quā ipsa potentia eius: quæ est mens. Ergo videtur, quòd Filius Dei non assumpserit animā mediante spiritu, siue mente.

Sed contra est, quòd Aug. dicit in libro de Agone Christiano Cap. 18. 19. & 20. & 21. tom. 3. Inuisibilis, & incommutabilis veritas, per spiritum animam, & per animam corpus accepit.

Art. præc. *Respondeo dicendum, quòd, sicut dictum est, Filius Dei dicitur assumpsisse carnem anima mediante tum propter ordinem dignitatis, tum etiam propter cōgruitatem assumptionis. Vtrumque autem horum inuenitur, si comparemus intellectum, qui spiritus dicitur, ad cæteras animæ partes: non enim anima est assumptibilis secundū congruitatem, nisi per hoc, quòd est capax Dei ad imaginem eius existens: quod est secundū mentē, quæ spiritus dicitur: secundum illud Ephes. 4. Renouamini spiritu mentis vestræ. Similiter etiam intellectus inter cæteras partes animæ, est superior, & dignior, & Deo similior. Et ideo, vt Damas. dicit in 3. lib.*

Cap. 6. *vnitū est carni per medium intellectum, Verbum Dei, intellectus enim est, quod est animæ purissimum, sed & Deus est intellectus.*

Ad primum ergo dicendum, quòd etsi intellectus non sit aliud ab anima secundum essentiam: distinguitur tamen ab alijs partibus animæ secundum rationem potentiæ. Et secundùm hoc competit sibi ratio medij.

Ad secundum dicendum, quòd spiritui angelico non deest congruitas ad assumptionem propter defectum dignitatis, sed propter irreparabilitatem casus. Quod non potest dici de spiritu humano: vt patet ex his, quæ in prima parte dicta sunt. D. 151. q. 64. art. 2.

Ad tertiū dicendum, quòd anima inter quam & Dei verbum ponitur medium intellectus, non accipitur pro essentia animæ, quæ est omnibus potentijs communis: sed pro potentijs inferioribus, quæ sunt omni animæ communes.

Sensus quæsiti.

TERMINOS in titulo positos explicat S. D. *in c. & in responsionibus ad argumenta*, & de eorum sensu disputabitur in sequenti Controuersia. interim vide Caiet. & Suar. *in Com.* & D. Tho. *in 3. dist. 2 quæst. 2. art. 1. quæst. 2.* Vbi declarat nomen *spiritus*.

Forma Textus.

CONCL. *est: Filius Dei assumpsit animam mediante spiritu siue mente.* Probatur *primò*: Quia Filius Dei assumpsit cæteras animæ partes mediante intellectu siuè spiritu, tam secundùm ordinem congruitatis, quam secundùm ordinem dignitatis; ergò assumpsit animam mediante spiritu, siuè mente. Antecedens quo ad primam partem probatur; quia anima non est assumptibilis secundùm congruitatem, nisi per hoc, quod est capax Dei ad imaginem eius existens; ergò Filius Dei assumpsit cæteras animæ partes mediante spiritu siuè mente. Antecedens patet: Consequētia verò probatur: Quia anima est ad imaginem Dei secundùm mentem, quæ spiritus dicitur, iuxta illud *Ephes. 4. Renouamini spiritu mentis vestræ*: Quo ad secundam verò partem probatur: Quia intellectus inter cæteras animæ partes est superior & dignior; ergò: Consequentia verò principalis entimematis probatur; quia Filius Dei dicitur assumpsisse carnem anima mediante, tum propter ordinem dignitatis, tùm etiā propter congruitatem assumptionis; ergò similiter &c. *Secundò* probatur conclusio authoritate Damasceni, vt patet in textu.

CONTROVERSIA VNICA.

Quo sensu verum sit Filium Dei assumpsisse animam mediante spiritu siue mente?

QVATVOR sunt expositorum de proposita dubitatione sententiæ. *Prima* est Suarezij *in Commentario*: vbi exponens sensum quæsiti ait se existimare, quæstionem hic propriè moueri de ipsa substantia animæ rationalis, quæ vt cōfert gradum sentiendi vocatur anima, vt autem confert gradum rationalem vocatur mens seu spiritus, in quo etiam sensu exponit conclusionem quæsito respondentem. Sententia Expositorū.

Secunda sententia est Val. *puncto 3.* dicentis hic nomine animæ D. Th. intelligere potentias inferiores: nomine autem spiritus intellectum & voluntatem: quam sententiam sequitur Porrecta & Aluar. *super hoc a.* tribuens eandem expositionem Caiet.

Tertia sententia est Vasq. *disp. 38. c. 2.* qui ait SS. Patres, cum dicunt Deum assumpsisse animam medio spiritu siuè mente, nomine animæ intellexisse substantiam animæ secundum

omnes

omnes gradus, scilicet vegetatiuum, sensitiuum & rationalem: nomine verò spiritus facultatem intellectus, & voluntatis, & eorum operationes, quibus facultatibus & operationibus (inquit) anima reddita est idonea, vt congruè assumeretur: per operationem autem declarat se intelligere non dilectionem Dei super omnia qua iustificatur anima, sed quamlibet aliam operationem, non quatenus erat meritoria sed quatenus secundùm suam naturam considerata præcedere poterat & idoneam reddere naturam ad assumptionem; nam hoc ipso quod erat operatio libera, poterat per vnionem hypostaticam eleuari ad finem redemptionis, vt esset idonea per modum meriti. Tandem addit fortasse totam præparationem & aptitudinem naturæ humanæ vt assumatur, reduci ad facultatem ipsam intellectus per quam sufficienter idonea intelligitur, vt assumatur: se autem vocem spiritus siue mentis ad operationem extendisse propter Epiphanium, qui de ipsa operatione videtur loqui.

Vltima sententia est Cai. quam sequitur & explicat latè Med. dicens, conclusionem D. Th. intelligi posse in duplici sensu. *Primus* est vt anima vna & eadem secundùm substantiam, qua ratione est rationalis anima & spiritus & mens sit medium respectu sui ipsius secundùm essentiam, vt assumatur à Verbo secundùm inferiores rationes animæ vegetatiuæ & sensitiuæ. *Secundus* sensus est vt potentiæ spirituales animæ scilicet intellectus & voluntas, quæ sunt accidentia propria ipsius animæ, sint medium vt reliquæ potentiæ inferiores sensitiuæ & vegetatiuæ eiusdem animæ vniantur Verbo; & vtrumque sensum esse verum, sed primum esse profundiorem & à priori inferre posteriorem; atque esse magis intentum à D. Th. & Aug. *loc. not. in argum. sed contra.* Hanc autem esse mentem Caiet. patet ex illis verbis: *Et scito, si considerentur hæ duæ partes, non secundùm quod vniuntur in vna substantia animæ (quia sensitiuum est in intellectiuo, vt trigonum in tetragono, vt dicitur in 2. de anima) sed abstrahendo ab illo, vel alio modo coniunctionis.* Ex quibus perspicuè patet secundùm Cai. hic sermonem esse de anima, prout dicit partem id est gradum sensitiuum cum suis potentijs: & de spiritu siue mente, prout dicit gradum intellectiuum siue rationalem cum suis potentijs scilicet intellectu & voluntate, abstrahendo ab eo modo coniunctionis quem habent in vna essentia animæ & ab omni alio: Et quoniam hic dicendi modus videtur attingere mentem S. Tho. & SS. Patrum ideò breuiter illum ac distinctè proponemus, & obiecta quæ aduersus eum afferunt aliarum opinionum defensores, diluemus.

SCIENDVM *est primò animam*, in communi loquendo, id est, secundùm totam eius latitudinem ad omnes animarum species extensam, tres habere modos, scilicet vegetatiuum, sensitiuum & intellectiuum: quorum duo primi in hoc vltimo continentur, sicut continetur trigonum in tetragono, & tetragonum in pentagono: Differunt autem illi duo gradus ab hoc vltimo, quòd secundùm illos formaliter & præcisè sumptos animæ per se conuenit, vt sit actus corporis physici organici potentia vitam habentis: adeò vt anima solùm primum aut simul etiam secundùm absque tertio gradum habens existere sine tali corpore per eam informato secundùm rerum ordinem à Deo constitutum minimè possit: secundùm gradum autem intellectiuum vt intellectiuus est, non conuenit animæ per se, vt sit forma corporis; alioquin omnis substantia gradum habens intellectiuum esset forma corporis; atque ita nullæ essent substantiæ spirituales & intellectuales à corporibus separatæ, quod esse falsum patet ex *1. p. q. 50.* igitur animæ prima definitio, quam assignat Aristoteles *in 2. de anima* conuenit quidem per se omni animæ etiam intellectiuæ; sed primis duabus scilicet vegetatiuæ & sensitiuæ conuenit per se ex proprijs earum gradibus formaliter & præcisè sumptis: animæ verò intellectiuæ per se quidem conuenit, non tamen ex proprio gradu formaliter & præcisè sumpto; sed ex dictis duobus gradibus in ea contentis; & quoniam ex gradu suo intellectiuo sibi vendicat vt à corpore sit independens ac per se subsistens modo superius explicato; ideò licèt ex gradibus inferioribus in ea contentis & ex sui imperfectione, quia substantia completa non est, naturalem habeat inclinationem, vt sit forma corporis, non tamen actu necessariò semper informat, sed corrupto corpore remanet in se ipsa subsistens.

Resolutio SS. Patres & D. Tho. asserentes Filium Dei assumpsisse animâ mediante spiritu siue mente, nomine spiritus intelligere gradum intellectiuum simul cum intellectu et voluntate; nomine verò animæ intelligere gradus inferiores cũ eorum potentijs.

Cùm itaque S. D. & Patres Ecclesiæ comparant animam spiritui & menti dicentes, Filium Dei assumpsisse animam mediante spiritu siue mente, nomine animæ significant animam intellectiuam; prout anima est id est sub ea ratione qua habet per se, vt sit actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis. hoc autem illi conuenit secundùm duos iam dictos gradus in ea contentos: nomine verò spiritus & mentis eandem animam intelligunt secundùm gradum eius intellectiuum formaliter & præcisè sumptum, id est quatenus intellectiuus est & prout ab alijs distinguitur in eo contentis. Et quia sermo est de medio congruentiæ & in ordine ad redemptionem per satisfactionem & meritum: ideò nomine animæ secundariò & consequenter intelliguntur etiam potentiæ vegetatiuæ & sensitiuæ, & nomine spiritus ac mentis intellectus etiam & voluntas. Nam sicut anima rationalis ex gradu suo intellectiuo congruitatem habet vt assumatur, vt eam tribuit inferioribus gradibus sibi coniunctis; ita ex facultate intelligendi & volendi congrua est assumptioni, & ex ijs deriuatur congruitas ad alias inferiores eius potentias, vt scilicet assumãtur eo modo, quo potentijs ac alijs proprijs accidentibus conuenit assumi; quatenus scilicet eorum subiectum cui insunt & à quo deriuantur, assumitur. Ad quorum amplorem euidentiam.

Secundò notandum est, animam dupliciter dici totum potentiale: Nam *primò* quælibet anima totum potentiale est respectu suarum facultatum; vt anima vegetatiua respectu potentiæ nutritiuæ, augmentatiuæ & generatiuæ, & sensitiua respectu potentiarum omnium sentiendi & appetendi, & intellectiua respectu intellectus & voluntatis. *Secundò* anima nobilior puta intellectiua dicitur esse totum quoddam potentiale respectu animarum seu graduum inferiorum, qui in ea continentur sicut trigonum in tetragono.

Tertiò obseruandum est ex Caiet. prædictos gradus seu partes potentiales animæ intellectiuæ, quatenus est totum potẽtiale primo & etiam secundo modo sumptum, dupliciter posse considerari: *Vno modo* prout vniuntur in vna substãtia animæ modo dicto: *Alio modo* abstrahendo ab hoc & ab illo modo coniunctionis; & considerando partes vt formaliter diuersas, & tamen vt in homine coniunctas, non curando de modo quo sunt coniunctæ. Si primo modo considerentur, certũ est inter gradus præcisè sumptos non posse esse ordinem ex natura rei; sed tantùm secundùm

rationem: si tamen singuli gradus sumantur cum A suis potentijs eos consequentibus, certum est secundùm D. Tho. & eius discipulos esse inter eos ordinem ex natura rei; quia singulorum graduum potentiæ realiter sunt distinctæ, & quædam scilicet rationales sunt verè causæ, siue rationes ac medium ad assumendas alias; & eadem ratione gradus intellectus simul acceptus cum intellectu & voluntate, verè causa est & medium ad assumendos gradus, vegetatiuum & sensitiuum cum eorum potentijs; quia licèt gradus intellectiuus secundùm se non distinguatur à vegetatiuo & sensitiuo secundùm se sumptis; distinguitur tamen ab illis, si sumatur hic & illi cum annexis suis facultatibus: Si verò secundo B modo considerentur prædicti gradus, & ita cæteris compararetur gradus intellectiuus, idem iudicium proferendum est de hac propositione: Filius Dei assumpsit animam mediante spiritu, quod de illa: Filius Dei assumpsit carnem mediante anima, vt ait S. D. in textu: Sicut enim inter animam & corpus est ordo dignitatis & causalitatis respectu assumptionis: ita vt anima perficiendo corpus sit ei ratio, vt à persona diuina sit assumptibile, ita gradus intellectiuus quem spiritum siue mentem nuncupamus, sua coniunctione cum cæteris inferioribus gradibus eos perficiens sit eis ratio, vt à Verbo sint assumptibiles. Differentia tamen est inter causalitatem animæ respectu corporis & causalitatem spiritus respectu animæ siue causalitatem intellectiui gradus respectu cæterorum, quòd anima pars est essentialis compositi, & corporis forma illud in specie constituens: gradus autem intellectiuus non est pars essentialis animæ rationalis cæteros in se gradus continentis; nec est eorum forma sed pars potentialis superioris ordinis omnium partium potentialium formalissima; ac proinde modum quendam habens respectu earum causæ formalis. Quamobrem vt hic scitè Cai. aduertit, causalitas non est hic vniuocè sed proportionabiliter requirenda. D

Conclusio. *Ex dictis* sequitur hæc VNICA CONCLVSIO: *Cùm affirmant S. D. & Patres Filium Dei assumpsisse animam mediante spiritu siue mente, non comparant solum gradum intellectiuum cæteris eiusdem animæ gradibus, neque solam intelligendi facultatem cæteris animæ viribus; neque potentias intellectiuæ partis inferioribus animæ gradibus, aut substantiæ animæ; sed gradum intellectiuum simul sumptum cum intellectu & voluntate comparant cum alijs gradibus simul acceptis cum eorum potentijs*: Hæc conclusio patet ex dictis: & probatur quoad primam partem; quia gradus illi præcisè sumpti nullam habent inter se causalitatem aut ordinem realem: quoad secundam verò quoniam assumi per se & immediatè non conuenit potentijs quæ sunt accidentia; ergò vna potentia secundùm se non est E medium, vt assumantur aliæ; quo ad tertiam verò; quia sic omnia consonant & optimè saluatur ordo dignitatis, & realis causalitas vnius in alterum.

Obiectio 1. CONTRA *primam partem conclusionis* argum. Suar. *Primò*, Quia Apollinaris, contra quem mouetur hæc quæstio, negauit Christum assumpsisse mentem id est gradum intellectiuum. *Secundò*: Quia licèt interdum hoc nomen mens potentiam vel etiam actionem ipsam intelligentis significet, vt Epiphanius notauit *hæresi 77.* & Cyrillus *lib. 10. in Ioann. cap. 1.* tamen etiam sumi solet pro ipsa anima, vt patet apud Augustinum *libr. de spiritu, & anima, cap. 9. & 10. & lib. 9. de Trin. c. 4.* ergò de gradibus intelligenda est illa comparatio.

Respon. Apollinarem vtrumque in anima Christi negasse, scilicet gradum intellectiuum & potentias ad illum consequentes: non enim placet, quod ait Vasq. nimirum dictum hæreticum solam intelligendi facultatem negasse: oppositum enim satis aperte significant verba S. D. & Patrum dictam hæresim impugnantium. *Ad secundum* negatur conseq. quia nomine mentis aptius vtrumque significatur in re præsenti, scilicet gradus & eius potentiæ. Solut.

Contra secundam partem eiusdem conclusionis argumentatur Aluar. Quia S. D. *ad 3.* ait animam (inter quam & Dei Verbum ponitur medium intellectus) non accipi pro essentia animæ, quæ est omnibus potétijs communis; sed pro potentijs inferioribus, quæ sunt omni animæ communes; ergò. *Resp.* Med. verba illa; *quæ est omnibus potentijs communis*, &c. mentem D. Thom. declarare: ita vt sit sensus: Non accipitur prout est principium omnium potentiarum, quæ sunt animæ rationali propriæ; sed pro animæ essentia, vt est principium omnium potentiarum, quæ sunt communes animæ sensitiuæ & vegetatiuæ. *Contra eandem* partem sunt argum. quæ proponit & soluit Med. Obiect. 2. Sol.

Contra tertiam partem argumen. Vasq. *Primò*; quia Apollinaris cùm diceret assumptam fuisse animam sine mente, existimabat assumptam fuisse animam humanam; ac proinde cum gradu illo rationali: solùm autem negabat in in Christo facultatem intellectus; ergò Patres in hoc eodem sensu dixerunt animam assumptam fuisse media mente, hoc est media facultate intellectus. *Secundò*: Cum Apollinare non fuit controuersia de potentijs sentientibus, an fuerint assumptæ media anima; ergò per animam non intellexerunt has potétias, sed substantiam animæ, quam dicunt assumptam fuisse media mente contra Apollinarem. *Resp. ad primum*, negatur antec. nam vt patet *ex 9. præcedenti a. vlt. ratione 3.* Apollinaris negabat in Christo fuisse animam rationalem: & ideò D. August. *in lib. 83. Quæst. qu. 80.* dixit, quòd secundùm hunc errorem sequeretur Filium Dei belluam quandam cum figura humani corporis suscepisse. Et S. D. *in 4. contra gent. cap. 33.* manifestè docet, Apollinarem negasse in Christo animam rationalem dantem speciem homini distinctam à cæteris animalium speciebus. *Ad secundum* negatur antecedens; nam licèt quæstio principaliter fuerit de animæ substantia, quam Apollinaris asserebat in Christo fuisse sine ratione; quia tamen ad animam secundùm Apollinarem sequebantur potentiæ vegetatiuæ & sensitiuæ: ideò consequenter & secundariò quæstio etiam erat cum Apollinare de potentijs animæ vegetatiuis & sensitiuis; an scilicet per se & immediatè, an autem medio spiritu siue mente fuerint assumptæ. Obiect. 3. Sol.

Contra vltimam partem eiusdem concl. produci possent eadem argumenta, quæ circa cæteras partes notata sunt, quorum solutio patet ex dictis.

ARTICVLVS III.

Vtrum anima à Dei filio prius fuerit assumpta, quàm caro.

Inf. a. 4. & q. 33. a. 1. ad 2. & 3. & q. 35. a. 4. & 3. d. 1. qu. 2. a. 3. & d. 3. q. 5. a. 2. & 4. con. c. 33. 44. & 45.

AD tertium sic proceditur. *Videtur, quòd anima Christi fuerit prius assumpta à Verbo, quàm caro. Filius enim Dei assumpsit carnem mediante anima: vt dictum est. Sed prius peruenitur ad medium, quàm ad extremum. Ergò Filius Dei assumpsit prius animam, quàm corpus.*

Pra-

Præterea, Anima Christi est dignior angelis, secundùm illud Psalm. Adorate eum omnes Angeli eius. Sed Angeli creati sunt à principio: vt in primo habitum est. 1.p.q.46.a.3. *Ergo & anima Christi, quæ non fuit ante creata, quàm assumpta: dicit enim Damasc. in 3. libr. quòd nunquam neq; anima, neque corpus Christi propriam habuerunt hypostasim, præter Verbi hypostasim. Ergò videtur, quòd anima fuerit ante assumpta, quàm caro, quæ est concepta in vtero Virginis.*

Præterea, Ioan. 1. dicitur, Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis: & postea subditur, quòd de plenitudine eius nos omnes accepimus, id est, omnes fideles quocunque tempore: vt Chrysostomus exponit. Lib 3.c.2. Hom. 13. in Io. 10.3. *Hoc autem non esset nisi anima Christi habuisset plenitudinem gratiæ, & veritatis ante omnes Sanctos, qui fuerunt ab origine mũdi: quia causa non est posterior causato. Cùm igitur plenitudo gratiæ, & veritatis fuerit in anima Christi ex vnione ad Verbum, secundùm illud, quod ibidem dicitur, Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis: consequens videtur, quòd à principio mundi anima Christi fuerit à Verbo Dei assumpta.*

Cap. 6. *Sed contra est, quòd Damasc. dicit in 4. libr. Non vt quidam mentiuntur, ante eam, quæ est ex Virgine Incarnationem, intellectus est vnitus Deo verbo, & ex tunc vocatus est Christus.*

Respondeo dicendum, quòd Origenes posuit in suo Peri Archon, lib. 1. cap. 7. & 8. tom. 4. omnes animas à principio fuisse creatas, inter quas etiam posuit animam Christi creatam. Sed hoc quidem est inconueniens, si ponatur quòd fuerit tunc creata, sed non statim Verbo vnita: quia sequeretur, quòd anima illa aliquando habuisset propriam subsistentiam sine Verbo: & sic cum fuisset à Verbo assumpta, vel non esset facta vnio secundùm subsistentiam, vel corrupta fuisset subsistentia animæ præexistens. Similiter etiam est inconueniens, si ponatur, quòd anima illa fuerit à principio Verbo vnita, & postmodum in vtero Virginis incarnata: quia sic eius anima videretur non esse eiusdem naturæ cum nostris: quæ simul creantur, dum corporibus infunduntur. Vnde Leo Papa dicit in Epistola ad Iulianum, quòd non alterius naturæ erat caro eius, quàm nostra: nec alia illi, quàm cæteris hominibus, anima est à principio inspirata.

Est epist. 11. ad Iu. *Ad primum ergo dicendum, quòd sicut supra dictum est, anima Christi dicitur esse medium in vnione carnis ad Verbum secundùm ordinem naturæ: non autem oportet ex hoc, quòd fuerit medium ex ordine temporis.*

Art 1. huius q. *Ad secundum dicendum, quòd sicut Leo Papa in eadem Epistola dicit, anima Christi excellit nostras animas non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis: est enim eiusdem generis cum nostris animabus, sed excellit etiam Angelos secundùm plenitudinem gratiæ, & veritatis. Modus autem creationis respondet animæ secundùm proprietatem suigeneris: ex quo habet, cùm sit corporis forma, vt creetur simul, dum corpori vnitur. Quod non competit Angelis, qui sunt substantiæ omnino à corporibus absolutæ.*

Inf q.68.a.1.&3.d.14 q.1.q.2.1.& 2.& verit. q.29.a.3.ad

Ad tertium dicendum, quòd de plenitudine Christi omnes homines accipiunt secundùm fidem, quam habent in ipsum. dicitur enim Rom. 3. quòd iustitia Dei est per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in ipsum. Sicut autem nos in ipsum credimus vt in iam natum: ita antiqui crediderunt in ipsum vt in nasciturum: habentes enim eundem spiritum fidei credimus: vt dicitur 2. ad Corint. 4. Habet autem fides, quæ est in Christum virtutem iustificandi ex proposito gratiæ Dei: secundùm illud Roman. 4. Ei, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, fides reputatur ad iustitiam secundùm propositum gratiæ Dei. Vnde, quia hoc propositum est æternum, nihil prohibet per fidem Iesu Christi aliquos iustificari, etiam antequam eius anima esset plena gratia & veritate. Loc. sup. ar. 3. cit.

Sensus quæsiti.

DE PRIORITATE temporis sermo est, vt apparet ex discursu S. D. *in c.* & ex argumentis, & eorum responsionibus, prout etiam notant Cai. & Suar. *in Com.*

Forma Textus.

REFERTVR *primò* error Origenis: deinde confutatur vnico argumẽto ducente ad inconueniens & simul probatur Catholica VERITAS, *scilicet animam à Dei filio non prius tempore fuisse assumptam, quàm caro.*

Error Origenis fuit, omnes animas à principio fuisse creatas; & inter eas etiã animam Christi. Confutatur hic error hoc argumento: Si anima Christi fuit à principio creata, vel non statim vt fuit creata fuit à Verbo assumpta, vel fuit à principio Verbo vnita & postmodum in vtero Virginis incarnata; sed neutrum dici potest; ergò. Minor quoad primam partem probatur; quia si non fuit statim vnita Verbo sed post moram temporis, vel non esset facta vnio secundùm subsistentiam, vel corrupta fuisset subsistentia animæ præexistens: at vtrumque falsum est; ergò. Probatur assumpta conditionalis; quia tunc anima pro illo tempore habuisset propriam subsistentiam sine Verbo; ergò, si non fuit statim vnita &c. Secunda verò pars minoris principalis argumenti probatur: quia sic anima Christi videretur esse non eiusdem naturæ cum nostris; sed hoc est falsum; ergo. Probatur assumpta conditionalis; quia animæ nostræ simul creantur, dum corporibus infundũtur. Minor verò, seu falsitas consequentis probatur authoritate Leonis Papæ, vt patet in textu.

Expositio Textus.

ERROREM Origenis & eius confutationes ex Concilijs, & Patribus & Scripturis referunt Medina *in expositione textus*. Porrecta *in appendice*. Suarez *disput. 16. sect. 2.* & Valentia *puncto 1.*

Quorum duæ censuræ contra D. Th. sunt hic breuiter diluendæ: ALTERA est Suar. referentis dictum D. Thom. *ex commentario in Epist. ad Hebr. cap. 1. lect. 4.* Vbi explicans sententiam Origenis ait, *Hic est cauendus error Origenis; voluit enim quòd omnes spirituales creaturæ, etiam anima Christi à principio creatæ fuerint, & secundùm quod plus, vel minus adhæserunt Deo, vel diuerterunt ab ipso per libertatem arbitrij sui, facta est distinctio inter Angelos, & etiam animas: vnde in Periarchon dicit, quòd anima Christi, quia vehementius adhæsit Deo diligendo iustitiam, & odiendo iniquitatem, quòd meruit maiorem plenitudinem gratiæ præ cunctis substantijs spiritualibus.* Suar. cens. Sed ait Suarez se in Origene nullam mentionem meriti inuenire; sed solùm animam Christi ab initio fuisse creatam, & ex tunc indissolubiliter inhærentem sapientiæ ac Verbo fuisse & sic vnitam fuisse vt omninò non caderet: quæ verba (inquit Suarez) magis indicant hypostaticam vnionem quàm adhæsionem Deo per amorem, per quem meruerit illi vniri secundùm subsistentiam. *Sed obseruandum est* Originem *lib. 1. Periarchon, cap. 7. & 8.* docere Deum primò creasse creaturas rationales tantùm & omnes æquales, & in eis primò exortam fuisse inæqualitatem ex libero arbitrio, quibusdã conuersis in Deum secundùm magis & minus, quibusdam secundum magis & minus

Conf.

nus à Deo auersis ; & eas quæ ad Deum per liberum arbitrium conuersæ sunt promotas fuisse ad diuersos ordines Angelorum pro diuersitate meritorum : eas autem quæ auersæ sunt à Deo diuersis alligatas fuisse corporibus iuxta peccati diuersitatem, & quasdam in dæmones euasisse, vt refert S.D. *in 1.p.q.47. a.2. & in 2.cont. gent.c.44.& de potentia,q.3.a.16.& alibi.* Cùm igitur inæqualitas spiritualium substantiarum secundùm Origenem primo ex libero arbitrio bene vel malè operante ; ac proinde bene vel malè merente fuerit exorta , & secundùm diuersitatem meritorum aut demeritorum , quælibet substantia spiritualis suum fuerit sortita gradum, consequens etiam est, vt secundùm eiusdem opinionem anima Christi per actum dilectionis Deo vehementius adhærendo meruerit illi hypostaticè copulari. Nec obstat eam corpori veluti formam fuisse coniunctam : hanc enim vnionem non ad ipsius animæ supplicium,sed ad humani generis redemptionem Deus etiam secundùm Origenem in hoc Catholicè sentientem ordinauit , Nec leuem ac facilè prolatam censuram pluribus expedit confutare.

Val.censur. ALTERA censura est Valentiæ , qui rationem D. Thom. aduersus Origenem infirmam esse pronuntiat duplici motus argumento. *Primum* est: quoniam ex hoc , quod anima Christi fuerit existens ; antequam corpus informaret , non videtur sequi eam esse alterius naturæ à cæteris animabus ; quia nihil interest ad naturam alicuius rei, quandonam res producatur, ante vel post. *Secundum* est ; quia non videtur absurdum vt modus ille naturæ scilicet substantiæ per se,si anima per se substitisset ante incarnationem, postea corrumperetur in ipso incarnationis momento: ergò. Probatur antecedens: quia probabilius est subsistentiam illam per se animæ(qualè habent animæ à corporibus separatæ)non nisi ratione distingui ab ipsa animæ natura,sicut modum videlicet quendam eius ; ergò si anima prius subsistens per se postea assumeretur à Verbo , solùm desineret tunc esse ille modus ratione ab ipsa distinctus, nihil autè reale corrumperetur. *Confutatio.* *Ad primum* respondetur ex Caiet. rationem D. Th. tribus inniti fundamentis. Primum est ea, quæ ita se habent , vt ex naturis suis vendicent sibi diuersos suæ naturalis productionis modos , esse diuersæ naturæ: Hæc enim diuersitas modorum, quibus producuntur , non nisi ex diuersa rerum productarum ratione formali procedit. Secundum est animas nostras secundùm suum naturalem modum fiendi creando infundi , & infundendo creari ; eo quòd sint naturaliter formæ corporum. Tertium est ex Augustinò in prima rerum constitutione non attendi, quid Deus potuerit facere;sed quid exigant ipsæ rerum naturæ & earum ordo. Ex quibus sic arguit S.D. Animæ nostræ secundùm veritatem naturaliter producuntur in corpore: anima verò Christi secundùm Origenem naturaliter producitur ante corpus ; ergo anima Christi non est eiusdem naturæ cum nostris , quod est erroneum . Antecedens quoad animas nostras patet ex 2. fundamento: quoad animam verò Christi patet ex tertio fundamento. Consequētia verò patet ex primo fundamento : igitur si animæ nostræ naturaliter producuntur in corpore: anima verò Christi naturaliter producitur ante corpus ; sequitur illas naturaliter esse corporum formas : hanc autem naturaliter nullius esse corporis formam: atque ideò longè diuersam à nostris habere naturam. *Ad secundum* negatur antecedens: ad eius pro- A bationem dico falsum esse antecedens , vt patet ex erudita disp. Cai. *sup.q.4.a.2.* & ex ijs,quæ latè diximus *in 1.p.q.50.a.2.contr.3.*

Circa probationem illam assumptæ conditionalis videlicet , vel non esset facta vnio secundùm subsistentiam , vel corrupta fuisset animæ subsistentia præexistens : nota idem esse iudicium,& eandem esse rationem secundùm D. Th.& veritatem de personalitate seu subsistentia completa, qualis est in Angelo. Et de semipersonalitate seu subsistentia incompleta , qualis est in anima rationali,quæ non actu corpus informat,vt hic explicat optimè Cai.

Denique aduerte Medinam hic malè docere, animæ subsistentiam & existentiam esse penitus B idem,cuius oppositum ostendimus *in alleg.nostra Contr.*

SVAR. *disp.16.sect.1.* probat aduersus antiquos hæreticos Christi humanitatem non prius duratione fuisse existentem , quàm à Verbo assumptam,quem lege si placet.

CONTROVERSIA VNICA.

Num anima rationalis subsistat, vt quod.

CAI. *in 1. p. quæst. 76. artic. 1. & de ente , & essentia , c.5. post q.10. in vlt.p.cap.* docet animæ intellectiuæ tam à corpore separatæ , quàm etiam vnitæ conuenire esse,non tantùm vt quo sed etiam vt quod , & illud cómunicare composito, eo quòd à materia non dependeat; atque ideò sustentante non egeat , sed per seipsam & in se ipsa subsistat. Quam sententiam sequitur Ferrar. *in 2. cont. gent. c.68.* (licet Bannes eum alleget pro sua sententia) Suar. *disput.17. sect.5.* & Aluarez *disput. 19.* *Sententia Doctorum.*

Sed idem Cai. *super hoc art.* duo dicit. *Primum* est animam constituendo propriam personam non acquirere propriam terminationem seu subsistentiam consummatè ; sed medio modo inter actum & potentiam ; quoniam aliquo modo est quod subsistit & operatur : & aliquo modo non. *Secundum* est in separatione à corpore & corruptione suppositi animam proprium terminum acquirere consummatè , & illum semel acquisitum retinere etiam in reditu ad corpus ; & tunc animam perfectiori modo subsistentiam habituram,eo quod tunc erit in naturalissimo suo esse. Sententiam hanc,quoad primum eius dictum sequitur & tuetur Bannes *1.p.qu.76.art.1.dub. 4.post concl.2.* non tamen affirmat subsistentiam conuenire animæ vt quòd medio modo inter actum & potentiam . Pro sua sententia allegat Sotum *in 1. Phys.q.7 a.1.* Secundum autem dictum Cai. impugnat Ban. *loc.not.*

Resolutio. Præmissa differentia animæ rationalis à cæteris formis, & duplici distinctione, altera de existere per se primò, & altera de subsistere vt quòd, ostenditur animam intellectiuam tam cómunem quàm corpo-

QVIA propositas opiniones, quanquam prima facie diuersæ & oppositæ videantur , existimo nequaquam esse reipsa differentes; ac proinde posse facilè conciliari: ideò breuiter explicata veritate,quatuor conclusionibus meum in proposita controuersia sensum aperiam , & obiecta conclusionibus aduersa dissoluam.

Sciendum est igitur primò, animam intellectiuam tria cum cæteris formis habere communia , & in duobus ab eis esse differentem . *Primò namque commune* est animæ rationali & omnibus alijs formis,quòd ex earum vnione cum materia constituitur compositum essentiam habens in specie completam subsistentia terminatam, qua capax & susceptiuum efficitur existentię. *Secundò* quòd anima nostra & aliæ formæ dant esse materiæ & toti composito ; & ideò esse proprium est omni for-

ri quàm ab eo separatã subsistere, vt quod, licet diuerso modo.

formæ vt rationi essendi, seu vt principio quo. *Tertiò commune* est omnibus formis, vt vnam habeant cum sua materia, & composito per eas constituto subsistentiam & existentiam. *Differunt autem primò*, quia cæteræ formæ habent esse dependens à materia, & ideò ab ea indigent sustentari & consequenter nec propriam habent subsistentiam & existentiam: ita vt ipsæ secundùm se subsistant, quod est habere subsistentiam & existentiam, vt id, quod ea susistit & existit; sed hæc primo composito siue suppositò conueniunt & per illud formæ: anima verò intellectiua sicut non habet esse dependens à materia, ita nullo indiget receptiuo sustentante: atque ideò propriam habet subsistentiam & existentiam; ita scilicet vt ipsa per se primò verè ac propriè subsistat & existat, vt enim Caietanus aduertit, *in allegato capit. 5. de ente & essentia* in solo homine, qui gradum habet inter sensibilia nobilissimum duo coniunguntur rerum ordines, scilicet sensibilis & intelligibilis ac immaterialis, & ille qui longè inferior est, trahitur ad hunc superiorem: Quia nimirum subsistere ac existere hominis, quod parti sensitiuæ & toti composito commune est, ab anima fluit intellectiua; & ideò immateriale est & altioris ordinis quàm homo, sicut & ipsa anima, quæ ad ordinem pertinet intelligibilium & intellectualium substãtiarum: ac proinde necesse est vt totum compositum quod est homo, subsistentiam & esse mendicet ab anima: cui propria sunt ob dictam causam; quia scilicet ad eius ordinem & genus pertinent. Ex hac sequitur altera differentia, quòd cæteræ formæ deducto composito, non retinent illud esse quod erat eis & composito commune, sed esse prorsus amittunt; quoniam illud composito conueniebat, vt eius per se primo receptiuo: animæ verò intellectiuæ esse conuenit vt per se primò receptiuo; ita vt singulariter ac verè dicatur existentia esse propria animæ intellectiuæ, & per eam composito communicari, & in hoc eam à cæteris formis esse differentem. Has conuenientias & differentias latius ac vberius explicant Caietanus & Ferrariensis *locis supra notatis*.

Secundò Notandum est dupliciter intelligi posse existentiam alicui per se primò conuenire: *Vno modo*, quatenus ea particula *per se primò* negat siue excludit omne aliud subiectum essendi, cui prius conueniat esse formaliter, & ita conuenire alicui esse per se primò, est illud habere esse, & non per aliquid aliud, cui prius illud idem esse conueniat; & hoc modo esse per se primò conuenit animæ intellectiuæ respectu materiæ & totius compositi; quia scilicet prius intelligitur anima per creationem à Deo produci & habere esse: Deinde per informationem communicari materiæ & toti composito per ipsam animam, vt affirmat expresè S.D. *in 1. p. q. 76. a. 1. ad 5.* dicens: *Anima illud esse, in quo subsistit, communicat materiæ corporali, ex qua & anima intellectiua fit vnum: ita quòd illud esse, quod est totius compositi, est etiam ipsius animæ; quod non accidit in alijs formis, quæ non sunt subsistentes: & propter hoc anima humana remanet in suo esse destructo corpore: non autem aliæ formæ.* Quod etiam frequenter repetit in alijs locis infra notandis: *Alio modo* potest intelligi existentiam alicui per se primò conuenire: quatenus illa particula *per se primò* non negat aut excludit omne aliud subiectũ ipsius esse; sed illud tantùm quod sit existens tanquam suppositum, & ita conuenire alicui esse per se primò est habere esse & non per aliud cui prius conueniat tanquam suppositò per se existenti: & hoc modo esse conuenit per se primò toti composito, puta Socrati vel Platoni; quamuis enim alio modo esse per primò conueniat animę; quia scilicet anima intellectiua prius simpliciter habet esse, & non per aliud, quod sit formale principium & primum receptiuum illius esse.

Tertiò considerandum est dupliciter dici posse aliquid subsistere & existere vt quod: *Vno modo* simpliciter siue absolutè & sine addito: & ita subsistere idem est quod esse per se separatim; quod illi tantùm conuenit, quod non est in alio tanquam pars in toto: vnde ligni pars à suo toto diuisa dicitur per se subsistere vt quod; quia per diuisionem seu separationem totalitatem acquisiuit, vt iam non in alio tanquam pars sed in se ipsa & per seipsam actu subsistat vt quoddam totum & vt hypostasis: & quia anima intellectiua à corpore separata iam non est actu pars totius cõpositi, quod est homo, sed est veluti substantia quædam separata (licet persona non sit eò quòd ex sui natura sit compositi pars:) ideò dicitur absolutè per se subsistens actu; quia cum nullo alio communem habet suam subsistentiam; sed ipsa sola per eam terminatur, & ea mediante recipit existentiam: *Alio modo* dicitur aliquid subsistere vt quod non absolutè; sed cum addito; quia scilicet non indiget aliquo sustentante; quia ab alio vt materia vel subiecto aut etiam principio essendi formali non dependet; neque ex alio subsistit; sed est principium essendi formale cæteris cum eo coniunctis, & primum receptiuum actus essendi; quia scilicet actionem agentis & producentis per se ipsum terminat immediatè; quamuis in eodem instanti fiat actu pars vnius integræ & completę substantiæ ex eo & alio cui coniungitur resultante, cui tanquam suppositò conuenit absolutè subsistere: & hoc modo dicitur anima corpori coniuncta subsistere vt quod, & non tãtùm vt quo: Quem subsistendi modum Caietanus hic ait esse medium inter potentiam & actum; quia scilicet anima coniuncta corpori, non est simpliciter actu subsistens vt quod; quia pars suppositi est, cui absolutè conuenit per se actu subsistere vt quod; pars vero vt pars est nõ in se ipsa, aut per se ipsam subsistit vt quod in actu sed in alio & per aliud scilicet per totum, cuius vt totius & vt hypostasis pars est, subsistit. Neque tamen dicenda est anima intellectiua, dum in corpore est, subsistere vt quod tantùm in potentia, sicut partes ligni aut ferri, quæ dum actu partes sunt nullam habent propriam subsistentiam, sed sola totius subsistentia terminantur, quæ per se primò toti conuenit, & ex eo deriuatur ad partes; ita vt partes integrales totum actu componentes; non solùm à forma sed etiam à toto secundùm esse dependeant; & nullo modo propriam habeant actu subsistentiam vt quod sed in potentia tantùm, quam per actualem à toto diuisionem & separationem acquirunt, vt explicat optimè Caiet. *supra q. 4. a. 2.* Sed anima intellectiua; quia independens à materia & à toto per eam constituto, propriam habet subsistentiam prius illi quàm toti conuenientem, & per ipsam materiæ & toti composito; & ideò dicitur verè ac propriè & in actu per se subsistere, id est non ex alio neque per aliud tanquam per causam, aut ens primò receptiuum existentiæ; quamuis alia ratione non sit actu per se subsistens; quia scilicet non est per se separata; sed est totius actu pars

cum

cum eo communem habens subsistentiam ; & hunc per se subsistendi modum appellat Cai. medium inter potentiam , quæ partibus integralibus substantiæ corporeæ conuenit , & actum subsistendi separatim , qui suppositio proprius est.

Probatur eodē modo subsistere ānimam post resurrectionē sicut ante cùm esset in corpore , & conciliātur sententiæ

Et Ex His *patet primò* eandem prorsus esse rationem de anima post resurrectionem corpori reunita, quæ est de anima in statu vitæ præsentis; quia semper toti subsistere conuenit vt suppositio : animæ verò tanquam illius parti : & in vtroque statu anima subsistentiam habet independentem , tam à materia quàm à toto compositio. Et sicut in primo statu indiuiduationem accepit à materia , cui in sui creatione fuit essentialiter coaptata; ita in secundo statu eandem retinet indiuiduationem; quia semper remanet eidem materiæ coaptata; licèt ex speciali causa non reuniretur eidem in resurrectione, sed alteri: in quo casu verum est quod hic eruditè Caietanus affirmat, videlicet tunc corpus indiuiduari per animam & non è contra. *Secundò patet*, opiniones seu dicendi modos supra notatos facilè posse conciliari: Caietanus enim hic & post eum Bannes negat animam corpori coniunctam subsistere per se actu vt quod primo modo ; quia modus ille subsistendi proprius est hypostasis & animæ separatæ, quæ est semipersona: in prima verò parte docet animam per se subsistere vt quod secundo modo. Quod etiam docet Ferrar. & Aluar. & est expressa sententia D. Thom. *in 1. dist. 8. q. 5. a. 2. ad 2.* vbi ait: *Anima sine dubio habet in se esse perfectum; quamuis hoc esse non resultet ex partibus componentibus quidditatem ipsius , nec per coniunctionem corporis efficitur ibi aliquod aliud esse , immò hoc ipsum esse, quod est animæ per se, fit esse coniuncti : esse enim coniuncti non est nisi esse ipsius formæ: sed verum est, quod aliæ formæ materiales non sunt per illud esse ; sed sunt tantùm principia essendi.* His enim vltimis verbis, quibus distinguit formas materiales ab anima intellectiua , perspicuè docet animam intellectiuam habere esse, non tantùm vt quo siue vt principium esse sicut aliæ formæ , sed etiam vt id quod habet esse.

Cōclusiones, deductæ, & probatæ.

Prima Concl. *Anima intellectiua corpori coniuncta in præsenti statu non subsistit per se absolutè vt quod in actu sed in potentia .* Probatur prima pars ; Quia illud tantùm dicitur absolutè per se in actu subsistere, quòd non in alio tanquam pars in toto subsistit; ergò. Secunda verò pars probatur; quia anima intellectiua est separabilis à corpore , & retinet suum esse post compositi corruptionem; ergò.

Secvnda Conclvs. *Anima intellectiua corpori coniuncta in præsenti statu subsistit vt quod medio modo inter actum, & potentiam modo expositio in tertio notabili:* Hæc conclusio patet ex dictis: & probatur ex D. Thoma *loc. sup. alleg. ex 1. sent. & 1. p. q. 76. a. 1. ad 5. & de spiritualibus creaturis. artic. 2. ad 3.* quæ loca notat Ferrarienſis , & post eum Aluarez.

Tertia Conclvsio. *Anima post resurrectionem corpori coniuncta , non alio modo subsistit , quàm in statu præsenti , dum est vnita corpori .* Hæc est contra Caietanum, & patet ex dictis.

Vltima Concl. *Anima separata subsistit per se simpliciter vt quod in actu .* Hæc patet ex dictis.

Argumēta, & solutiones.

Contra *primam conclusionem* produci possunt argumenta Cai. *ex 1. p. & 5. c. de ente, & ess. & loc. not.* Et tria loca S. Tho. supra notata, & duo argumenta, quibus probat Aluar. suam opinionem sed his probatur tantum secunda nostra conclusio.

Contra *secundam conclusionem* produci possunt duo argumenta Caietani quæ addito alio 3. argumento refert & soluit Aluarez, & patet eorum solutio ex dictis : probant enim primam nostram conclusionem asserentem dici absolutè non posse animam nostram vnitam corpori subsistere vt quod in actu , sed in potentia negante dictum actualem subsistendi modum; quamuis alio modo subsistat in actu , quem Caietanus appellat medium inter actum prædictum & potentiam modo explicato , & in eodem sensu accipienda sunt quæ scribit Bannes pro defensione secundæ sententiæ Caietani.

Contra *tertiam* conclusionem argumentatur Caietanus ; quia differentia est inter animam in sui principio & in resurrectione, quod in sui principio de foris venit vt quo, etiā quoad personalitatem ; & ideò impediri contingit illam à propria & totius personalitate , vt patet in mysterio assumptionis : in regressu autem venit vt quod est, licèt partialiter , & potius indiuiduat corpus, quàm indiuiduetur à corpore; ergò sicut indiuiduat & communicat suum esse corpori , & glorificat illud in Sanctis , ita subsistentiam, terminationem & semipersonalitatem ad perfectionem humanæ subsistentiæ & personalitatis adducit . *Resp.* falsum esse antecedens: nam vtroque tempore anima intellectiua venit ad corpus tanquam subsistens vt quo, prout subsistere , vt quo distinguitur contra subsistere, vt quod in actu & absolutè ; quoniam hoc ipso quod vnitur corpori tanquam forma, non subsistit per se separatim vt quoddam totum ; sed vt pars in toto ; & quia semper anima est independens à materia & ab ipso toto; nec ab illis mendicat subsistentiam aut existentiam ; ideò vtroque tempore subsistit vt quod medio modo inter actum & potentiam, vt ante diximus.

Cont. 3 cōcl. obi. Caiet.

Solut.

Articvlvs IV.

Vtrum caro Christi fuerit prius à Verbo assumpta, quàm animæ vnita.

Ad quartum sic proceditur. *Videtur , quòd caro Christi fuerit prius à Verbo assumpta, quàm animæ vnita. Dicit enim Aug. in lib. de fide ad Petrum. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non carnem Christi sine diuinitate conceptam in vtero Virginis, priusquam susciperetur à Verbo . Sed caro Christi videtur prius fuisse concepta, quàm animæ rationali vnita: quia materia , vel dispositio prior est in via generationis, quàm forma completiua . Ergo prius fuit caro Christi assumpta, quàm animæ vnita.*

Cap. 18. to. 3.

Art. præc.

Præterea, sicut anima est pars naturæ humanæ, ita & corpus. Sed anima humana non habuit aliud principium sui esse in Christo, quàm in alijs hominibus , vt patet ex authoritate Leonis Papæ supra inducta. Ergo videtur , quòd nec corpus Christi aliter habuerit principium essendi , quàm in nobis: sed in nobis ante concipitur caro, quàm adueniat anima rationalis, ergo etiam ita fuit in Christo. Et sic caro prius fuit à Verbo assumpta, quàm animæ vnita.

Præterea , Sicut dicitur in libro de Causis , causa prima plus influit in causatum: & prius vnitur ei, quàm causa secunda. Sed anima Christi comparatur ad Verbum, sicut causa secunda ad primam. Prius ergo Verbum est vnitum carni, quàm anima.

Prop. 1. inter op. Art. to. 3.

Sed contra est, quod Damasc. dicit in 3. libr. Simul Dei Verbi caro , simul caro animata rationalis, & intelle-

Cap. 2.

tellectualis. Non ergo vnio Verbi ad carnem, præcessit vnionem ad animam.

Respondeo dicendum, quòd caro humana est assumptibilis à Verbo, secundum ordinem, quem habet ad animam rationalem, sicut ad propriam formam. Hunc autem ordinem non habet, antequam anima rationalis ei adueniat: quia simul dum aliqua materia fit propria alicuius formæ, recipit illam formam: vnde in eodem instanti terminatur alteratio, in quo introducitur forma substantialis. Et inde est, quòd caro non debuit ante assumi quàm esset caro humana, quod factum est anima rationali adueniente. Sicut igitur anima nõ est prius assumpta, quàm caro, quia contra naturam animæ est, vt prius sit, quàm corpori vniatur: ita caro non debuit prius assumi, quàm anima: quia non prius est caro humana, quàm habeat animam rationalem.

Ad primum ergo dicendum, quòd caro humana sortitur esse per animam. Et ideò ante aduentum animæ, non est caro humana, sed potest esse dispositio ad carnẽ humanam. In conceptione tamen Christi Spiritus sanctus, qui est agens infinitæ virtutis, simul & materiam disposuit, & ad perfectum perduxit.

Ad secundum dicendum, quòd forma actu dat speciem: materia autem, quantum est de se, est in potentia ad speciem. Et ideò contra rationem formæ, esset, quod præexisteret naturæ speciei, quæ perficitur per vnionem eius ad materiam: non autem est contra naturam materiæ, quòd præexistat naturæ speciei. Et ideò dissimilitudo, quæ est inter originem nostram, & originem Christi secundùm hoc, quòd caro nostra prius concipitur, quàm animetur, non autem caro Christi est, secũdùm illud, quod præcedit naturæ complementum, sicut, & quod nos concipimur ex semine viri, non autem Christus. Sed differentia, quæ esset quantum ad originem animæ, redundaret in diuersitatem naturæ.

Ad tertium dicendum, quòd Verbum Dei per prius intelligitur vnitum carni, quàm anima per modum cõmunem, quo est in cæteris creaturis, per essentiam, potentiam, & præsentiam. Prius tamen dico, non tempore, sed natura: Prius enim intelligitur caro, vt quoddam ens, quod à Verbo habet quàm vt animata, quod habet ab anima. Sed vnione personali prius secundùm intellectum oportet, quòd caro vniatur animæ, quàm Verbo: quia ex vnione ad animam, habet quòd sit vnibilis Verbo in persona: præsertim, quia persona non inuenitur nisi in rationali natura.

Sensus quæsiti.

SENSVM & rationem quęsiti explicat Caiet. & post eum Suar. Et quæstio est de ordine temporis, & de anima rationali: ratio verò quęsiti est communis modus conceptionis cæterorum hominum, & assumptio carnis ab initio conceptionis eius.

Forma Textus.

CONCL. est: *Caro Christi non prius fuit à Verbo assumpta, quàm animæ vnita.* Probatur tripliciter. *Primò*; quia caro humana non est assumptibilis à Verbo, nisi secundùm ordinem, quem habet ad animam rationalem sicut ad propriam formam, & secundùm quod est humana caro; ergò non prius fuit assumpta, quàm animæ vnita. Antecedens patet ex primo articulo: Consequẽtia verò probatur; quia anima non habet hunc ordinem ad animam rationalem, nec est humana caro, antequã anima rationalis ei adueniat. Probatur hoc antecedens; quia simul dum aliqua materia fit propria alicuius formæ, recipit illam formam; ergò. Probatur hoc assumptum; quia in eodem instanti terminatur alteratio, in quo introducitur forma substantialis. *Secundò* probatur conclusio; quia ideò anima non prius est assumpta quàm caro; quia contra naturam animæ est, vt prius sit, quàm corpori vniatur; ergò similiter caro non debuit prius assumi, quàm anima; quia non prius est caro humana, quàm habeat animam rationalem. *Tertiò* probatur authoritate Damasceni *in argumento*, sed contra.

Expositio Textus.

HVIVS articuli conclusio certa veritas est Catholicæ fidei in pluribus generalibus Concilijs definita & à Patribus explicata. Conciliorum definitiones collegit accuratè Porrecta *in append.* Et Suarez *disp. 16 sect. 3.* Quibus adde doctrinam Ambrosij *in lib. de Incarnatione, 6. & 7. cap.* & Damasc. *lib. 3. c. 2.* Theod. *Dial. 2.* & Fulg. *lib de Incarn. c. 3. & lib. de fide ad Petrum, ca. 18.* quorum verba refert Suar.

Videnda sunt quæ scribit hic subtiliter Caiet. circa probat. conseq. & circa responsiones ad argum. D. Tho. quæ singula notauit & explicauit Suar. *in suo Com.*

Difficultatem primò argumento tactam de Christi conceptione & breuissimè solutam prosequitur alibi latius S. D. scilicet *infr. qu. 33. & in 3 dist. 3. & in 4. contra gent. c. 43. & 44.* breuem ac facilem eius solutionem lege, si placet, hic apud Medinam & Suarezium *loco notato*, scilicet *sect. 3.*

Ex solutione tertij argumenti; vbi dicitur, carnem prius natura vniri Verbo, vt effectum suæ primæ causæ, quã animæ; quia verò prius intelligitur esse quoddã ens, quã animari, deducit Suar. materiã pri' natura habere esse à causa prima quã informetur forma; & cũ illud esse non posset esse nisi esse existẽtiæ, eo quod hoc esse est id quod per efficientiã cõmunicat causa prima suæ creaturæ, sequitur (inquit) materiam supponi formæ & vt supponitur formæ effectum Dei. *Sed vana* & contra bonam Metaphys. est hæc consequentia; nam sicut caro prius consideratur vt ens & vt substantia & vt corpus, quàm vt animata, ita prius intelligitur anima vniri carni, vt dans illi esse simpliciter: Secundò vt constituens eam in genere substantiæ: Tertiò vt constituens eam in esse corporis; & demùm in esse animato; ita vt singuli gradus metaphysici, quos ordinatè intelligimus aduenire materiæ, sint eodem ordine ex singulis gradibus formæ, à qua necesse est gradus omnes actuales essendi, qui sunt in materia, deriuari. *Suar. deduct. confut.*

ARTICVLVS V.

Vtrum tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quòd Filius Dei assumpserit totam naturam humanam mediantibus partibus eius. Dicit enim Augustinus in lib. de Agone Christiano, quòd inuisibilis, & incommutabilis veritas per spiritum animam, & per animam corpus, & sic totum hominem assumpsit. Sed spiritus, anima, & corpus sunt partes totius hominis. Ergo totum assumpsit mediantibus partibus. 3. d. 1. q. 2. a. 1. q. 3 & a. 3. q. 1 c. & di. 3. q 5. a 2. c. & di. 5 q. 2. a. 3.

Præterea: Ideò Filius Dei carnem assumpsit mediante anima, quia anima est Deo similior, quàm corpus. Sed partes humanæ naturæ cùm sint simpliciores, quàm corpus, videntur esse similiores Deo, qui est simplicissimus, quàm totum. Ergo assumpsit totum mediantibus.

Præterea: Totum resultat in vnione partium. Sed vnio

nio intelligitur vt terminus assumptionis, partes autem Præintelliguntur assumptionis. Ergo assumpsit totum per partes.

Cap.16. *Sed contra est, quòd Damas. dicit in 3. lib. In Domino nostro Iesu Christo non partes partium intuemur, sed quæ proximè componuntur, id est, Deitatem & humanitatem. Humanitas autem est, quoddam totum, quod componitur ex anima & corpore sicut ex partibus. Ergo Filius Dei assumpsit partes mediante toto.*

Respondeo dicendum, quòd, cùm dicitur aliquid medium in assumptione Incarnationis, non designatur ordo temporis: quia simul facta est assumptio totius, & omnium partium: ostensum est enim, quòd simul anima, Art. 1. & 2. *& corpus sunt adinuicem vnita ad constituendum naturam humanam in Verbo. Designatur autem ibi ordo naturæ, vnde per id, quod est prius in natura, assumitur id, quod est posterius. Est autem aliquid prius in natura dupliciter. Vno modo, ex parte agentis: Alio modo ex parte materiæ: hæ enim duæ causæ præexistunt rei.* Ep. 3. 10. 2. *Ex parte quidem agentis est simpliciter primum illud, quod primo cadit in eius intentionem: sed secundùm quid prius est illud, à quo incipit eius operatio. Et hoc ideò: quia intentio est prior operatione. Ex parte verò materiæ est prius illud, quòd prius existit in transmutatione materiæ. In Incarnatione autem oportet maximè attendere ordinem, qui est ex parte agentis: quia vt* Epist. 3. *Aug. dicit in Epistola ad Volusianum, in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. Manifestum autem est, quòd secundùm intentionem facientis prius est completum, quàm incompletum, & per consequens totum, quàm partes. Et ideò dicendum est, quòd Verbum Dei assumpsit partes humanæ naturæ mediante toto: sicut enim assumpsit corpus propter ordinem, quem habet ad animam rationalem, ita assumpsit corpus & animam, propter ordinem, quem habent ad humanam naturam.*

Ad primum ergo dicendum, quòd ex verbis illis nihil aliud datur intelligi, nisi quòd Verbum, assumendo partes humanæ naturæ, assumpsit totam humanam naturam: & sic assumptio partium est prior in via operationis, intellectu, non tempore. Assumptio autem naturæ est prior in via intentionis: quod est esse prius simpliciter, vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quòd Deus ita est simplex, quòd etiam est perfectissimus: & ideò totum est magis simile Deo, quàm partes, inquantum est perfectius.

Ad tertium dicendum, quòd vnio personalis est, ad quam terminatur assumptio: non autem vnio naturæ, quæ resultat ex coniunctione partium.

Sensus quæsiti.

DE mediatione partium secundùm ordinem naturæ sermo est, vt explicat S. D. in textu & hic etiam aduertit Suar.

Forma Textus.

PRIMO S. D. proposita triplici distinctione secundùm vnamquamque declarat sensum quæsiti. Secundò respondet quæsito vnica conclusione.

Prima distinctio: In medio duplex potest ordo designari, scilicet ordo temporis & ordo naturę. *Secunda distinctio* est: Aliquid est prius natura dupliciter: Vno modo ex parte agentis: Alio modo ex parte materiæ: ratio huius distinctionis est: quoniam hæ duæ causæ præexistunt rei. Declaratur vtrumque membrum, & primò secũdum dicendo illud esse prius ex parte materiæ, quod prius existit in transmutatione materiæ: Primum autem declaratur addita tertia distinctione, videlicet ex parte agentis aliquid est prius dupliciter, scilicet simpliciter & secundùm quid: illud est primum simpliciter ex parte agentis, quod primò cadit in eius intentionem: illud autem est prius secundùm quid, à quo incipit eius operatio. Probatur hæc distinctio; quia intentio est prior operatione. Ex his declaratur sensus quæsiti dicendo quatuor. *Primum* est: Cùm dicitur aliquid medium in assumptione Incarnationis, non designatur ordo temporis. Probatur; quia simul facta est assumptio totius & omnium partium; quia *supra art. 1.* ostensum est, quòd simul anima & corpus sunt adinuicem vnita ad constituendam humanam naturam in Verbo. *Secundum* est: Designatur ibi ordo naturæ: ita scilicet vt per id quod est prius natura assumatur id, quod est posterius. *Tertium* est: Hic sermo est de ordine qui est ex parte agentis. Probatur ex Augustino; quia in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis; ergo. *Quartum*, quod implicitè tantùm habetur in textu, est: Hic loquimur de ordine ex parte agentis, qui attenditur secundùm intentionem: hoc patet ex dictis; quia quod est prius secundùm hunc ordinem, est prius simpliciter.

CONCLVSIO est: *Verbum Dei assumpsit partes humanæ naturæ mediante toto.* Probatur dupliciter. *Primò:* quia secundùm intentionem facientis prius est totum, quàm partes; ergò. Antecedens probatur; quia secundùm hunc ordinem prius est completum, quàm incompletum: Consequentia verò patet ex dictis; quoniam illud est prius simpliciter, quod prius cadit in intentione agentis. *Secundò* probatur conclusio: Quia Verbum assumpsit corpus propter ordinem, quem habet ad animam rationalem; ergò similiter assumpsit corpus & animam propter ordinem, quem habent ad humanitatem.

Expositio Textus.

MOVET Cai. hic tria dubia litteralia, quæ subtiliter ac eruditè resoluit. PRIMVM *est de sufficientia secundæ diuisionis.* SECVNDVM & TERTIVM *de sufficientia conclusionis* D. Tho. cur S. Thom. duas alias non addiderit, vnam de ordine naturæ ex parte materiæ in hoc mysterio, & aliam de ordine naturæ ex parte agentis secundùm ordinem operationis; quorum solutiones vide si vis apud Cai.

CONTROVERSIA VNICA.

De veritate Conclusionis. An scilicet Verbum Dei assumpserit partes humanæ naturæ mediante toto?

PRIMA *sententia* est Duran. in *3. dist. 2. q. 2.* negantis omnem ordinem realem naturæ inter assumptionem totius & partium. *Sententia Doctorum.*

Secunda sententia est Scoti *in eadem dist. & qu.* Quam sequitur & tribus conclusionibus explicat Rada *in sua 4. Controu. a. 4. Prima* eius concluſ. est: ordine intentionis prius fuit assumpta tota humanitas quàm eius partes. *Secunda.* Verbum non assumpsit primo animam ordine executionis. *Tertia* apud eum quinta est: Anima est medium, quo in assumptione respectu totius humanæ naturæ. *Quarta* est. Primum assumptum à Verbo ordine intentionis, & ordine executionis fuit tota natura humana.

Tertia sententia est Vasq. *disp. 39. c. 3.* quatuor dictis explicata. *Primum* est: Partes humanitatis nempè materia & forma non fuerunt assumptæ & vnitæ proprijs vnionibus cum Deo; sed

sed vnica vnione & assumptione totius humanitatis ; ita vt tota humanitas primariè fuerit assumpta: partes verò consequenter. *Secundum* est: Quamuis primariè fuerit assumpta tota humanitas vt quod, & media illa assumptæ fuerint partes secundariè & remotè, vt quod ordine executionis : nihilominus rectè dicere possumus medijs partibus ordine executionis fuisse assumptam totam humanitatem, quod dictum (inquit) non aduersatur doctrinæ Scoti. *Tertium* est: Vtraque pars dicitur medium quo comparatione totius humanitatis ; quia vtraque parte constituitur natura humana integra vt assumatur, & ita intelligendus est S. Thom. *in solutione primi*, cùm ait assumptionem partium priorem esse in via operationis secundùm intellectum, & Verbum assumendo partes assumpsisse naturam humanam: non enim (inquit) debet intelligi; vt partes ipsæ secundùm se prius etiam ordine rationis fuerint assumptæ vt quod, sed vt ipsæ prius conuenerint ad constituendam totam humanitatem, quàm ipsa humanitas assumeretur, & ita fuerint medium quo.

Quarta sententia est Suarezij *disp. 17. sect. 5.* Vbi dicit quatuor. *Primum* est: ordine intentionis tota humanitas fuit prius natura assumpta quàm partes, & eodem sensu potest dici medium seu ratio partes assumendi. *Secundum* est ordine executionis, tam anima quàm caro secundùm se sunt prius natura assumptæ quàm tota humanitas : & hoc sensu dici possunt medium ad assumendam humanitatem. *Tertium* est: per hanc assumptionem non solùm assumptæ sunt partes secundùm se; sed etiam vt inter se vnitæ, & tota etiam humanitas, vt constans ex his partibus inter se vnitis: ita scilicet vt præter partiales vniones ipsarum partium secundùm se intelligatur assumptio terminari ad totam humanitatem; quatenus natura quædam est integra includens partes, non vtcumq; sed vt vnitas inter se; & illam vt sic vniat Verbo speciali modo vnionis constante ex vnionibus ipsarum partium, sed aliquid præter illas addens, quod ad rationem integræ vnionis hypostaticè verè pertineat. *Vltimum* est: licet anima & caro secundùm se prius natura fuerint assumptæ, tamen vt inter se vnitę fuerunt assumptæ media humanitate; quæ per hãc vnionem vt perfectam & completam fuit per se primò vnita. Eandem ferè sententiam sequitur Pesantius: dicens tamen in humanitate Christi non fuisse vnionem distinctam ab ea, quæ est in materia & forma, & duas vniones partiales materiæ & animæ cum Verbo vnam facere vnionem totalem.

Quinta sententia est Medinæ, qui docet partes humanæ naturæ dici prius assumptas quàm totum; non quòd prius existãt aut personentur à Verbo diuino, quàm ipsa humanitas, sed quia prius componunt & causant ipsam humanitatem, quàm ipsa humanitas assumatur à Verbo diuino. Et hunc dicendi modum dicit ab omnibus approbari tanquam legitimum & verum.

Sexta sententia est cuiusdam viri doctissimi, qui dicit tria. *Primum* est: Non dantur duæ vniones humanitatis & partium eius ad Verbum. *Secundum* est : Partes non sunt assumptæ vt quod prius, quàm tota humanitas. *Tertium* est; vt partes vniantur Verbo, sufficit vniri illi humanitatem.

Septima sententia est Aluarezij, qui dicit duo. *Primum* est: Anima Christi secundùm ordinem executionis prius natura fuit assumpta à Verbo, quàm tota humanitas ; ita videlicet vt ipsa anima prius natura subsisteret, vt quod per subsistentiam Verbi, quàm tota humanitas. *Secundum* est : Corpus ordine executionis non fuit prius assumptum vt quod, quàm tota humanitas; sed solùm vt quo. Quæ videtur fuisse sententia Gabrielis *in 3. dist. 2. quæst. 1. artic. 2.* Vbi tamen non affirmat, carnem fuisse medium vt quo.

Vltima sententia est Caiet. dicentis, partes humanitatis scilicet animam & corpus prius natura secundùm ordinem executionis assumptas fuisse vt quod, quàm assumeretur humanitas. Quam sententiam sequitur Val. *puncto 2.* & Asturicensis *de Christi gratia. q. 5. pag. 474.* Et videtur fuisse opinio Ricardi *in 3. distinct. 2. articulo 2. quæstione 1.*

Resolutio Eundè fuisse ordinem in assũptione humanitatis & partiũ eius ad diuinam personalitatẽ, quem etiam habet propria personalitas ad ipsam humanitatem, & partes eius interminandæ.

Ad Hvius difficillimæ Controuersiæ definitionem *præmitto*, non esse absque solido fundamento & necessitate dicendum in assumptione humanitatis ad diuinam subsistentiam & personalitatem immutatum fuisse ordinem subsistentiæ personalitatis nostræ naturalem in terminanda humanitate & partibus eius essentialibus, scilicet anima & corpore. Cùm enim in hoc admirabili Incarnationis diuini Verbi mysterio diuina subsistentia creatam præueniat & suppleat subsistentiam : eodem ordine existimandum est naturam & eius partes diuina subsistentia terminari, quo propria fuerant naturaliter subsistentia terminandæ. Nec obstat quod *supra art. 1. ad 2.* S. D. dicat aliam esse rationem de personalitate propria humanæ naturæ : & aliam de personalitate Verbi illam terminante: non enim affirmat aut intendit diuersitatem hanc attendi penes ordinem terminandi naturam & partes eius, sed quoad hoc quod propria personalitas ex principijs indiuiduantibus naturæ dependet: & ideo corpus vicinius est hypostasi humanæ, quàm anima : Hypostasis autem diuina ex humanitate non pendet, sed ea altior est : & ideo id quod in humanitate nobilius & altius est, illi propinquius est: hoc autem est anima : & ideò Filius Dei assumpsit carnem mediante anima : sed quamuis naturalis humanæ naturæ personalitas ex principijs indiuiduantibus ipsius naturæ dependeat ; non tamen sequitur secundùm D. Tho. in nobis prius corpus propria subsistentia terminari, quàm terminetur anima, vel tota natura. Nam S. D. ibi solùm intendit argumento respondere assumenti corpus magis ad hypostasim pertinere, quàm anima, & ait corpus vicinius esse hypostasi constitutæ per humanam naturam; non autem hypostasi Verbi assumenti humanam naturam: Si autem idem medium sumatur ad ostendendum corpus prius quàm anima naturali subsistentia terminari : facilè respondebitur negando consequentiam; quia cùm ad hypostasim constituendam duo præcipuè concurrant, scilicet natura substantialis & indiuiduatio, illa principalior est: hæc verò secundaria. Quod autem in anima substantiali nobilius ac principalius est, illud etiam prius ac principalius subsistentia terminatur. Cùm igitur anima sit in humana natura principalior, illi primò conueniret subsistentia. Licèt ergò corpus ratione materiæ & quantitatis, quæ principia sunt indiuiduationis, ad hypostasim naturalem vt indiuidua substantia est magis pertineat : simpliciter tamen ob dictam causam magis ad hypostasim pertinet anima. Vel dicas in hypostasi humana duo considerari; alterum quod est hypostasis substan-

tiæ materialis, & sic ad eam magis pertinet corpus, ob causam tactam in argumento : alterum quod est hypostasis humana vt sic : & ita magis ad eam pertinet anima rationalis, per quam constituitur in specie humanæ naturæ. Vel dicas ad hypostasim, quatenus hypostasis est materialis, magis pertinere corpus, sed quatenus hypostasis est vt sic, cui conuenit subsistere, magis pertinet anima rationalis, cui per se primò conuenit subsistentia modo superius explicato.

Secundò præmitto non esse in hoc mysterio Incarnationis multiplicanda miracula sine necessitate; quia non minus ordo supernaturalis, quàm naturalis abhorret superfluitatem.

Tertiò præmitto quæstionem hanc de ordine assumptionis inter partes & totam humanitatem dupliciter posse tractari : Vno modo supponendo realem distinctionem totius à partibus simul sumptis & vnitis: Alio modo, supponendo realem identitatem cum eisdem partibus eodem modo sumptis.

Quartò suppono ea, quæ dixi *in præcedenti Controu.* de subsistentia animæ rationalis, cùm est vnita corpori. Quibus præmissis.

Vnionem Verbi cũ anima & corpore, & cũ ipsa tota humanitate fuisse vnam in actu, & duas in potentia.

Notandum est primò ex D. Thom. *in 3. dist. 21. q. 1. a. 1. q. 2. ad 5.* vnam fuisse tantùm vnionem in actu Verbi cum anima & corpore, & cum ipsa tota humanitate ante mortem, quæ tamen erat duplex in potentia. Eius verba sunt: *Ex parte assumptorum, quæ diuisa sunt, duæ sunt vniones in actu post mortem: antè autem erat vna in actu, & multæ in potentia ; vnde non oportet, quòd aliqua vnio fiat ibi de nouo, sicut nec in diuisione continui fit aliquid de nouo, inquantùm id, quod prius erat multa in potentia, vnum autem in actu, fit actu plura:* Hæc ibi & ad Ambaldum eadem dist. quæst. vnica, artic. 1. ad 4. ait: *In morte Christi fuit vna vnio ad animam, & carnem ex parte personæ diuinæ, inquantum relatio vnionis est secundùm rationem tantùm ; sed ex parte assumptorum, scilicet animæ, & corporis, fuerunt duæ in actu, & plures in potentia; & sic non oportet, quòd fuerit ibi facta noua vnio, sicut nec in diuisione continui fit omninò nouum corpus, licèt vnum diuidatur in multa:* igitur secundùm D. Thomam vnica duntaxat vnione Verbum toti humanitati & partibus eius ante mortem vniebatur. Quemadmodum enim lignum & quodlibet corpus homogeneum vnum est suppositum in actu, & plura in potentia, quæ sola diuisione reducuntur ad actum, ita vt quę prius tantum subsistebant, vt quod in potentia, iam facta diuisione subsistant vt quod in actu, sic anima & corpus in Christo prius subsistebant vt quod in potentia tantùm; sed facta per mortem separatione animæ à corpore iam vtrumque seorsum subsistere cœpit vt quod in actu, donec iterum vnita priorem subsistẽdi modum receperunt. Et sicut vnica est generatio qua totum puta lignum generatur & fit subsistens vt quod in actu, & qua partes eius cũ toto generãtur & fiunt subsistentes in potentia; ita vt ligni subsistentia sit vna in actu, & multiplex in potentia; sic vnica est assumptio qua tota humanitas fit actu subsistens vt quod in actu, & qua partes eius scilicet anima & corpus fiunt subsistentes vt quod in potentia; ita vt sit vna subsistentia & vnio in actu: multiplex autem non quidem subsistẽtia; (quoniam hęc est Verbi personalitas, quę vna est) sed vnio, quæ ex parte vnitorum diuersa est. Et probatur etiam his argumentis. *Primò*, quia Verbum vnione sua personali supplet subsistentiam humanitatis & partium eius; sed hæc vna tantùm est ; quia subsistentia animæ est, qua non solùm ipsa, sed etiam corpus, & ipsa tota subsistit humanitas; ergo vna tantum erat vnio &c. *Secundò* probatur idem ; quia Verbum assumendo totam humanitatem hoc ipso aut secundariò saltem, partes etiam eius assumit ; ergo vna tantùm est assumptio & vnio: *Tertiò*, quia sequeretur duplicem esse vnionem partium, scilicet animæ & corporis ad Verbum: alteram qua secundùm se vnirentur Verbo; alteram qua eidem vnirentur ; vt partes humanitatis; quia impossibile est assumi totum, quin eadem assumptione partes assumantur : si ergò diuersa est assumptio, & vnio humanitatis ab assumptionibus, & vnionibus animæ & corporis, sequitur animam & corpus dupliciter vniri Verbo, semel quidem proprijs vnionibus, iterum autem vnione totius humanitatis, quod nullus hactenus dixit. Et manifestè absurdum est; cùm in eo superfluitatem constituat, quod in Christo præcipuum est. *Quartò* in creatione, transubstantiatione & alijs mutationibus instantaneis non assignantur plures termini partiales, & vnus totalis; sed vnus tantũ scilicet entitas aut esse totius; ergò similiter in assumptione, vnus tantùm terminus est. Idem etiam alijs argumentis probat Vasq. *disp. 39. c. 2.* *Vasq.*

Quid sit ordo naturæ secundùm intentionẽ, & secundũ executionẽ.

Secundò sciendum est, ordinem naturæ de quo loquimur in præsenti Controuersia, esse ordinem causalitatis, qui multiplex est iuxta multiplex genus causæ: est autem duplex hic ordo naturæ : alter enim est intentionis, & alter executionis: Prior attenditur secundùm causalitatem finalem; ac proinde etiam secũdùm formam; quia forma & finis coincidunt in idem numero : alter ordo est executionis, qui attenditur secundùm causalitatem agentis & materiæ; quoniam hę duę causæ præexistunt rei fiendæ, vt ait S. D. in textu. Illud igitur quod primò tanquam finis cadit in intentione agentis, est prius secundùm ordinem intentionis: illud autem à quo incipit agentis operatio, & quod prius existit in transmutatione materiæ, est prius secundùm ordinem executionis, vt hic etiam significat S. D.

Tertiò considerandum est ordinem executionis inter aliqua realiter ab inuicem distincta eadem & eodem modo habere media, si sit secundũ naturam tantùm, quæ habet quando est secundùm ordinem temporis, & successionem plurium operationum, vt hic aduertit Caietan. Nam (exempli gratia) domus siue fiat per multas operationes sibi secundùm ordinem temporis succedentes, sicut cùm ab artificibus ædificatur, siue simul tota fiat à Deo, eadem pertransit media: primò namque intelligitur fieri fundamentum, secundò parietes, tertiò tectum. Et quemadmodum cùm fit ab arte successiuè, priùs fit fundamentum vt quod partiale ; & eo mediante fiunt parietes, qui prius fiunt vt quod partiale quàm tectum, & eo mediante fit tectum vt quod partiale : & demum his omnibus mediantibus, vt quod partialibus fit domus vt quod totale: similiter si domus tota simul à Deo fiat, eundem habebit ordinem naturæ secundùm executionem, tam inter partes adinuicem, quàm inter easdem toti comparatas.

Quando differãt dicti ordines.

Quartò obseruandum est, prædictos ordines, scilicet intentionis & executionis esse cõtrarios: adeò vt quod primum est in vno ordine, sit vltimum in alio, & è conuerso, quod idem dicendum est de ordine compositionis & resolutionis: nam primum in ordine compositionis est vltimum in ordine resolutionis, & è contra; Quod verissimum est non solùm in compositis constãtibus ex entibus in actu, sicut est domus; sed etiam

iam in compositis constantibus ex pluribus partibus in potentia; quia tales partes, puta materia & forma, suam habent causalitatem; atque adeò prioritatem secundùm ordinem naturæ respectu eius, cuius sunt actu causæ: sed quia causæ sunt sibi inuicem causæ; ideò quod intelligitur esse prius in aliquo dictorum ordinum secundùm vnam rationem causæ, potest intelligi & esse posterius secundùm aliam rationem causæ. Quas diuersas rationes considerans S.D. *in 3.dist. 2.q.2.a.1.qu.3.* dixit: Verbum quodammodo mediantibus partibus assumpsisse humanitatem, & quodammodo partes mediante humanitate. Verba eius sunt: *Partes originaliter sunt priores toto, quasi constituentes ipsum; totum autem completiue est prius partibus; quia ratio naturæ completæ inuenitur prius in ipso toto, & ad partes eius prouenit mediante toto, in quantum eius partes sunt: vnde etiã sunt in genere per reductionem: Et ideò dicẽdum est, quòd quodammodo mediantibus partibus assumpsit totum; inquantum scilicet partes originaliter humanam naturam constituebant, cui per se assumptio debebatur: quodammodo autem partes mediante toto; inquantùm ratio humanæ naturæ, quæ per se assumptibilis est, per prius inuenitur in toto, & per hoc in partibus.* Hæc ibi S.D. Vbi perspicuè loquitur de ordine executionis.

S.Thom.

Quo ordine fuerit assumpta humanitas & eius partes.

Aluar. obi. *Sed arguit* Aluarez. Partes continui post diuisionem manent existentes in actu; & tamen secundùm ordinem compositionis non habuerunt esse prius, quàm totum: ergò in eo composito, quod constat ex pluribus entibus in potentia, non est necesse vt ordo resolutionis sit contrarius ordini compositionis. *Respond.* nullam esse conseq. quoniam vt partes sint natura, id est, causalitate priores toto, non est necesse vt habeant esse in actu prius, quàm totum; sed satis est vt sint prima radix existentiæ: & in eodem instanti temporis sint existentes simul cum toto; nam materia & forma prius natura componunt totum, & suis causalitatibus illud præcedunt, quamuis totum ipsum primò & partes consequenter habeant existentiam: hæc enim est vltima actualitas consequens essentiam in esse completo constitutam: dici tamen possunt prius natura existere non simpliciter, sed secundùm genus suæ causalitatis, & habere existentiam vt in fieri.

Sol.

Quintò aduertendum est partes humanitatis, scilicet animam & corpus dupliciter vnitas esse Verbo: Vno modo secundùm se siue secundùm proprias entitates: Alio modo quatenus inter se erant coniunctæ vt proprius actus & propria potentia ad constituendam ipsam humanitatem; quæ tamen non fuere plures vniones in actu; sed vna tantùm in actu, & plures in potentia, vt supra diximus ex D. Tho. Ex his ad quæsitum respondeo quinq; conclusionibus.

Cõclusiones, deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. est: *Secundũ ordinem intẽtionis Filius Dei assumpsit partes humanæ naturæ mediante toto.* Hæc est S.D. in textu.

SECVNDA CONCL. est: *Secundùm ordinem executionis non prius assumpta est anima, vt quod in actu, quàm ipsa tota humanitas.* Probatur; quia anima non prius fuit assumpta, quàm esset forma corporis; vt autem est forma corporis, non potest subsistere neque existere tanquam quod in actu sed in potentia; quatenus scilicet potest à corpore separari & separata subsistere: potest tamen dici subsistens medio modo inter actum & potentiam, vt supra declarauimus: igitur anima nõ prius fuit assumpta vt quod in actu; quàm ipsa tota humanitas.

TERTIA CONCLVSIO. *Anima secundùm ordinem executionis prius fuit à Verbo assumpta vt quo in actu, & vt quod medio modo inter actum & potentiam, quàm humanitas.* Prima pars probatur; quia per animam rationalem constituitur humanitas in esse humanitatis; ergo in esse assumptibili; ergo est medium quo humanitas fuit assumpta. Secundò probatur; quia ordo executionis est contrarius ordini intentionis: at secundùm ordinem intentionis prius assumpta est humanitas, quàm anima; ergò Secunda verò pars probatur; quia subsistentia personalis per se primò conuenit animę & per ipsam corpori & humanitati, ergò etiam subsistentia supernaturalis & diuina primò communicatur animæ; deinde corpori & tertiò humanitati. Antecedens patet ex præcedenti Controuersia de subsistentia animæ. Conseq. verò patet ex primo præmisso; quia scilicet idem ordo seruatus est in terminanda humanitate, & eius partibus per subsistentiam supernaturalem, qui seruatus esset, si fuisset humanitas illa & eius partes naturali subsistentia terminata.

QVARTA CONCL. *Secundùm ordinem executionis corpus prius natura, quàm humanitas, fuit assumptum vt quo; non autem vt quod in actu, sed in potentia tantùm.* Prima pars probatur; quia corpus est causa materialis constituendæ humanitatis; ergò secundùm genus causæ materialis prius natura assumitur, quàm assumitur humanitas. Antecedens est per se notum. Consequentia patet ex quarto notabili. Secunda pars probatur: quia corpus non est assumptibile, nec fuit assumptum à Verbo, nisi prout actu erat informatum anima rationali; ergò non fuit assumptum tanquam subsistens vt quod in actu. Consequentia patet ex dictis; quia corpus animæ coniunctum non subsistit vt quod in actu secundùm ordinem naturalem; ergò nec secundùm ordinem supernaturalem. Probatur hæc consequentia ex primo præmisso: Vltima verò pars conclusionis probatur: quoniam, vt ait S.D. *in 3.* illa vnio Verbi cum humanitate erat vna in actu, & plures in potentia; quia scilicet virtute illius vnionis poterant per se separatim subsistere corpus & anima, si fuissent ab inuicem separata, sicut accidit in triduo mortis.

QVINTA CONCL. *Secundùm ordinem executionis humanitas primò fuit assumpta vt quod in actu.* Probatur; quia soli humanitati per subsistentiam terminatæ conuenit subsistere vt suppositum; ergò illi non autem alicui ex eius partibus, puta animæ aut corpori conuenit per se primò subsistere actu vt quod, absolutè loquendo: partibus autem eius conuenit subsistere vt aliquid illius; quia scilicet ex eis integratur suppositum: & idcò subsistentia suppositi, quatenus suppositi est, ad ipsas deriuatur, non absolutè sed vt aliquid sunt suppositi; igitur subsistentia suppositalis, vt sic inchoat ab humanitate; & ex ea quasi ex principio formali deriuatur ad partes; ergò secundùm ordinem executionis humanitati primò communicata fuit hæc subsistentia, & per ipsam partibus. Secundò probatur; quia S.D. *in 3.dist.3. q.5.a.2.in c.* ait partes humanitatis non esse assumptibiles, nisi ratione totius, quia scilicet humanitas per diuinam subsistentiam constituibilis est in esse suppositi: partes autem per eandem subsistentiam sunt constituibiles, vt sint aliquid eiusdem suppositi: igitur humanitas secundùm ordinem executionis primò fuit assumpta vt quod in actu.

CONTRA *secundam* concl. sunt arg. Cai. quæ refert

Obi.1.cõt.2. concl.

refert & soluit Aluar. sed expedit ea, & quædam alia distinctè proponere, & ex propositis principijs diluere: *arguitur ergò primò*: Quia S.D. *in solutione primi* dissertis verbis affirmat, Verbum prius natura in via operationis, id est executionis assumpsisse partes, quàm totam humanam naturam: quod prius etiam docuerat August. *in lib. de Agone Christian. c. 18. & sequent. & in epist 3.* ergò. *Solut.* Respondetur Sanctos Thomam & Augustinum non asserere prius assumptas fuisse partes humanitatis vt quod in actu, sed eorum verba interpretanda sunt in sensu 3 & 4. conclusionis.

Obiectio 2. *Secundò*, ordo compositionis est contrarius ordini resolutionis; sed ordo resolutionis incipit à tota humanitate, & terminatur ad partes vnitas Deo, vt quod in actu; ergo ordo compositionis incipit ab assumptione & vnione partium *Conf.* vt quod in actu. *Confirmatur*; quia aliàs vnio partium in triduo mortis cum Verbo esset nouum miraculum; quod non est asserendum. Probatur sequela; quia si partibus communicatur subsistentia diuina mediante toto, consequens necessariò est vt corrupto toto, ac per hoc cessante in eo diuina subsistentia, esset etiam in partibus, in quas ex ipso toto deriuabatur. Cùm itaque partes humanitatis Christi post mortem fuerint semper diuina subsistentia terminatæ, necesse est noua assumptione ac proinde nouo miraculo factum esse, vt in triduo mortis di- *Sol.* uino personalitate subsisterent. *Respond.* ordinem resolutionis esse contrarium ordini compositionis secundùm rationem ordinis; quia quod est primum in vno, est vltimum in alio ordine; non tamen oportet ita esse contrarium, vt seruetur idem essendi modus ordinatorum in vtroque ordine, præsertim quando compositum constat ex pluribus entibus in potentia: non est enim necesse, vt quemadmodum partes talis compositi in resolutione fiunt in actu vt quod, ita in compositione prius habuerint esse vt quod in actu, sed sufficit habuisse esse vt quo in actu; & vt quod in potentia: & ratio diuersitatis est; quia compositum, quod per se vnum est exigit vt vnum habeat esse & vnam subsistentiam; & ideo nulla pars potest vt existens tãquam quod in actu componere totum: neque natura compositi vt sic exigit partes actu prius existere separatas: at natura resolutionis, qua totum resoluitur, partibus adinuicem separatis & minimè corruptis necessariò postulat, vt quælibet earum facta resolutione existat in actu *Ad Conf.* vt quod. *Ad confirmationem* negatur sequela. Ad probationem dico primò partibus quodammodo communicari subsistentiam mediante toto, & quodammodo è contra medijs partibus toti cõmunicari, vt ait S.D. *loco supra notato*. Secundò dico vnionem illam Verbi cum humanitate & eius partibus fuisse vnam in actu, & plures in potentia; vt ait idem S.D. *loco supra allegato*: & ideò virtute primi miraculi, quo Verbum fuit personaliter vnitum toti humanitati, remansisse partibus vnitum in triduo mortis Christi.

Obiect. 3. *Tertiò*: Anima Christi prius natura fuit creata, quàm formaretur humanitas; ergò anima prius fuit assumpta, & per subsistentiam Verbi terminata, quàm humanitas. Antecedens probatur; quoniam humanitas Christi formata fuit per vnionem animæ ad corpus: vnio autem supponit existentiam extremorum: ac proinde etiam actiones, quibus producuntur extrema, Conseq. verò probatur; quia prioritas actionum attenditur ex prioritate terminorum: terminus autem creationis animæ non potuit alio modo prior esse termino assumptionis humanitatis, nisi quia prius fuit assumptus quàm tota humanitas; quia anima Christi non habuit existentiam, nisi per assumptionem: ergo si prius natura est existens, quàm tota humanitas, prius etiam fuit assumpta vt quod in actu. *Confirmatur primò*: quia aliàs anima Christi non esset propriè creata neque concreata sed generata. Probatur sequela; quia quod existit dependenter à toto, non potest dici propriè creatum; ergò si animæ Christi communicatur subsistentia dependenter à toto, non erit propriè creata. Deinde non esset concreata; quia in humanitate cum actu generatur nihil est aliud quod tunc creetur, cum quo simul dici possit anima creari. *Secundò confirmatur*; quia supra diximus animam prius à Verbo assumptam fuisse quàm caro; ergò priùs etiam fuit assumpta quàm humanitas. Probatur illatio; quia in illo priori non intelligebatur humanitas vnita Verbo, eo quod in illo priori nondum erat humanitas quæ resultat ex vnione animæ ad corpus. *Resp.* creationem animæ consideratam, vt in fieri esse natura priorem assumptione, sed assumptionem, vt in facto esse siue vt in termino esse priorem creatione sumpta vt in termino, vt supra declarauimus *q. 2. ar. 7.* & hic explicat Aluarez. *Ad primam confirmationem* negatur consequentia, quia anima Christi non habuit esse dependenter à materia, necà toto, & considerata assumptione & vnione vt in fieri, prius natura fuit assũpta anima vt quod medio modo inter actũ & potentiã; quã ipsa tota humanitas. Et hoc idẽ probat *2. cõf.*

CONTRA *tertiam* concl. sunt argum. quę pro sententia Med. profert & soluit Aluar. *disp. 30.*

Contra eandem concl. arg. Scotus, & cum eo Rada *Primò*: quod est primò personabile in se, si sibi dimitteretur, hoc in alio primò personatur, qñ assumitur; sed tota natura est primò & immediatè hoc modo personabilis in se si sibi dimittatur, & nõ pars vel partes; igitur ipsa primò & immediatè personatur à Verbo. Maior probatur; quia personalitas aliena supplet personalitatem propriã, & in eodẽ instanti naturæ, in quo personaretur in se, si sibi dimitteretur, personatur in alio vel ab alio: nam ante illud instans nihil est natũ assumi; quia nõ prius fuit natura singularis, nec post illud instans assumitur; quia tunc esset persona in se. Minor verò probatur; quia in eodẽ instanti naturæ, in quo materia vel forma præcedit totum, neutrum est persona, sed tũc primò, qñ ex his vnitis est tota natura conflata: tunc enim ipsa natura est persona in se, si nõ impediatur ab assumente. *Et cõfirmatur*; quia ordo personationis est contrarius ordini generationis; ergò id primò personatur, quod est ordine generationis & sm naturam posterius: sed tota natura humana est sic posterior suis partibus; ergò ipsa fuit prius natura assumpta, quàm partes, & ex consequenti ipsa fuit primò assumpta. *Secundò* in nobis humanitas prius personatur, quã singulæ partes; ergò etiã in Christo. Probatur conseq. nam qñ fides nõ repugnat naturæ, de supernaturalib. iudicandũ est, sicut per naturã est cõparatũ. *Et confir.* quia D. Th. docet, quòd simpliciter & absolutè prius est assũptũ totum quàm partes, sed sm quid partes sunt prius assumptę quam totũ; at si partes prius subsistunt, & personãtur quã totũ, euidenter sequitur quòd partes simpliciter prius sunt assumptæ quã totum, quod D. Th. negat. *Resp.* cũ duplici distinctione: *Prior* est: Aliquid dici potest personabile aut personari dupliciter. Primò: quia potest fieri vel fit persona aut constitutiuum personæ, vt to-

Ad 1. conf. *Conf. 1.* *Conf. 2.* *Sol.* *Ad 2. Conf.* *Obi. 1. cõ. 3. conc.* *Conf. 1.* *Conf. 2.* *Conf. 3.* *Solut.*

ta humanitas: secundò quia potest fieri aliquid personæ, vt partes humanitatis. *Posterior* distinctio est: Personari secundo modo contingit dupliciter: Vno modo per modum fieri & viæ ad personationem primo modo dictam, quæ toti conuenit humanitati: & sic personari id est fieri aliquid personæ per modum scilicet tendentis ad constitutionem personæ quæ est in fieri, conuenit primò animæ, & per eam corpori, quod vnitum animæ fit subsistens per se vt quod in potentia: & demùm animæ subsistentia communicatur huamnitati: Alio modo dicitur aliquid illo secundo modo personari, non vt in via & vt in fieri, sed vt in termino secundario & vt in facto esse: & hoc modo personari id est fieri & esse aliquid personæ, non prius conuenit partibus humanæ naturæ, quàm ipsi naturæ; quoniam vt antè diximus subsistere in ratione suppositi primò conuenit toti, & ex eo diffunditur ad partes, quæ dicuntur subsistere vt aliquid suppositi, nec possunt propriè dici aliquid suppositi in facto esse, nisi supposito iam existente. *Ad argum.* in forma dico maiorem esse veram de personabili & personari iuxta primum modum primæ distinctionis, falsam autem iuxta secundùm eiusdem distinctionis modum. Ad cuius probationem dico eam concludere de personabili primo modo tantùm: Minor etiam vera est de personabili primo modo: falsa autem de personabili secundo modo; nam animæ sibi dimissæ primo simpliciter conuenit subsistere, & per eam corpori, & vltimò humanitati: cui tamen alia ratione conuenit primò subsistere scilicet in ratione suppositi, & per eam partibus, quæ vltimò subsistunt vt aliquid suppositi iam constituti. *Ad confirmationem* dico, ordinem personationis iuxta primum modum primæ distinctionis, & iuxta secundum secundæ distinctionis esse contrarium ordini generationis: ordo autem personationis iuxta secundum modum primæ dictionis, & primum secundæ conformis est ordini generationis. Et eodem modo soluitur *secunda confirmatio*. *Ad tertiam* ex D. Th. patet solutio ex littera D. Th. quæ manifestè loquitur de ordine secundùm intentionem agentis dicens id esse primum simpliciter ex parte agentis, quod primò cadit in eius intentionem: & ideò falsa est illa subsumpta propositio: at, si partes prius subsistunt & personantur quàm totum, &c. Caiet. alia via diluit argumenta Scoti, dicens non esse similem ordinem assumptorum ad personam assumẽtem, qui esset eorundem ad propriam personalitatem, quod principium arbitratur se colligere ex D. Th. *art. primo huius Quæstionis ad secundum:* sed id non esse verum, nec ad mentẽ D. Th. supra satis ostendimus.

Ad Conf. 1. *Ad 2 conf.* *Ad 3. conf.*

Obi. 1. cõt. 4. concl. CONTRA *eandem* conclus. & simul contra *quartam* argumentatur quidam vir doctissimus. *Primò*; quia S. D. contrarium videtur affirmare *in 3. dist. 2. q. 2. a. 3. & q. 5. a. 2.*

Sol. Resp. D. Thom. in priori loco solum dicere, nullum horum trium esse possibile, videlicet carnem prius conceptam fuisse, & postmodum assumptam animam prius fuisse creatam & postea assumptam, & hominem prius ex suis partibus fuisse constitutum & postea assumptum: in posteriori verò loco probat conceptionem corporis Christi non fuisse successiuam sed instantaneam, quæ manifestè constat nostris conclusionibus non esse contraria.

Ob. 2. *Secundò* partes non sunt assumptæ nisi mediante tota entitate; ergò tota fuit prius assumpta. Antecedens probatur; quia assumptibilitas consistit in necessitate, & dignitate, quæ per se primò conueniunt toti humanitati: non autem parti; ergò. *Resp. primò* partes fuisse assumptas mediante tota entitate secundum ordinem intentionis. Secũdò fuisse assumptas mediante tota entitate, vt primò habente subsistentiam completè seu vt quod in actu non autem vt primò simpliciter habente subsistentiam: hoc enim vt supra diximus est anima rationalis. Ad probationem antecedentis dico ex dignitate & necessitate per se primò conueniente humanitati solùm deduci partes fuisse assumptas mediante tota entitate, vt prius assumpta secundùm ordinem intentionis tantùm. *Secundò dico* sequi partes assumptas fuisse mediante tota entitate, vt prius assumpta ad cõpletè subsistendum seu vt quod in actu, prout affirmat vltima nostra conclusio.

Sol.

Tertiò sequeretur Deum in executione incepisse Incarnationem à rebus imperfectioribus & incompletis, & non formatis scilicet à partibus, quod esse inconueniens ostendit S. D. in simili infra *q. 33. a. 1. & 4. cont. gent. c. 44.*

Obi. 3.

Resp. primò S. Th. in dictis locis, & præsertim *in dcto c. 44.* asserere quòd inconueniens fuisset, quòd Verbum quod est fons & origo omnium perfectionum & formarum, vniretur alicui rei informi, & nondum perfectionem naturæ habenti; & ideò non fuisse conueniens, vt Verbum vniretur corpori nondum animato & formato. Quod etiã nos affirmamus dicẽtes, animam non prius à Verbo fuisse assumptam quàm esset carni vnita, & carnem prius fuisse humanam per animæ informationem quàm esset assumpta; sed quia partes sic vnitæ præcedunt suis causalitatibus totum; ideò dicimus eas fuisse prius natura, quàm totum ordine executionis assumptas. *Secundò dico* hoc argumento probari vltimã nostrã conclusionẽ videlicet totũ vt quod in actu fuisse prius natura, quã partes assumptũ.

Solut.

Quartò sequeretur partes bis assumi, semel in se ipsis prius, quàm tota entitas, & secundò in tota entitate. Probatur consequentia; nam implicat vniri totum vel assumi, quin vniantur vel assumantur partes; quia totum est idem essentialiter quòd partes, vel includit illas. *Et confirmatur*; quia aliàs posset Deus assumere aliquod totum manente parte eius cum aliena subsistentia, quod est impossibile. *Resp.* nullam esse conseq. propriè & formaliter loquendo. Ad probationem dico primò; licet implicet assumi & vniri totum, quin assumantur & vniantur partes; non tamen implicat assumi & vniri partes prius natura, quam assumatur totum; nec verum est totum esse idem essentialiter quod partes: distinguitur enim ab eis realiter, vt ostendimus de mente D. Th. *1. p. q. 3. a. 7.* Secundò dico non implicare totum vt quod actu assumi prius natura, quàm partes secundùm eam rationem, qua distinguitur ab eis, & posterius natura partes assumi, quatenus aliquid eius sunt in facto esse: sic enim totum causalitate quadam formali pręcedit partes. *Ad confirmationem* negatur consequentia: aliud est enim totum esse assumptibile sine partibus: primum enim est verum. Secundum autem est impossible; quia partes alio modo prius natura, quã totũ sunt assũptibilis, & actu fuerũt assũptæ.

Obi. 4. *Conf.* *Solu.* *Ad Conf.*

Quintò tota entitas in nobis per se primò ordine executionis personatur & non primò partes eius; ergò idẽ est de humanitate Christi. Antecedens probatur; quia teste D. Th. *in 3. dist. 5. quæst. 3. a. 2.* ratio personæ, cum sit ratio entis vltimò completi & perfecti, non primò conuenit parti. Consequentia verò probatur: Quia

Obiectio 5.

Verbum eodem modo & ordine personat humanitatem, quo personaret illam propria personalitas: quia cum propria personalitas impediatur per alienam, impeditur solùm eo modo, quo aliena communicatur; ergò Si aliena communicatur primò toti, personalitas propria prius impeditur, ne communicetur toti. *Solut.* *Respond.* Antecedens verum esse de personari id est fieri personam, & de personari id est fieri aliquid personæ, vt in termino: falsum autem est de personari, id est fieri aliquid personæ, vt in via ad personam cõstituendam. Probatio verò antecedens verum assumit, & probat personari primo modo conuenire per se primò toti. *Obi. 6.*

Sextò vt partes assumantur à Verbo, sufficit vniri illi humanitatem; ergò. Antecedens probatur *primò*: Quia S. D. locis supra notatis ait vnam esse tantum totius humanitatis & partium eius assumptionem. *Secundò* quia vt anima & corpus habeant esse, & producantur à Deo, satis est immediatè creari totum, non autem necesse est vt partes prius toto producantur, & habeant in se ipsis existentiam; ergò vt partes assumantur satis est assumi totum; quia in se includit partes & sine illis assumi nequit. *Tertiò* vt partes nostrę humanitatis suo modo subsistant, satis est personalitatem primò terminare totam humanitatẽ; nam consequenter & mediatè terminat eius partes; ergò idem erit de personalitate Verbi, quæ substituitur loco personalitatis propriæ. *Vltimò* vt aliæ actiones terminentur ad totum, satis est vt terminentur ad partes suo modo, quatenus sunt capaces illius; ergò idẽ erit in assumptione. Antecedens probatur: nam satis est totum annihilari vel transubstantiari, vt partes annihilentur vel transubstantientur: & sic de alijs; ergò. *Solut.* *Resp.* antecedens dupliciter sumi posse: primò in sensu formali, vt scilicet partes hoc ipso formaliter dicantur assumi, quod assumitur totum formaliter & præcisè sumptum prout scilicet à partibus distinguitur, & ita falsum est vt patet ex dictis: non enim partes hoc ipso secundum se dicuntur assumi, quod totum vt totum est assumitur; quoniam vt diximus realiter & essentialiter distinguuntur partes à toto: Alio modo sumi potest in sensu materiali, & ita verum est sed cũ eius veritate stat ordo prædictus in assumptione: & ideò Sanctus Doctor, *loco superius allegato* docet vnionem totius & partium esse vnam formaliter & plures virtualiter. *Ad primam* probationem antecedentis dico nullam esse consequẽtiam, vt patet. *Ad secundam* concedo antecedens de existentia & subsistentia in actu; non autem de existentia & subsistentia in potentia: eo modo quo partibus iuxta earum naturã potest conuenire; vt patet de anima rationali, quæ per se primò vendicat sibi subsistentiam, & de corpore quod potest ab anima separari & subsistere: & ideò anima prius natura habet subsistentiam vt quod medio modo inter actum & potentiam quàm humanitas, & corpus etiam prius natura subsistit in potentia vt quod quàm humanitas. *Ad tertiam* negatur antecedens, vt patet de anima cui per se primò naturaliter conuenit subsistentia, & per eam communicatur compositò. *Ad vltimam* concessò antecedente dico modum proprium terminandi actionem personæ humanæ productiuam esse, vt anima creetur in corpore vt primò subsistens, & ita ab ea deriuetur subsistentia ad corpus & ad totum. Ad probationem antecedentis dico annihilationem: quia est resolutiua, prius natura terminari ad entitatem totius & postea ad entitates partium: transubstantiationem autem eundem modo nostro intelligendi habere progressum, quem haberet si fieret successiuè, vt ait Caietanus de domo &c. quælibet enim pars essentialis substantiæ compositæ secundum rationem suę causalitatis prius ordine executionis alterà & ipso toto intelligitur transubstantiari, sicut & ipsum totum non solùm ordine intentionis, sed etiam suo modo ordine executionis prius intelligitur transubstantiari, quàm partes quatenus eius entitates respectu entitatis partium quàndam habet causalitatem formalem; atque adeò prioritatem naturæ.

ARTICVLVS VI.

Vtrum humana natura sit assumpta mediante gratia.

AD *Sextum sic proceditur*. *Videtur quòd Filius Dei assumpserit humanam naturam mediante gratia. Per gratiam enim vnimur Deo. Sed humana natura in Christo maximè fuit Deo vnita. Ergo illa vnio facta fuit per gratiam.* 3 dist. 2. q. 2. art. 2 & dist 13. q. 3 art. 1. & ver. q 29. a. 1. & op. 3 c. 4 & 2 2.

Præterea: Sicut corpus viuit per animam, quæ est eius perfectio, ita anima per gratiam. Sed humana natura redditur congrua ad assumptionem per gratiam. Ergo Filius assumpsit animam mediante gratia.

Præterea: Augustin. in 15. de Trin. dicit, quòd Verbum incarnatum est sicut verbum nostrum in voce. Sed verbum nostrum vnitur voci mediante spiritu. Ergo verbum Dei vnitur carni mediante Spiritu sancto, & ita mediante gratia, quæ Spiritui sancto attribuitur: secundũ illud primæ ad Cor. 12. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus.

Sed contra est, quòd gratia est quoddam accidens animæ, vt in secunda parte habitum est. Vnio autem Verbi ad humanam naturam est facta secundùm subsistentiam, & non secundùm accidens, vt ex supradictis patet. Ergo natura humana non est assumpta mediante gratia.

Respondeo dicendum, quòd in Christo ponitur gratia vnionis, & gratia habitualis. Gratia ergo non potest intelligi, vt medium in assumptione humanæ naturæ, siuè loquamur de gratia vnionis, siuè de gratia habituali: Gratia enim vnionis est ipsum esse personale, quod gratis diuinitus datur humanæ naturæ in persona Verbi: quod quidem est terminus Assumptionis. Gratia autem habitualis pertinens ad spiritualem sanctitatem illius hominis, est effectus quidem consequens vnionem secundum illud Ioann. 1. Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Per quod datur intelligi, quòd ex hoc ipso, quòd ille homo est Vnigenitus à Patre (quod habet per vnionem) habet plenitudinem gratiæ, & veritatis. Si verò intelligatur gratia, voluntas Dei, aliquid gratis faciens, vel donans, sic vnio facta est per gratiam, non sicut per medium, sed sicut per causam efficientem.

Ad primum ergo dicendum, quòd Vnio nostra ad Deum est per operationem, inquantum scilicet eum cognoscimus, & amamus, & ideo talis vnio est per gratiam habitualem, inquantum operatio perfecta procedit ab habitu. Sed vnio naturæ humanæ ad verbum Dei, est secundùm esse personale: quod non dependet ab aliquo habitu, sed immediatè ab ipsa natura.

Ad secundum dicendum, quod anima est perfectio substantialis corporis, gratia verò est perfectio animæ accidentalis. Et ideo gratia non potest ordinare animam

mam ad vnionẽ personalem (quæ non est accidentalis) sicut anima, & corpus.

Ad tertium dicendum, quòd verbum nostrum vnitur voci mediante Spiritu: non quidem sicut medio formali: sed sicut per medium mouens. Nam ex verbo concepto interius procedit spiritus, ex quo formatur vox. Et similiter ex verbo æterno procedit Spiritus sanctus, qui formauit corpus Christi: vt infra patebit. Non autem ex hoc sequitur, quòd gratia Spiritus sancti sit formale medium in vnione prædicta.

q. 32. a. 11.

Sensus, & ratio quæsiti.

Dubitatio. SVMITVR hic nomen gratiæ indifferenter ad tres modos, quos S. D. distinguit in textu: *sed videtur* superuacaneus hic articul⁹; quia supra *q. 2. a. 10.* proposuit S. D. idem quæsitum, & eodem modo resoluit, quo præsentis art. quæsito satisfacit. *Solut.* *Resp.* quæsita distingui secundum rationes & occasiones quærendi: constat autem ex declaratione ordinis articulorum illius & huius quæstionis diuersam esse rationem quæsiti hic & ibi, neque hoc in loco tantum S. D. idem quæsitum ob diuersam rationem quærendi explicauit, sed etiam alibi; nam *in 1. 2. q. 109. a. 5.* quærit; vtrum homo possit mereri vitam æternam sine gratia? Quod etiam quæsitum proposuit & resoluit *in eodem libro, q. 114. a. 2.* demum *in 2. 2. q. 10. a. 12.* quærit vtrum pueri Iudæorũ & aliorum infidelium sint inuitis parentibus baptizandi, quod etiam quærit infra *in hoc lib. q. 68. a. 10.*

Vide etiam quæ in principio expositionis scribit Med.

Forma Textus.

PROposita distinctione respondet quæsito duplici conclusione.

Distinctio est: Gratia tripliciter dici potest; duobus quidẽ modis in Christo scilicet gratia vnionis, & gratia habitualis, & tertio modo voluntas Dei aliquid gratis faciens vel donans.

„ PRIMA CONCL. *est: Gratia non potest intelligi, vt medium in assumptione humanæ naturæ, siue loquamur de gratia vnionis siue de gratia habituali.* Probatur quo ad primam partem: quia gratia vnionis est ipsum esse personale, quod gratis datur humanæ naturæ in persona Verbi; ergò gratia vnionis non potest intelligi vt medium. Probatur sequela; quoniam hoc esse personale est terminus assumptionis; ergò. Quo ad alteram verò partem probatur; Quia gratia habitualis pertinens ad spiritualem sanctitatem illius hominis, est effectus quidam consequẽs vnionem; ergò non est medium. Antecedens probatur authoritate diuinæ scripturæ *Ioannis primò* dicentis: *Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti Patre plenũ gratiæ, & veritatis*, per quod datur intelligi, quod ex hoc ipso quod ille homo est vnigenitus à Patre (quod quidem habet per vnionem) habet plenitudinem gratiæ & veritatis; ergò gratia habitualis in Christo est effectus quidam consequens vnionem.

„ SECVNDA CONCL. *Si nomine gratiæ intelligatur voluntas Dei aliquid gratis faciens vel donans, sic vnio facta est per gratiam, non sicut per medium; sed sicut per causam efficientem:* hæc relinquitur, vt manifesta ex dictis in prima parte, quæst. 19. art. 4. & supra quæst. 2. art. 10.

Expositio Textus.

PRAETER ea, quæ supra notata sunt in expositione *articuli 10. quæstionis secundæ*, videnda sunt etiam ea quæ breuiter, ac eruditè scribit Caiet. *super hoc a.* Med. proponit hic dubitationem non satis ad rem pertinentem: *An vnio hypostatica ponat in Christi humanitate vllum aliud creatum donum præter gratiam creatam, & habitualẽ charitatem, ac cæteras dotes in pura creatura reperibiles:* cuius elegantem resolutionem lege, si lubet, apud ipsum.

CONTROVERSIA VNICA.

De veritate primæ conclusionis, quo ad secundam partem: An scilicet gratia habitualis humanitatis Christi fuerit, aut esse potuerit medium assumptionis & vnionis eius ad Verbum?

QVAESTIO hæc est de medio, siuè per modum nexus siuè per modum dispositionis; nam etsi D. S. non meminerit dispositionis; in vltimo tamen articulo sequentis quæstionis; vbi eandem versat difficultatem, in argumento secundo & eius responsione agit de gratia habituali per modum dispositionis considerata in ordine ad vnionem. *Sententiæ Doctorum.*

Referũt recentiores & præsertim Su. *disp. 10 sect. 2.* & *Vasq. disp. 40. c. 1.* quatuor antiquorũ Theologorum sententias. *Prima est* quorundam innominatorũ asserentiũ fuisse in assumpta humanitate dispositionem, quæ cum vnione eiusdem humanitatis ad Verbum hypostatica naturalem haberet connexionem, ita vt posita tali sufficienti dispositione statim veluti necessario & ex natura rei vnio consequatur eo modo, quo posita dispositione corporis ad animam rationalem sequitur vnio animæ cum corpore naturaliter & necessariò. Hãc opinionem refert Gabriel *in 3. dist. 2. q. vnica.*

Secunda sententia est Alex. *in 3. parte suæ summæ, q. 7. memb. 2. a. 1. & q. 11. membro vlt. & q. 12. membro primo* dicentis in humanitate assumpta fuisse dispositionem omninò necessariam, vt vniri posset cum Verbo personaliter; hanc autem dispositionem fuisse gratiam habitualem.

Tertia sententia est ad vnionem humanitatis cum Verbo interuenisse gratiam habitualem tãquàm dispositionem, non vt necessariam sed vt decentem & congruam: Ita videtur sentire D. Th. *in 3. dist. 2. q. 2. a. 2. & dist. 21. q. 1. a. 1. q. 1. ad 4.* S. Bonau. *eadem dist. a. 3. q. 2.* Palud. *quæst. 2. art. 3.* Carthus. *quæst. 5.* Gab. *loco supra notato,* Marsil. *q. 10. a. 1. ad 1. dubium.*

**Resolutio. Gratiã christi habitualem in vnione fuisse medium congruitatis & ornatus, & nõ dispositionẽ præcedentẽ sed consequentẽ vnionẽ, & humanitatẽ habere ordinẽ immediatũ ad Verbi personalitatem.*

Vltima sententia est D. Thom. *in hoc art. & supra quæst. 2. art. 10. & in sequenti quæst. art. vlt. ad 2.* negantis vllam in humanitate fuisse aut esse potuisse dispositionem ad vnionem eius cum Verbo. Quam sententiam sequitur Durandus *in tertio distinct. 2. quæst. tertio.* Scotus *in eadem distinct. quæst. secunda.* Caietanus *hic, & alijs locis supra notatis*, & alij Thomistæ; quibus consentiunt Suar. & Vasq. *locis allegatis.*

* AD HVIVS Contro. resolutionem *considerandum est primò* duplicem inter medium, & finem intelligi ac fieri posse comparationem. Priorem.

Prior est considerando finem, quatenus in fieri & in consecutione dependet à medio; quemadmodum sanitas dependet ex medicina: Posterior est considerando finem vt iam existentem & assumentem aut vtentem medio ad operandum: adeò vt medium non ad esse finis sed ad solam eius operationem ordinetur: hoc modo naturales animæ, aut cuiusuis alterius naturæ facultates dicuntur eius media, quatenus eis mediantibus suas exercent operationes: & eodem modo creaturæ dici possunt media respectu Dei mundum sua prouidentia gubernantis. Nam, vt ait S. D. *1. p. quæst. 102. art. 6.* Quamuis Deus quo ad rationem gubernationis omnia immediatè gubernet; tamen quo ad executionem gubernationis Deus quædam gubernat mediantibus alijs, vt ibi declarat & probat S. D. Vel etiam creaturæ dicuntur media respectu Dei vltimi finis; quatenus ita sunt à Deo creatæ, vt in eius bonitatem & gloriam, tanquàm in vltimum finem ordinentur. Vel breuius & clarius distingue cum Caiet. *infra q. 8. a. 5. circa resp. ad 3. D. Thom.* duplex esse medium: alterum quod est præcedens vt via & dispositio ad esse vel ad vnionem rerum respectu quarum est medium, siuè sit medium solius congruitatis siuè etiam necessitatis, sicut calor medium est disponens ad formam ignis: alterum est medium consequens rerum vnionem, respectu quarum est medium; & hoc dicitur medium congruitatis & ornatus, nõ antecedentis sed consequentis vnionem extremorum iam antea factam, sicut iocalia & cæteri ornatus mulieris iam Principi desponsatæ reddunt illam Principi congruam, & grauitas terram cõsequens reddit formam eius propriæ materiæ congruentem. Et eadem ratio est de qualibet proprietate naturaliter rei compositæ naturam consequente: & in hoc sensu dixit *loco notato* S. D. gratiam Christi personalẽ posse quodammodo dici gratiam vnionis, quatenus facit congruitatem ad vnionem: loquitur enim de congruitate non ad modum dispositionis præcedente; sed ipsam hypostaticam vnionem consequente, eamque exornante ac per hoc illi congruitatem conferente, & in eodem sensu loquitur S.D. *3. dist. 2. q. 2. a. 2. & alibi*: Licèt enim in dicto art. 2. exemplum afferat de dispositionibus formam præcedentibus; non tamen intendit asserere gratiam esse dispositionem præcedentem vnionem: nam cum dispositionibus naturalibus ad aliquam formam duo conueniant: alterum quod formam ipsam præcedunt in materia; alterum quod materiam reddunt congruam & idoneam illi formæ, quod etiam præstant dispositiones ad formam consequentes, vt patet de calore consequente formam ignis, & de qualitatibus consequentibus naturam animalis aut hominis: sunt enim quædam dispositiones formam in materia conseruantes: adeò vt illis amotis corrumpatur vnio formæ cum materia, & desinat forma informare materiam, affirmat ibi S. D. gratiam esse dispositionem ad vnionem; non quia præcedat, sed quia naturam assumptam reddit vnioni congruam. Hanc autem esse mentem D. Thomæ. Probatur primò: Quia S. D. ibi ad secundum affirmat gratiam & habitus omnes virtutum in Christo ex vnione fuisse deriuatos; ergò secundùm eum non fuere dispositiones vnionem præcedentes; sed eam consequentes. Secundò probatur ex modo loquendi S. D. concludit enim. *Vnde ista possunt dici quodammodo media cõgruentiæ.* Tertio probatur; quia S. D. *in eadem dist. ad Anibaldum, quæst. vnica a. 3. in fine c.* ait: *Loquendo tamen de medio congruentiæ, animam mediante gratia, & corpus mediante spiritu assumpsit: quia congruum erat carnem viuificatam, & animam sua imagine insignitam, & gratia repletam assumere*: Vbi de sola congruentia meminit: dicitur autè Verbum animam repletam gratia & virtutibus assumere, non quod præintelligatur natura gratia & virtutibus repleta; sed quia eam assumendo replet iuxta dictum Ioannis supra notatum, videlicet: *quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis*. Non placet, quod hic affirmat Caiet. & quidam alij, nempè D. Thom. hic retractare sententiam; sed arbitror hic eandem doctrinam luculentius explicari.

Secundò notandum est subiectum aliquod aut potentiam posse dupliciter habere ordinem ad aliquam formam aut perfectionem: *Vno modo* immediatè & sic nullo indiget medio disponente & ipsam ordinante ad eam formam aut perfectionem, sicut materia nullo indiget medio eam disponente ad formam substantialem vt sic; quia ad illam ordinatur immediatè: materia enim prima secundùm se capax est formæ substantialis, vt forma substantialis est: & ad illam habet ordinem transcendentalem, à quo nec per primam intellectus operationem potest separari: *Alio modo* potest aliquod subiectum aut potentia ad aliquam formam aut perfectionem ordinari mediatè, & sic ad eam assequendam indiget medio disponente & eam ordinante ad illam formam aut perfectionem; sicut materia ordinatur ad formam substantialem particularem, puta lapidis, plantæ, Leonis aut hominis: harum enim formarum materia prima secundùm se non est proximè capax, sed medijs tantùm proprijs cuiusque formæ dispositionibus, per quas ad vnãquamque recipiendam ordinatur, sicut etiam eadem materia non est capax dispositionis accidentalis, nisi mediante forma substantiali prius in ea recepta: Priori modo, scilicet immediatè humanitas ordinem habet naturalem ad propriã personalitatem; nam vt ait S. D. *supra q. 7. a. 10.* quod natura habeat esse in suo suppposito, non fit mediante aliquo habitu: & quoniam vt ibi de mente S. Th. notat Cai. humana Christi natura eodem modo se habet ad personam Filij Dei, sicut se haberet ad personam propriam, & sicut natura Petri se habet ad ipsam Petri personam; ideò sicut inter naturam & propriam eius personalitatem nulla requiritur media dispositio, vel habitus, sic inter humanitatem & diuini Verbi personalitatem nulla constituenda, aut fingenda est media dispositio. Et ex his patet, quomodo intelligendum sit illud principium D. Tho. *in 1. p. q. 12. a. 5.* videlicet: *Omne quod eleuatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet vt disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra suam naturam*: Verum est enim de eo, quod non habet ordinem immediatum ad eam formam, aut perfectionem ad quam eleuatur; ac proinde capax est dispositionis ad illam, sicut intellectus creatus non ordinatur ad essentiam diuinam, vt formam intelligibilem, & ad claram Dei visionem immediatè sed mediatè: & ideò capax est dispositionis ad illam: hæc autem dispositio est lumen gloriæ, de quo disputat ibi S. D. si autem id, quo eleuatur ad formam, nullius sit capax dispositionis ad illam, sicut de materia dictum est respectu formę substantialis vt sic, tunc nulla prorsus ad talem formam necessaria est dispositio. Cum igitur humanitas, tam respectu propriæ quàm respectu diuinæ personalitatis nullius sit capax dispositionis; sed ad illam immediatè, veluti ad

suum

ſuum complementum & terminum ordinetur, ſicut linea immediatè ordinatur ad punctum, nulla erit in humana Chriſti natura poſtulanda præuia diſpoſitio, qua mediante diuini Verbi perſonalitate terminetur. Quamuis enim humanitas & perſona Verbi ſecundùm rationem entis diſtent in infinitum, & inter illa ſit medius ordo gratiæ, & omnium habituum ſupernaturalium: non tamen hæc ſunt media in ratione diſpoſitionis ad vnionem, & terminationem diuinæ perſonalitatis reſpectu naturæ creatæ; quia neque Verbum & humanitas infinitè diſtant in ratione terminantis & terminabilis, ſicut materia & forma ſubſtantialis vt ſic, licèt in ratione entis valdè diſtent; in ratione tamen actus & potentiæ valdè cõueniunt, & ideò nulla media diſpoſitione copulantur.

Gratiam nõ fuiſſe medium extrinſecũ præcedens vnionem.

Tertio diligenter obſeruandum eſt in aſſumptione humanitatis duplex medium intelligi poſſe, alterum intrinſecum ipſi humanitati ſiuè ſit eſſentiale vt anima, quæ medium eſt reſpectu carnis, ſiuè non ſit eſſentiale humanitati abſolutè ſumptæ ſed ad eius quaſi integritatem & naturalem perfectionem pertineat, vt intellectus & voluntas quæ tamen ad integritatem & complemẽtum pertinent ſimpliciter neceſſarium ad finem Incarnationis, qui eſt redemptio generis humani ſecundùm modum à Deo prædefinitum, vt ſcilicet fieret per operationes liberas intellectus & voluntatis, quibus Dei Filius in aſſumpta noſtra humanitate Deo pro totius humani generis offenſis ſatisfaceret, & illi peccatorum remiſſionem & gloriam mereretur: Alterum eſt medium extrinſecum neutro dictorum modorum ad humanæ naturæ debitum pertinens complementũ; ſed quod illi ab extrinſeco ſupernaturalis agentis influxu intelligitur aduenire: quale medium eſſe gratiam exiſtimarunt priorum opinionum, quas in principio retulimus, defenſores. *Sed conſiderandum eſt* longè diuerſam eſſe rationem medij connaturalis, & intrinſeci à medio ſupernaturaliter addito & extrinſeco; quia medium intrinſecum benè poteſt intelligi ante vnionem ineſſe humanitati: nam anima Chriſti Domini, quatenus per creationem vt in fieri intelligitur à Deo produci, antequàm aſſumatur intelligitur etiam vt tendens ad habendum intellectum & voluntatem, vel etiam vt habens intellectum & voluntatem vt in fieri; quia eodem actu creationis producitur anima rationalis cum ſuo intellectu & voluntate, licèt hæc quaſi mediatè producantur: media ſcilicet animæ eſſentia, à qua reſultant; & ideò intellectus & voluntas media quædam ſunt, quibus anima congrua redditur aſſumptioni; cum præſertim, vt ante diximus, hæ duæ potentiæ ad naturale pertineant rationalis animæ complementum, quod illi ſecundũ præſentem rerum ordinem à natura debetur, quo ſuas exercere valeat operationes: medium autem extrinſecum & ſupernaturale, quod prædicti conſtituunt, ſcilicet gratia, neque ad complemẽtum pertinet animæ naturale, neq; vllam vnione hypoſtatica priorem ſupponit in anima capacitatem; quoniam vt dictum eſt, anima rationalis ſeipſa capax eſt immediatè perſonalitatis tam propriæ quàm eius quæ ſe habet vt propria.

Vnionẽ duarũ naturarũ in Chriſto nõ fuiſſe factã per gratiã vt medium ad modũ diſpoſitionis moralis, neque ad modum diſpoſitionis naturalis.

A per modum diſpoſitionis moralis, quod ſcilicet non ex ſui natura ſed ex Dei ordinatione diſponit & ordinat ſubiectum ad formam ad finem ſupernaturalem; ſicut merita diſponunt ad gloriã vel ad augmentum gratiæ: quo modo etiam ſecundum aliquos actus contritionis diſponit ad gratiam; & de medio vtroque modo ſumpto ſermo eſt, cum negãt S. D. & eius diſcipuli vnionẽ duarũ naturarũ in Chriſto factam eſſe per gratiã.

B Quod autem gratia habitualis, aut alia quæuis forma ſupernaturalis nequeat eſſe phyſica diſpoſitio neceſſitans naturam ſubſtantialem ad vnionem perſonalem cum Verbo, probatur his argumentis: *primò*. Quia vel de hac vnione loquimur, prout per eam humanitas acquiſiuit ſubſiſtere & eſſe ſimpliciter, vel quatenus dat eſſe hominem: Si primum, contra hoc militat ratio D. Thom. quia ſubſiſtere & eſſe ſubſtantiale ſupponitur ad eſſe accidentale; ergò nulla dari poteſt diſpoſitio ad ſubſiſtere & ad eſſe ſubſtantiale. Et confirmatur; quia S. D. *in 1. p. q. 76. a. 6.* ſimili vtitur argumento ad probandum, animã intellectiuam non vniri corpori mediantibus diſpoſitionibus accidentalibus, cuius vim explicat ibi ſubtiliter Caietanus. Si verò de hac vnione ſermo ſit, quatenus dat eſſe hominẽ, probatur nullam illi præuiam eſſe poſſe phyſicam diſpoſitionem neceſſitantem ad vnionem; quia C talis diſpoſitiõ deberet eſſe incompoſſibilis cum perſonalitate creata, & eam excludere vel impedire, & inducere perſonalitatem diuinam, & in ea conſeruare naturam humanam: ſicut forma ignis per vltimam diſpoſitionem in propria materia conſeruatur, & per eandem excluditur & impeditur omnis alia forma incompoſſibilis: at nulla poteſt eſſe forma ſupernaturalis, quæ perſonalitatem inducat ſupernaturalem, & in ea conſeruet & ſit incompoſſibilis cum perſonalitate creata; ergò. Probatur hæc minor: Quia nulla forma ſupernaturalis eſt contraria formis & diſpoſitionibus naturalibus; quibus conſeruatur natura & perſonalitas creata; quia non ſunt eiuſdem generis; nulla verò diſpoſitio vim habere D poteſt excludendi creatam perſonalitatem, niſi ea quæ ſit contraria diſpoſitionibus neceſſarijs ad illius conſeruationem. *Secundò* probatur hæc pars ſpecialiter de gratia habituali: Quoniam hæc ex ſui natura ad ſolam beatificam viſionem ordinatur: ergò. Probatur hoc aſſumptum; quia gratia habitualis ſuum habet vltimum complementum & conſummationem in viſione beatifica, quod eſſe non poſſet, ſi ad vnionem hypoſtaticam ordinaretur: tunc enim in ſolius vnionis hypoſtaticæ conſecutione perficeretur. Conſequentia verò probatur; quia omnis diſpoſitio quæ diſponit aut neceſſitat ad aliquam formam, ordinatur ad eius introductionem; quia illa eſt eius finis. Et confirmatur; quia inter formam & phyſicam eius diſpoſitionem eſt naturalis connexio: hæc autem non reperitur inter vnionem & gratiam. Probatur hæc minor; quia gratia habitualis & vnio hypoſtatica ſunt diuerſi ordinis, & poteſt dari gratia habitualis in quacũque intẽſione in ſuppoſito creato abſq; vnione cũ Verbo perſonali. Secundò confirmatur; quia gratia per ſe primò eſt participatio totius eſſentiæ diuinæ, quæ communis eſt toti Trinitati & non ſolius eſſe perſonalis Verbi, vt ſic; ergò ſi diſponeret ad vnionem, non deberet per ſe diſponere ad vnionem cum Verbo vt ſic; ſed ad vnionem cum Deo, vt ſic. *Tertiò* probatur hæc pars; quia ſi gratia ſupponitur ad vnionem vt diſpoſitio, eodem modo poſſet ſuppoſiti actus

ctus eius, scilicet meritum; & ita anima Christi potuisset vnionem mereri, quod esse falsum cõstat ex dictis *supra q. 2. a. 11.*

Quartò probatur idem argumento Vasq. Quia omnis gratia, quæ non supponit filium naturalem, facit suppositum in quo est filium adoptiuum: sed Christus nunquàm fuit filius adoptiuus, vt ostendetur *infra quæst. 23. a. 4.* ergò gratia eius supponit illum esse filium naturalem; ergò supponit vnionem & non disponit ad illam.

Ex dictis sequitur, impossibile esse gratiam habitualem esse physicam dispositionem ad vnionem, quæ sit naturaliter illi connexa; ita vt ea posita ponatur vnio & è contra. Probatur: quia Deus non potest immutare naturam gratiæ & vnionis hypostaticè: sed gratia vt ante diximus ex natura sua non ordinatur ad vnionem, nec vnio ex natura sua supponit gratiam, ergò seruata earum natura gratia non potest esse dispositio physica ad vnionem. Probatur consequentia; quia ad hoc requireretur, vt gratia ex natura sua ordinaret ad vnionem, & ab ea supponeretur. Confirmatur; quia vel gratia fieret dispositio physica ad vnionem per aliquid illi superadditũ, quod sit extra eius essentiã, vel non, sed ipsa penitus immutata: si primũ, tunc gratia non erit dispositio, sed rationem dispositionis habebit illud extrinsecum super additum. Nam gratia secundùm se in quocumq; gradu constituta non postulat vnionem hypostaticam, sed potest esse in pura creatura.

Quod autem illud superadditum non possit esse dispositio ad vnionem, probatur eisdem argumentis, quibus ostendimus gratiam non esse dispositionem ad vnionem: Si verò nihil superaddatur non poterit esse dispositio; quia ante nõ erat dispositio, & nunc eodem modo se habet; ergò si antea non disponebat, neque modo disponit. Et confirmatur, ac declaratur: quia accidens non disponit ad formam, nisi communicãdo se subiecto cum ordine ad formam, & dando illi suum effectum formalem. Hic autem effectꝰ; cũ adeò sit intrinsecus formę, vt sit ipsa forma vt communicata, variari nequit, nisi variata forma: atque ideò, si forma non ordinatur ad finem, non facit subiectum dispositum ad illum. Confirmatur hoc; nam gratia ex non dispositione nõ potest fieri dispositio absque mutatione: hæc autem mutatio neque esse potest ex parte Dei vt notum est, neque ex parte gratiæ; quia manet inuariata; ergò.

Iam verò gratiam esse non posse medium ad vnionem per modũ dispositionis moralis, probatur, *primò*: quia *Ioan. 1.* dicitur: *Vidimus gloriã eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*: Quibus significatur gratiam ex vnione hypostatica Verbi cum humanitate deriuari; ergò gratia non fuit dispositio moralis ad vnionẽ. Probatur sequela; quia dispositio moralis, vt existens mouet animum agentis ad inducendam formam; ergò præcedit eius actionem qua producit formam; & ideò meritum quod est quædam dispositio moralis ad præmium, præcedit ipsum præmium, vt *in allegato art. 11.* docet S. D. & eius expositores. *Secundò* probatur eadem pars; quia si gratia est dispositio moralis ad vnionem, gratia Christi non fuisset eius humanitati collata intuitu vnionis; sed magis vnio facta fuisset intuitu gratiæ habitualis; ac proinde talis gratia faceret Christum filium adoptiuum; quod esse falsum probatur inferius *loco supra notato.* Probatur vltima consequentia: quia gratia non potest dari, nisi intuitu adoptandi filium, vel intuitu vnionis; ergò, si talis gratia non fuit data Christo intuitu vnionis, sed potius vnio propter illam, data erit intuitu adoptandi filium.

PRIMA CONC. *Gratia habitualis non fuit mediũ formaliter vnionem causans, cui proprius humana natura coniugatur, quàm diuinæ personæ; ita scilicet vt fuerit medium per modum nexus & glutinis extrema coniugens.* Hæc est conclusio S. D. *in 3. dist. 2. q. 2. a. 2.* Et *supra q. 2. a. 10.* vt patet ex dictis: & probatur argumento S. D. Quia sicut inter materiam & formam nihil cadit medium in esse: aliàs esse accidentale esset prius substantiali, quod est impossibile; ita etiam inter naturam & suppositum non potest aliquid dicto modo mediũ cadere; cum vtraq; conditio sit ad esse substantiale. conclusiones, deductæ, & probatæ.

SECVNDA CONCL. *In assumpta humanitate nulla præfuit dispositio, quæ cum vnione eiusdem humanitatis ad Verbum naturalem haberet connexionem: ita vt posita illa dispositione statim ex natura rei fuerit vnio consecuta.* Hæc patet ex dictis & probat eam Suar. *disp. 10. sect. 2.*

TERTIA CONCL. *In eadem humanitate non fuit necessaria gratia, aut vlla alia præuia dispositio, vt ea mediante vniretur Verbo Dei personaliter.* Hæc concl. patet ex dictis, & probat eam Suar. *loco notato*, & ante eum Medina, *quæst. sequenti, art. vltimo.*

QVARTA CONCL. *Gratia habitualis Christi non præcessit in eius humanitate, vt congrua dispositio physica, vel moralis ad vnionem.* Hæc etiam patet ex dictis, & probat eam S. D. *in textu, & in seq. quæst. art. vlt.* & ibi Med. & Suar. *loco notato.*

VLTIMA CONCL. *Gratia Christi habitualis fuit dispositio congrua respectu vnionis hypostaticæ, non tamen eam præcedens sed consequens vt explicauimus ex Cai.* Hanc conclusionem recipiunt omnes recentiores, & patet ex dictis.

CONTRA primam concl. sunt argum. quæ profert & soluit S. D. *in 3. loco notato*, & eandem concl. impugnant argumenta quæ militant contra *2. 3. & 4.* concl. Argumenta & Solutiones.

CONTRA *easdem* quatuor primas concl. sunt argum. quæ referunt & soluunt S. D. hic, & *supra q. 2. a. 10. Et q. seq. a. vlt.* & Suar. *disp. 10. sect. 2.* & Vasq. *disp. 40.* & Aluar. *disp. 14.*

Contra easdem concl. produci possunt hæc argumenta. *Primum.* Psal. 44. dicitur: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus*, &c. quæ Verba D. Apost. *ad Hebr. 1.* & Sancti Patres interpretantur de vnctione humanitatis per vnionem hypostaticam cum persona diuina; ergò ea dilectio præcessit vt dispositio. *Resp.* ea dictione *propterea* significari causam efficientem, & hunc esse sensum: Quia Deus vnxit te &c. ideò dilexisti iustitiam; ita vt in constructione verborum causalis illa *propterea* anteponatur, vt ibi Caietanus aduertit; & innuit S. Th. Hoc enim modo loquẽdi nõ raro vtũtur diuinæ scripturæ. Exempli gratia, Psal. 16. dicitur: *Ego clamaui; quoniam exaudisti me*, id est: quoniam clamaui exaudisti me. Et ad Gal. 4. *Quoniam estis Filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra* id est. Quoniam misit Deus spiritum filij sui in corda vestra per gratiam; ideò estis Filij Dei, vt exponit ibi S. D. & August. *lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 14.* & Ioan. *6. In veritate non stetit; quia non est veritas in illo*, id est: quia non stetit in veritate; ideò non est veritas in illo. Vnde S. D. exponens illa verba: *Ego clamaui; quoniam exaudisti me* ait: dic- Obi. 1. Solut.

ctionem illam *quoniam*, non designare causam sed signum, ac si dictum esset; hoc est signum, quod clamaui; quoniam exaudisti, quæ expositio in idem redit cum priori; quia effectus est signum suæ causæ; igitur causa exauditionis erit clamor. *Secundò Resp.* cum D. Th. Christum vnctionem illam non meruisse; sed eius manifestationem, & in scripturis dici aliquid fieri, quando innotescit, & ita dictio *propterea* dicit causam finalem: vt ait ibi S. D.

Obiectio 2. *Secundum argumentum* sumitur ex varijs locis doctrinæ D. Th. nam *q. seq. a. 12.* ait vnionem hanc fuisse finem gratiæ Christi, *& in respons. ad 2.* ait: gratiam habitualem Christi ordinari ad hanc vnionem, *& qu. 8. art. 5. ad tertium* ait, gratiam habitualem facere congruitatem ad hãc vnionem, & *in tertio distinct. 2. quæst. 2. artic. 2. quæstiunc. 1.* ait: in humana Christi natura inueniri quædam superaddita, quibus redditur decens, vt assumatur à diuina persona, vt scientiæ & virtutes & huiusmodi. Vnde inquit ista possunt quodammodo dici medium congruentiæ. Et *in 3. ad Anibaldum, dist. 2. q. vnica a. 3.* ait, loquendo de modo congruentiæ, Verbum assumpsisse animam mediante gratia, & corpus mediante spiritu; quia congruum erat carnem viuificatã & animam sua imagine insignitam & gratia repletam assumere. Qua forma loquendi satis apertè significat Verbum assumpsisse animam mediante gratia eodem modo, quo assumpsit illam mediante spiritu; sed, vt supra dictum est, *art. 2.* Spiritus fuit medium ad assumendum animam; ergò etiam gratia habitualis. Denique *in 3. dist. 13. quæst. 3. art. 2. q. 1. Et ad Anibaldum ibidem art. 2.* ait, gratiam habitualem esse dispositionem

Solut. congruentem ad vnionem; ergò. *Resp.* hæc dicta esse intelligenda & exponenda iuxta sensum in primo notabili declaratum, vt scilicet intelligantur de congruitate & dispositione in ordine ad vnionem iam à Deo factam, & de dispositione exornante humanitatem iam Deo personaliter vnitam non autem vniendam.

Obiect. 3. *Tertium argum.* est: ordo sapientiæ diuinæ postulat, vt extrema valdè distantia non vniantur, nisi per medium; sed persona Verbi & humanitas distant in infinitum, & inter ea mediat esse Deum per participationem, quod tribuit gra-

Solut. tia; ergò illa debent vniri mediante gratia. *Resp.* prædicta extrema scilicet Verbum & humanitatem distare in infinitum in ratione entis; nõ autem in ratione terminantis & terminabilis, vt supra diximus

Obi. 4. *Quartum argum.* est: Omne quod eleuatur ad aliquid quod excedit suam naturam, oportet vt disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra naturam suam, vt ait S. D. *1. p. q. 12. a. 5.* sed humanitas in hac vnione eleuatur ad personalitatẽ Verbi, quæ est supra totam eius naturam; ergò oportet vt aliqua supernaturali dispositione dis-

Solut. ponatur ad illam. *Resp.* maiorem esse veram de eo, quod non habet ordinem immediatum ad eam formam aut perfectionem ad quam eleuatur, & de eo quod capax est dispositionis ad illam, quod hic non habet locum, vt supra diximus. Hanc responsionem indicat S. D. *in 3. dist. 2. q. 2. a. 2. q. 1. ad 3.*

Obiectio 5. *Quintum argum.* est: Ex hoc quod vnio materiæ & formæ est substantialis, non tollitur quin forma substantialis vniatur materiæ mediante aliqua dispositione accidentali: nam, exempli gratia, forma ignis vnitur materiæ mediante calore tamquàm præuia dispositione; igitur ex eo quod hæc vnio sit substantialis, non tollitur quin possit fieri mediante gratia disponente. *Confirmatur primò*: quoniam, vt ait S. D. *supra quæst. 4. art. 2.* humanitas præintelligitur vnioni; ergò intelligitur mutari & eleuari, priusquàm intelligatur vnita; ergò etiam potest intelligi dispositã per aliquod supernaturale, priusquam intelligatur vnita. *Secundò confir-* Conf. 2. *matur*: Quia humanitas vnitur Verbo mediante passiua motione supernaturali: hæc autem est aliqua gratia cum sit supernaturalis; ergò. *Tertiò* Conf. 3. *confirmatur*; quia gratia B. Virginis fuit dispositio, vt congruè esset mater Dei; ergò multò magis gratia collata humanitati Christi erit dispositio congrua ad vnionem. *Resp.* nullam esse cõ- Sol. sequentiam; quia materia non habet ordinem immediatum ad illam formam, cui vnitur medijs præuijs dispositionibus accidentalibus: natura autem substantialis habet ordinem immediatum ad subsistentiam. *Ad primam confir.* dico Ad 1. Conf. humanitatem, vt in via ad esse præintelligi assumptioni; non autem, vt habens esse veluti in termino. Cum igitur illa mutatio sit via ad esse, præintelligitur assumptioni; sed habere gratiam supponit naturam & gratiam, vt existentem veluti in termino. Quod esse falsum superius ostendimus: & ideò humanitas ante assumptionem non potest intelligi vt habens gratiam. *Ad* Ad 2 Conf. *secundam confirmationem* admisso toto argumento, negatur vltima consequentia; quia licèt hęc vnio effectiuè & passiuè facta fuerit per gratiam, id est per gratuitam Dei voluntatem, & per efficacem & gratuitam eius actionem, tam physicè quàm metaphysicè sumptam, non tamen ideò dicitur facta mediante gratia, tamquàm nexu aut dispositione ad vnionem, sed mediante actione & passione gratuita: actio enim agentis vt sic neque dispositio est neque nexus extremorum, quæ sunt in effectu compositi. *Ad tertiam confirmationem* dico nullam esse con- Ad 3. Conf. sequentiam: quia gratia Beatæ Virginis præcessit eius maternitatem; ideò rationem habere potuit moralis dispositionis ad maternitatem, sed gratia Christi posterior fuit vnione, sicut effectus sua causa: & ideò non potuit esse dispositio moralis, quæ Dei voluntatem moueret ad faciendam vnionem humanitatis cum Verbo.

Sextum argum. est: Anima Christi priusOb. 6. quàm vniretur Verbo habuit alia accidentia, quibus disponebatur ad vnionem; ergò etiam potuit habere gratiam disponentem ad illam. Antecedens probatur *in articulo 2.* Vbi dictum est, animam assumptam fuisse mediante intellectu; ergò prius habuit intellectum vt disponentem ad vnionem quàm assumeretur. Deindè corpus Christi prius fuit organizatum quàm assumptum: non enim fuit assumptum nisi quia erat humanum: non potuit autem esse humanum sine organizatione. Consequentia verò probatur; quia tota ratio, ob quam negatur humanitatem fuisse assumptam mediante gratia est; quia humanitas non est capax esse accidentalis, priusquam substantialis; & non habuit esse substantiale ante vnionem; ergò ante illam non potuit habere esse accidentale gratiæ; hæc autem ratio non conuincit, vt probatum est: ergò. *Resp.* falsum esse antec. Ad primam eius Solut. probationem dico animam ante assumptionem habuisse intellectum vt in via, quod satis est vt anima dici possit assumi mediante intellectu: Ad aliam probationem dico organizationem corporis non præcedere omne esse substantiale, sed tantùm formam & esse, vt est hominis: &

ideò formam hominis & eius esse præcedit subiectum capax accidentalis organizationis: sed ante hominem vt dat personalitatem hominis, nõ intelligitur subiectum capax gratiæ habitualis, quod est persona rationalis; atque ideò non est eadem ratio. *Secundò respondetur*, non esse eandẽ rationem de medio intrinseco, quale medium est intellectus & voluntas, & de medio extrinseco quale medium est gratia, vt supra declarauimus in tertio notabili.

Obi. 7. *Septimum*: Vt dispositio præcedat formam satis est vt in genere causæ materialis sit prior forma & existentia substantiali secundùm particularem rationem talis formæ, exempli gratia, vt est humana vel equina, vt ait S. D. *in 1. p. q. 76. a. 6. ad 1.* licèt forma vel etiã existentia substantialis sit simpliciter prior; ergò licèt anima Christi secundùm rationem communem subsistentiæ prius simpliciter habeat existẽtiam Verbi quàm gratiam, tamen secundùm rationem suam particularem, vt est humanitas, poterit prius disponi per gratiam, quàm vniatur, sic enim gratia prior est tantùm in genere causæ materialis. *Solut.* *Resp.* nullam esse conseq. quia dispositio ante vltimum gradum formæ particularis habet subiectum, in quo recipiatur; sed gratia habitualis non habet illud in Christo ante vnionem.

Obi. 8. *Octauum*: Gratia Christi licèt ab vnione procedat potuit tamen esse in anima illius prius, quã subsistentia in genere causæ materialis; ergò. Probatur antecedens quia contritio procedens à gratia est prior illa in genere causæ materialis; & ideò disponit ad illam; ergò. *Confirmatur*; quia Deus potuit pro sua libera voluntate conferre animæ Christi gratiam in aliquo priori causæ materialis cum ordine ad vnionem hypostaticam, quæ ordinatio sufficit, vt gratia sic à Deo collata sit dispositio moralis ad vnionem; ergò. *Solut.* *Resp.* falsum esse antec. Ad probationem negatur consequentia; quia ante gratiam supponitur subiectum capax contritionis; sed ante vnionem non supponitur subiectum capax gratiæ. *Ad confirm.* negatur antecedens; quia licèt potuerit. Deus ordinare gratiam habitualem ad exornandam vnionem factam: tamen seruato ordine naturæ creatæ ordinare non potuit, vt illa gratia moraliter disponeret ad vnionem; quia tunc illa esset gratia adoptionis & præcederet vnionem; quod esse non posse satis ostendimus: Contritio verò physicè disponit ad gratiam; quia naturalem habet cum ea connexionem; & non tantùm liberam ordinationem ex Dei voluntate deriuatam.

QVAESTIO SEPTIMA.

De gratia Christi, prout est quidam singularis homo, in tredecim articulos diuisa.

DEinde considerandum est de coassumptis à Filio Dei in humana natura. Et primo de his, quæ pertinent ad perfectionem. Secundò, de his, quæ pertinent ad defectum.

Circa primũ considerandа sunt tria. Primò de gratia Christi: secundò, de scientia eius: tertiò, de potentia ipsius.

De gratia autem Christi considerandum est dupliciter. Primò quidem de gratia eius, secundùm quòd est quidam singularis homo. Secundò, de gratia eius, secundum quòd est caput Ecclesiæ. Nam de gratia vnionis tam dictum est.

Circa primum quæruntur tredecim.

A *Primò, vtrum in anima Christi sit aliqua gratia habitualis.*

Secundò, vtrum in Christo fuerint virtutes.

Tertiò, vtrum in eo fuerit fides.

Quartò, vtrum fuerit in eo spes.

Quintò, vtrum in Christo fuerint dona.

Sextò, vtrum in Christo fuerit timoris donum.

Septimo, vtrum in Christo fuerint gratiæ gratis datæ.

Octauò, vtrum in Christo fuerit prophetia.

Nonò, vtrum in eo fuerit plenitudo gratiæ.

Decimò, vtrum talis plenitudo sit propria Christi.

Vndecimò, vtrum Christi gratia sit infinita.

Duodecimò, vtrum potuerit augeri.

B *Decimotertiò, qualiter hæc gratia se habeat ad vnionem.*

Ratio ordinis.

TRACTATVM hunc primum huius tertiæ partis, in quo disseritur de sacrosancto Incarnationis mysterio, diuisit in exordio primæ quæstionis. S. D. in tres partes, quarum prima est de conuenientia Incarnationis, quæ *prima q.* fuit absoluta. Secunda de modo vnionis, quæ *subsequentibus quinque quæstionibus* continetur. Postrema est de consequentibus eandem vnionem, siuè de coassumptis à Filio Dei in humana natura, quæ à præsenti quæstione sumit initium, &
C in 26. terminatur. Huius verò partis duo sunt membra, In quorum primo agitur de coassumptis ad perfectionem pertinentibus ab hac quæstione vsque ad decimamtertiam inclusiuè: In altero verò de coassumptis defectum implicantibus agit duabus alijs sequentibus quæstionibus art. 14. & 15. Ad perfectionem verò pertinentia tria sunt, scilicet gratia, scientia & potentia, de quibus ordinatè disserit S. D. & primò de gratia: quia hæc vnioni proximior est, & ex ea primò resultat, cum sit in essentia animæ. Cum verò sit duplex in Christo gratia: altera prius illi conueniens prout est quidam homo singularis: altera posterius illi congruens prout est Ecclesiæ caput: ideò quæstione præsenti, tredecim ar-
D ticulis de priori gratia disputat. Quorum hic videtur esse ordo. Nam gratia sumitur hic, prout extenditur ad gratiam gratum facientem, ad virtutes gratiam hanc consequentes: ad dona eidem connexa & ad gratias gratis datas. Ex his verò gratiarum modis illi, qui à Deo homini conferuntur, vt in se ipso perficiatur, priores sunt ijs, qui homini à Deo donantur, vt per eos alij homines reducantur in Deum: perficitur autem homo in se ipso per gratiam gratum facientem per virtutes & dona: in ordine autem ad alios in Deũ reducendos perficitur per gratias gratis datas: Et ideò primò de illis, & postremò de his agit S. D. Ex illis verò tribus prima est ex genere suo
E secundùm ordinem naturæ gratia gratis data, quæ est in essentia animæ & propinquior est vnioni. Secundum locum tenent virtutes potentias animæ perficientes; & ad ipsam veluti proprietates quasi naturaliter consequentes. Vltimò sunt dona Spiritus sancti ad ipsarum virtutum perfectionem pertinentia, vt patet *ex 1. 2. q. 68. a. 1.* Et quia quæstio An est prior est quæstione quid est, & hæc præcedit quæstionem quomodo est: ideò S. D. *in primis 8. a.* tractat pertinentia ad quęstionem an est; in alijs autem *quatuor sequentibus* agit de pertinentibus ad quæstionẽ quid est: ex illis enim innotescit quidditas & propria differentia gratiæ Christi à gratia cęterorũ hominum, & Angelorum. Denique in vlti-

mo

mo articulo tractat quæstionem quomodo est, quærens qualiter hæc gratia se habeat ad vnionem.

ARTICVLVS I.

Vtrum in anima Christi sit aliqua gratia habitualis.

3. d. 13. q. 1. ar. 1 & ve. ri. q. 27. ar. 1. & opus. 3. c. 221. & 10. 3. lect. 6.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd in anima assumpta à Verbo nõ fuerit gratia habitualis. Gratia enim est quædam participatio diuinitatis in creatura rationali: secundùm illud 2. Pet. primò, Per quem maxima, & preciosa promissa nobis donauit, vt diuinæ simus consortes naturæ. Christus autẽ est Deus, non participatiuè, sed secundum veritatem. Ergo in eo non fuit gratia habitualis.

Præterea: Gratia ad hoc est necessaria homini, vt per eam benè operetur, secundùm illud primæ Cor. 15. Abundantius omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum: & etiam ad hoc, quòd homo consequatur vitam æternam, secundum illud Rom. 6. Gratia Dei vita æterna. Sed Christo ex hoc solo, quod erat naturalis Filius Dei, debebatur ei hæreditas vitæ æternæ: ex hoc etiam, quòd erat Verbum, per quod facta sunt omnia, aderat ei facultas omnia bene operandi.

q 43 ar. 6. *Non ergo secundum humanam naturam indigebat alia gratia, nisi vnione ad Verbum.*

D. 677. *Præterea: Illud, quod operatur per modum instrumenti, non indiget habitu ad proprias operationes, sed habitus fundatur in principali agente. Humana autẽ natura in Christo fuit sicut instrumentum diuinitatis, vt dicit Damasc. in 3. lib. Ergo non debuit in Christo esse aliqua gratia habitualis.*

Sed contra est, quòd dicitur Isa. 11. Requiescet super eum spiritus Domini. Qui quidem in homine esse dicitur per gratiam habitualem, vt in prima parte dictum est. Ergo in Christo fuit gratia habitualis.

Respondeo dicendũ, quòd necesse est ponere in Christo gratiam habitualem, propter tria. Primò quidem propter vnionem animæ illius ad verbum Dei. Quantò enim aliquod receptiuum est propinquius causæ influenti, tantò magis participat de influentia ipsius. Influxus autem gratiæ est à Deo: secundum illud Ps. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Et ideò maximè fuit conueniens, vt anima illa reciperet influxum diuinæ gratiæ. Secundò, propter nobilitatem illius animæ, cuius operationes oportebat propinquissimè attingere ad Deum per cognitionem, & amorem: ad quod necesse est eleuari rationalem naturam per gratiam. Tertiò, propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanũ. Christus enim inquantum homo, est mediator Dei, & hominum, vt dicitur primæ ad Tim. 2. & ideò oportebat, quòd haberet gratiam etiam in alios redundantem, secundùm illud Ioan. primo, De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.

Ad primum ergo dicendum, quòd Christus est verus Deus secundum personam, & naturam diuinam: sed quia cum vnitate personæ remanet distinctio naturarũ (vt ex supradictis patet) anima Christi non est per suam essentiam diuina: vnde oportet, quòd fiat diuina per participationem, quæ est secundùm gratiam.

q. 3. art. 1. *Ad secundum dicendum, quòd Christo, inquantùm est naturalis Filius Dei, debetur hæreditas æterna, quæ est ipsa beatitudo increata, per increatum actum cognitionis, & amoris Dei, eundem scilicet quo Pater cognoscit, & amat seipsum, cuius actualis anima capax non erat propter differentiam naturæ. Vnde oportebat, quòd attingeret ad Deum per actum fruitionis creatum: qui quidem esse non potest, nisi per gratiam. Similiter etiam, inquantum est Verbum Dei, habuit*

q. 19. a. 1.

A *facultatem omnia bene operandi operatione diuina: sed quia præter operationem diuinam oportet poni, in eo operationem humanam, (vt infra patebit) oportuit in eo esse habitualem gratiam: per quam huiusmodi operatio in eo esset perfecta.*

Ad tertium dicendum, quòd humanitas Christi est instrumentum diuinitatis, non quidem sicut instrumẽtum inanimatum, quod nullo modo agit, sed solùm agitur, sed tanquàm instrumentum animatum anima rationali, quod ita agit, quòd etiam agitur. Et ideo ad 7. Ethic. in *conuenientiam actionis oportuit, eum habere gratiam* princ. *habitualem.*

Sensus quæsiti.

B QVID nomine gratiæ habitualis intelligat S. Doct. patet ex discursu & responsionibus argumentorum: Sermo enim est de gratia gratum faciente, vt etiam exponunt Caietanus & Suar.

Forma Textus.

CONCL. *est: Necesse est ponere in Christo gratiam habitualem.* Probatur tripliciter: *Primò*: quia quantò aliquid receptiuum est propinquius causæ influenti gratiam aut quamlibet aliã perfectionem, tantò magis participat de influentia ipsius; sed anima Christi fuit maximè propinqua Deo, à quo est influxus gratiæ; ergò maximè fuit conueniens, vt anima illa reciperet influxum diuinæ gratiæ. Maior patet. Minor quoad primam partem, videlicet, quòd sit maximè propinqua Deo, probatur; quia habet vnionem personalem ad Verbum; quo ad secundam verò partem, videlicet quòd à Deo sit influxus gratiæ, probatur authoritate scripturæ Psal. 83. dicentis; *gratiam & gloriam dabit Dominus. Secundò* probatur concl. quia oportebat operationes animæ Christi propinquissimè attingere ad Deum per cognitionem, & amorem; ergò oportet ponere in Christo gratiam habitualem. Antecedens probatur; quia anima Christi erat nobilissima. Cõsequentia verò probatur; quia vt operationes rationalis creaturæ sic Deum attingant, necesse est D ipsam creaturam eleuari à Deo per gratiam. *Tertiò* probatur conclus. quia Christus hanc habuit habitudinem ad genus humanum, vt esset mediator Dei & hominum; ergò oportebat vt haberet gratiam etiam in alios redundantem. Antecedens probatur ex *prima ad Timoth. 2.* Et confirmatur conclusio authorit. scripturæ. *Ioan. primò* dicentis: *De plenitudine eius, &c.*

Expositio Textus.

DICTIONEM illam *necesse* in conclusione positam declarat optimè Cai.

CIRCA secundam proba. aduertè Christi operationes dici propinquissimè attingere Deum per cognitionem & amorem; tùm quia attingũt E ipsum vt obiectum est supernaturale; tùm etiam quia illum summo modo possibili secundùm Dei potentiam ordinatam attingunt; cum enim anima per cognitionem & amorem Deo vniatur, quantò erit altior cognitio & charitatis actus feruentior erga Deum, vt obiectum est supernaturale, tantò magis per hos actus anima Deo coniungetur, & propinquius ipsum attinget. Horum autem actuum quantitas & excellentia magnitudini gratiæ, quæ est eorum primæua radix, proportionatur.

Mouet Cai. dubitationem. Cui duabus responsionibus optimè satisfacit; quarum secunda reprehensa sine causa à Suar. his dubitationem Caiet. sibi veluti propriam vsurpat. *Suarez ij ca. illum.*

Vide etiam si placet ea quæ scribit idem expositor in commentario circa responsiones ad argumenta D. Th.

Circa præsentem materiam mouent doctores & expositores D. Tho. quatuor dubitationes, quæ ob varias & oppositas eorum opiniones sub controuersiæ titulo de more proponentur.

Prima Controversia.

Quam sit certum in Christo fuisse gratiam habitualem?

MElchior Canus *lib. 12. de locis Theol. c. 14.* & Bellar. *Tomo 1. lib. 4. de Christi anima c. 2. & 3.* sentire videntur certam esse fidei catholicæ doctrinam Christi animam ab initio suæ creationis repletam fuisse gratia habituali. Quam sententiam sequitur & tuetur Suar. *disp. 18. sect. 2.* & Montag. Val. *puncto 1.* hanc asserit esse probabiliorem.

Sed oppositam sententiam nimirùm hanc nõ esse fidei veritatem tuentur Astur. *de gratia Christi q. 1. concl. 4. fol. 84.* & Vasq. *disp. 41 c. 1.*

Medina *super hoc articulo* posteriorem hanc sententiam sequitur, & oppositа diluit argumenta. Sed *infra quæst. 14. art. 4. dub. 9. & quæst. 34. art. 4.* satis apertè opinioni contrariæ videtur adhærere.

Resolutio. Quid sit hæretica propositio, quot modis dici possit gratia gratum faciès, & quid de ea sit certũ secundũ fidem. Canus. Penna.

Præmittendvm *est hic primò* opinionem & propositionem omnem hæreticam, aut sacris litteris aut diuinis traditionibus aut Summorũ Pontificum vel vniuersalium Conciliorum definitionibus, aut deductis ex dictorum aliquo propositionibus per euidentem & necessariam consequentiam, aut denique communi Sanctorum Patrum consensui in ijs quæ ad fidem pertinent, esse contrariam: vt affirmant & explicant Melchior Canus *lib. 12. c. 7. de locis Theol.* & latius Penna *in suis commentarijs ad directorium Inquisitorum parte secunda, Commentario 27.* Vbi octo regulis comprehendit omne genus catholicarum veritatum & propositionũ hæreticarum illis oppositarum.

Gratia gratũ faciens dupliciter dicitur.

Secvndo *sciendum est* gratiam gratum facientem dupliciter dici posse: Nam primò dicitur de gratia habituali, quæ est qualitas inhærens essentiæ animæ nostræ, eam sanctam, Deiformem ac filiam Dei constituens. Secundò dici posset de immutatione supernaturali per modũ permanentis in anima à Deo facta, per quam potest Deus animam iustam & sanctam efficere absque alia superaddita qualitate vel habitu, quæ immutatio, vt ait Astur. *de Christi gratia, quæst. 1. concl. 6. pag. 89.* fieret in voluntate adulti, nec esset ab ea distincta realiter, licèt voluntas sit animæ potentia naturalis, & immutatio illa supernaturalis: Quia si substantia (inquit) & accidens realiter identificari possunt secundùm eorum Thomistarum opinionem, qui relationem existimant non esse realiter à fundamento distinctam, vt patet in relatione specificæ similitudinis inter Petrum & Paulum, quid mirum si ea supernaturalis immutatio, quæ accidens est, sit eadem realiter per infinitam Dei potentiam cum ipsa voluntate, quæ accidens est animæ nostræ naturale? In paruulis etiam, ait idem author, eam immutationem efficeret Deus in anima immediatè per modum habitus, & se solo supplens vicem supernaturalis habitus; nam licèt (inquit) non possit Deus supplere vicem potentiæ vitalis ad efficiendum actum vitalem; potest tamen supplere vicem ipsius actus respectu effectus ex ipso actu resultantis. Et quemadmodum secundùm Scotum vnus & idem habitus charitatis inducit formalem rationem habitus gratiæ, & per illum habitualiter anima est dilectrix Dei, & ab eo dilecta ipsique grata, ita in casu posito prædicta supernaturalis conuersio ad Deum, vt ad summum bonum vtriusque habitus & charitatis & gratiæ suppleret defectum; atq; animam proindè formaliter constitueret Deo gratam, ipsique dilectam, id est efficeret illam obiectũ proportionatum & congruum diuinæ dilectioni diuinæque amicitiæ, & tunc, vt ait Med. *concl. 4.* gratia esset quædam rectificatio & sanitas & pulchritudo non distincta realiter ab ipsa anima: neutra tamen dictarum immutationum secundum Asturicensem esset verus habitus aut vera qualitas habitualis. Sed iuxta modum hunc dicendi difficilè est constituere differentiam inter immutationem hanc & qualitatem, quæ est gratia habitualis: nam eadem esset vtriusque firmitas & idem effectus formalis, & neutra posset amitti nisi propter mortale peccatum: sed de hoc alibi fortasse dicemus vberiùs: non enim est hic locus huic difficultati proprius sed *in 1. 2. q. 51. & 109.*

Tertiò notandum est de gratia gratum faciente posse nos loqui tripliciter. *Primò* vt est quædam entitas abstrahendo à modo, quo est in anima. *Secundò* quo ad effectum eius formalem, qui est efficere hominem Deo gratum & acceptum. *Tertiò*, prout est quædam animæ sanitas & rectitudo.

Quid in proposita Conclon. certũ sit ex fide.

Quartò obseruandum est sententiam cõmunem Theologorum asserentium esse in anima nostra habitus à Deo supernaturaliter infusos; tametsi verissima sit, non habere tamen fidei certitudinem. Ita Sotus *lib. 2. de natura, & gratia cap. 17. 18. & 19. Et 4. dist. 1. q. 3 a. 1.* & Melc. Canus *de locis Theol. lib. 7. cap. 2. Et in relect. de Sacramentis parte 4. post 5. concl.* Med. *in 1. 2. q. 51. a. 5.* Vasq. *ibidem, disp. 86.* Et Salas *tract 10. disp. 3. sect. 4.* qui veritatem hanc optimis probant argumentis, Quæ vide si lubet apud ipsos. Oppositа tamen opinio non solum est temeraria, sed etiam hæresi proxima, vt asserunt & probant authores prædicti. Quibus præmissis ad quæsitum respondeo sex Conclusionibus.

Concl. deducta & probata.

Prima Concl. *Certa fidei veritas est, in animam Christi fuisse gratiam cum effectu suo formali à primo Incarnationis instanti.* Probatur hæc conclusio ex sacris litteris: Nam *Luc. primo* dicitur: *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei*: Et cap. 2. dicitur: *Et gratia Dei erat in illo*: Et Matth. 3. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Et Ioannis primo: *Plenum gratiæ, & veritatis.* Et cap. 10. *Quem pater sanctificauit*, &c. Alias huius conclusionis probationes ex diuinis litteris. Concilijs & Patribus lege, si placet, apud Suar. *disp. 18. sect. 2. & 3.* Val. *puncto 1.* Astur. *de Christi gratia, q. 1. Concl. 4. pag. 56.* & Bellar. *loco supra notato, & tomo 3. lib. 1. de gratia, & libero arb. cap. 3. & seq.*

Secvnda Concl. *Fidei certitudo est, gratiã gratũ facientẽ esse aliquid creatũ inhærens animæ, quæ per eam efficitur Deo grata.* Ita deficit expresse Concilium Trid. *Sess. 6. c. 7. & can. 11.* Cuius verba sunt: *Si quis dixerit hominẽ iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola remissione peccatorũ, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus hominũ diffundatur, & inhæreat, vel dixerit gratiã esse tantũ fauorẽ Dei anathema sit.* Hãc cõclusionẽ probãt authores supra notati eisdẽ argum. quib⁹ etiã præcedẽ-

cedentem probant. Ad eius probationem pertinent ea omnia argumẽta, quibus Theologi probare consueuerunt iustitiam, qua iusti sumus coram Deo, esse verè animis nostris inhærentem, & in cordibus nostris diffusam, & iustificationẽ impij non fieri, nisi cum reali immutatione animæ & spirituali eius renouatione, prout etiam definit Concil. Trid. *Sess. 6. c. 7.* Quam veritatem latè probant Sotus *lib. 2. de Iustitia, & Iure cap. 17. & sequent.* Vega *libro septimo super sessionem sextum Concilij Trid. à. cap. 21. vsque ad 24.* Decanus Louan. *in articulo de iustificatione*, Med. *in 1. 2. quæst. 113. a. 2.* & alij expositores *ibidem*. Bellar. *Thom. 3. lib. 2. de Iustificatione c. 2. & 3.*

A

TERTIA CONCL. *Videtur esse certa fidei veritas iustitiam prædictam, & realem illam immutationem, & renouationem esse permanentem, ac per modum habitus inhærentem animæ.* Probatur primò: quia Concil. Trid. *in allegato cap. 7. & can. 11.* indifferenter loquitur de iustificatione paruulorum & adultorum: at paruuli non iustificãtur nisi per iustitiam, sanctitatem & gratiam ad modum habitus permanentem; ergo etiam adulti in sua iustificatione gratiam eodẽ modo permanentem accipiunt. Et confirmatur; Quia verba illa Concilij *cap. 7. Vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renouamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult.* Hæc inquam verba satis apertè gratiam & iustitiam in nobis esse rem permanentem significant. Quod etiam verbis illis: *diffunditur & inhæret*, perspicuè significatur: his enim vocibus & loquendi modis gratia iustificans distinguitur ab omni actu secundo seu operatione ad iustificationem hominis concurrente: quod expressius indicat decretum eiusdem Concilij *in eadem sess. can. 3.* dicentis: *Si quis dixerit hominem posse sine adiutorio Spiritus sancti, credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Distinguitur enim hic iustificationis gratia ab omnibus secundis actibus ad eam concurrentibus: est igitur gratia iustificans aliquid in anima permanens, & res ad modum habitus in eo recepta.

B

QVARTA CONCL. *Non est omnino certa fidei veritas gratiam iustificationis esse in nobis habitum infusum verè ac propriè dictum, quamuis hoc negare sit valde temerarium & hæresi proximum.* Conclusionem hanc quo ad vtramque partem affirmant Med. *concluſ. 4. & 1. 2. q. 51. a. 4. & q. 110. a. 2.* Mel. Canus & Soto *locis supra notatis*, Ban. *in 2. 2. q. 23 a. 2.* Vasq. *in allegata disp. 41.* & ante eum Astur. *in allegata q. 1. concl. 6. pag. 87.* dicens se existimare sententiam hanc esse magis communem inter Theologos nostræ ætatis. Potissimum huius conclusionis fundamentum seu probatio est; quia opinio Theologorum negantium habitus infusos ab Innocentio tertio, *in cap. Maiores de bap.* connumerata fuit non inter errores, sed inter opiniones. Et Concilium Vienen. non damnauit eam vt erroneam, sed minus probabilem esse iudicauit. Et Sotus & Andreas à Vega, qui Trid. Concilio interfuerunt, dicunt Concilium in prædictis definitionibus Consulto à nomine habitus abstinuisse: Quia nimirum non intendebat sententiam de habitibus infusis, vt fidei veritatem definire, sed contra Lutheranos hæreticos determinare iustificationem hominis non fieri per solam imputationem

C

iustitiæ Christi aut per solum Dei fauorem, sed per internam & realem animi immutationem & renouationem. Alias huius conclusionis probationes & defensiones, vide si placet apud authores supra nominatos; specialiter autem secunda pars probatur ex illo dicto *primæ Ioan. 3. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet.* Verbum enim illud *manet* permanentiam & habitum significat.

D

QVINTA CONCL. *Non est omnino fide certũ in Christo fuisse gratiam vt habitum infusum; quamquàm opposita sententia sit valdè temeraria & hæresi proxima.* Hæc conclusio sequitur euidenter ex præcedenti, & magis patebit ex dicendis *in proxima Controu. de Christi secundùm humanitatem sanctificatione per gratiam vnionis.* Hanc conclusionem tuetur acriter Vasq. *in allegata disp. 41.* contra Suar. & alios oppositæ sententiæ sectatores.

VLTIMA CONCL. *Gratia Christi habitualis fuit eiusdem speciei cum nostra.* Hanc conclusionem statuit & explicat infra Cai. *art. 11. & ibi* Med. & alij expositores, quorum sententiam sequuntur hic Suar. *sect. 2. in fine*, & Val. *puncto 1. in fine.* Sed de hoc infra differemus speciali Controuersia.

C

CONTRA *secundam* conclusionem sunt argum. quæ referunt & soluunt Sotus *loco supra notato* Med. *in 1. 2. q. 113. art. 2.* & ibidem alij expositores. Bellarminus & alij *locis superius allegatis.* *Argum. & solutiones.*

CONTRA *tertiam* conclusionem produci possunt eadem argum. quibus impugnatur secunda.

CONTRA *quartam* concl. sunt argum. quæ referunt & soluunt authores in Confirmationem eiusdem conclusionis allegati.

CONTRA *quintam* concl. sunt argum. Suar. quæ refert & soluit Vasquez *in dicta disp. 41. cap. primo.*

CONTRA *vltimam* conclusionem sunt argumenta, quę afferunt & soluunt Caietanus, Med. & alij *locis supra notatis.*

D

SECVNDA CONTROVERSIA.

Qua ratione præter gratiam vnionis fuerit in Christo necessaria gratia habitualis?

PRIMA *sententia est* Palud. *in 3. dist. 13. opinione 4. concluſ. prima* dicentis Christo necessariam fuisse gratiam habitualem ad humanitatis suæ sanctificationem & meritum bonarum operationum. Quam opinionem etiam sequitur Marsilius. *Sententiæ Doctorum*

E

Secunda huic proxima est sententia Scoti quam explicat & tuetur Rada *in sua tertia parte Controuersia quarta, art. 3.* Vbi dicit quatuor. *Primum* est, Christum posse dici gratum & dilectum triplici gratia dico. Prima est necessaria substantialis & prorsus infinita, quæ Christi personam vt primum & vltimum terminum respicit: & hæc dilectio & gratitudo est illa, qua æternus Pater Christum vt naturalem & vnigenitum Filium diligit: & dicitur hæc gratitudo obiectiuè, qua scilicet id, quod voluntati placet, ipsi gratum dicitur. Secunda est substantialis ac infinita; ad aliquid tamen finitum ac limitatum terminata, ad humanam scilicet Christi naturã: & hæc gratitudo libera est & ad vnionis gratiam pertinet; quia Deus voluit humanitati infinitum & sub-

ſtantiale bonum, videlicet eſſe perſonale Verbi diuini. Et quia communicatio tanti boni fuit perſonalis, ideò hæc gratitudo dicitur perſonalis: & hac gratitudine perſonali Chriſtus vt homo, gratus dicitur ex vi vnionis hypoſtaticæ. Tertia gratitudo eſt accidentalis & participata, quæ conuenit Chriſti humanitati per gratiam habitualem. *Secundum* eſt vnionem hypoſtaticã ſeu gratiam vnionis præcisè ac formaliter per ſe ipſam non conferre naturæ aſſumptæ omnem iuſtitiæ ac ſanctitatis perfectionem, quæ in homine iuſto ac ſancto neceſſaria eſt, vt ſit omni ex parte benè affectus & præparatus ad beatitudinẽ & ad omnem rectam operationem. *Tertium eſt*: vnionem hypoſtaticam ex ſe præcisè ac formaliter non reddere naturam aſſumptam & vnitam formaliter gratam & acceptam in ordine ad vitam æternam & ad meritum eius.

Tertia ſententia eſt Vaſq. *diſp. 41.* Vbi tria dicit. *Primum* eſt non fuiſſe neceſſariam gratiam in Chriſto habitualem, aut aliam accidentariam formam, vt eius humanitas ſanctificaretur & digna redderetur ad merendum. *Secundum* eſt, formam extrinſecam ſanctificãtem humanam Chriſti naturam eſſe ipſam Deitatem, modum autem vnionis eſſe conditionem quandam. *Tertium* eſt humanitati Chriſti gratiam habitualem fuiſſe neceſſariam, vt haberet in ſe principium eliciendi opera ſupernaturalis ordinis, & ea non eliceret ſolo auxilio ſupernaturali, non quidem (inquit) quia talis habitus neceſſarius ſit ſimpliciter ad elicienda talia opera, ſed vt humanitas ea eliceret per proprium principium ſibi inhærens connaturale & operaretur per modũ cauſæ principalis per inhærentem ſibi formam; eandẽ ſententiam ſequitur Peſantius. *diſp. prima.*

Quarta ſententia eſt Suar. *diſp. 18. ſect. 1.* qui dicit tria. *Primum* eſt humanitatem Chriſti ſeu Chriſtum formaliter ex vi ipſius gratiæ vnionis fuiſſe abſolutè & ſimpliciter ſanctum & Deo gratum. In quo dicto conuenit etiam Val. *puncto 1. Secundum* eſt, gratiam vnionis præcisè ac formaliter per ſe ipſam non conferre humanæ naturæ omnem iuſtitiæ ac ſanctitatis perfectionem, quæ in homine iuſto & ſancto neceſſaria eſt, vt ſit omni ex parte benè affectus & præparatus ad beatitudinem & omnem rectam operationem. *Tertium* eſt: quamuis Chriſtus vt homo Deus, non indiguerit gratia creata vt eſſet gratus Deo & ſanctus, fuit tamen illi neceſſaria ad conſummatam perfectionem & ſtatum ſanctitatis.

Quinta ſententia eſt Aſtur. *q. 1. de Chriſti gratia, pag. 91. & ſequent.* Vbi quatuor concluſionibus ſuam explicat opinionem. *Prima* eius concluſio eſt: Chriſti humanitas ex vi ſolius vnionis ad Verbum ſancta fuit negatiuè id eſt peccandi impoſſibilitatem induit. *Secunda* eſt: Chriſtus vt homo ex vi hypoſtaticæ vnionis ſimpliciter fuit ſanctus gratus & acceptus Deo ſanctitate & gratitudine perſonali, quæ proindè gratitudine & ſanctitas conueniret Chriſto, etiamſi ab eius humanitate ſecluderetur ipſa habitualis gratia. *Tertia* eſt: Chriſtus ex vi ſolius hypoſtaticæ vnionis non eſt ſimpliciter gratus formali gratitudine ſed tantùm radicaliter. *Vltima* eius concluſio eſt: Sanctitas & gratitudo perſonalis potior eſt & perfectior ſanctitate & gratitudine formali.

Sexta ſententia eſt Medi. qui duo dicit. *Primum* eſt: Certum eſſe de potentia abſoluta non eſſe neceſſariam gratiam habitualem ad meritũ in nobis vel in Chriſto. *Secundũ* eſt: quod Chriſtus Dominus, licèt nullam gratiam creatam ſuſcepiſſet, mereretur corã Deo & eius opera eſſent infinitè meritoria ſicut & modo.

Vltima ſententia eſt Aluar. *diſp. 31* Vbi dicit quatuor. *Primum* eſt: humanitatem Chriſti habuiſſe perſonaliter ſanctitatem per eſſentiã, ſcilicet ſecundùm ſuppoſitum in quo ſubſiſtit, & ex hac parte non indigere gratia creata, quæ tribuit ſanctitatem per participationem. *Secundum* eſt ex parte operis ſimpliciter fuiſſe neceſſariam aliquam gratiam inhærentem animæ Chriſti, vel potentijs eius ſiuè per modum habitus, ſiuè per modum actualis motionis, vt eius actiones humanæ eſſent intrinſecè ſupernaturales, & meritoriæ ſupernaturalis præmij. *Tertium* eſt ex parte ſuppoſiti operantis non fuiſſe ſimpliciter neceſſariam gratiam habitualem, vt operationes eius humanæ eſſent Deo gratæ gratitudine perſonali, vel vt ex hac parte eſſent meritoriæ ſupernaturalis præmij. *Vltimum* eſt: abſolutè loquendo neceſſarium fuiſſe aliquod donum inhærens ſupernaturalis ordinis, vt humanæ operationes Chriſti eſſent ſupernaturales & meritoriæ ſupernaturalis præmij.

Resolutio. QVOD quæritur in propoſita controuerſia eſt: *An data hypoteſi, quòd Filius Dei noſtram aſſumpſiſſet humanitatem gratia habituali, & alijs ſupernaturalibus virtutibus, & donis ad eam conſequẽtibus, aut illi connexis minimè perfectam, Chriſtus vt homo per ſolam gratiam vnionis eſſet verè, ac abſolutè ſanctus & Deo gratus? & an eius opera eſſent coram Deo meritoria & ſatisfactoria, & quid perfectionis, virtutis, muneris aut complementi per gratiam habitualem humanitati Verbo perſonaliter vnitæ poſſit adiungi.* Pro cuius reſolutione.

Diſtinguitur in Chriſto triplex gratitudo reſpectu Dei. *Conſiderandum eſt primò* cum Aſturicenſi *loco ſupra notato, pag. 94. & 95.* Chriſtum Dominum triplici gratitudine eſſe Deo gratum & acceptũ, *prima* dici poteſt naturalis, neceſſaria ac ſubſtantialis, quæ ad Chriſtum vt Filium Dei naturalẽ per ſe primò terminatur & hæc gratitudo ex parte Patris generantis, cui gratus eſt Filius, eſt æterna dilectio, quæ idem eſt realiter quod ipſa ſubſtãtia Patris, qua Filium ipſum diligit æqualem ſibi in perfectione & dignitate naturæ: Ex parte verò Filij nihil aliud eſt quàm infinita eius perfectio & bonitas, tàm eſſentialis quàm perſonalis, quæ gratia ſeu gratitudo quædam increata, & obiectiuè merito dici poteſt, ea nimirùm ratione, qua illud omne quod voluntati placet, dicitur illi gratum & acceptum. *Secunda* gratitudo ſubſtantialis eſt quidem infinita, ſed eſt ad aliquid creatum & finitum terminata, ad aſſumptam videlicet humanitatem: hæc verò ad vnionis gratiam pertinet, vel eſt ipſa vnionis gratia quæ eſt ipſum eſſe perſonale Verbi, vt naturæ humanæ communicatum, ſecundùm quam perſonalis eſſe communicationem dicitur humanitas, aut Chriſtus vt homo liberè à Deo communicãte dilectus; quia ſcilicet illi Deus voluit hoc infinitum bonum, quod eſt ſubſiſtentia & eſſe Verbi perſonale, propter quod eſſe perſonale humanæ naturæ communicatum dicitur humanitas eſſe Deo grata gratitudine perſonali; quia ſcilicet bonum hoc infinitũ ex gratuita Dei dilectione recepit: amor enim Dei bonitatem cauſat in rebus ab eo dilectis. *Tertia* demum gratitudo accidentalis & participata eſt; ac proindè ſimpliciter eſt finita: Et hæc per gratiam habitualẽ aſſumptæ cõuenit humanitati: & hæc dici poteſt gratitudo formalis, vt etiam notat Aſtur. quia conſiſtit in cõmunicatione formę perficiẽtis, & eleuantis humanã Chriſti naturã ad quoddam

dam excellens diuinitatis consortium ; iuxta illud *2. Petri 1. Maxima & pretiosa nobis promissa donauit , vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ:* Quare duplici ratione dicitur hæc gratitudo formalis. Prima est; quia est effectus formæ, scilicet gratiæ habitualis. Secunda est; quia consistit in participatione naturæ diuinæ secundùm rationem naturæ, & formæ substantialis. Ad cuius ampliorem euidentiam.

Multiplex amor in Deo tam naturalis, quàm supernaturalis.

Secundò notandum est, duplicem esse amorem in Deo formali ratione distinctum. *Primus* est naturalis qui duplex est ; nam quidam naturalis est tam ex parte voluntatis naturaliter ad illum determinatæ, quàm ex parte obiecti quod ad esse rei dilectæ pertinet naturale, & hic est amor quo Deus suam essentiam, perfectiones, relationes & personas diligit naturaliter; pertinent enim hæc omnia ad ipsum esse Dei naturale , quod est ipsum esse per essentiam. Quidam autem naturalis est non ex parte voluntatis, sed ex parte obiecti; quia scilicet ad obiectum naturale formaliter terminatur, quatenus illi vult esse naturale & perfectiones ad ordinem naturalem pertinentes : de quo *Sap. 11.* dicitur: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti* : ex parte verò voluntatis hic amor liber est ; quia Deus bonum creaturis liberè vult . *Secundus* amor est supernaturalis seu gratuitus; non quia sit aliquid in Deo supernaturale vel gratuitum; sed quia Deus creaturæ rationali amore gratuito vult bonum supernaturale & præcipuè bonum gratiæ. Et quia Deus gratuita sua voluntate duplex vult & confert creaturæ bonum supernaturale : alterum pertinens ad ordinem gratiæ: alterum ad ordinem hypostaticum: ideò duplex etiam erit in Deo; non quidem secundùm se, sed in ordine ad creaturas amor supernaturalis : alter simpliciter gratuitus quo rationalibus seu intellectualibus creaturis vult hoc bonum supernaturale , quod est gratia habitualis & alias perfectiones ad eam consequẽtes & illi connexas: alter quo superioris ordinis bonum voluit humanæ naturæ, scilicet esse personale Verbi diuini, quod ita fuit humanę naturæ communicatum, vt esset vna duarum naturarum , diuinæ videlicet & humanæ subsistentia personalis; quem non incongruè quidam recentiores amorem hypostaticum nuncuparunt. Habent hæ distinctiones fundamentum in doctrina S. Th. *1.2.q.110.a.1.& 2.* Nam *in 1.art.* sic loquitur: *Et secundùm boni differentiam differens consideratur dilectio Dei ad creaturam : vna quidem communis secundum quam diligit omnia, quæ sunt: Alia autem dilectio est specialis, secundùm quam trahit creaturam rationalem supra conditionem naturæ ad participationem diuini boni .* Et paucis interpositis addit: *Quandoque tamen gratia Dei dicitur ipsa æterna Dei dilectio; secundùm, quòd dicitur etiam gratia prædestinationis, inquantum Deus gratuitè, & non ex meritis aliquos prædestinauit , siue elegit .* Ex quibus patet tot posse in Deo congruè distingui dilectionum differentias ; quot ordines sunt siue præcipuæ differentiæ bonorum, quæ Deus vult rebus à se dilectis. Et potest etiã hæc distinctio, quoad partes ad rem propositam pertinentes probari; quoniam in Deo duplex ponitur ratio prouidentiæ; quædam enim est in Deo prouidẽtia vniuersalis, qua res ad ordinem vniuersi pertinentes in earum fines dirigit naturales : alia est prouidentia supernaturalis qua creaturas intellectu & ratione præditas in finem dirigit supernaturalem. Et hæc speciali nomine dicitur prædestinatio, quæ duplex est: altera ad gloriam, quæ communis est omnibus electis tam Angelis quàm hominibus : altera ad vnionem hypostaticam, qua Christus vt homo prædestinatus est, vt sit Filius Dei naturalis, quæ longè alterius rationis est à communi Angelorum & hominum prædestinatione, vt patebit *infra quæst. 24. & præsertim ar. 1. ad 1. & ar. 3.* igitur etiam triplex erit amor in Deo ratione distinctus , scilicet amor vniuersalis seu naturalis , amor gratuitus & amor hypostaticus. Probatur consequentia; quia prouidentia supponit amorem finis ei proportionati ; ergò secundùm diuersitatem amoris est diuersitas prouidentiæ, & è conuerso. Nec obstat vnam & eandem in nobis charitatem ad res dictorum trium ordinum diligendas extendi , & eadem à Beatis vna visione secundùm rationem minimè distinctam videri ; quia diuersa est valdè ratio: Charitas enim nostra , & visio Beatorum speciem accipit ex obiecto suo primariò , scilicet Deo, qui simplicissimus est; & ideò nullam ex eo potest habere distinctionem; sed amor Dei creaturarum productiuus quatenus talis est, ex bono volito creaturis specificatur. Cùm itaque triplicis ordinis sint bona, quæ Deus ab æterno voluit creaturis ; consequens est triplicis rationis amorem esse in Deo considerandum. Et quia gratitudo, qua res Deo grata dicitur, est effectus amoris; ideò alia erit gratitudo consequens amorem Dei naturalem, alia gratuitum & alia hypostaticum, vt ante diximus.

Christi humanitatem gratia habituali sanctificari, & gratam Deo reddi, licèt prius sanctitatem & gratitudinẽ habeat personalem.

Tertiò sciendum est, duplicem esse virtualem & eminentialem continentiam , qua vnum ens altioris ordinis continet aliud inferioris ordinis: quædam enim est formalis , quando scilicet id quod est altioris ordinis, forma quędam est quæ se ipsa formaliter & immediate nobiliori modo totum id exequitur & præstat, quod exequi ac præstare potest inferior forma ; ita vt totam impleat subiecti siue potentiæ capacitatem, non minus sed multò magis , quàm si inferiori forma compleretur : sicut patet in anima intellectiua, quæ cùm eminenter contineat formas inferiores, scilicet corpoream, vegetatiuam & sensitiuam, ita complet materiæ potentialitatem, vt se ipsa formaliter composito per eam constituto conferat excellentiori modo gradus omnes substantiales, qui per inferiores omnes formas simul sumptas conferri potuissent: Alia est eminentialis continentia , non formalis , sed effectiua siue secundùm rationem principij effectiui aut quasi effectiui , sicut rationalitas continet virtualiter & eminenter risibilitatem; quia eam quasi efficienter causat & lux caliditatem; quia eam efficienter causat . Itaque forma illa quæ priori modo formam inferioris ordinis continet eminenter, cùm totum id se ipsa subiecto & composito per eam constituto conferat, quod ab inferiori forma conferri potuisset , hanc secum in eo subiecto simul esse non patitur: at quæ posteriori modo formam continet inferiorem , aut eam sibi comitem postulat naturaliter, aut illi ex propria ratione nõ repugnat: nam risibilitatem in eodem subiecto postulat ac efficit rationalitas : & lux ex sua ratione calori non repugnat, vt patet in igne lucido simul & calido : Solis autem lux quæ summa est , calori ex propria sua ratione non repugnat: alioquin nulli corpori lucido calor inesset; sed quia subiectum habet incorruptibile, cui repugnat omnis forma corruptibilis; ideò quasi per accidens, id est per aliud solaris lux caliditati repugnat. Cùm igitur vnio posteriori modo gratiam contineat habitualem; non solùm illi nõ repugnat sed eam naturali conseq. secũ affert. Ad rem verò nostram descendẽdo consi-

randum est Verbi personalitatem esse quidem A infinitè sanctam, & infinitè Deo gratam personali ac formali sanctitate & gratitudine; nec tamen secundùm omnem sanctitatis & gratitudinis rationem humanitati communicari; quoniam illi non per modum formæ, sed per modum termini & personalitatis vnitur, quo fit vt locus habituali gratiæ relinquatur, vt ea sanctificetur & grata reddatur humanitas: nam, etsi verum sit, quod ait Apost. *ad Col. 1. Quia in ipso* (scilicet in Christo) *complacuit omnem plenitudinem inhabitare*, & cap. 2. *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*: quia scilicet in Christo secundùm rem est plenitudo diuinitatis essentialis & personalis; non tamen secundùm modum & rationem totius plenitudinis vnitur formaliter per se primò & immediatè humanitati; quia non vnitur illi per modum essentialis formæ; sed ad modum termini personalis, id est personam constituentis. Quod exemplo valdè simili potest explicari: Nam licèt essentia diuina tam in ratione speciei, quàm in ratione luminis sit infinita; non autem intellectui beatorum vnitur ad modum luminis, sed ad modum speciei: & ideò necessarium est lumen gloriæ creatum ex increato lumine participatum, vt eo veluti dispositione & augmento virtutis eleuetur intellectus ad recipiendam in se diuinam essentiam, vt formam intelligibilem visioni coniunctam, vt ait S.D. *1.p.q.12.a.5.*

Quartò notandum est duplicem in Christo quatenus homo est, considerari sanctitatem: alteram negatiuam quæ est carentia culpæ tam venialis quàm mortalis cum impotentia peccandi; & alteram positiuam quæ præter Dei dilectionem supernaturalem ad supernaturalium bonorum communicationem ordinatam, includit etiam bonam animæ & potentiarum eius dispositionem ad finem præcipuè supernaturalem, & ad media ad eum assequendum oportuna: ita vt persona hoc modo sancta & Deo grata sit ad gloriam æternam accepta, & proximam habeat facultatem ad eam sibi per opera bona promerendam.

Gratiã siue per modum habitus, siue per modum motionis fuisse Christo simpliciter necessariã, vt eius operationes essent intrinsecè supernaturales, & meritoriæ præmij supernaturalis.

Vltimò sciendum est opera Christi ex duplici parte fuisse meritoria. *Primò* ex parte suppositi operantis, quod erat Deus filius in assumpta humanitate; Christus enim quatenus homo per gratiam vnionis Deo fuit infinitè gratus gratitudine personali, vt ante diximus. Cùm autem gratia vnionis eminenter contineat gratiam habitualem, longè erit excellentiùs principium: (non quidem proximum & formale; sed primum & radicale) supernaturalium operationum, quàm sit gratia habitualis vel auxilium inhærens actuale, & tribuet illis valorem moralem infinitum in genere satisfactionis & meriti, vt *sup.q.2.* declarauimus. *Secundò* meritoria fuerunt opera Christi Domini ex parte proximi & formalis principij ipsarum operationum, quod esse non potuit, nisi gratia fuerit inhærens animæ Christi, vt ait S. D. vel potentijs eius vt alij putant; nec refert an gratia hæc insit ad modum habitus, vel ad modum influxus siue motionis actualis: per hanc enim quocunque modo sumptam fiunt actiones operantis intrinsecè supernaturales, & supernaturalis præmij meritoriæ, vt affirmat hic expressè S. D. *in 2. ratione pro conclusione; & in resp. ad 2. arg.* Quod etiam probatur tribus optimis argumentis. Primum est: quoniam vt potentia naturalis possit elicere actus, quoad substantiam supernaturales, necesse est vt per aliquam formam aut motionem in ea receptam eleuetur, & fiat supernaturalis, vt patet *ex 1. p.q.12.a.5.* Huius autem formæ aut motionis officium non potest supplere diuini Verbi personalitas, vt patet: ergò. Secundum est; quia ratio specifica actionis non sumitur à supposito operante; sed à principio formali quo agens operatur, vt ait S.D. *in 1.2.q.1.a.2.* Constat autem supernaturales actiones pluspquàm specie distingui à naturalibus, igitur vt actiones Christi essent secundùm earum substantiam & intrinsecè supernaturales, necesse fuit vt anima & eius potentiæ per superadditas qualitates aut accidentia perficerentur. Tertium est; quia nullus actus potest esse præmij supernaturalis meritorius nisi per B charitatem formaliter aut virtualiter referatur in Deum, quatenus est author gratiæ, vt ait S.D. *in 1.2.q.114.a.3 & ibid.* expositores: constat autem munus hoc referendi actiones in Deum vt authorem gratiæ, diuina personalitate suppleri non posse; quia non est perfectio potentiæ nec principium agendi formale; ergò præter hanc necessaria est gratia, siue per modum habitus siue per modum actualis motionis &c.

Concl. deducta & probata.

PRIMA CONCL. *Anima Christi ac proindè etiam humanitas & Christus vt homo prius natura, quàm gratia perficeretur habituali, fuit ex vi hypostaticæ vnionis sanctus ac Deo acceptus & gratus gratitudine personali.* Hæc conclusio patet ex dictis & probatur *primò*: Quia Scriptura sacra vnionem duarum naturarum in Christo personalem nomine C vnctionis significat, qua res vnctæ sanctificari & Deo consecrari in antiqua lege consueuerant: Nam Psalm. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Et Dan. 9. *Et vngatur sanctus sanctorum.* Et in 1. cap. refert Euangelista Gabrielis archangeli verba dicentis: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* & Act. 4. *Conuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti,* & cap. 10 *Quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute.* Quæ loca SS. Patres declarantes affirmant vnctionem hanc, qua Christus vt homo fuit vnctus, & ab ea Christus appellatus, esse diuinitatem, & diuini Verbi personam: Cuius intima & substantiali præsentia per hypostaticam vnitatem humani- D tas sanctificatur, vt eleganter explicat Concilium Francfordiense sub Adriano 1. Cuius verba refert Asturicensis *in allegata q.1.pag.94.* Eandem explicationem prius ac latius attulerat Nazianz. *orat.36.n.70. & 93.* Cuius verba præcipua sunt: *Ea enim* (nimirum diuinitas) *humanitatis vnctio est, non operatione, vt in alijs, Christum sanctificans, sed totus vnguenti præsentia, cuius hic effectus est, vt id, quod vngit, homo vocetur, & quod vngitur, Deus fiat.* Alia loca Patrum lege, si vis, apud Asturicensem *loc.not.* & Suar *disp.18.sect.1.* & Vasq. *disp.41.c.3.* Secundò probatur conclusio: Quia sicut *Ioan.3.* dicitur; *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*: Ita & potiori ratione dici poterat: sic E Deus humanam Christi naturam dilexit, vt ei filium suum in vnitate personæ copularet: ergò Christus vt homo summè fuit à Deo dilectus & ei gratus. *Tertiò* probatur; quia libera & gratuita & maxima summi boni communicatio ex præcipuo, & maximo Dei amore procedit: constat aût *ex 1.q.a.1.* vnionẽ Verbi personalẽ cũ humanitate esse liberam & maximam summi boni communicationem, & longè maiorem quàm sit ea, quæ fit per gratiam habitualem & gloriam; igitur humanitas Christi prius natura quàm intelligatur habere gratiam habitualem & gloriam, fuit ex vi personalis vnionis à Deo summè dilecta, & ei simpliciter & absolutè grata ac proinde sancta;

quia

quia sine sanctitate Deo simpliciter esse grata nõ potuit. *Quartò* probatur; quoniam humanitas Christi ex vi solius vnionis cum Verbo personalis, secluſa etiam habituali gratia, nec venialiter peccare potest; adeò vt oppositum implicet contradictionem, vt suo loco probabitur; ergò ex vi solius vnionis, prius natura quàm gratia perficeretur habituali, intelligitur fuisse sancta & Deo gratissima. Alias huius conclusionis probationes lege apud Suar. Astur. & Vasq. *locis supra notatis.*

„ Secvnda Conc. *Anima Christi Domini prius*
„ *natura, quàm gratiam in se reciperet habitualem, in-*
„ *telligitur Deo fuisse grata gratitudine personali; non*
„ *solùm radicaliter sed etiam formaliter.* Hæc conclusio est contra Asturicensem. Et sequitur euidenter ex præcedente. Et probari potest eisdem medijs. Sed probatur amplius. *Primò:* quia anima illa prout est diuina personalitate terminata ac proindè Deitatis vnctione delibuta & sanctificata, ita vt impossibile sit eam nullo modo peccare, est obiectum sufficiens ac dignum diuina dilectione & complacentia: Vt autem in præcedenti conclusione probauimus, anima Christi, vnione ipsa personali cum Verbo fuit formaliter sanctificata: quod etiam expresè docent Augustinus *tract. 48. in Ioannem.* Hilarius *lib. 7. de Trin.* Bernardus *hom. 4. super Missus est,* & Beda *Ioan. 10.* explicantes illa verba *Ioannis 10. Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum.* & illa Rom. 1. *Qui prædestinatus est,* &c. *secundùm spiritum sanctificationis,* & illa Luc. 1. *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei:* Dicunt enim hæc intelligenda esse de sanctitate, quam Christus vt homo habuit ex coniunctione personali humanitatis cum Deo. *Secundò* probatur conclusio; quia Christus vt homo antequam intelligatur habere gratiam habitualem, intelligitur esse Filius Dei naturalis; ergò in illo priori concipitur vt formaliter gratus iuxta illud *Matth. 3. & 2. Pet. 1. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipsum audite.* Et confirmatur; quia in illo priori Christus vt homo intelligitur consecutus fuisse terminum suæ prædestinationis, vt scilicet esset Filius Dei naturalis: prædestinatio verò ex diuina dilectione procedit, quæ ad obiectum dilectioni congruum atque adeò formaliter gratum terminatur. Et confirmatur; quia Christus vt homo per gratiam vnionis est Filius Dei naturalis, vt explicat ac probat Asturicensis *in allegata quæst. 1. pag. 110.* ergò per gratiam vnionis anima Christi & eius humanitas est formaliter grata Deo. Probatur consequentia; quia esse Filium Dei naturalem constituit obiectum dilectione dignum & maximè gratum. *Tertiò* probatur conclusio: quia gratia vnionis est formaliter summa gratia sui ordinis cõmunicata toti humanitati Christi; ergò licèt non actuet ad modum formæ humanitatem: conferet tamẽ illi esse formaliter gratum gratitudine sui ordinis, scilicet hypostatica seu personali. Antecedens declaratur: Quia vnio essentiæ diuinæ in ratione speciei cum intellectu Beati est quædam gratia vnionis intelligibilis: & tamen si communicaretur homini sine gratia habituali, non faceret illum gratum formaliter; quia non est summa gratia sui ordinis; nam gratia ex sua ratione prout abstrahit à gratia habituali & vnionis hypostaticæ, est participatio formalis totius Deitatis; & ideò præstantior est vnione beatifica, quæ solum est participatio actus visionis diuinæ, quæ sine gratia non communicaretur naturæ creatæ modo perfectè connaturali; quia non supponeret participationem diuinæ naturæ, cui soli connaturalis est visio beatifica; & ideò non eleuaret totam naturam, nec ipsam efficeret gratam: at gratia vnionis hypostaticæ est summa sui ordinis; quia per eam summo modo possibili fit communicatio Deitatis, vt patet *ex art. 1. quæstionis primæ.*

Tertia Concl. *Anima Christi & Christus*
„ *vt homo maiorem habet sanctitatem & gratitudinem*
„ *ex gratia vnionis personalis, quàm ex gratia habitua-*
„ *li, simpliciter & formaliter loquendo de sanctitate &*
„ *gratitudine secundùm rationem sanctitatis & grati-*
„ *tudinis, & non solùm secundùm entitatiuam eius ra-*
„ *tionem:* Hæc conclusio sequitur ex præcedentibus & eisdem etiam probari potest argumentis. Deinde etiam probatur *primò*: Quia sanctitas consistit essentialiter & formaliter in vnione & coniunctione ad Deum, qui sanctus est per essentiam; sed vnio personalis cum Deo maior est, quàm vnio cum illo per gratiam habitualem; quoniam illa subsistantialis est; hæc autem accidentalis. *Secundò* probatur; quia vnio personalis tribuit operibus Christi hominis infinitum valorem, vt latè superius ostendimus *Tertiò* probatur; quia per gratiam vnionis anima Christi maiorem habet repugnantiam cum peccato, quàm per gratiam habitualem, quæ veniale peccatũ admittit; nec ex sui ratione reddit animam simpliciter impeccabilem.

Qvarta Concl. *Anima Christi & humanitas, siuè Christus vt homo sanctitatem habet & gratitudinem immediatè, formaliter & intrinsecè per diuini Verbi personalitatem: mediatè verò & radicaliter ex Deitate.* Hæc conclusio est contra Vasq. & Suar. Et probatur quo ad singulas eius particulas: & primò quo ad illam *immediatè*; quia per illud immediatè sanctificatur humanitas Christi, quod immediatè illi vnitur & eam immediatè terminat; sed prius ratione & immediatè terminat eam personalitas Verbi quàm Deitas; ergò. Maior probatur ex Augustin. *lib. 15. de Trinit. cap. 26.* dicente Christum vt hominem vnctum fuisse Spiritu S. quando Verbum Dei caro factũ est, id est: *Quando humana natura sine vllis præcedentibus bonorum operum meritis Dei Verbo est in vtero virginis copulata: ita vt cum illo fieret vna persona; ob hoc enim* (inquit) *confitemur eum natum de Spiritu sancto, & Virgine Maria;* ergò gratia vnionis est quæ sanctificat; ergò id, quod per gratiã vnionis immediatè vnitur, immediatè sanctificat: minor autem patet *ex quæst. 31. artic. 2.* Quo ad secundam verò particulam, scilicet *formaliter & extrinsecè*, probatur: Quia diuina personalitas, licèt non sit terminus humanitatis connaturalis; est tamen eius terminus intrinsecus & formalis; non minus quã esset eius propria personalitas, si eam habuisset: & ideò *2. Cor. 5.* dicitur: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi,* & ad Colossens. 1. *In quo habitat omnis plenitudo corporaliter.* & Isa. 45. ad Christum dicitur; *tantùm in te est Deus,* & capit. 26. *In Domino dominus:* quia scilicet in Christo est Deus: sicut etiam dicitur Actorum 10. *Deus erat in illo,* vt explicat Epiph. *hæresi. 76.* ergò si terminat formaliter & intrinsecè, etiam formaliter & intrinsecè gratificat. Confirmatur quoniam ideò iusti per gratiam habitualem sunt intrinsecè Sancti & Deo grati; quia in se ipsis habent inhærentem qualitatem & donum, quo gratificantur: at personalitas Verbi magis vnitur humanitati Christi, quàm gratia habitualis; quoniam vnitur illi nõ accidentaliter inhærendo, sed subsistantialiter terminãdo ad modũ propriæ personalitatis.

Secun-

Secundò probatur eadem pars : Quia si personalitas non intrinsecè neque formaliter, sed solùm extrinsecè terminaret humanitatem, non satiaret illius appetitum, quo naturaliter fertur in propriam personalitatem, neque impediret naturalem eiusdem personalitatis resultantiam: appetitus enim humanitatis naturalis in propriam fertur personalitatem, vt terminum eius formalem & intrinsecum : nulla verò repugnantia est eiusdem rei duplicem esse terminum, alterum intrinsecum & alterum extrinsecum, sicut sphera solis intrinsecè terminatur superficie concaua & conuexa: sed extrinsecè terminatur ex parte conuexi superficie spheræ Martis: ex parte verò concaui superficie spheræ Veneris. Itaque si Christi humanitas Verbi personalitate terminatur intrinsecè poterit simul etiam propria personalitate intrinsecè terminari. Tertiò probatur idem: Quia aliàs si Verbum assumeret humanitatem, quæ ante assumptionem esset in peccato, non sanctificaretur per Verbi personalitatem, sed maneret infecta peccato. Probatur consequētia; Quia peccatum non excluditur ab anima per aliquid extrinsecum : nam quocumque extrinseco posito retinet anima eundem modum physicum & intrinsecum, quem prius habebat. Neque tamen hinc sequitur Verbi personalitatem aut Deitatem esse formam humanitatis intrinsecam; quoniam vt ostendimus *in 1. parte, qu. 50. a 2.* alia est ratio formæ, & alia est ratio termini etiam intrinseci vt patet in personalitate creata, quæ non est naturæ forma sed terminus.

Superest vltima pars conclusionis affirmans Christi humanitatem ex Deitate mediatè & radicaliter sanctificari, quæ sequitur euidenter ex 1. parte. Nam si per Verbi personalitatem immediatè sanctificatur humanitas; quoniam illi per se primò & immediatè coniungitur, sequitur eam mediatè per Deitatem sanctificari; quoniam illi nonnisi mediante Verbi personalitate copulatur. Hanc partem probant ea omnia sanctorum dicta, quæ asserunt humanam Christi naturam fuisse Deitate sanctificatam : de modo namque tantùm mediatè sanctificandi sunt intelligenda. Cuius oppositum absque legitimo fundamento Vasq. affirmat.

Vasquezij dictum reijcitur.

Ad cuius ampliorem euidentiam considerandum est in diuini Verbi personalitate claudi intimè Deitatem & subsistentiam essentialem, quæ sic tribus proprietatibus relatiuis ac personalib. subsistētijs cōmunicatur, vt in eis intimè claudatur & per eas modo nostro intelligēdi modificetur; & iuxta distinctionē earum & pluralitatē distinctæ ac plures resultent subsistentiæ personales; ita vt essentialis subsistentia, prout includitur in paternitate, & per eam modificatur & determinatur, sit ipsa personalis subsistentia patris formaliter. Et eadem ratione prout in filiatione clauditur &c. vt declarauimus *in 1 p. q. 39. Controu. 1. §. sed iam.* Vbi etiam ostendimus duas inter se ratione distinctas esse in qualibet persona subsistentias, scilicet essentialem & personalem. Cùm itaque sanctitas tam Deitati, quàm vtrique conueniat subsistentiæ, non eadem tamen est in his ratio sanctitatis: nam Deitati & essentiali subsistentiæ conuenit sanctitas essentialis : subsistentiæ verò personali sanctitas tribuitur personalis: ac proinde etiam per Verbi personalitatem vtramque subsistentiam cum Deitate in se continentem, & humanæ naturæ coniunctam, vterque sanctitatis modus eidem humanæ naturæ communicatur: adeò vt humanitas eadem Verbi personalitate duplici diuina sanctitate sanctificetur, scilicet personali & essentiali, sicut anima rationalis dat corpori quod informat, esse vegetatiuum, sensitiuum & rationale. Comparando tamen personalem subsistentiam & sanctitatem cum Deitate & subsistentia essentiali eo modo, quo distinguuntur, non intelligitur communicari Deitas, subsistentia & sanctitas essentialis, nisi media subsistentia & sanctitate personali; quia Deitas & subsistentia essentialis assumpta non vnitur humanitati, nisi prout subsistentia essentialis intelligitur modificata subsistentia personali : ac proinde per se primò & immediatè terminatur, & sanctificatur humana Christi natura subsistentia Verbi personali. Secundariò autem & mediatè sanctificatur essentiali subsistentia & Deitate, & eisdem gratificatur, & fit obiectum diuinæ dilectioni congruum, sub quo non solùm absoluta & essentialia, sed etiam respectiua & personalia, tam secundùm se quàm vt communicata continentur; & consequenter etiam ea quibus communicantur.

QVINTA CONCLVSIO : *Verbi personalitas non moraliter tantùm, sed etiam physicè gratificat humanitatem.* Hæc est contra Vasquezium. Probatur: quia gratificat illam terminando; igitur eo modo gratificat quo terminat, sed physicè terminat; alioquin humanitas non esset physicè terminata neque completa, vel propria personalitate physicè compleretur, diuina verò moraliter; & ita Christus esset duæ personæ; quod est hæreticum. Et confirmatur ac explicatur ex differentia, quæ est inter humanitatem & operationes Christi reflexiuas: his enim dignitas inest infinita, non physica sed moralis; quoniam earum dignitas & infinitas non est per physicam aliquam qualitatem illis inhærentem, sed per respectum ad extrinsecam incarnati Verbi personā illas elicientem, cum subiectione sui, tanquam extrinseci termini: Sed humanitas, non ea solùm ratione grata est, quod ad aliquid extrinsecum referatur; sed quia secundùm se formaliter & intrinsecè terminatur diuini Verbi personalitate complente eius indifferentiam ad posse quacumque potentia terminari per propriam vel per alterius diuini suppositi personalitatem. Dixi, *quacumque potentia*; quia si de sola potentia naturali sermo sit, nulla est in humanitate indifferentia, quia naturaliter est ad propriam personalitatem determinata; sed abstrahendo à naturali & obedientiali potentia, concipitur humanitas vt indifferens ad propriam, & ad quamlibet diuinarum hypostasum personalitatem.

SEXTA CONCL. *Necessaria simpliciter fuit in Christo gratia, siue motio supernaturalis inhærēs, vt eius operationes essent intrinsecè supernaturales, & meritoriæ præmij supernaturalis.* Hæc conclusio colligitur ex secunda ratione D. Thomæ *in corpore præsentis articuli, & ex responsionibus ad secundum, & tertium argumentum* : vbi supponit actum dilectionis Dei vt finis supernaturalis, elici non posse sine habitu gratiæ charitatis, aut dono vel qualitate supernaturali nobis inhærente, eo quòd actus iste secundùm substantiam sit ordinis supernaturalis, vt hic etiam aduertit Vasquez *cap. 5.* ex quo sic potest probari nostra conclusio. Potentia naturalis non potest sua virtute elicere actum, qui secundùm substantiam est ordinis supernaturalis: sed necesse est eam eleuari ad ordinem supernaturalem per habitum aut formam, vel motionem inhærentem supernaturalem, sed potentiæ animæ Christi quamquam Verbo coniunctæ, erant in esse physico potentiæ naturales; ergò nullum potuissent actum

ctum intrinsecè supernaturalem elicere, nisi fuissent per habitum aut perfectionem aliquam supernaturalem eis inhærentem eleuatæ. Maior habetur ex D. Tho. *1.p.q.12.a.5.* dicente: *Omne, quod eleuatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet, vt disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra suã naturam.* Minor verò probatur; quia Verbum nec vnitur personaliter intellectui & voluntati creatæ secundùm se, sed ratione tantum animæ cui tanquam potentiæ inhærent intellectus & voluntas, nec animæ vnitur vt principium formale quo supernaturalis operationis; quia anima nullam nisi medijs potentijs operationem potest elicere; & multò minus vniri potuit Verbum intellectui Christi & voluntati, vt principium formale quo supernaturalium operationum, vt patet; ergò. Alias huius conclusionis probationes vide supra in vltimo notabili.

A

B

» Septima Concl. *Sine gratia habituali aut* » *dono supernaturalis ordinis animæ Christi & potentijs* » *eius inhærente, operationes Christi Domini essent Deo* » *gratæ gratitudine personali, & esse potuissent infinitæ* » *meritoriæ, ex superaddita diuina ordinatione; non ta-* » *men essent propriè, & simpliciter meritoriæ præmij su-* » *pernaturalis:* Probatur: quoniam vt scitè Caietanus aduertit *in 1.2.q.114.a.3.* operatio bona & supernaturalis respicit præmium supernaturale ex intrinseca sui ratione: non autem ex superaddita ordinatione, & ad ipsum ordinatur: si autem operatio ex sola superaddita Dei ordinatione præmium respiceret, non esset (inquit Caietanus) meritoria nisi dispositiuè, quod à reali Theologia alienum est: Ad meritum enim operis supernaturale propriè dictum, non sola sufficit personæ dignitas, sed necesse est etiam, vt operatio sit actus charitatis conferentis ipsi operationi ordinẽ ad finẽ supernaturalem, & ad prẽmium. Ex quo patet falsum esse in proprio sensu dictum eorum Theologorum, qui simpliciter affirmant opera Christi Domini, secluſa gratia habituali & quolibet inhærente gratiæ dono, esse infinitè meritoria præmij supernaturalis; tunc enim non ex intrinseca sui ratione ex aliquo formali principio in eas deriuata, sed ex sola diuinæ voluntatis ordinatione dirigerentur in præmium; ac proinde non secundum se neque propriè, sed per accidens tantum, id est, per aliud, ordinarentur in præmium supernaturale, quod est eas esse tantùm impropriè meritorias.

C

D

» Vltima Concl. *Gratia habitualis fuit homini Christo necessaria, vt esset eius humanitas omni* » *perfectione iustitiæ & sanctitatis ornata, & omni ex* » *parte præparata, & bene affecta ad omnem rectam o-* » *perationem & meritum.* Hanc affirmãt Suar. *sect. 1.* Sad eam negat Vasquez *cap.4.in fine:* sequitur tamen euidenter ex tertio nostro notabili; quia scilicet gratia vnionis non efficit humanitatem Christi formaliter gratam ea gratitudine, quam efficit gratia habitualis, & alia dona supernaturalia; nec alios causat effectus formales gratiæ, donis ac virtutibus supernaturalibus propriòs.

E

Argum. & solutiones Obi. 1. cont. 2 Concl.

Contra *primam* conclusionem sunt hæc argumenta. *Primum* est: Christo homini non repugnat ab intrinseco peccatũ, siue mortale siue veniale; ergò ex vi gratiæ vnionis habituali gratia semota non constituitur sanctus simpliciter & gratus Deo. Conseq. est euidens; nam ideò cum gratia habituali stare nequit mortale peccatum; quia gratia hæc sui natura sanctificat animam. Antecedens verò probatur; quia diuinum Verbum prout vnione hypostatica humanitati coniungitur, non habet rationem formæ ipsam humanitatem actuantis & informantis, neque etiam habet rationem effectiui principij eandem humanitatem immutantis; sed solam exercet rationem termini suppositaliter complentis & terminantis ipsam humanitatem; ergò Christo homini non repugnat ab intrinseco peccatum, sed ex sola extrinseca Dei prouidentia, quę communis est toti Trinitati, considerandа est tota peccandi impossibilitas in humanitate personaliter Deo coniuncta. *Resp.* falsum esse antecedens: Ad eius probationem negatur consequentia; quoniã hoc ipso, quod Verbum diuinum in ratione suppositi terminat humanitatem, fit vt omnes actiones ab ea media voluntate vt principio quo procedentes, eliciantur ab ipso diuino supposito vt principio quod, & illi vt agenti principali tribuantur: omnis autem actio debito carens ordine ad summum bonum & vltimum finem repugnat Deo & cuilibet diuino supposito, omnia ad seipsum vt summum bonum & vltimum finem ordinanti; & ideò Verbo diuino hoc ipso, quod in ratione suppositi terminat humanitatem, repugnat ab intrinseco omne peccatum, tam mortale quàm veniale; sicut Deo repugnat esse principium actionis ad seipsum non ordinatæ, vel etiam à seipso deordinatæ, quale est omne peccatum; licèt veniale peccatum non ita deordinet, vt auertat à Deo, & eadem ratione sequitur omnem habitualem deordinationem in assumpta humanitate Verbo repugnare; quia scilicet Deo repugnat omnis inordinatio in ordine ad seipsum vltimum finem. Alia ad hanc materiam pertinentia ad suum locum remittimus examinanda. *Sol.*

Secundum argum. est: Esse formaliter gratum & sanctum & rectificatum in ordine ad supernaturalem finem est formalis effectus & quidem primarius habitualis gratiæ; ergò Christus vt homo ex vi solius gratiæ vnionis non est formaliter Deo gratus & simpliciter sanctus ac rectus in ordine ad supernaturalem finem. Consequentia est euidens; quia effectus formalis primarius formæ non est ab ea separabilis. *Resp.* effectum formalem gratiæ, prout abstrahit à gratia vnionis & à gratia habituali esse facere gratum, abstrahendo à gratitudine formali & personali; sed facere gratum gratitudine formali per diuinæ naturæ consortium proprius effectus est gratiæ habitualis; facere verò gratum formaliter gratitudine personali proprium est gratiæ vnionis. Argumentum procedit de prima tantum gratitudine, non autem de secunda. *Obi. 2.* *Sol.*

Tertium argumentum: Remota à Christo gratia habituali Christus vt homo, non esset ad æternam vitam acceptus; ergò non esset simpliciter Deo gratus & acceptus; ac proinde neque simpliciter sanctificatus. Consequentia patet; nam illa sola est dilectio Dei simpliciter, qua Deus aliquem diligit ad æterna bona, quæ sunt visio & fruitio ipsius Dei. Antecedens autem probatur: quia Deus in illo casu non vellet Christo vt homini gratiam; ergò neque gloriam. Probatur consequentia primò; quia gloria est gratia consumata. Secundò: quia Christi anima non esset sine gratia & charitate sufficienter dispositа ad gloriam; at qui non vult alicui subiecto sufficiẽtem dispositionem ad aliquam formam, neque vult ei ipsam formam; ergò. *Resp.* nullam esse conseq. nam vt absolutè Christus inquantum homo dici possit Deo gratus & acceptus & sanctificatus, satis est ipsa gratia vnionis, quę ipsum personali gratitudine & sanctitate gratum formali- *Obi. 3.* *Sol.*

ter &

ter & sanctum constituit: & licèt non esset gratus tunc formali gratitudine simpliciter dicta, sed tantum formali personali, nec esset simpliciter acceptus ad gloriam animæ vel corporis: hæc tamen haberet radicaliter ratione vnionis, propter quam deberentur illi gratia & gloria debito connaturalitatis.

Obi. 4. *Quartum argum.* est: Ex hac conclusione sequitur, quòd si Deus filius naturam Leoninam assumeret, Filius Dei vt Leo formaliter diceretur gratus & acceptus Deo, ac itidem sanctus ratione hypostaticæ vnionis; quod videtur absurdum: sequela probatur; quia secluſa habituali gratia, cæterisque supernaturalibus donis habitualibus & actualibus eiusdem prorsus est rationis vnio Verbi diuini cum humanitate; quoniã vtraque acciperet infinitum Verbi suppositum & nihil amplius.

Sol. *Resp.* Si Filius Dei naturam assumeret Leoninam, necessariò dicendum esse naturam illam esse Deo gratam & sanctam; non quidem gratitudine & sanctitate formali simpliciter dicta: sed tantùm formali suppositali. Nam quemadmodum tunc ille Leo, cuius natura fuisset assumpta, non solùm esset Leo, sed Deus, ita non solùm dicerentur de eo perfectiones naturales, sed etiam supernaturales & diuinæ, puta quòd esset Deo gratus sanctus creator &c. Deindè Verbi diuini personalitas summa sanctitas est; igitur id omne cui fuerit communicata, sanctificatur eadem numero sanctitate, scilicet personali siuè suppositali; & quia omne sanctum ea ratione & modo quo sanctum est, est etiã Deo gratum & acceptum, ideò tunc Leo ille inquantùm Leo, diceretur esse Deo gratus & acceptus, non gratitudine formali simpliciter dicta; sed formali suppositali gratitudine & acceptatione. Scio Astur. & Vasq. oppositum dicere, sed communis de Incarnatione doctrina & iacta superius fundamenta satis euidenter ostendunt id verum esse, quod diximus; quod etiam ab alijs viris doctissimis approbatur.

Ob. 5. *Quintum argum.* est: Christus vt homo non est gratus & dilectus vt Filius Dei naturalis: quoniam vt ait S. D. *infra q. 23. art. 2. ad 1.* Christus vt homo non est Filius Dei naturalis; ergò præcisa gratia habituali, non esset ex vi solius vnionis hypostaticæ sanctus, Deo gratus & acceptus.

Sol. *Resp.* licèt Christus, vt homo simpliciter non sit Filius Dei naturalis neq; adoptiuus: tamen Christus vt homo, per gratiam vnionis est Filius Dei naturalis: vt ait Caietanus *infra quæst. 24. art. 2.* ac proindè sanctus & gratus personali sanctitate & gratitudine.

Obi. 1. cõt. 2. conc. CONTRA *secundam* concl. argum. Astur. *Primò*: quia gratitudo formalis est effectus formalis & primarius gratiæ habitualis; ergò.

Solut. *Huic argumento resp.* sicut responsum ad secundum contra primam concl. falsum est enim antecedẽs absolutè loquendo; quia duplex est gratitudo formalis; altera simpliciter dicta, quæ est per participationem diuinæ naturæ: hæc fit per gratiam habitualem: altera est formalis personalis, quæ fit per vnionem hypostaticam cum diuina persona.

Ob. 2. *Secundò*: Rationalitas est radicaliter risibilitas; quia ex rationalitate oritur naturaliter: sed quandiu non intelligitur in homine ipsa risibilitas, homo risibilis simpliciter minimè dicitur, sed risibilis radicaliter; ergò similiter Christus ratione vnionis tantùm radicaliter est sanctus & gratus gratitudine formali; quia habitualis gratia cuius effectus est hæc gratitudo formalis, radicaliter præhabetur in vnione. *Resp.* nullam esse conseq. quia esse risible proprius & adæquatus effectus formalis est risibilitatis, & ideò non potest conuenire rationalitati formaliter, sed tantùm radicaliter: at esse gratum non est proprius & adæquatus effectus formalis gratiæ habitualis, vt ostendimus; & ideò formaliter conuenit tàm gratiæ vnionis, quàm gratiæ habituali; quamuis diuersa ratione vt dictum est; nam simpliciter id est sine addito conuenit gratiæ habituali, cum addito verò illius particulæ *personalis* conuenit gratiæ vnionis; quæ tamen addito non est conditio diminuens, sed determinans gratitudinem ad nobilissimum ac summũ eius modum, vt patet ex tertia Concl. Et quia gratia habitualis in Christo ex gratia vnionis vt ex propria radice deriuatur; ideò Christus prius natura, quàm gratia perficiatur habituali, dicitur gratus, formaliter quidem gratitudine personali, radicaliter autem gratitudine causabili ex gratia habituali. *Solut.*

CONTRA *quartam* concl. producit Vasq. dicta Patrum asserentium Christi humanitatem per vnionem ad Verbum fuisse Deificatam & Deitatem sanctificatam: quorum sensum explicauimus in probatione vltimæ partis eiusdem conclusionis. Contra eandem concl. est hoc *argumentum*. Tametsi diuini Verbi personalitas immediatè vniatur humanitati; non tamen illi tribuit existentiam immediatè, eo quod existẽtia est absoluta; & ideò debet immediatè ab essentia prouenire quæ est absoluta, non à personalitate quæ est relatiua, sed esse obiectum congruum diuinæ & hypostaticæ dilectionis est aliquid absolutum & commune humanitati, quam possunt assumere etiam Pater & Spiritus sanctus; ergò prouenire debet à Deitate absoluta & communi, & non à sola Verbi personalitate, quæ relatio est. *Obi. cõt. 4. concl.*

Resp. primò existentiam diuinam neque à personalitate Verbi immediatè communicari humanitati, sed media Verbi personalitate: ideò namque humana Christi natura existit formaliter existentia diuina; quia subsistit diuina Verbi personalitate, qua mediante fit capax humanitas existentiæ diuinæ, sicut quælibet substantialis natura creata fit capax existentiæ creatæ media propria & sibi connaturali subsistentia, vt optimè docet Cai. *supra q. 4. a. 2.* Deindè dico falsam esse secundam propositionem; nam esse obiectum congruum diuinæ dilectionis, & esse gratum & sanctum, est prædicatum commune proprietatibus relatiuis & absolutis Dei, vt supra diximus. Esse autem obiectum congruum diuinæ dilectionis hypostaticæ ob immediatam communicationem personalitatis diuinæ, relationem importat personæ diuinæ constitutiuã; & ideò sanctitas & gratitudo hæc non est effectus formalis immediatus essentiæ, sed personalitatis, cui etiam prout ab essentia distinguitur, sanctitas & gratitudo conuenit infinita. Quod autem eadem humanitas à tribus possit personis assumi, non arguit realem communitatem, sed secundùm rationem ad plura relatiua, quibus etiam nomen hypostasis & personæ eodem modo commune est. *Solut.*

CONTRA *sextam* concl. sunt argum. quę producit & soluit Aluar. *disp. 31.*

CONTRA *Vltimam* concl. argum. Vasq. *c. 4. in fine:* Si quid perfectionis & consummationis aduenire potuit animæ Christi ex habituali gratia, aduenire etiam ex bonis operibus, in quibus indies exercebatur; si quidem non minus iustitia operum reddit hominem sanctũ & magis

gis sanctum, quam iustitia habitualis: at dici non potest Christum secundum humanitatem perfectum fuisse aut consummatum in sanctitate per opera; ergo neque per habitum. *Solut.* *Resp.* duplicem esse iustitiam & sanctitatem: alteram quæ est habitus infusus, quo simpliciter dicitur homo iustificari & esse iustus ac sanctus: alteram quæ non est habitus infusus sed est actus secundus ex habitu infuso procedens, & hac iustitia & sanctitate dicitur homo iustificari, & esse iustus ac sanctus in actu secundo & in executione. Cum igitur actus secundus supra primum addat quandam perfectionem aut modum perfectionis: cõsequens est vt maiorem quandam perfectionem aut perfectionis modum habeat iustus & sanctus actu se ipsum exercens in operibus iustitiæ & sanctitatis, quam cum nihil operatur ex habitu iustitiæ; ac proinde quamuis anima Christi nullum iustitiæ & sanctitatis acceperit augmentum; (quia augmentum iustitiæ proprie & absolute loquendo fit, cum habitus ipse iustitiæ perficitur & intenditur:) perfectionem tamen quandam aut perfectionis modum maiorẽ habebat iniustitia & sanctitate accidentali, & participata cum actu sanctitatis actus operetur vt viator, quam cum ab eis quiesceret dormiendo. Duplex hic iustitiæ modus colligitur ex D. Thom. *in Com. Epist. ad Gal.* 3. Vbi exponens illa verba: *Lex autem non ex fide*, &c. ait: *Iustificare potest accipi dupliciter; vel quantum ad executionem iustitiæ, & manifestationem: & hoc modo iustificatur homo, id est iustus ostenditur ex operibus operatis; vel quantum ad habitum iustitiæ infusum: & hoc modo non iustificatur quis ex operibus, cum habitus iustitiæ, qua homo iustificatur apud Deum, non sit acquisitus, sed per gratiam Dei infusus.* Quamuis autem S. D. hic operum iustitiam ad solã habitualis iustitiæ manifestationem referre videatur: certum tamen est secundum veritatem & diuinas scripturas actus iustitiæ & sanctitatis iustitiam & sanctitatem habere, non minus quam habeat habitus ipse iustitiæ & sanctitatis: Vnde passim in sacris litteris opera iustitiæ, & sanctitatis iustitiæ & iustificationes nuncupantur, vt Deut. 27. *Facies mandata, atque iustitias* & ca. 33. *Fecit iustitias Domini.* Tobiæ 13. *Facite iustitiam coram Deo.* & cap. 14. *Et faciant iustitias.* Matth. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra.* & cap. 6. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* & Dan. 9. *Opera iustitiæ iustificationes appellantur*, cum dicitur: *Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam.* Si etiam diligenter attendamus verba D. Thom. *loco notato* apparebit eum distinguere executionẽ iustitiæ à manifestatione: duos enim habent effectus opera iustitiæ, scilicet habitui perfectionem adiungere eo modo, quo secundus actus perficit primum & habitum ipsum iustitiæ manifestare: primum non explicat ibi S. D. sed nomine executionis reliquit intelligendum. Secundum autem exprimit nomine manifestationis. *Ad argumentum igitur in forma dico* minorem esse veram de perfectione & consummatione sanctitatis, quæ fit per augmentum gratiæ habitualis; non autem de perfectione & consummatione hoc ipso facta, quod actus secundus additur primo.

A *secundum illud secunda ad Corinth.* 12. *Sufficit tibi gratia mea. Ergo in Christo non fuerunt virtutes.*

Præterea secundum Philosophum 7. *Eth. virtus diuiditur contra quendam heroicum, siue diuinum habitum, qui attribuitur hominibus diuinis. Hic autem maxime conuenit Christo. Ergo Christus non habuit virtutes, sed aliquid altius virtute.* 1.2.q. 65.ar. 1.& 2.

Præterea: Sicut in secunda parte dictum est, virtutes omnes simul habentur. Sed Christo non fuit conueniens habere omnes virtutes, sicut patet de liberalitate, & magnificentia: quæ habent actum suum circa diuitias, quas Christus contempsit, secundum illud Matth. 8. *Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Temperantia etiam, & continentia sunt circa concupiscentias prauas, quæ in Christo non fuerunt. Ergo Christus non habuit virtutes.* Glo. ord. ex Cassiod.

B *Sed contra est, quod super illud Psalm. Sed in lege Domini voluntas eius, dicit glos. Hic ostenditur Christus plenus omni bono. Sed bona qualitas mentis est virtus. Ergo Christus fuit plenus omni virtute.* 1.2 q. 110. ar. 2. & 3.

Respondeo dicendum, quod, sicut in Secunda parte dictum est, sicut gratia respicit essentiam animæ, ita virtus respicit potentiam eius. Vnde oportet, quod, sicut potentiæ animæ deriuantur ab eius essentia, ita virtutes sint quædam deriuationes gratiæ. Quanto autem aliquod principium est perfectius, tanto magis imprimit suos effectus. Vnde, cum gratia Christi fuerit perfectißima, consequens est, quod ex ipsa processerint virtutes ad perficiendum singulas potentias animæ, quantum ad omnes animæ actus. Et ita Christus habuit omnes virtutes.

Ad primum ergo dicendum, quod gratia sufficit homini, C *quantum ad omnia, quibus ordinatur ad beatitudinẽ. Horum tamen quædam perficit gratia immediate per se ipsam, sicut gratum facere Deo & alia huiusmodi, quædam autem mediantibus virtutibus, quæ ex gratia procedunt.*

Ad secundum dicendum, quod habitus ille heroicus, vel diuinus, non differt à virtute communiter dicta, nisi secundum perfectiorem modum, inquantum scilicet aliquis est dispositus ad bonum quodam altiori modo, quam communiter omnibus competat. Vnde per hoc non ostenditur, quod Christus non habuerit eas perfectißime vltra communem modum. Sicut etiam Plotinus posuit quendam sublimem modum virtutum, quas esse dixit animi purgati.

Ad tertium dicendum, quod liberalitas, & magnificẽtia commendantur circa diuitias, inquantum aliquis non D *tantum appretiatur diuitias, quod velit eas retinere, prætermittendo id, quod fieri oportet. Ille autem minime diuitias appretiatur, qui penitus eas contemnit, & abiicit propter perfectionis amorem. Et ideo in hoc ipso, quod Christus omnes diuitias contempsit: ostendit in se summum gradum liberalitatis & magnificentiæ.* q. 15. art. 1. & 2. *Licet etiam liberalitatis actum exercuerit, secundum quod sibi conueniens erat, faciendo pauperibus erogari, quæ sibi dabantur. Vnde cum Dominus Iudæ dixit, Ioan.* Cap. 9. *13. Quod facis, fac citius: discipuli intellexerunt Dominum mandasse, quod egenis aliquid daret. Concupiscentias autem prauas Christus omnino non habuit, sicut infra patebit: nec propter hoc tamẽ excluditur quin habuerit temperantiam, quæ tanto perfectior est in homine, quanto magis prauis concupiscentiis caret. Vnde secundum Philosophum 7. Ethic. temperatus in hoc differt à continente, quod temperatus non habet prauas concupiscentias, quas continens patitur. Vnde sic accipiendo continentiam, sicut Philosophus accipit, ex hoc ipso, quod Christus habuit omnem virtutem, non habuit continentiam, quæ non est virtus, sed aliquid minus virtute.*

ARTICVLVS II.

Vtrum in Christo fuerint virtutes.

AD *secundum sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerint virtutes. Christus enim habuit abundãtiam gratiæ. Sed gratia sufficit ad omnia recte agendum,*

Naz. in D. Thom. 3. partem.

Sensus quæsiti.

DE VIRTVTIBVS quæritur, quæ simpliciter id est sine addito sunt virtutes, quæ scilicet bonum simpliciter faciunt habentem; hæ vero

sunt virtutes omnes morales & theologales: nam intellectuales non absolute faciunt aut denominant bonum eas habentem, sed cum addito scilicet secundum intellectum. Cum autem duplices sint virtutes morales; quædam infusæ, de virtutibus absolute sermo est abstrahendo ab infusis & acquisitis. Et quoniam habens virtutes omnes infusas vere & excellenter dicitur habere omnes virtutes: ideo S.D. *in cap.* respondet quidem absolute de virtutibus, sed medio vtitur probante virtutes omnes infusas in Christo fuisse. Quod occasionem præbuit Suarezio dicendi quæstionem hic esse de virtutibus tantum infusis.

Forma Textus.

CONCLVS. *est*: *Christus habuit omnes virtutes.* Probatur. Quanto aliquod principium est perfectius, tanto magis imprimit suos effectus: sed gratia ex qua virtutes omnes, vt ex principio deriuãtur est in Christo perfectissima; ergo ex ipsa processerunt virtutes ad perficiendum singulas potentias animæ, quantum ad omnes actus, quod est Christum habere omnes virtutes. Maior patet: Minor quo ad primam partem probatur; quia sicut gratia respicit essentiam animæ, ita virtus respicit potentiam eius, ergo sicut potentiæ animæ deriuantur ab eius essentia, ita virtutes sunt quædam deriuationes gratiæ. Antecedens patet *ex prima secundæ, q.* 110. *art.* 2. *&* 3. Conseq. est euidens. Altera vero pars minoris, videlicet Christi gratiã esse perfectissimam, relinquitur vt nota *ex articulo præcedente*, & magis patebit *ex artic.* 9. *& sequentibus.*

Expositio Textus.

VIDENDA sunt quæ circa sensum conclusionis & circa resp. argumen. D.Thom. scribunt hic Cai. Suar. & Aluar. *in expositione Textus.*

Controuersia Vnica.

An virtutes omnes tam supernaturales quam naturales fuerint infusæ animæ Christi simul cum gratia.

Sententia Doctorum.

VAL. *puncto* 3. tria dicit. *Primum* est virtutes omnes in Christo fuisse, exceptis iis quæ cum perfectione status beatifici non conueniunt. *Secundum* quod ex primo deducit, est in Christo nõ fuisse virtutem pœnitentiæ. *Tertium* est eorum opinionem merito falsam reputari, qui negãt Christum vllas virtutes habuisse; sed tamen eam non esse intelligibilem; quia intelligi potest, quemadmodum diuinum Verbum sustentando hypostatice Christi animam, & cõsequenter etiam ipsius potentias, infinita sua potentia suppleat virtutum vim, ac præstet illam facultatem recte & prompte operandi.

Suar. *disp.* 19. dicit quatuor. *Primum* est omnes virtutes morales supernaturales fuisse infusas animæ Christi simul cum gratia. *Secundum* est in Christo fuisse illum eundem habitum virtutis, qui in nobis est pœnitentia; quamuis in illo non habuerit rationem pœnitentiæ. *Tertium* est Christum Dominum habuisse virtutes morales suo genere acquisitas; & quidem perfectissimas in suo genere sine vlla imperfectione repugnante beatitudini. *Quartum* est istas virtutes fuisse animæ Christi infusas ab instanti suæ creationis, id est in summo quodam gradu perfectionis.

Med. dicit quinque. *Primum* est, in Christo *fuisse* plenitudinem virtutum; & quidem in gradu heroico & perfectissimo. *Secundum* est conclusionem D.Thom. intelligendam esse, tam de virtutibus infusis quam acquisitis. *Tertium* est asserendũ esse Christum ab instanti suæ conceptionis habuisse virtutes acquisitas infusas per accidens, vt esset perfectus in vtroque statu, scilicet gratiæ & naturæ. *Quartum* est, per actus virtutum in Christo auctas fuisse virtutes præexistentes; nõ autem de nouo productas. *Quintum* est, conclusionem D.Tho. intelligendam esse de virtutibus, quæ nõ repugnant statui beatifico, aut dignitati Verbi diuini; atque ideo in Christo non fuisse virtutẽ pœnitentiæ. Eandem sententiam, excepto quarto dicto, sequitur Aluar. *super hoc art. & disp.* 32.

Vasq. *disp.* 42. tria dicit. *Primum* est: Eas omnes virtutes Theologicas & morales per se infusas esse in Christo concedendas, quæ statui beatifico & vnioni hypostaticæ non repugnant. *Secundum* est, in Christo non esse virtutem pœnitentiæ. *Tertium* est, virtutes morales suapte natura acquisitas fuisse infusas per accidens Christo ab instanti suæ cõceptionis: prudentiam tamen suapte natura acquisitam non fuisse infusam per accidens, sed cum scientia decursu temporis per consultationem fuisse comparatam.

Astur. *de Christi gratia, q.* 1. *pag.* 74. *& sequen.* dicit sex. *Primum* est, in Christo fuisse eas omnes virtutes per se infusas, quæ statui beatifico & dignitati Verbi non repugnant. *Secundum* est, in Christo non fuisse virtutem pœnitentiæ, neque infusam neque acquisitam. *Tertium* est, virtutes morales suo genere acquisitas non processisse ex gratia Christi habituali per simplicem resultantiam, sicut effluxere virtutes morales per se infusæ. *Quartum* est, non esse improbabile, quod Christus acquisierit has morales virtutes, easque sibi studiosis actibus comparauerit. *Quintum* est, longe probabilius esse has morales virtutes Christo fuisse per accidens infusas in primo suæ Incarnationis instanti. *Vltimum* est, Christum Dominum accepisse per infusionem habitum prudentiæ suapte natura acquisitæ, qui est quædam habilitas intellectus practici ad recte iudicandum & præcipiendum voluntati ac reliquis humani suppositi potentiis circa vniuersas moralium omnium virtutum materias; non tamen accepisse speculatrices species infusas, quæ antecedenter ac præsuppositiue & essentialiter concurrunt ad prudentiale iudicium: sed huiusmodi species Christum ministerio intellectus agentis acquisiuisse; atque ideo practicum animę Christi intellectum iudicia practica moralia elicere minime potuisse, prius quã speculatiuus intellectus species intelligibiles sibi compararet, quæ versarentur circa harum virtutum obiecta.

Quidam recentiores viri doctissimi docent Christum virtutes naturales perfectissimas habuisse suis actibus acquisitas in ipso primo instãti conceptionis; non autem illi fuisse supernaturaliter infusas.

Resolutio.

Haud facilis est propositæ Controuersiæ definitio, vt ex tanta relatarum opinionum diuersitate perspicue licet intueri: dicemus tamen cum diuini adiutorii confidentia, quid nobis magis probabile videatur: Ad cuius euidentiam

Efficientiã habitus virtutis à Deo supplari posse, non vero denominationem.

Notandum est primo, in quolibet habitu virtutis duo reperiri. Primum est efficientia actus ex eo procedentis. Secundum est denominatio subiecti per eum informati: est enim habitus cum potentia principium efficiens quo illius actus, qui à supposito producitur vt principio quod media potentia per habitum perfecta. Et rursus ex habitu virtutis; vt forma accidentali potentiæ, & ani-

& animæ: ac proinde etiam totius suppositi denominatur suppositum ipsum, puta Petrus virtuosus. Et primum quidem scilicet efficientiam, certum est Deum suæ virtutis influxu potentiam animæ mouentem posse supplere. Primo: quia commune axioma Theologorum est: Id omne Deum efficere posse se solo, quod facit media secunda causa efficiente; sicut ergo Deus suæ virtutis influxu facere potest, vt corpus non calidum calefaciat, & calidum frigefaciat ita potest efficere, vt voluntas carens habitu iustitiæ producat actum iustitiæ non minus, sed multo magis perfectum, quam si operaretur ex habitu iustitiæ. Secundo virtus non ideo ponitur in potentia puta in voluntate, vt per eam voluntas substantiam actus possit elicere, sed vt prompte ac facile & cũ delectatione valeat operari. Quem operãdi modum potest Deus suæ virtutis influxu cõferre voluntati & appetitui sensitiuo. Secundum autem scilicet denominatio subiecti, quod studiosum à virtutis habitu denominatur, non ita Deo vim ad actus virtutis vndequaque perfectos eliciendos conferente suppleretur, vt persona sic operans posset absolute studiosa nuncupari: hæc enim denominatio fieri potest solum à qualitate per modum habitus inhærente, sed quadam ratione tantum dici posset ea denominatio tunc à Deo suppleri, quatenus scilicet homo sic à Deo motus ad producenda virtutis opera ex ipsis tantum virtutis operibus studiosus posset appellari. Sed quãquam secundum potentiam suam absolutã Deus id possit efficere, secundum potentiam tamen & legem ordinariam suauiter omnia disponentem, Deus nunquam hominem efficit studiosum, nisi per virtutis habitus illi superadditos.

Duplicem esse virtutum; alteram per se infusam, & alteram per se acquisitam per actãs autem infusam.

Secundo obseruandum est, 1.2.*q.*63.*art.*2.3.*&* 4. duplicem esse virtutum differentiam; quædam enim in nobis causantur ex assuetudine operum: & quædam nobis insunt per infusionem à Deo. Cuius differentiæ causam & modum distinctionis assignat ibi S.D. & eius expositores. Sed virtutes quæ ex genere suo ex actuum & operum assuetudine causantur in nobis nonnunquam etiã ex singulari Dei largitate aut personæ statu vel munere per Dei prouidentiam illi demãdato sic exigente, vna supernaturali simul infusione donantur aut certe donari possunt: sicut Adam, quia caput erat humani generis, communiter Doctores affirmant scientias omnes ac virtutes, quas homines successu temporis acquirunt infusas à Deo recepisse. Quod etiam de Salomone sacra testatur historia, quo ad scientias quas infusas per accidẽs appellant. Et eodem vocabulo nominantur etiã virtutes ordinis naturalis infusæ, quæ ab infusis per se distinguuntur, non ea ratione solum quod istę suapte natura per solam infusionem habentur; illis vero naturalis sit modus per actuum assuetudinem, & successu multi temporis comparari; sed etiam quia illæ, quæ per se dicuntur infusæ, ex gratia in anima recepta per simplicem & naturalem effluxum emanant: illæ vero quæ per accidens tantum sunt infusæ, per nouã & ab infusione gratiæ distinctã actionem infunduntur à Deo, quæ differentia sequitur euidẽter ex præcedenti: si namq; simplici resultantia & naturaliter ex gratia promanarent, iam essent ex sui natura, ac proinde per se & non per accidens tantum infusæ, vt *in alleg.q.pag.* 78. notat Astur. de his omnibus autem virtutibus loquitur in hoc art. S.D.

Quid essentialiter, & formaliter, quidque per accidẽs,

Tertio sciendũ est, virtutibus moralibus ex suo genere acquisibilibus per se, & essentialiter conuenire, vt appetitum sensitiuum disponant ad electiones in propriis earum materiis rationi cõsentaneas & passiones eiusdem appetitus moderari, & si quæ fuerint exorbitantes, ad rationis mediocritatem eas reducere. Quod autem exorbitantes in appetitu passiones actu moderentur, accidit virtutibus, prout sunt in subiecto passionib. immoderatis æstuanti: exemplis res fiet perspicua: gratiæ per se conuenit animam iustificare, sed accidit illi ratione subiecti peccato subiacentis vt iustificãdo peccatum excludat. Vnde primi parentes & Angeli, qui ante gratiæ infusionem nullũ habuere peccatum, fuerunt absque deletione culpæ iustificati, & virtutes in Adam passiones eius moderabantur, & appetitum eius sensitiuum disponebant ad electiones rectę rationi conformes, absq; hoc quod passionum excessum, (qui nullus eius affectionibus inerat) amouerent.

& materialiter virtutibus conueniat acquisibilibus.

Sed præterea distinguendum est in his virtutibus id quod est materiale, ab eo quod formale est; hoc enim essentiale est, & secundum hoc mãnebunt virtutes in beatis post resurrectionem: illud autem accidentale est virtutibus & illis solũ ineſt pro statu vitæ præsentis. De qua re videndus est S. Thom. *in* 12. *qu.* 67. *art.* 1. vbi docet rationis ordinem esse id, quod formale est in omnibus virtutibus, inclinationem autem quandam appetitiuæ partis ad passiones vel operationes secundum modum aliquem esse id, quod in eis est materiale, &c. Cum autem *in eodem lib.q.*60. *art.* 2. dicitur virtutes morales versari circa passiones appetitus sensitiui moderandas, intelligendum est de moderantia non secundum actum, sed secundum aptitudinem, per se & formaliter loquendo de virtutibus prædictis.

Confutatur opinio quadam ponens in Christo habitũ prudentiæ infusum ab initio sine speciebus.

Quarto considerandum est prudentiæ sedem esse in intellectu, vt ait S.D. *in* 1.2.*qu.* 57. *&* *q.*58. *art.*4. *&* 2.*q.*47. *art.* 1. *& alibi sæpe.* Cuius virtutis tres actus assignantur ab eodem S.D. *ibidem art.* 8. qui sunt consiliari de mediis ad finem, de eis iudicare, & demum præcipere id est applicare media consiliata & iudicata ad operandum: qui quidem actus sine speciebus esse non possunt; quæ media ad finem assequendum opportuna repræsentant. Ex quo sequitur euidenter improbabilem esse eorum opinionem, qui dicunt animam Christi Domini in primo conceptionis instanti prudentiæ habitum à Deo per infusionem accepisse: sed hunc habitum essentialiter nihil aliud esse, quam habilitatem quandam, & habitualem inclinationem intellectus practici ad recte iudicandum & efficaciter præcipiendum voluntati, ac reliquis humani suppositi potentiis circa vniuersas morales omnium virtutum materias: species autem speculatrices antecedenter & præsuppositiue tantum, & non essentialiter concurrere ad prudentiale iudicium, & ideo non habuisse eas per infusionem: sed sibi per intellectus agentis ministeriũ acquisiuisse; atque ideo humanum Christi practicum intellectum, licet prædictus esset omni virtute morali necessaria ad recta iudicia in materia omnium moralium virtutum ferenda, non tamẽ in actus iudicandi exire potuisse, priusquam speculatiuus intellectus intelligibiles sibi species cõpararet, quæ versarentur circa virtutum obiecta: Nam si de speciebus mere speculatiuis vt sic, loquatur hæc opinio, certum est eos ad actus prudentiæ nullo modo esse necessarias. Si vero de pertinentibus ad practicam cognitionem formaliter sermo sit, perspicuum est sine his consilium, iudicium, & præceptionem elici minime posse; igitur impossibile est habilitatem illam sine speciebus infundi. Et confirmatur; quoniam ad habitum intellectualem tria necessario concurrunt, nimirum species intelligibiles ordinatæ, lumen

intellectus & habilitas ad prompte faciliter ac A delectabiliter considerandum, vt explicauimus *in prima parte, q.58. art.1. Controu.1.* & latissime declarat ac probat Cai. *in 1.2. q.54. art.4.* Igitur impossibile est habitum intellectualem, qualis est habitus prudentiæ, infundi sine speciebus. Secũdo; quia habilitas quam intellectui confert habitus intellectualis, naturaliter sequitur ad species ordinatas; ergo illis solum mediantibus informat intellectum.

Ex virtutibus quasdã congruere statui beatifico, & dignitati Verbi, quasdam autem alteri, vel etiã vtrique repugnare.

Quinto notandum est, ex virtutibus quasdam cõgruere statui beatifico & dignitati Verbi quasdam autem alteri, vel etiam vtrique repugnare. Charitas enim & quatuor virtutes Cardinales neque statui beatifico, neque dignitati Verbi repugnant: pœnitentia vero statui non est incongrua B beatifico; cum in beatis inueniatur, vt ait S. D. *in 4. sent. dist. 14. q.1. art.3. q.3.* licet non secundum eundem actum quem habuit in via: sed secundum alium qui est gratiarum actio. Ait autem Astur. *in allegata q.1. pag.78.* virtutẽ pœnitentiæ futuram in omnibus beatis; etiam in iis, qui neque venialiter peccauerunt, vt in B. Virgine: quod etiam sequitur euidenter ex doctrina Suar. *disp. 19. sect.1.* sed de hoc alibi. Repugnat tamen hæc virtus dignitati Christi, cui ab intrinseco, nempe ex vi vnionis hypostaticæ repugnat peccare, ac proinde etiam pœnitere. Cõtinentia vero, quia virtus proprie non est; sed aliquid minus virtute, vt hic ait S. D. *ad 3.* & prauas secum patitur concupiscentias, vtrique dictorum repugnat s. statui beatifico & dignitati Christi: Fides autẽ & spes; licet vnioni hypostaticæ non repugnent: statui tamen non congruunt beatifico, vt in sequentibus articulis probat S. Tho. De aliis autem virtutibus, quæ peculiarem videntur habere difficultatem, dicemus in argumentis & eorum responsionibus. C

Inter scientias, ac virtutes tres esse conuenientias, & totidem differentias.

Sexto sciendum est, inter scientias & virtutes morales esse triplicem conuenientiam, & triplicem differentiam. *Prima cõuenientia* est, quod sicut duplex est scientiarum ordo, scilicet earum, quæ sunt infusæ per se, & earum, quæ sunt infusæ per accidens, sic & virtutum, vt patet ex dictis. *Secunda conuenientia est*, quod sicut scientiæ species exigunt rerum repræsentatiuas, sic & virtutes morales; nã quæ sunt in intellectu, vt prudentia, synesis & gnome; non minus quam scientiæ, species includunt aut proxime & necessario supponunt; quæ vero sunt in appetitu; cum notitiam præsupponant intellectus, & ex ea veluti ex causa licet per se minime sufficienti, procedant, species etiam supponunt in intellectu. Et quia species rerum repræsentatiuæ vtriq; deseruiunt cognitioni s. practicæ & speculatiuæ; quia secundum Aristotelem intellectus speculatiuus extensione fit practicus, nec differt essentialiter scientia & cognitio speculatiua à scientia & cognitione practica, nisi in modo considerandi, vt ostendimus *in 1.p.q.1. art.4.* ideo *conueniunt tertio* scientiæ & virtutes morales intellectuales, quod species vtrisque deseruiẽtes simul acquiruntur aut simul infunduntur. D

Prima differentia est, quod scientiæ eas habentem non faciunt nec denominant absolute bonum: atque ideo nec earum defectus denominat subiectum absolute malum aut imperfectum. At virtutes morales bonum faciunt habẽtem & bonum absolute denominant, ac proinde defectus earum ex suo genere, & per se loquendo magna imperfectio est, denominans subiectum absolute malum: dixit autem *ex suo genere & per se loquendo*; quia ratione talis suppositi, cui ab intrinseco repugnat peccatum & vitium, & cuius anima donis omnibus gratiæ perfectissimo ac virtutibus per se infusis immobiliter est exornata, nulla videtur esse imperfectio si virtutes ex suo genere acquisibiles non habeat à principio: sed eas iuxta modum humanæ naturæ, & virtutibus ipsis conuenientem acquirat. *Secunda differentia* est; quod si scientia per se acquisita fuisset infusa per accidens animæ Christi, frustra fuisset in eo intellectus agens; quia propria careret operatione, quæ est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas à phantasmatibus, vt ait S. D. *infra quæst.9. art.4.* At posita moralium virtutum infusione per accidens adhuc potentiæ animæ Christi Domini in proprias exire possent operationes illis proportionatas circa dictarum virtutum obiecta: eiusdem enim speciei est operatio quam ante habitum acquisitum elicit per quam habitũ ipsum acquirit, cum ea quam elicit per habitum virtutis acquisitum, & differt solum sicut minus perfecta à perfectiori. E

Tertia differentia est; quod scientia regulariter & ex genere suo multo facilius & citius per actus animę potest acquiri, quam virtus moralis: quia vnicus assensus demonstratæ conclusionis, qui solus est scientificus, intellectum plene conuincit; & ideo potest in eo scientiam generare: Virtus autem moralis non ex vnico actu, sed ex multiplicatis actibus est comparanda. Differentiam hanc constituit & probat S. D. *in 1.2. q.51. art.3.* Et Conradus *ibidem.* Cuius etiam differentiæ specialis ratio potest assignari: quoniam, vt ait S. D. *in 1.2. q.58. art.4. & 5.* Virtutes omnes morales sunt necessario connexæ: adeo vt vna sine aliarum consortio non sit vere ac simpliciter in statu virtutis; igitur longo studiosorum actuum exercitio quælibet virtus est homini comparãda, eo quod mutuas & alternatas multorum generum operationes ad morales virtutes ducentes requirat: Scientiæ vero connexionem non habent; sed quælibet absque alia seorsum potest acquiri, nisi vna fuerit alteri subalternata. Dixi *regulariter & ex genere suo, virtutem moralem non ita facile, aut æque cito, sicut scientia, posse comparari*: quoniam in potentia non habente inclinationem virtuti contrariam per prauos habitus, aut propter vulnera ignorantiæ, malitiæ, concupiscentiæ & infirmitatis poterit virtus ex vnico actu intenso pluribus remissis sæpe repetitis æquiualenti generari, vt colligit ex D. Th. Conradus *in 1.2. quæst.51. art.3. in fine*, & probatur etiam argumento secundo eiusdem S. D. in illo art. Nam sicut contingit actus crescere per multiplicationem, ita contingit actum crescere per intensionem; sed multiplicatis actibus generatur habitus; ergo si multum intendatur vnus actus, poterit esse causa generatiua habitus. Vbi Conradus ait, consequens verum esse in potentia quæ nõ habet contrariam dispositionem, & vbi actus est adeo intensus vt vincat passiuum. Ex quibus sic possumus argumentari: Virtus, vt ait ibi S. D. generatur ab actibus quatenus ab illis vt actiuis fortioribus vincitur potentia passiua voluntatis & appetitus sensitiui aut etiam intellectus, & sublata eorum indifferentia determinatur ad vnum ad modum naturæ; at possibile est dari vnum actum adeo intensum & efficacem, vt vincat prædictam potentiam, & determinet eius indifferentiam; ergo.

Septimo notandum est præcipuos virtutum actus esse interiores electiones, vt manifeste significat hic S. D. *ad 3.* Vbi docet, nobilissimum actum magnificentiæ & liberalitatis esse contemptum diuitiarum. Quod etiam expresse docet *1.2. quæst. 20. art.1. & seq. & 2.2. quæst.134. art.2. ad secundum, & alibi sæpe.*

Octauo

Octauo notandum est, posse intellectum & voluntatem plures actus simul ad vnum ordinatos elicere. Et de intellectu quidem id affirmant Caiet. *p.1.qu.12.art.10. & q.58.art.2.* & Ferr. *in 1. cont.gent. cap.55. & lib.2.cap.vlt.* De voluntate autem idem significat S.D. *1.2.q.12.art.3.* dicens posse aliquem plura simul intendere, pluribus scilicet actibus ad vnum finem principalem ordinatis; quod enim in suo genere cõuenit intellectui, id etiam in suo genere recte tribuitur voluntati.

Christum dominum virtutes omnes acquisibiles non in primo cõceptionis instanti, sed breui tempore & simul sibi cõparasse.

Nono sciendum est ex D. Thom. *infra qu.19. art.3.* nobilius esse habere aliquod bonum per se, quã illud habere per aliud; quia causa per se potior ea est, quæ est per aliud: vt ait Philosophus *in 8.Phys. text.39.* Dicitur autem aliquis id habere per se ipsum, cuius est aliquo modo causa. Cum igitur omnis perfectio & nobilitas sit Christo Domino tribuenda: consequens est vt illud omne bonum sibi acquisierit anima Christi, cuius carentia non magis dignitati & perfectioni Christi præiudicet, quam illi per acquisitionem accrescat, vt ibidem ait S.D. Est autem longe maior dignitas & perfectio virtutes naturaliter acquisibiles habere modo connaturali, scilicet per acquisitionem quam sit præiudicium, quod ex earum carentia ad breue tempus Christus quatenus homo, possit incurrere. Quod probatur ex simili: nam ideo Christus scientias naturaliter acquisibiles debuit habere per acquisitionem; quia simpliciter melius erat eis ad breue tempus carere, & eas virtute luminis agentis & discursu rationis sibi comparare, vt eas haberet modo connaturali (ne otiosum esset in eo lumen ac vis intellectus agentis) quam ab initio conceptionis infusas habere per accidens: at animæ Christi secundum potentiam intellectiuã & appetitiuas virtus inest naturalis ad acquirendas virtutes morales ad ordinem naturalem pertinentes; igitur melius erat eis ad breue tempus carere, & eas propriis actionibus acquirere, vt eas haberet modo cõnaturali, quam eas per infusionem à Deo in primo conceptionis instanti recipere. Et confirmatur; quia anima Christi in primo Incarnationis instanti, sicut scientiam habuit ex suo genere infusam à Deo, ita virtutib. omnibus, quas per se infusas appellant, perfectissime fuit exornata: & ex vnione etiam hypostatica cũ verbo erat impeccabilis; igitur nullus erat in ea defectus aut imperfectio carere ad breue tempus virtutibus ex genere suo acquisitis, vt eas haberet modo connaturali, propriis scilicet actibus eas sibi comparando. Ex dictis *sequitur primo* Christũ Dominum, virtutes naturales propriis actibus nõ acquisiuisse in primo conceptionis instanti, vt asserunt Doctores vltimo loco relati; quia tunc anima Christi, vel nullas vel saltem non in eo cumulo videtur habuisse species acquisitas, quę virtutibus omnibus moralibus acquirendis videntur esse necessariæ: alioquin dicendum esset etiã in illo instanti scientias omnes naturaliter acquisibiles sibi comparasse: cuius oppositum habetur ex Euangelio *Luc.2.* in illis Verbis: *Iesus autem proficiebat sapientia & ætate*: quod de sapientia humana intelligendum esse docet Ambrosius *lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento, cap.7.* ex D. Tho. *infra q.12. art.2.* Secundo sequitur, Christum eo temporis momento sibi virtutes omnes naturaliter acquisibiles comparasse, quo specierum omnium intelligibilium cumulus ad virtutum omnium acquisitionem fuit in eius intellectu completus; quod breui tempore factum esse crediderim; quia longe pauciores sufficiunt species virtutibus acquirendis, quam scientiis: multi namq; sunt scientiarum ignari, qui tamen sunt virtutibus prædili. *Tertio sequitur.* Christum post dictarum specierum acquisitionem, in vno duntaxat instanti propriis actionibus virtutes omnes naturaliter acquisibiles sibi comparasse. Probatur; quoniam habito sufficienti & necessario specierum numero potuit anima Christi in vno instanti simul habere actus, & electiones circa materias omnium virtutũ adeo intensas, vt quilibet actus & electio multiplicatis actibus & electionibus generationi virtutum sufficientibus æquiualeret, & potentiam vinceret ac eius indifferentiam determinaret.

Virtutes Christi Theologales & morales esse exemplares respectu nostrarum nõ analogice & per se, sed vniuoce & per accidens.

Postremo obseruanda est doctrina D. Thom. *in respons. ad 3.* Vbi duo dicit. Primum est habitum heroicum vel diuinum nõ differre (scilicet specie) à virtute communiter dicta, nisi secundum perfectiorẽ modum: quatenus scilicet aliquis ad actus virtutum est dispositus quodam altiori modo, quam communiter omnibus competat. *Secundum* est, Christum habuisse virtutes heroicas; eo quod habuerit virtutes perfectissime vltra communem modum.

Ex quo sequitur, virtutes Christi theologales & morales esse exemplares respectu nostrarum, non quidem analogice & per se, sed vniuoce & per accidens. Dico primo *eas esse exemplares* respectu nostrarum; quia id quod est perfectissimum in vnoquoque genere, & ad cuius imitationem fiunt alia sub eodem genere comprehensa, est eorum exemplar: at Christi virtutes sunt omnium perfectissimæ: & ad imitationem earum formantur nostrarũ virtutum actus & habitus; ergo sunt nostrarum virtutum exemplaria. Quod etiam affirmat Leo Papa *serm.1. & 8.de Natiuitate, & serm.2. de Resurrectione.* Greg. *lib.1. Curæ Past. cap.3.* August. *serm. 8. & 17.de Tempore, & Epist.120.cap.4. & lib.5. contra Donat.cap.24.* Ambros. *in Psalm. 118. serm.8. & lib.3.de Fide cap.4. & in comm.primæ ad Cor.4. in fine,* & Basil. *Hom.8. Exam. & lib.de vita Solitaria, cap.1.* Quod etiam significat Apost.1. *Corinth.15.* dicens *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis*, id est obedientiam deductam & formatam ad similitudinem obedientiæ Christi: vt ibidem ait glossa; igitur obedientia Christi est exemplaris respectu nostræ. Et Christus Dominus *Ioan. 13.* dixit: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quæ verba exponens ibi S.D. ait: *Attende, quod satis conuenienter Filius Dei est nobis in exemplum virtutum: ipse enim est ars Patris, vt sicut fuit exemplar creationis, esset etiam exemplar iustificationis.* Secundo dico *virtutes Christi esse nostrarum exemplares, non analogice, sed vniuoce*; quod dictum sequitur euidenter ex duobus dictis S. Doct. supra notatis *in responsione ad tertium.* Si namque Christi virtutes sunt heroicæ, & virtus heroica non differt specie à virtute communiter dicta: consequens est, vt Christi virtutes non sint nostrarum exemplares analogice sed vniuoce, id est non vt virtutes altioris ordinis, quales sunt virtutes Dei & Angelorum respectu virtutum humanarum: vt ait S. Doct. *prima secundæ, quæst. 61.art.5.* sed vt eiusdem generis, solo modo perfectionis ab eis differentes. Tertio dico *non esse exemplares per se, sed per accidens* ob eandem causam: quia cum non sint altioris ordinis, sed sint eiusdem rationis cum nostris, non possunt esse per se causa nostrarum: ac proinde nec esse possunt eorum exemplaria per se, sed tantum per accidens: quoniam vt ait S. Tho. *1.q.104. art.1. Si aliqua duo sunt eiusdem speciei, vnum non potest esse per se causa formæ alterius, inquantum est talis forma; quia sic esset causa propriæ formæ, cum sit eadem ratio vtriusque, sed potest esse causa eiusmodi formæ, secundum quod est in materia, id est, quod hæc materia*

acquirat hanc formam. Vbi Cai. ait consequentiam hanc fundari super illo communi principio: videlicet. Causa per se alicuius causat illud in quocunque inuenitur; quod intelligitur (inquit) de causa per se primo alicuius; ita vt perfectas seu primitas se teneat ex parte vtriusque, scilicet tam causæ quam effectus, &c. Cum itaque virtutes Christi non sint causæ virtutum in quibuscunque suppositis; quia sic etiam se ipsas causarent: consequens est, vt non sint virtutum nostrarum exemplaria per se, sed tãtum per accidens ratione perfectionis indiuidualis; quo modo etiam gratia Christi est exemplaris respectu nostræ, vt ait S.D. *in 4. s. dist. 5. q. 2. art. 2. in c. & ad 1. & infra q. 64. art. 5. ad 1.* & Cai. *q. seq. art. 1. §. scito tertio.*

A

B

Conclusiones deductæ, & probatæ.

Prima concl. Christus vt homo in primo conceptionis instanti eas omnes virtutes accepit, quæ ex genere suo ducuntur infusæ, & quæ eius perfectioni, quatenus erat Deus & homo, & simul viator & comprehensor, non repugnãt. Probatur *primo*; quia virtutes istæ gratiam consequuntur; sed hanc Christus vt homo perfectissimam accepit in primo suæ conceptionis instanti, vt patet *ex art. præc.* ergo. *Secundo* virtutes non repugnantes subiecto sunt inter se connexæ, ita vt qui vnam habet, cæteras etiam habeat, vt supra diximus ex D. Tho. 12. *q.* 65. *art.* 1. at Sacræ litteræ docent Christum multas habuisse virtutes; igitur habuit omnes eius perfectioni non repugnantes. Minor probatur; quia *ad Philip. 2. & ad Hebr. 5.* dicitur Christum fuisse Deo obedientem, & *Ioan. 11. & 13. & ad Ephes. 3.* dicitur habuisse dilectionem & charitatem, & *Matth. 11.* dicitur fuisse mansuetus & humilis & *2. ad Thessal. 3. & 1. ad Timoth. 1.* Tertio probatur conclusio testimoniis Sanctorum: nam ita docent Cyrill. *lib. 1. in Ioan. c. 19. & lib. 9. c. 24.* Basil. *in illud Psal. 44. Vnxit te Deus.* Hieronym. *in illud Isaiæ. 4: Hæc dicit Dominus.* Greg. *lib. 29. Moral. cap. 18. vel 20.* Iren *cap. 19.* Dionys. Alex. *in Epist. contra Paulum Samosatenum*, & Tertul. *contra Iudæos, ca. 9 nu. 119. & lib 3. contra Martionem, cap. 17.* Quarto, id optime probat ratio S.D. *in c. præsentis art.* Eandem concl. probat Magister Por. *in appendice* multis diuinæ scripturæ testimoniis.

C

Secunda concluſ. In Christo fuerunt virtutes omnes ex suo genere acquisitæ quæ non repugnant eius perfectioni. Probatur primo. Quia debuit intellectus animæ Christi perfici non solum per scientiam infusam, sed etiam per acquisitam; quia est perfectio connaturalis illius, & non repugnat vnioni aut beatitudini: at virtutes prædictæ sunt perfectiones connaturales voluntati & appetitui sensitiuo, & non repugnant vnioni aut beatitudini Christi, vt ait S.D. 1. 2. *q.* 67. *art.* 1. ergo debuit his perfici voluntas & appetitus Christi sensitiuus, vt connaturalibus ac sibi debitis perfectionibus. Probatur & explicatur consequentia; quia sicut in intellectu Christi consideramus, quasi duas potentias, alteram illi conuenientem secundum rationem propriæ speciei; & alteram quatenus analogice conuenit cum Deo & Angelis in gradu intellectiuo, & vtramque potentiam dicimus perfectione sibi quasi connaturali ac debita debuisse compleri: & ideo in intellectu Christi ponimus, non solum scientiam per se infusam quæ est supernaturalis; sed etiam acquisitam quæ est ordinis naturalis, vt per has vtraque intellectus Christi potentia compleatur, ita possumus in voluntate & appetitu Christi Domini duas quasi potentias considerare: alteram in ordine ad actus & habitus naturaliter acquisibiles: alteram in ordine ad actus & habitus supernaturales; igitur quemadmodum asserimus potentiam hanc posteriorem

D

E

per habitus virtutum supernaturales, ac supernaturaliter infusos fuisse perfectam, sic affirmare debemus priorem potentiam per habitus ordinis naturalis, & naturaliter acquisitos fuisse completam. Pro eadem conclusione faciunt dicta scripturarum & Sanctorum supra notata pro prima conclusione.

Tertia concluſ. Virtutes omnes tam infusæ quam acquisitæ in Christo fuerunt heroicæ, & exemplares modo superius explicato. Hæc patet ex dictis.

Quarta concl. Christus habuit virtutes omnes naturaliter acquisibiles non à Deo supernaturaliter infusas, sed suis actibus acquisitas. Hæc patet ex dictis & præsertim ex nono fundamento supra posito. *Sed ait* Vasq virtutes omnes morales fuisse Christo ab initio suæ conceptionis infusas per accidens, vna excepta prudentia, quam Christus decursu temporis per consultationem sibi comparauit, & interim eius vices gessisse scientiam infusam Christi. *Quod dictum* præterquam quod aduersatur expresse doctrinæ S. Thom. dicentis. *in 1. 2. q. 65. art. 1.* virtutes omnes in prudentia esse connexas; falsum etiam esse probatur quoad vltimam eius partem his argumentis. Nam primo sequeretur Christum nunquam acquisiuisse prudentiam naturalem: hæc enim acquiritur per actus illi similes & eandem obiecti specificam rationem habentes: sed actus scientiæ Christi infusæ, quos ait Vasq. gessisse vices prudentiæ naturalis, ex quibus etiam debebat generari prudentia naturalis, sunt supernaturales, sunt habentes diuersam rationem specificam obiecti, quomodo etiam differunt scientia per se infusa & prudentia naturalis; ergo per illos nunquam Christus acquireret prudentiam naturalem. Secundo: Prudentia quia virtus moralis est residens in intellectu vt moto ab appetitu, tendit ad sua obiecta sub ratione veri & boni, vt explicat Cai. 2. 2. *q.* 47. *art.* 5. & supponit rectum appetitum finium virtutum moralium, & eius præcipuus actus est præceptio, vt ait S.D. *ibidem art.* 8. sed scientia infusa non habet istas conditiones; ergo non potest supplere vices prudentiæ naturalis. Minor quo ad primam partem probatur; quia scientia infusa licet sit non solum speculatiua sed etiam practica; non tamen fertur in obiectum suum sub ratione boni; sed tantum sub ratione veri, nec est virtus moralis: & ideo si talis scientia poneretur in peccatore, qui crimen committeret homicidii vel furti, non esset hoc peccatum magis contra scientiam infusam, quam sit modo furtum cognitioni fidei contrarium; & sicut fides & Theologia non est præceptiua, sic nec illa scientia. Quo ad vltimam vero partem probatur eadem minor; quia talis scientia non est in intellectu vt moto à voluntate recta circa fines omnium virtutum, sicut nec fides aut Theologia, cum possit esse in homine peccatore; ergo non est bene præceptiua, sicut prudentia. Probatur consequentia; quia bonum præceptum intellectus supponit bonum appetitum finis, vt patet *ex allegata q.* 47. *in 2. 2.* Postremo si aliqua supernaturalis cognitio deberet in Christo supplere vices prudentiæ naturalis, multo commodius & excellentius suppleret eas infusa prudentia aut donum consilij per quod Christus habuit plenitudinem prudentiæ, vt ait S.D. *infra q. 11. art. ad 3.* Hæc enim quamquã sint ordinis supernaturalis, longe maiorem habent conuenientiam cum prudentia naturali, quam scientia infusa, quæ etiam ad ordinem pertinet supernaturalem.

Vasquezij dictum confutatur.

Quinta concl. Christus non in primo instanti suæ conceptionis, sed post aliquod breue tempus à natiuitate virtutes omnes naturales simul acquisiuit. Hæc concl. patet

ex

ex dictis, neque plures aut efficaciores exigit probationes.

A

VLTIMA CONCL. *In Christo non fuit virtus pœnitentiæ, neque continentia eo modo sumpta, quo de ea loquitur Arist. in 7. Ethic. c. 9.* Prima pars est D. Thom. *infra qu 84. art. 7. ad 4. Et in 3. dist. 13. qu 1. art. 2. qu. 1. ad 1. & expressius in 4. dist. 14. q 1. a 3. q. 3. ad 2. & dist. 22. q. 2. art. 2. q. 3. ad 3.* est & communis opinio Doctorum *in 4. dist. 14.* Quæ probatur etiam: quia pœnitentia non potest esse nisi de peccatis propriis, sed Christus peccare non potuit: ergo. Maior est Aug. *lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 25. & in Psal. 131.* & Hilar. *Psalm. 2.* Greg. *Homil. 34. in Euang.* Prosperi, Fulgentii & aliorum, quos refert Marsilius *in 4. dist. 14. qu. 10. art. 1. ad secundum*: quia pœnitentia

B

& verecundia sunt de eodem actu, quem pœnitentia respicit vt præteritum: verecundia vero vt præsentem: at verecundia est de proprio actu malo: Vbi obseruandum est, materiam pœnitentiæ, prout etiam ad beatos extenditur, non esse solum peccata actu commissa, sed etiam committi possibilia, vt ait S. D. *in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 3. qu. 2.* Et quia Christus nec actu peccauit, nec peccare potuit: ideo non fuit in eo pœnitentia, qua ratione vtitur S. D. *ibidem quæst. 3. ad 2.* Et ex his patet doctrinam Suar. *disp. 19. sect. 1.* de ratione formali pœnitentiæ esse diuersam à sententia D. Thom. & ideo mirum non est, si ab eo etiam in proposita conditione discordet.

Suarezii opinio reiicitur.

Secunda vero pars concl. est D. Tho. *hic ad tertium*, quem declarat Suar. *in Com.*

C

Argumenta, & solutiones.

CONTRA *primam concl.* sunt argum. quæ afferunt hic & soluunt S. D. & Med.

Obi. 1. cont. 2. concl.

CONTRA *secundam* concl. produci possunt duo argumenta: *Primum* est: Christus non habuit iustitiam vindicatiuam, neque eutrapeliam, neque magnanimitatem: ergo. Antecedens *quo ad primam partem* probatur: quia Chrysostomus *Hom. 5. operis imperfecti in Matth.* ait, Christum sustinuisse iniurias, non permisse vindictam: quia Matth. 5. docuit remittere non vindicare iniurias. *Quo ad secundam vero partem* probatur: quia hæc virtus versatur circa iocos siue ludos, vt ex Arist. Cicerone & aliis docet S. Thom. *in 2. 2. quæst. 168 art 2.* Christus autem nunquam habuit actum iocosum quo

D

illam acquisierit; ergo. *Demum quo ad vltimam partem* probatur: quia magnanimitas est virtus contraria alteri virtuti innominatæ, quam nonnulli vocant philotimiam, qua tendimus ad paruos honores: De qua S. D. agit *in 1. 2. q. 60. art. 1. & 2. 2. q. 129. art. 2. & 130. art. 2. ad 2.* sed virtutes contrariæ nequeunt esse in eodem: ergo altera ex istis defuit Christo *Confirmatur*: quia Christus in operibus suis tendebat ad magna, & reddebat se dignũ magnis honoribus: ergo suis actibus non potuit acquirere virtutem tendentem ad paruos honores. *Resp.* falsum esse anteced. quo ad omnes partes. *Ad probationem primæ partis* dico iustitiam vindicatiuam duos actus habere. Primus est petere à legitimo iudice vltionem peccati, quatenus peccatum redundat in offensam Dei, & quatenus vltio

Conf.

Solut.

E

conducit ad obseruantiam legis & conseruationem iustitiæ, & non propter odium peccantis. Secundus actus est iniurias suas vel Dei defendendo propulsare, vt ait S. D. *in 2. 2. quæst. 108. art. 1. & 2.* Quos actus habuit Christus: Primum quidem, quando *Ioannis 8.* petiit adulteram lapidari, dicẽs: *Qui sine peccato est vestrum primus in eam lapidem mittat.* Quod etiam ibidem intellexit Aug. *nam tract. 33. in Ioan.* ait, Christum in eo actu iustitiam obseruasse: quod de vindicatiua necessario intelligẽdum est: quia petebat vt legitime puniretur peccatrix propter antiquæ legis obseruantiam. Secundum autem actum habuit quando sibi conuitianti, quod Dæmonium haberet, propulsauit iniuriam dicens: *Ego Dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum.* Vbi Theophil. ait, Christum honorificasse Patrem eum vlciscendo. Et Chrysost. *Hom. 54. in Ioan.* ait, Christum ibi iniurias Dei vindicasse: quod etiam opere fecisse videtur *Ioannis 2.* Vbi facto ex funiculis flagello eiecit de templo vendentes & ementes: dictum autem Chrysost. in argumento relatum intelligitur de vindicta pro iniuriis in eum commissis, quatenus erat homo: & eodem modo vindictam nobis inhibuit, quatenus scilicet ea propulsantur iniuriæ contra nos vt priuatas personas; Vel intelligitur præceptũ Domini secundum animi præparationem, vt scilicet desistamus etiam à iusta vindicatione si oportuerit pro honore Dei: vt ait Aug. *lib. 1. de serm. Domini in monte, c. 34. 35. & 36.* Ad probationem vero secundæ partis antecedentis, dico, Christum acquisiuisse virtutem Eutrapeliæ per actum interiorem, quo elegit iocos sub conditione, scilicet si illi cõpeterent, quos tamen nunquam admisit: quia nimirum illum de rebus magnis agentem dedecebant: propter quod S. D. & Cai. 2. 2. *q. 168. art. 2.* docent peccare prædicatores illos, qui ridicula admiscent euangelicæ prædicationi. *Ad probationem postremæ partis* dico, falsum esse antecedens: quoniam, vt ait S. D. 2. 2. *q. 101. a. 4.* nulla virtus est alteri contraria: nam, vt ait Arist. *in cap. de oppositis*, bonum non est contrarium bono: atque ideo propensio magnanimitatis, qua quis quando & sicut oportet tendit ad magna, & inclinatio philotimiæ non sunt inter se contrariæ & possunt esse in eodem: sed oppositionem habent tendere ad magnos honores, quando oportet tendere ad paruos, & è contra. Quod idem dicendum est de magnificentia & liberalitate adinuicem comparatis. *Ad confirm.* dico in operibus Christi duplicem dignitatem & rationem meriti considerari: alteram personalem quatenus sunt opera diuinæ personæ & ita meritum habent infinitum & illis debentur maximi honores: alteram omnino intrinsecam siue obiectiuam, quæ attenditur in ordine ad propria singularum operationum obiecta: & ex hac parte seu ratione meritum non habent infinitum, nec est necesse illis deberi magnos honores: quia sicut poterat assumere naturam humanam sine gratia & virtutibus, ita facere poterat opera talis ac tantæ bonitatis moralis & obiectiuæ, vt eis ex hac parte parui tantum honores deberentur; quos etiam appetere poterat, si sibi congruerent: hoc vero satis est vt virtutem illam philotimiæ Christus potuerit sibi comparare, tametsi nunquam per eam esset operaturus.

ad conf.

Secundum argum. est: Virtutes morales acquisitæ non sunt Christo necessariæ, neque ad frenandas passiones immoderatas appetitus, neque vt ipsum appetitum inclinent in bonum: ergo tales virtutes nulla ratione ponendæ sunt in Christo. Antecedens *quo ad primam partem* probatur: quia in Christo non potuerunt esse tales passiones, vt ait S. D. *infra q. 15. ar. 2.* Cum in eo non fuerit fomes peccati. *Quo ad secundam vero partem* probatur, quia appetitus hominis secundum se inclinatur ad obediendum rationi, & ad bonum sui subiecti: ergo non eget virtute illum inclinante ad tale bonum: probatur sequela quoniam ideo nõ ponitur in voluntate vittus eam inclinans ad bonum naturale sui subiecti: quia ipsa naturaliter inclinatur ad illud magis, quã per virtutẽ possit inclinari. *Resp.* Virtutes istas fuisse Christo necessarias siue conuenientes, vt eius appetitum sensitiuum rationi subditum inclinarent ad obiectiuam

Obi. 2.

Solut.

boni rationem determinatam, ad quam non est talis appetitus secundum se determinatus, sicut voluntas ex se naturaliter ac determinate inclinatur in bonum proprium, & in Deum vt authorem naturæ. Quemadmodum igitur intellectus etiam in natura integra consideratus, licet ex se naturaliter inclinetur ad verum, eget tamen speciali virtute intellectuali, vt determinate inclinetur ad speciales veritates alicuius specialis obiecti, sic & appetitus Christi quamuis naturaliter inclinaretur ad obsequendum rationi, indiguit tamen virtute eum determinante modo iam dicto. His adde virtutem nonnunquam addi potentiæ ad perficiendam eius inclinationem, vt debito modo tendat in obiectum; vt de iustitia vindicatiua affirmat S.D. 2.2.q.108.a.1.

Obi.1 cont. 3.concl. CONTRA *tertiam* concl. sunt duo argum. *Primũ* est: Christi gratia est eiusdem speciei cum nostra, & perfectior illa, & non est exemplar illius: ergo neque virtutes Christi sunt exemplaria nostrarũ. Antecedens probatur: quia si gratia Christi esset exemplar nostræ, nos per gratiam assimilaremur Deo immediate: quam ob causam S.D. *in* 1.2. *qu.* 112. *art.*1. probat solum Deum esse causam gratiæ: quia gratia est similitudo Deitatis, quam nullus nisi Deus potest causare. *Solut. Resp.* falsum esse anteced. nam S.D. *in* 4. *dist.*5. *qu.*2. *art.*2. *qu.*2. *int.* & *ad primum* & *infra quæst* 64. *art.*5. *ad primum*, & Cai. *quæst. seq. art* 1. §. *scito tertio*, docent gratiam Christi esse exemplarem respectu nostræ, & per hanc nos illi assimilari: Deus autem gratiam principaliter producendo animam efficit principaliter sibi similem. Et hoc modo intelligendus est S.D. *in* 1.2. sed cum hoc Christi gratia exemplar est nostræ, quatenus causat illam meritorie & instrumentaliter. Vel dicas primum exemplar gratiæ nostræ diuinam esse naturam, proximum autem esse gratiam Christi. *Obi.2.* *Secundum* est: Omnis operatio Christi fuit perfectissima: ergo procedebat ex intentione finis supernaturalis, & à ratione regulata supernaturali regula: ergo omnis operatio moralis Christi procedebat à virtutibus infusis & non ab acquisitis. Probatur vltima consequentia: Quia virtus moralis acquisita nequit saltem immediate, sub ordine supernaturalis finis operari: Quia per se primo respicit finẽ naturali rationi & ordini proportionatum, quo præcipue differt à morali virtute, quæ per se infusa nuncupatur, quæ supernaturalem finem per se primo attendit. *Solut. Resp.* nullam esse vltimam consequentiam. quia licet omnis operatio Christi produceretur ex intentione finis supernaturalis: potuit tamen sub hac intentione vti virtutibus acquisitis: ita ut operatio proxime & immediate referretur in finem naturalem: mediate vero & extrinseca relatione in finem supernaturalem: Vnde ad consequens primæ consequentię dico, illud esse verum de regulatione tantum extrinseca: non autem de intrinseca.

Contra eandem concl. sunt quædam argumenta, quæ hic affert & soluit Medina.

Ob.1 cont. 4 concl. CONTRA *quartam* concl argum. Suar. quia Christus à principio habuit omnem perfectionẽ vnioni debitam: Cuius carentia redemptioni necessaria non erat: at hæc perfectio debita erat humanæ Christi naturæ ratione vnionis, neque necessarium erat, vt aliquo tempore ea careret ad finem redemptionis aut ad aliquem alium finem: ergo istæ virtutes infusæ fuerunt animæ Christi ab *Conf. 1.* instanti suæ creationis. *Confirmatur primo*: quia Adę fuerunt infusæ hæ virtutes à principio creationis: *Conf. 2.* ergo multo magis Christo. *Confirmatur secundo*: quia Christus habuit à principio omnes affectus optime dispositos & moderatos & rectæ rationi subiectos, & optimo modo scilicet per internam affectionem & dispositionem. *Solut. Resp.* Christum simpliciter loquẽdo habuisse omnem perfectionem vnioni debitam secundum modum humanæ naturæ, & perfectioni illi debitæ conuenientem: modus autem conueniens tam humanitati quam virtutibus ex suo genere acquisibilibus est, vt habeantur per acquisitionem & non per infusionem, vt supra dictum est: & ideo virtutum naturalium perfectio non erat humanitati Christi debita pro primo instanti conceptionis: quia tunc vt ostendimus acquiri non poterat: & licet talis perfectionis carentia non esset redemptioni necessaria: erat tamen conueniens pro illo tunc ipsis virtutibus & humanitati: è contra vero præsentia virtutum naturalium, neque erat in eo instanti redemptioni necessaria, neque humanitati aut ipsis virtutibus congruebat: quare falsa est maior argumenti. Minor etiam argumẽti falsa est, quo ad illam partem, *aut ad aliquem alium finem*: bonum enim humanitatis ac proinde Christi quatenus homo, in eo positum est vt perfectiones ordinis naturalis ad animam pertinentes habeat modo naturali, sicut eas quæ sunt ordinis supernaturalis habuit modo supernaturali. *Ad primam confirmat.* negatur sequela: *ad 1. conf.* quia Adam creatus fuit in ætate adulta, in qua occurrunt virtutum exercitia: & in eodem instanti habuit sciẽtias omnes acquisibiles infusas per accidens: eo quod esset Pater & instructor totius humanæ naturæ, nec habuerit scientiam beatam vel per se infusam, & ob eandem causam debuit habere virtutes omnes ordinis naturalis infusas per accidens: cum enim nõ esset impeccabilis, debuit vndequaq; virtutum omnium tam per se infusarum quam ex suo genere acquisibilium præsidio præmuniri: Christus autem vt homo neque creatus est in adulta ætate, neque tales scientias habuit infusas per accidens ob causam inferius assignandam *q.*9. *a.*4. & ex vnione hypostatica erat impeccabilis: adeo vt seclusis etiam his virtutib. acquisitis vires eius omnes in officio continerentur: & antequam ad eam ætatem peruenisset, quæ in aliis hominibus est apta peccato, virtutes omnes habuit naturales suis actibus acquisitas. *Ad secundam confirmationem* dico, Christũ habuisse à principio *ad 2. conf.* omnes affectus optime dispositos iuxta modum ipsi pro illo instanti, vel tempore congruente: sed tunc nec erat necessaria nec illi congruebat dispositio, quæ fit per habitus virtutum ordinis naturalis: sed ea tantum, quam facit vnio Verbi personalis in humanitate & gratia habitualis cum virtutibus & donis supernaturalibus infusis.

Contra eandem concl. argum. Astur. *Primo*: Quia *Ob.1. cont. eand. concl.* Christo tribuendũ est id, quod est dignius & perfectius, sed Christo dignius fuit & perfectius has omnes virtutes per infusionem accipere, quam eas proprio labore & exercitio comparare: ergo: Maior patet. Minor probatur: quia morales virtutes bonum faciunt simpliciter habentem: ergo earum defectus non potest ex suo genere non esse magna imperfectio Christo indecentissima, quæ recompensationem nõ admittit ex illa perfectione, quæ consistit in eo, quod anima propriis officiis & actibus has sibi comparet virtutes. *Solut. Resp.* falsam esse minorem. Ad probationem dico, antecedens esse verum in eo subiecto, quod nõ habet altioris ordinis perfectiones, & virtutes, quibus constituatur in hoc: quod est esse bonum simpliciter: Christus autem vt homo, fit per se primo bonus simpliciter per gratiam vnionis, & gratiam habitualem & virtutes infusas supernaturales ad eam consequentes, & dona Spiritus sancti: & ideo per virtutes acquisitas non constituitur in esse

bono

bono simpliciter idest absolute aut sine addito: ac proinde earum carentia ad tempus nulla in eo est imperfectio aut indecentia: sed est congruus ac decens ordo naturæ seruatus absque miraculo in hac parte minime necessario.

Secundo arguit: quia difficillime potuit Christo in breui tempore offerri occasio exercēdi se in officia & actus omnium moralium virtutum: ergo non posset nō per multum temporis interuallum his virtutibus carere, quæ esset magna imperfectio in Christi anima; igitur vt hanc imperfectionem euitemus, oportet concedere has virtutes Christi animæ fuisse per accidens infusas. *Respondetur*, falsum esse antecedens de actibus interioribus loquendo, quorum vnus si fuerit intensus, ad vnius habitus generationem potest sufficere, vt ante diximus.

Contra eandem concl. argum. Vasq. quia S. Tho. *hic ad 3.* ait, ita in Christo has virtutes fuisse, vt in eo non fuerit continentia, hoc est status virtutis imperfectus & inchoatus: sic enim (inquit) accipit S. Tho. continentiam iuxta doctrinam Arist. 7. *Ethic. cap.* 9. ergo significat Christum has virtutes morales habuisse infusas à principio in gradu perfecto ac si eas longa exercitatione sibi comparasset. Probatur sequela: quia si decursu temporis eas acquisiuisset, sequeretur aliquādo eas in Christo fuisse in statu imperfecto: ac proinde non habuisse statum virtutis sed continentiæ. *Resp.* falsum esse D. Thom. & Arist. nomine continentiæ intelligere statum virtutis imperfectum & inchoatum: sed nomine continentiæ proprie & simpliciter loquendo S. D. intelligit habitum quendam laudabilem refrenantem concupiscentias vehementes, eas scilicet quæ sunt circa delectationes tactus, vt ait S. D. *in 2.2 q. 155. a. 2.* vt ibi declarat optime Cai. Et quamuis eas Christus nō habuerit à principio, nunquam tamen in eo fuerunt secundum statum imperfectum: quia simul eas omnes propriis actibus interioribus acquisiuit, vt supra diximus.

CONTRA *quintam* concl. arguunt post eæ sententiæ defensores. *Primo*: Nam vt Christus habeat omnes istas virtutes acquisitas in primo instanti suæ conceptionis, satis est si tunc habuerit actus & electiones interiores circa materiam omnium virtutum in tali intensione, quæ æquiualeret multiplicationi actuum, & deuinceret indifferentiam potentiæ: sed Christus potuit tunc habere omnes illos actus simul ordinatos ad obediendum Deo vel colendum illum, vel aliud huiusmodi: ergo tunc potuit acquirere omnes virtutes simul. *Confirmatur*: Nam intellectus Christi ex scientia beata & infusa in primo instanti suæ Incarnationis perficiebatur in suis naturalibus, vt posset habere actum perfectum naturalem circa omne obiectum scientiarum naturalium: ergo etiam fuit decens, vt voluntas Christi ex summa perfectione naturali quam habebat, perficeretur in suis naturalibus, vt eliceret actus naturales summe intensos & perfectos circa materiam omnium virtutum, vt per illos acquireret eas. *Resp.* falsam esse minorem: quia tunc intellectus assumptæ humanitatis nō habebat species acquisitas ad actus virtutum moralium acquisibilium necessarias. *Ad confirmat.* negatur antecedens ob eādem causam: quia scilicet non erant in intellectu species acquisitæ talibus actibus eliciendis necessariæ.

Secundo arguunt: quia debitum est debito decētiæ & congruum vnioni hypostaticæ, vt natura personaliter vnita Deo in nullo instanti sui esse careat summa perfectione possibili sibi connaturali habita modo perfecto & connaturali: sed hoc saluatur ponendo Christum in primo instanti acquisiuisse suis actibus istas virtutes in summa sua perfectione: ergo. *Resp.* falsam esse minorem ob rationes superius assignatas, &c.

CONTRA *vltimam* concl. quo ad primam eius partem & pro sententia Suar. produci possunt hæc argumenta. *Primum* est: In Christo manet potentia peccandi secundum perfectionem, quam dicit scilicet vt est voluntas, licet non maneat quo ad imperfectionem, quam importat vt potentia peccandi: ergo pœnitentia poterit in Christo manere non quo ad imperfectionem quam supponit, sed quo ad actus qui nō dicunt imperfectionem, vt odium peccati & voluntas satisfaciendi pro nostris peccatis. *Resp.* nullam esse conseq. quia pœnitentia secundum essentialem suam rationem specificatur à peccato proprio, quod simpliciter repugnat Christo: id vero quod in nobis est potētia peccandi scilicet liberum arbitrium, secūdum intrinsecam sui rationem non specificatur à peccato sed ab indifferentia actionis, quæ non repugnat Christo.

Secundum est: Si Christus assumeret humanitatem alterius iusti habentis pœnitentiam, non tolleret illam ex vi vnionis: ergo potest habere illam. *Resp.* falsum esse antecedens: Quia sicut in illo casu desinerent esse in ea humanitate fides, spes, potentia peccandi & fomes peccati, eo quod hæc repugnent Deo homini & beato, ita desineret etiam pœnitentia propter incapacitatem subiecti.

Tertium est: Vt Christus habeat donum timoris, satis est vt eius humanitas secundum se possit peccare, licet ex vnione ad Verbum sit incapax peccati, vt ait Cai. *infra art. 6.* ergo idem sufficiet vt habeat pœnitentiam. *Resp.* nullam esse conseq. quia non est eadem ratio: nam in Christo manet actus doni timoris circa primarium illius obiectum, & actus est subiicere suam patuitatem eminentiæ diuinæ sed actus pœnitentiæ primarius, qui est circa peccatum propriū, non potest Christo conuenire.

Vltimum argum. est: Christus potuit habere hunc actum conditionalem: dolerem & satisfacerem pro proprio peccato si haberem illud: sed hic actus sufficit ad habendam virtutem pœnitentiæ: ergo. Maior probatur: quia ille actus non dicit aliquam imperfectionem repugnantem Christo. Minor vero probatur primo: quoniam vt ait Aristot. in Ethicis, in homine studioso est verecundia: qua sic est dispositus, vt verecundaretur, si haberet actum malum. *Resp.* duplices esse actus conditionales: nam quidam sunt de obiecto simpliciter possibili: quod tamen est impossibile secundū quid siue ex suppositione, & hi sufficiunt ad virtutem, & tales sunt actus de quibus loquitur Arist. *in Ethicis*: solum enim sunt impossibiles ex suppositione status: alii vero sunt actus cōditionales de obiecto simpliciter impossibili alicui, & hi non sufficiunt ad virtutem: & ideo per tales actus non generatur, neq; præsupponitur in Angelis temperantia, neque in hominibus iustitia erga Deum commutatiua. Cum igitur actus pœnitentiæ respectu proprii peccati sit simpliciter Christo impossibilis: quia peccare non potest: consequens est vt nec locum habere valeat in eo virtus pœnitentiæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum in Christo fuerit fides.

Inf. art. 4. eo. & ar. 8. ad 2. & ar. 9. ad 1. & 1.2 q. 65 ar. 5. ad 3. & 3. d. 13 q. 1. ar. 2. q. 1. ad 1. & d. 30. ar. 2. ad 3. &

AD tertium sic proceditur. *Videtur quod in Christo fuerit fides. Fides enim est nobilior virtus, quam virtutes morales: puta temperantia, liberalitas. Huiusmodi autem virtutes fuerunt in Christo, vt dictum est. Multo ergo magis fuit in eo fides.*

Præ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

veri. q.29. art.4.ad15. & veri q.4 art.1. ad11.

Præterea; Christus non docuit virtutes, quas ipse non habuit, secundum illud Act.1. Cæpit facere, & docere. Sed de Christo dicitur Hebr.12. quod est actor, & consummator fidei Ergo in eo maxime fuit fides.

Præterea: Quicquid est imperfectionis, excluditur à beatis. Sed in beatis est fides, nam super illud Rom.1 Iustitia Dei reuelatur in eo ex fide in fidem, dicit glos. de fide verborum, & spei in fidem rerum, & speciei. Ergo videtur, quod etiam in Christo fuerit fides, cum nihil imperfectionis importet.

Sed contra est. quod dicitur Hebr. 11. quod fides est argumentum non apparentium. Sed Christo nihil fuit non apparens: secundum illud, quod dixit ei Petrus Ioan. vlt. Tu omnia nosti. Ergo in Christo non fuit fides.

Respondeo dicendum, quod sicut in Secunda parte dictum est, obiectum fidei est res diuina non visa. Habitus autem virtutis, sicut, & quilibet alius, recipit speciem ab obiecto. Et ideo excluso, quod res diuina sit non visa, excluditur ratio fidei. Christus autem à primo instanti suæ conceptionis plene vidit Deum per essentiam, vt infra dicetur. Vnde in eo fides esse non potuit.

Art.prec. 2.2.q.1.a.4

Ad primum ergo dicendum, quod fides est nobilior virtus virtutibus moralibus: quia est circa nobiliorem materiam, sed tamen importat quendam defectum in comparatione ad illam materiam: qui defectus in Christo non fuit: & ideo non potuit in eo esse fides, licet fuerint in eo virtutes morales, quæ in sui ratione huiusmodi defectum non important per comparationem ad suas materias.

Ad secundum dicendum, quod meritum fidei consistit in hoc, quod homo ex obedientia Dei assentit illis, quæ non videt: secundum illud Rom.1. Ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine eius. Obedientiam autem ad Deum plenissime habuit Christus: secundum illud ad Philip. 2. Factus est obediens vsque ad mortem. Et sic nihil ad meritum pertinens docuit, quod ipse excellentius non impleret.

Ad tertium dicendum, quod sicut glossa ibidem dicit, fides proprie est, qua creduntur quæ non videntur. Sed fides, quæ est rerum visarum, improprie dicitur, & secundum quandam similitudinem, quantum ad certitudinem, aut firmitatem adhæsionis.

Sensus quæsiti.

DE FIDE quæritur, quæ virtus est Theologica secundum formalem & completam eius rationem & non tantum secundum prædicata illi ac cæteris habitibus intellectualibus infusis aut etiam acquisitis communia, vt sunt cognitio, certitudo & similia ad perfectionem pertinentia, aut debitæ Christo perfectioni non opposita, vt esse habitum, qualitatem & accidens & similia. Vide etiam quæ notat Suar. *in Com.*

Forma Textus.

CONCL. *est: In Christo fides esse non potuit.* Probatur: Excluso, quod res diuina sit non visa, excluditur ratio fidei: at Christus à primo instanti suæ conceptionis vidit Deum: ergo in eo fides esse non potuit. Maior probatur: quia obiectum fidei est res diuina non visa: ergo excluso quod res diuina sit non visa excluditur ratio fidei. Anteced. patet ex dictis *in secunda secundæ, quæst.1.art.4.* Consequentia probatur: quia habitus virtutis, sicut & quilibet alius recipit speciem ab obiecto. Minor patebit ex dicendis *infra quæst.34.art.4.*

Expositio Textus.

VIDENDA sunt quæ notat Caiet. circa discursum præsentis articuli, & circa responsionem ad secundum argum. D. Thom. & ea quæ breuiter notat Vasq. circa sensum conclusionis, & contra Suar. constituentem specialem habitum in voluntate, quo bene disponatur ad obediendum fidei & ad eliciendum debitam affectionem ad fidem. Vide etiam quæ notat Suar. circa responsionem ad secundum argumentum D. Th.

Controuersia Vnica.

De veritate Conclusionis. An scilicet in Christo fuerit fides?

PRIMA *sententia* est Dur. *in 3. distin.31. q.3. &* Vbi tria dicit. *Primum* est non esse contra fidem asserere actum fidei & visionem Dei claram simul esse posse. *Secundum*: Non esse contra fidem aut contra doctrinam scripturarum affirmare actum fidei, & visionem Dei claram esse de facto simul in Patria. *Tertium* est: actum fidei & visionis claræ non esse adinuicem repugnantes: atq; ideo simul esse posse. *Sententia Doctorum.*

Huic sententiæ proxima est sententia cuiusdam Franciſci à Carthagena, quam referunt hic nonnulli recentiores ex eius *lib. de tripici lumine.* Et *lib. de Prædestinatione discursu 8. ad 7.* Vbi docet, idem lumen secundum substantiam esse fidem in via & lumen gloriæ in Patria, & pro diuersis statibus habere diuersos actus. Ex quo sequitur, habitum qui est fides secundum substantiam esse in beatis & in Christo, qui habent lumen gloriæ.

Tertia sententia est Suar. *in Commentario ad hunc articulum.* Vbi duo dicit. *Primum* est ad fidem duos habitus esse necessarios: alterum in intellectu, qui sit principium eliciendi assensum fidei: & alterum in voluntate à quo eliciatur affectio debita ad fidem. *Secundum* est licet in Christo non fuerit habitus fidei, in eo tamen esse potuisse habitum, quo voluntas bene disponitur ad obediendum fidei.

Quarta sententia est Heruei *quolib.2.q.15.* Cap. *in 3.dist.31* Conradi & Med. *in 1.2.q.67.a.3.* & Astur. *pag.62.* dicentium in Christo cum clara visione Dei posse manere habitum fidei: quia non opponuntur actus & habitus. *Heruæus. Capreol. Conrad. Medina.*

Vltima sententia est D. Th. *in hoc art. & in 1.2. loco notato.* Vbi docet & probat habitum fidei simul esse non posse in Christo aut in aliis beatis cum clara visione beatifica: quam sententiam communiter amplectuntur eius discipuli. *S. Thom.*

PLVRES implicantur in hac vna quæstione difficultates, de quibus disputant expositores *in 1.2. loco notato, & in 2.2.q.1. art.5. & infra quæst.11. art.1.* Nos hic ea breuiter annotabimus, quæ propositæ dubitationi definiendæ videntur esse maxime necessaria. *Resolutio. Declaratur sensus quæsiti, & probatur fidem neq; secundum actū, neq; secundum habitū simul esse posse cum visione bea.*

Notandum est igitur primo nomen fidei triplicem apud Theologos habere significationem. *Primo* namque significat primam virtutem Theologicam, quam definiens Apostolus *Hebr.11.* ait: *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium*, siue, vt ait S.D. *2.2. quæst.4.art.1.* Fides est habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis faciens intellectum assentire non apparentibus. *ta-*

Secundo significat fidelitatem seu veracitatem, quæ est virtus moralis, qua exteriora nostra vel verba vel facta debite ordinantur ad aliquid sicut signum ad signatum, vt ait S. D. *in 2.2. quæst.109. art.2.* in quo sensu sumitur fides *Isa.11.* Cum de Christo dicitur: *Erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius*: vt ibi notat D. Hieronym. Cyrill. S. Thom. & exprimit translatio 70. interpret. *Tertio* fides significat certitudinem de rebus inuisibilibus, quæ supponuntur vt principia in doctrina Catholica: qua certitudine reddi-

ditur quis idoneus ad explicanda mysteria fidei, A vt ait S. D. *in* 1.2. *q.* 111. *art.* 4. Quæstio hic est de fide primo modo sumpta: nam fidem secundo & tertio modo sumptam in Christo fuisse certum est: cum vtraque dicat perfectionem absque imperfectione.

Secundo videnda omnino sunt quæ scribit S.D. *in* 1.2. *q.* 67. *art.* 3. *&* 5. nam si attente considerentur rationes D. Thom. apparebit eas efficaciter probare nec per Dei potentiam simul esse posse fidem secundum actum vel secundum habitum cum visione beata. Impossibile enim (inquit S. D.) perfectum & imperfectum simul esse secundum idē: ac proinde simul esse nequeunt cognitio perfecta & imperfecta ex parte obiecti, neque cognitio perfecta & imperfecta ex parte eiusdem medii, ne- B que cognitio perfecta & imperfecta ex parte subiecti: fides autem ex sui ratione habet imperfectionem, quæ est ex parte subiecti, vt scilicet credens non videat id quod credit: beatitudo vero de sui ratione habet perfectionem ex parte subiecti, vt scilicet beatus videat id quo beatificatur: igitur implicat contradictionem fidem manere simul cum beatitudine in eodem subiecto. Secundo probatur hæc veritas: quia deficiente obiecto primario & formali alicuius habitus impossibile est etiam per Dei potentiam habitum ipsum vniuoce sumptum permanere, licet non tollatur obiectum habitus secundarium: at Deus credendus aut creditus est obiectum fidei primarium & for- C male: creaturæ vero reuelatæ pertinent ad obiectum fidei secundarium: ergo si iam non sit creditus sed visus, non poterit in eo qui Deum videt, habitus fidei permanere, tametsi credat alia ad creaturas pertinentia. Maior probatur: Quia species habitus desumitur ex obiecto eius primario & formali, ad quod essentialiter ordinatur: sicut mortis pericula sunt obiectum primarium fortitudinis, & ideo eis remotis impossibile est manere habitum fortitudinis, quamuis supereſſent alia leuiora pericula, quæ sunt obiectum fortitudinis secundarium. Minor est D. Thom. *in* 2.2. *q.* 1. *art.* 1. *&* 1. *q.* 1. *art* 7. Itaque si Deus per absolutam sui potentiam aliquid obscure reuelasset animæ Christi, aut nunc reuelaret alicui beato Deum videnti, nō esset in eo lumen aut habitus fidei Theologicæ, D sed alterius speciei valde diuersæ, vt hic etiam aduertit Aluar. & alii recentiores.

Christum habuisse fidei meritū eminenter contentum in merito obedientiæ.

Quarto considerandum est in Christo fuisse virtutem obedientiæ regulatam supernaturali cognitione, in qua comprehendebatur eminenter cognitio fidei seclusis eius imperfectionibus: ex quo sequitur Christum habuisse non quidem formaliter sed eminenter meritum fidei. Ad cuius euidentiam aduertendum est fidem & obedientiam tripliciter posse considerari & ad inuicem comparari. *Primo* ex parte obiecti, & ita, cum longe sit nobilior fides, quam obedientia, non potest secundum hanc rationem fides in obedientia nec meritum fidei in merito obedientiæ contineri. *Secundo* possunt considerari & comparari fides & obe- E dientia ex parte subiecti: & hoc modo magis meritorius est actus obedientiæ quam actus fidei, & secundum hanc rationem actus obedientiæ quatenus scilicet meritorius est, continet eminenter actum fidei prout meritorius est. Pro cuius intelligentia notandum est ex D. Thom. *quolib.* 6. *art.* 11. *&* in 3. *dist* 34 *q.* 1. *art.* 3. *q.* 3. *&* in 4. *dist.* 49 *q.* 5. *art.* 1. *ad* 2. meriti quantitatem ex duobus attendi posse: primo quidem ex genere operis siue ex operis bonitate & difficultate: ita vt illud opus cæteris paribus sit ex se magis meritorium, cuius obiectum secundum se fuerit melius ac difficiliùs & virtus à qua procedit excellentior. Deinde etiam meriti quantitas attenditur ex ijs, quæ se tenent ex parte operantis: quia scilicet agens operatur ex maiori charitate vel ex propensiori voluntate. Quamuis igitur actus obedientiæ Christi ex parte sui obiecti formalis, & ex genere operis fuerit imperfectior & minus meritorius, quam actus fidei nostræ: quia tamen procedebat ex maiori charitate, & reflectebatur super ipsam personam Verbi propter quod erat infinite meritorius personaliter: ideo meritum omne fidei nostræ continebatur eminenter in merito illo infinito obedientiæ Christi. *Tertio* considerari & comparari possunt fides & obedientia, quatenus in actu fidei participatur actus obedientiæ, ex quo habet rationem meriti: & hoc modo specialiter & per quandam appropriationem meritum fidei contineri dicitur eminenter in merito obedientiæ Christi: non autem in merito actuum aliarum virtutum. Et hoc est, quod ait S. D. *hic ad secundum* dicens: *Meritum fidei consistit in hoc, quod homo ex obedientia Dei assentit illis, quæ non videt &c.* Quem sensum etiam breuiter attigit Caiet.

Duplicem habitum esse necessarium, vt actus fidei sit absolute perfectus.

Quinto sciendum est ex D. Thom. 2.2. *qu.* 4. *art.* 2. *&* 5. ad hoc vt actus fidei sit perfectus & simpliciter virtuosus, necessarium esse duplicem habitum: alterum in intellectu qui dicitur fides infusa: & alterum in voluntate qui est charitas, per quam actus fidei ordinatur in vltimum finem. Ratio D. Thom. *in dicto art.* 2. est: quia ad perfectionem actus, qui ex duobus principiis procedit, requiritur vt vtrumque principium actiuum sit perfectū: credere autem est actus intellectus, vt moti à voluntate ad assentiendum: & ideo oportet vt tam intellectus, quam voluntas habitu in ea præexistente perficiatur: actus vero fidei imperfectus elici potest ab intellectu absque habitu charitatis in voluntate: in qua tamen necessaria est pia quædam affectio mouens intellectum ad assentiendū iis, quæ à Deo reuelantur & ab Ecclesia credenda proponuntur: quæ pia affectio nullum exigit habitum in voluntate: sed solam gratuitam Dei motionem supernaturalem interius inclinantem voluntatem ad assensum: Sed esto necessarius esset aliquis habitus in voluntate ad actum fidei eliciēdum, repugnat statui Christi & Beatorum: quia eius obiectum est honestas assensus, circa primam veritatem non visam ab habente talem virtutem: debet enim hæc virtus fidei proportionari, cui deseruit: obiectum autem fidei debet esse non visum ab eo, qui fidem habet.

Postremo obseruanda est doctrina Cai. circa discursum D. Thom. qui ex negatione obiecti fidei in Christo infert negationem habitus fidei. Quam doctrinam accepit Cai. ex D. Thom. 2.2 *q.* 134. *ar.* 1. *ad* 1. *&* 3. *ad* 4. *&* *q.* 152 *a.* 3. *ad* 2. *&* *de Virtutibus*, *q.* 5. *a.* 2. *ad* 5. *&* 7. *&* in 3 *dist.* 13. *quæst.* 1 *art.* 2. *q.* 1. *ad* 7. Quare immerito reiicit illam Astur. *p.* 63. Cuius argumento satisfiet inferius.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Fides neque secundum actum, neque secundum habitum fuit aut esse potuit in Christo Domino viatore simul & comprehensore.* Hæc sequitur ex dictis.

SECVNDA CONCL. *In Christo secundum humanam voluntatem nullus fuit habitus ad fidem pertinens.* Hæc est contra Suar. & patet ex dictis.

TERTIA CONCL. *In Christo fuit meritum fidei inclusum eminenter in merito obedientiæ.* Colligitur hæc conclusio ex responsione S.D. ad secundum addita expositione Cai. & patet ex dictis.

Argum. & solutiones.

CONTRA *primam* concl. sunt multa argumenta quæ

quæ affert & soluit Med. *super hoc art.& latius in* 1. 2.*q.* 67. *art.*3. & alii recentiores ibidem. Et Astur. *in sua relect. de Gratia Christi, qu.* 1. *Concl.* 5. *pag.* 61. &

Ob 1. *cont.* 1 *concl.* Aluar. *super hoc art.* Contra eandem concl. produci possunt hæc argumenta. *Primum* est: quoniam Irenæus *lib.*2.*cap.*47.*& lib.*4.*cap.*25.& Tertul. *in lib. de Patientia, ca.* 12. *in fine* dicunt fidem & spem manere in beatis: ergo etiam fuerunt in Christo.

Solut. *Resp.* hos Patres nihil aliud intẽdere, nisi fidem in beatis manere, quo ad id quod perfectionis est, quod illi commune est cum sciẽtia & visione beatifica: hoc autem est cognitio secluſa obscuritate, quę fidei propria est.

Obi. 2. *Secundum* est: In Christo fuerunt liberalitas & magnificentia, & tamen defuit Christo istarum virtutum materia, scilicet diuitiæ: ergo licet Chri- B

Solut. sto desit materia fidei, scilicet res obscure reuelatæ, potest in eo fides permanere. *Resp.* cum Caiet. nullam esse conseq. quia non est eadem: sed opposita ratio: Nam licet Christo deesset materia liberalitatis & magnificentiæ: non tamen illi deerat ratio formalis harum virtutum: quia per prudentiam iudicabat quando & quomodo & quibus circumstantiis possint liberaliter & magnifice distribui pecuniæ: at in fide contingit oppositum: quia Christo non deest materia fidei: manent enim mysteria Trinitatis & Incarnationis: sed tamen deficit ratio formalis obiecti fidei, scilicet obscura reuelatio. Secundo dico neque Christo

Replic. neque vlli hominum deesse diuitias contemnendas. *Sed responsionem hanc* arguit Astur. quia ratio C formalis specifica obiecti virtutis non potest saluari, nisi determinata ad talem materiam talis virtutis: ergo deficiente materia liberalitatis & magnificentiæ non potuit in Christo saluari formalis & specifica ratio harum virtutum. Antecedens probatur: quia hæc ratio formalis virtutis abstracta ab omni materia cõmunis est ad omnem virtutem: explicatur hoc: nam si potest saluari formalis ratio specifica virtutum deficiente totaliter materia, nulla ratio assignari poterit, propter quã in Angelis non reperiantur virtutes temperantiæ & fortitudinis: etenim Angelus bene potest prudentialiter iudicare quando & quomodo sit temperate viuendum aut fortiter agendum. *Resp.* fal-

Solut. sum esse anteced. si sermo sit de materia in actu D existente: sufficit enim materia possibilis operanti. Ad probationem dico, rationem formalem virtutis respicientem materiam possibilem operanti non esse abstractam ab omni materia, sed habere materiam determinatam in esse possibili: Christo autem neque defuit formale harum virtutum, scilicet recta dispositio interior circa vsum pecuniarum, neque possibilitas diuitiarum, sed Angelis defuit formale virtutis temperantiæ scilicet dispositio passionum circa vsum ciborum, & venereorum, & materia fortitudinis, quæ sunt pericula mortis, quæ spiritualium substantiarum incorruptibilitati repugnant.

CONTRA *secundam* concl. colligi posset argum. ex Suar. sed eius solutio plana est ex 5. no- E tabili.

Ob. cont. 3. *concl.* CONTRA *tertiam* concl. est argum. Quia Christus habuit meritum fidei, vt ait S.D. *hic ad secundum*: ergo etiam in eo fuit fides. Probatur consequentia: quia meritum alicuius virtutis, non est sine illa: nam si habetur per actum alterius virtutis: erit meritum illius tantum virtutis, cuius est actus.

Solut. *Resp.* nullam esse conseq. formaliter loquendo de fide secũdum propriam & specificam eius rationem: conceditur autem loquendo de fide, quo ad id quod perfectionis in ea est, & quo ad id ex quo rationem habet meriti: hoc autem est obe- dientia. Ad probationem dico meritum alicuius virtutis esse posse sine illa proprie & specifice sumpta: non autem sine illa, quo ad id quod in ea dicit perfectionem, & ex quo eius actus habet rationem meriti: & quia sanctum hoc potest vna virtus eminenter, in alia contineri: ideo meritum erit formaliter & proprie illius alterius virtutis, sed secũdum rationem communem merendi, puta obedientiam, & quasi virtualiter erit etiam meritum virtutis in altera contentæ, eo sc. modo quo in altera continetur & in ea habet esse.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Christo fuerit spes.

AD quartum sic proceditur. *Videtur, quod in Christo fuerit spes. Dicitur enim in Psal.*30. *ex persona Christi, In te Domine speraui. Sed virtus spei est, qua homo sperat in Deum. Ergo virtus spei fuit in Christo.* *Infra art.*6. *ad* 1. *& a.*8. *ad* 2. *& a.*9 *ad* 1. *Et* 1.2. *q.* 65. *a.*5. *ad* 3. *Et* 2.2. *q.* 18. *a.*2. *ad* 1. *Et* 3. *dist.*26. *q.* 1. *a.*5. *q.*1. *& dist.*37. *a.* 2. *ad* 3. 2. 2. *q.*17. *ar.*5. *ad* 3.

Præterea: Secundæ parte habitum est. Sed Christus aliquid expectabat ad beatitudinem pertinens, videlicet gloriam corporis. Ergo videtur, quod in eo fuerit spes.

Præterea: Vnusquisq; potest sperare illud, quod ad eius perfectionem pertinet, si sit futurum. Sed aliquid erat futurum, quod ad perfectionem Christi pertinet: secũdum illud Eph. 4. *Ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Ergo videtur, quod Christo competebat habere spem.*

Sed contra est, quod dicitur Rom. 8. *Quod videt quis, quid sperat? Et sic patet, quod sicut fides est de non visis, ita & spes. Sed fides non fuit in Christo, sicut dictum est, ergo* *Art. præc.* *nec spes.*

Respondeo dicendum, quod sicut de ratione fidei est, quod aliquis assentiat ijs, quæ non videt: ita de ratione spei est, quod aliquis expectet id, quod nondum habet. Et sicut fides, inquantum est virtus Theologica, non est de quocunque non viso, sed solum de Deo: ita etiam spes, inquantum est virtus Theologica, habet pro obiecto ipsum Deum: cuius fruitionem homo principaliter expectat per spei virtutem: Sed ex consequenti ille, qui habet virtutem spei, potest etiam in alia diuinum auxilium expectare: sicut, & ille, qui habet virtutem fidei, non solum credit Deo de rebus diuinis, sed de quibuscunque aliis diuinitus sibi reuelatis. Christus autem à principio suæ conceptionis plene habuit fruitionem diuinam (vt infra dicetur) & ideo virtutem spei *q.*34. *a.* 4. *non habuit. Habuit tamen spem respectu aliquorum, quæ nondum erat adeptus: licet nõ habuerit fidem respectu quorumcunque: quia licet plene cognosceret omnia, per quod totaliter fides excludebatur ab eo: non tamen adhuc plene habebat omnia, quæ ad eius perfectionem pertinebant, puta immortalitatem, & gloriam corporis, quam poterat sperare.*

Ad primum ergo dicendum, quod hoc non dicitur de Christo secundum spem, quæ est virtus Theologica, sed eo, quod quædam alia sperauit nondum habita: sicut dictũ est. *in cor. ar.*

Ad secundum dicendum, quod gloria corporis non pertinet ad beatitudinem, sicut in quo principaliter beatitudo consistat, sed per quandam redundantiam à gloria animæ: vt in Secunda parte dictum est. Vnde spes secundum quod est virtus Theologica, non respicit beatitudinem corporis: sed beatitudinem animæ: quæ in diuina fruitione consistit. 1.2. *q.*4. *a.*6. *& qu.*67. *ar.*4.

Ad tertium dicendum, quod ædificatio Ecclesiæ per conuersionem fidelium, non pertinet ad perfectionem Christi, qua in se perfectus est: sed secundum quod alios ad participationem suæ perfectionis inducit. Et quia spes dicitur proprie respectu alicuius, quod expectatur ab ipso sperante habendum, non proprie potest dici, quod virtus spei Christo *in cor. ar.* *ratione inducta conueniat.*

Sensus quæsiti.

QVÆSTIO est de spe, prout est virtus Theologica, vt declarat S.D. in textu.

Forma

Forma Textus.

PRIMA CONCL. *Christus non habuit virtutem spei.* Probatur: Spes inquantum est virtus Theologica, habet pro obiecto ipsum Deum; cuius fruitionem homo principaliter expectat per spei virtutem: sed Christus à principio suæ conceptionis non exspectauit, sed plene habuit fruitionem diuinam: ergo virtutem spei non habuit. Maior habet duas partes: prima est: Spes inquantum est virtus Theologica, habet Deum ipsum pro obiecto. Probatur hæc pars ex conuenientia Spei cum fide & cum omni virtute Theologica: quia fides inquantum est virtus Theologica, est solum de Deo: ergo etiam spes, inquantū est virtus Theologica, est solum de Deo. Altera pars est: Cuius fruitionem &c. Probatur hæc pars ex similitudine proportionali spei cum fide; quia sicut de ratione fidei est vt aliquis assentiatur iis quæ non videt, ita de ratione spei est vt aliquis expectet id quod nondum habet: ergo spes inquantum est virtus Theologica, expectat fruitionem Dei principaliter, ideſt, vt obiecti principalis.

SECVNDA CONCL. *est: Christus habuit spem respectu aliquorū, quæ nondum erat adeptus.* Probatur: quia Christus adhuc plene non habebat omnia, quæ ad eius perfectionem pertinebant puta immortalitatem & gloriam corporis: ergo hęc poterat sperare. Consequentia probatur seu declaratur ex vna conuenientia & vna differentia inter fidem & spem: conueniunt enim quod sicut ille, qui habet virtutem fidei, non solum credit Deo de rebus diuinis, sed etiam de quibuscunq; aliis diuinitus sibi reuelatis, ita qui habet virtutem spei Theologicæ, non solum Dei fruitionem expectat principaliter: sed ex consequenti potest etiam in aliis diuinum auxilium expectare. Differūt autē respectu Christi: quia Christus plene cognoscebat omnia: & ideo fides ab eo totaliter excludebatur: non tamen adhuc plene habebat omnia, quæ ad eius perfectionem pertinebant: & ideo hæc poterat sperare.

A bitū prout illum respicit: at vero vt respicit actum amoris, respicit Deum vt summum bonum proprium abstrahendo ab absentia, & sic potest manere in patria gaudium etiam efficiēdo: qui actus sunt principales & primarij respectu illius habitus secundum se.

Vasq. *disp. 43. c. 2.* tria dicit. *Primum* est: In Christo mansisse actum veræ spei virtutis Theologicæ vsque ad resurrectionem elicitum per auxilium diuinum: Et in beatis esse actum spei respectu gloriæ corporis. *Secundum* est: habitum spei non fuisse in Christo, neque in beatis manere ante resurrectionem. *Tertium* est: sibi non probari sententiam Cai. neque opinionem Suarezii, & actus illos amoris concupiscentiæ in beatis non esse supernaturales sed naturales.

S. D. *hic, & 1. 2. q. 67. a. 3. & 5. & 2. 2. q. 18. a. 2.* & alibi negat spem, quæ virtus est Theologica, aut eius actum in beatis manere, aut in Christo fuisse. Quam sententiam sequuntur omnes eius discipuli, & eam explicat hic optime Cai. & tuetur eam Dur. *in 3. dist 26. q. 3. num. 6.*

Ex iis, quæ spei, vt virtus est Theologica, & actibus eius propria ac essentialia sunt, ꝓposito quæsito respondendum est. Hæc vero breuiter ex D. Tho. doctrina colligenda sunt. *Resolutio. Spei necessitas & obiectum, tam principale quam secundarium, & subiectum esius proprium*

NOTANDVM *est* igitur primo, *ex prima secundæ, q. 62.* per virtutem hominem perfici ad actus quibus in beatitudinem ordinatur. Et quia beatitudo supernaturalis excedit proportionem humanæ naturæ, oportet vt homini superaddantur diuinitus aliqua principia, per quæ, addito etiam adiutorio diuino, ita ordinetur ad beatitudinem supernaturalem, sicut per principia naturalia ordinatur ad finem, seu beatitudinem naturalem: hæc autem principia virtutes dicuntur Theologicæ: tum quia Deum habent pro obiecto, inquantum per eas recte ordinamur in Deum: tum quia à Deo solo nobis infunduntur: tum quia sola diuina reuelatione in sacra scriptura huiusmodi virtutes tradūtur. Ordinatur autem homo in Deum vt finem supernaturalem: primo quidem secundum intellectum, cui adduntur principia supernaturalia, quæ solo diuino lumine capiuntur: & hæc sunt credibilia de quibus est fides. Secundo per voluntatem dupliciter: primo quantum ad motum intentionis tendentem in Deum finem supernaturalem, vt possibilem cōsequi, quod pertinet ad spem. Secundo quantum ad vnionem quandam spiritualem, per quam quodammodo transformatur in illum finem, quod fit per charitatem. *Deinde notandum est* ex eodem S. D. *in 2. 2. q. 17. a. 2.* beatitudinem æternam principaliter quidem obiectiuam: secundario vero formalem, vt exponit ibi Caiet. esse obiectum proprium spei, quia spes attingit Deum innitens eius auxilio ad consequēdum bonum speratum: & cum effectus debeat esse causæ proportionatus, bonum quod principaliter à Deo sperare debemus est bonum infinitum, quod proportionatur virtuti Dei adiuuantis: nam virtutis infinitæ proprium est ad infinitum bonum perducere: hoc autem bonum est vita æterna, quæ in fruitione ipsius Dei consistit. Non enim minus aliquid ab eo sperandum est, quam sit ipse: cum non sit minor eius bonitas, per quam bona creaturæ communicat, quam eius essentia: & ideo proprium & principale obiectum spei est beatitudo. Hæc ibi S. D. & *in art. 4. eiusdem q.* ait, spem duo respicere scil. bonum quod quis obtinere intendit, & auxilium per quod illud bonum obtinetur: & bonum quidem obtinendum esse beatitudinem: diuinum autem auxilium esse causam primam inducentem ad beatitudinem. Et

Controuersia Vnica.

De veritate primæ conclusionis. An scilicet in Christo fuerit virtus spei?

Sententia Doctorum. SVAR. *in com. tria* dicit. *Primum* est, necessarium esse in Christo habitum infusum, à quo eliciatur actus expectandi & desiderandi gloriam corporis. *Secundum* est: ab vno & eodem habitu elici plures actus circa Deum, vt est bonum nostrum à nobis amabile amore concupiscentiæ, quo amamus nostram supernaturalem beatitudinem: hi vero actus sunt amor, desiderium, spes & delectatio seu gaudium, & ab hoc eodem habitu (inquit Suarez) manat etiam actus expectandi & desiderandi gloriam corporis: & hic habitus pro vt est in via, dicitur spes denominatione sumpta ab actu difficiliori & maxime arduo & necessario viatori: Et licet hic habitus prout connotat imperfectionem spei, non maneat in beatis: tamen prout potest esse principium amandi, & consequenter etiam fruendi propria beatitudine supernaturali: manere potest. *Tertium* est: hoc modo intelligendum esse virtutem spei non manere in beatis, seu nō fuisse in Christo, scilicet quo ad imperfectionem quam connotat. Et hoc etiam modo intelligi posse quod D. Thomas *infra art. 9. ad 1.* dicit: In Christo non fuisse spem, quo ad defectum: fuisse tamen quicquid est perfectionis in spe. Denique cum ait hic S. D. spem non fuisse in Christo, hoc verum est (inquit) de primario actu spei, & de ha-

Naz. in D. Thom. 3. partem.

in art. 5. ait ſpem habere rationem virtutis ex hoc, A quod attingit ſupernaturalem regulam humanorum actuum, quam attingit & vt primam cauſam efficientem, inquantum eius auxilio innititur, & vt vltimam cauſam finalem, inquantum in eius fruitione beatitudinê expectat. Ex quo patet, principale obiectũ ſpei quatenus virtus eſt, eſſe Deũ: atq; ideo ſpem virtutem eſſe Theologicam, vt ibi deducit S.D. Vbi Cai. aduertit, ſpem ad amorem concupiſcentiæ pertinere, & reſpicere Deum immediate, tam vt primum efficiens, quam vt vltimum finem, quod ibi probat erudite contra Durandum. *Præterea notandum* eſt ex eodem S. D. 1. 2. *q.* 67. *a.* 3. ſpem non poſſe manere poſt mortem in ſtatu gloriæ: quoniam id quod ex ſui ratione im- B portat imperfectionem, non poteſt ſimul ſtare cũ ſubiecto oppoſita perfectione perfecto, ſicut motus qui in ſua ratione importat imperfectionem ſubiecti: cũ ſit actus exiſtentis in potentia in quantum huiuſmodi, quando illa potentia reducitur ad actum, ceſſat motus: quia quod factum eſt album, iam nõ dealbatur: ſpes autem importat motum quendam in id, quod non habetur: & ideo quando habetur id quod ſperatur, ſcilicet diuina fruitio, iam ſpes eſſe non poterit. Hæc ibi S. Tho. & *in a.* 5. probat nihil ſpei, quod ſit idem numero vel ſpecie cum ipſa ſpe, remanere in patria: ſed ſolum idem genere. Eandem doctrinam habet S.D. *in hoc a. Denique notandum eſt* ex D. Thom. 12. *qu.* 40. *a.* 8. *ad primum*, & *q.* 45. *art.* 4. *ad ſecundum*, & ex D. C Bon. *in* 3. *diſt.* 33. *q.* 8. & Alb. *ibid. a.* 12. ſpem neceſſario poſtulare, vt bonum per eam ſperatum ita ſit arduum, vt excedat communem ſtatum & non poſſit obtineri, ſine impedimento: cuius ratio eſt: quia ſpes eſt in iraſcibili, cuius natiua proprietas eſt tendere ad ſuperanda contraria vt ſuperemineat eis: & ideo requirit obiectum, quod habeat cõtrarium impediens eius conſecutionem. Cum igitur effectus habens in ſubiecto cauſam infallibilem, ex qua ſequatur, non habeat tale contrariũ impediens, non erit arduum: & ob hanc cauſam gloria corporis non cadit ſub ſpe in eo, qui habet gloriam animæ, ad quã infallibiliter ſtatuto tempore cõſequetur, & quæ non admittit oppoſitum ſufficienter potens impedire eius ſequelam.

Oſtenditur ex prædictis Vaſq. male aſſignaſſe obiectũ formale ſpei, & explicatur eiuſdem virtutis obiectum ex doctrina D. Thomæ.

D *Ex his ſequitur primo* Vaſq. male aſſignaſſe obiectum formale ſpei dicendo difficultatem, quæ eſt de ratione obiecti ſpei, non in eo poſitam eſſe, vt aliquid per labores & paſſiones conquirendum ſperemus: ſed in eo vt ab alio illud ſperemus: eo quod hoc ipſo, quod in alterius poſitum eſt libertate, arduum cenſeatur vt ſperari poſſit. Quæ doctrina falſa eſt: quamuis enim ratio boni ardui, q̃ eſt obiectum formale ſpei, requirat vt ex alterius dependeat voluntate, vt patet in allegata doctrina D. Tho. Hoc tamen ſolo non conſtituitur obiectum formale ſpei, quod eſt bonũ arduum poſſibile adipiſci: alioquin in beatis eſſet ſpes: cum à Deo expectent gaudia accidentalia & auxilia pro futuris actionibus, & aliorum beatitudinem: quæ E omnia ſunt illis futura & pendent ex diuina voluntate: Ad conſtituendum igitur obiectum prædictum formale ſpei requiritur primo, vt bonum quod appetitur excedat communem ſtatum, & non poſſit obtineri ſine impedimento. Secundo vt illud bonum ſit beatitudo propria: principaliter quidem obiectiua, ſecundario autem formalis, quatenus ſcilicet eſt aſſecutio obiectiuæ: aliis vero beatitudo non per ſpem, ſed per charitatem deſideratur abſolute loquendo, vt ait S. D. *in* 2. 2. *quæſt.* 17 *art.* 3. Poſtremo requiritur, vt ratio boni ſit futura: & quia vnio partium humanitatis Chriſti neque erat beatitudo, neque ad animæ beatitudinem vt futuram ordinabatur ſed vt præſentem, ideo ſpei quæ virtus eſt Theologica obiectum eſſe non potuit, ſicut neque continuatio incarnationis, quæ menſuratur æternitate vel Æuo: atque ideo non habet ſecundum ſe rationem futuri, ad eãdem virtutem vt eius obiectum primarium, aut ſecundarium minime pertinebat. Vnde S. D. *in* 1. 2 *q.* 67. *a.* 4. *ad* 2. & 3. ait gloriam ſanctorum continuatam nõ eſſe obiectum ſpei: quia eſt abſque ſucceſſione ſecundum quandam æternitatis participationem, in qua non eſt præteritum & futurum ſed ſolum præſens. Et *ibidem ad tertium* ait in animabus ſanctorum reſpectu gloriæ corporis poſſe quidem eſſe deſiderium: non tamen ſpem proprie loquendo, neque ſecundum quod ſpes eſt virtus Theologica, cuius obiectum eſt Deus, non autem aliquod bonum creatum: neq; ſecundum quod ſpes communiter ſumitur: quia obiectum ſpei eſt arduum: bonum autem, cuius iam ineuitabilem cauſam habemus, non comparatur ad nos in ratione ardui: Vnde (inquit) non proprie dicitur aliquis, qui habet argentũm, ſperare ſe habiturum aliquid, quod ſtatim in poteſtate eius eſt, vt emat: ſimiliter ergo qui habent gloriam animæ, non proprie dicũtur ſperare gloriam corporis ſed ſolum deſiderant.

Secundo ſequitur ex dictis intelligentia dictorum D. Thom. *de Virtutibus, q.* 4. *a.* 7. Ex quibus illud præcipuum eſt: videlicet ſpei ſecundum quod eſt virtus Theologica, obiectum formale eſſe auxilium diuinum, cui inhæretur: intelligendum eſt enim de auxilio diuino vt adiuuante ad conſequendam beatitudinem, quod idem eſt ac ſi diceretur obiectum formale ſpei eſſe beatitudinem eſſentialem animæ, vt aſſequendam per auxilium Dei. Vnde S.D. *infra a.* 6. *ad* 1. ait ſpem, ſecundum quod eſt virtus, reſpicere non ſolum auctorem boni ſed etiam ipſum bonum, inquãtum eſt non habitum, quod etiam affirmat *in* 2. 2. *q.* 17. *a.* 2. 4. 5. & 6. *ad* 3. & *q.* 18 *a.* 2.

Probatur cõtra Vaſq. actus ſperãdi & deſiderandi Deũ in via ex amore noſtro, & delectationem & gaudiũ de adeptione Dei eſſe actus ſecundum ſubſtãtiam ſupernaturales.

Secundo *principaliter ſciendum eſt*, actus ſperandi & deſiderandi Deum in via ex amore noſtro, & delectationem vel gaudium in patria de adoptione Dei eſſe actus ſecundum ſubſtantiam ſupernaturales. Cuius oppoſitum abſque ſolido fundamento docet Vaſq. Et probatur primo de actu deſiderii: quia *prima Cor.* 2. & *Iſaiæ* 64. dicitur. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcẽdit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum*, & addit Apoſtolus: *Nobis reuelauit Deus per Spiritum ſuum.* Quæ verba exponens ibi Cai. ait: *Cor pro voluntate in ſacra ſcriptura ponitur, & ſignificatur, quod excedit omne deſiderabile voluntate hominis.* Et Rom. 8. dicitur: *Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus: quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis.* Quæ verba exponens ibi S.D. ait, ſpiritum deſiderare: quia deſiderare nos facit. *Secundo* probatur: quia eſurire & ſitire, ideſt deſiderare iuſtitiam eſt deſiderare bonum proprium: at hoc deſiderium eſt actus ſupernaturalis: quia *Matth.* 5. eſt vna ex beatitudinibus: vt autem ait S.D. *in* 1. 2. *q.* 69. *a.* 1. beatitudines ſunt actus donorum, ad quæ mouet Spiritus S. ac proinde ſunt actus ſupernaturales. *Tertio* probatur: quia in Concilio Arauſ. *can.* 6. definitur, nõ ex nobis ſed ex gratia Dei fieri, vt deſideremus veniam peccatorum: ſed hæc eſt bonum nobis vtile ad beatitudinem: ergo non omnia huiuſmodi bona poſſumus ex naturalibus deſiderare. Confirmatur: nam ad iuſtificationem concurrit deſideriũ, quo quis tendit ad iuſtitiã, vt ait S.D. 1. 2. *q.* 113. *a* 5. Nomine vero iuſtitiæ intelligitur iuſtificatio, q̃ eſt bonum noſtrũ, vt ibi notat Conradus: at hoc deſideriũ eſt ſupernaturale & ex gratia Dei: ergo ſimili-

similiter desiderium Dei erit actus supernaturalis. A Et quis audeat viribus naturæ tribuere, quod dicitur *Psalm.*41. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* Et quod ait Apost. *ad Philip. primo: Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*? Quarto probatur idem: quia expectatio gloriæ corporis est actus supernaturalis, vt etiam fatetur Vasquez: quia scilicet sit respectu boni nostri: expectatur tamen ex diuino auxilio supernaturali. Sed qui desiderat beatitudinem essentialem ex amore sui, desiderat aliquod obiectum supernaturale, prout est bonũ suum, & saltem in actu exercito desiderat illud ex auxilio diuino: alioquin peccaret si auxilium diuinum excluderet à tali desiderio: ergo actus quibus fideles Deum desiderant, sunt supernaturales. *Vide* etiam ea, quę diximus 1. *p. q.* 1. 2. *a* 1. *in secunda Contr.* B

Deinde probatur etiam gaudiũ de adepta beatitudine esse actum secundum suam substantiam supernaturalem. Primo: quia tale gaudium de præsentia Dei est fructus Spiritus S. vt patet ex Apost. *ad Gal.* 5. & explicat ibi S. D. & *in* 1. 2. *q.* 70. *a.* 2. at fructus Spiritus S. est actus secundum substantiam supernaturalis: ergo. Præterea eiusdem rationis sunt amor alicuius boni, & desideriũ illius cum est absens, & gaudium illius cum est præsens, vt ait S. D. *in* 2. 2. *q.* 29. *a.* 4. *&* *q.* 51. *ar.* 2. Sed amor Dei, vt obiectum est beatificum, est supernaturalis: quia est actus charitatis: ergo etiam desiderium illius absentis, & gaudium de illo præsente sunt actus supernaturales. Tertio: Eiusdem rationis est desiderare, vel gaudere de aliquo bono, & timere contrarium illius: & sicut naturale nobis est desiderare bona nobis vtilia & delectabilia, & gaudere de illorum præsentia, ita nobis est naturale timere mala contraria: & ideo nulla ponitur virtus, aut habitus ad timendum mala nobis naturaliter contraria, vel ad dolẽdum de illis: sed hoc non obstante timor inferni est supernaturalis qui non habetur ex viribus naturæ: sed ex inspiratione Spiritus S. vt definit Concil. Trid. *sess.* 6. .5. *&* 6. nam *in cap.* 5. docet dispositionem ad nostram iustificationem haberi per gratiam Dei, & *cap.* 6. declarat timorem, quo homines se esse peccatores intelligentes à diuinæ iustitiæ timore concutiuntur, esse dispositionem ad iustitiam. D Quarto probatur idem: quoniam actus, qui versantur circa obiectum supernaturale formaliter, sunt supernaturales; at prædicti omnes actus versantur circa obiectum supernaturale formaliter, quod est Deus clare visus, qua ratione est hominis beatitudo obiectiua: ergo. Denique probatur idem: Quia amor charitatis, quo amamus nos & proximos, est omnino supernaturalis: ergo etiam est supernaturale desiderium, quo volumus nobis Deum & beatitudinem supernaturalem, & gaudium quo gaudemus de illius adoptione. Probatur sequela: quia omnis amor amicitiæ, qualis est actus charitatis, includit amorem concupiscẽtiæ, quo amico desideramus bona non habita, & includit gaudium de bonis quæ habet, vt ait S. D. E *in* 1. 2. *q.* 26. *a* 4. & explicat ibi Cai. Quod autem inter bona, quæ per supernaturalem amicitiam proximo desideramus, & de quorum adeptione gaudemus, computetur beatitudo, docet S. Tho. 1. *p. q.* 60. *a* 5. *ad* 4. *&* 2. 2. *q.* 25. *a.* 2. *& de Virtutibus, q.* 2. *a.* 3 *ad.* 17. *&* *art* 7. de quo plura diximus *in* 1. *parte, q.* 60. *art.* 3.

Actus desiderãdi Deum in via ex amore, quo nos ipsos amamus, &

TERTIO *principaliter aduertendum est*, actus desiderandi Deum in via ex amore, quo nos ipsos amamus, & delectationem vel gaudium in patria de adeptione Dei non posse esse elicitos à virtute spei. Ad cuius euidentiam scito, beatitudinem supernaturalem sub triplici ratione posse esse obiectum amoris, desiderii & gaudii. *Prima* est quatenus absolute est bonum nostrum & proximorũ: & ita terminat actus charitatis, scil. amorem, desiderium & gaudium de illa à nobis, vel à proximis habita vel habenda, vt ait S. D. *in* 2. 2. *q.* 26. *a.* 3. *ad* 3. *&* *in* 3. *dist.* 27. *q.* 1. *ar.* 1. & Cai. *in* 2. 2. *q.* 28. *a.* 1. *&* *q.* 35. *a.* 1. & Cap. *in* 3. *dist.* 27. *q.* 1. *concl.* 4. & ratione probatur: nam si quis nollet sibi vel proximis bona supernaturalia, vt sunt bona sua vel proximorum, non peccaret peccato opposito spei: sed peccato odii contra se vel proximum, nisi forte sibi nollet beatitudinem propter maius obsequium Dei, vt fecerunt Moyses *Exod.*32. & Paulus *Rom.* 8. Et si quis tristaretur de bono diuino, vt à se participato peccaret peccato accidiæ, vt explicat Cai. 2. 2. *q.* 35. *a.* 1. & si tristaretur de bono diuino vt participato à proximo, peccaret peccato inuidiæ opposito charitati: Igitur hæc bona desiderare, & de illorum adeptione gaudere, quatenus sunt bona nostra, actus est charitatis: non autem spei. *Secundo* consideratur beatitudo, quatenus præsens & habita: & secundum hanc rationem gaudium de illa non est actus spei: quia nullus est actus elicitus ab aliqua virtute, nisi attingat obiectum formale & specificatiuum illius: at gaudium de beatitudine habita non potest attingere obiectum formale & specificatiuum spei: ergo. Maior patet. Minor probatur: quia in patria beatitudo non est futura neque ardua: cum habeatur Deus præsens & clare visus: ergo ibi non est obiectum spei: ergo. *Tertio* consideratur beatitudo vt bonum arduum & futurum, & gaudium de illa sub hac ratione considerata pertinet ad spem, quatenus certa expectatio illius ex auxilio diuino causat gaudium dicente Apost. *Rom.* 12. *Spe gaudentes*: quod explicat ibi S. D. 2. 2. *q.* 28. *a.* 1. *ad* 3. Et multo potiori ratione desiderium beatitudinis hoc modo cõsideratæ actus est spei; quia proprium est spei tendere in beatitudinem, vt summum bonum futurum & arduum, de quo videndus est S. D. *in* 1. 2. *q.* 40. *a* 1. Nec tamen amittitur spes per contrarium desiderium, quo scil. quis desiderat non habere supernaturalem beatitudinem: quia tale desiderium non contrariatur spei ratione obiecti eius formalis: quia non est diffidentia de sufficientia auxilii diuini: & ideo non corrumpit illam: sicut blasphemia, licet contrarietur actui fidei scilicet confessioni: non tamen fidei habitum destruit: quia non tollit rationem formalem obiecti fidei: & præsumptio qua quis existens in peccato, & volens in eo perseuerare expectat ex diuina misericordia beatitudinem, cõtrariatur spei; nec tamen illam destruit: quia non tollit rationem eius formalem obiectiuam.

gaudium in patria de adeptione Dei nõ posse esse elicitos à virtute spei.

QUARTO *principaliter Notandum est* ex D. Tho. *in* 4. *dist.* 49. *q.* 4. *a.* 4. *q.* 1. *in c. & ad* 3. in beatis fruitionem, quæ est vna ex tribus animæ dotibus, non esse habitum distinctum à visione & dilectione: sed importare remotionem impedimẽtorum &c. Sicut igitur in via per eundem habitum tendimus ad gloriam animæ, & ad gloriam corporis sub eadem ratione, vt patet ex dictis: (Nam sicut animæ gloria respectu viatoris est futura & ardua: ita & gloria corporis, quæ ad illam consequitur) sic animæ beatorum in patria eodem habitu fruitionis tendunt ad gloriam animæ, vt facilem & præsentem, & ad gloriam corporis sub eadem ratione: expectatur enim vt infallibiliter consequẽs ad gloriam animæ præsentem: & ideo attingitur & ipsa sub ratione præsentis & facilis. Et confirmatur: quia in patria per charitatem volumus nobis gloriam animæ & corporis: ergo per eandem

Beatorum animas in patria per habitum charitatis, & datem fruitionis appetere gloriam corporis, & ex eodem habitu, & fruitione appetitam fuisse à Christo viatore.

vt rationem ac nomen induit fruitionis, gaudebimus de illa & desiderabimus, quidquid futurum fuerit ad eius pertinens complementum. Probatur consequentia: quia S.D. *in* 2.2.*q.*28.*art.* 4. docet eundem esse habitum virtutis & caritatis, qui inclinat ad diligendum, & ad desiderandum bonum dilectum, & ad gaudendum de illo: & ideo S.D. *in* 2.2.*q.*18.*art.*2.*ad* 1. ait Christum, qui simul erat comprehensor & viator, gloriam impassibilitatis & immortalitatis sperare potuisse: non tamen ita, vt haberet virtutem spei, quę non respicit gloriam corporis, vt obiectum principale, sed potius fruitionem diuinā. *Sed fortasse* dices cum Vasq. expectationem gloriæ corporis in Christo, dum esset adhuc passibilis: & nunc in animabus beatorum non elici ex aliquo habitu, sed ex solo diuino auxilio interius operante. *Cuius responsionis* falsitas patet ex absurdo ad eam manifeste consequente: ex ea namque sequitur nos viatores suauius, perfectius & connaturalius elicere actum desiderii gloriæ corporis, quam Christus & animę beatorum; quia supernaturales actus, quale est hoc desiderium, suauius, perfectius & connaturalius eliciuntur ab habitu, per quem nos illud elicimus, quā ab auxilio solo diuino, per quod affirmat Vasq. Christum & beatos illud elicere.

Vasquezii responsio cōfutatur.

Instit. *Dices* desiderium hoc elici saltem à voluntate affecta actu fruitionis, quo beatus Deo fruitur clare viso: eo quod voluntas hoc actu melius disponatur ad eliciendum illud desiderium, quam per spem. Quem dicendi modum Suar. attribuit Caietano: *sed hic etiam* facile confutatur. Quia voluntas beati affecta supernaturali actu amoris Dei non potest elicere sine habitu charitatis amorem proximi: nec sine habitu religionis supernaturalis actualem cultum supernaturalem Dei: neque anima Christi, aut aliæ animæ beatæ per visionē beatificam eleuatæ possunt sine habitu scientiæ infusę, vel alio lumine supernaturali habere cognitionem supernaturalem eorum, quæ à Deo illis manifestantur: quia actus non dat suæ potentiæ facultatem sufficientem eliciendi alium actum supernaturalem, nisi habitu mediante: ergo eadem ratione voluntas Christi non erat, neque est potens elicere tale desiderium supernaturale per solum fruitionis actum absque habitu supernaturali. Relinquitur igitur vt hic actus ex habitu charitatis, & dote fruitionis eliciatur: quæ videtur etiam esse sententia Cai. distinguit enim dicens habitum dici posse Theologicum dupliciter: *Vno modo* ex parte elicitiui principii: *Alio modo* ex parte principalis obiecti: qua præmissa distinctione duo dicit. Primū est: licet actualis illa expectatio gloriæ corporis ex parte elicitiui principii non sit de facto actus Theologicus, esse tamen quantum sit ex suo genere actum virtutis Theologicæ. *Secundū* est expectationem illam ex parte obiecti formaliter esse magis Theologicum actum, quam si esset à virtute Theologica: quoniam si esset à virtute Theologica, scilicet spe, obiectum formale esset Deus habendus: in Christo autem sicut & in animabus beatorum ratio formalis obiecti est Deus habitus: hæc enim (inquit) ratio formalis succedit in Christo & beatis sperato principali, quod est obiectum formale spei: atque ideo actum secundarium speiremanentem, scilicet expectationem gloriæ corporis magis Theologicum reddit: constat autem animā Christi passibilis & animas beatorum in Deum vt habitū, ferri per actum ex habitu charitatis & dote fruitionis elicitum: igitur ex eodem habitu elicitum fuit à Christo, & nūc elicitur à beatis desiderium gloriæ corporis in ordine ad Deum habitū. Ex quo deducit Cai. hunc actum esse magis in Christo, & in beatis Theologicum, quam in viatoribus: sicut etiam respectu ipsarum animarū Deus habitus est obiectum magis Theologicum, id est perfectiorem habens rationem Theologicā perficientem, & specificantē habitum & actum, quam Deus habendus vt sic.

Solut.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *In Christo non fuit virtus spei, neq; modo est in beatis.* Hæc conclusio est S.D. in Textu. Vbi etiam optima ratione probatur: Cuius vis apparet ex iis, quæ breuiter scribunt Caiet. Med. & Aluar. *super hoc art.* & ex fundamentis supra positis: tota tamē vis probationis in eo consistit, quod deficiente ratione formali actus & habitus Theologici, deficit quoque actus & habitus Theologicus: hic autem deficit ratio formalis actus & habitus Theologici: quia hic non est Deus non habitus: Christus enim vt homo ab initio suæ conceptionis Deo clare viso fruebatur: ergo.

SECVNDA CONCL. *Actus desiderandi Deum in via ex amore, quo nos ipsos diligimus, & delectatio vel gaudiū in patria de adeptione Dei sunt actus secundum substantiam suam supernaturales.* Hæc conclusio patet ex secundo fundamento.

TERTIA CONCL. *Actus prædicti in patria non sunt eliciti à virtute spei formaliter, aut materialiter sumpta: neque à solo auxilio diuino, sed ab habitu charitatis & à dote fruitionis.* Hæc conclusio quo ad singulas suas partes probationes habet sufficiētes ex duobus vltimis fundamentis.

VLTIMA CONCL. *desiderium gloriæ corporis in Christo, cum existeret in carne passibili, & nunc in beatis animabus non erat, neq; est spei Theologicæ formaliter, aut materialiter sumptæ, neq; solius auxilij actualis: sed charitatis & fruitionis, quæ est vna ex tribus dotibus animæ Deum videntis* Hæc patet ex dictis.

Argumēta, & solutiones.

CONTRA primam concl. sunt argum. quæ proponit & soluit S.D. *hic & locis supra notatis, videlicet* 1.2.*q.*3.*a.*3 *&* 5. *&* 2.2.*q.*18.*a.*2. *& de virtutibus q.* 4. *a.*4. *& alibi.*

Ob. 1. *cont.* 1. *concl.*

Contra eandem conclusionem sunt hæc argumenta. *Primum* est: quia diuina scriptura pluries spem tribuit Christo. Nam *Psal.*21. Christus Deo loquens ait: *Spes mea ab vberibus matris meæ.* Et Psal. 7. *Domine Deus meus in te speraui.* Et Psal 30. *In te Domine speraui.* Confirmatur: quia Irenæus *libro* 2. *cap.* 47. *& lib.*4. *c.* 25. Et Tertullianus *lib. de patientia cap.* 12. affirmant in beatis manere spem. *Resp.* loca scripturæ intelligenda esse de desiderio seu expectatione, quæ est actus charitatis & fruitionis, vel de expectatione membrorum Christi, in quibus est spes: quamuis enim antecedentia vel subsequentia de Christo loquantur: sæpe tamen in scriptura fit transitus à capite ad membra, & è contra vt notat Augustinus ex regulis cuiusdam Ticonii hæretici. Irenæus autem & Tertullianus nomine spei intelligunt actus charitatis & fruitionis in ordine ad gloriam animæ præsentem.

Conf.

Solut.

Ob. 2.

Secundum est: Christus ante resurrectionē expectabat vnionem Deitatis cū tota humanitate: sed hic erat actus virtutis Theologicæ, & habebat obiectum formale spei: ergo. Minor probatur: nā illa expectatio terminabatur ad vnionem personalē cum Deo, quæ est maior quā vnio essentiæ diuinæ in ratione speciei cū intellectu creato: & erat bonū arduum quia expectabatur à volūtate Dei: Dicitur aūt arduum illud, q̄ ex alterius volūtate dependet, non aūt quod per labores obtinetur, qua ratione auxiliū actuale Dei arduum est, licet sine nostro labore obtineatur. *Resp.* falsam esse minorē. Ad eius probationem dico primo obiectum spei primarium esse beatitudinem: secundarium autē id quod ordinatur ad beatitudinē. Secundo vnionem illam post mortem Christi non habuisse rationem

Solut.

tionem ardui: quia illi debebatur ex merito. Tertio dico ad rationem ardui non sufficere, vt ex alterius pendeat voluntate, vt supra diximus. Quarto dico, auxilium Dei non esse obiectum spei, nisi quatenus ordinatur ad acquirendam essentialem animæ beatitudinem.

Obi. cont. 2. concl. CONTRA *secundam* concl. argument. Vasq. Amare nobis quodcumque genus boni commodi & delectabilis, vt bonum nostrum est, & de illo adepto delectari siue frui nō est supra naturam nostram sed nobis maxime naturale. Et *confirmatur*: quia in actu spei ratio supernaturalis, non prouenit ex eo quod speramus, sed ex eo à quo speramus: cum enim speramus à Deo aliquid supernaturaliter consequi spes illa supernaturalis est, qualis ea est qua speramus gloriam corporis & animę: ergo. *Resp.* falsum esse antec. nam ad amanda, desideranda & speranda bona supernaturalia, quæ facultatem nostram exuperant naturalem, & ad gaudendum de eorum adeptione necessaria est specialis virtus supernaturalis, scilicet charitas, vt probat S. D. 2.2. *q.* 25. *a.* 2. constat autem beatitudinem animæ & gloriam corporis esse bona supernaturalia: ideo &c. Et ex his etiam soluitur confirmatio: falsum est enim antecedens.

Conf. *Solut.* *ad conf.*

Cont. 1. concl ob. 1. CONTRA *tertiam* concl. quo ad primam & vltimam eius partem argum. Suar. quia licet charitas possit sub propria ratione beneuolentiæ Dei in se ipso amare illa bona, & etiam imperare vel referre omnem alium amorem ad Deum, tamen elicere proprium amorem concupiscentiæ & alios actus, qui cum illo connexi sunt non potest: ergo. Probatur antecedens: quia differunt isti amores essentialiter: cum habeant diuersa motiua, honestates & difficultates diuersarum rationum. *Et confirmatur*: quia S. D. *hic ad tertium* ait sperare aliquid bona, scilicet propter eorum beneuolentiam, nō pertinere ad virtutem spei: sed ad aliam, quæ non potest esse, nisi charitas. *Resp.* falsum esse anteced. quia, vt supra & alibi diximus cum D. Thom. & Cai. omnis amor amicitiæ annexum habet amorem concupiscentiæ: & amor quo nosipsos amamus, claudit in se formaliter amorem concupiscentiæ, & vnus habitus charitatis omnes dictorum actuum licet ratione diuersas, continet honestates, nec habent difficultates adeo diuersas, vt vno tolli nequeant habitu charitatis. Et huic responsioni fauet etiam dictum S. D. *ad tertium*.

Conf. *Solut.*

Obi. 2. *Contra eandem* concl. quo ad vltimam partem argumentatur Vasquez: quia solus habitus cum potentia est principium eliciens alicuius actus: vnus autem actus nō est principium eliciens connaturale alterius actus supernaturalis: at fruitio Dei non est habitus sed actus: ergo. *Resp.* falsam esse minorem: quia fruitio accepta pro dote animæ non est actus secundus: sed habitus, vt patet ex D. Thom. *in* 4. *d. dist.* 49. *q.* 4 *a.* 4.

Solut.

Obi. 3. *Contra eandem* concl. est hoc argument. Actus quo Christus amore concupiscentiæ amabat sibi Deum, & gaudebat de illo habito & viso, vt erat bonus ipsi animæ Christi, erat actus spei; ergo. Probatur antecedens. Nam, vt ait S. D. *in* 2.2. *q.* 28. *a.* 1. *ad* 3. gaudium de bono diuino, vt participatur à nobis, est actus spei. *Et confirmatur*: quia non est actus charitatis, cum non feratur in bonum diuinum propter se & secundum se consideratum, sed vt participatum à me, quæ est alia ratio obiecti: ergo est actus spei: quia non est alia virtus à qua eliciatur. *Resp.* falsum est antec. Ad probationem dico D. Thom. loqui de bono diuino, vt participato à nobis in spe: sic enim ex ipsa spe sequitur gaudium & delectatio: nam quod speramus, habemus secundum quid, scilicet in spe: licet simpliciter nō habeamus, & de illo vt sic habito gaudemus. *Ad confirm.* dico ea probari actum illum nō elici à charitate, nisi vt habet rationem fruitionis, sub qua ratione respicit bonum diuinum, vt præsens.

Conf. *Conf.* *Solut.*

CONTRA *vltimam* concl. argum. Vasq. *Primo*: quia Christus desiderauit gloriam sui corporis à Deo obtinere, & credidit illam se obtenturum: ergo habuit circa illam actum spei & non tantum desiderij. Antecedens patet. Consequentia vero probatur: quia ratio ardui, quæ requiritur ad spē, non fuit in eo posita, vt eam gloriam magno cum labore esset consecuturus, nempe merito passionis, sed quod ab alio, nempe à Deo humanitas Christi eam esset obtentura. *Resp.* nullam esse consequentiam: quia obiectum spei est beatitudo animæ obtinenda auxilio diuino, vel aliquid in ordine ad illam vt futuram: Christus autem non desiderabat gloriam corporis in ordine ad gloriam animę, vt futuram sed vt præsentem: & ideo talis actus nō erat spei sed fruitionis. Ad probationem negatur assumptum: & ratio supra fuit assignata ex doctrina S. Thomæ. Secundo dico gloriam corporis in Christo existente in carne possibili non habuisse rationem ardui: quia continebatur infallibiliter in gloria animæ, vt suo tempore ex ea resultaret: non est autem arduum, quod habetur in causa infallibili. *Sed aduersus hanc* respons. sunt duo argumenta. *Primum* est: quia licet gloria corporis contineatur in gloria animæ beatificatæ simpliciter, & vt est forma corporis: non tamen continetur in gloria animæ beatificatæ solum in ordine ad Deum, & nō in ordine ad corpus: sed anima Christi ante resurrectionem solum fuit beatificata in ordine ad Deum, vt ait S. D *de ver. q.* 29. *ar.* 6. *ad* 4. *Et in* 3. *dist.* 8. *q.* 1. *a.* 2 *q.* 2. ergo. *Secundum est*: Christus meruit gloriam corporis: ergo non habuit illam infallibiliter in gloria animę. Probatur consequentia: quia meritum non est respectu illorum, quæ infallibiliter habentur in sua radice, sicut licet quis habeat gratiam, non meretur virtutes infusas, quæ ad illam infallibiliter consequuntur: quia meritum vt ait S. D. *de ver. loco supra notato in* 4. *argum.* est respectu præmii quod redditur ex alterius voluntate, quasi merces: quod autem naturali & infallibili sequela sequitur ad bonum iam habitum, non expectatur vt merces reddenda ex alterius voluntate; ergo. *Ad primum r sp.* nullam esse consequentiam, quoniam, vt ait S. D. *infra q.* 19. *a.* 1. *ad* 2. *& q.* 45. *a.* 2. licet anima Christi ante passionem non fuerit glorificata, vt forma corporis: tamen secūdum naturalem habitudinem, quæ est inter animam, & corpus, ex gloria animæ redundat gloria ad corpus: sed hæc naturalis habitudo (ait S. D.) in Christo subiacebat voluntati diuinitatis ipsius: ex qua factum est, vt beatitudo remaneret in anima & non deriuaretur ad corpus: sed caro pateretur &c. Non est autem arduum id, quod quis pro libito potest consequi tollendo impedimenta, vel quod ad tempus tantum ex diuina dispensatione habet impedimentum infallibiliter statuto tempore remouendum. Secundo dico, nullam esse consequentiam: quia gloria corporis non expectabatur in ordine ad gloriam animæ futuram sed præsentem: & ideo dato quod esset ardua, non pertinebat ad obiectum spei. *Ad secundum* resp. nullam esse consequ. Ad eius probationem respondetur cum D. Tho. *infra q.* 19. *a.* 3. *ad* 3. assumptum nō esse verum: quando ea, quæ continentur in alio, sequuntur ex eo non absolute, sed ex diuina ordinatione secundum congruentiam humanorum meritorum: in proposito autem, vt ait ibi S. Doct. sicut homo meretur per actum animæ, quem exercet

Ob. 1 cont. vlt. concl. *Solut.* *Replica. 1.* *Repl. 2.* *Solutio prioris replicæ.* *Sol posteriorr replicæ.*

ercet in corpore, ita etiam conuenit vt remuneretur per gloriam animæ redundantis ad corpus: & ideo non solum gloria animæ: sed etiam gloria corporis cadit sub merito: In Christo autem licet gloria animæ non ceciderit sub merito, erat tamē ex suo genere materia meriti simul cū gloria corporis ad eam consequente: ideo congrue factum est, vt impedita ex diuina dispensatione redundātia gloriæ animæ in corpus, eam redundantiam Christus suis actionibus mereretur. Neque tamē negandum est, gloriam corporis naturali sequela ex animæ gloria deriuari: id enim affirmat Aug. *in epist.* 56. D. Thom. *infra q.* 14. *a.* 1. *ad* 2. & Cai. *infra q.* 45. *a.* 2. & Astur. *in sua Relect. de Christi gratia, q* 5. *pag* 540. Sed cum hoc stat, vtramque gloriam scilicet animæ & corporis cadere sub meritum, vt in puris hominibus: ac per hoc gloriam animæ ad corpus ex diuina ordinatione secundū congruētiam humanorum meritorum deriuari: quia iuxta quantitatem meritorum est quantitas gloriæ animæ & consequenter etiam gloriæ corporis: & similiter stat gloriam corporis in Christo ad tempus impeditam ex diuina ordinatione ad corpus deriuari secundum congruentiam meritorū, quæ ad illius assecutionem ordinabantur, ita vt duplici titulo gloria corporis Christo deberetur, scilicet ex gloria animæ naturaliter in corpus redundante, & ex meritis ad eam vt præmiū ordinatis.

humanitatem Christi nunquam deseruit, ex cuius diuinitate procedit.

Ad tertium dicendum, quod in Christo non solum fuit cognitio patriæ, sed etiam cognitio viæ: vt infra dicetur. Et tamen etiam in patria sunt per aliquem modum dona Spiritus sancti, vt in Secunda parte dictum est.

Sensus quæsiti.

NOMEN & ratio *doni* declaratur in corpore.

Forma Textus.

CONCL. *est*: *In Christo fuerunt excellentissime dona.* Probatur: Quia dona proprie sunt perfectiones quædam potentiarum animæ, secundū quod sunt natæ moueri à Spiritu sancto: sed anima Christi perfectissime à Spiritu sancto mouebatur: ergo in Christo fuerunt excellētissime dona. Maior patet *ex* 1.2. *q.* 68. *ar.* 1. Minor probatur ex diuina scriptura *Luc.* 4.

Expositio Textus.

DE donis Spiritus S. late disserit S.D. *in* 1.2. *qu.* 68. & *ibidem* expositores: ac præsertim Med. qui pauca quædam hic annotauit ad huius articuli intelligentiam satis oportuna. Quib. alia quinque sunt addenda.

Primum est: Concl. in textu positam esse de fide: quod probatur primo ex sacris litteris Isaiæ 11. *Requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiæ & intellectus: spiritus consilij & fortitudinis* &c. & Zach. 3. *Super lapidem vnum septem oculi*, & Apoc. 5. *Et vidi, & ecce in medio throni, &c. agnum stantem, tanquam occisum habentem cornua septem, & oculos septem.* Quæ loca de Christo habente prædicta septē dona explicant Hieron. *ibidem.* Origenes *homil.* 6. *in Numeros.* Iren. *lib.* 3. *contra hæreses*, c. 10. Basil. *Isaiæ* 4. *lib. de sua fide.* Idem probat Greg. *lib.* 29. *mor. c.* 26. *vel* 30. ex illo dicto *Iob.* 38. *Nunquid coniungere valebis micantes stellas Pleiades &c.* Sed Vberius id probat Rupertus *lib. de operibus Spiritus sancti*, cuius scopus est ostēdere actus donorum omnium fuisse in Christo. Secundo probatur: quia dona Spiritus sancti sunt connexa inter se ratione caritatis, vt ait S.D. *in* 1.2. *q.* 68. *a.* 5. ergo sunt in omni habente charitatem; ergo perfectissime fuerunt in Christo. Tertio: quia singula dona ab Isaia enumerata maximam dicunt perfectionem: ergo fuerunt in Christo Quarto, quia in Christo fuit Spiritus S. secundum omnem plenitudinem suorum effectuum iuxta illud Luc. 4. *Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, & agebatur à spiritu in Desertum*: ergo habuit omnia dona Spiritus sancti. Consequentia probatur: Nam si non habuit omnia dona: potuit in eo esse maior plenitudo Spiritus sancti: imo non fuisset in eo tanta plenitudo, quanta fuit in cæteris sanctis, quibus datur Spiritus S. cum omnibus prædictis donis. Deniq; Verba illa *Isaiæ* 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini*, &c. de solo Christo possunt intelligi, & ita communiter ab omnibus sanctis Patribus exponuntur: igitur fidei dogma certissimum est in Christo fuisse, & esse septem illa dona Spiritus S.

Secundum est dona illa, quamuis in Christo fuerint excellentissime: fuisse tamen eiusdem rationis cum iis, quæ cæteris conferuntur hominibus: quod etiam ex eo patet: Quia tam in Christo, quā in nobis ex gratia manant habituali tanquam passiones illius: gratia vero habitualis nō est in Christo diuersæ rationis ab ea, quæ in nobis est, vt infra patebit, nec personæ dignitas specificam affert habitibus diuersitatem.

Tertium est, duplicē esse donorū Spiritus sancti ordi-

ARTICVLVS V.

Vtrum in Christo fuerint dona.

Isa. 11. *lib.* 2. AD *quintum sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerint dona. Sicut enim communiter dicitur, dona dantur in adiutorium virtutum. Sed id, quod est in se perfectum, non indiget exteriori auxilio. Cum igitur in Christo fuerint virtutes perfectæ, videtur, quod in eo non fuerint dona.*

Præterea: Non videtur esse eiusdem dare dona, & recipere: quia dare est habentis, accipere autem non habentis. Sed Christo conuenit dare dona: secundum illud Psalm. Dedit dona hominibus. Ergo Christo non conuenit accipere dona Spiritus sancti.

Præterea: Quatuor dona videntur pertinere ad cōtemplationem viæ scilicet sapientia, scientia, intellectus, & cōsilium, quod pertinet ad prudentiam: vnde & Philosophus in 6 Ethic. numerat ista inter virtutes intellectuales. Sed Christus habuit contemplationem patriæ. Ergo non habuit huiusmodi dona.

Sed contra est, quod dicitur Isa. 4. Apprehendent septem mulieres virum vnum. Gl. ßa, id est, septem dona Spiritus sancti Christum.

p. 2. *q.* 68. *art.* 1. *Respondeo dicendum, quod sicut in Secunda parte dictum est, dona proprie sunt perfectiones quædam Potentiarum animæ, secundum quod sunt natæ moueri à Spiritu sancto. Manifestum est autem, quod anima Christi perfectissime à Spiritu sancto mouebatur: secundum illud Luc. 4. Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, & agebatur à Spiritu in deserto. Vnde manifestum est, quod in Christo fuerunt excellentissime dona.*

Ad primum ergo dicendum, quod illud, quod est perfectum secundum ordinem suæ naturæ, indiget adiuuari ab eo, quod est altioris naturæ: sicut homo, quantuncunque perfectus indiget adiuuari à Deo. Et hoc modo virtutes, quæ perficiunt potentias animæ, secundum quod ducuntur ratione quantuncunque sint perfectæ, indigent adiuuari per dona, quæ perficiunt potentias animæ, secundum quod sunt

lib. 2. *c.* 41. *motæ à Spiritu sancto.*

Ad secundum dicendum, quod Christus non secundum idem est recipiens, & dans dona Spiritus sancti: sed dat, secundum quod Deus, & accipit, secundum quod homo. Vnde Greg. dicit in secundo Moral. quod Spiritus sanctus

ordinem, quædam enim sint quæ principaliter dicuntur dona: hæc autem sunt ea septem, quæ numerat Isaias, & de quibus agit S. D. *in* 1.2. *q.* 68. *& in hoc art.* Alia vero sunt dona Spiritus sancti minus principalia, vt spiritus mansuetudinis, seueritatis, seruitutis & adoptionis, vt habetur *Rom.* 8. & spiritus precum, & orationum, vt habetur *Zach.* 12. Ex quibus aliqui non sunt in Christo, vt spiritus adoptionis & seruitutis. Quam distinctionem Greg. Nis. *in tract. de Trinit. titulo: Quod futurum erat, vt turbarentur errores*, & Chrysost. *Hom.* 14. *in Epist. ad Roman. & Homil.* 14. *in Epist. ad Corinth.* tradiderunt.

Quartum est: Christum actus dictorum donorum habuisse, prout eius dignitati congruebat; nam vt ait S. D. *in* 1.2. *q.* 68. *art.* 6. ex Greg. hæc dona non eosdem habent actus in viatoribus, & in B beatis: Christus itaque cum esset comprehensor, nõ habebat actus beatitudini repugnantes, sicut neque carebat illis, qui cum illa & carnis passibilitate simul esse potuerunt: Exempli gratia: actus sapientiæ in Christo fuit bene disponi & facile moueri à Spiritu sancto, vt certum ferret iudiciũ de æternis per altissimas causas; actus intellectus, vt bene penetraret, quæ diuinitus proponebãtur: actus consilij, vt eius animus rationem & certitudinem haberet de agendis: actus autem scientiæ, vt secundum rationes inferiores certissime iudicaret de rebus: actus fortitudinis in eo tanquã viatore fuit excludere mortis timorem, vt ad finem perduceret opus redemptionis fiduciam illi conferendo de periculorum imminentium euasione: de quo videndus est S. D. *in* 2.2. *q.* 139. *art.* 1. C Actus autem illius in Christo vt comprehensore fuit eum disponere, vt plena securitate à laboribus & malis Deo frueretur. Denique donum pietatis non disponit Christum ad effectum filij adoptiui Dei, sicut neque per gratiam fit Christus filius Dei adoptiuus; sed disponit modo superius expositio ad gratiam vnionis; ac proinde illum disponit, vt Deum respiciat vt patrem modo sibi conuenienti. Et quamuis modus respiciendi Deũ vt patrem sit diuersus in Christo, & in nobis: hoc tamẽ quod est disponere animam, vt moueatur à Spiritu sancto ad respiciendum Deum vt patrem modo sibi conuenienti, vnica ratio est specifica: Sicut etiam, licet cognitio fidei nostræ & cognitio scientiæ infusæ animæ Christi in via non erant eiusdem rationis; tamen; quia dona intellectualia, vt ait S. D. *hic ad tertium*, disponunt ad cognitionem viæ supernaturalem, quæcumque illa sit, siue clara siue obscura, sunt eiusdem rationis in Christo & in nobis. Habet etiam donum pietatis præter actum prædictum alios in Christo & in aliis beatis, scilicet honorare Sanctos & filios Dei, & misereri eorum qui in via subiacent miseriis. De qua re videndus est S. Tho. *in* 2.2. *q.* 121. *a.* 1. *ad* 3.

Ex his sequitur quintum actum pietatis in Patria non esse colere Deum vt supremum Dominum, vt affirmant Conradus *in* 1.2 *q* 69. *art.* 4. & Suar. *hic disp.* 20. *sect.* 2. & Vasq. *disp* 44. *c.* 1. dicentes hunc esse actum religionis, quę respicit Deum vt supremum Dominum: sed cum donum pietatis, vt dictum est, respiciat Deum vt patrem, non potest actus doni pietatis esse actus religionis, qui est colere Deum vt supremum Dominum; sunt enim hi actus specie differentes.

Reiicitur dicta Suarezij, & Vasquezij.

Obiectio. *Sed contra prædicta* est argum. quia donum intellectus in Christo videtur esse superfluum: quia Christus habuit lumen gloriæ, cui conueniunt omnes actus qui dono intellectus tribuuntur in Patria: ergo. Probatur antecedens quia S. D. *in* 2. 2. *q.* 8. *art.* 7. docet actus doni in Patria esse mundare mentem à phantasmatibus & erroribus & videre essentiam Dei. Sed hos etiam actus exercet lumen gloriæ: Nam primum illi tribuit S. D. *in* 4. *dist.* 49. *q.* 4. *art.* 5. *q.* 1. *ad* 3. Secundum autem *in* 1. *p. q.* 12. *art.* 5. ergo. *Respondetur*, falsum esse antece- *Solut.* dens, ad cuius probationẽ dico, prædictos actus non eodem modo conuenire dono intellectus & lumini gloriæ: nam lumen gloriæ elicit illos actus actiue: donũ vero intellectus disponit ipsum intellectum, vt passiue moueatur à Spiritu sancto ad eliciendos prædictos actus mediante lumine gloriæ: sic enim distinguuntur virtutes à donis, vt ait S. D. *in* 1.2. *quæst.* 68. *art.* 1. & Caiet. 2 2. *quæst.* 45. *art.* 1.

Vide etiam quæ scribunt Suar. *disp.* 20. de donis pertinentibus ad intellectum & specialiter de dono consilij, & de donis pertinentibus ad voluntatem & Vasq. *disp.* 44. *cap.* 1.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Christo fuerit donum timoris.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerit donum timoris. Spes enim videtur potior, quam timor: nam spei obiectum est bonum, timoris vero malum, vt in Secunda parte habitum est. Sed in Christo non fuit virtus spei, vt supra habitum est. Ergo etiam non fuit in eo donum timoris. 2. 2. *q.* 34. *art.* 4. & 2. *q.* 68. *a.* 6. *infra q.* 15. *art.* 7. & 3. 1. 55. *q* 2. *a.* 2 *q* 3 *Tract.* 1. *q.* 10. *q.*

Præterea: Donum timoris timet aliquis vel separationem à Deo, quod pertinet ad timorem castum: vel puniri ab ipso, quod pertinet ad timorem seruilem: vt Augus. dicit super Can. Ioan. Sed Christus non timuit separari à Deo per peccatum, neque etiam puniri ab eo propter suam culpam, quia impossibile erat ei peccare: vt infra dicetur. Timor autem non est de impossibili. Ergo in Christo non fuit donum timoris.

Præterea: Primæ Ioan. 4. *dicitur, quod perfecta charitas foras mittit timorem. Sed in Christo fuit perfectissima charitas, secundum illud Ephes.* 3. *Supereminẽtem scientiæ charitatem Christi. Ergo in Christo non fuit donum timoris.* *q.* 15. *art.* 2. & 2.

Sed contra est quod dicitur Isa. 11. *Replebit eum spiritus timoris Domini.*

Respondeo dicendum, quod sicut in Secunda parte dictum est, timor respicit duo obiecta, quorum vnum est malum terrible, aliud est illud, cuius potestate malum potest inferri: sicut aliquis timet Regem, in quantum habet occidendi potestatem. Non autem timeretur ille, qui potest nocere, nisi haberet quandam eminentiam potestatis, cui de facili resisti non possit: ea enim, quæ in promptu habemus, repellere non timemus. Et sic patet, quod aliquis non timetur nisi propter suam eminentiam. Sic igitur dicendum est, quod in Christo fuit timor Dei: non quidem secundum quod respicit malum separationis à Deo per culpam, neque etiam secundum quod respicit malum punitionis pro culpa, sed secundum quod respicit ipsam diuinam eminentiã: prout scilicet anima Christi quodam affectu reuerentiæ mouebatur in Deum, à Spiritu sancto acta. Vnde Hebr. 5. *dicitur, quod in omnibus exauditus est pro sua reuerentia. Hunc enim affectum reuerentiæ ad Deum, Christus secundum quod homo præcæteris habuit pleniorem. Et ideo ei attribuit Scriptura plenitudinem timoris Domini.* 2. *q.* 19. *art.* 1.

Ad primum ergo dicendum, quod habitus virtutum, & donorum, proprie, & per se respiciunt bonum: malum autem ex consequenti. Pertinet enim ad rationem virtutis, vt opus bonum reddat, vt in secundo Ethic. dicitur. Et ideo de ratione doni timoris non est illud malum: quod respicit timor, sed eminentia illius boni scilicet diuini, cuius potestate aliquid malum infligi potest. Sed spes, secundum quod virtus est, respicit non solum actorem boni, sed etiam ipsum bonũ, inquantũ est non habitũ. Et ideo Christo, qui *Cap.* 6.

iam habebat perfectum beatitudinis bonum, non attribuitur virtus spei, sed donum timoris.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de timore, secundum quod respicit obiectum, quod est malum.

Ad tertium dicendum, quod perfecta charitas foras mittit timorem seruilem, qui respicit principaliter pœnam. Sic autem timor non fuit in Christo.

Sensus, & ratio quæsiti.

QVID sit timor quatenus est donus spiritus S. declarat S. D. *in 2.2. q. 19. art. 9. & in 3. s. dist. 34. q. 2 art. 1. quæst. unc. 3. & alibi.* De hoc autem specialiter quæritur; quia singularem ac præ cæteris maiorem habet difficultatem.

Forma Textus.

CONCL. est: *In Christo fuit timor Dei, non quidem secundum quod respicit malum separationis à Deo per culpam; neque etiam secundum quod respicit malum punitionis pro culpa, sed secundum quod respicit ipsam diuinam eminentiam, prout s. anima Christi quodam affectu reuerentiæ mouebatur in Deum à Spiritu sancto acta.* Declaratur primo quo ad distinctionem obiecti timoris in ea clausam. Secundo probatur quo ad partem affirmantem. Declaratur autem *ex 2. 2. quæst. 19. art. 1.* Vbi dictum est, timorem respicere duo obiecta: alterum est malum terribile: alterum est eminentia potestatis illius, à quo malum potest inferri. Declaratur primo, hæc pars exemplo timentis Regem in quantum habet occidendi potestatem. Secundo probatur; Quia non timeretur ille qui potest nocere, nisi haberet quandam eminentiam potestatis, cui de facili resisti non possit, ergo nullus timetur, nisi propter suam eminentiam. Antecedens probatur; quia ea quæ in promptu habemus repellere, non timemus. Deinde probatur pars affirmatiua conclusionis ex diuina scriptura *Hebr. 5.* Vbi dicitur, quod in omnibus exauditus est Christus pro sua reuerentia; ergo in Christo fuit timor secundum quod respicit ipsam diuinam eminentiam; prout scilicet anima Christi, &c. Et confirmatur: quia diuina scriptura *Isaiæ 11.* ideo attribuit Christo plenitudinem timoris Domini; quia hunc effectum reuerentiæ ad Deum Christus secundum quod homo, præ cæteris habuit pleniorem.

Expositio Textus.

OBSERVANDVM *est primo* concl. in textu positam esse certam secundum fidem, vt hic etiam admonet Med. Porr. & Suar. *disp. 20. sect. secunda*, & Astur. *in sua Relectione de Christi gratia q. 1. concl. 5. pag. 83.* & ante eos D. Bernar. *epist. 190.* & Alphons. de Castro. *in verbo Christus. Hæresi. 9.* & Sanderus *lib. 7. de visib: li monarchia hæresi 146.* cuius veritatis oppositam opinionem vt Hæreticam damnat Innocentius tertius *in epist. apud Bernardum 194.* Videnda sunt ea, quæ aduersus hunc errorem scribit prædictus Castro *loco notato*: præcipuus locus diuinæ scripturæ ad hæresim hanc confutandam est ille, quem S. D. adducit *in argumento sed contra* ex Isaia 11. *capit. Replebit eum spiritus timoris Domini.* Nec obstat dictum Aug. *lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 9.* relatum à D. Thom. *in 2. 2. q. 19. art. 11.* qui de timore beatorum loquens sic tandem concludit: *aut, si nullius omnino generis timor ibi esse poterit, ita fortasse timor in seculum seculi dictus est permanens; quia id permanebit, quo timor ipse perducit.* Quibus verbis significat August. non esse fidei veritatem, quod habitus aut actus timoris maneat in beatis: non A enim est eadem ratio de Christo; quia locus ille *Isaiæ 11.* non nisi de timore essentialiter & formaliter sumpto potest intelligi, vt etiam aduertit Astur. *loco notato.* Deinde Christus non meruit sibi gloriam animæ per actum timoris; ergo dici non potest, timorem in Christo manere, non essentialiter, sed in suo termino & proprio effectu, sicut de timore beatorum dici forsitan posse docet August. Consequenter est euidens; quia gloriæ animæ Christi non est effectus aut terminus timoris Christi, sicut gloria beatorum est effectus & terminus timoris, quem habuerunt in statu viæ. Scito tamen non esse tutum in fide negare timorem sanctum in beatis formaliter & essentialiter permanere: quia diuinæ litteræ semper in sensu proprio sunt intelligendæ, si nulla in eo sit absurditas, aut nisi B aliquid sit cogens ad eas improprie aut figurate interpretandas. Et confirmatur, quia Sancti Patres communiter exponentes verba illa Psal. 18. *Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi* docent timorem formaliter & essentialiter sumptũ in beatis manere. Videndus est D. Tho. *2. 2. q. 19. art. 11. & ibidem* magister Porr. *in appendice.*

Secundo Aduerte primam partem conclusionis in textu non probari. Primo: quia nota est ex cõmuni regula dicente; nihil eorum quæ imperfectionem dicunt Christi dignitati contrariam & ad redemtionem minime necessaria sunt, esse Christo attribuendum: timor autem vt respicit malum culpæ vel pœnæ propter culpam infligẽdæ, esset in Christo imperfectio maxima eius diuinitati repugnans: quia supponeret ipsum esse C peccabilem. Secundo quoniam, vt ait S. D. *ad primum*, de ratione doni timoris non est illud malum, quod respicit timor, sed eminentia boni diuini, cuius potestate malum aliquod infligi potest: & ideo respectus ad hanc solam sufficit ad timorem in Christo simpliciter constituendum: & consequenter probata hac sola parte intelligitur esse probata conclusio simpliciter.

Controuersia Vnica.

De veritate, & sensu conclusionis.

An scilicet & quomodo & secundum quos actus fuerit in Christo donum timoris.

Sententia Doctorum.

D OMisso errore Petri Abailardi negantis in Christo donum timoris, quem referunt ex Bernardo recentiores *super hoc art.* septem sunt Doctorum sententiæ.

Prima est Val. *puncto* 4. qui dicit quatuor. *Primum*, si censeamus posse proprie timeri id, quod considerata rei natura absolute possibile est, vere ac proprie potuit esse in Christo timor mali culpæ & pœnæ: atque adeo etiam timor Dei vt potest culpam permittere & pœnam infligere. *Secundum* est; si illud solum malum proprie timeri potest, quod non tantum absolute, sed etiam omnibus consideratis atque adeo in executione ipsa est possibile, tunc perspicuum est in Christo non E fuisse vere & proprie dictum timorem mali culpæ & pœnæ. *Tertium* est, hanc secundam sententiam & explicationem esse satis probabilem; quia timoris obiectum proprie non videtur esse nisi malũ in executione possibile & velut imminens. *Vltimum* est: posse has duas sententias facile conciliari.

Secunda sententia est Dur. *in 3. dist. 34. q. 3. num. 5.* dicentis timorem proprie dictum secundum habitum manere in Patria: non tamen secundum actum.

Tertia

Tertia sententia est Ricardi *eadem dist. art. 2. qu. 4.* dicentis: timorem manere in patria non solum secundum actum reuerentiæ erga Deum: sed etiam secundum actum fugæ; non quo beatus timeat Deum, sed quo gaudeat euasisse periculum peccandi & offendendi Deum, quatenus Dei offensa malum quoddam arduum est.

Quarta sententia est Vasq. *disp. 44. cap. 2.* Qui dicit quatuor. *Primum* est: in beatis nullam manere fugam culpæ aut pœnæ aut alterius mali. *Secundum* est: Christum quamuis dum fuit in hac vita, habuerit timorem alicuius mali corporalis imminentis & fugam illius vt futuri, cum timuerit mortem; non tamen habuisse fugam mali culpæ contra Deum, neque pœnæ propter peccatum; quia nullum habuit. *Tertium* est: in beatis & Christo esse effectum reuerentiæ circa bonum, nempe circa maiestatem potentem Dei, & hunc vocari effectum timoris, quem dicunt reuerentialem. *Quartum* est: hunc modum reuerentialem esse veræ humilitatis, & ita non postulare habitū diuersum ab habitu humilitatis, sicut (inquit) nec alia dona Spiritus sancti sunt peculiares habitus distincti ab habitib. virtutū, sed peculiares actus.

Quinta sententia est Suar. qui relatis tribus dicendi modis. s. D. Th. Aug. & Cai. quos existimat esse diuersos, tria dicit. *Primum* est: actum reuerētiæ ad Deum propter eminentiam eius, non esse actum solius intellectus, sed supponere cognitionem & iudicium de omnipotentia Dei & maiestate: in voluntate autem posse nos intelligere per modum reuerentiæ ad Deum volūtatem parendi illi vt supremo Domino, vel colendi illum vt supremum principium: qui actus (inquit) proprie pertinent ad religionem vel obedientiam. Et si fiant per modum doni, pertinent ad donū pietatis: Deinde posse etiam nos intelligere voluntatem quandam subdendi se Deo præferendo in omnibus honorem diuinū proprio, qui actus (inquit) videtur proprie ad humilitatem pertinere; atq; ideo ad donum timoris, si fiat ex speciali instinctu Spiritus S. quia hoc donum humilitati respondet. *Secundum* est: actum reuerentiæ sic explicatum includere non tantum voluntatem alicuius boni; sed etiam fugam alicuius mali; non quidem imminētis seu quod formidetur futurū; sed quod secundum se malum est, & repugnans diuinæ excellentiæ. *Tertium* est: modum dicendi Cai. esse probabilem, & actum illum timoris, vt ab eo explicatur, esse possibilem; sed tamen illum non pertinere ad donum timoris; sed potius ad habitum illum, quo beatus amat Deum & propriam beatitudinem amore concupiscentiæ; quoniam ex hoc amore nascitur timor.

Sexta sententia est Med. qui, licet approbet sententiam Cai. inferius explicandam, aliam tamen videtur illi præferre docentem timorem in Christo esse actum summæ reuerentiæ, quo summe reueretur Deum: considerans namq; anima Christi summam Dei eminentiam, & suam naturam ab eo infinite distantem tremit, & non audet lōqui corā eo facie ad faciem. Ex quo deducit primo timorem hunc in Christo esse eiusdem rationis cum timore casto, qui manet in beatis, & permanet in seculum seculi. Secundo timorem hunc non esse actum religionis, sed pertinere ad donū timoris; quia donum timoris consequēter respicit malū: Religio vero minime.

Vltima sententia est S. Tho. *hic ad 1.* quam hic explicat Caiet. quem sequitur Astur *in sua Relect. de Christi gratia q. 1. concl. 1. pag. 82. & seq.* sed amplior eius declaratio ex aliis locis petēda est, in quibus de donis Spiritus S. & timore absolute, & vt donū est, disserit vberrime S. D. ad cuius euidentiam

Resolutio. Qua sit necessitas donorum Spiritus S. & quomodo differat timor, vt est actus appetitus sensitiui, vel vt est actus simplex voluntatis à timore, vt est donum Spiritus S.

Sciendum est primo ex D. Thom. *in 1. 2. q. 68. art. 1.* hominem duplici motore ad suos actus moueri. S. à ratione & à Deo: ab illa quidem vt intrinseco: ab hoc autem vt extrinseco motus principio: atque ideo duplicem ei necessariam esse dispositionem: alteram, qua disponatur vt à ratione bene moueatur: & hæc fit per habitus virtutum moralium; Sed quia ad altiorem motorem oportet maiori perfectione mobile esse dispositum, ideo necessariæ sunt homini quædam aliæ sublimiores perfectiones, quibus sit dispositus ad hoc, vt diuinitus moueatur. Quas perfectiones S. Patres & alij Theologi dona Spiritus S. nuncuparunt, non solum quia infunduntur à Deo, sed etiam quia secundum ea disponitur homo, vt sit prompte ac facile mobilis ab inspiratione diuina: vt autem ait S. D. *in eadem q. art. 7.* dona ad omnes actus potentiarum animæ perficiunt hominem, ad quos perficiunt virtutes: cui consonat id, quod ait idem S. D. *hic ad 1.* videlicet habitus virtutum & donorū proprie & per se respicere bonum, malum autem ex consequenti. *Secundo notandum est*, timorem sumi posse tripliciter: *Primo* prout est passio siue actus appetitus sensitiui: de quo agit S. D. *in 1. 2. q. 41. Secundo* prout est actus simplex voluntatis, vt patet ex iis, quæ tradit idem S. D. *in 2. 2. q. 19. art. 1. & seq. vsque ad 9.* cui cōcinunt ea, quæ in communi de timore traduntur *in 1. 2. qu. 42. Tertio* potest sumi timor, prout est vnum ex donis Spiritus S. Et timor quidem tam primo, quam secundo modo sumptus respicit per se primo malum, vt proprium eius obiectum, vt ait S. D. *in 1. 2. q. 41. 1. 2. & 3 q. 19. art. 2. & alibi* sæpe. Tertio vero modo sumptus dupliciter potest considerari: Vno modo, quatenus timor est; & ita certum est malum esse eius obiectum formale, vt ait expresse S. D. *in 2. 2. q. 19. art. 9. ad 2. & 3.* Alio modo potest considerari, vt donum est, non solum in communi siue secundum rationem omnibus donis Spiritus S. communem; sed etiam vt tale donum sua propria ratione distinctum ab aliis: & hoc modo respicit bonum per se primo dupliciter: malum autem secundario: timor enim sic sumptus quia donum est Spiritus S. principium est formale bonarum operationum se tenens ex parte potentiæ, sicut habitus; & quia timor est, ea etiam, quæ timori cuilibet cōmunia sunt, includit. Habet autem timor omnis duplex obiectum, vt ait S. D. *in 2. 2. qu. 19. art. 1. & hic ad 1.* alterum est malum quod homo refugit: alterum est eminentia illius boni cuius potestate malum infligi potest; sed quia talis timor est, qui scilicet est donum Spiritus S. quod licet formaliter & proprie timor sit: non eadem tamen & vniuoce dictam habet rationem cum timore primo & secundo modo sumpto, sed analogice dicitur nomē & ratio timoris de hoc & de illis duobus modis: ideo bonū illud per se primo respicit, cuius potestate potest infligi malum: Secundario vero respicit malū quod homo refugit. Cuius ratio est; quia ratio timoris in dono timoris inclusa nō debet esse repugnans; sed congruēs rationi doni: rō vero doni est, vt sit dispositio potentiæ ad hoc, vt sit bene mobilis à Spiritu S. ad actus bonos: ex timore aūt mouetur homo à Deo, aut ab alia potestate ad actus bonos principaliter; quatenus illi subditur: secundario aūt, quatenus refugit malū, quod ab ea potest infligi: nam ideo potestas malū minatur aut infligit, vt sibi subiiciat operantem ad hoc vt bene operetur. Itaque principalis effectus timoris incussi ab habente potestatem est subdere voluntatem operantis ipsi potestati extrinsece mouenti; quem tamen effectum non eodem modo facit timor, qui est

donum

donum Spiritus S. ſicut alii qui non ſunt dona. A Primo: quia alij id non efficiunt immediate, ſed mediante fuga mali poſſibilis, vel etiam imminentis ex ſuperiori poteſtate: timor autem qui eſt donum Spiritus S. id efficit immediate; quoniã, vt ait S.D. *in* 2.2 *q.*19.*art* 9. *Dona Spiritus ſancti ſunt quædam habituales perfectiones potentiarum animæ, quibus redduntur bene mobiles à Spiritu ſancto; vt autem aliquid ſit bene mobile ab aliquo mouente, primo requiritur, vt ſit ei ſubiectum non repugnans, quia ex repugnantia mobilis ad mouens impeditur motus: hoc facit timor filialis, vel caſtus, inquantum per ipſum Deum reueremur, & refugimus nos ipſi ſubducere; & ideo timor filialis, quæſi primum locum tenet aſcendendo inter dona Spiritus ſancti: vltimum autem deſcendendo.* Hæcibi S. D. Igitur timor qui eſt donum Spiritus S. ſubiicit immediate operantis affectum Deo primo mouenti voluntatem ad actus bonos: ex quo ſequitur reſpectus ad culpam, vt malum nos à Deo ſeparans fugiendũ. Et hoc eſt, quod ait S.D. *hic ad* 1. videlicet habitus donorum proprie & per ſe reſpicere bonum: malum autem ex conſequenti: Et ideo de ratione doni timoris non eſt illud malũ, quod reſpicit timor; ſed eminentia illius boni, ſcilicet diuini, cuius poteſtate aliquod malum infligi poteſt: quod enim conſequitur eſſentiam rei, ad eius rationem minime pertinet: hoc autem videtur intelligendum de malo imminenti, & ſecundum legem Dei ordinariam poſſibili: quod ideo dico; quia timor etiam in beatis fugam aliquam habet mali, vt ait S. D. *in* 2.2. *qu.*19. *art.*11. Vbi ſic loquitur: *Fuga huius mali, quod eſt Deo non ſubiici, vt poſſibilis naturæ: impoſſibilis autem beatitudini, erit in Patria: in via autem eſt fuga huius mali, vt omnino poſſibilis.* Quod etiam ratione probatur: Nam timoris, vt ſic, obiectum eſt malum poſſibile, vt ibidem ait S.D. Cum ergo timor, qui eſt donum Spiritus ſancti ſit vere ac proprie timor, neceſſe eſt in eo claudi reſpectum aliquem ad malum; quamquã, vt diximus, hic timor vt talis, ſcilicet vt tale donum Spiritus ſancti, dicat per ſe primo ordinem ad bonum, vt ait hic S.D. *ad* 1. Secundo differunt in modo ſubiiciendi voluntatem timor ſimpliciter dictus, & timor qui eſt donum Spiritus S. Nã hic ſubiicit totaliter & ſimpliciter voluntatem exteriori mouenti, ſcilicet Deo; ita vt eam nulla res creata phyſice vel moraliter agẽs poſſit à Deo cui tali ſubiectione copulatur, abſtrahere: quoniam, vt ait S.D. *in* 2. 2. *quæſt.*19. *articulo decimo*, timor filialis, qui donum eſt Spiritus S. ex charitate veluti ex cauſa dependet: & ideo etiam ea creſcente creſcit: charitas autem ex parte ſui indiſſolubili vinculo Deo coniungit, dicente Apoſtolo *Rom.* 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* &c. *& primæ Ioan tertio. Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit; quia ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare; quoniam ex Deo natus eſt.* Vnde S.D. *in* 2.2.*q.*24. *art.*11. ait Charitatem ex duplici capite habere impeccabilitatem, ſcilicet ex parte Spiritus S. mouentis animam ad diligendum Deum; quia virtute ſua infallibiliter operatur quodcunque voluerit; & ex parte ipſius charitatis, quæ ex propria ratione non poteſt aliquid, niſi id quod pertinet ad charitatis rationẽ. Et ideo ſicut calor non poteſt infrigidare; ita charitas non poteſt peccare. Ex parte vero ſubiecti, quod eſt vertibile ſecundum arbitrii libertatem, diſſolui poteſt vinculum charitatis, quo anima Deo coniungitur & illi ſubiicitur. Timor autem, qui non eſt donum Spiritus ſancti, non totaliter neque ſimpliciter ſubiicit exteriori mouenti voluntatem, ſed ſecundum quid puta ad eu adendam pœnam: & ideo ſi pœna, quæ prius imminebat, iam non immineat ceſſat illico ſubiectio voluntatis, quæ mouenti non erat vnita, neque ſubiecta ſimpliciter, id eſt omnibus modis, ſed hoc vno tantum, ſcilicet ad pœnam ex poteſtate mouentis imminentem euadendam.

Actus doni timoris in Chriſto eſſe reuereri & admirari Deum, & illi omnino ſubeſſe cum fuga huius mali, quod eſt Deo non ſubiici, vt poſſibilis naturæ.

Tertio obſeruandum eſt, diuinam eminentiam quatuor modis poſſe conſiderari: *Primo* abſolute, & hoc modo non eſt obiectum timoris; quia de ratione timoris eſt, vt malum aliquo modo reſpiciat. *Secundo* qua ratione vim habet ad infligẽdum malum; & ita poteſt eſſe timoris obiectum. *Tertio* qua ratione ſecundum legem ordinariam potens eſt, & prompta ad cauſandum malum: & ita multo magis eſt obiectum timoris. *Quarto* vt ſtat ſub determinatione diuinæ voluntatis ad nõ cauſandum executiue malum: & hoc modo non habet rationem timendi: quoniam, vt ait Caiet. conditio hæc ſecuram & certam reddit creaturã de impoſſibilitate mali in effectu, eo quod ſit infallibile decretum diuinæ voluntatis. Quamuis autem diuina voluntas reſpectu Chriſti & cæterorum beatorum ſit determinata ad non inferẽdum malum: ac proinde non poſſit eminentia diuina, vt ſtat ſub tali determinatione eſſe timoris obiectum: poteſt tamen eadem ſic determinata, vt ſecundum ſe potens malum cauſare eſſe timoris reuerẽtialis obiectum reſpectu Chriſti & beatorum, vt hic ſcite Caiet. aduertit. Quæ eſt doctrina D.Tho. *2.2.q.*10. *art.*11. Sed quamuis Deus ſub hac ratione, ſcilicet vt potens malum cauſare, ſit obiectum timoris reſpectu Chriſti & beatorum: non tamen conſequens fit, Chriſtum aut beatos malum timere: quoniam, vt ait Cai. tunc proprie malum timetur quando author mali cõſideratur, non ſolum vt potens malum cauſare; ſed etiam vt præparatus eſt ipſum cauſare; adeo vt vere ac proprie dici poſſit malum imminere: licet ergo timor ex propria ratione malum reſpiciat; quatenus tamen eleuatus eſt in celſitudinem doni, primo & per ſe reſpicit bonũ, & abiicit ea quæ ſe tenent ex parte mali retinens ea tantum, quæ ſunt ex parte boni: & ideo in ſtatu ſui ſubiecti perfectiſſimo minimum quod in eo remanet de reſpectu ad malum: ac proinde donum timoris in Chriſto & in beatis ſolam reſpicit eminentiam Dei, vt potentis quidem malum infligere: non tamen vt præparati ad exequendum.

Ex quo ſequitur, vt actus doni timoris Chriſto & in beatis ſint reuereri & admirari Deum; & illi omnino ſubeſſe ſimul cũ fuga huius mali, quod eſt Deo non ſubiici, vt poſſibilis naturæ, vt ait S.D. *in* 2.2.*q.*19.*art.*11. Quos etiam actus beatis ex dono timoris tribuit S.D *in* 1.2.*q.*67.*art.*4.*ad* 2.*de virtutibus quæſtione quarta ſub titulo de ſpe, art.* 4. *ad* 2. *& in* 3.*diſt.*34.*q.*2.*a.*3.*q.*4. *& in hoc art.* quamuis non omnes in his ſingulis locis enumeret. Quia actus huius doni ſunt illi quibus ſimul fertur in bonũ & in malum, ſcilicet in diuinam eminentiam & in defectum noſtrum naturalem, ſed hoc ſolum conuenit prædictis actibus reuerentiæ, admirationis, ſubiectionis & fugæ non ſubiectionis; ergo. Maior eſt S. Thom. *hic ad* 1. dicentis habitus donorum ac proinde etiam donum timoris per ſe reſpicere bonum; malum autem conſequenter, & de ratione doni timoris eſſe eminentiam boni diuini: cuius poteſtate malum infligi poteſt, vt ſupra declarauimus ex Cai. Sed melius hoc explicat S.Thom. *de virtutibus loco notato, ſcilicet art.* 4. *ad* 2. dicens timorem reuerentialem in beatis reſpicere defectum naturalem. diſtantiam ſcilicet infinitam creaturæ à Deo. Et beatos per hunc timorem reuerentiam exhibere ſuo creatori ex conſideratione maieſtatis eius in propriam diſſilientes parvitatem.

uitatem. Minor autem quo ad primam partem asserentem obiectum horum actuum esse bonum, patet; quia eminentia Dei nostram excedens parvitatem & facultatem est obiectum admirationis & reuerentiæ, vt ait S.D. 2.2.qu.104 *art.*2.*ad* 4.*& alibi*; & similiter subiectio ad Deum respicit eius eminentiam & omnipotentiam; nam dicitur *secundo Machab.*9.*Iustum est subditum esse Deo,& mortalem non paria Deo sentire*. Constat autem eminentiam & omnipotentiam Dei esse maxima bona. Secunda vero pars minoris affirmans prædictos actus timoris malum respicere, est D. Thom.*in* 2. 2 *q.*19.*art.*11. *Et de virtutibus loco notato*, & patet ex dictis. Igitur donum timoris per suos actus primo & principaliter fertur in bonum, scilicet in eminentiam Dei: secundario vero & consequenter ex illius cõsideratione fertur in malum, scilicet proprij defectus naturalis, vt ait hic S.D.*ad* 1.*&* 2.2.*q.* 19.*art.*11. *Et de veritate loco notato*, quo fit vt in actibus huius doni sit prosecutio simul & fuga: nam ferri in bonum prosecutio est: nolle vero nõ subiici fuga quædam est: Cuius exempla plura sunt in sacris literis: Nam *Isaiæ* 6. Seraphin volabant iuxta thronum Dei, & tamen faciem velabant. Et *Exod.tertio*, Moyses pergit ad videndum Deum, & cooperuit faciem suam, ne illum in rubo lucentem aspiceret, & Helias *tertij Regum*, egreditur è spelunca in occursum Dei & cooperit vultũ pallio. Volare autem circa thronum Dei, pergere ad videndum Deum, egredi in occursum illius, & simul velare faciem significat motum prosecutionis & fugæ, quæ suis actibus exercet timor, qui donum est Spiritus sancti, quod euidentius elucet in facto Petri *Luc.* 5. Vbi narratur Petrum visa mirabili ac insperata captura piscium ad genua Domini prouolutum dixisse. *Exi à me; quia homo peccator sum Domine*: prouolui namque ad pedes Iesu, & ab eo non elongari prosecutionem indicat boni: dicere autem: *Exi à me*; *quia homo peccator sum.* Fugam significat respectu defectus naturalis, quo creatura à Deo distat in infinitum, & ab eo potest annihilari. Prædictos actus quidam affirmant esse tantum vnum: sed quidquid sit de naturali eorum identitate, certum est eos esse formaliter differentes.

Non solum habitum timoris, sed etiam actus omnes prædictos proprie sumptos, & ab habitu timoris elicitos in Christo fuisse & nunc etiam esse.

Ex dictis sequitur primo, non solum habitum, sed etiam actum doni timoris in Christo fuisse, & nũc etiam esse; nam, vt probat S.D.*in* 2.2.*q.*19.*art.*11. actus timoris remanet in beatis; ergo etiam in Christo. Et confirmatur ex Greg.*lib.*17.*Moral.* qui exponens illud *Iob.* 26. *Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius*: ait: *Ipsæ virtutes cœlestium, quæ hunc sine cessatione conspiciunt, & ipsa contemplatione contremiscunt, sed idem timor ne eis pœnalis sit, non timoris est, sed admirationis*: quia nimirum admirantur Deum, vt supra se existentem & eis incomprehẽsibilem. Deinde probatur: quia habitus est propter actum: cum igitur in beatis sit habitus timoris, sequitur etiam, vt in eis sit actus: nam cum habitus præbeat potentiæ facultatem ad eliciendũ actum, si potentiæ in tali statu non repugnat habitus, neque etiam actus illi repugnabit: & si alicui potentiæ repugnat actus, repugnat etiam habitus: ob dictam causam: quia scilicet habitus tribuit potentiæ facultatem eliciendi actum.

Secundo sequitur prædictum actum non similitudinem tantum, sed proprietatem timoris habuisse: probatur ex prædictis; quoniam actus admirationis respectu excellentiæ Dei incomprehensibilis ab intellectu creato remanet in beatis, & consequenter etiam est ac fuit semper in Christo: sed hæc admiratio species est timoris proprie dicti; ergo. Prima propositio est Greg. *loco supra notato*. Secunda vero propositio est eiusdem ibidem, qui timorem tantum excludit pœnalem, affirmat autem reuerẽtialem, cui tribuit actum admirationis. Eandem affirmat Damasc. *lib.* 2.*de fide cap.*15. & Nisenus *lib.*4.*cap.*14. & D. Thom.*in* 1. 2. *quæst.*41.*art.*4.*&* 2.2.*quæst.*180.*art.*3.*ad* 3.*& in* 3.*dist.* 26.*quæst.*1.*art.*3. Et probatur etiam ex diuinis literis: nam *Luc.*7. Vbi narrato miraculo resurrectionis Filij viduæ subdit Euangelista: *accepit autem omnes timor, & magnificabat Deum:* nomine vero timoris hic apte intelligitur tanti operis admiratio. Denique probatur; quia proprius actus doni timoris est reuereri diuinam eminentiam: hoc autem maxime conuenit Christo, vt ex Apostolo probat S. D. in textu: his adde regulam illam interpretandi verba diuinæ scripturæ in sensu proprio, nisi aliqua sit in ea aut ex eo sequatur absurditas: igitur asserẽdum est in Christo vere ac proprie fuisse, & esse timorem, qui est donum Spiritus sancti secundum omnes actus statui beatificõ minime repugnantes.

Tertio sequitur actus omnes timoris superius enumeratos vere ac proprie fuisse actus elicitos ab habitu doni timoris; non autem humilitatis aut charitatis vel alterius virtutis. Probatur huius corollarii *prima pars* contra Vasq. *cap.* 2. ex D. Th. 2.2. *quæst.*19. *art.*9. *ad* 4. *&* *art.*12.*in corp.* dicente timorem excludere principium superbiæ: & ideo dari contra superbiam: nec tamen sequi timorem esse idem cum virtute humilitatis; sed esse principium eius: quia dona Spiritus sancti sunt principia virtutũ moralium, & intellectualium: & hoc modo intelligendus est S. Thom.*in* 2.2. *quæst.*161. *art.* 3. Cum ait humilitatem respicere reuerentiam Dei: non enim vult reuerentiam esse obiectum vel actum humilitatis, sed eius causam, & vt talem ab ea respici: actus autem proprius humilitatis est reprimere motus nostros, ne ferantur supra nos, & obiectum illius est passio animæ, qua ferimur ad ea, quæ sunt supra nos: passio inquam vt reprimenda & moderanda. Secundo probatur eadem pars; quoniam actus donorum distinguuntur ab actibus virtutum, vt ait S.D.*in* 1.2.*qu.* 68 *art.* 1. ergo actus doni timoris est distinctus ab actu humilitatis, quæ est virtus. *Secunda* vero *pars* est contra Suar.*disp.*20.*sect.secunda*. Vbi ait actum doni timoris esse fugam, quam beatus habet omnis peccati; quatenus à Deo separat, & Christum etiam actum hunc habere potuisse; quia, licet ipse peccare non potuerit; tamen eius natura secundum se erat capax peccati; & ita potuit voluntate sua fugere hoc malum, tanquam possibile simpliciter suæ naturæ; sed dictos actus ex dono timoris elici affirmat S. D.*in* 2.2.*quæst.* 19.*art.*9.*ad* 3. Vbi ait ex hoc quod amor est principium timoris, non sequi quod timor non sit habitus distinctus à charitate, quæ est amor Dei; quia amor est principium omnium affectionum, *&* *articul.*10. ait timorem filialem crescere crescente charitate, sicut effectus crescit crescente causa. Et probatur primo: quia alias donum timoris & charitatis essent prorsus idem: cum secundum Suar. habeant eundem actum: secundo; quia actus huius doni per se primo respicit eminentiam & omnipotentiam Dei: actus autem charitatis per se primo respicit bonitatem Dei, quæ virtualiter distinguitur ab eius eminentia.

Ex quo sequitur etiam actum doni timoris in Patria non esse gaudium, quo beati exultant; eo quod euaserint mala præsentis vitæ, vt opinatur Ricardus; primo quia principium huius actus proprium est charitas. Secundo quia Christus in via habuit actum huius timoris; qui

tamen

tamen non potuit esse tale gaudium; quia Christus in via non euaserat mala pœnæ: gaudium autem de euasione mali culpæ licet Christus habuerit, illud tamen est spes, quæ est actus amoris; non autem doni timoris, qui semper est cum fuga mali vt imminentis aut possibilis euenire considerata natura, &c.

PRIMA CONCL. *In Christo Domino fuit timor, qui est donum Spiritus sanct. solum secundum habitum; sed secundum actum.* Hæc est S. D. in textu & patet ex dictis.

SECVNDA CONCL. *Actus doni timoris, nõ tantum secundum similitudinem; sed etiam secundum proprietatem fuit in Christo.* Hæc est contra Valentiã & patet ex dictis.

TERTIA CONCL. *Actus omnes timoris qui sunt reuereri & admirari diuinam celsitudinem, & illi subiici & nolle ab eius subiectione se subducere sunt actus eliciti à timore filiali, qui est donum Spiritus sancti, non autem ab humilitate vel charitate aut ab alia virtute:* Hæc etiam patet ex dictis.

Obi. 1. cont. 1. concl. CONTRA *primam concluſ.* sunt argum. quæ afferunt & soluunt S. D. Med. Cai. Valq. & Aluar.

Contra eandem concl. sunt hæc argumenta. *Primum* est: quia Nazian. & Nicetas *Orat. in sancta lumina ante medium*, dicunt timorem hunc esse magistrum rudimentarium & incipientium; & Origenes *in illud Rom. 8. Spiritum seruitutis in timore:* ait hunc timorem esse pædagogum paruulorum & solum inesse iustis, quãdiu sunt paruuli; sed Christus nũquam fuit paruulus; sed semper in virtute perfectus; ergo. *Resp.* eos Patres loqui de timore viæ initiali & imperfecto: concluſio autem est de timore secundum actus eius perfectissimos, quos habet in beatis.

Solut.

Obi. 2. *Secundum* est; Omnis timor est futuri mali imminentis: at Christis nullum potuit timere malum imminens; ergo. Maior quoad eam partem, quæ asserit timorem esse mali, patet ex D. Thom. *locis supra notatis*: Quo ad aliam vero partem, quæ ait esse mali imminentis, probatur ex Arist. *in secundo Rhetoric. cap. 7. & 9. Metaph. textu 17.* Vbi ait non esse timendum, quod cælum stet; quia scilicet id nõ imminet, licet à Deo fieri possit, & quãdoque factum sit, vt legitur *Iosue 10. & primi Paralip. 2.* non tamen imminet vt fiendum, vt probat Aristoteles *in allegato textu 17.* Minor autem probatur: Nam si Christus malum aliquod per hunc timorem, qui erat in eo filialis, timuisset, id non fuisset, nisi culpa, quatenus est offensa Dei: sed hanc Christus timere non potuit; quia peccare non poterat; ergo. *Resp.* falsam esse maiorem; quia timor vt donum, in suo connaturali & perfecto statu patriæ per se primo terminatur ad bonum eminentiæ diuinæ, secundario vero respicit malum naturalis defectus, qui semper est præsens: ac proinde etiam malum hoc quod est Deo nõ subiici, & peccare vt possibile naturæ secundum se consideratæ, impossibile autem beatitudini: atq; ideo timor patriæ non respicit hoc malum vt imminens: non enim hoc, quod est esse imminens, est de ratione formali obiecti doni timoris, vt ante diximus.

Instant. *Sed contra* respons. hanc, licet optima sit, argumentor. *Primo*: timor vt donum importat motum erga Deum, & hic motus non est prosecutionis: alioquin non esset proprie timor; ergo fugæ: igitur est respectu mali. *Secundo*: nullus habitus aut actus mutat vnquam obiectum suum formale; ita vt si eius obiectum sit bonum quandoque feratur in malum vt sic, aut è contra; sed obiectum timoris est malum; ergo semper fertur in malum sub ratione mali. Maior probatur: quia amor & spes licet aliquando dicant actum malum; semper tamẽ in sua feruntur obiecta sub ratione boni; & odium licet quandoque sit actus virtutis, nunquam tamen respicit bonum, vt sic. *Tertio*: quanquam pœnitentia sit virtus; nunquam tamen fertur in bonum; sed semper in malum, scilicet in peccatum; quia nullus potest recte pœnitere de actu bono; ergo timor semper est respectu mali; quamuis habeat rationẽ doni. *Quarto*: probatur de ratione timoris esse vt respiciat malum imminens: quia ad spem non sufficit vt eius obiectum sit absolute possibile, si certo sciatur non esse futurum; oportet enim vt omnibus consideratis sit possibile, & non extrahatur à ratione futuri, vt hic ait Cai. ergo similiter ad rationem doni timoris non sufficit, vt eius obiectum sit malũ absolute possibile naturæ, si certo sciatur illud nõ esse futurum; sed oportet vt sit possibile & iudicetur imminens; nam ideo nõ timetur Tyrannus mortuus, quia nullum imminet ab eo nocumentum. *Quinto*: pœnitentia repugnat Christo: quia licet peccatum non repugnet eius humanitati secundum se, repugnat tamen illi, quatenus est vnita Verbo; ergo eadem ratione repugnabit illi donum timoris; quia licet illud non repugnet humanitati secundum se, repugnat tamen illi, vt vnitæ Verbo. *Sexto*: sicut beato secundum eius naturam non repugnat peccatum, ita neque pœna; ergo si propter illam non repugnantiam potest habere donum timoris, qui refugit peccatum, poterit etiam habere timorem seruilem; qui refugit pœnam. *Resp. ad 1.* falsum esse antecedens; quoniã *Solut.* in timore, qui est donum, includitur respectus ad bonum, secundario autem ad malum; ac proinde fugam habet mali subtractionis à subiectione diuina, qui respectus & fuga conueniunt illi per se primo, vt timor est: secundario vero, vt donum est. *Ad secundum* respondetur admisso toto argumento nihil probari contra responsionem; quoniam in timore, qui est donum, includitur respectus ad malum sub ratione mali, vt modo diximus. Nec est eadem ratio de actibus amoris, spei & odij; quoniam hi non sunt compositi ex prosecutione & fuga; sicut neque eorum obiecta sunt composita ex bono & malo: obiectum autem doni timoris bonum est connotans malũ in obliquo; & ideo etiam actus eius rationem habet prosecutionis respectu boni, prout est actus doni; quatenus vero timor est, habet rationem fugæ respectu mali. *Ad tertium* negatur antecedens: quia licet pœnitentia respiciat peccatum vt materiam: obiectum tamen eius primarium & formale non est peccatum; sed æqualitas, licet imperfecta reddenda Deo pro culpa, siue ius imperfectum Deo reddendum pro culpa: nam vt ait S. D. *infra q. 75. art. 3.* Pœnitentia est pars iustitiæ: obiectum autem formale iustitiæ est ius vel æqualitas, vt ait idem S. D. *in 2. 2. q. 57. art. 1.* Secundo dico virtutem & donum posse ex consequenti respicere malum, vt hic ait S. D. *ad primum*, atque ideo licet donum timoris in patria per se primo respiciat diuinam eminentiam, quæ bona est: respicit tamen illam, vt potentem infligere malum, & vt manifestatiuam proprij defectus naturalis, & vt incomparabilem paruitati beatorum, quod satis est, vt in hoc dono sit propria ratio timoris minime pœnalis & admirationis ac reuerentiæ, vt supra diximus. *Ad quartum* negatur consequentia; quia spes est omnino simplex, nec eleuatur in celsitudinem doni & in sui ratione importat hunc defectum, qui est futuritio beatitudinis, qui tollitur per eius præsentiam; sed timor, qui est donum Spiritus S. compositus est, vt diximus, ex prosecutione

cutione boni & fuga mali, eo quod eleuatur in celsitudinem doni: & ideo etiam importat solum defectum naturalem creaturæ, qui etiam in patria remanebit, vt ait S.D. 2. 2. *qu.* 19. *art.* 11. *ad* 3. in qua tamen nulla potest esse imminentia vel futuritio mali, sed sola possibilitas considerata natura creata secundum se. *Ad quintum* negatur conseq. quia non est eadem ratio; nam humanitati Christi, vt vnitæ Deo simpliciter repugnat peccatum: illi vero etiam, vt vnitæ non repugnat naturalis defectus, quo distat in infinitum à Deo, propter quem refugit cum admiratione, & reuerentia se diuinæ celsitudini comparare: & quoniam hic est actus propius doni timoris, ideo non repugnat Christo donum timoris, & eius actus, sicut ei repugnat pœnitentia, & eius actus.

Obi cont. 2. concl. CONTRA *secundam concl.* argum. Val. quia timoris obiectum non videtur esse nisi malum in executione ipsa possibile & velut imminens; ergo in Christo & in beatis non fuit proprie & absolute timor. *Solut.* *Sed huic* argumento iam responsum est: Nam antecedens non est verum nisi de timore, prout est passio, vel etiam de timore seruili & initiali, & de timore viæ; non autem de timore Patriæ & de timore reuerentiali. Et quoniam ipse Valentia vtrumque dicendi modum satis apte conciliat, sufficiet hoc vno argumento difficultatem ex supra dictis sufficienter expeditam attigisse.

Obi cont. 3. concl. CONTRA *tertiam concl* argum. Vasq. Quoniam Alensis ait hunc motum reuerentiæ esse actum verè humilitatis: & ita non postulare habitum diuersum ab habitu humilitatis. *Conf.* *Et confirmatur*: quia dona Spiritus S. non sunt peculiares habitus distincti ab habitibus virtutũ sed peculiares actus. *Solut.* *Resp.* falsum esse antecedens tam argumenti quam confirmationis, vt patet ex dictis.

Obi. 2. *Contra eandem* conclus. argum. Suar. & cum eo Vasq. ex Aug. *lib.* 14. *de Ciuit. Dei cap.* 9. dicente: *Timoris casti nomine ea voluntas significata est, qua nos necesse est nolle peccare non similitudine necessitatis, sed tranquillitate charitatis.* Quæ verba refert etiam S.D. 2. 2. *q.* 19. *art.* 11. ergo fuga quam beatus habet omnis peccati; quatenus à Deo separat, timor castus dici potest, quem etiam potuit habere Christus; quia licet peccare non potuerit, tamen eius natura secundum se capax erat peccati, & ita potuit voluntate sua fugere hoc malum, tanquam possibile simpliciter suæ naturæ: sed hic actus proprie ad *Solut.* charitatem pertinet; ergo. *Resp.* falsum esse prædictum actum fugæ ad charitatem proprie pertinere; ita vt eliciatur ab ea, quamuis ex ea deriuetur, vt ex prima causa omnium actuum voluntatis in beatis, vt supra diximus ex D. Tho.

Obi. 3. *Contra eandem* conclus. produci potest hoc argumentum: Actus huius doni solum potest esse timere peccatum, vt est offensa Dei, vel vt est malum meum: sed ad vtrumq; istorum sufficit charitas; ergo non requiritur actus istius doni vt distincti à charitate. Maior patet, quia peccatum quod respicit hic actus, non potest alio modo timeri. Minor autem probatur; quia ad charitatem pertinet amare bonum diuinum secundum se, & velle mihi beatitudinem & alia dona; ergo ad eãdem pertinebit fugere peccatum, vt est offensa Dei, & vt est malum meum; quia ad eandem virtutem pertinet amare aliquod bonum & fugere *Solut.* contrarium. *Respon.* falsam esse maiorem. Ad probationem negatur assumptum: habet enim donum timoris actus in conclusione propositos. Secundo dico actum illum, quo beati Deum reuerentur & refugiunt illius excellentiæ conferre suam paruitatem, & ita subtrahere se ab eius subiectione, quatenus hic actus sub hac ratione fugam includit peccati, ad donum timoris pertinere. Eandem autem peccati fugam, vt respicit peccatum, quatenus est offensa Dei, vel malum ipsius beati, (si in eo esset) pertinere ad actum charitatis, vt bene probatur in argumẽto.

ARTICVLVS VII.

Vtrum in Christo fuerint gratiæ gratis datæ.

AD *septimum sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerint gratiæ gratis datæ. Et enim qui habet aliquid secundum plenitudinem: non competit illud habere secundum participationem. Sed Christus habuit gratiam secundum plenitudinem: secundum illud Ioann.* 1. *Plenum* B *gratiæ, & veritatis. Gratiæ autem gratis datæ videntur esse quædam participationes diuisim, & particulariter diuersis attributæ: secundum illud primæ ad Corinth.* 12. *Diuisiones gratiarum sunt. Ergo videtur, quod in Christo non fuerint gratiæ gratis datæ.*

Præterea: Quod debetur alicui, non videtur esse gratis ei datum. Sed debitum erat homini Christo, quod sermone sapientiæ, & scientiæ abundaret, & potens esset in virtutibus faciendis, & in aliis huiusmodi, quæ pertinent ad gratias gratis datas: cum ipse sit Dei virtus, & Dei sapientia, vt dicitur 1. *ad Corinth.* 1. *Ergo Christus non fuit conueniens habere gratias gratis datas.*

Præterea: Gratia gratis datæ ordinantur ad vtilitatem fidelium, secundum illud primæ ad Corinth. 12. *Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Non* C *autem videtur ad vtilitatem aliorum pertinere habitus, aut quæcunque dispositio si homo non vtatur: secundum illud Eccles.* 10. *Sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? Christus autem non legitur vsus omnibus gratiis gratis datis præsertim quantum ad genera linguarum. Non ergo in Christo fuerunt omnes gratiæ gratis datæ.*

Sed contra est, quod Augustinus dicit in Epist. ad Dardanum, quod sicut in capite sunt omnes sensus, ita in Christo fuerunt omnes gratiæ. *Epist. 57. tom. 2.*

Respondeo dicendum, quod sicut in Secunda parte habitum est, gratiæ gratis datæ ordinantur ad fidei & spiritualis doctrinæ manifestationem: oportet enim eum, qui docet, habere ea, per quæ sua doctrina esset inutilis. Spiritualis autem doctrinæ fidei primus, & principalis doctor D *est Christus: secundum illud Hebr.* 2. *Cum initium accepisset enarrari per Dominum, per eos, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, &c. Vnde manifestum est, quod in Christo excellentissime fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, sicut in primo, & principali fidei doctore.* *p. 2. q. 22.*

Ad primum ergo dicendum, quod gratia gratum faciens, ordinatur ad actus meritorios, tam interiores quam exteriores, ita gratia gratis data ordinatur ad quosdam actus exteriores, fidei manifestatiuos: sicut est operatio miraculorum, & alia huiusmodi. In vtraque autem gratia Christus plenitudinem habuit: inquantum enim diuinitati vnita erat eius anima, plenam efficaciam habebat ad omnes prædictos actus perficiendos. Sed alij sancti, qui mouentur à Deo sicut instrumenta non vnita, sed separata, particulariter efficaciam recipiunt ad hos, vel ad illos actus perficiendos. Et ideo in aliis Sanctis huiusmodi gratiæ E *diuiduntur, non autem in Christo.*

Ad secundum dicendum, quod Christus dicitur Dei virtus, & Dei sapientia, inquantum est æternus Dei filius. Sic autem non competit sibi habere gratiam, sed esse potius datorem gratiæ. Competit autem sibi habere gratiam secundum humanam naturam.

Ad tertium dicendum, quod donum linguarum datum est Apostolis, quia mittebantur ad docendas omnes gentes. Christus autem in vna sola gente Iudæorum voluit personaliter prædicare, secundũ quod ipse dicit Matth. 15. *3 cont. cap. 154. fin. & ver. q. 27. art. 1. & 3. c. & opus. 3. cap. 121. & Rom. 1. l. 3. & Ephes. 2. l. 3.*

Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. A *Et Apostolus dicit Roma. 15. Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis. Et ideo non oportuit, quod loqueretur pluribus linguis. Nec tamen defuit ei omnium linguarum notitia: cum etiam occulta cordium ei non essent abscondita (vt infra dicetur) quorum voces quacunque sunt signa. Nec tamē inutiliter hanc notitiam habuit: sicut non inutiliter habet habitum, qui eo non vtitur, quando non est opportunum.*

Sensus quæsiti.

QVID sit gratia gratis data & quomodo distinguatur à gratia gratum faciente, & quotuplex sit gratia gratis grata, explicat S. D. *in* 1. 2. *qu.* 111. *art.* 14. *&* 5.

Forma Textus.

CONCL. *est: In Christo excellentissime fuerunt omnes gratiæ gratis datæ.* Probatur: quia Christus fuit primus & principalis doctor spiritualis doctrinæ & fidei; ergo in eo excellentissime fuerunt omnes gratiæ gratis datæ. Antecedens probatur ex illo *Hebr. 2. Cum initium accepisset enarrari per Dominum,* &c. Consequentia vero probatur: Quia oportet eum qui docet habere ea per quæ sua doctrina manifestatur; sed gratiæ gratis datæ ordinantur ad spiritualis doctrinæ & fidei manifestationem; ergo Christus fuit principalis doctor spiritualis doctrinæ & fidei, oportet vt in eo fuerint excellentissime gratiæ gratis datæ. Maior huius argumenti probatur; quia alias sua doctrina esset inutilis.

Expositio Textus.

Gratias omnes gratis datas in Christo fuisse non solum quo ad habitum, sed etiam quo ad actū probatur ex diuinis litteris & patribus.

AD HVIVS articuli intelligentiam quinque notanda sunt circa cōclusionem, & duo circa probationem. Et primo præmittenda sunt Apostoli verba ex Epist. 1. *ad Corinth. cap.* 12. Vbi gratias gratis datas enumerans ait: *Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem: alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ: alteri fides: alij gratia sanitatum: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij interpretatio sermonum.* Quibus aliam addit S. D. *in* 2. 2. *q.* 52. *art.* 1. *ad* 2. nempe gratiam consilij, qua scilicet aliquis ita est boni consilij, vt aliis consilium præbeat, iuxta illud *primi Machab.* 2. *Ecce Simon frater vester ipse vir consilij est.* Quibus præmissis

Sciendum est primo conclusionem D. Thom. esse communem Theologorum doctrinam ex antiquis Ecclesiæ Patribus acceptam, vt patet apud Magistrum & eius expositores *in* 3. *distinct.* 13. Veritatē hanc docet August. relatus hic in argumēto *sed contra*, & *in præfatione in secundam expositionem Psalm.* 29. Greg. *lib.* 2. *Moral. cap.* 42. Chrysost. *Hom.* 11. *&* 29. *in Ioan.* Rupertus *libro* 5. *de Glor. Trinit. c.* 19. & 20. Porro Chrysost. conclusionem probat ex verbis illis *Ioan.* 3. *Non ad mensuram dat Deus spiritum.* Et probari potest ex illo *Ioan.* 1. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Cum igitur Apostoli & alij præcipui Ecclesiæ viri gratias omnes gratis datas paulo ante numeratas acceperint, easdē in Christo secundum plenitudinem præextitisse dicendum est. His adde rationem D. Thom. quæ optima est.

Secundo obseruandum est, prædictas omnes gratias, vna duntaxat excepta, non solum ad modum habitus sed etiam cum actuali nonnunquam operatione esse necessario Christo tribuendas. Ex quibus *prima* est sermo sapientiæ, qua videlicet Doctor cognitionem habens diuinorum fit potens alios congrue & facile de diuinis instruere. *Secunda* vero est sermo scientiæ: quo significatur rerum humanarum cognitio cum quadam facultate & idoneitate ad diuina per hæc humana cæteris manifestanda. Has autem duas gratias excellentissime Christum habuisse probant Origenes *lib.* 3. *contra Celsum.* Hieronym. *tomo* 3. *ad Principiam Virginem*, & Cyrillus *libr.* 2. *in Ioann.* ex illo *Matth.* 7. *Admirabantur turbæ super doctrina eius: erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut scribæ eorum, & Pharisæi.* Et ex illo *Lucæ* 4. *Et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant ex ore ipsius.* & ex illo *Ioann.* 7. *Nunquam sic locutus est homo.* Tertia est gratia fidei, quæ est certissima cognitio de rebus inuisibilibus, quæ supponuntur vt principia in catholica doctrina, vt ait S. D. *in prima secundæ, quæst.* 111. *artic. quarto*, hanc autem Christum habuisse probat S. D. & eius expositores infra *quæst.* 9. *articul.* 3. *& quæst.* 11. *articul.* 1. Ex illo *ad Colos.* 2. *In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ abscónditi.* Ex illo *Isaiæ* 11. *Replebit eum Dominus Spiritu sapientiæ, & intellectus.* Suarez tribus aliis modis exponit gratiam fidei & iuxta singulos probat esse Christo tribuendam. *Quarta* gratia est gratia sanitatum: quam Christum excellenter habuisse testātur innumeri languores, quos à Christo fuisse sanatos noui testamenti narrat historia. *Quinta* gratia est operatio virtutum: qua, vt ait S. Thom. *in alleg. quæst.* 111. *articul.* 4. Doctor catholicus suam doctrinam confirmat faciendo ea, quæ ad solam diuinæ potestatis manifestationem ordinantur; vt quod Sol stet aut tenebrescat; vel quod mare diuidatur. Quamuis autem, vt ait Chrysostomus *in Psal.* 8. Christus nullum miraculum fecerit, quod non ordinetur ad salutem hominum, quædā tamē ex illis sunt, quę ad salutem hominum suapte natura non ordinantur, sed ex Christi tantum benignitate; sicut illud *Marci* 4. *& Lucæ* 8. *Exurgens comminatus est vento, & dixit mari tace, & obmutesce, & cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna.* Huius vero generis miracula ad gratiam virtutum per se primo videntur pertinere: secundario vero aut quasi per accidens ad gratiam sanitatum. Sed præterea sunt alia quædam ad solam Dei potentiam manifestandam: ac proinde ad solam hanc gratiam virtutum pertinentia: nam statim natus creauit stellam in Oriente, quæ Magos Bethleem vsque produxit: quando baptizatus fuit Cœlos aperuit, & tempore passionis Cœlum obscurauit. *Sexta* gratia est Prophetia: quam in Christo fuisse probat S. D. *artic. sequenti. Septima* est discretio Spirituum, ad quam pertinet cognoscere & manifestare occulta cordium. Hanc autem Christum habuisse sæpe testantur Euangelia. Nam *Matth.* 9. dicitur: *Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et *cap.* 12. *Iesus autem sciēs cogitationes eorum*: Et similia habentur *Lucæ* 5. 6. 9. *&* 11. *Octaua* est interpretatio sermonum: quæ facultas quædam est proponendi & explicandi secundum legitimum sensum doctrinam iis, qui sunt erudiendi; quam gratiā excellenter in Christo fuisse testantur Euangelia *Matth.* 5. 12. 15. *&* 22. *Marci* 12. *Lucæ* 4. Quibus in locis Dominus scripturarum sensum aperuisse narratur. *Nona* est ea, quam addit S. D. ex 1. *Machab.* 2. f. gratia consilij. Quam in Christo fuisse patet ex consiliis ad perfectionem ducentibus ab eo datis *Matth. quinto, & alibi.*

Probabile esse in Christo fuisse donū linguarum non solum quo ad notitiam & facultatē, sed etiā quo ad vsum.

Difficultas vero est de gratia, siue dono linguarum. In qua tria considerantur. *Primum* est notitia omnium linguarum: Quam in Christo fuisse probat S. Doct. *hic ad tertium*; quia cognouit occulta cordium, quorum voces sunt signa; ergo multo

multo magis cognouit ipsarum vocum significata: longe namq; maius est cordium cogitationes, antequam vllo signo exprimantur, cognoscere, quam significata verborum eas exprimentium intelligere. *Secundum* est facultas vtendi linguis omnibus, quæ in organorum locutioni deseruientium bona dispositione consistit, supposita linguarum notitia. Hanc autē in Christo fuisse perfectissimam ex eo constat, quod eius corpus ab ipso Deo sapientissimo pariter ac potentissimo fuit organizatum. *Tertium* est vsus ipsarum linguarum, quem S.D. *hic ad 3. & in 2.2. qu. 76. art. 1. ad 3.* ait non fuisse Christo necessarium: *quia Christus* (inquit) *in vna sola gente Iudæorum voluit personaliter prædicare*, iuxta illud *Matth. 15. Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*, & illud Apost. *Rom. 15. Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis: & ideo non oportuit, vt loqueretur pluribus linguis. Quæ tamen notitia* (inquit) *non frustra fuit in Christo; sicut nec inutiliter habet habitum, qui eo non vtitur, quādo non est opportunum.* Vbi obserua D. Thom. non negare absolute in Christo fuisse vsum doni linguarum: sed tantum asserere non fuisse necessarium ob dictam causam. Quare non est omnino improbabilis eorum sententia, qui dicūt linguarum dono nonnunquam in priuatis colloquiis ad salutem tamen eorum quibus cum loquebatur, pertinentibus vsum fuisse: vt quando locutus cum Regulo vel Cananea, & forsitan etiam cum Pilato: In Aegypto vero, dum esset puer, si lingua illa Aegyptiaca vsus est, non fuit ex dono linguarum, quia tunc non loquebatur vt Doctor Euangelicæ veritatis, sed vt priuata persona, vt hic adB uertit Val. *puncto* 5. Quod autē de Epistola Christi Domini ad Abagarum Regem Edessenorum syriaca lingua conscripta referunt ex Euseb. Med. & Vasq. *super hoc art.* & Suar. *disp. 21. sect. 2.* satis mihi probabile est ob insignes authores, quos allegat Baronius *in primo Tomo Anal. Eccleiast anno Christi 31. à capit. 51. vsque ad 55.* Si tamen eam opinionem sequeremur, quæ nōnullis Patribus & scholasticis probabilior visa est, nimirum gratiam linguarum in eo positam fuisse, vt euangelicæ veritatis Doctor in proprio loquens idiomate ab omnibus intelligeretur, ac si in propria cuiusque audientis lingua loqueretur, absque dubio asserendum esset, non solum gratiam hanc sed etiam eius vsum pluries Christum habuisse: eo namque in solemnitatibus Iudaicæ gentis prædicante, in D quibus ad templum cum Iudæis Gentiles etiam plurimi ex Romanorum ministris, & alij ex finitimis regionibus confluebant, probabile est à singulis verborum significata fuisse percepta; quanquam de hoc, sicut & de multis aliis à Christo patratis miraculis ob causam soli Deo notam nihil meminerint Euangelistæ.

In anima Christi præter virtutē instrumentalem ad immutationes miraculosas fuisse gratias gratis datas, quasdam quidē ad modum habitus, quasdam autem ad modum influxus.

Tertio notandum est, animam Christi ptout est instrumentum Verbi cui personaliter est vnita, habuisse virtutem instrumentalem ad omnes illas immutationes miraculosas faciendas, quæ sunt ordinabiles ad finē Incarnationis, qui est instaurare omnia siue quæ in Cælis siue quæ in terris E sunt, vt ait S.D. infra *quæst. 13. art. 2.* & ideo extenditur ad omnes effectus causabiles per gratias gratis datas; nec tamen ea posita istæ superfluunt; quia virtus illa vniuersalior est; cum extendatur etiam ad iustificationem, & ad omnem aliā mutationem ordinabilem ad finem redemptionis, etiam si non sit miraculosa; gratiæ vero gratis datæ, tam singulæ quam omnes simul sumptæ obiectum habent magis contractum, scilicet miracula ad fidei confirmationem ordinata. Constat autem potestates, seu virtutes specie distingui per

A ordinem ad obiecta sua formalia; Cum itaque prædicta virtus & gratiæ gratis datæ diuersa respiciant obiecta formaliter sumpta, necesse est has ab illa formaliter esse distinctas. Nullum autem inconueniens est, eandem miraculi substantiam à Christo Domino per diuersa principia & sub diuersa ratione causari, sicut etiam per diuersas scientias cognoscit idem obiectum sub diuersa ratione; & diuersorum idiomatum notitiam habuit sub diuersa ratione per scientiam beatam & per infusam & per gratiam linguarum. Non placet autem doctrina Valentiæ *in dicto loco* dicē- *Valentia dictum reticitur.* tis virtutem illam instrumentalem physicam esse: potentiam autem harum gratiarum esse moralem: nam per has gratias Sancti quandoque physice miracula faciunt; ergo multo magis Christus.

Quarto notandum est, non omnes sed aliquas tantum ex his gratiis esse habitus infusos, & in anima permanentes: quasdam autem ex gratuita tantum Dei motione secundum singulos actus dependere: Nam donum sapientiæ, scientiæ & fidei habitus quidam sunt; gratia vero miraculorum influxus quidam est diuinæ virtutis inuocatæ miraculum operantis, aut etiam vim homini vt instrumēto ad opus miraculosum largientis: donum autem prophetiæ motio diuina est & inspiratio ad præcognoscenda ac prænuncianda futura; & quæ longe distant ab hominum cognitione. Et quia gratiæ gratis datæ eiusdem erant rationis in Christo, & in aliis quibus à Deo donatæ sunt; ideo eundem essendi modum habebant in Christo, sicut & in aliis, quædam scilicet ad modum habitus & quædam etiā vt diuinæ virtutis ac largitatis influxus: sicut enim Christus scientiam habuit beatam, infusam & acquisitam, & dona etiam intellectualia, vt omnia cognosceret omni modo cognitionis eius perfectioni congruentis, & præter potentiam animæ instrumentalem ad vniuersa miracula, & mutationes fini redemptionis deseruientes extensam: habuit etiam gratias miraculorum & sanitatum, vt s. gratiis istis sub earum propria & specifica ratione perficeretur: ita dicendum est ipsum vnamquamque gratiam secundum modum illi proprium & connaturalem habuisse: ac proinde quasdam ad modum habitus & quasdam ad modum influxus absque vllo habitu à Deo recepisse; quicquid dicat Suar. *in fine disp. 21.*

Quinto Videnda sunt, quæ scribit Caiet. & post eum Medina *circa resp. ad primum argumentum* de plenitudine & diuisione gratiarum in Christo.

Postremo lege, si placet ea quæ notat Caiet. circa antecedens; & consequentiā enthymematis, quo probatur in textu conclusio.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum in Christo fuerit prophetia.

Inf. q. 31. ar. 2. & 22. q. 174. a. 5. & Ps. 44. col. 2. Et Matth. 1. col. 2. & Ioan. 4. l. 6. col. 1 fin. & 1. Cor. 13. l. 2. col. 1. art. 3. & 4.

AD octauum sic proceditur. *Videtur, quod in Christo non fuerit Prophetia. Prophetia enim importat quādam obscuram, & imperfectam notitiam secundum illud* E *Num. 12. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, per somnium, aut in visione loquar ad eum. Sed Christus habuit plenam & apertam notitiam multo magis, quam Moyses, de quo ibi subditur, quod palam, & non per ænigmata videt Deum. Non ergo in Christo debet poni Prophetia.*

Præterea: Sicut fides est eorum, quæ non videntur, & spes eorum, quæ non habentur, ita Prophetia est eorum, quæ non sunt præsentia, sed distant: nam Propheta dicitur quasi procul fans. Sed in Christo non ponitur fides, nec spes vt supra dictum est. Ergo Prophetia etiam non debet poni in Christo.

2.2 q.174 art.4.

Præterea: Propheta *est inferioris ordinis quam Angelus: unde, & de Moyse, qui fuit supremus Prophetarum (vt in secunda parte dictum) dicitur Act. 7. quod locutus est cum Angelo in solitudine. Sed Christus non est minoratus ab Angelis secundum notitiam animæ, sed solum secundum corporis passionem, vt habetur Hebr. 2. Ergo videtur, quod Christus non fuit Propheta.*

Sed contra est, quod de eo prædicitur Deuter. 8. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris. Et ipse de se dicit Matth. 13. & Ioan. 4. Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua.

Respondeo dicendum, quod Propheta dicitur quasi procul fans, vel procul videns: inquantum scilicet cognoscit, & loquitur ea, quæ sunt procul ab hominum sensibus: sicut etiam Augustinus dicit 16 contra Faustum. Est autem considerandum, quod non potest dici aliquis Propheta ex hoc, quod cognoscit, & annunciat ea, quæ sunt alijs procul, cum quibus ipse non est. Et hoc manifestum est secundum

Cap. 18. tom. 6.

locum, & secundum tempus: si enim aliquis in Gallia existens, cognosceret, & annuntiaret aliis in Gallia existentibus ea, quæ tunc in Syria agerentur, propheticum esset: sicut Elisæus ad Giezi dixit, 4 Reg. 5. quomodo vir descenderat curru, & occurrerat ei. Si vero aliquis in Syria existens, ea quæ sunt ibi, annunciaret, non esset propheticum. Et idem apparet secundum tempus. Propheticum enim fuit, quod Isaias pronunciauit, quod Cyrus Rex Persarum templum Dei esset reædificaturus, vt patet Isa. 44. Non autem fuit propheticum quod Esdras hoc scripsit, cuius tempore factum est. Si igitur Deus, aut Angeli, vel etiam Beati cognoscunt, & annuntiant ea, quæ sunt procul à nostra notitia, hoc non pertinet ad prophetiam: quia in nullo nostrum statum attingunt, Christus autem ante passionem nostrum statum attingebat: inquantum non solum erat comprehensor, sed etiam viator. Et ideo propheticum erat, quod ea, quæ erant procul ab aliorum viatorum notitia, & cognoscebat, & annunciabat. Et hac ratione dicitur in eo fuisse prophetia.

D.1068. D.1056.

Ad primum ergo dicendum, quod per illa verba non ostenditur esse de ratione prophetiæ ænigmatica cognitio, quæ scilicet est per somnium, & in visione: sed ostenditur comparatio aliarum Prophetarum, qui per somnium, & in visione perceperunt diuina, ad Moysen, qui palam, & non per ænigmata Deum vidit, qui propheta est dictus: secundum illud Deuter. vlt. Non surrexit vltra Propheta in Israel, sicut Moyses. Potest tamen dici, quod etsi Christus habuit plenam, & apertam notitiam, quantum ad partem intellectiuam: habuit tamen in parte imaginatiua quasdam similitudines, in quibus etiam poterat speculari diuina: inquantum non solum erat comprehensor, sed etiam viator.

Ad secundum dicendum, quod fides est eorum, quæ non videntur ab ipso credente, & similiter spes est eorum, quæ non habentur ab ipso sperante: sed Prophetia est eorum, quæ sunt procul à communi hominum sensu, cum quibus propheta conuersatur, & communicat in statu viæ. Et ideo fides, & spes repugnant perfectioni beatitudinis Christi: non autem Prophetia.

Ad tertium dicendum, quod Angelus cum sit comprehensor, est supra prophetam, qui est purus viator: non autem supra Christum, qui fuit simul viator, & comprehensor.

Sensus quæsiti.

QVID sit prophetia & quot modis dicatur propheta, declarant vbertim Med. & Vasq. *super hoc articulo*, & Valentia *q. 22. puncto 5.* & S.D. *in 2.2. q. 171. per plures articulos*: hic autem ea de nomine & ratione prophetæ ac prophetiæ tradit, quæ præsenti videntur instituto necessaria.

Forma Textus.

CONCLVS. *est: in Christo fuit prophetia.* Probatur; quia Propheta dicitur quasi procul fans vel procul videns, inquantum scilicet cognoscit & A loquitur ea, quæ sunt procul à sensibus hominũ, cum quibus ipse est & communicat in eodem statu: at Christus ante passionem nobiscum erat & nostrum statũ attingebat, & ea quæ erant procul ab aliorum viatorum notitia cognoscebat & annunciabat; ergo in eo fuit prophetia. Maior quo ad primam partem patet ex Aug. *lib. 16. contra Faustum*: quo ad secundam vero partem videlicet cum quibus ipse est, probatur ex differentia secundum locum & secundum tempus, vt patet in textu: Tertia vero pars, videlicet: & communicat in eodem statu, probatur; quia Deus aut Angeli vel etiam beati cognoscunt ea, quæ sunt procul à nostra notitia, hoc tamen non pertinet ad prophetiam; quia in nullo nostrum statum attingunt. Minor vero probatur; quia Christus non solum erat viator sed etiam comprehensor. B

Controuersia Vnica.

De veritate & sensu conclusionis. An scilicet proprie fuerit in Christo prophetia, & quæ sit eius ratio & essendi modus.

TERTVL. *lib. 4. contra Marcionem, cap. 22. num. 33.* satis aperte significat Christum non vere ac proprie fuisse prophetam; sed secundum vulgi tantum opinionem: ait enim Deum à principio prædixisse populo, vt audiret Christum sub nomine prophetæ; quoniam propheta existimandus erat à populo. Quam opinionem sequitur; ac pro posse tuetur Alph. Tostatus *in cap. 11. Num. quæst. 64.* Sententia Doctorum.

C Sed conclusio D. Thom. communis est Sanctorum Patrum, & scholasticorum sententia; in qua tamen explicanda non conueniunt: Nam Caietanus ait, Christum vt viatorem dupliciter dici posse prophetam: Vno modo sumendo particulam illam, *vt viator*, quatenus denominat cõditionem tam cognitionis quam cognoscentis; quia scilicet prophetia conueniebat Christo viatori ratione cognitionis spectantis ad viam, siue hæc cognitio sit in intellectu siue in imaginatiua: Alio modo sumendo eandem particulam, *vt viator*, prout solam denotat cognoscentis conditionem ita vt Christus ideo fuerit propheta: quia cognitione aliqua creata, etiamsi esset clara visio, cognouit ea quæ sunt aliis occulta; quia illa erat cognitio viatoris; quamuis non inquantum erat

D viator illi conueniret, ita vt visio beatifica ratio esset Christum in esse prophetæ constituens, non absolute sumpta, sed vt in ipso existens statum etiam habente viatoris. Quam sententiam sequuntur Med. Vasq. & Aluar. dicens in Christo prophetiam fuisse non per modum transeuntis; sed permanenter propter coniunctionem humanitatis ad Verbum; quod etiam affirmat Medina.

Suarez *disp.* 21. tria dicit. *Primum* est; Cognitionem propheticam in anima Christi re ipsa non fuisse distinctam à cognitione supernaturali, quã per visionem beatam vel per se infusam de diuinis rebus habuit. *Secundum* est; Cognitionẽ scientiæ infusæ animæ Christi posse satis accommodate denominationem prophetiæ recipere; sed tamen etiam visionem beatam coniunctam statui viatoris sufficere ad rationem prophetiæ. *Tertium* est: Donum prophetiæ fuisse in Christo permanenter; ita vt ad nutum voluntatis suæ posset illo vti: & in hoc reliquos prophetas multum superasse. E

Alij viri doctissimi docent præter scientiam beatam & infusam in Christo ponendã esse specialem gratiam prophetiæ distinctam ab illis: & in Christo fuisse lumen propheticum per modũ transe-

transeuntis distinctum ab omni alio lumine cognitionem causante.

Resolutio. Decem enumerantur prophetiæ significationes, & probatur sex ex eis Christo formaliter, & proprie conuenire. septimam autẽ virtualiter & eminenter.

Sciendum est primo vocem prophetæ ac prophetiæ esse nomen æquiuocum ex iis, quæ dicuntur ad vnum. Cuius decem possunt assignari significationes: *Prima* & præcipua est illa, quam S. D. ex Augustino refert & declarat in textu, cui consonat ipsa nominis etymologia: dicitur enim propheta quasi procul fans vel procul videns; quatenus scilicet ex diuina inspiratione ea cognoscit & loquitur, quæ secundum tempus vel locum sunt procul à sensibus hominũ cum quibus ipse est & in eodem statu communicat. *Secundo* dicitur propheta, quicumque diuinæ mentis & voluntatis arcana cognoscit & nuntiat; quo modo Abraham Gen. 20. dictus est propheta. *Tertio* dicitur propheta, qui secreta cordium aut humanarum actionum Deo reuelante cognoscit; quo sensu Samaritana *Ioan.* 4. Christum prophetam appellauit. *Quarto* dicuntur prophetæ, qui diuini Spiritus afflatu & reuelatione homines ad pietatem instituũt explicãres eis religionis mysteria & scripturarum loca difficilia: de quo genere prophetarum loquitur Apostolus *primæ Corinth.* 12. dicẽs: *Qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem.* De quibus etiam loquitur *ad Ephes.* 1. *Quinto* dicebantur prophetæ, qui diuino afflatu hymnos in Dei laudem & gloriam concinebant, sicque populum ad pietatem prouocabant: de quibus loquitur sacer textus *primi Reg.* 10. & 19. Vbi narrat obuium factum fuisse Sauli chorum prophetarum, &c. *Sexto* vocantur etiam in diuina scriptura prophetæ, qui diuinas laudes sine afflatu speciali decantant: de quibus agitur 1. *Paralip.* 15. & 25 & 1. *Corinth.* 11. cum dicitur: *omnis vir orans, aut prophetans velato capite, &c. Septimo* dicuntur prophetæ qui libros canonicos dictante Spiritu S. conscribunt: & ideo *secundæ Petri primo* dicitur: *habentes propheticum sermonem*, id est sacram scripturam. Et Hieronym. *in Prolog. galeato* libros Iosuæ & Ruth appellat prophetales, licet sint historici, & de rebus quæ temporibus illis erant hominibus manifestæ. *Octauo* nonnunquam etiam hoc nomine vocantur pseudoprophetę: de quibus *Zach. vltimo* dicitur: *In die illa confundentur prophetæ, vnusquisque ex visione sua cum prophetauerint, nec operientur pallio saccino, vt mentiantur.* *Nono* dicitur in scripturis idem nomen de iis, qui malo Spiritu afflati quædam insolentius loquebantur: vnde *primi Reg.* 18. dicitur: *inuasit spiritus Domini malus Saul, & prophetabat in medio domus.* Et hinc *vltimo* videtur extensum ad Poetas, quos antiqui furore quodam actos sua carmina decantasse credidere-runt: & ideo Apostolus *ad Tit.* 1. Epimenidem poetam vocat prophetam Cretensium.

Ex quibus significationibus sex primæ formaliter & proprie Christo conueniunt. Septima vero virtualiter & eminenter; & de prima quidem patet: quia manifestauit absentia secundum locum quando *Ioan. primo* dixit Natanaeli: *Cum esses sub ficu vidi te*, & secundum tempus, cum destructionem Hierusalem & signa & effectum prædixit vniuersalis futuri iudicij *Matth.* 24. & 25. & *Luc.* 21. & suam proditionem, passionem, mortem, & resurrectionem ac Petri negationem *Matth.* 26. & *Lucæ* 22. Secundam autem in Christo fuisse patet *Matth.* 5. 6. & 7. Vbi multa diuinæ mentis & voluntatis, & scripturarum arcana populo nunciauit: quod etiam egregie præstitit post vltimam cænam *Ioan.* 13. 14. 15. 16. & 17. & vbique fere in Euangeliis. Tertiam vero Christum habuisse patet *Matth.* 12. Vbi dicitur Christus vidisse Pharisæorum cogitationes, quod sæpe contigisse narratur in Euangeliis. *Et Ioan.* 4. secreta peccata Samaritanæ detexit. Quartam etiam prophetiæ significationem Christo conuenire constat ex locis allegatis pro secundo modo prophetiæ. Quintam & octauam significationem, siue modum in Christo fuisse docet Euangelium *Matth.* 26. narrans, Christum cum discipulis suis hymno dicto exisse in montem Oliueti. Septimam denique prophetiæ significationem saltem virtualiter ac eminenter Christo conuenire patet ex eo, quod ea quæ in libris noui testamenti de Christi vita, miraculis & doctrina continentur, ipso docente, illuminante & inspirante, ac fortasse iubente scripta sunt. Cũ enim Dominus *Lucæ* 21. discipulos ad prædicationis constantiam exhortans ait. *Ponite in cordibus vestris non præmeditari, quemadmodum respondeatis: Ego enim dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri*: intelligitur etiam eisdem, vt euangelicæ veritatis scriptoribus sufficientem notitiam ad ea recte scribenda, quæ vera sunt, inspirasse: alioquin eorum sapientiæ in scriptis traditæ resisti veluti falsæ aut non sufficienter expressæ potuissent.

Fuisse autem Christum proprie prophetam testatur ipse de se ipso *Lucæ* 4. Vbi prophetam se nominans, præcipuis etiam ac veris & proprie dictis prophetis se comparat. s. Eliæ & Eliseo, vt etiam norant August. *Tract.* 15. *in Ioann.* & Hieronymus *in Matth.* 23. Præcipua veritatis huius probatio sumitur ex illo diuinæ scripturæ testimonio, quod S. D. allegat in argumento, *sed contra*: videlicet *Deuter.* 18. Vbi sic de Christo prædicitur: *Prophetam suscitabit Deus de fratribus vestris.* Quem locum exponunt Petrus & Stephanus de Christo. *Act.* 3. & 7. & sancti Patres communiter, quos hic referunt Suarez & Vasquez; apud quos etiam lege, si placet, alias probationes.

Christi Domini prophetiam ad triplicem posse cognitionem pertinere.

Secundo considerandum est, Christi domini prophetiam ad triplicem posse cognitionem pertinere: *potest enim primo* non absurde dici, cognitionem Christi propheticam non esse realiter à visione beata distinctam sed ratione tantum; quia nimirum visionis obiectum est essentia Dei: prophetiæ vero obiectum sunt res creatæ in essentia visæ, quatenus ab eis procul sunt, quibus annunciantur, licet ipsi Christo annuncianti sint proximæ. Nam vt hic aduertit Caietanus, omnis cognitio rerum quæ procul sunt ab hominum sensibus, etiam si sit clara visio, dummodo sit in viatore, potest esse prophetica; & ita Christus quamuis secundum hunc dicendi modum sit propheta ratione cognitionis comprehensiuæ; non tamen est propheta, vt comprehensor sed vt viator; quia Christus propheta est ratione cõprehensionis, non absolute aut in quocunque sed quatenus comprehensio hæc est in viatore. Et hic dicẽdi modus magnum habet fundamentum in doctrina D. Thom. *qui in hoc art.* beatorum notitiam, qua cognoscunt & annunciãt nobis ea, quæ procul sunt à notitia nostra, ideo negat ad prophetiam pertinere; quia in nullo nostrum statum attingunt; igitur si visioni beatificæ status viæ coniungeretur, ea cognitio rationem hoc ipso induceret prophetiæ. Quod etiam perspicue docet *in* 2. 2. *quæst.* 17. *art.* 5. *ad* 1. vbi sic loquitur: *Visio illa Moysis fuit raptim, & per modum passionis; non autem permanens per modum beatitudinis: vnde adhuc videns erat procul: propter hoc talis visio habuit rationem prophetiæ.* Vbi propria ratio seu conditio necessaria, vt visio illa Moysis esset prophetia, dicitur fuisse quod videns esset procul: constat autem omnem viatorem, vt sic, procul esse à Patria, igitur si visioni beatificæ sit annexus status viatoris, erit illa

visio non solum beatitudo, sed etiam prophetia. A

Secundo dici potest cognitionem Christi propheticam esse realiter eandem cum ea cognitione, quam habet anima Christi per species infusas, quatenus ea respicit, quæ procul sunt à sensibus hominum: & huic sensui fauet primo responsio D. Thom. secunda *ad 1. argumentum*: Vbi ait dici posse, quod licet Christus quo ad partem intellectiuam habuerit plenam & apertam notitiam, quasdam tamen in parte imaginatiua similitudines habuisse: in quibus etiam poterat speculari diuina, inquantum non solum erat comprehensor; sed etiam viator. Qua loquendi forma non obscure significat, cognitionem illam in Christo fuisse propheticam, quam habuit per species influxas; quoniam, vt ait S. D. *infra quæst. 11. art. 2.* hac vti poterat conuertendo se ad phantasmata & sic in eis diuina speculari. Hoc ipso namque, quod intelligens conuertitur ad phantasmata, dicitur ea quæ intelligit in eis speculari: & ideo dixit Philosophus *in 3. de Anima*, necesse esse intelligentem phantasmata speculari; quia s. necesse est intelligentem ad phantasmata se conuertere, quæ comparantur ad animam intellectiuam, sicut colores ad visum, vt ibidem ait Aristot. & hic est vnus gradus prophetiæ intellectualis, quæ est omnium perfectissima, vt probat S. D. *in 2. 2. qu. 174. art. 2.* quo tamen gradu perfectior est ille, qui futurorum habet notitiam in essentia Dei.

B

Tertio dici potest, prophetiam in Christo fuisse per modum passionis siue impressionis transeuntis, sicut lumen est in aere, quo modo S. D. *2. 2. q. 171. art. 1.* docet lumen propheticum fuisse in intellectibus prophetarum: hoc etiam modo valde probabile est, in Christo fuisse propheticam cognitionem: primo; quia sic proprius & formalis saluatur sensus scripturarum asserentium, Christum fuisse prophetam. Secundo; quia sic verificatur in Christo fuisse gratias omnes gratis datas secundum proprias & vniuoce sumptas earum rationes. Tertius enim hic modus, qui prophetis omnibus est communis, vnam secundum analogiam tantum cum cæteris communem habet rationem. Tertio; quia modus hic propheticæ cognitionis Christo non repugnat, neque ratione beatificæ visionis, neque vt est Deus homo: neque vt est simul viator & comprehensor; quia neque maiorem cognitionem, neque superioris ordinis perfectionem excludit.

C

Fidei, & prophetiæ differentia.

Ad cuius euidentiam notandum est, differentiam esse inter fidem & prophetiam, quod fides includit imperfectionem ex parte subiecti; quia dicit priuationem claritatis ex parte subiecti respectu rei creditæ: atque ideo non solum non tribuit claritatem creditæ veritatis; sed etiam illi repugnat in eodem subiecto, ita vt per nullum lumen in eo subiecto simul esse possit. Prophetia vero non ex parte subiecti, sed ex parte medij cognitionis imperfectionem includit; eo quod ex se non afferat claritatem manifestando propter quid veritatis reuelatæ; nec tamen excludit illam: sicut medium probabile, quamuis non efficiat euidentiam cõclusionis, non tamen eam excludit à subiecto, quod potest eam simul habere per medium demonstratiuum. Quemadmodum ergo simul esse possunt in eodem subiecto duæ cognitiones de eadem re: altera per medium probabile: & altera per medium demonstratiuum: ita respectu eiusdem reuelatæ veritatis simul esse possunt in eodem subiecto cognitio prophetica & visio beatifica, si conditionem seu statum annexum habeat viatoris, vt supra declarauimus.

D

E

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *In Christo fuit vere ac proprie prophetia.* Hæc patet ex dictis.

SECVNDA CONCL. *In Christo fuit prophetia secundum cognitionem seu visionem intellectualem cum rerum similitudinibus in phantasia: in quibus etiam poterat speculari diuina.* Hæc habetur ex responsione S. D. ad 1. argumentum, & patet ex dictis & ex doctrina D. Tho. *in 2. 2. q. 174. art. 2.*

TERTIA CONCL. *Probabile est in Christo præter dictum modum prophetiæ fuisse etiam alium, qui est per lumen propheticum influxum per modum passionis siue impressionis transeuntis.* Hæc patet ex dictis.

Argumenta & solutiones.

CONTRA *primam concl.* sunt argumenta, quæ affert hic & soluit S. D. & quæ referunt & soluũt Med. Vasq. & Aluar. *super hoc art.* & Suar. *disp. 21. sect. 1.* Contra eandem conclus. produci possunt hæc argumenta. *Primum*; quia Ioann. Baptista ob excellentiam suæ cognitionis non fuit propheta sed plusquam propheta, vt dicitur *Matth. 11.* sed cognitio Christi fuit excellentior; ergo non fuit propheta, sed plusquam propheta. *Resp.* falsum esse antecedẽs: Nam *Lucæ primo* pater eius Zacharias vocauit eum prophetam dicens: *Tu puer propheta altissimi vocaberis*: & *Matth. 11.* Christus Dominus affirmat eum fuisse prophetam, vt notat ibi glossa interlinearis: Dicitur autem plusquam propheta; primo; quia Christum demonstrauit præsentem, quem cæteri prophetæ prænunciauerunt futurum, vt exponunt Hieronymus *Matth. 11. & Ephes. 3.* Hilarius *can. 11. in Matth.* Augustl. *lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 37. & tract. 4. in Ioan.* & Greg. *Hom. 6. in Euangelia.* Secundo: quia baptizauit Christum, quod nulli alij quantumuis excellenti prophetæ concessum est, vt ait Hieronymus *locis allegatis, & q. 1. ad Algasiam.* Tertio; quia alij prophetauerunt de illo; ita Chrysost. *Hom. 38. in Matth.* Quarto; quia ab eodem fuit Angelo prænunciatus, à quo Christus; & factus propheta & præcursor Domini, antequam ex vtero nasceretur, vt ait Ambrosius *lib. 4. de fide cap. 4.* Chrysost. *Hom. 37. operis imperfecti.* Bernardus *in serm. de Nati. S. Ioannis Baptistæ*, & Isidorus *in lib. de vita Sanctorum noui testament.*

Obi. 1. cons. 4. concl.

Secundum est: Beatitudo excludit prophetiam sed Christus semper fuit beatus; ergo nunquam fuit propheta. Maior probatur ex Apostol. *1. Cor. 13.* dicente, prophetias in beatitudine euacuari; quia, *cum venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est*, scilicet prophetia, de qua dicitur ibi *ex parte prophetamus. Secundo* probatur: quia *2. Petri 1.* prophetia vocatur lumen obscurum, & caliginosum durans vsque ad lumen Patriæ: sed Christus non habuit lumen obscurum; sed lumen Patriæ clarissimum; ergo. *Tertio* probatur: quia *1. Corinth. 13.* charitas vocatur via cæteris excellentior, quia manet in beatitudine; at si prophetia simul esse posset cum beatitudine, non esset hæc excellentia propria charitatis; ergo. *Confirmatur*: quia S. Thom. *de ver. q. 20. art. 6.* ait, Christum per prophetiam non cognouisse cogitationes cordis aut futura; quia prophetia est imperfecta participatio visionis beatæ respectu rerum prophetatarum, quæ participatio nõ videtur in Christo fuisse; cum in eo fuerit visio perfectissima. *Respondetur* Maiorem esse veram de beatitudine existente in eo, qui totaliter est comprehensor; falsam autem de eo, qui secundum mentem quidem est comprehensor; secundum corpus autem est viator; iuxta priorem sensum procedit prima probatio ex auth. Apost. ad Cor. *Ad secundam* ex Epist. Petri dico, prophetiam vocari lucernam lucentem in cali-

Obi. 2.

Conf.

Solut.

caliginoso loco: quia illuminat eos, qui non sunt totaliter comprehensores, & datur ad vtilitatem eorum, qui in hac vita ambulant cum obscuritate fidei. *Ad tertiam* probationem dico, proprium esse charitatis manere cum beatitudine animæ & corporis: prophetia vero quamuis simul esse possit cum animæ beatitudine: non tamen simul manere potest cum perfecta seu totali patriæ beatitudine. *Ad confirmat.* dico D. Tho. ibi negare in Christo propheticam cognitionem respectu futurorũ contingentium, & cogitationum cordis, quo ad imperfectionem visioni beatificæ repugnantem, quam imperfectionẽ non habuit prophetia Christi: non enim de ratione prophetiæ est obscuritas, vt ante diximus. Secundo dico, D. Tho. ibi negare Christum prędicta per solam prophetiam cognouisse: quoniam ea videbat etiam scientia beata.

ad conf. *Obi. 3.*

Tertium est: Christus per scientiam beatam & infusam habuit euidentiam omnium veritatum, quo ad propter quid earum: ergo non habuit prophetiam. Antecedens patet ex sequentibus quæstionibus de scientia animæ Christi. Consequentia vero probatur: quoniam, vt ait S. D. *in* 2. 2. *q.* 174. *a.* 2. *ad* 3. prophetia importat aliquam obscuritatem: sed hanc non importat quantum ad quia est, neque quo ad hoc, quod à Deo reuelatur: ergo quo ad propter quid rei reuelatæ: obscuritas autem & euidentia simul esse non possunt, sicut nec de eadem veritate simul esse possunt fides & scientia. *Resp.* nullam esse conseq. quoniam, vt supra diximus prophetia importat obscuritatem ex parte medii, non autem ex parte subiecti: & ideo potest quis de eadem veritate habere euidentiam per vnum medium, & obscuritatem per aliud, vt videre est in eo, qui eandem conclusionem cognoscit per medium demonstratiuum, & per medium probabile.

Solut.

ARTICVLVS IX.

Vtrum in Christo fuerit plenitudo gratiæ.

Inf. a. 10 & 11. *c.* & 3. *dist.* 13. *q.* 1. *a.* 2 *qu.* 1. & *d.* 15. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 3, & *op.* 3 *c.* 221. Et *op.* 60. *cap.* 3. *p.* 2 *q.* 110. *art.* 4. *ad* 1. *Ar.* 3. & 4. *p.* 2 *art. q.* 111. *a.* 2.

AD nonum sic proceditur. *Videtur, quod non fuerit in Christo gratiæ plenitudo. A gratia enim derivantur virtutes, vt in Secunda parte dictum est. Sed in Christo non fuerunt omnes virtutes: non enim fuit in eo fides, neq; spes: vt ostensum. Ergo in Christo non fuit gratiæ plenitudo.*

Præterea: Sicut patet ex his, quæ in secunda parte dicta sunt, gratia diuiditur in operantem, & cooperantem. Operans autem gratia dicitur, per quam iustificatur impius. Quod quidem non habuit locum in Christo, qui nunquam subiacuit alicui peccato. Ergo in Christo non fuit plenitudo gratiæ.

Præterea: Luc. 1. *dicitur. Omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est descendens à Patre luminum. Sed, quod descendit, habetur particulariter, & non plene. Ergo nulla creatura, nec etiam anima Christi potest habere plenitudinem donorum gratiæ.*

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis.*

Respondeo dicendum, quod plene dicitur haberi, quod perfecte, & totaliter habetur: totalitas autem, & perfectio potest attendi dupliciter. Vno modo quantum ad quantitatem eius intensiuam: puta si dicam aliquem plene habere albedinem, si habeat eam, quantumcunque nata est haberi. Alio modo secundum virtutem: puta si aliquis dicatur plene habere vitam: quia habet eam secundum omnes effectus, vel opera vitæ, & sic habet plene vitam homo, non autem brutum animal, vel planta. Vtroque autem modo Christus habuit gratiæ plenitudinem. Primo quidem, quia habuit eam in summo secundum perfectissimum modum, quo haberi potest. Et hoc quidem apparet, primo ex propinquitate animæ Christi ad causam gratiæ: dictum est enim, quod quanto aliquod receptiuum propinquius est causæ influenti, tanto abundantius recipit. Et ideo anima Christi, quæ propinquius cõiungitur Deo inter omnes creaturas rationales, maximam recipit influentiam gratiæ eius. Secundo ex comparatione eius ad effectum. Sic enim recipiebat anima Christi gratiam, vt ex ea quodam modo transfunderetur in alios. Et ideo oportuit, quod haberet maximam gratiam: sicut ignis, qui est causa caloris in omnibus calidis, est maxime calidus. Similiter etiam quantum ad virtutem gratiæ plene habuit gratiam: quia habuit eam ad omnes operationes, vel effectus gratiæ. Et hoc ideo, quia conferebatur ei gratia tanquam cuidam vniuersali principio in genere habentium gratiam. Virtus autem primi principij alicuius generis vniuersaliter se extendit ad omnes effectus illius generis: sicut Sol, qui est vniuersalis causa generationis (vt Dio. dicit. 4. *cap. de Diuin. nom.*) *eius virtus se extendit ad omnia, quæ sub generatione cadunt. Et sic secunda plenitudo gratiæ extenditur in Christo, inquantum se extendit eius gratia ad omnes gratiæ effectus, qui sunt virtutes, & dona, & alia huiusmodi.*

Art. 1. *huius quæst.*

Ad primum ergo dicendum, quod fides, & spes nominant effectus gratiæ in quodam defectu, qui est ex parte recipientis gratiam, inquantum scilicet, fides est de non visis, & spes de non habitis. Vnde non oportet, quod in Christo, qui est actor gratiæ, fuerint defectus, quos important fides, & spes: sed quicquid est perfectionis in fide, & spe, in Christo est multo perfectius. Sicut in igne non sunt omnes modi caloris defectiui ex defectu subiecti, sed quicquid pertinet ad perfectionem caloris.

Ad secundum dicendum, quod ad gratiam operantem per se pertinet facere iustum: sed quod iustum faciat ex impio, hoc accidit ei ex parte subiecti, in quo peccatum inuenitur. Anima Christi igitur iustificata est per gratiam operantem, inquantum per eam facta est iusta & sancta à principio suæ conceptionis, non quod ante fuerit peccatrix, aut etiam non iusta.

Ad tertium dicendum, quod plenitudo gratiæ attribuitur animæ Christi secundum capacitatem creaturæ: non autem per comparationem ad plenitudinem infinitam bonitatis diuinæ.

Sensus quæsiti.

QVID voces illę *plenitudo gratiæ* significent, declarat S. D. *in tex.* & Vasq *disp.* 45. *cap.* 2. & sermo est de plenitudine simpliciter: & non tantum in genere aliquo, vt hic aduertit Caiet. & de plenitudine in ordine ad potentiam Dei non absolutam sed ordinariam.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quæsito duabus conclusionibus.

Distinctio est: Plenitudo dupliciter potest attendi: Vno modo, quantum ad quantitatem intẽsiuam: Alio modo secundum virtutem. Probatur primo hæc distinctio: quia plene dicitur haberi id quod perfecte & totaliter habetur: at totalitas & perfectio attendi potest secundum prædicta duo: ergo etiam plenitudo. Deinde declaratur quo ad primum membrum exemplo albedinis: quo ad secundum vero exemplo vitæ, vt patet in textu.

PRIMA CONCL. *est: In Christo fuit plenitudo gratiæ secundum quantitatem eius intensiuam.* Probatur: quia Christus gratiam habuit in summo secundum perfectissimũ modum, quo haberi potest; ergo. Antec. probatur dupliciter. Primo ex propinquitate animæ Christi ad causam gratiæ: quia quãto aliquod receptiuum propinquius est causæ influenti, tanto abundãtius recipit: sed anima Christi inter omnes creaturas propinquius coniungitur Deo gratiã influenti: ergo maximam recipit influentiam gratiæ eius. Secundo ex comparatione

eius ad effectum : Quia sic anima Christi gratiam recipiebat, vt ex ea quodammodo transfunderetur in alios : ergo oportuit vt haberet maximam gratiam. Consequentia probatur exemplo ignis, qui quoniam est causa caloris in omnibus calidis: ideo est maxime calidus. A

Secvnda concl. *Christus plene gratiam habuit quantum ad virtutem gratiæ.* Probatur: quoniam hæc plenitudo in Christo attenditur, inquãtum se extendit eius gratia ad omnes gratiæ effectus, qui sunt virtutes & dona, & alia huiusmodi: sed Christus habuit gratiam ad omnes dictos effectus: ergo. Maior & minor probantur: quia gratia Christo conferebatur, tanquã cuidam vniuersali principio in genere habentium gratiam: ergo hæc plenitudo attenditur in Christo in quantum &c. Antecedens patet. Consequentia probatur: quia virtus primi principii alicuius generis vniuersaliter se extendit ad omnes effectus illius generis : ergo si gratia conferebatur Christo, vt vniuersali principio in genere habentium gratiam, oportet vt eius plenitudo attendatur, in quantum extenditur ad omnes gratiæ effectus. Probatur assumptum exemplo Solis: vt patet in textu. B

Expositio Textus.

Dvbitationem excitat Cai. de sensu & veritate illius propositionis: *Gratia Christo conferebatur tanquam cuidam vniuersali principio in genere habentium gratiam:* quã erudite dissoluit, & post eum melius ac latius Medina *in resp. ad suum 3. argumentum in primo dubio.* C

Videnda sunt, quæ scribunt Cai. & Suarez circa responsiones ad argumenta : hic quidem circa respõsionem ad primum & tertium : ille vero circa responsionem ad secundum.

Circa argumentum *sed contra* vide, quæ scribit Medina *dub. 1. & in primo eius argum. & eius responsione, Vasq. disp 41. cap. 1. & Suar. disput. 22. sect. 2.*

Controuersia Vnica.

De veritate, & sensu primæ Conclusionis : an scilicet, & quo sensu verum sit in Christo fuisse plenitudinem gratiæ secundum quantitatem eius intensiuam. D

Sententia Doctorum.

De plenitudine gratiæ Christi varie locuti sunt Doctores. Nam Albertus *in 3. dist. 13.* Scotus, Bonau. Ricar. Duran. & Gabriel *eadem dist.* & Cai. *hic, & art. seq.* docent in hoc positam fuisse plenitudinem gratiæ Christi, quod fuit in summo possibili secundum Dei potentiam absolutam.

Capr. *eadem dist. q. vnica* sentit in hoc consistere plenitudinem gratiæ Christi, quod summam habuit intensionem eius naturæ conuenientem & possibilem secũdum Dei legem ordinariam: Quã sententiam sequuntur Med. Suar. Vasq. & alii recentiores Arim. *in 3. dist. 17. qu. 2.* & Driedo *lib. de c. tract. 2. a 6 sent. 8.* docent gratiam Christi, ideo dici plenam: quia capacitas subiecti ex sui natura limitatur ad eum gradum gratiæ, quem habuit Christus, quamuis per Dei potẽtiam possit habere maiorem : cum gratia ex sua natura nullum habeat terminum augmenti. E

Resolutio. Plenitudinis nomen esse multiplex, & plenitudinem gratiæ ex parte gratiæ soli Christo conue-

Quæstio hæc adeo sequentium articulorum difficultatibus est annexa, vt prorsus ab eis nequeat separari : sed quia placet secundum ordinem & distinctionem articulorum D. Thom. difficultates eis annexas examinare, controuersiam hanc à cæteris, quibus cum habet affinitatem, distinguendam esse iudicauimus. Pro cuius resolutione

Præmittendum est, duplicem esse gratiam in Christo : altera secundum quam est Deus & homo, & hæc est gratia vnionis, de qua in superiorib. multa diximus : altera est gratia habitualis, quæ duplex est, formaliter loquendo iuxta duplicem habitudinem, quam habet ad Christum. Primo namque comparatur ad ipsum, vt singularis quædam persona est: & ita vocatur gratia personalis. Secundo, vt caput aliorum hominum est & Angelorum, & ita nuncupatur gratia capitalis, de qua disserit S. D. in sequenti quæst.

Secundo sciendum est, plenitudinem seu plenum in diuinis scripturis dupliciter sumi : *Vno modo* cõmuniter siue late ac minus proprie prout significat copiam aliquam magnam seu abundantiam alicuius rei in aliquo existẽtem, etiamsi maiorem habere possit, quomodo sumitur hoc nomẽ *Psal.* 25. cum dicitur : *Domini est terra & plenitudo eius*, & *Psal. 95. Commoueatur mare & plenitudo eius*, & *Eccl. 1. Plenitudo sapientiæ est timere Deum*, & *plenitudo à fructibus illius*, & *Hierem 5. Plenitudinem annuæ messis*, &c. & in eodem sensu *Gen. 25.* dicitur Abraham, *prouectæ ætatis*, & *plenus dierũ*, & *cap. 35.* dicitur Isaac prouectæ ætatis, & plenus dierum, & *Luc. 14.* dicitur : *& repleti sunt omnes in Synagoga ira* : & alibi frequenter hæc nomina prædictum habent sensum : *Alio modo* sumuntur hæ voces, prout significant rei habitæ perfectionem & totalitatem, siue intensiuam siue extensiuam secundum virtutem, vt declarat S. D. *in textu* : in quo sensu sumitur illud *ad Coloss 2. In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Cuius significationis duplex est acceptio: potest enim habitæ rei seu perfectionis plenitudo, tam intensiua quam extensiua dupliciter attendi : *vno modo* ex parte ipsius rei seu perfectionis habitæ : & hoc modo dicitur rei habitæ plenitudo ex eo, quod habetur in summo, tam quo ad essentiam quam quo ad virtutem : quia nimirum habetur in illa maxima perfectione, qua haberi potest, & in maxima extensione ad omnes eius effectus: sicut si calorem in igne dicamus esse perfectissimum : quantum in eo est in summo gradu & ad omnes caloris effectus extenditur: *Alio modo* potest attendi perfectionis siue cuiusuis habitæ rei plenitudo ex parte subiecti : & hoc modo dicitur in aliquo esse rei habitæ plenitudo: quando in eo est secundum modum seu conditionem & mensuram illi congruentem, sicut in vase quantumuis paruo, dicitur esse plenitudo, quando iuxta modum & mensuram sibi cõuenientem aquæ aut liquoris possibilem, vel debitam quantitatem in se recepit: & hoc modo dicuntur aliqui in scripturis pleni sapientia, gratia & fortitudine, &c. Sed quia supernaturalis perfectionis capacitas, & plenitudo dupliciter potest considerari: Vno modo in ordine ad potentiam Dei absolutam : Alio modo in ordine ad potentiam Dei ordinariam : ideo duplex distinguenda est plenitudo supernaturalis perfectionis: altera, quæ attenditur secundum Dei potentiam absolutam : & altera, quæ attenditur secundum potentiam Dei ordinariam. Totidem itaque modis distinguenda est gratiæ plenitudo : Communiter enim ac minus proprie omnes filii Dei adoptiui proficientium aut etiam perfectorum statum attingentes dici possunt gratia pleni, id est gratiæ abundantiam habentes: immo quilibet Sanctus, id est quilibet habens gratiã Dei : hoc ipso dicitur habere gratiæ plenitudinẽ, quod habet gratiam, sufficientem ad merendum vitam æternam, quæ in plena Dei fruitione consistit, vt ait *in art. sequenti* S. D. *in resp. ad 2.* Quo sensu videtur accipiendum illud Apost. *ad Rom. 15. & ipsi pleni estis dilectione*, & *Ephes. 3. vt impleaminini in omnem*

mnem plenitudinē Dei. Proprie vero & ex parte gratiæ soli Christo conuenit plenitudo, iuxta illud, *Ioan.1. Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis.* Sed proprie & ex parte subiecti: ac iuxta conditionem seu statum & officium dicuntur multi gratia pleni. Vt Beatiss. Virgo *Lucæ* 1. & Stephanus *act* 6. & Apost. *act.* 2.

Capacitatem animæ nostræ & Christi respectu gratiæ esse finitam, & Christum gratiam habuisse quo ad omnes eius effectus non dicentes imperfectionē, & gratiam habuisse sufficientiam extensam ad Angelos, sed non exercitium.

Tertio notandum est, capacitatem illam gratiæ in anima Christi & nostra, quæ attenditur secūdum ordinem ad Dei potentiam absolutam, dupliciter posse considerari: *Vno modo* in genere entis seu entitatiue, & prout cathegorematice est receptiua gratiæ, idest quatenus ad totam simul gratiæ quātitatem, quæcumque illa sit, actu recipiendam est in potentia: *Alio modo* quatenus sincathegorematice illius est receptiua, vt scilicet respicit omnipotentiam Dei potentis semper maiorem ac maiorem gratiam infundere vsque in infinitum. Primo modo considerata gratiæ capacitate finita est gratia tam animæ Christi quam nostræ, non solum entitatiue: sed etiam intensiue: quia latitudo perfectionis gratiæ secundum se finita est: & ideo fieri non potest, vt anima nostra, vel Christi gratiam recipiat infinitam. Si vero secūdo modo prædicta capacitas consideretur, dicunt recentiores gratiam, quæ illam respicit, vt eius actus, esse infinitam Syncathegorematice: & hac distinctione conciliant quædam diuersa loca S.D. quæ videntur opposita: Nam de capacitate (inquiunt) & gratia priori modo loquens *infra art.* 11. docet Christi gratiam esse finitam: Alibi vero, vt *in 2.2.q.24.a.7. & supra q.1.a.3. ad 3.* ait capacitatem, quæ attenditur secundum ordinem diuinæ potentiæ nunquam impleri posse: & gratiam ac charitatem posse semper intendi, & aucta gratia & charitate augeri animæ capacitatem ad maiores eius gradus recipiendos: quæ vera sunt in posteriori sensu iam dicto: quando autem *hic ad 3.* ait, plenitudinem gratiæ attribui animæ Christi secundum capacitatem creaturæ, loquitur de capacitate potentiæ obedientialis, & de plenitudine secundum ordinem ad Dei potentiam ordinariam: quia scilicet dari non potest capacitas creaturæ receptiua gratiæ, quæ ad altiorem finem ordinetur, quam sit vnio hypostatica, & officium redemptoris, ad quod ordinatur gratia Christi, vt ait S.D. *in 3. dist. 13 q.1 art 2.q.1. in corp. & qu. 2. ad 3.* Sed hæc opinio supponit non dari summam gratiam possibilem secundum Dei potentiam absolutam: quod esse falsum, ostendemus *art. seq.*

Quarto aduertendum est, Christum habuisse gratiam, quo ad omnes illos effectus, qui non important imperfectionem, non autem quo ad eos qui imperfectionem implicant: & ideo non habuit Christus effectus omnis gratiæ sacramentalis: gratiæ namque sacramentales principaliter ordinantur ad tollendos defectus peccati, vt ait S.D. *in 4. dist. 7. qu. 2. art. 2. q 2. ad 3.* quos defectus Christus habere non potuit: quidquid tamen perfectionis est in effectu gratiæ sacramentalis, id totum per gratiam suam habitualem excellēter habuit Christus. Vnde S.D. *infra qu. 81 art. 1. ad 3.* ait Christum quandam spiritualem delectationem habuisse in institutione & sumptione Sacramenti Eucharistiæ, iuxta illud *Lucæ 22. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.* Et ob eandem causam non habuit Christus characterem Sacramentalem: sed excellentiorem habuit potestatem, vt probat S. D. *infra q. 63 a. 5.* Nec habuit aureolas, vt probat idem S.D. *in 4. dist. 49. q. 5. a. 4. q. 1.* quamuis præmium habuerit accidentale, quod est gaudium de bono opere facto in obsequium Dei, quia nullam implicat imperfectionem.

Postremo notandum est, plenitudinē gratiæ Christi dupliciter posse considerari: *Vno modo*, quo ad virtutis sufficientiam: & hoc modo extendebatur ad Angelos & ad statum innocentiæ: fuit enim ex sua infinitate sufficiens ad merendum gratiam Angelis & Adæ: sicut ob eandem infinitatē mereri potuit Incarnationem Patris & Spiritus sancti: *Alio modo* potest considerari, quo ad exercitium & actualem eius applicationem ad merendum: & hoc modo non fuit meritoria gratiæ Angelorum & Adæ: quia gratia Christi fuit gratia redemptoris: de qua re videndus est S.D. *in 3. dist. 13. q. 2. a. 2. q. 1. & de Verit. q. 29. art 7. ad 2.* Quod etiam probatur: quia alias sequeretur Christum etiam non existente peccato fuisse venturum, vt pretium Deo offerret pro gratia Angelis & Adæ collata propter ipsius Christi merita præuisa.

Conclusiones deductæ & probatæ.

PRIMA CONCL. *In Christo absolute loquendo fuit plenitudo gratiæ.* Probatur primo ex illo *Ioan. 1. Plenum gratiæ & veritatis.* Cuius loci explicatio videndæ est apud authores supra notatos. Secundo probatur: quia *Luc. 4.* dicitur: *Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane.* Alias probationes lege apud Med. *hic* & Suar. *disp. 22. sect. 2.* & Vasq. *disput. 45. c. 1.*

SECVNDA CONCL. *In Christo fuit plenitudo gratiæ vnionis.* Probatur ex diuina scriptura *ad Coloss. 2.* dicente: *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Quem locū de plenitudine gratiæ vnionis exponunt Augustinus *Epist. 57 in fine* Chrysost. *exponens illa verba ad Coloss. 1. In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Cyrill. *lib. 1. in Ioan. cap. 17.* Athan. *in Epist. de Synodo Arim.* Bernard. *serm. 8. in Cant.* Fulg. *lib. 1 ad Trasimundum, c. 5.* & Orig. *Hom. 2. in Matth.* & probatur etiam ratione: quia tota diuinitas ita fuit substantialiter vnita humanitati in persona Verbi, vt perfectius, siue plenius, aut intensius vniri non possit: Deitas autem sic vnita est gratia vnionis: igitur in Christo fuit plenitudo gratiæ vnionis.

TERTIA CONCL. *In Christo fuit plenitudo gratiæ habitualis personalis, idest gratiæ habitualis, prout ad ipsam Verbi personam Incarnatam comparatur.* Hæc conclusio est S.D. *in textu*, & Aug *tract. 3. in Ioan. & lib. 3. contra Maximinum, cap. 16. & in Epist. 57.* & Damasc. *lib. 3. de Fide, c. 27.* Et probatur ratione: Nam vt in Christo sit huius gratiæ plenitudo, satis est si illam habeat secundum totam intensionem possibilem, & secundum totam eius virtutem, qua in subiecto caulat ea omnia dona & effectus gratiæ, qui nullam implicant imperfectionē: at hoc modo gratia fuit in Christo: ergo. Minorem, quo ad primam partem asserentem in Christo fuisse gratiam secundum totam eius intensionem possibilem probat ratio S.D. *in textu.* Secunda vero pars sequitur euidenter ex prima: nam ex perfectione causæ sequitur perfectio effectus, tam secundum intensionem, quam secundum extensionem, seu multitudinem: Hanc conclusionem late probat S. D, *in Comm. super Ioan cap. 4.* exponens illa verba: *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.*

QUARTA CONCL. ex hac tertia consequens. *Anima Christi habet gratiam magis intensam, quam sit tota latitudo gratiæ omnium creaturarum.* Hæc conclusio est D. Bonau. *in 3. dist. 13. q. 2.* & Altisiodorensis *lib. 3. suæ summæ, tit. 1. cap 5.* Et probatur primo: quia *Ioannis 3.* dicitur: *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*, scilicet Christo, vt exponit ibi late S. Thom. & *art. 11. ad 1. & alibi.* Et ante eum Augustinus, *tract. 14. in Ioan.* & Chrys. *hom. 29.* at si gratia Christi non esset intensior, quam sit tota latitudo gratiæ omnium creaturarum, non fuisset illi da-

illi data sine mensura: sed haberet mensuram ea minorem, qua mensuratur tota latitudo gratiæ omnium creaturarum. Secundo probatur conclusio: quia plenitudo gratiæ secundum talem intensionem maxime congruit dignitati Christi Dei & hominis: quia gratia debet esse dignitati personæ proportionata, quantũ possibile est: dignitas autem Incarnati Verbi maior est dignitate personarum omnium creatarum simul sumptarum: igitur Christo debebatur maior gratia habitualis, quam sit tota latitudo gratiæ omnium hominum & Angelorum simul sumptorum. Quod etiam significat S.D. *in* 1.*q*.20.*a.vlt.ad* 2. dicens, Deum diligere Christum plusquam totum genus humanum, & plusquam omnes Angelos maxime ratione vnionis: qua loquendi forma significat Christi humanitatem, non solum ratione vnionis: sed etiam ratione gratiæ habitualis super omnes homines & Angelos fuisse dilectam, de qua re disserit Aluarez *disp*.37.

Ex hac concl. sequitur: Virtutes animæ Christi esse perfectiores, ac nobiliores, quam sint virtutes omnes Sanctorum omnium, tam hominum, quam Angelorum simul sumptæ: Quia virtutes sequuntur gratiam, & earum intensio est secundum proportionem ad intensionem gratiæ, à qua causantur.

QUINTA CONCL. *In Christo fuit plenitudo gratiæ capitalis*. Hæc continetur *in* 2.*concl*. D.Thom. & patet ex doctrina quæstionis sequentis: & probatur à D. Tho. *loco notato super Ioan.* Deinde etiam probatur primo ex illo *ad Ephes*. 1. *Benedixit eos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*: quæ verba ad propositum nostrum explicat eleganter Origenes *Hom*. 16.*in Leuit*. Secundo etiam probatur: quia gratia Christi virtutem habuit influendi in infinitos homines, si essent, vt ait S. D. *loco allegato*, & ante eum Orig. August. & Chrysost. *locis supra notatis*.

VLTIMA CONCL. *In Christo plenitudo gratiæ ex parte subiecti coincidit cum plenitudine gratiæ ex parte gratiæ*. Probatur: Quia plenitudo gratiæ ex parte subiecti in eo posita est, vt quis habeat plene gratiam secundum suam conditionem, & secundum virtutem ad omnia, quæ pertinent ad suum statum & officium: Plenitudo vero gratiæ ex parte gratiæ consistit in gratia vnionis, & in summa excellentia intensiua & extensiua gratiæ habitualis & capitalis: sed hæc omnia postulat gratiæ plenitudo ex parte subiecti in Christo: ergo. Maior est S.D. *a. seq*. Minor probatur, quia si in Christo non esset gratia vnionis, & gratia habitualis cum prædicta excellentia intensiua & extensiua, nõ haberet omnia requisita ad suam conditionem seu dignitatem & officium vniuersalis redemptoris: ergo.

Argum. & ei. CONTRA 1.3. & 4. conclus. sunt argumenta, quæ hic & alibi locis ad marginem notatis affert & soluit S. D. & Medina *in primo dubio*.

Contra easdem concl. militant argumenta, quæ afferri solent contra conclusiones *ar*.11. & 12. *præsentis quæstionis*.

Obi.1. *Contra easdem* Conclus. sunt hæc argumenta. *Primum*: quia gratia Christi potest amplius intendi & augeri: ergo Christus non habuit plenitudinem gratiæ secundum quantitatem eius intensiuam & secundum virtutem. Antecedens probatur: quia gratia est participatio infinitæ perfectionis Dei: ergo ad nullum determinatum intensionis gradum potest limitari, sicut nec charitas, quæ ab ea procedit. vt ait S.D. *in* 2.2 *q*.24.*a* 7. *Confirmatur primo*: Nam vt ibidem ait S. Thom. aucta charitate (& eadem est ratio de gratia) augetur capacitas animæ ad eam secũdum ampliores gradus recipiendam: ergo quacumque gratia posita in anima Christi manet in illa maior capacitas ad maiores gratiæ gradus recipiendos. *Confirmatur secundo*: quia capacitas animæ Christi respectu gratiæ est potentia obedientialis, quæ respondet omnipotentiæ Dei: sed hæc non limitatur ad aliquem determinatum & vltimum gratiæ gradum producendum: ergo neq; capacitas animæ Christi poterit vnquam impleri per aliquem determinatum & vltimum gratiæ gradum. *Resp*. falsum esse antecedens. Ad eius probationes dicemus *art. seq. Contr*.1. *Conf*.1. *Conf*.2. *Solut*.

Secundum argumentum est: Quia Christus non habuit gratiam sacramentalem, neque characterem sacramentalem: ergo non habuit plenitudinem gratiæ, quantum ad eius virtutem. *Sed huic* argumẽto supra satisfactũ est in quarto Notabili. *Obi*.2. *Solut*.

ARTICVLVS X.

Vtrum plenitudo gratiæ sit propria Christi.

AD decimum sic proceditur. *Videtur, quod plenitudo gratiæ non sit propria Christi. Quod enim est proprium alicuius, sibi soli conuenit. Sed esse plenum gratia, quibusdam alijs attribuitur: dicitur enim Luc.* 1. *Beata Virgini: Aue gratia plena, dicitur etiam Act*.7. *Stephanus plenus gratia, & fortitudine. Ergo plenitudo gratiæ non est propria Christo.* 1.*d*.13.*q*.1. *a*.2 *q*.2.

Præterea: Illud, quod potest communicari aliis per Christum, non videtur esse proprium Christo. Sed plenitudo gratiæ potest communicari per Christum aliis: dicit enim Apostol. Ephes.3. *Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei: ergo plenitudo gratiæ non est propria Christo.*

Præterea: Status viæ proportionari videtur statui patriæ. Sed in statu patriæ erit quædam plenitudo: quia in illa cœlesti patria, vbi plenitudo est omnis boni licet quædam data sint excellenter, nihil tamen possidetur singulariter, vt patet per Gregorium in homil. de centum ouibus. Ergo in statu viæ habetur gratiæ plenitudo à singulis hominibus. Et ita plenitudo gratiæ non est propria Christi. *Hom*.34.*in Euang.*

Sed contra est, quod plenitudo gratiæ attribuitur Christo, inquantum est vnigenitus à Patre: secundum illud Ioan.1. *Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis. Sed esse vnigenitum à Patre, est proprium Christo: Ergo, & sibi proprium est, esse plenum gratia, & veritatis.*

Respondeo dicendum, quod plenitudo gratiæ potest attendi dupliciter. Vno modo ex parte ipsius gratiæ: Alio modo, ex parte habentis gratiam. Ex parte quidem ipsius gratiæ dicitur esse plenitudo, ex eo, quod aliquis pertingit ad summum gratiæ, & quantum ad essentiam, & quantum ad virtutem, quia scilicet habet gratiam, & in maxima excellentia, qua potest haberi, & in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus, & talis gratiæ plenitudo est propria Christo. Ex parte vero subiecti dicitur gratiæ plenitudo, quando quis habet plene gratiam secundum suam conditionem, siue secundum intensionem, prout in eo est intensa gratia vsque ad terminum præfixum ei à Deo: secundum illud Ephes.4. *Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Siue etiam secundum virtutem: inquantum scilicet habet facultatem gratiæ ad omnia, quæ pertinet ad suum officium siue statum, sicut Apostolus dicebat Ephes*.3. *Mihi enim omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, illuminare omnes, &c. Et talis gratiæ plenitudo non est propria Christo, sed communicatur alijs per Christum.*

Ad primum ergo dicendum, quod Beata Virgo dicta est plena gratia, non ex parte ipsius gratiæ: quia non habuit gratiam in summa excellentia, qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiæ, sed dicitur fuisse plena gratia per cõparationem ad ipsam: quia scilicet habebat gratiam sufficientem

cientem ad statum illum, ad quem erat electa à Deo, vt esset scilicet mater Vnigeniti eius. Et similiter Stephanus dicitur plenus gratia: quia habebat gratiam sufficientem ad hoc, quod esset idoneus minister, & testis Dei, ad quod erat electus. Et idem dicendum est de aliis. Harum tamen plenitudinum vna est plenior altera, secundum quod aliquis est diuinitus præordinatus ad altiorem, vel inferiorem statum.

Ad secundum dicendum, quod Apostolus ibi loquitur de illa plenitudine gratiæ, quæ accipitur ex parte subiecti, in comparatione ad id, ad quod homo est diuinitus præordinatus. Quod quidem est vel aliquid commune, ad quod præordinantur omnes Sancti: vel aliquid speciale, quod pertinet ad excellentiam aliquorum. Et secundum hoc quædam plenitudo gratiæ est omnibus sanctis communis, vt scilicet habeant gratiam sufficientem ad merendum vitam æternam, quæ in plena Dei fruitione consistit: & hanc plenitudinem optat Apost. fidelibus, quibus scribit.

Ad tertium dicendum, quod illa dona, quæ sunt communia in patria, scilicet visio, comprehensio, & fruitio, & alia huiusmodi, habent quædam dona sibi correspondentia in statu viæ, quæ etiam sunt communia omnibus Sanctis. Sunt tamen quædam prærogatiuæ Sanctorum in patria, & in via, quæ non habentur ab omnibus.

Sensus, & ratio quæsiti.

QVID nomine *plenitudinis* intelligendum sit, explicat S. D. *in textu*, duplicem distinguens gratiæ plenitudinem: *proprium* autem hic sumitur, vt distinguitur contra commune. Ratio quæsiti est locutio diuinæ scripturæ, quibusdam aliis à Christo tribuentis gratiæ plenitudinem, vt patet ex primo argumento D. Thom.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quæsito duabus conclusionibus.

Distinctio est: Plenitudo gratiæ potest attendi dupliciter: Vno modo, ex parte ipsius gratiæ; Alio modo ex parte habentis gratiam.

PRIMA CONCL. *est: Plenitudo gratiæ ex parte gratiæ est propria Christi.* Probatur: quia ex parte gratiæ dicitur esse plenitudo ex eo, quod aliquis pertingit ad summum gratiæ, & quantum ad essentiam & quantum ad virtutem: quia scilicet habet gratiam in maxima excellentia, qua potest haberi, & in maxima extensione ad omnes gratiæ effectus: sed Christus solus sic habuit gratiam: ergo plenitudo gratiæ ex parte gratiæ est propria Christo.

SECVNDA CONCL. *Plenitudo gratiæ ex parte subiecti non est propria Christo.* Probatur: quia ex parte subiecti dicitur gratię plenitudo, quando quis habet plene gratiam secundum suam conditionem, siue secũdum intensionem, prout in eo est intensa gratia vsque ad terminum præfixum à Deo, siue etiam secũdum virtutem, inquantum scilicet habet facultatem gratiæ ad omnia, quę pertinent ad suum officium siue statum: sed hæc duplex ratio plenitudinis communicatur aliis per Christum: ergo non est propria Christo. Minor quo ad primam partem probatur auth. Apost. ad *Ephes.* 4. *Vnicuique nostrum, &c.* Quo ad secundam vero partem probatur ex eodem Apostolo *ad Ephes.* 3. dicente: *Mihi omnium Sanctorum minimo, &c.*

Expositio Textus.

CIRCA *primam concl.* sciendum est Irenæum *lib.* 3. *contra hæreses, cap.* 33. August. *serm.* 11. & 17. *de Natiu.* & *serm.* 35. *de* S. Hieronym. *in Epist. ad Eustochium de custodia virginitatis*, Bernardum, & alios docere vniuersa gratiarum genera hominibus à Deo media beatissima Virgine prouenire: quod tamen non obstat veritati prædictæ conclusionis asserentis plenitudinem gratiæ ex parte gratiæ esse propriam Christo: Primo, quia gratia B. Virginis non omnes effectus producit, quos efficit gratia Christi: non enim constituit æqualitatem iustitiæ commutatiuæ inter hominem & Deum, neque gratiarum actionem, aut cultum Deo reddit æqualem beneficiis à Deo receptis: Secundo: quia non eodem modo B. Virgo causat in nobis effectus gratiæ, quo causantur à Christo: Nam Beata Virgo dictos effectus moraliter tantum causat orando, & eos de congruo, dum esset in hac vita nobis promerendo: Eosdem vero causat Christus virtute propria & authoritate, non morali solum causalitate, quæ est per infinita merita condigni suæ quondam vitæ mortalis, sed per physicam etiam causalitatem, quatenus eius humanitas, vt instrumentum Verbi coniunctum, dona gratiarum influit animabus. Difficultatem hanc breuiter absoluit Aluarez *disp.* 37. *in fine.*

Circa secundam vero concl. obseruandum est ex littera D. Th. duplicem esse gratiæ plenitudinem ex parte subiecti: alteram secundum Dei prædefinitionem in ordine ad eum gloriæ gradum, quẽ vnicuique Deus ab æterno determinauit: alteram in ordine ad officium seu ministerium, ad quod in Ecclesia præordinatur, & hæc secunda plenitudo puris hominib. potest inesse sine prima, sicut etiam prima potest esse sine secunda: In Christo autem neutra potest esse sine altera. Declaratur primum: nam B. Virgo gratiæ plenitudinem habuit ex parte subiecti suo muneri congruentem: vt scilicet digne posset esse mater Dei: & Apostoli in die Pentecostes eam Spiritus S. & gratiæ plenitudinem acceperunt, qua digni & apti redderentur ad Apostolatus officium exequendum: & Stephanus *Act.* 7. gratiæ plenitudinem habuit, vt esset dignus ac idoneus minister & testis Euangelicæ veritatis. Horum tamen omnium gratiarum plenitudinem certum est, antequam ad terminum illis à diuina prouidentia prę fixum attingerent, & beatitudinem tali plenitudini gratiæ proportionatam assequerentur, pluribus suæ perfectionis incrementis auctam fuisse. Cum igitur Beata Virgo pronunciata fuit ab Angelo gratia plena, secũdam tantum, non vero primam habebat gratiæ plenitudinem, quod idem de Sanctis Apostolis, Stephano & aliis similibus dicendum est: Et quia non omnes gratiam habentes ad munus aliquod speciale excellenter exercendum ordinantur à Deo: ideo prima gratiæ plenitudo in multis Ecclesiæ membris absque secunda in ipso termino viæ reperitur. In Christo vero nulla plenitudo fuit vnquam sine alia. Nam plenitudo gratiæ ex parte subiecti ordinata ad officium redemptoris ex plenitudine gratiæ vnionis, veluti ex fonte procedebat, & plenitudinem postulabat gratiæ habitualis ex parte gratiæ, & prout erat personalis, & quatenus erat capitalis, quo ad omnes eius effectus in Christo producibiles, & in omnibus aliis, & plenitudinem gratiæ quæ beatitudini, quam habuit anima Christi, correspondaret.

Legenda sunt etiam, quæ notat Cai. circa distinctionem S. D. in textu.

Sensus maioris & minoris illius argumenti, quo probatur prima concl. declarabitur *in seq. art.* Vbi de infinitate gratiæ Christi Domini & de eius augmento possibili disseremus.

Vide præterea, quæ notat Cai. circa responsionem ad primum argumentum D. Thom.

ARTI-

ARTICVLVS XI.

Vtrum Christi gratia sit infinita.

3. d. 13. q. 1. a. 2. q. 2. & dist. 14. ar 1 q. 1. cor. & veri. q. 29. a. 3. & op. 3. c. 221. & op. 60 c. 3. & Ioa. 3. lect. 6.

AD vndecimum sic proceditur. *Videtur, quod gratia Christi sit infinita. Omne enim immensum, est infinitum. Sed gratia Christi est immensa: dicitur enim Ioan. 3. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Filio, scilicet Christo. Ergo gratia Christi est infinita.*

Præterea: effectus infinitus demonstrat virtutem infinitam quæ non potest fundari, nisi in essentia infinita. Sed effectus gratiæ Christi est infinitus: extendit enim se ad salutem totius humani generis: ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, & totius mundi: vt dicitur primæ Ioan. 2. ergo gratia Christi est infinita.

Præterea: Omne finitum, per additionem finiti potest peruenire ad quantitatem cuiuscunque finiti. Sic igitur gratia Christi esset finita, posset alterius hominis gratia tantum excrescere, quod peruenire ad æqualitatem gratiæ Christi: contra quod dicitur Iob. 28. Non æquabitur ei aurum, vel vitrum, secundum quod Gregorius ibi exponit. Ergo gratia Christi est infinita.

Sed contra est, quod gratia est quiddam creatum in anima. Sed omne creatum est infinitum: secundum illud Sap. 11. Omnia in numero, & pondere, & mensura disposuisti. Ergo gratia Christi non est infinita.

Respondeo dicendum, quod sicut ex supradictis patet, in Christo potest duplex gratia considerari. Vna quidem est gratia vnionis: quæ sicut supra dictum est, est ipsum vniri personaliter Filio Dei: quod est gratis concessum humanæ naturæ, & hanc gratiam constat esse infinitam, secundum quod ipsa persona Verbi est infinita. Alia vero est gratia habitualis. Quæ quidem potest dupliciter considerari. Vno modo, secundum quod est quoddam ens. Et sic necesse est, quod sit ens finitum: est enim in anima Christi sicut in subiecto. Anima autem Christi creatura quædam est habens capacitatem finitam: vnde esse gratiæ, cum non excedat suum subiectum, non potest esse infinitum. Alio modo potest considerari secundum propriam rationem gratiæ. Et sic gratia Christi potest dici infinita, eo quod non limitatur: quia scilicet habet quicquid potest pertinere ad rationem gratiæ: & non datur ei secundum aliquam certam mensuram id, quod ad rationem gratiæ pertinet: eo quod secundum propositum Dei, cuius est gratiam mensurare, gratia confertur animæ Christi, sicut cuidam vniuersali principio gratificationis in humana natura: secundum illud Eph. 1. Gratificauit nos in dilecto filio suo. Sicut si dicamus lucem solis esse infinitam: non quidem secundum suum esse, sed secundum rationem lucis, quia habet, quicquid ad rationem lucis pertinere potest.

Ad primum ergo dicendum, quod id quod dicitur, Pater non ad mensuram dat Spiritum Filio, vno modo exponitur de dono quod Deus pater ab æterno dedit Filio, scilicet diuinam naturam, quæ est donum infinitū. Vnde quædam glos. dicit ibidem. Vt tantus sit Filius, quantum, & Pater: alio modo potest referri ad donum, quod datum est humanæ naturæ, vt vniatur diuinæ personæ, quod etiam est donum infinitum. Vnde glo. dicit ibidem, Sicut pater plenum, & perfectum genuit Verbum, sic & plenum, & perfectum est vnitum humanæ naturæ. Tertio modo potest referri ad gratiam habitualem, inquantum gratia Christi se extendit ad omnia, quæ sunt gratiæ. Vnde Aug. hoc exponens dicit, Mensura, diuisio quædam donorum est: alij enim datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ: sed Christus, qui dat, non ad mensuram accepit.

Ad secundum dicendum, quod gratia Christi habet infinitum effectum: tum propter infinitatem prædictam gratiæ, tum propter vnitatem diuinæ personæ, cui anima Christi vnita est.

Ad tertium dicendum, quod minus per augmentum potest peruenire ad quantitatem maioris, in his, quæ habent quantitatem vnius rationis: sed gratia alterius hominis comparatur ad gratiam Christi, sicut quædam virtus particularis ad vniuersalem. Vnde sicut virtus ignis, quantuncunque crescat, non potest adæquare virtutem Solis, ita gratia alterius hominis, quantuncunque crescat, non potest adæquare gratiam Christi.

Sensus quæsiti.

DE gratia Christi sermo est abstrahendo à gratia vnionis & habituali: quamuis intentio quærendi sit præcipue de gratia habituali: quod non videtur aduertisse Suarez dicens, hic quæri de gratia tantum habituali. Melius itaque Cai. asseruit titulum hunc, vt sonat, idest de gratia indifferenter esse intelligendum.

Forma Textus.

PRÆMISSA vna distinctione cum subdiuisione respondetur quæsito tribus conclusionibus.

Distinctio est: In Christo potest duplex gratia considerari: Vna, quæ est gratia vnionis: alia est gratia habitualis: Subdiuisio est: gratia habitualis potest dupliciter considerari: Vno modo secūdum quod est quoddam ens: Alio modo secundum propriam rationem gratiæ.

PRIMA CONCL. *est: Gratia vnionis in Christo est infinita.* Probatur: quia gratia vnionis est ipsum vniri personaliter filio Dei, quod est gratis concessum humanæ naturæ. sed hoc est infinitum: ergo gratia vnionis est infinita. Maior patet ex dictis *supra quæst. 2. art. 10.* Minor probatur: quia ipsa persona Verbi est infinita.

SECVNDA CONCL. *Gratia habitualis in Christo, secundum quod est ens, est finita.* Probatur: Hæc gratia est in anima Christi sicut in subiecto; ergo est finita. Antecedens patet. Consequētia probatur: quia anima Christi est creatura quædam habens capacitatem finitam; ergo esse gratiæ in ea nō potest esse infinitum. Probatur sequela; quia esse gratiæ non excedit suum subiectum.

TERTIA CONCL. *Gratia Christi habitualis secundum propriam rationem gratiæ potest dici infinita.* Probatur: quia non limitatur sed habet, quidquid potest pertinere ad rationem gratiæ, & non datur ei secundum aliquam certam mensuram id, quod ad rationem gratiæ pertinet; ergo est infinita secundum propriam rationem gratiæ. Antecedens probatur primo: Quia secundum propositū Dei, cuius est gratiam mensurare, gratia confertur animæ Christi, sicut cuidam vniuersali principio gratificationis in humana natura: ergo. Probatur hoc assumptum *ex illo Ephes. 1. Gratificauit nos, &c.* Secūdo declaratur exemplo Solis, vt patet in textu.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt, quæ scribunt Caiet. & Suar. *in Com. præsentis art.* circa sensum singularum cōclusionum, & circa responsiones ad argumenta: & præsertim ea, quæ notat Suar. ex Patribus circa responsionem ad primum argumentum: Vbi declarantur illa verba *Ioan. 3. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.* Quæ omnia diligenter examinanda sunt *in sequentibus Contr.*

Prima Controuersia.

An gratia Christi in ratione gratiæ habeat aliquam intrinsecam infinitatem physicam vel moralem, vel extrinsece tantum sit infinita?

Sententia Doctorum.

DECEM possunt de proposita difficultate sententiæ recenseri. *Prima* est Marsilii *in 3. sent. dist. 10. art. 1. post primam concl.* asserentis gratiam Christi

Christi esse infinitam secundum extrinsecam Dei acceptationem tantum, quatenus scilicet à Deo acceptatur ad meritum & satisfactionem infinitam, & Christo confertur vt dispositio vnionem exornans humanitatis cum Verbo. Hanc opinionem Asturicensis, *pag.* 210. tribuit quibusdam Thomistis. A

Secunda sententia parum à prædicta differens est Vasq. *disp.* 47. *c.* 3 *in fine*, vbi ait, infinitatem gratiæ Christi in eo positam fuisse, vt esset principium operis infinite meritorii: cuius infinita dignitas ex vnione, cui gratia habitualis subseruiebat, proueniret.

Tertia sententia est Suar *disp.* 22. *sect.* 1. qui docet gratiam Christi esse infinitam moraliter: quoniã ex coniunctione ad Verbum æstimationem accipit infinitam, quam videtur insinuare Capr. *in* 3. *dist.* 18. *q. vnica ad* 4. *Scoti contra* 1. *concl.* B

Quarta sententia est quorundam recentiorum asserentium, gratiam Christi essentialiter esse finitam: modaliter autem infinitam: quoniam ex eo, quod est in tali subiecto, scilicet Christo, consurgit in ea quidam modus realis ac physicus, qui est modus infinitatis, per quem constituitur simpliciter infinita in esse gratiæ.

Quinta sententia est Ioan. Maioris *in* 3. *distin.* 13. *q.* 3. docentis gratiam Christi esse infinitam secundum intensionem & extensionem, ac proinde etiam in ratione gratiæ: Quam sententiam facile comprobabunt omnes illi Theologi, qui docent per Dei potentiam fieri posse infinitum in actu, quorum Princeps videtur esse Greg. Arim. C

Sexta sententia est S. Bonau. *in* 3. *dist.* 13. *q.* 1. *art.* 2. dicentis, gratiam Christi tam secundum se quam in ordine ad animam Christi, in qua veluti in subiecto recipitur, esse finitam, sed in ratione gratiæ per comparationem ad membra Christi, & vt est gratia capitis, esse infinitam, eo quod gratia Christi sit incommensurabilis cuicumque gratiæ puri hominis: ita vt quantumuis gratia puri hominis augeatur, nunquam plenitudinem gratiæ Christi valeat adæquare. Quam opinionem quidam recentiores attribuunt Scoto & Almaino *in* 3 *dist.* 13. *q.* 1. Palud. *q.* 1. *ar* 1. *&* 4. & Ricardo *art.* 1. *q.* 2. & Mich. Palatio *disp. vnica.*

Septima sententia, quæ tribuitur à quibusdam Alberto *in* 3. *dist* 13. *a.* 7. Dur. *q.* 1. Capreol. *q. vnica ad argumenta contra secundam concl.* & Altisiodorensi *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 5. est, gratiam Christi ea solum ratione esse infinitam in ratione gratiæ: quatenus extenditur ad omnes effectus gratiæ possibiles: sed quoniam hos effectus non efficit in summo gradu possibili (nam infinita intensione non qualificat animam, neq; eam reddit ad summum possibilem gratiæ gradum acceptam) ideo hæc ratio non sufficit ad constituendam Christi gratiam simpliciter infinitam in esse gratiæ, quamuis prædictam illi tribuat infinitatem intra genus & speciem gratiæ: & ideo potest quidem ob hanc infinitatem dici infinita intra rationem gratiæ, non tamen dici potest infinita in esse gratiæ: seu in ratione gratiæ: quoniam hæ locutiones denotant totalem infinitatem gratiæ secundum propriam rationem gratiæ: & ita dicunt lumen Solis infinitum à nonnullis appellari, eo quod ad omnes suæ naturæ possibiles effectus extendatur. D E

Octaua est Astur. *in Relect. de Gratia Christi, quæst.* 3. *a* 2. *concl.* 6. *pag* 231. vbi ait gratiam Christi ex coniunctione ad ipsum Verbum tantum dignificari & elevari, vt in semetipsa, & per modum principalis formæ, diuino tamẽ Verbo humanitatis supposito subordinatæ, habeat dignitatem in genere gratiæ infinitam infinitumq; valorem: adeo vt ex ipsa, tanquam ex causa & forma principali: Verbo tamẽ diuino subordinata, infinitas meriti & satisfactionis in studiosis Christi operib. participetur.

Nona sententia est Capr. *in* 3. *dist.* 13. *q. vnica*, Medinæ & aliorum recentiorum *super hoc art.* dicentium gratiam Christi, tam in genere entis, quam in genere qualitatis & gratiæ esse finitam, & per Dei potentiam absolutam augeri posse in infinitum, tam in ordine ad subiectum, quam in ordine ad beatitudinem, quamuis secundum Dei potentiam ordinariam maior esse possit.

Decima sententia est Magistri *in* 3. *dist.* 13. dicentis animam Christi habuisse tantam gratiæ plenitudinem, vt ampliorem Deus conferre non potuerit, & videtur loqui de potentia Dei absoluta. Quam sententiam secuti sunt *ibidem* Albertus, Scotus, Durand. & Cai. *in hoc art. & seq. & in* 2. 2. *q.* 24. *a.* 7. & videtur esse sententia D. Th. *in hoc & in seq. art. & locis infra notandis.*

Resolutio. Propositæ duplici distinctione infiniti, probatur gratiam Christi secundũ D. Tho. maiorẽ esse non posse in ratione gratiæ, etiam per Dei potentiam absolutam.

Ad euidẽtiam propositæ difficultatis præmittendæ sunt nõnullæ distinctiones, ex quarum declaratione perspicua fiet propria ratio ac radix infinitatis gratiæ Christi: ex cuius intelligentia facile poterũt quædam ex relatis opinionib. conciliari.

Prima distinctio est: Infinitas duplex est: altera se tenens ex parte materiæ seu potentiæ passiuæ: & hæc maximam dicit imperfectionem: altera se tenens ex parte formæ vel actus: & hæc magnam dicit perfectionem: quia sequitur ad perfectam actualitatem. Hic de posteriori infinitate sermo est: hæc enim sola potest gratiæ, quæ forma supernaturalis est, conuenire.

Secunda distinctio est: Infinitum se tenens ex parte formæ vel actus, seu infinitas formæ vel actus, duplex est: quædam secundum esse, & hæc est infinitas simpliciter quæ nulli formæ creatæ conuenit, sed soli Deo, qui est ipsum esse subsistens: quædam est infinitas secundum ipsam rationem formæ, & hæc conuenit cuilibet formæ à materia naturaliter separatæ & per se subsistenti, quales sunt Angeli: & hæc est infinitas secundum quid, quæ dicitur infinitas negatiua: quia dictis formis conuenit, quatenus non terminantur seu limitantur aut contrahuntur per aliquam materiam: sicut si albedo subsisteret naturaliter à subiecto separata diceretur infinita secundum rationem albedinis: quia per nullum subiectum limitaretur ad aliquem determinatum gradum siue modum albedinis: haberet tamen esse finitum: quia ad specialem naturam per essentialem differentiam esset determinata: De qua re videndus est S. D. 1 *p. q* 7. *a.* 3. *ad* 3. *& q* 10. *a* 3. *ad* 4. *& q.* 50. *a.* 2. *ad* 4. *& quolib.* 10. *a.* 4. *ad* 2. *& opusc.* 2. *c.* 115. Vbi sic loquitur. *Si ponatur esse aliqua forma specialis, non in subiecto existens, puta albedo vel calor: non quidem haberet essentiam infinitam: quia essentia eius esset limitata ad genus, vel speciem: sed tamen totam plenitudinem illius speciei possideret. Vnde secundum rationem speciei absque termino, vel mensura, esset habens, quidquid ad illam speciem pertinere potest. Si autem in aliquo subiecto recipiatur albedo, vel calor nõ habet semper totum, quidquid pertinet ad rationem huius formæ de necessitate, & semper, sed solum, quando sic perfecte habetur, sicut perfecte haberi potest, ita sc. quod modus habendi adæquet rei habitæ potestatem: sic igitur gratia Christi habitualis finita quidem fuit secundum essentiam: sed tamen dicitur absq; termino, & mensura fuisse: quia quidquid ad rationem gratiæ pertinere poterat, totũ Christus accepit.* Quæ verba etiam repetit *in Com. super Ioan. c.* 3. *lect. vlt.* In quibus verbis quatuor notanda sunt. Primum est S. Th. ibi loqui de phỹsica infinitate, vt indicant exempla albedinis & caloris. Secundum est ibi sermonẽ esse de plenitudine perfectionis formæ secundum potentiam Dei absolutam,

lutam, vt eadem exempla demonstrant: nam per Dei potẽtiam absolutam, nullus addi potest perfectionis gradus aut modus albedini subsistenti aut in subiecto receptæ secundum omnẽ suæ perfectionis modum. Tertium est, apud D.Th. eandẽ esse rationem quo ad infinitatem de albedine aut quacumq; alia forma subsistente: & de eadem in subiecto recepta secundum omnem perfectionis modum suæ naturæ possibilem. Quartũ est Christi gratiam esse infinitã eodem modo, quo infinita esset albedo secundũ omnem modum suæ naturę possibilem in subiecto receptam: Ex quo sequitur quintũ videlicet Christi gratiam secundũ absolutam Dei potentiã maiorem aut perfectioré esse nõ posse ex parte gratiæ siue secũdum rationẽ gratiæ.

Gratiam viatoris vt sic, esse augmentabilẽ in infinitũ, non autem gratiam cõprehensoris, & Christi gratiam esse summam, & augeri non posse

Tertia distinctio est: Gratia potest quatuor modis considerari. Primo, vt est viatoris. Secundo, vt est comprehensoris. Tertio, vt est vnita diuinæ personæ media humanitate. Quarto absolute. Et *primo* quidem modo sumẽdo gratiam, certum est illam augeri posse in infinitum, formaliter loquendo, id est quatenus est gratia viatoris eadem ratione, qua caritas in viatore est augmẽtabilis in infinitum, vt probat S.D. *in* 2.2.*q*.24.*a*.7. quod tamen augmentum non est simpliciter in infinitum: terminatur enim ad certum gratię terminum, sc. perfectionem Patriæ: sed est infinitas augmenti secũdum quantitatem viæ seu infra latitudinem viæ: sicut augmentum pueritiæ est in infinitũ non simpliciter (quia terminatur ad virilitatem, quę tamẽ est alterius rationis à pueritia) sed infra latitudinẽ pueritiæ: quia quãdiu quis est puer, semper habet quod crescat, quod si amplius crescere non possit iam puer non est: & quia quantitas perfectionis gratiæ in patria alterius est rationis à quantitate gratiæ in via: ideo quantumcunque crescat gratia viatoris, numquam attinget ad quantitatem gratiæ comprehensoris, sicut *in allegato artic.* de charitate probat S.D. & *ibidem* explicat vberrime Cai.

Secundo vero modo gratiam accipiendo, prout scilicet est comprehensoris, dupliciter adhuc potest considerari: vno modo ex parte ipsius gratiæ, & ita non est augmentabilis in infinitum, etiam per absolutam Dei potẽtiam: sed potest dari summa & perfectissima gratia, qua maior esse nõ possit, vt probat S.D. *in articulo proxime sequenti*: Alio modo considerari potest ex parte subiecti: & ita, sicut affirmat Cai. caritatem ex hac parte augmẽtabilem esse in infinitum, ita diceret gratiam ex eadem parte posse in infinitum augeri: deducitur autem hic modus augmenti charitatis: ac proinde etiam gratiæ ex tribus principijs: Primum est, Deũ posse creare Angelum perfectiorem & perfectiorem secundum naturam vsque in infinitum, non solum in puris naturalibus, sed etiam cum gratia & beatitudine. Secundum est, Angelis secundum gradum naturalium dari à Deo dona gratiarum, & perfectionem beatitudinis, vt ait S.D. *in* 1.*p*.*q*.62.*a*.6. Tertium est, data pari charitate in duobus Angelis, ab eo perfectiorem actum elici, qui perfectior est in naturalibus: quam subiectum magis dispositum melius vtitur eodem habitu, quã subiectum minus dispositum. Angelus autem habens meliora naturalia melius est dispositus ad vtendum eodem habitu charitatis. Ex his enim sequitur charitatem & consequenter etiam gratiam in summo esse augmentabilem in infinitum ex parte subiecti: nam potest Deus creare Angelum adeo perfectum, vt illi proportionetur summa charitas & summa gratia: & si adhuc alterum creet eo perfectiorem, non poterit ei conferre maiorem caritatem & gratiam: quia summa charitate & gratia, maior charitas & gratia esse non potest: huic igitur etiam summam conferret charitatem & gratiam. Quæ, licet secundum se sit æqualis illi, quæ est in Angelo inferiori: maiorem tamẽ habet perfectionem ex parte subiecti: quia maiori conatu elicere poterit actum ex gratia & charitate procedẽtem. Quomodo autem id verum sit, explicauimus *in* 1.*p*.*q*.12.*a*.6.

Opinio Cai.

Reijcitur opinio Caiet.

Sed obseruandum est, admissa hac opinione, vt ibidem à nobis est explicata, non sequi proprie & absolute loquendo, summam illam gratiam & caritatem esse maiorem seu perfectiorem ex parte subiecti: ita vt perfectio maior subiecti redunder in maiorem perfectionem gratiæ & charitatis secundum se sitque vna intrinsece maior altera: quoniam ex perfectione subiecti naturali, nihil addi potest perfectionis formæ supernaturali, quæ est diuersi ac longe altioris ordinis naturalibus. Dicendum igitur est, neque ex hac parte posse gratiam secundum se summam augeri.

Tertio modo gratia consideratur, vt est vnita personæ Verbi media humanitate: & ita per se loquẽdo, augeri nõ potest: quia summa gratia est & maior esse nõ potest, vt probat S.D. *art.seq.* quia mẽsura vnicuique formæ præfigitur per comparationem ad suum finẽ: gratiæ vero finis est vnio creaturæ rationalis ad Deum: nec potest esse aut intelligi maior vnio creaturæ rationalis ad Deum, quã quæ est in persona: & ideo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ: dixi *per se loquendo* quoniam, vt ibidem explicat, & probat Caiet. summa gratia ex natura sua & essentialiter ordinatur ad vnionem hypostaticam rationalis naturæ cum diuina persona, & vt deducit *in dicto articulo* S.D. Summæ vnioni cum Deo debetur ex ordine diuinæ sapientiæ summa gratia ad eam vt ad proprium finem ordinata: sed tamen quasi per accidens ac præter ordinem à diuina sapientia constitutum fieri posset per Dei potentiam absolutã, vt exigua aut etiã nulla prorsus gratia habitualis esset in assumpta à Verbo humanitate, & vt in aliqua pura creatura angelica vel humana esset summa ac perfectissima gratia, qua maior esse non posset.

Quatuor esse differentias inter gratiã Christi, & eam quæ in summo posset cõferri creaturæ, & gratiam absolute non esse augmentabilem in infinitum.

Sed obseruandum est inter hanc summam gratiam & eam, quæ in Christo est summa gratia, quatuor esse differentias. *Prima* est, quod gratia Christi habitualis consequitur vnionem humanæ naturæ cum Verbo personalem, sicut splendor Solem, vt ait S.D. *in vlt. huius q. art.* & ideo est illi quodammodo connaturalis: at gratia creaturæ non ex ijs oritur, quæ intrinseca sunt habenti, sed ab extrinseca Dei liberalitate confertur. *Secunda* differentia est, quod gratia Christi & operationes ex ea procedentes dignitatem habent moralem infinita ex infinitate diuinæ personæ procedentem: gratia vero puræ creaturæ nullam habet similem dignitatem. *Tertia differẽtia* est, quod Christi gratia quia Deo in persona media humanitate coniungitur, instrumentum est ipsius Dei coniunctum, sicut & humanitas ad gratiã, & alios eius effectus in pueris hominib. physice producendam: gratia vero illa summa puræ creaturæ: quia Deo non esset in persona coniuncta, nõ posset esse nisi instrumentum diuinæ virtutis à Deo separatum. *Quarta differentia* est, quod gratia Christi principium est vniuersale simpliciter gratificationis in humana natura, & ẽt in Angelica, quantum sit ex sufficientia seu virtute gratiæ, licet ad eam causandam non fuerit ordinata: quia Christi gratia fuit illi collata ad redimendum & reconciliandum: non autem simpliciter ad gratificandum: quod ẽt efficeret, si summa non esset, ob infinitam redimentis personę dignitatem: at gratia, quæ in pura creatura summa esset, vim nõ haberet ad redimendũ hominẽ & cũ Deo

recon-

reconciliandum sufficientem; quia nec ipsa, nec A eius opera dignitatem & valorem haberent moralem infinitum, sine quo impossibile est hominẽ ex iustitia redimi, & Deo per peccatũ offenso reconciliari: principiũ tamẽ esse posset vniuersale sufficiens virtute diuina gratificandi creaturas rationales, seu etiam intellectuales in puris naturalib. existentes, & nulli peccato subiectas; non minus quam lux Solis, qua maior esse non potest, ad omnes extendatur effectus. Ad hunc enim gratificationis effectum nõ exigitur in gratia, quæ illum efficit, dignitas infinita. Nam, vt ostendimus *supra q. 1. a. 2.* dignitas hæc in ea solum gratificatione requiritur, quæ præsupponit offensam Dei, cuius dignitas est infinita, vt satisfactio sit æqualis offensæ. Propter quas differentias S. D. *in 3. dist. 13. q. 1. a. 2. q. 2. ad 3.* ait: quantumcunque crescat gratia puræ creaturæ, non posse adæquare gratiam humanitatis assumptæ in vnitatem personæ, quæ ad vnionem disponit quodammodo, nisi & ipsa assumeretur: & quoniam (inquit) non est altior modus possibilis creaturæ, quo cõiungatur Deo, quam per vnitatem personæ: ideo capacitas creaturæ non potest ampliorem gratiam recipere: quæ verissima sunt propter prædictas differentias, quæ gratiæ Christi summæ secundũ rationẽ gratiæ infinitam addunt perfectionem, non solum moralem, vt prima & secunda & vltima, sed etiam physicam vt tertia. B

Quarto deniq; gratia consideratur absolute, & ita dicendum est eam non esse augmentabilem in infinitum, sicut etiã charitas absolute non est augmẽtabilis in infinitum, vt *in 2. 2. q. 24. a. 7.* probat S. Th. & *ibi* notat Cai. *non longe à fine commentarij illius artic. in tertio modo soluendi dubitationẽ*, §. *Ad cuius euidẽtiam*, & probatur: Quia si gratia absolute esset augmentabilis in infinitum, impossibile esset dari summam gratiam. Iam autẽ diximus cum D. Tho. dari summam gratiam, qua maior esse non possit, & hanc animæ Christi fuisse collatam: ergo. C

Infinitatem gratiæ personalis non esse distinctam ab infinitate gratiæ capitalis

Quarta distinctio est: Gratia Christi habitualis dupliciter consideratur: Vno modo, vt personalis quatenus sanctum facit formaliter Christum secundum humanitatem: Alio modo, vt capitalis, quatenus scilicet principium est & ratio iustificationis aliorum, vt ait S. D. *in seq. q. a. 5. ad 2.* nec tamen sicut duplex hæc ratio gratiæ distinguitur in Christo: ita duplex in eadem gratia distinguenda est infinitas, altera conueniens illi prout est personalis: & altera eidem cõgruens vt est capitalis. Nã vt probat S. D. *q. seq a. 5* gratia, quam accepit anima Christi ex sui eminentia habet, vt ad alios deriuetur, quod pertinet ad rationem capitis: & ideo eadem est secundum essentiam gratia personalis, qua anima Christi est iustificata, & gratia eius secundum quam est caput Ecclesiæ iustificans alios, & differt tantum secundum rationem: non est igitur in Christi gratia capitali & personali distincta infinitas, nisi secundum rationem. Et confirmatur: quia quantitas actionis in aliud sequitur quantitatem actus, qui est agendi principium in agente; ergo eadem est quantitas gratiæ Christi personalis & capitalis. D E

Gratiam habitualem multipliciter posse cõsiderari & multiplicẽ in ea posse infinitatem imaginari.

Quinta distinctio est ea, quæ secundo loco habetur in textu, videlicet: gratia habitualis dupliciter potest considerari: Vno modo, vt est quoddam ens, vel etiam vt qualitas quædam est: Alio modo secundum propriam rationem gratiæ: ac proinde etiam duplex vel etiam triplex potest in gratia siue vere siue falsè infinitas considerari: prima in ratione entis: esset autem gratia secũdum hanc rationem infinita, si haberet intra suam essentiam omnem entitatis plenitudinem: quod soli enti per essentiam conuenit: Secunda est in ratione qualitatis: haberet autem infinitatem secundum hanc rationem, si plenitudinem omnem totius generis qualitatis in sui natura contineret, quod alio modo fieri non posset, quam, si esset ipsa qualitatis natura subsistens abstracta ab omni limitatiuo & distinctiuo, tam formali quam materiali. *Tertia* infinitas est secũdum rationem gratiæ, quæ duplex iuxta relatas opiniones potest intelligi: altera extrinseca tantum: quæ nimirum sit secundũ extrinsecam Dei acceptationem, prout scilicet Deus gratiam illam acceptat, vt sit principium infiniti meriti & infinitæ satisfactionis: ita vt neque gratia neque meritum aut satisfactio vllam intrinsecam habeant infinitatem: sed ex acceptatione tantum: Altera infinitas gratiæ secundum propriã rationem gratiæ est intrinseca eidem inhærens & eam perficiens, & hæc duplex esse potest secundũ opinantes: quædam enim est negatiua, de qua supra diximus, & quædam positiua, quæ duplex est: quædam intensiua, quæ gratiæ conueniret, si animam infinita intensione perficeret: quædam autem est extensiua, quæ secundum vniuersalitatem effectuum gratiæ, & eorum communicationem infinitis etiam hominibus, si darentur, attenditur, vt significat S. D. in textu. Sed rursus infinitas intensiua dupliciter potest tribui gratiæ secundum propriam eius rationem: Vno modo, vt ipsa gratia secundum suam essentiam tam genericam, quã specificam sit infinita, quod esset si infinita intensione qualificaret animam, & eam infinite Deo gratam, & ad infinitam gloriam acceptam redderet: Alio modo, vt ex ipsa Verbi personalitate, cui mediate vnitur, modum quendam infinitatis physicum & realem acciperet, per quem constitueretur infinita in esse gratiæ: qui modus potest existimari esse, vel aliquid effluens à persona aut natura diuina, vel vt sit ipsamet Verbi personalitas, vt gratiæ habituali coniuncta, prout quidam asseruerunt.

Duplicem intelligi posse gratiæ infinitatem, scilicet physicam & triplicem esse moralẽ infinitatem gratiæ Christi.

Sexta distinctio principalis est: Duplex intelligi potest infinitas gratiæ, scilicet physica & moralis: quæ duæ infinitates differunt secundum quosdã, quod infinitas physica realis est: infinitas autem moralis ens rationis est. Cuius sententiæ primus author asseritur Melchior Canus: sed huius opinionis falsitas ex eo patet, quod moralis virtutum & operationum entitas vera & realis est perfectio voluntatis, & totius hominis secundum eas vires, quę sunt subiecta virtutum. Vera itaque differentia est, quod infinitas physica entitas quædam absoluta est, summam ac intimam seu essentialem rei perfectionem consequens, immo hæc infinitas idem esse videtur, quod ipsa summa rei perfectio minime limitata. Infinitas igitur physica gratiæ Christi in absoluta eius perfectione consistit effectum, & modum omnẽ gratiæ cæteris hominibus per eam communicabilem in se virtualiter continente modo superius explicato, prout etiam hic tertia sua conclusione significat S. Thom. Infinitas autem moralis modus quidam accidentarius est cum relatione magnam habens affinitatem: quia moralis entitas & perfectio in modo suæ productionis valde conuenit cum relatione: eo quod tota illa entitas posita sit in quadã proportione & habitudine transcendentali ad liberam voluntatis intentionem & ad rationem, quæ est prima radix & regula totius moralitatis. Et ideo, sicut relatio non per se primo producitur, sed producto fundamento & altero extremo resultat necessario, ita moralis entitas positis requisitis, quasi fundamentis & extremis ad eius existentiã necessariis, non potest non emanare: & ideo vide-

tur aduenire & desinere esse absque noua subiecti mutatione, sicut de relatione dicũt Metaphysici: vt patet in eo, qui die Iouis prope mediam noctẽ carnes comedit, & comestionem cõtinuat culpabiliter vltra mediam noctem: Eius enim comestio & voluntas, quæ ante mediam noctem bona fuit moraliter, nulla intrinseca in eius substantia facta mutatione fit mala moraliter. Sic igitur in proposito gratia Christi Domini ex hoc, q̃ vnitur anima mediãte personæ Verbi, dignitatem moralẽ quasi naturaliter in ea resultantem acquirit infinitam.

Ad cuius euidentiam scito, gratiam Christi ex hoc vno principio triplicem habere rationem infinitatis moralis. *Prima* conuenit illi: quatenus est dispositio quædam ad gratiam vnionis, vt declaratur *in vlt. art. huius q.* Dispositio namq; medium quoddam est proportionem quandam habens cum ea forma, ad quam vt ad finem assequendum disponit & ad eius ordinem pertinet. Cùm itaq; gratia vnionis sit infinita simpliciter: consequens etiã est vt gratia habitualis, quæ ad eam aliquo modo disponit, quandam habeat infinitatem: nõ quidem physicam: quia non ita disponit, vt physica necessitate humanam naturam ordinet ad diuinã personalitatem, vt formam informantem humanitatem, sed vt congruam reddat vnionem humanitatis cum Verbo eandem naturam personaliter terminante: quæ quidem congruitas primo quidem secundum rationes diuinæ sapiẽtiæ & voluntatis ea regulatæ consideratur. Secundario vero etiam in ordine ad humanam rationem & voluntatem, quib. tam insigne beneficium offertur meditandum, & cum gratiarum actione recipiẽdum: Hæc autem moralis infinitas in gratia resultare videtur hoc ipso, quod dispositio est ad vnionẽ Verbi personalem cum humanitate: Sic enim dignitas quędam ipsa gratia disponente resultat infinita: & hæc infinitas inest gratiæ per accidens, vt ait S. D. *in 1. dist. 44. q. 1. a. 3. ad 2.*

Secunda ratio infinitatis in Christi gratiam ex ipsa eius vnione cum Verbo deriuatur. Sicut enim humanitas ex vnione ad Verbum infinitã habuit dignitatem, vt ait S. D. *infra q. 48. a. 2. ad 3. & 1. p. qu. 25. a. vlt. ad 4.* ita gratia & aliæ humanæ naturæ perfectiones media ipsa humanitate Verbo coniunctæ eandem induunt dignitatem. Differt autem hęc infinitas à præcedẽte: quoniam hæc magis intima est perfectioni, quæ dicitur infinita, quã illa, & est illi cõis cum humanitate & eius omnib. perfectionibus, tam naturalib. quam supernaturalib.

Tertia ratio infinitatis, quæ solũ videtur extrinseca moralis eiusdem gratiæ, quæ sequitur ex præcedenti, consideratur ex ordine eius ad effectum infinitum, vt ait S. D. *hic ad 2. & expressius in 1. dist. 44. a. 1. ad 2.* Vbi ait Christi gratiam esse infinitam secundum quid, inquantum concurrit ad operationem Christi, quæ est infiniti valoris, vt est operatio diuinæ personæ. Hanc moralis infinitatis rationem quidam recentiores viri doctissimi dupliciter explicant. *Primo* quoniã effectus gratiæ formalis est infinitus: eo quod gratia formaliter gratificat suum subiectum, & intrinsece facit illud dignum beatitudine, & vnit illud habitualiter Deo secundum effectum, & facit illud potens satisfacere pro culpa, & mereri merito ordinis gratiæ: ideo cum gratia Christi ad prædictos effectus perficiat suppositum infinitum, quod infinitam gratiæ confert dignitatem moralem: consequens est vt eadem gratia moralem habeat infinitatem in suo effectu formali. Quod amplius explicatur: Nam hoc quod est facere subiectũ potens mereri & satisfacere, est facere illud subiicibile Deo: sicut vnire illud Deo secundum affectum & dignum reddere beatitudine, est ordinare illud in Deũ & beatitudinem: ordinare aũt & subijcere personam infinitam est infinitæ dignitatis: quemadmodum ẽt supra cum Astur. diximus Christi satisfactionẽ & meritum esse infinita: quia per hæc Deo subijciebatur infinita persona. *Secundo* rationem hãc infinitatis explicant in effectu, quẽ habet gratia Christi, quasi in genere causæ efficientis per modũ naturæ & primæ radicis habituum ac actuum supernaturalium. Nam gratia primum principium est virtutum omnium infusarum, vt religionis, obedientiæ &c. eo modo, quo essentia animæ principium est suarum potentiarum & passionum.

Cum igitur hæ virtutes sint principia suorũ actuum efficiẽtia iuxta propriam eorum naturam, & quidam ex eis suapte natura reflexiui sint supra personam operantẽ, & eam Deo subijciant, vt supra diximus de actib. satisfactorijs & meritorijs: consequens est vt gratia Christi fuerit in eo principium dictarum virtutum, & eorum ẽt actuum, qui super ipsam Christi personam infinitam reflecterentur. Iam aũt diximus *supra q. 1. a. 2.* actus illos reflexiuos in Christo dignitatem habere moralem & personalem infinitam ob infinitatem personæ Verbi, super quam reflectuntur illam Deo subijciendo summo modo moraliter possibili.

Ex quibus sic construi potest argumentum ad ostendendum prædictam rationẽ infinitatis: gratia Christi habitualis principiũ est, quasi per modum naturæ actuũ obedientiæ, iustitiæ & religionis &c. quos habuit Christus, vt sunt moraliter infiniti: igitur in gratia Christi præexistit moralis infinitas. Antec. patet ex dictis: Consequentia vero probatur: quia causa efficiens eam omnem præhabet dignitatem, quam effectui communicat: ergo. Hæc vero dignitas in gratia & virtutib. Christi, nihil aliud est quam virtus ad producẽdum actum, qui super infinitam Christi personam reflectatur eam Deo subijciens summo modo morali, sicut enim actus ipsi prædictam habent infinitatẽ propter actualem eorum reflexionẽ super infinitam Christi personam, ita gratia & virtutes iam dictæ eandem, vt principia dictæ reflexionis præhabent infinitatem. Et quia tria prædicta, ex quib. moralis infinitas gratiæ depẽdet, cuicunq; gratiæ, quãtumuis remissæ si Verbo esset vnita conuenirent: ideo quælibet gratia, quæ Verbo media humanitate esset vnita, tres iam dictos haberet modos infinitatis; sed quamuis gratia valde remissa esset instrumẽtum vniuersale gratificationis in humana natura: non esset tamen instrumentum excellentiæ, nec esset proprie causa exemplaris & finalis totius gratiæ nostræ: quoniam ista gratiæ Christi ex sola physica infinitate possunt conuenire.

An & quomodo potentia obedientialis possit simpliciter augeri.

Septima distinctio est: Duplex est in creatura capacitas: altera naturalis quæ est potentia ad recipiendum perfectiones naturales: altera est potentia obedientiæ, secundum quam potest recipere aliquid à Deo: & vtraque potest dupliciter considerari: Vno modo, prout ad omnem sui ordinis potentiam in creatura existentem extenditur: Alio modo, prout dicit vnam aliquam tantum potentiam ad vnam perfectionem determinatam. Exempli gratia: Potentia naturalis, quæ est in homine, potest considerari dupliciter. Primo, prout est quasi vna potentia totalis plures in se continẽs particulares potentias ad diuersos actus, & ita complectitur in se potentiam corporis respectu animæ, potentiam intellectus respectu specierum & scientiæ, & potentias sensuum ad species sensibiles cuiuscunque generis, puta albi, nigri &c. Secundo potest eadem potentia considerari prout est talis potentia, puta corporis, respiciens talem

lem actum, puta animam. Et similiter potentia A obedientiæ in homine potest dupliciter considerari: Vno modo prout complectitur potentias omnes homini conuenientes in ordine ad actus à Deo recipiendos: Alio modo, prout dicit hanc particularem potentiam respicientem hunc actū, puta potentiam ad gratiam vel potentiam ad immortalitatem, vel potentiam ad transmutari in aliam substantiam, &c. Differunt potentia naturalis & potentia obedientiæ: Illa enim vtroque modo sumpta potest impleri: potentia vero obediētiæ primo modo sumpta, tota non potest impleri: vt ait S. D. *de ver. q. 29. a. 3. ad 3.* Cuius verba sunt: *Capacitas creaturæ dicitur secundum potentiam, quæ est in ipsa: Est autem duplex potentia creaturæ ad recipiendum: Vna naturalis, quæ potest tota impleri: quia hæc non se* B *extendit, nisi ad perfectiones naturales: Alia est potentia obedientiæ, secundum quod potest recipere aliquid à Deo: Et talis capacitas non potest impleri: quia quidquid Deus de creatura faciat, adhuc remanet in potentia recipiendi à Deo.* Vbi satis aperte loquitur de vtraque potentia creaturæ secundum totalem sui rationem complectentem plures potentias: Si vero sermo sit de potentia obedientiæ, prout respicit talem actum, certum est eam impleri posse: Nam potentia corporis ad immortalitatem impletur ea recepta, & potentia totius hominis, vt conuertatur in statuā, impletur conuersione facta: vt patet de Vxore Loth. Et potentia hominis ad resurrectionem impletur recepta vita, & potentia animæ ad recipiendam à Deo peccatorum remissionē, illis à Deo re- C missis impletur: Et similiter potentia animæ Christi ad summā gratiam possibilem impletur, ea recepta: Ex quo sequitur, non omnem capacitatem seu potentiam obedientialem fieri posse meliorem vsq; in infinitum: nam capacitas illa. quæ potest impleri, non potest, postquam impleta fuerit, esse melior.

Octaua distinctio: Capacitas seu potentia obediētialis creaturæ duplex est: quædam remota & quædā proxima. Exempli gratia: In anima nostra capacitas gratiæ remota est ipsa animæ rationalis natura, vt ait S. D. *in 2. 2. q. 113. ar. 10.* Cuius verba sunt: *Naturaliter anima est gratiæ capax: eo enim ipso, quod facta est ad imaginem Dei, capax est Dei per gratiam, vt Augustin. dicit*: Dispositio vero ad gratiam, quam D Deus fecit in anima mouendo voluntatē ad actus fidei, Spei, charitatis &c. est potentia proxima ad gratiam: prima illa potentia non potest augeri, sed hæc secunda potest augeri aucta dispositione, vel etiam aucta gratia, si non fuerit summa: hæc enim augeri non potest.

Præterea notandum est diligēter, gradus omnes entium pertinentium ad ordinem & perfectionem vniuersi naturalem à Deo fuisse productos, vt ostendimus *in p. q. 50. a. 1.* quamuis nō omnes modi siue species singulorū graduum possibiles sint creatæ: quia potest Deus per absolutam sui potentiam Angelos creare nobiliores, ac nobiliores vsque in infinitum. At nō est certum, gradus omnes ad ordinem supernaturalem pertinentes à Deo E fuisse productos: sed valde probabile est, posse Deum supra ordinem gloriæ, & infra ordinem vnionis hypostaticæ plures gradus accidētium supernaturalium creare, quæ sint diuersæ participationes Dei, quatenus est agens supernaturale: Cū enim Dei Sapientiam, prouidentiam ac Omnipotentiam comprehendere minime valeamus, sed ea tantum de supernaturalib. cognoscamus, quæ sunt nobis à Deo misericorditer reuelata, existimandum est plurima in diuinæ sapiētiæ & omnipotentię thesauris latere, quæ nec per semetipsam assequi valet humana ratio, nec Deo placuit ea re-

Naz. in D. Thom. 3. partem.

uelare: Et de gradibus his Deo possibilib. videtur intelligēdus S. D. *in art. seq. ad 2.* cum ait posse Deū facere aliquid maius ac melius, quam sit habitualis gratia Christi, vbi loquitur de potentia Dei nō ordinaria sed absoluta, vt ibidem aduertit Caiet. Quod etiam videtur significare S. D. *in alleg. a. 3. de ver. ad 6.* dicens, capacitatem animæ Christi esse finitam, & Deum posse maiorem capacitatem facere & meliorem creaturā, quam sit anima Christi, si per intellectum separetur à Verbo: videtur enim loqui de capacitate in actu recipiente altioris ordinis perfectionem, quam sit summa gratia. Vel dicas D. Tho. loqui de maiori capacitate ex parte subiecti, non autem ex parte perfectionis, ad quā ordinatur: Dicitur autē maior capacitas ex parte subiecti, quia sc. illi ratione maioris intellectualitatis magis cōsonat idem gratiæ gradus: atq; ideo, licet crearetur à Deo vnus Angelus, cui gratia cōueniret in summo, si tamen postea crearetur Angelus eo nobilior, diceretur etiā creari maior summæ gratiæ capacitas hoc ipso, quod Angelus de nouo creatus nobiliorem haberet naturam intellectualem: quoniam (vt ante diximus) gratiæ capacitas creaturæ conuenit ratione naturæ intellectualis: igitur quo nobilior fuerit hæc natura, maior erit in ea gratiæ capacitas, non per ordinem ad maiorem gratiam recipiendam, sed per maiorem cum ipsa gratia congruitatem, qua magis elongatur à repugnantia: Et hæc etiam expositio consonat responsioni prædictæ, quæ nō loquitur de eadem numero capacitate, sed absolute dicens Deū posse facere maiorem capacitatē, quam sit capacitas animæ Christi: secūdum quem sensum optime satisfit argumento ibidem sexto vt patet conferenti responsionem illam cum argumento: sed prima interpretatio melior est.

Conclusiones deductæ & probatæ.

PRIMA CONCL. *Gratia Christi non est infinita per solam extrinsecam Dei acceptationem.* Probatur: quia sequeretur infinitatem gratiæ Christi cuilibet homini puro gratiam quantumuis remissam habēti posse cōmunicari, ac proinde Christi Incarnationē homini perfecte redimendo nō fuisse necessariam. Probatur consequentia: quia potuit Deus q̄. libet puri hominis gratiā in satisfactionē pro peccatis omnium hominum acceptare. Deinde hæc acceptatio nullā ponit in Christi gratia perfectionem: Igitur in inquirenda ac statuenda perfectione gratiæ Christi frustra, & impertinenter recurritur ad intrinsecam Dei acceptationem. Vt etiam aduertit Astur. *in allegata q. 3. concl. 1. pag. 211.*

SECVNDA CONCL. *Gratia Christi habitualis non est secundum intensionem actu & cathegorematice simpliciter infinita.* Probatur primo: Quoniam, vt probat Arist. *in 3. Phys.* & S. D. *in 1. p. q. 7.* impossibile est in rebus creatis esse infinitum in actu secundū essentiam, aut secundum magnitudinem vel multitudinem: ergo. Secundo probatur: quia solus ille effectus potest à Deo produci, quē potest determinate cognoscere, sed non potest Deus determinate cognoscere supremū illum intēsionis gradum, quo gratia secundum oppositam opinionem in actu & cathegorematice sit infinita secundū intēsionem: ergo. Minor probatur: quia implicat contradictionem gratiam esse infinitam, & habere vnū vltimum gradum. Tertio probatur concl. quia si produci posset à Deo gratia infinita secundum intensionem, posset exhauriri diuina potētia, ita vt nihil amplius posset ab ea produci, quia sic posset omnes effectus ab ea producibiles vsq; in infinitum simul actu producere, quo posito nullus omnino supereſſet effectus à Deo producibilis: eadē enim est ratio de vno & de cęteris omnib. infinitis respectu diuinæ potentiæ: igitur impossibile est

Christi gratiam esse secundum intensionem actu & cathegorematice simpliciter infinitam.

TERTIA CONCL. *Gratia Christi non habet infinitatem physicam essentialem, vel modalem in eam ex vnione eius ad Verbum deriuatam.* Probatur *prima pars* negans infinitatem gratiæ Christi physicam essentialem. Primo: quia gratia secundum suam essentiam duos habet in anima formales effectus: Alterum primarium, qui est reddere animam formaliter Deiformem seu naturæ diuinæ consortem: Alterum secundarium, qui est constituere eam formaliter acceptam ad gloriam: At secundum vtrumque prædictum effectum gratia Christi simpliciter est finita: ergo gratia essentiam habet physice finitam. Prima propositio certa est apud omnes Theologos. Secunda probatur: quia charitas & Spiritus sancti dona gratiam consequentia sunt finita: ergo & ipsa gratia essentialiter est finita. Antecedens patet, consequentia probatur, quoniam effectus naturali sequela formam consequentes illi proportionantur: ergo. Tertio probatur eadem pars: quia gratia Christi secundum rationem qualitatis est finita, vt ante diximus: ergo etiam secundum ipsam essentiam est finita: Probatur sequela: quia qualitas est ratio essentialis gratiæ, cum sit eius ratio generica. Et confirmatur: quia differentiæ specificæ continentur sub potentia generis: ergo si ratio generica finita est, eius etiam specifica differentia finita est.

Altera vero pars concl. negans in gratia Christi infinitatem physicam modalem probatur primo: quia humanitas Christi ex vnione ad Verbum nō habet hanc modalem infinitatem, vt ostendimus *supra q. 2. a. 2.* ergo multo minus gratia, quæ non nisi mediante humanitate vnitur Verbo, talem ex vnione acquirit infinitatem. Et confirmatur: quia reliqua accidentia humanitatis Christi siue corporea, siue spiritualia, sunt finita simpliciter. Nam scientia animæ Christi tam infusa, quam acquisita secundum communem Theologorum sententiam finita est in ratione scientiæ, & similiter albedo, caliditas &c. ergo etiam gratia habitualis in Christo est finita simpliciter. Secundo probatur eadem pars: quia talis modus neque causatur ab hoc Deo, seu à tota Trinitate, neq; causatur à solo Verbo: ergo. Antecedens quo ad primam partem probatur: Quia eadem ratione posset causari in Gratia cuiuslibet puri hominis aut Angeli, quod nullus vere sapiens Theologus admittet. Quoad secundam vero probatur primo. Quia Verbum relatione constituitur, quæ non est actiua: & licet vniatur humanitati personaliter, hoc tamē, quod est humanitati personaliter vniri, non est agere, sed terminare. Secūdo probatur: Quia prædictus modus neque naturali & necessaria resultantia, neque actione noua, seu libera fieri potest à Verbo: ergo. Prior pars Antecedentis probatur: Quia absurdum est asserere aliquem effectum à Verbo in Creaturam necessario, & absque libertate procedere. Posterior vero pars probatur primo: Quia sequeretur hunc modum non à solo Verbo, sed à tota Trinitate fuisse productum, quod nō admittunt oppositæ sententiæ defensores. Consequentia probatur: Quia omnis actio libera Dei ad extra communis est toti Trinitati, quia fit per Intellectum, Voluntatem, Potentiam & actionem, quæ tribus sunt communia. Secūdo probatur eadem pars: Quia sequeretur fieri posse per absolutam Dei potentiam, vt Gratia Christi nullam haberet infinitatem, quod Aduersarij non admittent. Sequela probatur: Quia si Verbū libere modum illum in Gratia produxit, potuit non producere: Igitur ex illo modo Gratia nullam haberet infinitatem. Immo amplius sequeretur absq; fundamento, ac mere gratis affirmari talem modū infinitatis inesse Gratiæ Christi, quia nulla ratione probari potest dictum modum in Gratia Christi fuisse à Verbo productum. *Nec admittenda est eorum responsio*, qui dicunt Verbū seipso formaliter exercere circa Gratiam rationē modi, atq; ita per Verbum immediate tanquam per modum constitui formaliter infinitam: *absurdum* enim ac plane stultum est asserere Diuinam personam seipsa formaliter esse modum physicum rei creatæ: non minus enim dicit imperfectionem modus physicus, quā forma physica: certum autem est Deum fieri non posse formam rei creatæ in esse physico: igitur neq; modus eius physicus effici poterit. Et confirmatur: quia modus physicus idem est realiter cum forma, vel re, cuius est modus: Verbum autem nō potest idem esse realiter, quod res creata: ergo.

QUARTA CONCL. *Gratia Christi fuit summa non solum secundum legem Dei ordinariam, sed etiam secundum potentiam eius absolutam.* Hæc conclusio patet ex iis, quæ supra notata sunt ex D. Thom. *opusc. 2. & ex art. seq.* Vbi de hoc agemus vberius.

QUINTA CONCL. *Gratia Christi licet secundum intensionem, & positiue sit finita, est tamen infinita negatiue*: quia scilicet ad nullam particularem Gratiæ gradum, mensuram aut modum est determinata, sed omnem habet Gratiæ possibilem plenitudinem: sicut albedo subsistens, vel etiam in subiecto secundum omnem sui perfectionem & modum in subiecto recepta esset infinita negatiue: quia ad nullum esset albedinis gradum particularem, aut modum determinata, vt ait S. D. *in opus. allegato*, & de Angelis, ac de qualibet forma subsistente idem asserit *1. p. q. 7. art. 2.* & idem docet de Aeuo, *q. 10. a. 5. ad quartum*, & hæc est infinitas secundum quid, vt *in dicto art. 2.* ait S. D. & est infinitas physica, quia formis conuenit secundum se, & absque ordine ad rationem & voluntatem, quę sunt principia totius moralitatis. Hanc explicauit *in hoc artic.* S. D. exemplo lucis Solaris, quæ secundum rationem lucis dici potest infinita negatiue, quia ad nullum particularem lucis gradum, aut modum est determinata, sed habet quidquid ad rationem lucis, etiam per absolutam Dei potentiam potest pertinere. Hanc conclusionem sic explicatam S. Th. *in alleg. opusc. 2. cap. 215. & super Ioan. cap. 3. lect. vlt. & in 3. dist. 13. q. 1. a. 2. q. 2.* probat ex triplici capite. Primo ex parte recipientis, quia scil. gratia habitualis dari debet infinite, & non secundum mensuram, quando datur, quantum natura creata capax esse potest: hoc autē modo data fuit Animæ Christi. Secundo ex parte ipsius gratiæ, quia sc. quidquid ad rationem gratiæ pertinere poterat, totum Christus accepit. Tertio ex parte causæ, quia causa gratiæ in Christo est infinitæ virtutis, hæc est. n. Verbum Diuinum, quod est totius emanationis creaturarum indeficiens & infinitū principium: quæ singula late declarat S. D. *locis allegatis*, quæ omnino videnda sunt: Vbi etiam explicat dictum illud *Ioan. 3. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum*: Quam expositionem impugnat Vasq. *disp. 46. cap. 3.* Sed eam defendit Astur. *q. 3. a. 1. concluſ. 3.* & Aluar. *disp. 33.* vbi Vasq. diluit argumenta, & probat eius expositionem non esse Diuinæ scripturæ congruentem. Eandem veritatem perspicue docet. S. Tho. *de Ver. q. 29. a. 3. in fine Corporis*, vbi sic loquitur: *Si intelligatur aliqua anima sensibilis, quæ habeat in se quidquid potest concurrere ad perfectionem sentiendi qualitercunque, illa quidem anima erit finita secundum essentiam, quia esse suum est limitatum ad aliquam perfectionem essendi, scilicet sensibilem, quam excedit perfectio intelligibilis: esset tamen*

Vasq. expositio reijcitur.

tamen infinita secundum rationem sensibilitatis, quia A *eius sensibilitas ad nullum determinatum modum essendi limitaretur: Et similiter dico de Gratia habituali Christi, quod est finita secundum essentiam, quia esse suum est limitatum ad aliquam speciem entis, scilicet ad rationem Gratiæ, est tamen infinita secundum rationem gratiæ, quia cū infinitis modis possit considerari perfectio alicuius quantū ad gratiam, nullus eorum defuit Christo, sed habuit in se gratiam secundum omnem plenitudinem, & perfectionē, ad quam ratio huius speciei, quæ est gratia, potest extendere,* &c. His adde quartam rationem physicæ infinitatis ex tribus prædictis consequentem, quæ attenditur in ordine ad effectus, quam S. D. hic exprimit in probatione tertiæ Concluſ. & argumento secundo, & eius resp̄sione, & explicat *in 3 loco notato.* Et hæc ratio infinitatis gratiæ Christi B conuenit, prout est capitalis influens in membra, & sola ratione differt ab infinitate gratiæ personalis, sicut etiam gratia capitalis eadem est realiter cum gratia personali, vt probat S. D. *q. seq. art. 5.* Et probatur hæc infinitas de gratia Christi: Nam vt ait S. D. *de spiritualibus Creaturis. art. 6. ad 8.* quælibet virtus superioris ordinis, licet sit finita in se, & respectu sui superioris, est tamen infinita respectu suorum inferiorum; sicut virtus Solis est infinita respectu generabiliū & corruptibilium, per quorum productionem, etiam si in infinitum esset, non minoraretur; Et similiter virtus intellectus est infinita respectu formarum sensibilium, & virtus substantiæ spiritualis, quæ mouet Cœlum, est infinita respectu motus corporalis; At talis est Christi gratia; quia posset physice influere C in infinitos peccatores, si tot essent; igitur gratia Christi prædictam habet physicam infinitatem.

Sexta Concl. *Gratia Christi triplicem habet infinitatem moralem.* Hæc patet ex dictis *in explicatione quartæ distinctionis.*

Vltima Concl. *Gratia Christi dicenda est simpliciter, id est absolute infinita, non autem simpliciter, id est omnibus modis.* Prima pars huius conclusionis probatur primo: Quia gratia Christi est infinita in ratione gratiæ; ergo dicenda est absolute infinita. Probatur illatio; quia linea quæ secundum propriam rationem lineæ esset infinita, diceretur simpliciter infinita. Secundo probatur: quia S. Patres absolute pronunciant Christi gratiam esse infinitam. Tertio: quia merita & satisfactio D Christi absolute dicuntur infinita. Secunda vero pars probatur: quia non est infinita secundum rationem entis aut qualitatis, neque secundum essentiam neque secundum modum aliquem physicum; ergo non est simpliciter, id est omnibus modis infinita. Conclusionem hanc quoad vtrāque partem examinat, & tuetur Aluarez *disp.* 34.

Argumenta, & solutiones.

Contra *primam concluſ.* produci possunt ea argumenta Scoti & Radæ, quibus probare nitūtur Christi satisfactionem non esse infinitam, nisi secundum Dei acceptationem; quibus satisfecimus *supra q. 1. art. 2. Controu. 2.*

Contra eandem concluſ. militant argumēta Scoti Dur. & aliorum, quibus probare nituntur Christi gratiam esse omnino finitam; quæ refert & soluit Capr. *in 3 ſ. diſſ. 13. q. vnica,* ex quibus nōnulla referunt & soluunt Suarez *disput. 22. sect. 1.* & Aluar. *disput. 33.*

Contra *secundam* concluſ. est argumentum Almaini, quod refert & soluit Suarez *in allegata diſp. 22. sect. 1.*

Contra *tertiam* concluſ. sunt argumenta, quæ refert & soluit Astur. *in sua Relect de Christi gratia, q. 3. ar. 2 post probationes quintæ concluſ. pag. 218. & seq.* quæ etiam aliis duobus additis refert & soluit Aluar. *diſp. 33.*

Contra *quartam concluſ.* producit Capr. dicta D. Th. *in q. 29. de Ver. art. 3 ad 3. & 6.* quorum sensum superius explicauimus.

Contra eandem concluſ. argumentatur Medina. *Primo:* quia S. Tho. *art. seq. ad 1.* ait gratiam Christi fuisse summam, sicut quantitas Cœli: At nulla est repugnantia, quod quantitas Cœli sit maior secundum potentiam Dei absolutam; ergo. Præterea *ad 2.* ait Deum posse facere aliquid maius & melius gratia Christi habituali, *& infra q. 10. art. 4. ad 3.* ait, licet gratia Christi & visio beata in ordine ad vnionem hypostaticam non possit esse maior, absolute tamen potest esse altior gradus gratiæ & visionis beatæ. *Resp.* ad primum locum non ita loqui S. Tho. sed ibi confutat argumentum arguendo à minori ad maius, vt ibidem obseruat Caiet. Nam quia ratio, quare quantitati determinatæ ad naturam talem repugnat additio, est forma naturalis, multo magis ipsi formæ naturali, quamuis finitæ, repugnat additio, adeo vt ipsi formæ in summo suæ perfectionis constitutiuæ repugnet additio etiam per Dei potentiam absolutam, vt supra de albedine dictum est. Ad secundum locū iam supra diximus Deum posse facere gradū entis supernaturalis meliorem ordine gratiæ, & inferiorem vnione hypostatica, quod satis aperte docet S. D. in tertio loco male adducto in argumento vbi ait, absolute posse esse aliquem gradū sublimiorem gratia, & visione beatifica secundum infinitatem diuinæ potentiæ. *Obi. 1. cont. 4. concl.* *Solut.*

Secundo arguit: Quia visio beata animæ Christi potuit crescere; ergo & lumen gloriæ; ergo & gratia habitualis. Probatur cōsequentia. Nam gloria secundum legem ordinariam correspondet quātitati gratiæ; ergo si gloria potest crescere, etiam gratia potest argumentum suscipere. *Resp.* falsum esse antec. si sermo sit de visione secundum intēsiuam & essentialem eius perfectionem; si vero sermo sit de augmento visionis secundum extensionem ad plura, dico per infinitam Dei potentiam posse lumen illud extendi ad alia prius sub eo non visa cognoscenda; Sed hoc non est augmentum simpliciter visionis beatæ, sed tantum secundum quid in ordine ad extrinseca, & secundario visa. *Obi. 2.* *Solut.*

Tertio: Si gratia potest esse summa, ita vt non possit crescere, sequitur posse dari hominem purum viatorem, qui non possit amplius mereri, nec in gratia Dei amplius proficere, quod est absurdum; Probatur sequela; quia si daretur talis gratia puro homini, iam esset viator & amplius mereri non posset. *Resp.* primo admissa consequentia de potentia Dei absoluta talem hominem fore viatorem, & per eam gratiam posse sibi mereri vitam æternam, licet augmentum gratiæ mereri non posset, & hoc nullum est inconueniens. Secundo dico hominem habentem summam gratiam habere simul etiam gloriam, quia gratia perfecta & consummata, vel idem est quod gloria vel ad eam naturaliter sequitur gloria. *Obi. 3.* *Solut.*

Contra eandem concluſ. argum. Suarez *disput. 22. sect. 2.* Quia augmentum in infinitum secundum intensionem non repugnat gratiæ hoc solo, quod forma accidentalis est essentialiter finita, neque quatenus talis forma est: ergo. Antecedens quoad primam partem prōbatur: quia nō omnis progressus in infinitum repugnat formæ finitę, vt patet in quantitate, quæ in infinitum augeri potest, neque enim in augmento intensionis est specialis aliqua repugnantia, quando alioquin forma intensibilis est: quia neque per talem intensionem mutatur species aut essētia finita, neq; forma ipsa *Obi. 4.*

in re habet aliquando infinitam perfectionem, A sed semper finitam. Quo ad alteram vero partem probatur idem antecedens: Quia gratia est participatio infinitæ naturæ: quæ solã ab infinito agẽte tanquam à principali causa communicari potest, & per se vel per facultates suas in infinitum obiectum, prout in se est, tendit, & illi nunquam
Conf.1. adæquatur; ergo. *Et confirmatur*: quia visio Dei finita semper augeri potest gratia vero est quædam forma, cui est cõnaturalis illa visio; ergo ipsa gratia potest in infinitum crescere, sicut & ipsa gloria.
Conf. 2. *Confirmatur secundo*: quia nulla potest assignari ratio, propter quam repugnet hominem habẽtem huiusmodi gratiam, quantumuis perfectam,
Solut. mereri augmentum illius & beatitudinis. *Respon.* falsum esse antecedens; nam ob vtramque ratio- B nem repugnat gratiæ augmentum in infinitum. Ad probationem primæ partis dico non esse eandem rationem de augmento secundum extensionem, quale est illud, quod conuenit quantitati; & de augmento secundũ intensionem, quod conuenit formis ad genus qualitatis pertinentibus; quia in augmento secundum intensionem crescit perfectio formæ, quæ sic augetur, in augmento vero secundũ extensionem nulla fit quãtitati, aut formæ sic auctæ perfectionis accessio; Vt autem ait S. D. *art. sequenti*, omnium formarũ, ac proinde etiam ipsius gratiæ mensura propria determinata est à diuina sapientia per comparationem ad suum finem, *Sicut* (inquit) *non est maior grauitas, quam grauitas terræ, quia non potest esse inferior locus loco terræ*; Finis autem gratiæ est vnio creaturæ rationalis ad Deum; maior vero vnio creaturæ C rationalis ad Deum esse non potest, quam quæ est in persona; Igitur gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ; constat autem rationem hanc procedere de potentia Dei absoluta, secundum quam non potest esse maior vnio ad Deum, quam personalis; Igitur secundum Dei potentiã absolutam non potest esse maior gratia, quam sit gratia Christi. Quod etiã ratione probatur: quia forma quælibet creata ideo dicitur esse finita, quia determinatam habet suæ perfectionis latitudinem, vltra quam extendi non potest, salua sua specifica natura, & essentiali differentia; quoniam, vt ait Arist. *Species rerum sunt numeri, quibus nil tam parum potest addi, aut minui, quin varietur spe-* D *cies*: Sicut enim cuiuslibet rei naturalis determinata est à natura quantitas secundum maximum & minimum, ita vt extra hos terminos nequeat species rei naturalis existere; ita & multo magis in formis: datur enim minimus caloris gradus, infra quem non potest calor existere, & potest etiam esse maxima caloris intensio, ita vt maior esse nõ possit: Et similiter in animabus rationalibus, quæ sunt vnius speciei, datur anima adeo exiguæ perfectionis secundum gradum suæ perfectionis indiuidualem, vt infra dictũ gradum & perfectionis modum anima rationalis esse non possit; & dari potest etiam anima tantæ perfectionis, vt omnem in se contineat perfectionis modum animæ rationali possibilem, vltra quem esse nõ pos- E set animæ rationalis natura: qualem existimandum est fuisse animam Christi Domini. Et similiter Gabriel totam habet suæ speciei possibilem perfectionem non solum specificam, sed etiam gradualem, ita vt addito maiori perfectionis gradu, iam non esset Gabriel, sed alius Angelus. *Ad probat. vero secundæ partis* antecedentis respondetur, nullam esse consequentiam: quia gratia secundũ se sumpta non est participatio diuinæ naturæ totam illius perfectionem adæquans; Nam gratia, cum sit quædam forma, & essentia creata, necesse est, vt habeat determinatam suæ perfectionis latitudinem, sicut aliæ singulæ formarum species tam naturales quam supernaturales; Dixi formarum species, quoniam Angeli, qui sunt quædam formæ subsistentes, si sumantur in genere, possunt per Dei potentiam habere suæ perfectionis augmentum in infinitum, quia potest Deus Angelos perfectiores vsque in infinitum creare. Et ideo sicut Gabriel, licet sit quædam participatio diuinæ substantiæ intellectualis infinitæ, non tamen potest eius perfectio substantialis, nec eius intellectus per Dei potentiam augeri, sed possunt fieri alij Angeli eo nobiliores & intellectu perspicaciores: ita gratia secundum naturam suæ speciei limitatam habet perfectionem, vt supra eam per Dei potentiam, salua sua natura, nõ possit extendi; sed tamen existimandum est plures alias fieri posse similes, & eiusdem generis à Deo formas supernaturales, quæ sint diuinæ naturæ participationes secundum speciem à gratia differentes & ea nobiliores; licet earum differentias, quia nobis à Deo non sunt reuelatæ, assignare minime valeamus. *Ad primam confirmat.* dico visionem etiam beatificam habere determinatam suæ perfectionis essentialis latitudinem, quæ secundum eius intensionem, ac luminis perfectionem attenditur, quamuis ad obiecta secundaria per idem lumen cognoscenda in infinitum per Dei potentiam possit extendi. *Ad secundam confirmat.* dico iam assignatam esse rationem, cur habens summã gratiam non possit mereri illius argumentũ, quia 1. gratia maior esse non potest, atque ita meritum ordinaretur ad impossibile.

Ad 1. conf.

ad 2. conf.

Contra eandem concluſ. argumentatur Astur. *in allegata q. 3. ar. 1. concluſ. 1.* Primo: quia gratia ex parte agentis, & ex parte formæ, ac etiam ex parte susceptiuæ potentiæ nullum habet terminum intensiuæ perfectionis; ergo infinita est syncategorematice, ita vt quocunque gradu perfectionis signato sua natura apta sit amplius perfici; ergo: Antecedens colligitur ex doctrina D. Thom. 2. 2. *q. 24. art. 7.* vbi idipsum asserit de charitate: eadem autem est ratio de charitate & de gratia, &c. Secundo probatur: quia virtus diuina, quæ est principium affectiuum gratiæ, est simpliciter infinita; ergo ex parte agentis non sumitur habitualis gratiæ determinatio; neque sumi potest ex parte gratiæ, quia gratia est forma ordinis infiniti, estque participatio infinitæ naturæ Dei: sed diuina essentia, cum sit infinita, infinite est participabilis; ergo gratia ex propria & formali ratione nullam determinationem sibi vendicat, sed in infinitum est augmentabilis secundum intensionem. Denique probatur sumi non posse gratiæ determinationem ex parte subiecti; quia potẽtia obedientialis, quæ inest animæ ad suscipiendum gratiam nullam habet determinationem; ergo: Antecedens probatur; quia determinatio potentiæ passiuæ non potest sumi, nisi vel ex potentia actiua cui respondet, vel ex actu & forma ad quam suscipiendam ordinatur; sed ex neutro horum li- *Solut.* mitatur, vt probatum est; ergo. *Respon.* falsum esse antecedens quo ad secundam & tertiam eius partem. Ad primam probationem dico D. Tho. ibi loqui de charitate viæ; quæ in infinitum modo superius explicato potest augeri: Quod idem dicendum est de gratia viatoris vt sic, & de eius capacitate, vt est in viatore. Ad secundam probationem secundæ partis antecedentis dico nullam esse consequentiam; vt patet etiam de Gabriele, qui est participatio diuinæ naturæ intellectualis infinitæ simpliciter, & tamen non potest augeri perfectio naturæ Gabrielis, quamuis fieri possint

Obi. 5.

Angeli

Angeli perfectiores illo vsque in infinitum, & ita augeri participatio naturæ intellectualis intensiue. Quo modo etiam dicimus in infinitum augeri posse participationem diuinæ naturæ supernaturalem producendo perfectiores species accidentium supernaturalium, quæ sint participationes diuinæ naturæ, & sint eiusdem generis cum gratia. Ad probationem tertiæ partis negatur antecedens: Ad eius probationem dico determinationem potentiæ obedientialis ad gratiam desumi ex determinatione gratiæ.

Contra eandem concluſ. argumentatur Vaſq. *diſp. 47. cap. 3.* probans in dies per opera bona & meritoria magis ac magis augeri charitatem & gratiã: Quod verum eſt de charitate & gratia viatoris, non autem de charitate & gratia abſolute, vt ſupra diximus.

Contra eandem concluſ. producit Aluarez *diſp. 36.* duo argumenta: quorum ſolutio patet ex dictis. Alia contra eandem concluſ. argumenta ſoluemus *art. ſeq.*

Obi. 1. cont 3. concl. CONTRA *quintam, & ſeptimam* concluſ. aſſerentes Chriſti gratiam eſſe infinitam, ſunt argumenta quæ afferunt & ſoluunt Aſtur. *in allegata quæſt. 3. art. 2. pag. 205.* & Aluarez *diſp. 34.* Contra eandem concluſ. militant hæc argumenta. *Primum* eſt: Anima Chriſti habet finitam capacitatem reſpectu gratiæ; ergo in ea non recipitur gratia infinita in eſſe gratiæ: Antecedens patet ex ſupra dictis: Cõſequentia vero probatur: quia nullum accidens excedit capacitatem ſui ſubiecti. Et *Conf.* *confirmatur* argumentum quia gratia Chriſti in ratione entis non eſt infinita; ſed eadem eſt ratio gratiæ, & in ratione entis; ergo ſi non recipitur gratia infinita in ratione entis in anima Chriſti, *Solut.* nec etiam recipitur infinita in ratione gratię. *Reſp.* Antecedens verum eſſe de capacitate gratiæ phyſice ſumptæ: ſic enim gratia Chriſti eſt finita ſimpliciter, & infinita ſecundum quid, quia eſt infinita tantum negatiue, vt ſupra declarauimus ex D. Thom. ſed falſum eſt idem Antecedens de capacitate gratiæ moraliter ſumptæ: ſic enim eſt infinita. Secundo dico hoc argumento probari gratiam Chriſti non eſſe infinitam ſimpliciter. i. omnibus modis, non autem probat eam non eſſe infinitam ſimpliciter. i. abſolute, quia multiplicem *Ad conf.* habet infinitatem, vt ſupra diximus. *Ad confirmationem* dico falſam eſſe ſecũdam propoſitionem; nam, vt hic ait S. D. alia formaliter eſt ratio gratiæ in eſſe entis, & alia in eſſe gratiæ.

Obi. 2. *Secundum* argumentum eſt: Infinitum in aliquo genere præhabet perfectiones omnes illius generis, ſicut infinitum in genere entis præhabet omnes perfectiones entis; at gratia Chriſti non habet omnes perfectiones gratiæ; ergo non eſt infinita in ratione gratiæ: Maior patet; quia ſi non habet omnes perfectiones illius generis; ergo limitatur ad aliquas illius generis: Minor probatur primo: quia non habet infinitam intenſionem; quæ videtur eſſe poſſibilis & propria gratię. *Secundo*: quia non habet perfectiones aliarum omnium gratiarum, quæ ſunt in creaturis; ergo. Antecedens probatur: quia gratia Chriſti & aliorum ſimul eſt maior, quam ſola gratia Chriſti; ſed hoc non eſſet ſi gratia Chriſti contineret omnes aliorum gratias; Nam ideo Deus & creatura non ſunt aliquid maius aut melius, quam ſolus Deus, quia Deus præhabet omnes perfectiones creaturarum. *Tertio*: quia ſi Pater diuinus incarnaretur, eius gratia eſſet infinita & non cõtineretur in gratia Chriſti, alias eſſet multoties infinita; ergo: Deinde gratia Chriſti non eſſet cauſa gratiæ Patris incarnati: ergo nõ contineret eius gratiam. *Quarto*; quia gratia Chriſti eſt eiuſdem ſpeciei cum noſtra, vt infra dicemus; ergo non continet noſtram formaliter aut virtualiter. Probatur conſequentia; quia forma continens aliam eminenter, continet eam in natura ſuperiori, & per conſequens in natura ſpecie diſtincta à forma contenta. *Reſp.* primo, Maiorem *Solut.* eſſe veram de infinito ſimpliciter, puta de infinito in ratione entis, non autem de infinito ſecundum quid, ſeu in aliquo genere determinato, vel ſecundum aliquam rationem determinatam, vt patet de linea infinita ex vna parte, quæ non includit infinitatem cuiuslibet lineæ ex vtraque parte. Infinitas autem phyſica gratiæ Chriſti eſt infinitas ſecundum quid, vt ſupra diximus, ideo, &c. Secundo reſpondetur: Infinitum ſecundum quid includere perfectiones omnes ſpecificas, quæ ſine aliquo defectu conueniunt iis, quæ ſunt in illo genere, & ita Chriſti gratiam continere perfectiones omnes ſpecificas gratiæ, quæ ſine defectu oriuntur ex ratione gratiæ, quia in hoc conſiſtit talis infinitas. Tertio dico, falſam eſſe Minorem. *Ad primam probationem* dico infinitatem intenſiuam neque eſſe poſſibilem gratiæ ſecundum ſe, neque eſſe propriam gratiæ abſolute ſumptæ. *Ad ſecundam* iam diximus, Chriſti gratiam habere perfectiones aliarum gratiarum, ſeclusis imperfectionibus. Ad probationem in oppoſitum patet ſolutio ex iis, quæ diximus *in prima parte quæſt. 6. articul. 2. Controuerſ. vnica*; falſa eſt enim ſecunda propoſitio, videlicet, *ſed hoc non eſſet*, &c. Quia gratia Chriſti non ita continet eminenter aliorum gratias, vt etiam eminenter contineat potentias ad eas tam proximas quam remotas, ſicut ens per eſſentiam continet omnia entia, & eorum potentias tam proximas quam remotas, quod eſt continere ea complete & perfectiſſime. Deinde dico gratiam Chriſti non continere aliorum gratias niſi vt inſtrumentum diuinitatis. *Ad tertiam* dico, nullam eſſe conſequentiam: quoniam ad infinitatem ſecundum quid ſatis eſt, vt ex ea parte, qua res eſt infinita, nihil ſit, aut eſſe poſſit perfectius illa, tametſi non includat perfectiones omnes numericas illius generis. Et ex his ſatisfit etiam *quartæ probationi*. Poſtremo dico ad omnia prædicta, Infinitatem gratiæ Chriſti moralem illi conuenientem, quatenus principium eſt actus infinite meritorij, quo ſcilicet meretur omnem gratiam noſtram, & quo mereri poſſet etiam incarnationem alterius perſonæ diuinæ, & gratiam eius infinitam, ſatis eſſe vt moraliter contineat in ſe cuiuslibet gratiæ perfectionem.

Tertium argumentum eſt: Effectus gratiæ Chriſti nullo modo eſt infinitus; ergo nec ipſa gratia. *Obi. 3.* Antecedens probatur: quoniam effectus gratiæ formalis eſt reddere humanitatem Chriſti participem Deitatis, & acceptam ad gloriam vel diſpoſitam congrue ad vnionem; effectus autem illius veluti in genere cauſæ efficientis eſt meritum Chriſti; Sed vterque effectus, vt procedit ab ipſa gratia, eſt finitus; ergo. Primum effectum eſſe finitum probatur: Quia humanitas Chriſti acceptatur ſolum ad gloriam finitam, & non diſponitur infinite ad vnionem, cum poſſit magis diſponi. Secundum etiam eſſe finitum probatur: quia meritum Chriſti, vt correſpondet gratiæ, præmiatur gloria corporis finita, & ſi aliquam habet infinitatem, habet eam à dignitate perſonæ, non à gratia habituali. *Reſpon.* falſum eſſe anteced. Ad eius *Solut. prim.* probationem negatur Minor. Ad probationem primæ partis dico primũ effectum formalem gratiæ Chriſti non eſſe condignitatem habitualẽ intrinſecam, quam facit in humanitate reſpectu ſuę

beati-

beatitudinis, sed esse hoc, quod est subiicere Deo connaturaliter personam Verbi infinitam per operationes ab ipsa gratia mediis virtutibus ab ea procedentibus elicitas, vt supra declarauimus. Ita respondet viri quidam doctissimi. *Sed hæc responsio* non videtur admittenda, cum neget à gratia Christi id quod est proprium & connaturale gratiæ secundum intimam eius rationem, quod est acceptum reddere ad beatitudinem, quod illi conuenit ante omnem actum mediis virtutibus elicitum, vt patet in Infantibus baptizatis. *Secundo itaque respondetur*; gloriam animæ Christi esse quidem finitam simpliciter, sed infinitam secundum quid seu negatiue, quia anima Christi habet summum gloriæ creatæ & creabilis absque determinatione ad aliquem modum gloriæ particularē, ita vt contineat & superexcedat gloriam omnem puræ creaturę possibilem, & similiter gratia Christi vt dispositio ad vnionem summa est, vt maior esse non possit, atque adeo est infinita negatiue, & habet morales infinitates supra declaratas. *Ad probationem secundæ* partis respondetur, præmium adæquatum meritorum Christi non esse solam gloriam corporis, sed etiam dona omnia supernaturalia, vt nobis à Deo ex iustitia rigorosa collata: quod præmium quamquam physice sit finitum, est tamen moraliter infinitum, ac proinde meritum eius æqualem habet moralem infinitatem.

Quartum argumentum est: Hæc infinitas gratiæ non causatur à Trinitate, neque à persona Verbi, neque procedit ab vnione; ergo non est asserenda. Consequentia patet: quia nulla alia potest assignari causa præter istas. Antecedens autem quo ad primam partem probatur: quia infinitas meriti prouenit ex infinitate gratiæ; Sed infinitas meriti prouenit ex infinita Verbi dignitate seipsum Deo subiicientis, vt ostendimus supra *quæst* 1.*a*.2. ergo etiam infinitas gratiæ prouenit ex infinita Verbi dignitate. Quo ad secundam vero partem probatur dupliciter: *primo*: quia personalitas Verbi, cum sit relatio, non potest esse causatiua talis infinitatis, quia relatio vt sic, non est operatiua. *Secundo*: quia Verbum non causat illam infinitatem, neque per actionem liberam, neque per naturalem resultantiam; ergo nullo modo eam causat. Antecedens quo ad primam partem probatur: quia Verbum non causat illam per actionem procedentem à potentia diuina, quia sic tota Trinitas eam causaret, nec per actionem procedentē à potentia humanitatis, quia nulla potētia creata potest producere effectum intrinsece infinitū; ergo: Quo ad alteram vero partem; quia *ad Ephes.* 1. dicitur de Deo ac proinde etiam de Verbo, *qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. Denique probatur vltima pars* Antecedentis principalis: quia vnio personalitatis Verbi ad humanitatem est præcise terminatiua illius, non autem operatiua alicuius effectus, sicut nec vnio propriæ personalitatis ad naturam nostram; ergo. *Resp.* vtramque infinitatem gratiæ Christi, scilicet physicam & moralem à tota Trinitate causari; primam quidem scilicet physicam quia Deus gratiæ vt existēti in Christo vim contulit effectiuam, vt ex ea dimanarent in eius humanitatem omnia dona gratiæ, & gratiam in nobis ac cætera dona supernaturalia causaret: quemadmodum Deus, vt author naturæ virtutem indidit cogitatiuæ vt existenti in homine ad discurrendum circa singularia materialia. Secundam etiam gratiæ infinitatem, scilicet moralem, si vere intrinsece est realis habens causam physice productiuam, vt probabile est, effectiue causabitur à tota Trinitate, concurrente Verbo quasi in genere causæ formalis, quatenus scilicet terminus est, cui coniungitur gratia, & vt est persona, quam gratia per actiones mediis virtutibus exercitas Deo subiicit, & cuius vnionem cum humanitate cōpetenter exornat. Quāuis enim persona relatiua vt sic, nihil possit effectiue producere, potest tamen aliquid quasi formaliter causare per modum termini vel obiecti, vel vt materia circa quam versantur virtutes, quarum actus sunt reflexiui super ipsam personam Verbi, sicut formaliter, & obiectiue causat speciē cognitionis, qua Verbum ipsum cognoscitur, vt distinctum à Patre & Spiritu sancto. Dixi moralem infinitatem à tota Trinitate fuisse causatam effectiue; quia Deus est prima & vniuersalis causa entitatis realis, iam autem diximus moralem bonitatem, & infinitam esse realem entitatem *Ad argumentū autem*, quo probatur infinitatem gratię non causari à Verbo, quia neque per actionem liberam, neque per naturalem resultantiam, dico liberam diuini voluntatis actionem communem toti Trinitati requiri ad causandam quamlibet creaturam quantum ad eius existentiam; At quādo persona diuina, puta Verbum causat aliquem actum per modum termini vel obiecti, concurrit ad talem actum vt sic causatum diuina voluntas toti Trinitati communis vt concomitans: vult enim tota Trinitas, vt filius per suam personalitatem terminet humanam naturam, vel vt specificet sui cognitionem, sicut vult Filium generari: vt dicitur 1.*p.q.*41.*art.*2. Sed cum hæc volutas non se teneat ex parte principij, dici non potest talem actum à tota Trinitate causari: Et similiter in proposito, quamuis ex infinitate Verbi vt subiecti Deo causetur in genere causæ formalis infinitas gratiæ Christi, & hoc quod est ita causare gratiæ infinitatem à Verbo fit volitum concomitāter à tota Trinitate, non tamen hinc sequitur infinitatem gratiæ Christi in genere causæ formalis desumi à tota Trinitate; quia non sumitur ex infinitate Deitatis vt sic, sed ex illa quatenus est determinata seu modificata personalitate Verbi, vt subiicitur Deo.

Vltimum argumentum est: Infinitas non tribuitur gratiæ Christi, nisi ob vnam aliquam ex his tribus causis, nimirum quia præhabet quidquid perfectionis pertinet ad rationem gratię, aut quia producit effectum infinitum, aut quia disponit ad gratiam vnionis infinitam: Sed ex nullo dictorum habet infinitatem; ergo. Maior probatur: quia S. D. ob solas dictas rationes affirmat Christi gratiam esse infinitam: Nam primam assignat *in corpore huius articuli*: Secundam *in solutione secundi*: Tertiam *in* 3. *ad Anibaldum dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 4. Minor autem *quo ad primam partem* probatur: quia tota collectio perfectionum & mediorum pertinentium ad rationem gratiæ finita est; igitur ex horum continentia non recte deducitur infinitas in gratia Christi. *Quo ad secundam* vero partem probatur *primo*: quoniam effectus gratiæ Christi non est infinitus intensiue sed extensiue; ad continendum autem effectum extensiue infinitum sufficit finita perfectio in forma illum continente: vt patet in exemplo S. Thom. de luce Solis, quæ finita est intensiue, & tamen producere potest effectus infinitos extensiue. *Secundo* probatur eadem pars: quia si aliquis effectus infinitus intensiue posset assignari gratiæ Christi, ille esset meritum eius infinitum; Sed hanc infinitatem non causat gratia Christi, sed infinita dignitas personæ Verbi, vt ait S.D. *in* 3. *dist.* 13. *q.* 1. *art.* 2. *q* 2. *ad* 4. *& de ver. q.* 29. *art.* 3. *ad* 4. ergo. Tertio probatur eadem pars: quia etiam si gratia Christi causet infinitatem meriti illius,

Confutatur.

Solut. 2.

Obi. 4.

Solut.

Obi. 5.

lius, causat illam vt causa instrumentalis; ergo non oportet illam esse infinitam, quia non oportet causam instrumentalem in se præhabere dignitatem effectus. Antecedens probatur: quia gratia Christi non habet in se virtutem causandi illam moralem infinitatem: Nam si esset in alio supposito, non causaret illam: Hoc autem videtur satis esse, vt gratia rationem habeat non causæ principalis, sed instrumentalis. *Tertia denique pars* minoris probatur *primo*; quia visio beata, dona Spiritus sancti, gratiæ gratis datæ & alia huiusmodi disponunt humanitatem Christi ad congruam vnionem cum Verbo, & tamen non ideo habent infinitatem; ergo. *Secundo*: quia humanitas Christi immediate vnitur Verbo, nec tamen est intrinsece infinita in ratione humanitatis, sed ex eo solum habet quandam infinitatem moralem & extrinsecam, quia scilicet habet æstimationem infiniti valoris; igitur gratia, quæ mediante humanitate Verbo coniungitur, non potest habere maiorem infinitatem. *Respon.* falsam esse minorem quo ad singulas eius partes. *Ad probationem primæ*, dico ex illa collectione nō deduci infinitatē simpliciter aut intensiuam, sed infinitatē secundum quid, quæ est infinitas negatiua superius explicata. *Ad primam probationem secundæ partis* dico ex effectu infinito extensiue recte deduci infinitatem secundum quid gratiæ in esse physico: quæ non est infinitas intensiua, sed negatiua. *Ad secundam probationem* dico falsam esse minorē; Nam & si dignitas infinita personę Verbi quasi in genere causæ formalis, & obiectiuæ causet infinitatem gratiæ Christi habitualis, & meriti illius, eam tamen infinitatem habet in se gratia Christi deriuatam à Verbo & formaliter participatam, & eandem causat in merito vt principium & causa principalis illus ad modum naturæ. *Ad tertiam probationem* negatur antecedens. Ad eius probationem negatur assumptum; Nam gratia Christi & virtutes ex ea procedentes sunt causæ principales infiniti meriti Christi, quia per proprios actus subiiciunt Deo ipsam infinitam Verbi personam eos exercentem: ex qua reflexione moralem contrahunt infinitatem. Virtus autem, per quam gratia & virtutes infusæ animæ Christi causant physice gratiam nostram, & virtutes ex ea consequentes, vis quædam est instrumentalis transiens illi superaddita per motum Dei principaliter gratiam causantis, quæ vis ac motus imperfectior est ipsa gratia & virtutibus ab ea causatis. *Ad primam probationem tertiæ partis* minoris dico dona illa, & virtutes habere suam infinitatem inferius explicandam *in propria Controuersia*. *Ad secundam probationem* dico humanitatem Christi esse infinitam in ratione humanitatis non simpliciter sed secundum quid & negatiue: quia scilicet ad nullum est humanitatis modum seu perfectionem determinata, sed omnes habet perfectiones secundum gradus eius indiuiduales possibiles secundum Dei potentiam absolutam; & ideo dicitur infinita negatiue; Sicut si esset albedo subsistens, aut etiam in subiecto recepta secundum omnem modum reperi possibilem infra specici suæ latitudinem secundum Dei potentiam absolutam, vt supra diximus. Quod idem dicendum est de potentiis animæ Christi tam superioribus, quam inferioribus.

Obi 1. cont. 6. concl. CONTRA *sextam concluſ.* produci possunt hæc argumenta. *Primum est*: Hæc infinitas moralis est modus quidam realis in ipsa gratia; At hic modus non est admittendus, vt ostendimus; ergo neque hæc infinitas moralis est asserenda. *Solut.* *Resp.* hanc infinitatem esse modum realem, non tamen physicum, sed moralem; qui positis extremis, scilicet gratia & Verbo vnitis media humanitate, resultat necessario, concurrente tamen diuina voluntate; primo quidem antecedenter, quatenus vult vnionem Verbi cum humanitate, & omnia ad eam consequentia, & illam exornantia qua suppositа voluntate & vnione facta resultat ex Verbo tanquam ex causa, quasi formali & obiectiua infinitas illa moralis: & in hac resultantia diuina voluntas se habet concomitanter. Modus autem physicus, cum sit entitas absoluta, non fieret naturali resultantia, sed exigeret actionem productiuam ex parte Verbi, prout est humanum suppositum, vt scite aduertit Astur. *in allegata q. 3. art. 1. concluſ. 6. pag. 225.* Sed dignitas moralis hoc ipso resultat in gratia Christi, & in assumpta humanitate, quod vnionem habent cum persona Verbi: adeo vt per nullam potentiam impediri valeat illa maxima & infinita dignitas, quæ ex vnione hypostatica deriuatur in humanitatem, & consequenter etiam in eius gratiam & virtutes.

Secundum argumentum est: Gratia Christi quamuis aliquam habeat infinitatem moralem, quatenus est principium infiniti meriti & infinitæ satisfactionis, habet tamen aliquam rationem moralem, quæ non est simpliciter infinita; ergo non debet censeri simpliciter infinita in esse morali. Consequentia est euidens; quia infinitum se tenens ex parte formæ, cum sit de genere bonorum, consurgit ex integra causa. Antecedens autem probatur: quia gratia Christi est acceptatio ad finitam gloriam, quæ acceptatio ad moralem ordinem pertinet, quia dependet ex voluntate libera ipsius acceptantis. *Et confirmatur*: quia meritum Christi respectu gloriæ sui corporis non fuit simpliciter infinitum, sed proportionatum gloriæ animæ, quæ est simpliciter finita. *Respon.* Acceptationem ad gloriam dupliciter posse considerari in ordine ad gratiam: Primo, quatenus fundatur in opere meritorio ex gratia procedente: & hoc modo pertinet ad ordinem moralem, sicut & meritum, cui respondet: & hæc acceptatio non reperitur in Christi gratia; quia Christus non habuit gloriam animæ ex meritis acquisitam. Secundo modo cōsideratur acceptatio ad gloriam secundum connaturalem proportionem gratiæ ad ipsam. Nam sicut Terra per grauitatem proportionatur centro per naturalem coaptationē: Ita homo iustus per gratiam cōnaturalitatis proportionatur gloriæ, & iure connaturalitatis illi debetur; sicut filio iure naturalis filiationis debetur hæreditas, iuxta illud Pauli *Roman. 8. Si Filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*: Et hæc acceptatio ad gloriam, prout se tenet ex parte gratiæ constituentis passiuam acceptationem in anima, id est connaturalem proportionem, & ius connaturalitatis ad gloriam, non pertinet ad ordinem moralem, sed ad ordinem physicum, sicut coaptatio Terræ per grauitatem ad centrum physica est. Et hæc acceptatio conuenit gratiæ Christi, & est finita sicut & gratia, quæ tamen est moraliter infinita. Ita respondet Astur. *loco supra notato*. Secundo respondeo Christi meritum non esse simpliciter infinitum, sed tantum secundum quid, vt ostendimus *supra quæst. 1. articul. 2.* & ideo neque gratiam, à qua procedit, exigit simpliciter infinitam, sed tantum secundum quid.

Obi. 2. *Conf.* *Solut.*

Secunda

Secunda Controuersia

An etiam charitas & alia Virtutes in Christo secundum propriam rationem sint infinitæ?

Sententia Doctorum.

ASTVR. *in sua Relectione de gratia Christi, quæst.3. art.2.ad 4.suum argumentum*: dicit duo. *Primũ* est, neque charitatem, neque ceteras supernaturales animæ Christi virtutes, neque lumen gloriæ, neq; visionem beatam aut quemlibet alium habitum vel actum esse moraliter infinitum absolute loquendo. *Secundum* est, infinitatem illam, quæ competit lumini gloriæ & visioni beatæ in anima Christi, prout disponit animam ad vnionem cum Verbo, esse ei quasi extrinsecam, nec perficere visionem in ratione visionis, licet eam B perficiat in ratione entis. Sicut (inquit) perfectio, qua humanitas Christi perficitur & dignificatur ex vnione ad Verbum, est illi extrinseca & non perficit ipsam in ratione humanitatis, sed tantum realem & infinitam quandam moralem illi tribuit dignitatem; quæ tamẽ nihil attinet ad essentialia humanitatis principia. Cæterum gratia per illam dignitatem, quam attingit in Christo, prout disponit ad vnionem hypostaticam, vere dignificatur & perficitur in ratione gratiæ, eo quod proprium est ipsi gratiæ perficere subiectum, & disponere ad vnionem cum Deo, non solum secundum operationem, sed præsertim secundum esse.

Sed oppositam sententiam, videlicet virtutes Christi Domini tam infusas, quam acquisitas esse C multipliciter infinitas, docent primo quidem S. Thom. *in specie de charitate in 3. dist. 19.q.1. art.1.q.1.* Capr. *in 3. dist. 18. q. vnica, ad 4. Scoti contra primam concl.* Idem affirmat de quibusdam virtutibus: Et Altisiodorensis *lib. 3. tractatu 1. cap. 5.* & Suar. *disp. 22. sect. 1. in fine* prædictam virtutibus omnibus Christi Domini tribuit infinitatem; quam sententiam sequitur Aluar. *disp. 34 in respons. ad vltimum argumentum.*

Resolutio. Christi gratiam, virtutes infusas & alia accidentia supernaturalia esse dispositiones humanitatis ad vnionem, non autem naturalia, licet quandam cõtrahant infinitatem.

SVPPONENDÆ *sunt hic primo* distinctiones illæ, quas posuimus & explicauimus *in præcedenti Controuersia, & præsertim 5. & 6. cum vltimo notabili.*

Secundo sciendum est, hic sermonem esse de infinitate, prout extenditur ad physicam & moralẽ; ita vt quæsitum hoc non minoris sit amplitudinis, quam præcedens de Christi gratia.

Tertio notandum est quæstionem hic esse de virtutibus tam supernaturaliter infusis, quam naturaliter acquisitis.

Quarto considerandum est, differentiam esse inter gratiam & virtutes, quod gratia secundum propriam rationem dicit ordinem ad subiectũ, quia participatio quædam est diuinæ naturæ faciens intellectualem seu rationalem creaturam diuinæ naturæ consortem, vt dicitur 2. *Petri* 1. & conferens illi esse diuinum; at Charitas & cæteræ virtutes tam supernaturales, quam naturales secundũ propriam rationem & per se primo ordinantur ad obiecta; commune tamen est virtutibus moralibus & gratiæ, vt sint dispositiones morales humanitatis ad eius vnionem hypostaticam cum Verbo. Sicut enim gratia, sic & virtutes decorem & ornamentum contulerunt humanitati, vt congrue posset vniri Verbo: Quamuis enim virtutes ex propria ratione non respiciant subiectum, sed obiectum, propria tamen & specifica bonitas singularum in eas ex obiecto deriuata speciale confert ornamentum humanitati, vt congrue possit assumi. Deinde subiectum actuant ac perficiunt, non solum secundum esse communiter sumptũ, A sed etiam secundum propriæ suæ essentiæ rationem & esse specificum. Sicut enim albedo parietem informat, nõ solum secundum esse accidentis aut qualitatis vt sic, sed etiam vt albedo est, ac proinde parietem facit non solum habentem esse accidentale, aut esse quale, sed etiam esse album; ita charitas non solum facit animam supernaturaliter qualem, sed etiam diligentem Deum, & hac ipsa ratione in anima Christi fuit dispositio moralis ad vnionem cum Verbo personalem. Quod idem proportionaliter dicendum est de cæteris virtutibus, & de visione beatifica, & lumine gloriæ.

Quinto sciendum est differentiam esse inter gratiam & virtutes infusas ex vna parte, & scientias naturales & alia accidentia ordinis naturalis in Christo ex alia parte: quod gratia & virtutes infusæ, quia sunt ordinis supernaturalis, ideo disponere possunt moraliter humanitatem ad vnionẽ cum Verbo personalem; quæ est ordinis supernaturalis: at scientiæ naturaliter acquisitæ & alia accidentia naturalia, tam corporea quam spiritualia, cum ad dignitatem supernaturalis ordinis nõ attingant, dispositiones ad vnionem supremi ordinis supernaturalis esse non possunt: Nam, vt ait S. D. *1.p.q.12.art. 5. Omne, quod eleuatur ad aliquid, quod excedit suam naturam, oportet, vt disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra suam naturam.* Immo scientiæ naturales & accidentia naturalia, vt opinatur Aluarez, nullam ex diuino suppositio, cui mediante humanitate sunt vnita, recipiũt infinitatem, quia dignitas (inquit) suppositi non redũdat in dignitatem & excellentiam scientiæ, eo quod est habitus speculatiuus, sicut etiam non redundat in dignitatem albedinis, sed concomitanter & quasi per accidens se habet: Non enim albedo Christi est perfectior in ratione intrinsecæ albedinis, quam si esset in alio supposito creato. *Sed hæc ratio* dupliciter deficit; *Primo*: quia extenditur etiam ad scientias supernaturales, puta ad visionem beatificam, quæ tamen, cum sit ordinis supernaturalis & exornet supernaturaliter humanitatem, disponit eam vt congrue possit assumi. Quod idem dicendum est de aliis accidentibus ordinis supernaturalis. *Secundo* deficit, quia licet albedo & similia accidentia ex vnione cum Verbo non fiant intrinsece perfectiora secundũ esse naturę, quandam tamen ex ea moralem con- D trahunt dignitatem, ratione cuius singularis debita est illis reuerentia, quæ dignitas suo modo est infinita, sed moralis hæc dignitas non ea est, quæ conferat ad meritum & valorem honestarũ operationum: solæ namque operationes liberæ sunt huius valoris capaces, vel etiam earum principia, quatenus earum principia sunt, vt etiam aduertit Suar. *disp. 22 sect. 1. in fine.*

Aluarez opinio.

Confutatio.

Sexto considerandum est, virtutes omnes supernaturales ex gratia deriuari, sicut ex animæ essentia resultant passiones & operatiuæ potentiæ, vt ait S.D. *in 1.2.q.110. art. 4. ad 1.* Vbi sic loquitur: *Sicut ab essentia animæ effluunt eius potentiæ, quæ sunt operationum principia; ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animæ, per quas potentiæ mouentur ad actum: & secundum hoc gratia comparatur ad voluntatem, vt mouens ad motum, quæ est comparatio sessoris, ad Equũ:* E Et *in respons. ad 2.* ait gratiam esse principium operis meritorij mediantibus virtutibus, sicut essentia animæ est principium operationum vitæ mediantibus potentiis. Ex quibus manifeste sequitur, virtutes in Christo eandem proportionaliter habere perfectionem & physicam infinitatẽ, quam habet gratia; Probatur hæc illatio: quia virtutes Christi gratiã consequuntur secundum totam

Christi virtutes tandẽ proportionaliter habere perfectionẽ & infinitatem & vim similes in nobis cauſandi virtutes, quã habet gratia Christi respectu gratiæ cæterorum hominum.

tam eius physicam perfectionem absque limitatione. Cum itaque gratia Christi physice sit infinita, consequens etiam est, vt virtutes ex ea deriuatæ similem habeant infinitatem. Antecedens probatur: quia nihil apparet impediens Christi gratiam, quo minus tota sua potestate virtutes emittat. Cum autem, vt diximus, duplex sit infinitas gratiæ ratione distincta, altera illi conueniens secundum essentiæ suæ perfectionem, & altera prout causa est vniuersalis omnium effectuum gratiæ, vtraque suo modo cuilibet ineſt virtuti Christi supernaturali: Prima quidem; quia sicut gratia Christi omnem habet perfectionem suæ speciei possibilem secũdum Dei potentiam absolutam sine limitatione, & ideo est infinita negatiue, vt ostẽsum est *in præcedenti Controuersia*, ita quælibet eius virtus infusa totam habet suæ speciei possibilem perfectionem absque limitatione, ac proinde est infinita negatiue; hoc enim infinitæ Verbi dignitati maxime congruebat. Altera autem infinitas in effectiua & exemplari virtute cõsistens, sicut gratiæ Christi sic & eius virtutibus ineſt, iis præsertim quæ ad ordinem pertinent supernaturalem: Sicut enim ex Christi gratia, velut ex instrumento diuinæ personæ coniuncto cæterorum omnium hominum gratia deriuatur; sic ex Christi Charitate tanquam instrumento Verbo coniuncto charitas emanat omnium hominũ Deum supernaturaliter diligentium: Quod idem de cæteris virtutibus existimandum est. Et sicut gratia Christi causa est exemplaris omnis humanæ gratiæ, ita charitas charitatis, & Religio Religionis, & sic de singulis: & sicut ab vna essentia animæ mediis potentiis tot specie diuersi causantur effectus (nam per intellectum speculatiuum specie perfectum producit intellectionem & eius terminum, & per eundem vt practicus est specie & conceptione perfectum producit artificiatum simile ipsi intellectui vt conceptione formato, similiter per voluntatem, quæ impulsus quidam est, causatur volitio & eius terminus, vt alius quidam impulsus, &c.) Sic ab vna gratia mediis virtutibus vt eius potentiis causantur virtutes omnium hominum supernaturales, charitas scilicet media charitate, & religio media religione, &c. ita vt vnaquæque virtus vniuersalem habeat causalitatem respectu virtutis eiusdem rationis in hominibus etiam infinitis, si tot esse possent, causandæ: sola vero gratia instar primæ causæ vniuersalem simpliciter habet causalitatem ad gratias omnium hominum, & virtutes eorum infusas in eis efficiendas extensam.

Christi virtutes suapte natura reflexiuas super suppositum peculiarem habere infinitatem cæteris Christi virtutibus minime conuenientem; quæ tamen ineſt intellectui & voluntati.

Vltimo notandum est, quasdam esse virtutes, quæ suapte natura reflexiuæ sunt super ipsam personam operantem, vt iustitia commutatiua in ea parte, quæ versatur circa actiones iniuriarum per actus satisfactionis; & humilitas, quæ personam humiliatam alteri subiicit per actus proprios; & charitas quatenus meriti principium est; sic enim personam merentem subiicit illi apud quem meretur; & religio, cuius est Deo debitum cultum exhibere, vt supremo omnium Domino, &c. Quæ virtutes in Christo supra cæteras peculiaré habent infinitatem, eo quod per actus suos personam diuinam Deo subiiciebant summo modo morali quo subiici potest: ex hac enim reflexione peculiarem quandam habent infinitatem moralem personalem, de qua late diximus *supra q. 11. a2. controu. 2.* Cæteræ vero Christi virtutes, quæ reflexiuæ nõ sunt, hanc non habent infinitatem; Exẽpli gratia; Iustitia Christi commutatiua erga cæteros homines non subiiciebat eis ipsam Christi personam, sed res duntaxat exteriores, & ideo præ-

Naz. in D. Thom. 3 partem.

dictam non habebat infinitatem: & quamuis actus huius iustitię, quatenus erat meritorius, Christi personam Deo subiiciebat, & hac ratione esset moraliter infinitus, hoc tamen non habebat ex propria ratione talis cõmutatiuæ iustitię, sed quasi per accidẽs ex imperio charitatis, à qua talis iustitiæ actus imperabãtur, ac proinde infinitas illa non in iustitiam hanc commutatiuam, sed in charitatem est referenda. Quod idem dicendum est de Temperantia & aliis virtutibus, ac earum actibus minime reflexiuis.

Ex dictis sequitur intellectum & voluntatem Christi eas omnes prædictas, quæ virtutibus inerant, infinitates habuisse. Nam vt supra diximus, istæ potentiæ summam suis naturis specificis possibilem perfectionem attingebant, & causæ quodammodo erant exemplares cęterarum similium potentiarum in humana natura, quæ possunt in infinitum à Deo creari, secundum quæ duo attẽditur infinitas physica. Deinde media humanitate sunt vnitæ personæ Verbi, & eam exornant, vt vnioni sit apta siue congrua, quæ sunt duæ rationes moralis infinitatis. Postremo simul cum virtutibus principia sunt actuum, qui rationem habent moralis infinitatis, eo quod reflectantur super ipsam infinitam diuini Verbi personam; igitur eandem habent intellectus & voluntas infinitatem. Quod etiam affirmat Capr. *in 3. dist 18. qu. vnica, ad 4. Scoti contra primam concl.* verba vero S. Th. *in quolibet 3. art. 3. ad. 3.* quæ sonare videntur oppositum, explicabũtur in responsionib. ad argum. *Capreol.*

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Virtutes omnes Christi supernaturales duas habent physicas infinitates, & duas morales ratione distinctas.* Hæc patet ex dictis.

SECVNDA CONCL. *Virtutes illæ, quarum actus supra Christi personam reflectebantur, præter quatuor infinitates prædictas, aliam etiam habebat ex dicta reflexione deriuatam.* Hæc patet ex dictis.

TERTIA CONCL. *Intellectus & voluntas Christi prædictas omnes habebant infinitates.* Hæc patet ex dictis. Et probatur etiam: quia intellectus & voluntas sunt principia eorum actuum, qui super ipsam diuini Verbi personam reflectuntur, puta actus iustitiæ ad Deum commutatiuæ, religionis, obedientiæ, humilitatis, &c. quibus persona Verbi Deo subiiciebatur: Cum igitur hi omnes actus ob dictam reflexionem essent moraliter infiniti, consequens etiam est, vt & ipsæ potentiæ, quæ sunt earum causæ, eandem habeant infinitatem: Probatur illatio: quia perfectio & infinitas effectus pręexistit in causa eius effectiua. Hanc autem infinitatem habent intellectus & voluntas Christi ex diuino supposito dupliciter: Primo quatenus eius sunt potentiæ mediante humanitate illi coniunctæ. Secundo, quatenus feruntur in ipsam diuini Verbi personam simpliciter infinitã Deo subiiciendam, in eam autem feruntur, nõ per virtutem suam naturalem, sed actuante specie & cõceptione diuinæ personæ, vt forma & ratione agendi in intellectu recepta, & ad voluntatem extensa, non solum vt eius obiectum & finis, sed etiam vt agendi principium modo satis à nobis alibi declarato. Ex hac autem vnione diuinæ personæ cum intellectu Christi & voluntate fit vt tam intellectus, quam voluntas supernaturalium ordinem ingrediantur, & vnum quodammodo fiãt cum ipsa diuina persona intellecta & volita, & sint vnum cum ea principium dictorum actuum.

QVARTA CONCL. *Eadem infinitas, quam Christi Domini intellectus & voluntas habebant, tribuenda est etiam humanitati.* Hæc sequitur ex præcedenti: Nã prima radix potentiarũ & operationum reflexiuarum est humanitas, quæ etiam sola immediate

Verbo coniungitur; ergo iam dictam præhabet A infinitatem.

VLTIMA CONCL. *Accidentia Christi ad ordinem naturalem pertinentia tam corporea, quam spiritualia vnam solam moralem prædictis omnibus inferiorem habent infinitatem.* Probatur quia coniunguntur diuino suppositó; igitur ex eo singularem quandam contrahunt dignitatem moralem, vt propter hãc vnionem peculiari veneratione sint digna; quæ dignitas suo modo est infinita: differt tamen dignitas hæc moralis à dignitate morali potentiarum, virtutum & operationum, quia nihil cõfert ad meritum aut valorem bonarum ac liberarum operationum, quæ solæ cum suis principiis sunt meriti & valoris moralis capaces.

Obi 1. cont. 1. concl. CONTRA *primam conclus.* argumentatur Astur. *Primo*: quia virtutes illæ non habent intensionem B infinitam, neque attingunt obiectum modo infinito; ergo. *Solut.* *Resp.* nullam esse conseq. quia dictarum virtutum infinitas non exigit infinitam intẽsionem, neque vt infinito modo virtutum actus attingant obiectum, sed satis est, si perfectionem omnem habeant suæ speciei possibilem secundum Dei potentiam absolutam, & sint causæ exẽplares similium virtutum in humana natura, & vniantur personæ Verbi, exornentque coniunctionem illius cum humanitate, & reflectantur modo superius explicato super ipsam diuini Verbi personam.

Obi. 2. *Secundo*: quia licet actus charitatis Christi fuerit infiniti valoris, ac proinde meritorius & satisfactorius infinite, hic tamen infinitatis valor non C illi ex charitatis habitu proueniebat, sed ex habitu gratiæ; ergo neque charitas neque eius actus est infinitus: Antecedens probatur: quia totus ille valor in actu charitatis Christi, & in qualibet eius operatione desumebatur ex sola operantis dignitate, & non ex modo attingendi obiectum: At quod operans, nimirum Christus, haberet infinitam dignitatem coram Deo, esset que infinite gratus & acceptus, non ex habitu charitatis aut ex alio quocunque habitu operatiuo desumebatur, sed ex habitu gratiæ; cuius proprium est cõstituere habentem gratum & acceptum Deo; ergo. *Resp.* duplicem esse causam infiniti valoris in actibus charitatis: alteram primam & radicalem; quæ duplex est; quædam creata; & quædam increata; alteram proximam & formalem (comprehendendo pro nunc principium formale sub causa formali.) Si sermo sit in antecedente de causa radicali in creata & prima simpliciter, falsum est antecedens, hæc enim non est gratia sed persona Verbi; Si vero sermo sit de causa radicali, quæ prima est causarum creaturarum, hæc est humanitas vnita Verbo, & post eam est gratia; Si denique sermo sit de causa proxima, quæ est principiũ formale proximum, negatur etiam antecedens: causa enim hæc proxima infinitatis in actib. charitatis est ipsa charitas, quę ante suos omnes actus est infinita formaliter modis iam dictis; quamuis eius infinitas ex infinitate Verbi & gratiæ deriuetur, velut ex radicibus subordinatis. Ad probationem autem antecedentis, admissa prima propositione, dico primo, falsam esse secundam propositionem asserentem infinitam Christi dignitatem ex habitu gratiæ fuisse deriuatam, prima namque & propria causa quasi formalis dignitatis Christi, est ipsa diuini Verbi persona, non autem gratia. Secundo nego consequentiam. Valde namque diuersi sunt effectus, esse gratum & esse meritorium ac satisfactorium; primus est à gratia vt propria causa formali, secundus autem est à gratia vt prima radice creata, à charitate vero vt propria causa: infinitas autem meriti & satisfactionis, ex infinita diuinæ personæ dignitate est vt radice prima simpliciter, ex humanitatis autem infinitate vt causa minus remota, & postremo ex charitatis infinitate vt causa proxima.

Solut. *Solut.* D

Contra eandem concl. sunt argumenta, quæ proponit & soluit Aluar. *disput. 34. in respons. ad 3. sum argumentum.*

CONTRA *tertiam concl.* produci potest dictum *Obi. cont. 3. concl.* D. Tho. *quolibet 3. art. 3. ad 3.* Vbi sic loquitur: *Voluntas animæ Christi est virtus finita simpliciter, sicut & intellectus eius, meritum autem Christi habet infinitatem ex dignitate, inquantum est meritum Dei, & hominis.* *Respon.* S. D. ibi loqui de merito, & de intellectu *Solut.* & voluntate secundum ea, quæ singulis iis propria sunt ex ratione sui generis. Quemadmodum itaque meritum dicit aliquid pertinens ad genus moris, & illo genere meritum Christi est infinitũ simpliciter, ideo S. Thom. tribuit illi infinitatem simpliciter, scilicet in genere morali, quamuis in genere physico sit actus finitæ intensionis, atque ideo non habeat infinitatem: Intellectus autem & voluntas Christi Domini, & aliæ eius potentiæ dicunt aliquid pertinens ad genus physicum, in quo genere non ita sunt simpliciter infinitæ, vt sint sufficientes ad eliciendum actum physice infinitum. Non tamen negat ibi S. D. Intellectum & voluntatem habere moralem infinitatem ea ratione, qua principia sunt operationum moralium infinitarum, de quibus supra.

CONTRA *vltimam concl.* argum. Aluarez: Quo- *Obi. cont. 5. concl.* niam infinitas suppositi non redundat in excellentiam & dignitatem scientiæ, quæ est habitus speculatiuus, nec in dignitatem albedinis, sed cõcomitanter omnino & quasi per accidens se habet; ergo hæc nullam habent infinitatem. Antecedens probatur; quoniam albedo Christi non est perfectior in ratione intrinseca albedinis, quã si esset in alio supposito creato. *Respon.* falsum est *Solut.* antecedens. Ad probationẽ negatur consequentia. Nam sequitur tantum albedinem ex coniunctione cum Verbo non habere maiorem excellentiam, & dignitatem in esse suo specifico & naturali, non autem probat eam ex tali vnione non acquirere dignitatem in esse morali.

Tertia Controuersia.

An gratia Christi sit eiusdem speciei cum gratia cæterorum hominum iustorum, & Angelorum?

CAIET. *super hoc articulo*, docet Christi gratiam *Sententia* habitualem & aliorum tam hominum, quam *Doctorum.* Angelorum esse eiusdem infimæ speciei quo ad essentiam, sed diuersarum rationum quo ad modum essendi, eo quod gratia sit in Christo vt in toto illam adæquante secundum se, & vt in subiecto & principio vniuersali gratiæ, in omnibus autem aliis sit vt in partibus inadæquatis ipsi gratiæ secundum se, & vt particulariter participantibus, & ideo (inquit) quantumcunque crescat aliorum gratia, nunquã peruenire potest ad quantitatem intensiuam vel extensiuam gratiæ Christi. Quam sententiam sequuntur Medina *in sua q. 2. ad hunc artic.* Valentia *puncto 1. in 3. quæstio* & ab ea parum aut nihil distat opinio ab Astur. relata *q. 3. art. 2. in resp. ad 6. suum argum.* Quidã enim asserebant Christi gratiã essentialiter esse eiusdẽ speciei cum nostra, sed ex parte subiecti seu suppositi esse specie differentem & hanc speciem seu differentiam dicebant esse modalem, adhibentes exẽplum

plum Caiet. de calore ignis & de calore animalis, &c. Cui opinioni adhærent etiam ij, qui docent gratiam habere quendam modum physicæ infinitatis ex ipsa diuini suppositi, cui coniungitur, infinitate participatum, vt ibi notat Asturicensis, & post eum Aluarez *disp.* 35.

Vasq. *disp.* 47. *cap.* 5. sententiam approbat Caietani, sed in ea explicanda quo ad secundam partem ab eius mẽte diuertit: ait enim habitum gratiæ Christi specie differre quo ad modum operãdi ab habitu gratiæ viatoris, quia Christus, vt pote comprehensor & videns Deum, operabatur ex habitu gratiæ & eliciebat affectum dilectionis Dei necessario & immobiliter, ad quem modum nullus viator, quantumuis crescat in gratia, peruenire potest, sicut nec ad gratiam puri hominis comprehensoris; Quæ quamuis vera sint, lon- B ge tamen distant à secunda parte sententiæ Caietani.

Suar. *disput.* 18. *sectione* 2. *in fine* duo dicit. *Primum* est gratiam habitualem in Christo & in aliis hominibus iustis esse eiusdem speciei & rationis essentialis. *Secundum* est, non sibi admodum placere, quod quidam Discipuli D. Tho. dicunt: nimirum Christi gratiam & nostram secundum absolutam quidem essentiam cõsideratas esse eiusdem speciei, sed tamen secundum modum essendi & ex parte subiecti esse alterius rationis & essentiæ: hoc enim (inquit) existimo ad quendam modum loquendi pertinere, qui non admodum mihi placet: quia in ipsa Christi gratia reuera nihil est specie differens à gratia nostra, &c.

Quidam, quos refert Asturicensis, affirmant C Christi gratiam in duplici specie collocari; altera quæ cõmunis est gratiæ Christi & nostræ, quatenus vtraque formale quoddam est diuinæ naturæ participium, & dispositio supernaturalis naturæ, & hæc pertinet ad primam speciem qualitatis. Altera secundum quam habet rationem potentiæ actiuæ & productiuæ supernaturalium effectuum in hominibus & in Angelis: & hæc continetur sub secunda specie qualitatis, ad quam nõ pertinet nostra; quia non causat in aliis ea dona: afferunt exemplum in calore, qui vt dispositio est ad formam ignis, ponitur in prima specie qualitatis; vt autem est principium calefaciendi claudi- tur in secunda.

Alij ab eodem authore relati dicunt vnam tantum esse speciem gratiæ Christi, sed in ea contine- D ri virtualiter & eminenter speciem aliam gratiæ; illam scilicet, ad quam pertinet gratia nostra, quia videlicet est species essentialiter nobilior, quam gratia nostra, eo quod totam nostræ perfectionẽ includat, & infinitatem adiungat ordinis hypostatici: quemadmodum sensitiuũ specie differt à vegetatiuo, quia perfectionem eius includit & superaddit aliam ab ea distinctam, & Tetragonũ eminenter continet Trigonum, & ab eo specie differt.

Deniq; Astur. *loco supra notato* tria dicit. *Primum* est: Gratia Christi physice considerata est, simpliciter loquendo, eiusdem speciei cum gratia nostra. *Secundum* est: Gratia Christi non est, physice E loquendo, in aliqua specie, in qua non sit gratia nostra. *Tertium* est: Gartia Christi in esse morali specie differt à gratia nostra & Angelorum; adeo vt per potentiam Dei absolutam illa moralis species, quæ reperitur in gratia Christi, non sit communicabilis gratiæ, quæ est in pura creatura. Quæ sententia verissima est. Et eam sequitur Aluarez & alij recentiores; Ad cuius euidentiam

Resolutio. *Sciendum est primo*, impossibile esse per Dei potentiam absolutam, vt sint duæ gratiæ specie dif-

A ferentes in esse gratiæ. Cuius rationem affert Asturicensis *in sua Relectione de gratia Christi*, *quæst.* 3. *articul. vltimo*, *pag.* 230. Quia gratia formaliter & essentialiter est participatio diuinę naturæ secundum omnia attributa eius essentialia; cum itaque sit vna tantum & simplicissima diuina natura, sequitur vt gratia, quæ est eius participatio & formalis expressio, non possit esse nisi vnius & eiusdem rationis essentialis. Consequentia probatur ex differentia inter eas perfectiones, quæ sunt partiales Dei participationes secundum aliquas eius particulares perfectiones virtualiter & eminenter in eo contentas, & eas, quæ sunt Dei participationes, vt in se est: Nam primæ iuxta numerum, & rationes formales diuinarum perfectionum, quas in Deo ratione distinguimus, specie multiplicantur, vt patet de Intellectu, Scientia & Voluntate, quæ in nobis specie differunt ab iis, quæ sunt in Angelis: Secundæ vero perfectiones diuersas species habere non possunt. Nõ enim possunt esse diuersæ species luminis gloriæ, visionis beatificæ & charitatis: quia hæc Deum respiciunt & in eum feruntur, prout in se est intelligibilis & bonus: Deus autem, prout in se est, secundum singulas istas rationes non potest multiplicari. Cum igitur, vt ante diximus, gratia iustificans & habitualis sit participatio totius vnicæ & simplicissimæ Deitatis secundum omnia attributa eius essentialia, consequens est, vt gratia vnius tantum esse possit rationis essentialis formaliter indiuisibilis. Ex quo sequitur gratiam Christi, nostram & Angelorum vnius esse physicæ & atomæ speciei. Quod etiam probatur primo: quia gratia Christi est gratia capitis; nostra autem est gratia membrorum; at caput & membra ad vnam pertinent essentiam formaliter indiuisibilem; ergo: Confirmatur primo: quia sensitiuum in capite & in membris non distinguitur specie, vt autem ait Augustinus *in Epistola* 57. gratia Christi nostræ comparatur vt sensitiuũ in capite ad sensitiuum in membris. Confirmatur secundo: quoniam eo modo nos comparamur ad Christum, quo palmites ad vitem, iuxta illud *Ioann.* 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis; Ego sum vitis, vos palmites.* At inter vitem & palmites, & inter virtutem vitis & virtutem palmitum non est specifica & essentialis differentia; v- D na siquidem est virtus, quæ viti per se primo conuenit, & ex ea diffunditur ad palmites. Tertio confirmatur ex illo *Roman.* 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui*: Loquitur autem Apostolus ibi de Filio Dei, quatenus est Deus & homo, docens nos illi secundum vtramque rationem debere conformari per gratiam & per opera gratiæ; At si gratia Christi non esset eiusdem speciei cum nostra, magis essemus illi difformes quam conformes: quia non eadem qua Christus viuit, gratiæ vita viueremus. Secundo probatur idem: Quia gratia Christi, & nostra eundem habent effectum formalem per se primo gratiæ conuenientem, qui est facere habentem Deo gratum habitualiter, & dignum æterna beatitudine; ergo sunt eiusdem speciei. Tertio probatur idem: Quia si specie differrent gratia Christi & nostra, hoc eueniret vel ex perfectione gratiæ Christi, vel ex effectibus formalibus secundariis in ipso causatis, vel denique quia causat gratiam in aliis; Sed ex nullo dictorum infertur aut causatur specifica diuersitas gratiæ; ergo. Probatur prima pars minoris; quia maior perfectio formæ secundum intensionem non causat aut infert in ea specificam diuersitatem physice

Ex propria naturagratia probatur, non posse per Dei potentiam absolutam esse duas gratias specie differentes.

loquendo; alioquin tot essent species gratiæ iustificantis, quot sunt in hominibus viatoribus & in beatis sanctitatis & iustitiæ gradus; quod nullus Theologorum hucusque dixit. Secunda vero pars probatur: Quia gratia B. Virginis tribuebat ei perfectionem iustitiæ originalis, quem effectū gratia non operatur in nobis, & in patria tribuit beatis confirmationem in bono auferens potentiam peccandi, & perducens ad visionem beatificam, quos effectus non operatur in nobis: Rursus in nobis causat virtutes supernaturales appetitus inferioris, quas nō operatur in Angelis. Vltima denique pars probatur: Quia si gratia Christi puro homini donaretur, qui gratiam in alios non influeret, eiusdem esset specificæ naturæ; eo quod influendi virtus non sit essentialis & intrinseca gratiæ Christi, sed illi veluti instrumento à Deo illud mouente superaddita, vt patet in aqua Baptismi & humanitate Christi, quæ non distinguūtur ab aliis aquis & humanitatibus, eo quod assumuntur à Deo vt instrumenta gratiæ, vis enim instrumentalis in hæc à Deo mouente diffusa extrinseca prorsus est & accidentalis earum naturis. Postremo probatur hæc veritas: Quia S. Patres eam vt certam supponere videntur ac præsertim Cyril. *tomo 1. Concilij Ephes. cap. 1. in Epist. ad solitariam vitam agentes*, Athan. *serm. 2. contra Arrianos circa finem*, August. *lib. 15. de Trinit. cap. 26.* Ambros. & Anselm. *super Epistolam ad Hebr. 1. cap.* Et eam expresse docet Ricardus *in 3. sent. distinct. 13. articul. 1. quæst. 1.*

Gratiam Christi speciem physicam cum cæteris gratiis habere cōmunem, sed ab eis differre specie physica modali, & accidentali, & specie morali.

Secundo notandum est duplicem in gratia iustificante speciem posse considerari: prima est species physica, quæ triplex est, scilicet essentialis, modalis & accidentalis. Prima in eo posita est, vt sit participatio & expressio quædam naturæ diuinæ: secunda vero in tribus consistit; Primum est summa gratiæ perfectio in ratione gratiæ, ita vt nec per Dei potentiam absolutam maior esse possit; Secundum est subiecti cōnaturalitas & adæquatio, quia scilicet est in suo veluti proprio & totali subiecto, non vt ex eo naturaliter consequens, sed tanquam illi debita ex talis vnionis dignitate; Tertium ex duobus prædictis consequens est esse in tali subiecto, vt in principio vniuersali gratiæ, & omnium effectuum eius. Illa ergo gratia specie modali differt à qualibet alia gratia, quæ cuilibet gratiæ comparatur, vt virtus vniuersalis ad virtutem particularem, sicut calor ignis eiusdem est essentialis speciei cum calore aeris & misti; sed differt specie modali, quia scilicet ignis subiectum est proprium & adæquatum caloris secundum se: quia perfectionem omnem habet caloris possibilem, tam intensiuam quam extensiuam: cætera vero caloris subiecta, vt aer & corpora mista calorem deficientem à naturali sua perfectione recipiunt, adeo vt calor in eis non sit vt in subiectis totam eius perfectionem & virtutem in se recipientibus & adæquantibus, sed vt particulariter participantibus. Cum itaque gratia Christi summam habeat intensionem & perfectionem possibilem per Dei potentiam absolutam, vt supra diximus, & *in sequenti Controuersia* repetemus, & sit in subiecto suo connaturali, atque totali eam adæquante secundum se sumptam, sitque in eo secundum virtutem vniuersalem tam intensiuam quam extensiuam, in cæteris autem secundum particularem ac deficientem virtutem & perfectionem consequens est vt in specie quidem essentiali conueniat cum cæterorum hominum gratia, differat autem specie modali eo fere modo, quo albedo aut quæuis alia specifica natura, si ponatur in seipsa subsistens, modali specie differt à se ipsa particulariter ac defectiue participata. Tertia denique species physica, quæ potest in gratia considerari, est accidentalis: hanc autem ei confert diuina virtus illi veluti instrumento communicata ad gratiam & eius effectus in alios homines secundum Dei voluntatem influendum: quæ species soli conuenit gratię Christi, & per eam constituitur & denominatur gratia capitalis.

Secunda principalis gratiæ species est moralis; cuius duplicem rationem possumus intelligere; alteram omni gratię communem, & alteram gratiæ Christi propriam: Attenditur autem hæc duplex moralis species iuxta duplicem gratiæ dignitatem, quarum altera communis est omni gratiæ, & potest appellari dignitas formalis: altera vero proprie est gratiæ Saluatoris, & hæc dici congrue potest dignitas personalis. Differunt autem hæ duæ dignitates & species, quod prima quæ communis est omni gratiæ, quia sumitur ex ipsa diuina natura quatenus participatur in gratia, conuenit omni subiecto, quod hac diuinæ naturæ participatione decoratur: Secunda vero non ex aliqua diuinitatis participatione, sed ex vnione personali humanitatis Deo gratæ cum Verbo deriuatur. Vt autem scite notat Asturicensis *in allegata q. 3. pag. 233.* vtraque gratiæ dignitas sub vno morali genere continetur; sed vere ac proprie specie differt: addit enim dignitas gratiæ personalis in Christo supra communem gratiæ dignitatem nō solum nouum perfectionis gradum, sed nouam etiam formalem perfectionis rationem; atque ideo dignitas hęc ab illa specie differt. Nec tamen in gratia Christi duæ sunt specie distinctæ morales gratiæ perfectiones; Sed quemadmodum Trigonum in Tetragono virtualiter continetur, ita vt Trigonum propriam suæ figuræ speciem actu non habeat: quia non proprio concluditur termino, sed sub formali superioris figuræ termino continetur (differentia autem vltima specié constituens ex vltimo formali termino rei desumitur: Quod etiam apparet in sensitiuo, quod in homine nō distinguitur specie à rationali, quia sub propriæ differentiæ termino nō continetur in homine, sed sub formali termino rationalitatis cōprehenditur; oritur enim ab anima rationali, quæ continet eminenter sensitiuum) ita species, & dignitas personalis gratiæ Christi communem gratiæ dignitatem continet eminenter: & quemadmodum sensitiuū in bruto specie differt à rationali, ita communis gratiæ dignitas ad ordinem gratiæ pertinens specie differt à dignitate gratiæ Christi ad ordinem hypostaticum pertinente.

Quantitatem gratia Christi intensiuam aut extensiuam per quantitatē gratia nostra adæquare non posse.

Tertio notandum est in Christi gratia triplicem posse physicam quantitatem considerari: Prima est secundum essentiæ perfectionem: Secunda est secundum gradum intensionis: Tertia est secundum virtutis extensionem ad causandum omnia dona gratiæ, quæ duæ vltimæ pertinent ad speciem gratiæ Christi modalem. Quibus quidā recentiores Viri Doctissimi quartam addunt, quę attenditur secundum causalitatem gratiæ respectu perfectionum, quas producit in anima Christi, quarum præcipua est iustitia commutatiua; Sed obseruandum est, iustitiam animæ Christi commutatiuam erga Deum, quatenus commutatiua est, non ex physica gratiæ Christi perfectione, sed ex morali eius infinita dignitate deriuari, quatenus scili. peractus charitatis, religionis & satisfactionis à gratia Verbo media humanitate coniuncta veluti à prima radice, procedentes, Deo subiicitur ipsa persona Verbi: quod ad moralem infinitam pertinet dignitatem, quæ valo-

valorem gratiæ Christi & eius actibus iam dictis tribuit infinitum; ac proinde beneficiis omnibus à Deo receptis, & offensis à nobis in Deum commissis æqualem. Igitur ad primam gratiæ quantitatem redeundo dico eandem esse, & non maiorem essentiali gratiæ nostræ quantitate: Nam quę sub vna continentur specie indiuisibili, eandem omnino habēt physicam essentiæ perfectionem; quoniam, vt ait Philosophus, *Species rerum sunt sicut numeri*, &c. Iam autem diximus Christi gratiam & nostram sub eadem atoma specie concludi. Secunda vero gratiæ quantitas in Christo nec per Dei potentiam ordinariam à gratia Creaturæ potest æquari, vt omnes Patres & Theologi scholastici confitentur, nec per Dei potentiā absolutam potest excedi; quia summam habet Deo & naturæ suæ possibilem perfectionē, vt supra diximus. Tertia demum quantitas, licet à quantitate gratiæ creaturæ, quasi per accidens & materialiter per Dei potentiam possit æquari, per se tamen & formaliter id effici minime potest. Nam etsi possit Deus vti gratia creaturę veluti instrumento ad causandum in cæteris gratiam & virtutes & omnia dona gratiæ, hæc tamen virtus non erit illi quasi connaturalis, sed inerit illi veluti instrumēto separato, non autem vt coniuncto; gratiæ vero Christi virtus hæc ineſt quasi tanquam connaturalis, & vt instrumento coniuncto, atque adeo non per accidens, sed per se; quia gratiæ personæ diuinæ coniunctæ ob infinitam ipsius personæ, cui est vnita, dignitatem conuenit per se summa perfectio, tam secundum intensionem quam secundum extensionem ad omnes effectus, qui nō dicūt imperfectionem; Et ideo quantumuis crescat gratia creaturæ, nunquam Christi gratiam poterit adæquare; sicut nec virtus aliqua particularis, quantumcunque crescat, virtutem adæquabit vniuersalem, vt ait S.D. *hic ad tertium.*

Ex modo vniuersalitatis virtutis gratiæ Christi, & ex effectuę ut primario ostenditur eā esse ab illa, quę in nobis est, specie differetem.

Quarto obseruandum est, virtutem aliquam esse posse duobus modis vniuersalem; Primo ex sui natura; sicut virtus Solis ex sui natura est vniuersalis in ordine ad inferiora Corpora corruptibilia, virtus autem ignis est particularis: Secundo potest aliqua virtus esse vniuersalis, ex subiecto, cui ineſt; Sicut si dicamus motum circularem ex sui natura non esse virtutem vniuersalem, sed ratione talis subiecti, puta Cœli, rationem habere virtutis vniuersalis: Id quod primo modo virtus est vniuersalis, specie sua essentiali distinguitur à virtute particulari; quod autem secundo modo virtus est vniuersalis, sub eadem essentiali specie continetur. Gratia Christi Domini duplicem habet virtutis vniuersalitatem, alteram in ordine ad ipsam humanitatem Verbo coniunctam, in qua causat effectus omnes & dona gratiæ, quæ nullā in Christo ponunt imperfectionem; alteram in ordine ad cæteros homines, in quibus gratiam & eius omnes effectus, quorum secundum legem Dei sunt capaces & dona producit; Quæ duplex virtutis vniuersalitas gratiæ Christi conuenit, non ex ipsa gratiæ natura, sed per additam virtutem instrumentalem, per se tamen illi conuenientem hoc ipso, quod vnita est personæ Verbi mediæ humanitate ad generis humani redemptionem assumpta; quemadmodum cælesti corpori veluti instrumento virtus per se conuenit vniuersalis agendi in hæc inferiora hoc ipso, quod intelligentiæ iungitur vt motrici; & ipsi etiam assumptę humanitati prius natura, quam gratiæ Deus virtutem influit vniuersalem, qua potens fit, vt instrumentum ipsi Deo coniunctum ad gratiam & eius omnes effectus, & dona in homines influenda, quæ virtus est illi quodammodo connaturalis, &

Naz. in D. Thom. 3. partem.

A illi per se conuenit hoc ipso, quod est coniuncta diuinæ personæ. Cum igitur gratia Christi virtutem illam ex natura sua non habeat vniuersalem, quemadmodum nec eam sic habet humanitas, sed modo iam dicto, non erit Christi gratia ab ea, quæ nobis aut etiam Angelis ineſt, specie distincta, sicut nec à cæteris humanitatibus specie distinguitur humanitas Verbo coniuncta.

Quinto sciendum est duplicem esse gratiæ habitualis effectum, alterum primarium & immediatum, quia omnibus illam habentibus est cōmunis, hic autem est facere habentem diuinæ naturæ participem, Deo gratum & ab eo dilectum: alterum secūdarium. Qui multiplex est iuxta multiplicem subiectorum gratiam recipientium diuersitatem: Nam si gratia posita fuerit in natura
B subsistente personalitate creata, quę capax est adoptiuæ filiationis, constituet suppositum illud filium adoptiuum, naturam autem ipsam non disponet ad vnionem hypostaticam cū diuina persona: Si vero natura quæ recipit gratiam, fuerit hypostatice cōiuncta diuinæ personæ, quæ capax non est adoptiuæ filiationis, personam hanc non facit filium adoptiuum sed naturam exornabit, atque disponet vt decenter vniatur diuinæ personæ. Et cum hæc diuersitas specifica in effectibus gratiæ secundariis non ex specifica formæ diuersitate, sed ex varia subiecti dispositione proueniat, non infert specificam in ipsa forma diuersitatem; Sicut etiam patet in effectibus caloris, cuius primarius effectus est facere calidum, qui cō-
C munis est omni calori in quocunque inueniatur subiecto; Secundarius autem eius effectus est disponere ad formam substantialem: quæ dispositio diuersa est iuxta subiectorum, quibus ineſt, & agentium diuersitatem: quandam enim materiam disponit ad formam ignis, quandam ad formam aeris, quandā ad formam bouis, leonis aut hominis, cum tamen sit vnus & idem specie calor, qui etiam in fœmina generat lac non autem in viro, & in luto receptus illud indurat ceram autem liquefacit; & similiter gratia in viatoribus fidem causat & spem, in comprehensoribus autem causat lumen gloriæ & fruitionem.

PRIMA CONCL. *Gratia Christi & nostra sub vna specie physica, & atoma continentur.*

Conclusiones deductæ, & probatæ.

SECVNDA CONCL. *Gratia Christi differt specie*
D *physica modali à gratia cæterorum hominum, & Angelorum.*

TERTIA CONCL. *Gratia Christi differt à gratia nostra, & Angelorum specie physica accidentali, modo superius exposito.*

QVARTA CONCL. *Gratia Christi specie morali distinguitur à gratia nostra & Angelorum.* Hæc patet ex dictis.

VLTIMA CONCL. *Perfectio gratiæ Christi modalis à nullius puræ Creaturæ gratia perfectione potest adæquari.* Hæc sequitur euidenter ex dictis.

CONTRA *primam concluſ.* sunt argumenta, quæ proponunt & soluunt Medina *in sua 2. qu. ad hunc art.* & Aluar. *disput. 35.* Contra eandem concl. produci potest hoc *argumentum.* Diuersitas specifica
E in effectibus formalibus & effectiuis arguit diuersitatem specificam in formis, à quibus emanant; at effectus formales & effectiui gratiæ Christi & nostræ specie distinguuntur; ergo etiam ipsæ gratiæ sunt specie distinctæ. Maior probatur ex D. Thom. *de spiritualibus creaturis art. 8. ad 12.* dicente lucem corporum cælestium non esse eiusdem rationis, eo quod diuersorum corporum cęlestium radij diuersos habent effectus. Minor vero quo ad primam partem probatur: quia gratia nostra nos constituit formaliter filios adoptiuos:

Obi. cont. 1. concl.

quem effectum non habet gratia Christi, sed habet alium longe diuersum, qui est disponere humanitatem ad vnionem cum Verbo personalem: Quo ad secundam vero partem probatur. Quoniam ex gratia Christi promanant veluti passiones iustitia commutatiua erga Deum, religio & gratitudo, qua Deo cultū exhibet & gratias reddit ad æqualitatem, quod nostræ religioni & gratitudini minime conuenit. *Solut.* *Resp.* Maiorem esse veram de effectibus formalibus primariis non autem de secundariis, qui pro varia subiectorum dispositione & capacitate sunt diuersi, sicut etiam effectiui, vt patet in exemplis superius allatis: Et de his tantum procedit probatio Minoris. Quod autem de luce cœlestium corporum docet *loco notato* S.D. verum est de luce, prout est virtus & passio diuersorum corporum cœlestium; Sic enim specie distinguitur, non autem prout est lux, quæ est actus diaphani, &c. Sic enim est eiusdem speciei, vt videtur asserere S.D. *in* 2. *Cæli, lect.* 14. Secundo dico diuersitatem illam iustitiæ Christi & nostræ, & similiter religionis & gratitudinis non esse, (proprie loquendo) physicam, sed moralem; quia tota prouenit ex diuersa subiecti dignitate & ex ea redundat in obiectum.

Obi. cont. 2. concl. CONTRA *secundam concl.* argumentantur quidam iuniores viri doctissimi. *Primo*: quia duplex differentia modalis posset assignari: Prima quatenus gratia Christi est in illo vt in subiecto connaturali; Secunda, quatenus est in illo vt in subiecto adæquato, quorum nullo modo est in nobis; Sed neuter horum modorum potest causare dictam differentiam: ergo. Minoris prima pars probatur: Quia Christus non habet nisi potentiam obedientialem ad recipiendam gratiam similem ei quam nos habemus: Sed nos non habemus potentiam receptiuam gratiæ connaturaliter, sed obedientialiter; ergo: *Secundo*: quia etiam si haberet aliam potentiam receptiuam gratiæ, ratione illius non distingueretur nostra gratia à gratia Christi; nam humanitas Christi est in illo, non vt in supposito connaturali, sicut est in mea humanitas, & tamen humanitas Christi & mea non distinguuntur specie physica essentiali modali penes hoc, quod est esse in supposito connaturali, vel non connaturali; ergo: *Tertio*: Quia etiamsi Christus esset subiectum connaturale suæ gratiæ, id non sufficeret ad eam distinguendam specie physica modali essentiali à nostra; quia esse in subiecto connaturali, vel non connaturali pertinet ad inhæsionem & inexistentiam ipsius gratię, quę est extra essentiam illius; ergo cum species essentialis physica etiam modalis non sumatur ab eo, quod est extra illius essentiam, gratia Christi ex eo non distinguetur specie à nostra. *Secunda vero pars* minoris probatur: Quia gratia data Stephano ad ministerium Diaconi, non distinguitur specie à gratia data aliis Diaconis licet in aliis sit vt in subiectis deficientibus, in Stephano autem vt in subiecto adæquato talis gratiæ: nam ideo dicitur de illo, quod erat plenus gratia; ergo idem erit in nostro proposito: Antecedens patet: quia eiusdem rationis fuit ordinatio Stephani & aliorum; ergo & effectus inde consequentes. *Confirmantur* hæc omnia; quia licet calor sit in igne vt in subiecto connaturali & adæquato, non distinguitur specie essentiali à colore aquæ, qui non est in illa, vt in subiecto connaturali & adæquato, ergo idem erit in proposito. *Solut.* *Resp.* falsam esse minorem: *Ad primam* probationē primæ partis negatur Antecedens: Christus enim præter potentiam obedientialem, quam nos habemus, habet etiam intrinsecum principium gratiæ & vnionem hypostaticam humanitatis cum Verbo, ex qua vnione congruitas in humanitate consurgit ad summam gratiam, iuxta illud *Io.* 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & virtutis.* Ad secundam eiusdem partis probationem negatur assumptum: Ad eius probationem negatur consequentia: quia humanitas ex hoc, quod ab alieno supposito terminatur, non acquirit nisi altioris ordinis subsistentiam & existentiam: quia non dependet à supposito, nisi tanquam à termino; at accidens essentialiter à subiecto dependet, & ideo speciem aliquam modalem ex eo potest acquirere: sicut calor ex igne veluti suo connaturali & adæquato subiecto speciem modalem acquirit, qua distinguitur à quolibet alio calore; hoc ipso namque quod est in igne vt in suo proprio, connaturali & adæquato subiecto, ac proinde cum summa perfectione, & vt virtutem habens ad omnes caloris effectus modum habet à cæteris caloribus specie differentem: Similiter ergo gratia Christi speciem quandam acquirit modalē ob easdem causas. *Ad tertiam* probationem dico, speciem gratiæ modalem sumi, quasi radicaliter ex subiecto, sed proxime & formaliter accipi ex ipsa summa gratiæ perfectione. *Ad Probationem secundæ partis* dico, non ita comparari gratiam Stephani ad gratiam aliorum Diaconorum, sicut gratia Christi ad gratiam cæterorum hominum & Angelorum: primo quia non constat gratiam illam fuisse summam etiam in tali genere secundum Dei potentiam absolutam, neque id facile credendum est: Secundo quia gratia Stephani non influebat in alios Diaconos: Tertio quia dato quod esset summa in illo genere, non distingueretur ab aliis differētia physica, sed morali; quæ cōsideratur in ordine ad actus ministerij, qui perfectiores ex Stephani gratia prouenirēt.

Obi. cont. 4. concl. CONTRA *quartam concluſ.* sunt hæc argumenta. *Primum*: Finitum & infinitum intra idem genus non variant speciem, vt patet in linea infinita, quæ si esset non esset specie differens à finita; ergo moralis dignitas infinita gratiæ Christi non distinguit eam specie à gratia nostra: Consequentia probatur: quia ad idem genus pertinet dignitas moralis gratiæ Christi, & nostræ. *Solut.* *Resp.* finitum & infinitum intra idem genus dupliciter differre posse; Vno modo secundum maiorem, vel minorem perfectionem absque hoc, quod infinitum nouum addat perfectionis gradum formaliter variantem; & ita verum est antecedens, & in hoc sensu procedit exemplum lineæ: sed hoc tantum modo non differunt gratia Christi, & nostra: & ideo nulla est argumenti Consequētia: Alio modo differre potest infinitum à finito non solum secūdum additum perfectionis gradum, sed etiá secundum formalē perfectionis rationem: & hoc modo specie differt à finito eiusdē generis; quēadmodum si linea extenderetur in superficiem & fieret in ratione superficiei infinita, specie differret à linea finita intra idem genus quantitatis; Sic itaque gratia Christi infinitam habet moralem dignitatem, quæ alterius est rationis ab ea, quæ communis est omni gratiæ, secundūm quam specie distinguitur in genere moris à gratia cæterorū hominum & Angelorum.

Obi. 2. *Secundum* est: Si Petrus mereretur sibi infinitam gloriam, meritum illud esset eiusdem speciei cum merito, quo nunc de facto meretur gradum gloriæ finitum, nec differunt hæc duo merita, nisi vt minus perfectum & magis perfectum intra idem genus; ergo idem proportionabiliter dicendum est de gratia Christi, & de gratia puri hominis in esse morali consideratis. *Solut.* *Respon.* falsum esse antec.

nam

nam neq; gloria infinita eiusdem est speciei cum gloria finita: illa enim est visio Dei comprehensiua, quæ plusquam genere differt à quacunque visione beata creata minime comprehensiua. A

ARTICVLVS XII.

Vtrum gratia Christi potuerit augeri.

1.d 15.qu.5. a.1 q.4. & d.17.q 2.a.4 ad 3 & 3.d. 13.q.1. a.2. q.3.& d.18. a.5.c. Et 1.f. 11.d.2 princ. Art. prec.

AD duodecimum sic proceditur. Videtur, quod gratia Christi potuerit augeri. Omni enim finito potest fieri additio. Sed gratia Christi fuit finita: vt dictum est. Ergo potuit augeri.

Præterea: Augmentum gratiæ fit per virtutem diuinam: Secundum illud 2. ad Corin. 9. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in nobis. Sed virtus diuina, B cum sit infinita, nullo termino coarctatur: Ergo videtur, quod gratia Christi potuerit esse maior.

Præterea: Luc. 2. dicitur, quod puer Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Ergo gratia Christi potuit augeri.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 1. Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre plenum gratiæ, & veritatis. Sed nihil potest esse, aut intelligi maius, quam quod aliquis sit vnigenitus à Patre. Ergo etiam non potest esse, vel intelligi maior gratia, quam illa, qua Christus fuit plenus.

Respondeo dicendum, quod aliquam formam non posse augeri, contingit dupliciter. Vno modo ex parte ipsius subiecti: Alio modo ex parte ipsius formæ. Ex parte quidem subiecti, quando subiectum attingit ad vltimum gradum in participatione illius formæ secundum suum modum: sic- C ut si dicatur, quod aer non potest crescere in caliditate, quando pertingit ad vltimum gradum caloris, qui potest saluari in natura aeris: licet possit esse maior calor in rerũ natura, qui est calor ignis. Ex parte autem formæ excluditur possibilitas augmenti, quando aliquod subiectum attingit ad vltimam perfectionem, quam potest talis forma habere in natura: sicut si dicamus, quod calor ignis non potest augeri, quia non potest esse perfectior gradus caloris, quam ille ad quem pertingit ignis. Sicut autem aliarum formarum est ex diuina sapientia determinata propria mensura, ita, & gratiæ: secundum illud Sap. 11. Omnia in numero, & pondere, & mensura disposuisti. Mensura autem vnicuique formæ præfigitur per comparationem ad suum finem: sicut non est maior grauitas, quam grauitas terræ, quia non potest esse inferior locus loco terræ. Finis au- D tem gratiæ est vnio creaturæ rationalis ad Deum: non potest autem esse, nec intelligi maior vnio creaturæ rationalis ad Deum, quã quæ est in persona, & ideo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ. Sic igitur manifestum est, quod gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiæ. Sed nec etiam ex parte subiecti: quia Christus, secundum quod homo à primo instanti suæ conceptionis fuit verus, & plenus comprehensor. Vnde in eo non potuit esse gratiæ augmentum, sicut nec in aliis Beatis: quorum gratia augeri non potest, eo quod sunt in termino. Hominum vero qui sunt pure viatores, gratia potest augeri, & ex parte formæ, quia non attingunt summum gratiæ gradum, & ex parte subiecti, quia nondum peruenerunt ad terminum.

Ad primum ergo dicendum, quod si loquamur de quan- E titatibus mathematicis, cuilibet finitæ quantitati potest fieri additio: quia ex parte quantitatis finitæ, non est aliquid quod repugnet additioni. Si vero loquamur de quantitate naturali, sic potest esse repugnantia ex parte formæ, cui debetur determinata quantitas, sicut & alia accidentia determinata. Vnde Philosophus dicit in secundo de anima, quod omnium natura constantium est terminus, & ratio magnitudinis, & augmenti. Et inde est, quod quantitati totius cœli non potest fieri additio. Multo igitur magis in ipsis formis consideratur aliquis terminus, vltra quem non progrediuntur. Et propter hoc nõ oportet, quod gratia Christi possit fieri additio, quamuis sit finita secundum sui essentiam.

Ad secundum, dicendum, quod virtus diuina, licet possit facere aliquid maius, & melius, quam sit habitualis gratia Christi: non tamen posset facere, quod ordinaretur ad aliquid maius, quam sit vnio personalis ad Filium vnigenitum à Patre. Cui vnioni sufficienter correspondet talis mensura gratiæ, secundum definitionem diuinæ sapientiæ.

Ad tertium dicendum, quod in sapientia & gratia aliquis potest proficere dupliciter. Vno modo, secundum ipsos habitus sapientiæ, & gratiæ augmentatos: & sic Christus in eis non proficiebat. Alio modo, secundum effectus: inquãtum scilicet aliquis sapientiora, & virtuosiora opera facit. Et sic Christus proficiebat sapientia & gratia, sicut & ætate: quia secundum processum ætatis perfectiora opera faciebat: vt se verum hominẽ demonstraret, & in his, quæ sunt ad Deum, & in his, quæ sunt ad homines.

Sensus quæsiti.

DE augmento sermo est, non solum secundum Dei potentiam ordinariam, sed etiam secundum absolutam, vt clarè significatur in Textu quidquid dicat Suarez.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quæsito duabus Conclusionibus.

Distinctio est: Aliquam formam augeri non posse contingit dupliciter: Vno modo ex parte ipsius subiecti: Alio modo ex parte ipsius formæ, vt explicatur in Textu.

PRIMA CONCL. *est: Gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiæ.* Probatur: Ex parte formæ excluditur possibilitas augmenti, quando aliquod subiectum attingit ad vltimam perfectionis mensuram, quam potest talis forma habere in natura: at gratia Christi pertingit ad summam perfectionis gratiæ mensuram: ergo non potest augeri. Maior declaratur exemplo caloris ignis, qui non potest augeri, quia non potest esse perfectior gradus caloris eo, ad quem pertingit ignis. Minor vero probatur: quia mensura perfectionis gratiæ desumitur ex vnione personali creaturæ rationalis ad Deum: ergo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ. Probatur hoc antecedẽs simul cum consequentia: Quia ex diuina sapientia vnicuique formæ determinata est propria mensura, quæ illi præfigitur ex comparatione ad suum finẽ: at finis gratiæ est vnio creaturæ rationalis ad Deũ, in quo genere vnionis non potest esse, nec intelligi maior vnio, quam quæ est in persona: ergo ex hac vnione desumitur mensura perfectionis gratiæ. Maior quo ad primam partem probatur authoritate diuinæ Scripturæ *Sap.* 11. Quo ad secundam vero probatur exemplo grauitatis terræ, qua ideo nulla maior est grauitas, quia non potest esse inferior locus loco terræ, quem vt finem respicit grauitas. Minor quo ad vtramque partem relinquitur, vt nota ex supradictis & præsertim *quæst.* 2. *artic.* 9.

SECVNDA CONCL. *est: Gratia Christi non potest augeri ex parte subiecti.* Probatur: quia Christus secundum quod homo à primo instanti suæ conceptionis fuit verus & plenus comprehensor: ergo in eo non potuit esse gratiæ augmentum. Antec. supponitur & infra suo loco probabitur: Consequentia vero probatur: Quia nec in aliis beatis gratia augeri potest, eo quod sunt in termino. Deinde probatur vtraq; conclus. ex oppositio, quod apparet in viatoribus, quorum gratia potest augeri & ex parte formæ, quia non attingit summum gratiæ gradum, & ex parte subiecti, quia nondum peruenerunt ad terminum.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt ea, quæ scribit Cai. circa propositiones in probatione primæ Concluſ. aſſumptas, & circa vim probationis ſecundæ concluſionis, & circa reſponſiones ad argumenta, & quæ notant Valent. & Suar. circa reſponſionem ad tertium.

Controuerſia Vnica.

An gratia Chriſti per Dei potentiam abſolutam poſſit augeri?

Sententia Doctorum.

MVLTÆ recenſentur à iunioribus opiniones in propoſita Controuerſia. *Prima ſententia* eſt Capr. *in 3. diſt. 13. qu. vnica ad 3. Aureoli, & ad argumentum Adami*, vbi dicit quinque: *Primum* eſt: Charitas & gratia viatoris ſecundum D. Thom. poteſt augeri in infinitum. *Secundum* eſt: Nec capacitas nec gratia comprehenſoris aut beati poteſt augeri de potentia Dei ordinata, & per cõſequens nec gratia vel charitas Chriſti, qui ſimul fuit comprehenſor & viator. *Tertium* eſt: Mens D. Thom. videtur fuiſſe, quod de potentia Dei abſoluta quãcunq; gratiam informantem aliquod ſubiectum Deus poteſt in eodem ſubiecto intendere, augere & maiorem facere. *Quartum* eſt: Capacitas animæ reſpectu gratiæ eſt finita in actu, licet ſit infinita in potentia: & ideo non poteſt recipere gratiam infinitam in actu, licet poſſit recipere gratiam infinitam in potentia, loquendo de potentia Dei abſoluta. Cum autem ait S. Thom. quod capacitas animæ Chriſti non poteſt creſcere nec augeri, loquitur de potentia Dei ordinata, ſecundum quam in anima beata non poteſt creſcere gratia nec gloria: *Vltimum* eſt: De potentia Dei abſoluta omnis gratia creata poſſet intendi ſecundum eſſe, cum quo ſtat quod aliqua gratia eſt ſumma & infinita, & nullo modo intenſibilis quãtum ad perfectionem rationis gratiæ, vt puta quia eſt dare ſummã ſpeciem in genere gratiæ, qua non poteſt eſſe ſuperior, non tamen ſummum indiuiduum (vt ita dicam) quo non poſſit eſſe ſuperius quo ad pertinentia ad indiuiduum, cuius eſt intenſio ſecundum eſſe. Hæc ille. Quam ſententiam ſequuntur quo ad primum, tertium & vltimũ dictum Med. & Val. *ſuper hoc art.* Suar. *diſp. 22. ſect. 2.* Aſtur. *in ſua Relect. de gratia Chriſti, q. 3*, Aluar. *diſp. 36.* & Valq. *diſp. 47. c. 3. & 4.* vbi ait, capacitatem animæ Chriſti reſpectu gratiæ habitualis eſſe infinitam, licet ſit ens quoddam finitum ſecundum eſſe, & ita intelligendum eſſe D. Thom. Pro hac ſententia citantur Gabriel *in 1. diſt. 17. q. 8. a. 2. concluſ. 3. & 4. & in 3 diſt. 13. q. vnica, a. 1. notatione 3. & a. 2. in principio*, & Arim. *in 1 diſt. 17. q. 6. concl. 3.* & Ocamus *ibidem q. 8. concluſ. 1. & in 3. q. 7.*

Secunda ſententia eſt Almaini & Aliacenſis: qui quatuor dicunt. *Primum* eſt: Gratiam ſecundum rationem gratiæ non poſſe in eodem homine aut Angelo augeri in infinitum, neq; dari poſſe qualitatem aliquam infinitam in ratione gratiæ, eo ꝙ neque viſio, neque dilectio creſcere poteſt in infinitum in eodem ſubiecto, neque dari poteſt infinita. *Secundum* eſt: poſſe qualitatem illam ſecundum rationem qualitatis in infinitum augeri. *Tertium* eſt: qualitatem hanc tam in ratione qualitatis, quã in ratione gratiæ in diuerſis ſubiectis creſcere poſſe in infinitum, cuius dicti rationem aſſignant: Quia produci poteſt vna aliqua creatura rationalis, ſeu intellectualis cæteris omnibus hactenus productis excellentior: iuxta quantitatem autem perfectionis talis creaturæ erit in ea quantitas virtutis & efficaciæ ad videndum Deum & eo fruendum: *Vltimum* eſt: Chriſti gratiam etiam ſecundum rationem gratiæ eſſe maximam, quæ eſſe potuit in anima Chriſti, non tamẽ infinitam, quia capacitas animæ Chriſti finita eſt.

Tertia ſententia huic ſatis proxima eſt Durandi *in 3. diſt. 13. q 1.* Carthuſiani & Ricardi, *q. 2.* S. Bonau. *in 2. parte eiuſdem diſt. a. 1. q 4.* & Driedonis *lib. 2. de captiuitate, & redemptione, capit. 2. parte ſexta, ſententia octaua*, qui dicunt gratiam Chriſti ex parte eſſentiæ ſuæ creſcere poſſe in infinitum, eo quod ſit formalis participatio Deitatis, quæ infinite eſt participabilis, ſed ob incapacitatem ſubiecti augeri non poſſe: quia anima Chriſti finitam habebat gratiæ capacitatem, quæ tota fuit impleta.

Vltima ſententia eſt S. Doct. *in hoc articulo* dicentis gratiam Chriſti augeri non poſſe, neque ex parte gratiæ, neque ex parte ſubiecti: quod dictũ quo ad vtranque partem oſtendimus *in articulo præcedẽti* intelligendum eſſe de augmento ſecundum Dei potentiam abſolutam, quod etiam infra probauimus ex pluribus locis doctrinæ S. Th. Sententiam hanc ſic intellectam ſequuntur Scotus *in 3. diſt. 13. §. Ad primam quæſtionem dico*, & Authores allegati pro tertia opinione, & Cai. *hic, & articulis præced. 9. & 10. & infra q. 10. a. 4 & in 2. 2. q. 24. a. 7.*

Reſolutio. Gratiam & caritatem, vt ſunt diuina natura participationis, augeri poſſe in infinitum, ſed non vt ſunt ad talem ſpecum determinata, & gratiam Chriſti nec per Dei potentiam abſolutam augeri poſſe.

Supponenda ſunt hic primo ea, quæ late diximus *in 1. Contr. ad articulum præced.* vbi præcipua præſentis Controuerſiæ definiendæ iecimus fundamenta & difficiliora aduerſariorum diluimus argumẽta.

Secundo notandum eſt, gratiam, quam diximus eſſe participationem diuinæ naturæ, dupliciter poſſe conſiderari: *Vno modo* quatenus præciſe participatio eſt diuinæ naturæ: & ſecundum hanc rationem habet, vt ei non repugnet, ſed maxime congruat augeri poſſe, ſaltem per Dei potentiam abſolutam in infinitum: alioquin finita & exhauribilis eſſet naturæ diuinæ perfectio & adæquari poſſet à Creatura: & ſecundum hanc rationem ſeu conſiderationem procedunt rationes D. Th. *in 2. 2. q 24. a. 7.* quibus probat charitatem, ac proinde etiam gratiam eſſe augmentabilem in infinitum: quibus etiam vtitur *in 1. diſt. 17. q. 2. a. 4. & ad Anibaldum eadem diſt. q & a.* Alio modo poteſt conſiderari gratia, quatenus eſt diuinæ naturæ participatio ad talem ſpeciem determinata: & ſecundum hanc rationem repugnat illi augmentum in infinitum: Quoniam vt ait S. D. *in Textu*, ſicut aliarum formarum ex diuina ſapientia eſt determinata menſura in ordine ad proprium cuiuſque finem, ita & gratiæ habitualis menſura determinata eſt in ordine ad eius finem, qui eſt vnio creaturæ nationalis ad Deum in perſona: non poteſt autem eſſe nec intelligi maior vnio creaturæ rationalis ad Deum, quam quæ eſt in perſona: Ergo gratia Chriſti pertingit ad ſummam menſurã gratiæ poſſibilem, etiam per Dei potentiam abſolutam: probatur hæc conſequentia: Quia gratia Chriſto collata fuit diſpoſitio & ornamentum vnioni quam maxime congruens: igitur in Chriſto tota fuit gratiæ poſſibilis plenitudo. Deinde quælibet forma & res creata hoc ipſo, quod eſt ad ſpeciem per eſſentialem & vltimam differentiam determinata, certam etiam ac determinatam habet ſuæ perfectionis intenſiuæ latitudinem: Sicut enim forma quælibet intrinſece & ex ſui natura limitatur ad ſpeciem, ſic & ad certam ex ſui natura determinata eſt ſuæ perfectionis latitudinem: ſicut enim ſpecifica ita & gradualis formæ determinatio ad eius intimam videtur perfectionem pertinere: actui namque per ſe primo videtur determinatio conuenire, ſicut indeterminatio propria eſt po-

est potentiæ: igitur vtraque prædicta determinatio conuenit intime cuilibet formæ creatæ hocipso, quod forma & actus est, siue sit ordinis naturalis siue supernaturalis. Et eodem modo distinguendum est de charitate in nobis ex diuina charitate deriuatæ, potest enim duobus modis considerari: Vno modo: quatenus præcise est participatio diuinæ charitatis, & secundum hanc rationem non repugnat ei esse augmentabilem in infinitum: Alio modo vt est ad talem speciem determinata: & secundum hanc rationem repugnat ei esse augmentabilē in infinitum absolute loquendo: quod dico propter charitatem viæ: quæ vt est charitas viæ, est augmentabilis in infinitum, cum tamen absolute terminum habeat augmenti. Et potest adaptari eadem distinctio cuilibet perfectioni simpliciter in nobis ex simili in Deo existente perfectione deriuata.

Sensus verborū D. Th.

Tertio notandum est dictum illud D. Tho. *in 3. dist. 17. q. 7. art. 4. & 2. 2. q. 24 a. 7.* nimirum aucta gratia & charitate augeri capacitatem animæ ad maiorem adhuc gratiam & charitatem recipiendam, dupliciter intelligi posse: Vno modo, considerata natura gratiæ & charitatis præcise, & potentia animæ absolute ad has perfectiones spirituales recipiendas: & ita verum est semper augeri talis potentiæ capacitatem, vt probat S. Thom. *in 3. loco notato*: Alio modo, considerata gratia & charitate, vt sunt ad suas species per vltimas differentias determinatæ, & potentia animæ, prout has perfectiones respicit vt sic determinatas: & ita falsum est aucta gratia & charitate augeri semper in anima capacitatem ad gratiam & charitatem: Nam si gratia & charitas recipiantur in anima secūdum totam suæ perfectionis plenitudinem, tunc non augebitur, sed cōplebitur tota capacitas animæ: Et quia S. D. locis allegatis probare solum intendebat charitatem viæ nullum habere terminum augmenti, ideo medium illud assumpsit primo modo consideratum: quod efficaciter probat intentum: nam gratia & charitas in anima participatæ capacitatem eius augent: absolute loquendo: & cum charitas in puro viatore nunquam habeat totam suæ perfectionis plenitudinem, consequens est, vt durante via semper aucta gratia & charitate, augeatur etiam capacitas ad ampliorē gratiam & charitatem, & nunquam compleatur: quia durante via nūquam aduenit plenitudo gratiæ & charitatis.

Ex animæ capacitate, & ex ratione dispositionis ad vnionem ostenditur Christi gratiam esse summā, & augeri non posse per Dei potentiam absolutam.

Hanc autem esse mentem D. Th. patet ex eius doctrina *in 3. dist. 13. q. 1. a. 2. q. 3. in secundo argum. & eius respon.* Argumentum est: Quanto magis additur intellectuali naturę de perfectione, tanto magis augetur eius capacitas: vnde secundum Philosophum *in 3. de Anima*: quanto intellectus intelligit magis difficilia, plus etiam potest intelligere: Sed capacitas amplioris gratiæ facit possibilitatē ad augmentum: Ergo quantuncunque homo habeat perfectam gratiam, remanet possibilitas ad augmentum, & ita videtur quod Christus potuit proficere in gratia. Responsio est: *Hoc intelligendum est de capacitate intellectualis naturæ circa finem, vltra quam nulla capacitas alicuius rei extenditur: sicut intellectus in statu viæ, quantuncunque proficiat, nunquam peruenit ad modum intelligendi, qui erit in patria.* Hæc ibi, & in corpore quæstiunculæ, sic ait: *Augmentum non competit rei secundum quod est in termino, sed secundum quod est in via ad terminum: quia secundum quod res est in termino, tota potentialitas capacitatis eius est impleta ex fine implente, & ideo non habet vlterius, quo crescat: Et quia anima Christi fuit ab initio conceptionis fini vltimo vnita non solum per fruitionem perfectam, sed etiam communicando in persona Verbi, gratia eius crescere non potuit:* Et in responsione ad primum ait: *Cuilibet finito potest fieri additio, mathematice loquendo, quia ratio quantitatis, quam solam mathematicus considerat, non prohibet, quin possit infinito aliquid addi: prohibet autem additionem talem forma, quam considerat naturalis: & ideo secundum naturalem non est verum, sed secundum imaginationem tantum, & similiter in proposito, vt ex dictis patet, quia nec gratia potest esse maior comprehensoris, nec gloria maior, quam creatura vnita Deo in persona.* In quibus duo sunt, quæ maxime fauent proposito nostro. *Primum* est, impletam fuisse totam gratiæ capacitatem in anima Christi, & ideo gratiam eius augeri non potuisse. *Secundum* est, quod, licet quantitas vt sic non prohibeat in rebus corporeis additionem, eam tamen prohibet forma naturalis, & sic esse in proposito, quod gratia comprehensoris in Christo instar formæ naturalis non potest esse maior nec gloria maior: Nam de capacitate sermo est, quæ non est potentia naturalis, sed obedientialis, & de modo impletionis, qui est per assecutionem termini ad quem per se primo gratia secundum totam suæ perfectionis latitudinem ordinatur: igitur propter habitam totam gratiæ possibilem perfectionem non potuit secundum eam crescere anima Christi, & ideo neque gratia comprehensoris potest per Dei potentiam esse maior, quam gratia animæ Christi, neque gloria maior quam gloria animæ Christi, vt magis aperte docet idem S. Doct. *ad Anibaldum in 3. dist. 13. quæst. vnica, art. 4.* vbi sic loquitur: *Augmentum non competit rei secundum quod est in termino, sed secundum quod est in via ad terminum: quia secundum quod res est in termino, tota potentialitas capacitatis impleta est ex fine implente, & ideo non habet vlterius, quo crescat: Cum autem gratia detur homini ad hoc, vt per eam homo Deo vniatur, tunc gratia ad suum terminum peruenit, quando Deo maxime vnit; non autem potest magis vniri, quam in persona: & ideo gratia hominis vniti est in termino, & augeri non potest, sed proficit secundum actus: & sic intelligitur Christus gratia profecisse. Quod autem obijcitur, quod omni finito possibilis est additio. Dicendum, quod loquendo de finito, & additione mathematice, ideſt secundum imaginationem, verum est, sed loquendo naturaliter, verum non est: Nam omnium naturā constantium terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti: & ideo gratia Christi augeri non potuit, quia tanta fuit eius capacitas, vltra quam augmentum esse non potuit remanente natura humana, seu natura creata, & Deus non potest facere aliquam capacitatem increatam.* Hæc ibi Sanct. Doct. Vbi notanda sunt vltima verba, quæ de potentia loquuntur absoluta: Sed pro maiori dictorum intelligentia obseruandum est, quod paulo ante diximus, nimirum gratiam non secundum quemcunque gradum, sed secundum totam suę perfectionis latitudinem ad vnionem hypostaticam, vt eius dispositionem & ornamentum ordinari, sic enim supremum infimi attingit infimum supremi, gratia namque habitualis inferior est vnione hypostatica, & ideo per se loquendo non potest eam attingere, vt eius dispositio & ornamentum, nisi quatenus est in summo suæ possibilis perfectionis, sicut patet in partibus vniuersi & in singulis entibus naturaliter ordinatis: Itaque si Deo placuisset animæ Christi minimum gratiæ gradum infundere, & sic eam vnire personæ Verbis, ea gratia non implesset totam animæ Christi capacitatem, licet esset in termino: quia vnio hypostatica non est, per se loquendo terminus, nisi gratiæ existentis in summo suæ perfectionis: minima vero gratia non ex intrinseca sua perfectione,

sed

sed quasi per accidens vnionem illam attingeret: A quia scilicet non ex se sed ex sola diuina voluntate ad illã ordinaretur. Cum ergo probat S. D. Christi gratiam augeri non posse, quia pertingit ad terminum, qui est vnio cum Deo personalis, loquitur de pertingere ad terminum non ab extrinseco tantum, & quasi per accidens, sed per se & ab intrinseco: quo modo sola summa gratia per se ordinatur ad vnionem cum Deo personalẽ, & eam assequitur agente diuina voluntate, quæ gratiam talis naturæ creauit, vt secundum summam sui perfectionem congruitatem haberet naturalem ad vnionem in hypostasi cum Deo.

Quarto notandum est gratiam Christi posse quatuor modis considerari. *Primo* secũdum physicam suam perfectionem: *Secundo* secundum perfectionem eius moralem, quam supradiximus esse triplicem & infinitam. *Rursus* gratia Christi primo modo tripliciter potest considerari: Primo secũdum intrinsecam suam perfectionem: quæ duplex est, scilicet essentialis & gradualis: Secundo in ordine ad ipsum subiectum, scilicet Christum: Tertio in ordine ad causam efficiẽtem, quæ Deus est. *Quarto* in ordine ad vnionem hypostaticam, ad quam disponit & quam exornat. B

Distinctio.

Altera distinctio.

Vltimo sciendum est, duplicem esse in anima nostra capacitatem gratiæ: Alteram proximam, quæ est voluntas cum supernaturali motione & conatu, quo disponitur ad gratiam: & alteram remotam & radicalem, quæ est ipsa animæ essentia, prout est totaliter Deo subiecta, vt in ea fiat aut in se recipiat, quidquid in ea Deo placuerit operari. C

Conclusiones deductæ, & probatæ.

Prima concl. *Gratia Christi secundum tres morales suas perfectiones augeri nõ potest.* Probatur: quia secundum eas est infinita, vt ostendimus *in prima controuersia ad 2. præced.*

Secvnda concl. *Gratia Christi secundum physicam suam perfectionem essentialem non potest augeri.* Probatur: quia cuiuslibet rei & essentiæ perfectio consistit in vna ratione specifica per vltimam differentiam determinata, quæ formaliter est indiuisibilis, nec recipit magis & minus. Nam vt ait S. D. *in 1. 2. q. 52. a. 1.* Illud secundum quod sortitur aliquid speciem, oportet esse fixum & stans & indiuisibile: quod ibi probat & explicat optime Cai. Igitur gratia Christi & alia quæcunque gratia secundum physicam suam perfectionem essentialem non potest augeri. Sicut nec ratio specifica & essentialis albedinis, nigredinis aut caloris potest augeri, quamuis albedo, nigredo &c. possint augeri eo modo, quo declarat ibi S. D. & Cai. D

Tertia concl. *Gratia Christi secũdum intrinsecam suam perfectionem gradualem augeri non potest nec per Dei potentiam ordinariam, nec per Dei potentiam absolutam.* Probatur hæc Conclusio ex dictis D. Th. *in hoc a. supra notatis*, & præcipue ex iis, quæ retulimus *in 1. Contr. ad 2. præced.*

Responsio quorundam

Confutatio

Sed dicunt quidam recentiores primo loca illa intelligenda esse de Gratia Christi secundum rationem suæ speciei, secundum quam dicitur summa & infinita, quia perfectiones donorum & virtutum illi connaturales habet integre, ita vt nulla perfectio connaturalis gratiæ non includens imperfectionem illi desit, & ideo dicitur Christo data sine mensura, quia datur ad omnem bonum vsum: Has autem perfectiones & effectus habere posset etiam si esset remississima. *Secũdo dicunt* gratiam Christi secundum esse, quod habet in Christo, habere totam intensionem possibilem de lege siue de potentia Dei ordinaria: quæ videtur esse doctrina Capr. *in 1. dist. 17. q. 2. ad 2. tertio loco contra primam Concl. & in 3. dist. 13. q. vnica, a. 3. §. Ex quibus.* Sed hanc responsionem esse contrariam mẽti D. Th. patet ex ijs, quæ diximus *in allegata prima Contr. ad præcedentem. a. & ex supradictis.* Quibus adde discursum D. Th. *in de Ver. q. 29. a. 3.* E

Quarta concl. *Gratia Christi per ordinem ad subiectum, quod est anima Christi, non potest augeri.* Probatur: quia implet totam eius capacitatem, vt ait S. D.

Vltima concl. *Gratia Christi per ordinem ad Dei potentiam absolute loquendo non potest augeri, sed tãtum considerata præcise gratia, prout est participatio diuinæ naturæ.* Prima pars probatur: Quia summam gratiam augeri implicat contradictionem. Secun. da pars patet ex dictis.

Contra *tres vltimas concl.* argumentatur Capr. *in 3. dist. 13. q. vnica, a. 3. ad 3. Aureoli.* Primo: quia S. Th *de Ver. q. 29. a. 3. ad 2. & ad 6.* significat gratiam Christi augeri posse per Dei potẽtiam absolutam: Nam *ad 2.* ait: Capacitatem obedientiæ in creatura, secũdum quam recipere potest aliquid à Deo, impleri non posse, quia quidquid Deus de creatura faciat, adhuc remanet in potentia recipiendi à Deo. Et *ad 6.* ait, capacitatem animæ Christi esse finitam, & Deum posse maiorem capacitatem facere & meliorem creaturam, quam sit anima Christi, si per intellectum separetur à Verbo, nec tamen sequi, quod possit facere meliorem Christum, quia Christus habet ex alio bonitatẽ, scilicet ex vnione ad Verbum, ex qua parte eius bonitate maior intelligi nequit. Igitur de potentia Dei absoluta gratia Christi potest augeri secundum D. Th. *Resp.* D. Th. in his locis non loqui de capacitate determinate respectu gratiæ, sed indistincte respectu actionum & actuum supernaturalium à Deo in creatura receptibilium, vt patet conferenti responsiones cum argumentis: licet enim ibi quæstio esset de gratia Christi, argumenta tamen non de capacitate gratiæ tantum, sed de capacitate supernaturalium indistincte loquuntur, vt patet attente consideranti discursus illos. *Ob. 1. cont. 3 vlt. concl.* *Solut.*

Contra easdem concl. argumentatur Medina. *Primo*: quia gratia disponit ad visionem beatificam, quæ non habet terminum, Deus enim in infinitum est visibilis: Ergo gratia non habet terminum. *Resp.* Visionem creaturæ beatificam habere terminum secũdum se, sicut omnes aliæ formæ & qualitates creatæ, & visionem animæ Christi summã esse & habere totam suæ speciei possibilem intensionem. Et quamuis Deus secundum se sit infinite & in infinitum visibilis perfectiori modo considerata diuinæ essentiæ & diuinæ visionis infinitate à nobis participabili, si tamen hæc diuinæ visionis participatio consideretur vt ad talem speciem per essentialem differẽtiam determinata, finitam ac limitatam habet suæ perfectionis latitudinem, sicut & quælibet alia forma & species creata, vltra quam non potest intendi: Quod idem dicendum est, de lumine gloriæ in beatis participato. *Obi. 2.* *Solut.*

Secundo affert authoritatem D. Th. *ex 2. 2. q. 24. art. 7.* Cuius sensum supra declarauimus. *Obi. 3.*

Tertio arguit: Quia S. Th. *in 1. p. q. 61. a. 6.* docet Angelis datam fuisse gratiam secũdum quantitatem suarum naturarum, ita vt Angelo perfectiori in natura data fuerit perfectior gratia: Sed quocunq; gradu naturæ dato, potest Deus perfectiorem producere secundum communem cursum: Ergo quocunque gradu gratiæ dato potest Deus perfectiorem producere secundum communem cursum. *Respon.* nullam esse consequentiam: Quia creatis iam Angelis collata gratia non adæquat totam gratiæ possibilem perfectionem: quæ tamen posset adæquari per gratiæ intensionem seu quantitatem, quam dare posset Deus Angelis determinatis, puta centum perfectionibus in natura à *Obi. 4.* *Solut.*

tura à Deo creabilibus, vel etiam ijs, qui modo creati sunt, ita vt cetesimus omniũ perfectissimus summam haberet gratiæ perfectionem Deo possibilem: quod si alios adhuc eo perfectiores crearet, non posset, nisi summam qualem centesimo contulisset, gratiam impertiri.

Obi. 5. *Contra easdem concl.* argum. Suar. Quia augmẽtum non repugnat gratiæ, hoc solo, quod forma accidentalis est essentialiter finita, neque quatenus est talis forma: Ergo. Antecedens quo ad primam partem probatur: quia non omnis progressus in infinitum repugnat formæ finitę, vt patet in quantitate, quæ in infinitum augeri potest, neq; in augmento intensionis est specialis aliqua repugnantia, quando alioquin forma intensibilis est; quia neque per talem intensionem mutatur species aut essentia finita, neque forma ipsa in re habet aliquando infinitam perfectionem, sed semper finitam. Quo ad secundam vero partem probatur idem antecedens: Quia gratia quatenus talis forma est, habet omnia principia accommodata augmento: quia est participatio infinitæ naturæ, quæ solum ab infinito agente, tanquam à principali causa communicari potest & per se, vel facultates suas in infinitum obiectum, prout in se est tendit & illi nunquam adæquatur: ergo. *Et cõfirmatur. Primo*: Quia visio Dei finita semper augeri potest, gratia vero est quædam forma, cui est connaturalis illa Visio. *Secundo confirmatur*: Quia nulla potest assignari ratio, propter quam repugnet hominem habentem huiusmodi gratiam quantumuis perfectam mereri augmentum illius & beatitudinis, vnde etiam Christus per absolutam Dei potentiam mereri potuit augmentum suæ gratiæ & gloriæ. *Resp.* ad primam partem antecedentis, augmentum secundum intensionem in infinitam repugnare formæ finitæ, quia per talem intensionem mutaretur species, eo quod, vt ante diximus, quælibet res secundum suam speciem & essentialem differentiam vendicat sibi determinatam suæ perfectionis latitudinem, vltra quam impossibile est eam extendi, vt patet de albedine, quæ si esset subsistens finita esset, positiue loquendo, & totam haberet suæ perfectionis, ac intensionis possibilem latitudinem, nec vltra eam posset extendi. Ad secũdam partem eiusdem antecedentis dico gratiam: quatenus talis forma est, dupliciter posse considerari: Vno modo præcise quatenus participatio est diuinæ naturæ: Alio modo quatenus participatio est diuinæ naturæ ad talem speciem per essentialem & vltimam differentiam determinata: quamuis secundum primam considerationem non repugnet gratiæ in infinitum augeri, repugnat tamen illi secũdo modo consideratæ, atque ideo simpliciter loquendo repugnat illi argumentum in infinitum.

Conf. 1. *Conf. 2.* *Solutio.*

ad conf. Obi. 6. *Ad confirmationes* patet responsio ex supradictis.

Contra easdem concl. argum. Vasq. *disput. 47 cap. 3.* Quoniam homo iustus nouis operibus in Deo factis, quibus in dies magis ac magis meretur vitam æternam, magis, ac magis iustificatur apud Deũ, neque vnquam perueniet ad statum, in quo per noua opera non mereatur: Ergo neque vnquam ad aliquem statum perueniet, in quo non possit in sanctificatione crescere: Ergo potest etiam habitus gratiæ in homine iusto augeri in infinitum: Probatur consequẽtia: quia per habitum eodem genere iustitiæ & gratiæ constituitur homo Filius Dei adoptiuus, quo constituitur per opera, & sanctificatio per habitum respondet sanctificationi per opera: Ergo si adoptio crescere potest in infinitum per bona opera, eodem modo crescere poterit per habitum, qui respondit operibus. *Respon.*

Solut.

hoc argumento nihil aliud probari, nisi iustificationem & gratiam in infinitum augeri infra terminos viæ: quod nos etiam supra docuimus cum D. Thom. & Cai.

Contra easdem concl. producit Aluar. duo argumenta, quorum solutio patet ex dictis.

Obi. 7. *Contra easdem concl.* argumentantur quidam recentiores. *Primo*: quia quælibet gratia quantumuis maxima, est principium quo meremur maiorem gratiam: Ergo data qualibet gratia quantumuis intensissima, est dabilis alia maior. Antecedẽs est D. Tho. *in 1.2. q. vltima art. 8.* & probatur: quia gratia ex natura sua est radix actuum, quibus meretur suum augmentum, & hanc naturam non amittit per maximam intensionem, quia per illam magis perficitur in sua essentia indiuiduali: Ergo quanto magis crescit, tanto magis est principium actus, quo meretur suum augmentũ. Consequentia vero probatur: quia meritum non est, nisi respectu præmii possibilis: ergo si quælibet gratia quantumuis intensissima, est principium meriti sui augmenti, consequens est vt sit possibilis maior eius intensio. *Confirmatur*: quia statui peccati, *Conf.* quantumuis maximo, non repugnat augmentũ, quia nullus tantum peccabit in hac vita, quin ea durante possit amplius peccare iuxta illud Apoc. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*: Ergo nec repugnat statui gratiæ: Probatur consequentia: quia proportionaliter se habent: Vnde *Rom. 6.* dicitur: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem* (idest ad augmentum peccati) ita exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem (idest in augmentum sanctificationis.) Vt etiam explicat Concilium Trid. *sess. 6. cap. 10.* *Resp.* falsum esse antecedens. Ad probationem ex D. Tho. dico S. Th. ibi non loqui de gratia vel charitate, quatenus est intensissima sed absolute, gratiæ vero & charitati, quatenus est intensissima & in summo, repugnat augeri hoc ipso, quod est in summo. Secundo dico D. Thom. ibi loqui de augmento gratię infra latitudinem status viæ, in quo secundum legem Dei ordinariam gratia & charitas nunquam est in summo. Ad rationem autem dico, gratiam ex natura sua esse radicem actuum, quibus meretur suam intensionem, si sit in statu capaci intensionis, non autem si sit extra statum illum, sed sit in statu, cui non congruat augmentum secundum legẽ Dei, vt patet in gratia beatorum & Christi: vel etiam cui repugnet augmentũ, vt si sit summa totam habẽs suæ perfectionis possibilem latitudinem: sicut etiam humana natura in quolibet homine principium est augmenti in statu pueritiæ & iuuentutis, non autem in statu virilitatis & senectutis. *Ad confirmationem* negatur *ad Conf.* consequentia: quia malum contingit omnifariã, bonum autem consurgit ex integra causa. Ad probationem dico proportionẽ illam Apostoli fundari in augmento gratiæ & peccati seu iniquitatis præcise sumendo gratiam & iniquitatem, non aũt prout est in tali vel tali statu: nã quo ad hoc differunt gratia & iniquitas, quod hæc nullum habet nec habere potest statum, in quo secũdum legem aliquam Deo possibilem augeri non possit ob dictam causam, quia malum contingit omni omnifariam: de qua re videndus est S. Th. *in 1. q. 48. a. 4.* vnde etiam Diabolus in omni actu suo deliberato mortaliter peccat, cum tamen beatus in nullo suo actu mereatur: gratia vero statum admittit, cui repugnat augmentum, vt diximus. Radix huius differentiæ est, quia non est possibile esse summum malum, vt probat S. Doct. *in 1. p. q. 49.* vbi allegat dictum illud Arist. *in 4. & hic. Si malum integrum sit, seipsum destruet.*

Secundo

Secundo arguunt: Quia potentia obedientialis animæ ad gratiam non potest impleri, vt ait San. Tho. *supra q.1. a.3. ad 3. & in 3. dist. 1. q.1. a.3. ad 4. & de Ver. q.29 a.3. ad 3.* ergo. *Resp.* falsum esse antecedens. nec D.Th. in his locis loquitur de capacitate obedientiali ad gratiam, sed de capacitate obedientiali absolute siue in communi, vel indifferenter ad quemcunque actum supernaturalem, aut effectum potentiæ diuinæ supra rerum naturas & ordinem operantis. Solut.

ARTICVLVS XIII.

Qualiter gratia Christi habitualis se habeat ad vnionem.

3.d 13.q 3.a. 2 q. 3.& op. 3.c 22.& op. 60 c.3. col.7 AD tertium decimum sic proceditur. *Videtur, quod gratia habitualis in Christo non subsequatur vnionem. Idem enim non sequitur ad seipsum. Sed hæc gratia habitualis videtur eadem esse cum gratia vnionis: dicit enim Augustinus in libro de Prædestin. Sanctorum, Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicunq; Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. Quorum duorum primum pertinet ad gratiam habitualem, secundum ad gratiam vnionis. Ergo videtur, quod gratia habitualis non subsequatur vnionem.*

Cap.15.to.7

Præterea: Dispositio præcedit perfectionem tempore, vel saltem intellectu. Sed gratia habitualis videtur esse sicut quædam dispositio humanæ naturæ ad vnionem personalem. Ergo videtur, quod gratia habitualis non subsequatur vnionem, sed magis præcedat.

Præterea: Commune est prius proprio. Sed gratia habitualis est communis Christo, & aliis hominibus, gratia autem vnionis est propria Christo. Ergo prior est secundum intellectum gratia habitualis, quam ipsa vnio: Non ergo sequitur eam.

Sed contra est, quod dicitur Isa. 42. Ecce seruus meus, suscipiam eum: & postea sequitur, Dedi Spiritum meum super eum: quod quidem pertinet ad donum gratiæ habitualis. Vnde relinquitur, quod susceptio naturæ humanæ in vnitatem personæ, præcedat gratiam habitualem in Christo.

Respondeo dicendum, quod vnio humanæ naturæ ad diuinam personam (quam supra diximus esse ipsam gratiam vnionis) præcedit gratiam habitualem in Christo: non ordine temporis, sed naturæ, & intellectus.

Et hoc triplici ratione: primo quidem secundum ordinem principiorum vtriusque. Principium enim vnionis est persona Filij assumens humanam naturam, quæ secundum hoc dicitur missa esse in mundum, quod humanam naturam assumpsit. Principium autem gratiæ habitualis, quæ cum charitate datur, est Spiritus Sanctus, qui secundum hoc dicitur mitti, quod per charitatem mentem inhabitat. Missio autem Filij secundum ordinem naturæ, prior est missione Spiritus sancti, sicut ordine naturæ Spiritus sanctus procedit à Filio, & à sapienti dilectio: Vnde & vnio personalis, secundum quam intelligitur missio Filij, est prior ordine naturæ habituali gratia, secundum quam intelligitur missio Spiritus sancti. Secundo accipitur ratio huius ordinis ex habitudine gratiæ ad suam causam. Gratia enim causatur in homine ex præsentia diuinitatis, sicut lumen in aere ex præsentia Solis: vnde dicitur Ezech. 43. Gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, & terra splendebat à maiestate eius. Præsentia autem Dei in Christo intelligitur secundum vnionem humanæ naturæ ad diuinam personam: vnde gratia habitualis Christi, intelligitur vt consequens hanc vnionem, sicut splendor Solem.

Tertio ratio huius ordinis sumi potest ex fine gratiæ: ordinatur enim ad bene agendum. Actiones autem sunt suppositorum, & individuorum. Vnde actio, & per consequens gratia ad ipsam ordinans præsupponit hypostasim operantem. Hypostasis autem non præsupponitur in humana natura ante vnionem: vt ex supra dictis patet. Et ideo gratia vnionis secundum intellectum præcedit gratiam habitualē.

Ad primum ergo dicendum, quod Aug. ibi gratiam nominat gratuitam Dei voluntatem, gratis beneficia largientem. Et propter hoc eadem gratia dicit hominem quemcunq; fieri Christianum, qua gratia factus est homo Christus: quia vtrunq; gratuita Dei voluntate absque meritis factum est.

Ad secundum dicendum, quod sicut dispositio in via generationis præcedit perfectionem, ad quam disponit in his, quæ successiue perficiuntur: ita naturaliter perfectionem sequitur, quam aliquis iam consecutus est: sicut calor, qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens à forma ignis iam præexistentis. Humana autem natura in Christo vnita est personæ Verbi à principio, absque successione. Vnde gratia habitualis non intelligitur, vt præcedens vnionem, sed vt consequens eam, sicut quædam proprietas naturalis. Vnde, & Aug. dicit in Ench. quod gratia est quodammodo Christo homini naturalis.

Ad tertium dicendum, quod commune est prius proprio, si vtrunque sit vnius generis. Sed in his, quæ sunt diuersorum generum, nihil prohibet proprium esse prius communi. Gratia autem vnionis non est in genere gratiæ habitualis: sed est supra omne genus, sicut & ipsa diuina persona. Vnde hoc proprium nihil prohibet esse prius communi: quia non se habet per additionem ad commune, sed potius est principium, & origo eius, quod est commune.

Sensus quæsiti.

QVÆSTIO est de ordine & modo & causa ordinis, an scilicet gratia habitualis præcedat vnionem tempore vel natura, vt eius propria dispositio, vel sequatur ad eam vt passio, vel vt eius effectus.

Forma Textus.

CONCL. *est: Vnio humanæ naturæ ad diuinam personam, quæ est ipsa gratia vnionis, præcedit gratiam habitualem in Christo non ordine temporis, sed naturæ & intellectus.* Probatur triplici ratione. Prima, quæ sumitur ex ordine principiorum vtriusque gratiæ, scilicet vnionis & habitualis, est hæc: Missio filii secundum ordinē naturæ prior est missione Spiritus sancti: Ergo & gratia vnionis personalis est prior ordine naturæ gratia habituali. Antecedens probatur: quia ordine naturæ Spiritus sanctus procedit à Filio, & à sapientia dilectio. Consequentia vero probatur: quia principiū vnionis est persona filii, quæ secundū hoc dicitur missa in Mundum, quod humanam naturam assumpsit: Principium autem gratiæ habitualis, quæ cum charitate datur, est Spiritus sanctus, qui secundum hoc dicitur mitti, quod per charitatem mentem inhabitat. Secunda ratio sumitur ex habitudine gratiæ ad suam causam, & est talis: Gratia causatur in homine ex præsentia diuinitatis: Ergo gratia habitualis in Christo intelligitur consequens hanc vnionem. Antecedens declaratur: quia sicut lumen in aere causatur ex præsentia Solis, ita gratia ex præsentia diuinitatis, vt significatur *Ezech. 43.* cum dicitur: *Gloria Dei Israel ingrediebatur per viam Orientalem, & terra splendebat à maiestate eius.* Consequentia vero probatur: quia præsentia Dei in Christo intelligitur secundum vnionem humanæ naturæ ad diuinam personam. Tertia ratio sumitur ex fine gratiæ hoc modo: Actio & gratia habitualis ad ipsam ordinans præsupponit hypostasim: Ergo gratia vnionis secundum intellectum præcedit gratiam habitualem. Antecedens probatur: quia actiones sunt suppositorum & individuorū: Ergo actio & multo magis gratia ad ipsam ordinans præsupponit hypostasim operantem: Consequētia vero probatur: quia hypostasis non præsuppo-

nitur

nitur in humana Christi natura ante vnionem, vt A patet ex dictis supra *quæst. 4. art. 2.*

Expositio Textus.

VIDENDA sunt, quæ notat Caiet. circa diuersas propositiones & dicta D. Th. & ea quæ notat Aluar. & quæ scripsimus *super art. 6. q. 6.* quibus nihil aliud addendum occurrit.

QVÆSTIO OCTAVA.

De gratia Christi secundum quod est caput Ecclesiæ, in octo articulos diuisa.

DEinde considerandum est de gratia Christi, *secundum quod est caput Ecclesiæ.*

Et circa hoc quæruntur octo.

Primo, vtrum Christus sit caput Ecclesiæ.

Secundo, vtrum sit caput hominum, quantum ad corpora: vel solum quantum ad animas.

Tertio, vtrum sit caput omnium hominum.

Quarto, vtrum sit caput Angelorum.

Quinto, vtrum gratia Christi, secundum quam est caput Ecclesiæ, sit eadem cum gratia habituali eius, secundum quod est quidam homo singularis.

Sexto, vtrum esse caput Ecclesiæ, sit proprium Christo.

Septimo, vtrum Diabolus sit caput omnium malorum.

Octauo, vtrum Antichristus etiam possit dici caput omnium malorum.

Ratio ordinis.

POSTQVAM de gratia Christi, prout assumptæ C humanitatis perfectio est, disseruit quæstione præcedenti S. D. nunc de eadem agit gratia, quatenus ex eo veluti ex capite diffunditur ad alios tanquam ad membra, ex quibus simul & capite vnum Ecclesiæ corpus integratur: propter quod inscribitur hæc quæstio de gratia Christi, secundum quod est caput Ecclesiæ: Cuius quæstionis octo sunt Articuli: Tres enim habet præcipuas partes: in prima agitur de Christo, prout secũdum gratiam est caput Ecclesiæ: In secunda secundum quam gratiam Christus sit caput Ecclesiæ: In tertia quæritur differentia inter Christum, & alios quo ad esse caput Ecclesiæ, vel aliquorum. Prima tres habet partes: In prima tractatur: An sit Christus caput Ecclesiæ? & quid sit esse caput Ecclesiæ: quę D duo quæsita primo determinantur artic. In secunda quęritur, qua ratione ex parte hominum sit eorum caput, an sc. quantum ad corpora, vel solum quantum ad animas: & hæc secundo continetur artic. In tertia quæritur respectu quorum Christus sit caput: & primo, an sit caput omnium hominũ, quibus datus est in Saluatorem, & cum quibus cõmunem habet humanitatem: Secundo, vtrum sit caput etiam Angelorum. Secunda pars principalis vno tantum scil. quinto continetur artic. Tertia pars tres habet articulos, nimirum sextum, in quo quæritur an esse caput Ecclesiæ secundum omnes sc. eius partes, sit proprium Christo: & duos sequẽtes, in quib. de capite secũdum particulares quasdam rationes, & respectu quorundam tantum sc. E malorum hominum disputatur: in septimo quidẽ, an Diabolus sit caput omnium malorum, in octauo vero: num etiam Antichristus dici valeat caput omnium malorum. Ex his enim patet an, & quomodo proprium sit Christo esse caput Ecclesiæ, quæ est congregatio fidelium continens bonos & malos, extra quam innumera est malorum hominum multitudo, de quorum & fidelium simul etiam malorum capite disputatur in dictis duobus postremis articulis.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sit caput Ecclesiæ.

AD primum sic proceditur. *Videtur, quod Christo secundum quod est homo, non competat esse caput Ecclesiæ. Caput enim influit sensum, & motum in membra. Sensus autem, & motus spiritualis, qui est per gratiam, non influitur nobis à Christo homine: quia sicut Aug. dicit in lib. de Trin. nec etiam Christus, secundum quod est homo, dat Spiritum sanctum, sed solum inquantum est Deus: ergo ei, secundum quod est homo, non competit esse caput Ecclesiæ.* *Inf. q. 48. a. 1. & ca. qu. 49. a. 2. co. & 3. di. 13. q. 2. ar. 1. & veri. q. 29. ar. 3. c. fi. & ar. 5. c. & opusc. 3. c. 223. & op. 60. c. 1. col. 9. & 1. co. 11 l. 1. col. 2. & Ephes. 1. f. Lib. 1. c. 12. tomo 3.*

Præterea: Capitis nõ videtur esse aliud caput. Sed Christi, secundum quod est homo, est caput Deus: secundum illud primæ ad Cor. 11. Caput Christi Deus. Ergo ipse Christus non est caput.

Præterea: Caput in homine est quoddam particulare membrum influentiam recipiens à corde. Sed Christus est vniuersale principium totius Ecclesiæ. Ergo non est Ecclesiæ caput.

Sed contra est, quod dicitur Eph. 1. Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.

Respondeo dicendum, quod sicut tota Ecclesia dicitur vnum corpus mysticum per similitudinem ad naturale corpus hominis, quod secundum diuersa membra habet diuersos actus (vt Apost. docet Rom. 12. & 1. ad Corint. 12.) ita Christus dicitur caput Ecclesiæ secundum similitudinem humani capitis. In quo tria possumus considerare, scilicet ordinem, perfectionem, & virtutem. Ordinem quidẽ: quia caput est prima pars hominis, incipiendo à superiori. Et inde est, quod omne principium consueuit vocari caput: secũdum illud Ezech. 16. Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ. Perfectionem autem: quia in capite vigent omnes sensus, & interiores, & exteriores, cum in cæteris membris sit solus tactus: & inde est, quod dicitur Isa. 9. Senex, & honorabilis ipse est caput. Virtutem vero: quia virtus, & motus cæterorũ membrorum, & gubernatio eorum in suis actibus, est à capite, propter vim sensitiuam, & motiuam ibi dominantem: vnde, & rector dicitur caput populi, secundum illud 1. Reg. 15. Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es. Hæc autem tria competunt Christo spiritualiter. Primo enim secundũ propinquitatem ad Deum gratia eius altior est, & prior (etsi non tempore) quia omnes alij receperunt gratiam per respectum ad gratiam ipsius: secundum illud Rom. 8. Quos præscivit, hos & prædestinavit cõformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Secundo vero perfectionem habet quantum ad plenitudinem omnium gratiarum: secundum illud Ioan. 1. Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis: vt etiam supra ostensum est. Tertio virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ secundum illud Ioa. 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Et sic patet, quod Christus conuenienter dicitur Ecclesiæ caput. *q. prac. ar. 9*

Ad primum ergo dicẽdum, quod dare gratiam, aut Spiritum sanctum conuenit Christo secũdum quod Deus, authoritatiue: sed instrumentaliter conuenit etiam ei, secundum quod homo, inquãtum scilicet eius humanitas instrumentum fuit diuinitatis eius. Et ita actiones ipsius ex virtute diuinitatis fuerunt nobis salutiferæ: vtpote gratiam in nobis causantes, & per meritum, & per efficientiam quandam. Aug. autem negat Christum, secundum quod homo est, dare Spiritum sanctum per authoritatem: instrumentaliter autem, siue ministerialiter etiam alij Sancti dicũtur dare Spiritum sanctum: secundum illud Galat. 3. Qui tribuit vobis Spiritum, &c. D. 430.

Ad secundum dicendum, quod in metaphoricis locutionibus non oportet attendi similitudinem quantum ad omnia: sic enim non esset similitudo, sed rei veritas. Capitis igitur naturalis non est caput aliud, quia corpus humanum non est pars alterius corporis: sed corpus

similitudinarie dictum, ideſt aliqua multitudo ordinata, A *eſt pars alterius multitudinis: ſicut multitudo domeſtica eſt pars multitudinis ciuilis: & ideo paterfamilias, qui eſt caput multitudinis domeſticæ, habet ſupra ſe caput rectorem ciuitatis. Et per hunc modũ nihil prohibet, caput Chriſti eſſe Deum, cum tamen ipſe Chriſtus ſit caput Eccleſiæ.*

Ad tertium dicendum, quod caput habet manifeſtam eminentiam reſpectu exteriorum membrorum: ſed cor habet quandam influentiam occultam. Et ideo cordi comparatur Spiritus ſanctus, qui inuiſibiliter Eccleſiam viuificat, & vnit: capiti comparatur ipſe Chriſtus ſecundum viſibilem naturam, ſecundum quam homo hominibus præfertur.

Senſus quæſiti.

QVID ſit eſſe caput Eccleſiæ declarat S.D. *in* B *corpore & in ſolutionibus argumentorum.* Nomen autem Eccleſiæ ſumitur in ampla & vniuerſali ſignificatione, quatenus comprehendit Eccleſiam triumphantem, militantem & in Purgatorio exiſtentem, vt notant Medina & Suarez.

Forma Textus.

CONCL. *eſt: Chriſtus dicitur caput Eccleſiæ ſecundũ ſimilitudinem humani capitis.* Probatur: quia tota Eccleſia dicitur vnum corpus myſticum per ſimilitudinem ad naturale corpus hominis, quod ſecundum diuerſa membra habet diuerſos actus: Ergo Chriſtus recte dicitur caput Eccleſiæ ſecundum ſimilitudinem humani capitis. Antecedens C probatur ex Apoſtolo *Rom.* 12. *& 1. ad Cor* 12. Conſequentia vero probatur ratione ſequenti, quæ poteſt eſſe altera probatio Cõcluſionis, videlicet: In humano capite tria poſſumus conſiderare, ſcilicet ordinem, perfectionem & virtutem, ex quibus ad aliquos homines deriuatur nomen capitis per ſimilitudinem: Sed hæc omnia competunt Chriſto ſpiritualiter: Ergo. Maior probatur quo ad ſingulas partes: & primo quo ad primam, ſcilicet ordinem: quia caput eſt prima pars hominis incipiendo à ſuperiori, ex quo factum eſt, vt omne principium conſueuerit vocari caput, iuxta illud *Ezech.* 16. *Ad omne caput viæ*, &c. Quo ad ſecũdam vero partem ſcilicet perfectionẽ probatur: quia in capite vigent omnes ſenſus, & interiores D & exteriores, cum in cæteris membris ſit ſolus tactus: ex quo deriuatum eſt illud dictum *Iſa.* 1. *Senex, & honorabilis ipſe eſt caput.* Quo ad tertiam demum partem ſc. virtutem probatur: quia virtus & motus cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in ſuis actibus eſt à capite propter vim ſenſitiuam & motiuam ibi dominantem, ex quo factum eſt, vt rector dicatur caput populi, iuxta illud 1. *Reg.* 15. *Cum eſſes paruulus in oculis tuis caput in tribubus, Iſrael factus es.* Minor vero quo ad ſingulas E eius partes probatur, & primo quo ad primam, ſc. ordinem, ſecundum quem caput eſt prima & ſuprema pars hominis: quia ſecundum propinquitatem ad Deum gratia Chriſti altior eſt, & prior (& ſi non tempore) quia omnes alij acceperunt gratiam per reſpectum ad gratiam ipſius ſecundum illud *Rom.* 8. *quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filii ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Quo ad ſecundam vero partem probatur: quia perfectionem habet quantum ad plenitudinem omnium gratiarum, iuxta illud *Ioan.* 1. *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis*, vt etiam oſtenſum eſt *quæſt. præcedenti, articulo* 9. Vltima vero probatur: Quia Chriſtus virtutem habuit influendi gratiam in omnia membra Eccleſiæ, ſecundum illud *Ioan.* 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.*

Expoſitio Textus.

TAMETSI Theologia ſymbolica non ſit argumentatiua, & ſecundum Philoſophi documẽtum *in ſecundo Poſt. tex.* 22. ſcientifico diſcurſui metaphoræ minime congruant, ſacræ tamen huic doctrinæ maxime cõuenit ſpiritualia fidei myſteria ſub rerum corporearum ſimilitudinibus explicare, vt probat S. D. 1. *p. q.* 1. *a.* 9. vbi nos quatuordecim cauſas ex totidem vtilitatibus metaphoricæ locutionis adduximus, & quaſdam regulas ad habendam eiuſmodi locutionis notitiam neceſſarias indicauimus: Et quemadmodum vnam ac ſimpliciſſimam Dei perfectionem ſub multiplicibus ac variis rerum ſenſibilium ſimilitudinibus diuina ſcriptura proponit, ſic vnam & ineffabilem incarnati Verbi dignitatem, virtutem & excellentiam, qua rationalibus & intellectualibus omnibus præſidet creaturis, & in eas veluti ſui myſtici corporis membra mirabili & efficaciſſimo quodam influxu ſupernaturalia dona communicat, ſub variis aptiſſimiſque rerum corporearum metaphoris fidelibus intelligenda repræſentat. Ex quibus ſeptem breuiter attingemus.

Chriſti capitis dignitatem diuina ſcriptura ſæpe metaphoris fuiſſe declaratam.

Et duæ quidem habentur *Iſa.* 11. vbi Chriſtus dicitur *Radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum.* Quibus verbis duæ præcipuæ tanguntur conditiones ad rationem capitis tam proprie quam metaphorice dicti neceſſariæ: quas etiam recẽſet S. D. in textu: *Vna* eſt, quæ tertium *in hoc articulo* locum tenet, virtus nimirum influens occulte vitales actus & operationes in membra: quam nomine radicis inſinuat Iſaias. Sicut enim radix arboris occulta eſt & ſub terra recondita, ita vt conſpici minime valeat, & ex eius influxu vitali quædam vis & operatio ad reliquas omnes arboris partes deriuatur: ita Chriſti virtus ſpiritualis viuifica nobis occulta influxu quodam interno & inuiſibili fidem, ſpem, gratiam & charitatem, ac cætera ſupernaturalia dona fidelibus veluti ſui corporis membris perẽniter influit, vt cœleſtib. verbis affirmat Apoſtolus *ad Epheſ.* 4. dicens: *Veritatem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum. & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.* Altera capitis conditio eſt, vt ſecũdum ordinem ſit prima pars hominis incipiendo à ſuperiori, ac proinde vt viſibilem habeat eminentiam, & viſibilem exerceat totius corporis gubernationem. Hanc vero cõditionem Chriſto Domino conuenire ſignificat Iſaias cum ſubdit: *Qui ſtat in ſignum populorum*: Nam quemadmodum ſub vexillo veluti tutiſſimo ſalutis Aſilo ſumma diligentia, ne ab hoſtibus auferatur, munito milites adunantur, vt facilius irruẽtibus hoſtibus obſiſtant, & eorum impetu fracto victores euadant: ita ſub capite membra corporis adunata, & ad eius influxum recipiendum bene diſpoſita conſeruantur, & eius adeo conſeruationi ſunt intenta, vt pro eius ſalute tuenda percuſſionibus, ictibus ac aliis conſimilibus malis ſeipſa cum manifeſto periculo propriæ ſalutis obiiciat: ſic igitur ex iis, quæ propria ſunt, ad ea quæ metaphorice Chriſto capiti & eius membris congrua locutione dicuntur, tranſeundo dicendum eſt Chriſtum ſimilem eſſe militari vexillo, quia ſub eo ſpiritualis militiæ bellatores cuſtodiuntur, & ex eius tanquã capitis influxu ſpiritualis vita fidelium conſeruatur & augetur: atq; ideo in eius gloria tuenda, & amplificanda totis viribus fideles omnes intendunt, & ij præſertim, qui charitatis perfectione, dignitate, vel munere ſupra cæteros eminent.

Tertia

Tertia metaphora vitis vocabulo continetur, dicente Domino S. Apostolis *Ioan.15. Ego sum vitis vera, & vos palmites:* In hoc vero posita est similitudo, vt sicut vitis prius ac principalius habet vitam & alimentum, quæ ex ea deriuantur ad palmites viti coniunctos, ita Christo primo ac plenissime conuenit vita gratiæ & diuinæ virtutis influxus in eius humanitate receptus, vt instrumento Deitati personaliter vnito, quæ ex eo ad eius corpus, q̃ est Ecclesia ex fidelibus veluti membris constituta, deriuantur.

Quarta metaphora est Solis & lucis: Ioannis 8. *Ego sum lux mundi*: In sole vero, qui lucem affert huic nostro mundo visibili, duo sunt, in quibus illi Christus maxime assimilatur: primum est eminentia secundum situm in vniuerso. Secundum est: virtutis efficacitas, quæ multiplices in hisce corporibus inferioribus efficit mutationes: quæ duo iam supra diximus Christo Domino quam maxime conuenire: fidelibus enim omnibus gratiæ perfectione primo illi conueniente supereminet, & suæ virtutis influxu fidelibus illi cõiunctis gratiam & alia supernaturalia dona in melius eos immutando communicat.

Quinta metaphora est apud Apostolũ *primæ Cor.* 3. dicente: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est quod est Christus Iesus.* Ad quam etiam pertinet nomen petræ ibidem *cap.*10. *Petra autem erat Christus*: qua spiritualis ædificii, quod est Ecclesia, firmissimum principium & origo indeficiens designatur. Sed quia fundamẽto deest ornamentum & consummatio, similitudinem hanc lapidis angularis similitudine compleuit *Matt.* 21. vbi Christus se lapidem illum esse pronunciat, de quo *Psal.*117. dicitur: *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Sicut enim lapis angularis partes ædificii cõnecti: & opus consummat ac perficit, ita Christus Ecclesiæ coniunctus illi spiritualis perfectionis affert complementum.

Sexta metaphora est, qua Christus Sponsus & vir, Ecclesia vero Sponsa & vxor eius nuncupatur: quam similitudinem late prosequitur Apostolus *ad Ephes. quinto cap.* dicens: *Vir caput est Mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Saluator corporis eius: sed, sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & Mulieres Viris suis in omnibus. Viri diligite Vxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam, &c.* Et infra. *Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit: nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius de carne eius, & de ossibus eius: Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem suam, & adhærebit Vxori suæ, & erunt duo in carne vna: Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Et *Matthæi* 9. seipsum Dominus Sponsum appellat dicens: *Nunquid possunt filij Sponsi lugere, quamdiu cum illis est Sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab illis sponsus, & tunc ieiunabunt.* Et *Apocal.*21. scriptum est: *Veni, ostẽdam tibi Sponsam agni: & sustulit me in montem magnum, & altum, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de Cælo &c.* In quibus diuinæ scripturæ locis tres conditiones Christo conuenientes in ordine ad Ecclesiam indicantur. Prima est eminentia, cum dicitur: *Vir caput est Mulieris.* Secunda est vnitas, non solum naturæ, sed etiam affectus, & charitatis, cum subditur: *Viri diligite Vxores vestras*, &c. Tertia est spiritualium bonorũ influxus, & communicatio, cum dicitur: *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam* &c. Vnde *Ioannis* 14. potestatem miraculorum sibi propriam discipulis, aliisque fidelibus se se communicaturum promittens ait: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.*

Vltima demum similitudo, quæ realem & intimã Christi cum Ecclesia declarat vnitatem, eminentiam, perfectionem, influxum & spiritualium bonorum communicationem, ea est quam Apostolus *loco supra notato* verbis illis expressit: *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Saluator corporis eius.* Prædictæ vero conditiones Christo, quatenus Ecclesiæ caput est, conuenire declarat S. D. in textu.

HANC autem veritatem, quæ cõclusio est præsentis articuli, Christum scilicet esse caput Ecclesiæ, docent passim diuinæ litteræ: Nam *ad Eph.* 1. dicitur: *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet.* Ad Colos. primo: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*: primæ Cor. quinto: *Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi.* Et Roman. 11. Et 1. Cor. 12. Sanctus Apostolus varias functiones, & alterna membrorum officia sub vnius capitis Christi regimine eis congruentia luculenter expressit: Quibus adde S. Patrum explicationes: Augustini *in Psal.* 139. *à principio, & Epist* 57. Basilii *lib. de Spiritu S. cap.* 5. Hilarii *lib.* 8. *de Trinit. & lib. de Synodis. cap.* 38 *& super Psalm* 139. Est igitur conclusio S. Doct. in textũ certissima fidei veritas.

Rationem capitis Christo ex vtraque simul natura, diuina scilicet & humana conuenire: & gratiam eius ex tribus esse capitalem.

Secundo obseruandum est, duplex esse caput Ecclesiæ: Alterum inuisibile, quod Deus est, à quo vt supremo ac eminentissimo principio vita tota spiritualis ac motus omnis noster in bonum deriuatur: Alterum est visibile & membris corporis similem habẽs naturam, & hoc est Christus Deus simul & homo. Ad cuius euidentiam

Tertio considerandum est, rationem capitis neque ex humanitate præcise, neq; ex diuina natura aut personalitate præcise, sed ex vtroque simul sumpto (diuersa tamen ratione) Christo Domino cõuenire: Nam sicut humanitas illi fuit ratio formalis merendi & satisfaciendi, persona autem diuina in ipsa humanitate subsistens valorem merito & satisfactioni tribuit infinitum: ita vt totus Christus Deus homo vnum esset principium satisfactionis: sic humanitas ratio formalis est, qua Christus est Ecclesiæ caput: Verbum autem rationem capitis Christo confert vt suppositum in humanitate subsistens: ita vt quasi mutuo pendeant Verbum ab humanitate, & hæc à Verbo: confert enim humanitas Verbo formam & essentiam, qua possit officium capitis exercere: Verbum autem eam omnem tribuit humanitati perfectionem & valorem, qui ad supremi capitis in Ecclesia dignitatem & officium est necessarius: Cum ergo quæritur: *an Christus sit Ecclesiæ caput, inquantum homo, vel inquantum Deus*: cum distinctione respondendum est: nam si dictio *inquantum* sumatur reduplicatiue, neganda est propositio: quia denotat propriã ac per se sufficientem rationem capitis esse humanitatem: ex quo sequitur cuilibet humanitatem habenti rationem capitis conuenire: Si vero dictio illa *inquantum* sumatur specificatiue, vera est propositio: fit enim sensus, Christum ex humanitate vt ratione formali habere, vt sit caput Ecclesiæ, & per humanitatem officium capitis exercere: non tamen asseritur humanitatem ad hoc esse per se sufficientem. Si tamen dictio illa *inquantum* specificatiue sumpta denotet rationem capitis totalem, & adæquatam, negãda est propositio: quia dignitas & essentialis perfectio capitis Ecclesiæ, per se ac necessario postulat diuinum suppositum humanitati coniunctum, vt scite notat Asturicensis *in sua Relectione q.*6. *Concl.*2. *pag.*735

Quarto sciendum est, gratiam Christi habitualem ex tri-

ex tribus habere, vt sit gratia capitalis. *Primum* est, A summa eius perfectio in ratione gratiæ, ex qua vim habet ad omnes effectus gratiæ possibiles, vt supra diximus cum D. Tho. *Secundum* est, dignitas eius infinita moralis in eam ex coniunctione cum diuina persona deriuata: ex qua vim habent opera Christi merendi, & satisfaciendi de toto rigore iustitiæ pro culpa, & offensa totius humani generis in Deum cõmissa. *Tertium* est, voluntas Christi Domini opera tanti valoris in finem referens humanæ redemptionis, & salutis. Quibus addi potest *quartum*, virtus scilicet physica instrumentalis à Deo mouente in humanitate, & gratia tanquam in vno totali instrumento recepta: per quã ex Christi gratia, & virtutibus gratia, virtutesque secundum mensuram à Deo prædefinitam efficiuntur in nobis: de qua supra satis diximus. *Sed obseruandum est* summam gratiæ perfectionem in ratione gratiæ secundum intensionem non esse necessariam, sed solum congruam, vt gratia Christi sit capitalis: quoniam, vt supra diximus, si minima gratia fuisset humanitati Christi collata, vim sufficientem habuisset ad omnes effectus gratiæ producendos ex cõiunctione cum diuino supposito. B

Ex his sequitur, quod licet partes omnes Christi corpus integrantes, & accidẽtia humanitatis, præsertim spiritualia, dici quadam ratione possint capitalia, tanquam ad capitis integritatem vel ornamentum pertinentia: speciali tamen ratione gratia Christi dicitur capitalis: quia scilicet principiũ est formale, proximum & effectiuum quo gratificandi & sanctificandi membra corporis Christi. C hic enim effectus est gratiæ proprius, illi per se primo conueniens: aliis vero nempe virtutibus, & eorum actibus non ex propriis suis rationibus', quæ sumuntur in ordine ad obiecta, sed ex ipsa gratia conuenit, quæ est communis earum radix ex qua pullulant, & similem contrahunt dignitatem.

Christum sub vna ratione dici recte posse membrum Ecclesiæ, sub alia vero recte negari, & ita conciliari diuersa dicta S. Tho.

Quinto obseruandum est quosdam ex antiquioribus Theologis existimasse Christum Dominum posse & debere membrum & partẽ Ecclesiæ nuncupari: præcipui vero sunt Altisiodorensis *libro 3. summæ tract. 1. c. 4. q. 6.* Turrecremata *libro 1. summæ Ecclesiæ*, & S. Tho. *in Commentario Epistolæ 1. ad Cor. cap. 12. lectione 3.* exponens illa verba: *Vos estis membra de membro*: Quibus etiam verbis innitũtur duo D Authores prædicti: Sed idem S. D. *in 3. dist. 13. q. 2. a. 1. ad 6.* negat Christum dici congrue posse membrum Ecclesiæ: *quoniam* (inquit) *in nomine capitis importatur principium & origo alicuius rei, in nomine autem membri importatur partialitas: quæ repugnat rationi primæ originis: quia in prima origine sunt omnia virtute, quæ inueniuntur in originatis, & ideo non potest dici membrum: quia non recipit ab aliquo influentiam: & quia in corpore naturali caput non solum influit aliis membris, sed etiam ab aliis recipit, vt nutrimentum, & alia obsequia, ideo & caput dicitur & commembrum: Sed Christus secundum quod homo, non recipit aliquid ab aliis membris Ecclesiæ, sed à solo Deo: vnde non potest dici* E *commembrum, secundum quod caput Ecclesiæ dicitur ipse secundum humanitatem: potest autem dici membrum secundum humanitatem, secundum quod ipse est caput Ecclesiæ secundum diuinitatem: & sic dicit Apostolus 1. Cor. 12. Vos estis corpus eius, & membra de membro.* Hæc ibi Sanct. Doctor. Ex quibus patet doctrinam hanc facile posse cum alia prius allegata conciliari dicendo Christum, quatenus est caput Ecclesiæ visibile, (quod illi conuenit, vt homo est siue vt Deus homo) non posse dici membrum Ecclesiæ, sed quatenus est caput eiusdem Ecclesiæ inuisibile (quod illi conuenit, vt Deus est) dici posse membrum Ecclesiæ secundum humanitatem: in quo sensu intelligenda sunt Apostoli verba, vt patet etiam ex prima expositione S. D. *in dicta lectione*: sed clarius, ac vberius seipsum conciliat S. D. *in 4. distinct. 49. qu. 4. art. 3. ad 4.* vbi sic loquitur: *Nomen Ecclesiæ dupliciter accipitur: Quandoque enim nominat tantum modo corpus, quo Christo coniungitur sicut capiti, & sic tantum Ecclesia habet rationem Sponsæ: sic vero Christus non est Ecclesiæ membrum, sed caput influens omnibus Ecclesiæ membris: Alio modo accipitur Ecclesia, secundum quod nominat caput, & membra coniuncta, & sic Christus dicitur membrum Ecclesiæ, inquantum habet officium distinctum ab omnibus aliis, scilicet influere aliis vitam: quamuis non multum proprie dicatur membrum: quia membrum importat partialitatem quandam: in Christo autem bonum spirituale non est particulatum: sed est totaliter, & integrum: vnde ipse est totum Ecclesiæ bonum, nec est aliquod maius ipse, & alij, quam ipse solus: sic autem loquendo de Ecclesia, Ecclesia non nominat solum sponsam, sed sponsum, & sponsam, prout per coniunctionem spiritualem est ex eis vnum effectum: Vnde, licet Christus aliquo modo dicatur membrum Ecclesiæ, nullo tamen modo potest dici membrum sponsæ.* Hæc ibi Sanct. Doct. Ex quibus verbis duplex colligitur modus conciliãdi loca prædicta, quæ videbantur opposita. *Primus* est Christum dici posse membrum non absolute, sed quatenus habet officium ab aliis distinctum, scilicet influere vitam: qui modus dicendi consonat verbis Apostoli: cum enim ait: *Vos estis membra de membro*, per illam particulam de significatur dependẽtia vitæ: quæ membris inest ex capite Christo: cui hoc ipso nomen membri conuenit, quod officium habet vitam aliis influendi, quod aliis minime conuenit. *Secundus* est Christum proprie non posse dici membrum, sed minus proprie seu quasi improprie: eo quod ei deficiat altera principalis conditio ad rationem membri necessaria, scilicet partialitas, vt ibi probat S. Doct. Et ex his patet primo D. Thom. *in sententiis* non retractasse: quod dixerat *in commentario*: quod tamen absque legitimo fundamento pronunciat Asturicensis, quod etiam videtur affirmare Suarez *disp. 73. sect. 1. §. sed hoc loco.* Vasq. *disput. 43 cap. 1.* & Aluarez *in expositione præsentis art.* Sed obseruandum est Apostoli verba paulo ante relata plures alias habere expositiones, quas afferunt ibi Sanct. Thom. & recentiores *locis allegatis*: Quos vide, si placet.

Conciliatio S. Thom.

Singularis excellentia capitis mystici.

Sexto notandum est metaphoram capitis applicatam Christo supremo totius Ecclesiæ principi nõ eas tantum habere conditiones, quas illi & naturali capiti communes tribuit in littera S. D. sed ob maximam sui perfectionem & excellentiam, qua longe superexcedit perfectionem capitis naturalis, sibi vendicat etiam vt ea quæ membra sunt Ecclesiæ tantum in potentia, sua superexcellenti virtute constituat in actu membrorum substantiali, eaque sibi coniungat in vnitate gratiæ & charitatis: qua veluti glutino fit vnum Ecclesiæ corpus: Quamuis enim in corpore naturali caput non generet, aut in esse membrorum substantiali non constituat, nec sibi coniungat alia membra quorum est caput, sed in ea iam genita & illi coniuncta influit motum & sensum, in corpore tamen mystico siue morali caput non solum influit motum in membra, sed ea constituit in esse membrorũ dans illis vitam & esse, quo actu sunt membra. Quemadmodum si Princeps Ciuitatem construeret, & in eam homines congregaret, leges illis imponeret, regulam ac viuendi formam eos edoceret, vere diceretur illius ciuitatis & sui mystici corporis membra formare, & ex membris in potentia efficere membra in actu: Nos autem,

qui

qui Christi sumus membra, *Ipsius sumus factura creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*, vt ait Apost. *ad Ephes. 2.*

Septimo notanda sunt diligenter ea, quæ scribit hic subtiliter Cai. circa singulas fere capitis conditiones: quas vberrime declarat Medina: qui etiam optime disputat de veritate conclusionis, & explicat eleganter doctrinam huius articuli.

Postremo circa resp. ad 1 præter ea, quæ notat Cai. vide si placet ea quæ late scripsimus *in nostris Commentarijs ad primam p. q. 45. art. 4.* vbi ostendimus gratiam vere ac proprie non creari, neq; concreari, sed supernaturali immutatione produci.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus sit caput hominum quantum ad corpora, vel solum quantum ad animas.

3. dist. 13 q. 2 ar. 2 q. 3 & ver. q. 29. a. 4. ad 1. Et opusc. 60. c. 3 col. 7.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod Christus non sit caput hominum, quo ad corpora. Christus enim dicitur caput Ecclesiæ, inquantum influit spiritualem sensum, & motum gratiæ in Ecclesiam. Sed huius spiritualis sensus, & motus capax non est corpus. Ergo Christus non est caput hominum secundum corpora.

Præterea: Secundum corpora communicamus cum brutis. Si ergo Christus esset caput hominum quantum ad corpora, sequeretur, quod etiam esset caput brutorum animalium: quod est inconueniens.

Præterea: Christus corpus suum ab alijs hominibus traxit: vt patet Matth. 1. & Luc. 3. Sed caput est primum inter cætera membra, vt dictum est: ergo Christus non est caput Ecclesiæ quantum ad corpora.

Ar. præc. ad 3.

Sed contra est, quod dicitur Philip. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratũ corpori claritatis suæ.

Respondeo dicendum, quod corpus humanum habet naturalem ordinem ad animam rationalem, quæ est propria forma eius, & motor. Et inquantum quidem est forma eius, recipit ab anima vitam, & cæteras proprietates conuenientes humano corpori secundum suam speciem: inquantum vero anima est motor corporis, corpus instrumentaliter seruit animæ. Sic ergo dicendum est, quod habet vim influendi humanitas Christi, inquantum est

q. 6 ar. 1.

iuncta Dei Verbo, cui corpus vnitur per animam, vt supra dictum est. Vnde tota Christi humanitas, secundum scilicet animam, & corpus, influit in homines, & quantum ad animam, & quantum ad corpus: sed principaliter quantum ad animam, secundario quantum ad corpus. Vno modo, inquantum membra corporis exhibentur arma iustitiæ in anima existenti per Christum, vt Apost. dicit Rom. 6. Alio modo, inquantum vita gloriæ ab anima deriuatur ad corpus, secundum illud Rom. 8. Qui suscitauit Christum Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.

Ad primum ergo dicendũ, quod sensus spiritu alis gratiæ non peruenit quidem ad corpus primo, & principaliter, sed secundario, & instrumentaliter: vt dictum est.

Ad secundum dicendum, quod corpus animalis bruti nullam habitudinem habet ad animam rationalem: sicut habet corpus humanum. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod licet Christus traxerit materiam corporis ab alijs hominibus: vitam tamen immortalem corporis omnes homines trahunt ab ipso, secundum illud 1. ad Cor. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, & ita in Christo omnes viuificabuntur.

Sensus quæsiti.

PARTICVLA illa: *quantum ad corpora* comprehendit non solum corpora aliorum hominũ, sed etiam corpus Christi, vt patet ex conclusione qua respondetur quæsito, & ex primo argumento & eius responsione, ita vt sit sensus: An Christus etiam secundum corpus sit caput aliorum homi-

Naz. in D. Thom. 3. partem.

num etiam quo ad corpora, vt etiam aduertit Caietanus.

Forma Textus.

CONCL. *est: Tota Christi humanitas secundum scilicet animam & corpus, influit in homines, & quantum ad animam & quantum ad corpus, sed principaliter quantum ad animam, secundario quantum ad corpus. Vno modo, inquantum membra corporis exhibentur arma iustitiæ in anima existenti per Christum: Alio modo inquãtum vita gloriæ ab anima deriuatur ad corpus.* Probatur prima pars conclusionis: quia humanitas Christi vim habet influendi, inquantum est coniuncta Dei Verbo, cui corpus vnitur per animam, vt probatum est supra *quæstione sexta, articulo primo.* Ergo tota humanitas &c. vsque ibi *Vno modo.* Secunda vero pars incipiens ab illis verbis: *Vno modo,* probatur primo ratione: quia corpus humanum habet naturalem ordinem ad animam rationalem, quæ est propria forma eius & motor: & inquantum quidem est forma eius, recipit ab anima vitam, & cæteras proprietates conuenientes humano corpori secundum suam speciem: inquantum vero anima est motor corporis, corpus instrumentaliter seruit animæ: Ergo humanitas Christi vim habet influendi in animas, & corpora aliorum hominum dupliciter: Vno modo, inquantum membra corporis &c. Secundo probatur eadem pars duplici authoritate Apostoli, vt patet in Textu.

Expositio Textus.

ADVERTE *primo* Caietanum & alios expositores alio modo formare discursum præsentis articuli, sed nobis planior visa est ea forma, quam adhibuimus. Vide etiam quæ notat Caietanus circa vim discursus iuxta formam ab eo propositam.

Secundo sciendum est Christum secundum humanitatem dupliciter influere in animas & corpora nostra: Primo influxu morali, quatenus operibus per animam, & corpus exercitis meruit nobis apud Deum culpæ & pœnæ sempiternæ remissionẽ & gloriam tam animæ quam corporis, & pro totius humani generis offensa & pœna illi debita satisfecit ex toto rigore iustitiæ, sicque nos à Diaboli potestate liberauit, & transtulit nos in regnum & gloriam Filiorum Dei. Secundo influit Christus secundum humanitatem, vt instrumentum diuinitatis in animas, & corpora nostra influxu physico, de quo late disputandum erit infra *quæst. 13. & 48. & 62.* De hoc agit Aluar. *disp. 38.* & latissime Asturicensis *quæst. 6. pag. 771. & seq.*

Tertio quæri posset hic, num Christus sit caput etiam rerum omnium naturalium, non solum prout fini redemptionis inseruiũt, sed etiam prout considerantur in suo esse naturali. Cuius quæsiti resolutionem lege, si vis, apud Med. *in expositione huius articuli,* & Suar. *disp. 23. sectione 1. §. Dico tertio,* & Valq. *disp. 43 cap. 2. §. Cæterum nonnulli:* Et Astur. *in Relectione de gratia Christi q. 6. Concl. 5. p. 742.*

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus sit caput omnium hominum.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod Christus non sit caput omnium hominum. Caput enim non habet relationem nisi ad membra sui corporis. Infideles autem nullo modo sunt membra Ecclesiæ, quæ est corpus Christi: vt dicitur Ephes. 1. Ergo Christus non est caput omnium hominum.

Inf. q. 13. a. 3 c. & q. 19. a. 4. co. & 1. & 3. dist. 13. q. 2. a. 1. q. 2. & 3.

Præterea: Apostolus dicit ad Ephes. 5. quod Christus tradidit semetipsum pro Ecclesia, vt ipse exhiberet sibi glo-

riosam Ecclesiam, non habẽtem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Sed multi sunt etiam fideles in quibus inuenitur macula, aut ruga peccati. Ergo nec etiam omnium fidelium Christus est caput.

Præterea: Sacramenta veteris legis comparantur ad Christum, sicut vmbra ad corpus: vt dicitur Coloss. 2. sed partes veteris Testamenti Sacramentis illis suo tempore seruiebant: secundum illud Heb. 8. Qui exemplari, & vmbræ deseruiunt cælestium. Non ergo pertinebant ad corpus Christi, & ita Christus non est caput omnium hominum.

Sed contra est, quod dicitur 1. Tim. 4. Est Saluator omnium hominum, & maxime fidelium. Et 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Saluare autem homines, & propitiatorem esse pro peccatis eorum competit Christo, secundum quod est caput. Ergo Christus est caput omnium hominum.

Respondeo dicendum, quod hæc est differentia inter corpus hominis naturale, & corpus Ecclesiæ mysticum, quod membra corporis naturalis sunt omnia simul, membra autem corporis mystici non sunt omnia simul, neq; quantum ad esse naturæ: quia corpus Ecclesiæ constituitur ex hominibus, qui fuerunt à principio mundi vsq; ad finem ipsius. Neque etiam quantum ad esse gratiæ: quia eorum etiam, qui sunt in vno tempore, quidam gratia carent, postmodum habituri, aliis eam iam habentibus. Sic igitur membra corporis mystici accipiuntur, non solum secundum quod sunt in actu, sed etiam secundũ quod sunt in potẽtia. Quædam tamen sunt in potentia, quæ nunquam reducuntur ad actum. Quædam vero sunt, quæ quandoq; reducuntur ad actum. Et hoc secũdum triplicem gradum, quorum primus est per fidem, secundus per charitatem viæ, tertius per fruitionem patriæ. Sic ergo dicendum est, quod accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum: sed secundum diuersos gradus primo enim, & principaliter est caput eorum, qui actu vniũtur sibi per gloriam: secundo, eorum, qui actu vniuntur sibi per charitatem: tertio eorum, qui actu vniuntur sibi per fidem: quarto vero eorum, qui sibi vniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, quæ tamen est ad actum reducenda secundum diuinam prædestinationem: quinto vero eorum, qui in potentia sunt sibi vniti, quæ nunquam reducetur ad actum: sicut homines in hoc mundo viuentes, qui non sunt prædestinati, qui tamen ex hoc sæculo recedentes, totaliter desinunt esse membra Christi: quia iam nec sunt in potentia, vt Christo vniantur.

Ad primum, ergo dicendum, quod illi, qui sunt infideles, etsi actu non sint de Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia in potentia. Quæ quidem potentia in duobus fundatur. Primo quidem, & principaliter in virtute Christi, quæ est sufficiens ad salutem totius humani generis: secundario in arbitrij libertate.

Ad secundum dicendum, quod esse Ecclesiam gloriosam non habentem maculam, neq; rugam, est vltimus finis, ad quem perducimur per passionem Christi. Vnde hoc erit in statu patriæ, non autem in statu viæ: in quo si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, vt dicitur primæ Ioannis primo. Sunt tamen quædam, scilicet mortalia, quibus carent illi, qui sunt membra Christi per actualem vnionem charitatis. Qui vero his subduntur, nõ sunt membra Christi actualiter, sed potentialiter, nisi forte imperfecte, per fidem informem: quæ vnit Christo secũdum quid, & non simpliciter: vt scilicet per Christum homo consequatur vitam gratiæ. Fides enim sine operibus mortua est, vt dicitur Iac. 2. Percipiunt tamen tales à Christo quendam actum vitæ, qui est credere: sicut si membrum mortificatum moueatur aliqualiter ab homine.

Ad tertium dicendum, quod sancti Patres, non insistebant sacramentis legalibus, tanquam quibusdam rebus, sed, sicut imaginibus, & vmbris futurorum. Idem autem est motus in imaginem, inquantum est imago, & in rem, vt patet per Philosophum in li. de Mem. & remi. Et ideo antiqui Patres seruando legalia sacramenta, ferebantur in Christum per fidem, & dilectionem eandem, qua & nos in ipsum ferimur. Et ita patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiæ, ad quod nos pertinemus.

Sensus quæsiti.

PARTICVLA illa *omnium hominum* latissime sumitur, prout extenditur ad præsentes, præteritos & futuros, ad fideles & infideles, ad iustos & peccatores, & ad prædestinatos ac reprobos, vt patet ex textu.

Forma Textus.

PROPOSITA vna distinctione cum duplici subdiuisione, respondetur quæsito vnica Conclusione.

Distinctio est: Membra corporis mystici sunt duplicia: quædam enim sunt in potentia, & quædam in actu. Prima subdiuisio est: Membrorum, quæ sunt in potentia, quædam nunquam reducentur in actum, & quædam quandoque reducentur in actum. Secunda subdiuisio est: Membra quæ sunt in actu, sunt in triplici differẽtia vel gradu: primus est secundum actum fidei: Secundus est secundum actum charitatis: tertius est secundum actum fruitionis Patriæ. Probatur distinctio ex differẽtia inter corpus hominis naturale & mysticum: quia membra corporis naturalis sunt omnia simul, membra autem corporis mystici non sunt omnia simul, neque quantum ad esse naturę, neque quantum ad esse gratię: Ergo membra corporis mystici accipiuntur non solum secundum quod sunt in actu, sed etiam secundũ quod sunt in potentia: Probatur antecedens quo ad vtramque differentiam, & primo quo ad illam: neque quantum ad esse naturæ; Quia corpus Ecclesiæ constituitur ex hominibus, qui fuerunt à principio mundi vsque ad finem ipsius; ergo. Secundo quoad illam: neque quantum ad esse gratiæ: Quia eorum etiam qui sunt in vno tempore, quidã gratia carent postmodum habituri, aliis eam iam habentibus.

Quantum ad tertium CONCLVSIO *est: loquendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum: sed secundum diuersos gradus.* Probatur primo in argumento *sed contra* ratione fundata in duplici authoritate scripturæ, vt patet in Textu. Secundo probatur distinguendo & enumerando quinque gradus hominum, qui aliquo modo Christo tanquam capiti vniuntur, vt clare patet in textu.

Expositio Textus.

OBSERVANDI sunt primo termini S. D. in prima subdiuisione: non enim distinguit potentiam in eam quæ est reducibilis, & in eam quæ nõ est reducibilis ad actum: Quia implicatio est esse potentiam, & non esse suapte natura reducibilem ad actum: Sed potentiam distinguit in eam quæ quandoq; reducetur: & eam quæ nunquam reducetur ad effectum: contingit enim esse veram & realem potentiam, & tamen propter appositum impedimentum ad actum non reduci, vt experiẽtia constat, tam in naturalibus, quam in moralib. Vide, si placet, ea quæ *circa litteram præsentis articuli* notat Caiet.

Controuersia Vnica.

De veritate Conclusionis, & probationis eius quo ad singulos hominum gradus, qui dicuntur aliquo modo Christi, & Ecclesiæ membra.

QVINQVE hominum status recenset in hoc articulo S. Doct. iuxta quos totidem asserit esse mem-

membrorum Ecclesię sub vno capite Christo differetias & sextus est eorum, qui nulla ratione sunt Ecclesiæ membra; Quia singuli fere status duos, vel etiam plures continent hominum gradus, vt hic etiam aduertit Caietanus, & singuli proprias habent difficultates, & in quibusdam Catholici Doctores ab hæreticis; in quibusdam autem ab aliis eiusdem Catholicæ fidei Doctoribus dissidet, operę precium esse duximus, summatim & quãta fieri poterit breuitate, singulorum capitum difficultates, ac definitiones attingere; Proprius enim huius Controuersiæ locus est *in 2. 2. quæst. 1. art. 10.* vbi satis ample ac erudite versat eam Bannes, & ante eum latissime Ioannes de Turrecremata *lib. 1. summæ de Ecclesia à cap. 45. vsque ad 68.* & Bellarm. *Tomo 1. lib. 3. de Ecclesia militante*; Et alij *recentiores* inferius allegandi.

Est igitur prima quæstio: Num damnati dici possint aliqua ratione Christi, vel Ecclesiæ membra? Cui quæstioni negatiue respondet S. D. *in fine corporis*, rationem afferens; quia non sunt in potentia, vt Christo vniantur.

Ad cuius euidentiam notandum est primo nomine damnatorum hic non eos tantum intelligi, qui propter actualia peccata diuinæ Essentiæ visione perpetuo sunt priuati, & igni æternæ conflagrationis, vt ea sensibili pœna puniantur, addicti; sed eos etiam comprehendi, qui propter solum originale peccatum, cuius infecti macula decesserunt, à Regno Cœlorum, id est diuinæ Essentiæ visione, sunt excluſi, & nulla sensibili pœna cruciantur.

Secundo notandum est, ad eos solos dominicæ redemptionis beneficia peruenire, pro quibus ipse Christus humani generis redemptor sua merita & satisfactiones obtulit Sanctissimæ Trinitati. Hæc vero Christus pro omnibus quidem hominibus obtulit, sed eis tamen communicanda per fidem & charitatem, & alia salutis remedia. Iis itaque tantum proderunt merita redemptoris, qui fidei, charitatis ac proinde etiam beatitudinis sunt capaces: fides enim & charitas & alia salutis remedia in beatitudinem vt eorum finem & consummationem ordinantur; constat autem damnatis in Inferno aut in Limbo puerorum neque fidem, neque charitatem inesse, nec illis posse remedia salutis applicari. Quidquid igitur beneficij diuina bonitate largiente participant, id non ex Christi merito, vel satisfactione recipiunt, sed ex communi diuina prouidentia & infinita misericordia, quæ in omni opere diuinæ iustitiæ mirifice resplendet: cuius causa, qui sunt in Inferno, citra condignum puniuntur, & qui detinentur in Limbo (vt satis pie credi potest) nõnulla consolatione, ad ordinem naturalem pertinente releuantur.

Secvnda Qvæstio, de Infidelibus non baptizatis. *An sint Ecclesiæ membra?*

Horum duo vel tres sunt gradus; *primus* eorum, qui cum in potentia tantum sint membra Christi, quandoque tamen ex diuina prædestinatione Christo sunt vniendi, vt eius veluti capitis actu sint membra. *Secundus* gradus est eorum, qui Christo sola fide quandoque sunt vniendi: *Tertius* eorum, qui nulla sunt vnquam ratione Christo copulandi. Quæstio est de infidelibus secundum statum infidelitatis, secundum quem affirmat S. D. eos esse membra corporis Ecclesiæ & Christi tantum in potentia, non autem in actu. Quod etiam Apostolica docet authoritas 1. *Corinth. 5.* cum ait: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare?* Nec vlla de hoc apud eum poterit esse dubitatio, qui nomen & rationem Ecclesiæ nõ ignorat. Quamuis autem multæ sint huius vocis *Ecclesia* significationes, quas ex diuinis scripturis & Sacris Canonibus enumerat Bannes *in 2. 2. quæst. 1. art. 10. §. in huius disputatione*: Duobus tamen præcipue modis sumitur apud Theologos Scholasticos in disputatione de capite & membris Ecclesiæ: *Primo* prout extenditur ad comprehensores & viatores, & ita complectitur beatos in Cœlo regnantes, & omnes eos viatores, qui habent aut habuerunt vel habituri sunt fidem Christi; quamuis in nullo cultu aut exteriori religione conueniant, adeo vt excludantur soli damnati; quia nec actu Christo sunt vniti nec potentiam habent, vt illi vnquam vniantur; licet eorum multi fidem aut etiam charitatem habuerint. Et hoc modo sumere videtur *in hoc articulo* S. D. Ecclesiam siue corpus Ecclesiæ mysticum, vt patet ex membrorum gradibus eidem assignatis. *Alio modo* strictiori significatione sumitur Ecclesię nomen prout est collectio Christianorum vna fide & fidei professione & eadem Sacramentorum cõmunione coniuncta sub vno capite Christo in Cœlis, & vno eius in terra Vicario summo Pontifice. Quæ diffinitio declarabitur infra, cum de infidelibus occultis agemus. Cum igitur ait S. D. infideles scilicet minime baptizatos, aut etiam hæreticos esse Ecclesiæ membra tantum in potentia, de Ecclesia secundum vtramque significationem intelligi congrue potest, quamuis vt ante diximus, de Ecclesia in priori sensu loqui videatur in hoc articulo S. D.

Tertia Qvæstio, *de Cathecumenis. An sint Ecclesiæ membra?*

Cathecumeni sunt fideles nõ baptizati, quos ad Ecclesiam priori modo sumptam, certum est pertinere, prout scil. est vniuersitas ex comprehensoribus & viatoribus omnibus adunata; omnes enim Cathecumeni sub tertio continentur membrorum Ecclesiæ gradu, & ex eis qui charitatem habent ad secundum attinent gradum, & rursus omnes membra sunt in potentia Ecclesiæ posteriori modo sumptæ; sicut homo in vtero Matris conceptus, sed nondum plene formatus ac editus homo tantum est & dicitur in potentia. Quod diuina scriptura significat *Actor. 2.* dicens: *Qui ergo receperunt verbum, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Et quia desiderium habent baptismi, quæ prima est Ecclesiæ ianua, ac proinde etiam reliqua ad salutem necessaria desiderant Sacramenta; ideo non prorsus extranei sunt ab Ecclesia; sed desiderio ac voto dici possunt in ea vt eius quodãmodo filij & mẽbra cõtineri; Et ideo si absq; sua culpa, sine baptismo cum vera peccatorum pœnitentia decedant, salutem æque ac cæteri baptizati fideles consequentur. Et ex his patet, quomodo sint accipienda dicta Patrum negantium Cathecumenos esse Ecclesiæ membra; de Ecclesia namque loquuntur in posteriori sensu, cuius actualia membra negant esse Cathecumenos.

Videnda sunt, quæ de Cathecumenis docte & eleganter scribit Bannes *2. 2. q. 1. art. 10. Dubio 1. in respons. ad argum.*

Qvarta Qvæstio, de Hæreticis, & Apostatis à fide. *An sint Ecclesiæ membra?*

Alphonsus de Castro *lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 24.* docet manifestos hæreticos & apostatas esse Ecclesiæ membra. Cuius sententiæ falsitas satis aperte conuincitur ex allata superius Ecclesiæ diffinitione; quam explicat accurate Bannes *loco supra notato.* Et probatur etiam primo testimoniis diuinæ scripturæ: Nam *2. Cor. 11.* dicitur: *Despondi vos vno viro virginẽ castam exhibere Christo.* Hęc autem desponsatio per fidẽ est, iuxta illud

Oseæ 2. Desponsabo te mihi in fide, nam etiam virginitas fidei integritatem videtur indicare: Cum igitur hæretici, de quibus loquimur, non solum fide sed etiam externa careant fidei professione, neq; Christo sunt desponsati, neque ad Ecclesiam pertinent, vt eius membra. Deinde *ad Titum tertio* dicitur: *Hæreticum hominem, post vnam & alteram correptionem deuita*, &c. Si autem hæreticus esset Ecclesiæ membrum, non esset ab Episcopo Ecclesiæ Pastore vitandus, sed curandus tamquam ouis eius curæ & gubernationi commissa. Denique 1. *Io.* 2. dicitur: *Exierunt ex nobis, sed nõ erant ex nobis*: Quia scilicet per infidelitatem & externam eius professionem ab Ecclesia discesserunt & eius esse membra desierunt: qui tamen prius secundum diuinã electionem ad eam non pertinebant, vt exponit Augustinus *in lib. de bono perseuerantiæ*. Secundo probatur hæc veritas ex dictis S. Patrum; præcipui vero sunt Cyprian. *lib. 1. Epistolarum Epist. 6. ad Magnũ, & ad Iubaianum*. Greg. 12. *Moral cap.* 15. Hieron. *Tomo 4. in Dialogo contra Luciferianos, & in Commentariis Isaiæ 7. & Oseæ 1.* vbi eos distinguit contra Ecclesiam. Augustinus *Tomo 1. lib. de vera religione, cap. 5. & de fide ad Petrum, cap. 38. & 39 Tomo 3. & in psal. 130. exponens illud. sicut ablactatus est super Matre sua: & alibi sæpe*. Irenæus *lib. 3. cap.* 3. dicit Polycarpum multos hæreticos ad Ecclesiam conuertisse; prius igitur Ecclesiæ membra non erant. Denique Tertul. *in lib. de præscriptione* dicit Marcionem, cum ad Ecclesiam redire vellet, conditionem accepisse vt cæteros quos peruerterat, in Ecclesiam restitueret; igitur de Ecclesia non erant Marcion & qui fuerant ab eo peruersi. Tertio probatur idem ratione: Quia vnio cum Christo & eius Ecclesia fit per fidem ac fidei professionem, & per earundem legum ac rituum obseruantiam, & perficitur per charitatem: at nihil horum habet hæreticus manifestus: ergo. Minor est euidens. Maior patet ex dictis: Et probatur etiam. Quoniam Ecclesia est supernaturalis quædam respublica; ergo per aliquid supernaturale debet constitui: At primũ supernaturale est fides, quæ fundamentum est esse supernaturalis; iuxta illud *ad Colos. 1. Si tamen permanetis in fide fundati, stabiles, & immobiles à spe Euangelij, quod audistis*. Et ad Heb. 11. *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium*. Videnda sunt quæ scribit Caiet. *Tomo primo opuscul. Tract. 1. de auct. Papæ. & Conc. cap.* 22. quæ efficaciter confutat Bellarminus *lib. 2. de Rom. Pont. cap.* 30.

A S.D. *loco allegato*; quod authoritate confirmat Apostoli *ad Colos. secundo* dicentis. *Inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei.* Hoc autem caput (ait ibi S.D.) est ipse Christus: cuius vicẽ in Ecclesia gerit Summus Pontifex. Cum itaque Schismaticus hanc à se tollat vnitatem ab vtraque prædicta se connexione seu communicatione separando, consequens est, vt hoc ipso semetipsum etiam ita separet ab Ecclesia, vt nulla ratione possit inter eius membra numerari. Qua ratione sæpius vtuntur Patres & summi Pontifices, vt ostendant Schismaticos ad Ecclesiam vt eius membra minime pertinere. Et primo Cypr. *in Epistola ad Magnum* ita discurrit: *Dominus insinuans nobis vnitatem de diuina authoritate venientem ponit, & dicit: Et erit grex vnus, & vnus Pastor: Si autem grex vnus est, quomodo potest gregi annumerari, qui in numero gregis non est?* Et in *Epistola ad Florentium* eodem vtens argumento ait: *Dominus in Euangelio, cum loquentem discipuli derelinquerent, conuersus ad duodecim dixit: Numquid & vos vultis ire? Respondit ei Petrus dicens: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei viui: loquitur illis Petrus, super quem ædificata fuerat Ecclesia, Ecclesiæ nomine docens & ostendens, quia, & si contumax aci superba obedire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen à Christo non recedit, & illi sunt Ecclesia plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens: Vnde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & qui cum Episcopo non est, in Ecclesia non est*; Quod etiam attigit Augustinus, cuius verba refert Pelagius *in cap. Pudenda 24. q. 1.* hæc vero sunt. *Si nullo modo potest dici Ecclesia vbi Schisma est, restat, vt quoniam Ecclesia nulla esse non potest, ea sit, quam in Sedis Apostolicæ per successiones Episcoporum radice constitutam hominum nullorum malitia vllo modo valeat extinguere.* Ad quorum verborum intelligentiam, quia profunda valde sunt, sciendum est discursum hunc Augustini & Pelagij in duobus fundari: alterum est vnitas Ecclesiæ; dicitur enim in diuinis litteris, *Vnum ouile, Ioannis 10. vnum corpus Roman. 12. Vna sponsa, vna amica, vna columba, Cantic. 6.* Alterum est modus scissionis in schismate; nõ enim per Schisma, de quo loquimur, scissura fit in Ecclesia eo modo, quo pannus scinditur in partes; in hac enim scissione quælibet pars panni remanet pannus; vel etiam eo modo, quo scinditur vestis; in qua scissura quælibet pars ab alia diuisa dicitur æque pars scissæ vestis; sed eo modo per Schisma scissio fit, quo scinditur ramus ab arbore; vel magis eo modo, quo digitus aut manus separatur ab homine; quæ statim moritur homine vitam retinente; vel sicut diuiditur riuus à fonte, & radius à Sole; arescit enim riuus fonte perenniter fluente, & deficit radius Solis luce perseuerante. Sic itaque Schismatici ab Ecclesiæ corpore separantur, vt nec altera vera ex iis abscissis resultet Ecclesia, neque eius, quæ vna tantum est, Ecclesia Catholica, partes existant, sed confestim arescant & partes mystici corporis esse desinant, & à Christi capitis substrahantur influxu. Denique doctrinam hanc tradit Ecclesia in Catechismo Rom. *in expositione Symboli.*

Qvinta qvæstio, de Schismaticis. *An sint Ecclesiæ membra?*

De Schismate & Schismatico quo ad nominũ etymologiam & eorum significationem differit S.D. *in 2.2. quæst. 39. art. 1* & ibi subtiliter ac erudite Caiet. & post eum alij recentiores. Sed omnia ad horum nominum rationes pertinentia collegit diligenter ex SS. Patribus & Sacris Canonibus Ioann. de Turrecremata *in sua summa de Ecclesia libro 4. à cap. 1. vsque ad 5.* Vt autem ait *loco proxime notato* S.D. Schismatici dicuntur, qui subesse renuũt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ subiectis communicare recusant: Cui diffinitioni, si diffinitionem apponamus Ecclesiæ stricte sumptæ supra notatam, perspicue cognoscemus haud esse Schismaticos Ecclesiæ membra; cuius oppositum contra S. Patrum & Summorum Pontificũ decreta docet Alph. de Castro *loco superius allegato.* Est igitur huius Conclusionis optima probatio: Quoniam Ecclesia duplicem rationem sibi vendicat vnitatis: Altera est connexio seu communicatio membrorum eius adinuicem: Altera est cõnexio seu ordo omnium membrorum ipsius Ecclesiæ ad vnum caput, siue cum vno capite, vt ait

B

C

D

E

Qui plures huius veritatis desiderat probationes, legat Turrecrematam *loco supranotato*, & Bellarm. *Tomo 1. Controu. 4. lib. 3 cap. 5.*

Sexta qvæstio. De excommunicatis. *An sint Ecclesiæ membra?*

Excommunicatos fideles esse vere & proprie Ecclesiæ membra docet Bannes *in 2.2. quæst. 1. art. 10. dubio primo, in responsione ad octauum suum argumentum:*

mentum: Sed hæc opinio, si de Ecclesia stricte sumpta, vt modo loquimur, sermo sit, absolute falsa est, & oppositæ sententia est Ecclesiæ doctrina in Catechismo Rom. *in expositione Symboli circa illa verba: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*; quæ est antiqua Patrum doctrina magnum habens in diuina scriptura fundamentum: Nam *Matth.* 18. dicitur. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* Sed ait Bannes particulam illam *sit tibi* non significare rei veritatem, quod sit separatus ab Ecclesia vt Ethnicus, sed denotare æstimationem, quod scilicet debeat tractari, æstimari & haberi vt Ethnicus: Est enim (inquit) consuetum in sacris litteris, vt verbū *est* significet idem, quod haberi & æstimari, quale est illud *Gen.* 42. *Per salutem Pharaonis exploratores estis vos*, id est vt tales habebimini & tractabimini: Et illud 3. *Regum* 18. *Qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus*, id est, habeatur & colatur vt Deus: Habentur autem & tractantur vt Ethnici in hoc, quod priuati sunt consortio cęterorum fidelium & sactificiis orationibusque communibus Ecclesiæ. Sed hanc interpretationem esse falsam probatur primo ex diffinitione Ecclesiæ stricte sumptæ, qua dicitur Ecclesiam esse collectionem hominum, qui sint vna fidei professione, & eadem Sacramentorum communione coniuncti sub vno capite, &c. Cum igitur excommunicati eandem cum cæteris fidelibus non habeant Sacramentorum, neque orationum cōmunium Ecclesiæ communionem, neque cæterorum fidelium, qui sunt Ecclesiæ membra, consortium, sed his omnibus sint priuati, sequitur eos nulla ratione dici posse Christianæ Ecclesiæ membra, sed esse prorsus ab ea præcisos. Secundo probatur: Quia Chrysost. & Theoph. exponentes prædicta Domini verba dicunt per illa eiectionem ab Ecclesia significari. Et in Decreto *causa* 11. *quæst.* 11. *Can. Omnis* refertur hoc Augustini dictum: *Omnis, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ traditur: Quomodo? quia scilicet extra Ecclesiā Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus.* Alias probationes lege, si placet, apud Bellarm. *in alleg. lib. 3. c. 6.*

Septima qvæstio, De peccatoribus. *An sint Ecclesiæ membra?*

De proposita difficultate differunt vbertime Turrecremata *lib. 1. Summæ de Ecclesia. capit. 56. 57. 58. & 59.* Medina *super hoc ar.* Bannes 2. 2. *q. 1. art. 10. Dubio 1. in respons. ad 10. argumentum.* & Bellarmin. *loco supra notato cap. 8. & 9.* Veritas catholica est, peccatores omnes quantumuis magnos, fidem & communionem Ecclesiæ Catholicæ retinentes esse proprie & simpliciter eius membra; quānis ij, qui gratiam & charitatem non habent, non sint viua sed mortua Ecclesiæ membra. Prima huius dicti pars est D. Thom. *in hoc articulo*; vbi in tertio gradu, constituit peccatores per fidem absque charitate Christo Ecclesiæ capiti coniunctos. Et probatur primo ex parabolis Saluatoris; prima est *Matthæi* 13. vbi Regnum Cœlorum, id est Ecclesiam militantem Sagenæ comparat dicens: *Simile est regnum cœlorum Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti*: Secunda est *Matthæi* 25. vbi Regnum Cœlorum simile dicitur decem virginibus; ex quibus quinque erant fatuæ, & quinque prudentes: Tertia est Apostoli 2. *ad Timotheum* 2. vbi Ecclesiam magnæ domui comparans ait: *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam*: Secundo probatur eadem pars: Quia Petrus post trinam negationem adhuc erat membrum Ecclesiæ, & Iudas proditor Christi fuit Apostolus, donec in vita permansit; ac proinde membrum erat Ecclesiæ; vt enim dicitur *Actorum primo* per mortem eius vacauit Episcopatus illius, quem Deus per sortem transtulit in Matthiam. His adde Corinthium abutentem nouerca, & Alexandrum ac Himenæum blasphemantes; quos Apostolus ab Ecclesiæ corpore per excommunicationem velut arida, vel putrida membra præcidit: Membrū autem aridum & putrescens antequam à corpore separetur, eadem perficitur anima, qua cæteræ partes, licet imperfectas dumtaxat habere valeat operationes; membrum enim mortificatum mouetur aliqualiter ab homine, vt ait hic S. D. *ad* 2. Sunt igitur peccatores prædicti simpliciter & absolute membra Christi, licet imperfecte; quia Christo capiti non per charitatem, sed per solam fidem informem sunt vniti. Denique probatur hæc pars; Quia, si soli gratiam & charitatem habentes essent Ecclesiæ membra, non esset Ecclesiæ necessarium Sacramentum pœnitentiæ; quod solis illis impenditur, qui sunt in Ecclesia. Deinde, quemadmodum nullus certo scire potest se, aut alium ex Christianis Dei gratiam & charitatem habere, ita neque certo scire posset, quinam essent Ecclesiæ membra; atque ideo incertum esset, quinam essent Prælati, quibus obediendum esset; quinam subditi regēdi & corripiendi; quinimo statim, vt Prælatus in aliquod mortale crimen incidisset, puta cōtumeliæ, detractionis, &c. prælationem statim amitteret, & subditi iuste obedientiam illi denegarent, & Prælatus subditum peccatorem, vt suæ curæ minime subiectum derelinqueret: quia nulla maior potest esse confusio & perturbatio. Et ex iis patet altera pars propositæ Conclusionis seu dicti, videlicet fideles gratia Dei destitutos non esse viua sed mortua Christi & Ecclesiæ membra; quod expresse Sacra Synodus Trid. *sess. 6. cap. 7.* definiuit his verbis: *Homo in iustificatione sua accipit per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem; nam fides, nisi spes accedat, & charitas, neque perfecte vnit Christo, neque corporis eius membrum viuum efficit.* Alias huius veritatis probationes lege, si placet, apud supranominatos authores.

Octava Qvæstio, de Infidelibus occultis. *An sint Ecclesiæ membra?*

Quæstio hæc haud facile solui potest propter absurda, quæ ex vtraque sententia scilicet affirmante aut negante consequuntur; nec recentiores, qui priorem tuentur opinionem, argumentis aduersus eam productis plene satisfaciunt. Cuius defectus potissima radix est; quia diffinitionem Ecclesiæ minime completam, aut non satis congruam assignarunt dicentes, Ecclesiam esse cœtum hominum eiusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum sub regimine legitimo Pastorum, ac præcipue vnius Christi in terris Vicarij qui est Rom. Pontifex. In hac enim diffinitione nihil de fide interna meminerunt, quæ tamen Ecclesiæ secundum se, licet non quo ad eius singula membra, est omnino necessaria, vt vere proprie & simpliciter Ecclesia sit & dici valeat iuxta illud *Matth. 10. super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quæ verba exponens Glossa interlinearis ait: *Non separabunt eam à charitate mea, & fide*; Et Hieronymus ait portas Inferi hæreticorum esse doctrinas, per quas homines ducūtur ad Tartarum: Et Cyrillus *in lib. Thesauri* verba hæc de Rom. Ecclesia Principe omnium Ecclesiarum interpretans ait: *Secundum hanc Domini promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, hæreticaq; seductione manet immaculata, super omnes præpositos, & Episc. & super omnes*

Excluditur quædam falsa Ecclesiæ definitio.

Prima-

Primates Ecclesiarum, & populorum in suis Pontificibus in fide plenissima, & authoritate Petri; & cum aliæ Ecclesiæ quorundam errore sint verecundatæ stabilita inquassabiliter ipsa sola regnat, silentium imponens, & omnium obturans ora Hæreticorum, &c. Igitur Ecclesia Christi eam veluti sibi propriam vendicat in fide soliditatem, vt ab ea deficere nequaquam possit; alioquin si sola maneret externa fidei professio absq; interna fide, iam portæ inferi prævalerent aduersus eam.

Sed obseruandum est diligenter Dominicam illam promissionem: *Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam*, scilicet Ecclesiam, intelligenda esse de Ecclesia formaliter, vt Ecclesia est, non solum secundum ipsam totam vniuersalem Ecclesiam, sed quadam etiã ratione secundum singulas particulares Ecclesias, quæ sunt vniuersalis Ecclesiæ partes, quatenus Ecclesiæ Christi sunt: quia scilicet assistit earum vnicuique prouidentia sua cauens, vt in nulla earum sit sola fidei externa professio, & Sacramentorum ac rituum Christianæ religionis exercitium & nudum nomen Ecclesiæ Catholicæ absque interna fide in tot saltem hominibus, quot Ecclesiæ Catholicæ constituendæ sunt necessarij: sic enim portæ inferi valde prævalerent aduersus Ecclesiam, vt Ecclesia est; quia falsam ac nullam Ecclesiam, siue magis hæreticorum, & aliorum infidelium, ac hypocritarum cætum pro vera, ac solida Catholicorum Ecclesia multi simplices colerent; & dum viam salutis inquirerent, facile possent hæreticorum doctrina secreto corrumpi, & tandem etiam publica prædicatione seduci; ac proinde apud omnes fere cęterarum Ecclesiarum, immo & totius Ecclesiæ Catholicæ periclitaretur existimatio, quia de singulis saltem particularibus Ecclesiis facile dubitarent, ne forte sit vna quælibet earum hæreticorum & hypocritarum cætus, qui non re sed solo nomine sit Ecclesia, quæ tandem in apertam hæreticæ doctrinæ prædicationem erumpat; & de Romana & vniuersali etiam Ecclesia similis posset oriri dubitatio, quod in maximum vergeret salutis humanæ detrimẽtum. Nec obstat, sed magis proposito fauet, q̃ dixit Dominus *Lucæ* 18. videlicet: *Filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra?* Nam vt exponit Augustinus *de Verbis Domini, serm.* 360. dixit hoc Dominus de fide, quæ perfecta est, ipsa enim (inquit) vix inuenitur in terra, & subdit: *Ecce plena est Ecclesia Dei. Quis huc accederet, si nulla esset fides? Quis non montes transferret si plena esset fides?* & Beda, *cap.* 71. *in Lucam* sic loquitur. *Quod autem hic quasi dubitatiue dicit, non dubitat, sed arguit: Nam & nos aliquando de rebus, quas certas habemus, increpatiue verbum dubitationis ponimus, vt si dicas seruo: Considera, forsitan Dominus tuus sum.* Sicut igitur externa fidei professione, sic & interna fide constituitur Ecclesia Christi, quamuis non eadem ratione: Nam externa fidei professio non solum in Ecclesia secundum se, sed etiam quo ad singulos fideles in ea contentos est necessaria; at interna fides in ipsa quidem Ecclesia secundum se necessaria est, ita vt tot sint in ea fidem habentes, vt vere ac simpliciter dici possit Ecclesiam Christi fidem habere; non tamen postulat Ecclesiæ ratio, vt omnes quotquot Ecclesię membra sunt, fidem habeant formatam aut informem. Sed, quemadmodum ex partibus humani corporis quædam sunt, quæ viuunt & sentiunt, quædam quæ viuũt, & non sentiunt, & quædam quæ nec viuunt, nec sentiunt, vt vngues & capilli (secundum aliquos) Sic in Ecclesia quidam sunt qui fidem habent & charitatem, quidam sine charitate fidem habent, quidã solam habent externam fidei professionẽ.

Assertur vera Ecclesia, diffinitur, & respondetur quæsito.

Vt igitur omnia, quæ ad Ecclesiæ rationem pertinent, complectamur, dicendum est, *Ecclesiam esse collectionem Christianorum vna fide, & fidei professione, ac eadem Sacramentorum communione coniunctam sub vno capite Christo in Cœlis, & vno eius in terra Vicario Summo Pontifice.* Dicitur *collectio Christianorum*, id est baptizatorum ad distinctionem Synagogæ, & alterius cuiusuis congregationis baptismi Sacramento carentis, aut etiam aliam aliquam religionem, sine baptismo professentis; Dicitur *vna Christiana fide, & fidei professione*, &c. *colligata* modo superius exposito; quia scilicet necesse est tot esse in Ecclesia fidem habentes, vt propter eos affirmari possit Ecclesiam fidem habere; & præterea oportet eos, ac cæteros omnes externis actibus, ac ritibus fidem profiteri: adeo vt, cum dicitur *Christiana fide, & fidei professione colligata*, dictio illa, & copulatiue quidem, sed accommode intelligatur, & ita dictione illa, *fide* excluditur à vero Ecclesiæ nomine & ratione omnis ea hominum cõgregatio, in qua nullus est omnino fidem habẽs, etiam si non sit vniuersalis eorum omnium collectio, qui Christi fidem Catholicam profitentur, sed sit congregatio, siue populus aliquis particularis puta Mediolanensis aut Cremonensis; Quãquam enim nulla sit contradictio, ac proinde logice loquendo possibile sit Ecclesiam Mediolanensem nullum hominem habere vere fidelem; Moraliter tamen, & secundum supernaturalem Dei prouidentiam, qua non solum vniuersalem regit Ecclesiam toto orbe diffusam, sed etiam singularem ad singulos Episcopos pertinẽtium Ecclesiarum curam gerit, existimo fieri nequaquam posse, vt omnes sub vnius Ecclesiæ nomine comprehensi, & vnius Episcopi curæ commissi fide careant cum Episcopo, & tamen eam extrinsece profiteantur, & eisdem communicent ritibus & Sacramentis. Quare multo minus admittendum puto totum vniuersale concilium Ecclesiæ Christi Catholicæ ex trecentis aut quadringentis viris compositum fide prorsus interna posse carere, eo quod non aliquam particularem, sed ipsam vniuersalem repræsentat Ecclesiam; & licet concilium sine Summo Pontifice decipi possit & errare, vt patet in concilio Arimin. vbi dolo Arrianorum, qui Catholicos deceperunt, damnatum est nomen Omousios dictum de Filio; fide tamen interna destitui nequaquam potest ob dictam Domini promissionem Petro & Ecclesiæ factam. Per illam autem particulam: *Et vna fidei professione, ac eadem Sacramentorum communione coniuncta* excluduntur hæretici manifesti, cathecumeni & excommunicati. Per vltimam autem excluduntur Schismatici.

Corollaria.

Ex dictis sequitur primo fieri non posse moraliter loquendo & secundum Dei legem & prouidentiam ordinariam, vt omnes homines alicuius vnius Diœcesis cum Episcopo sint infideles, & tamen externis actibus & ritibus fidem Christi Catholicam profiteantur.

Secundo sequitur Ecclesiam omnem quæ vere sit Ecclesia Christi, esse visibilem; quamuis vt vere sit Ecclesia, sit illi fides interna in aliquibus eius membris necessaria; quia fieri non potest, vt ante diximus, vt omnes homines alicuius Ecclesiæ fidem externis actibus & ritibus profiteantur, & nullus aut vnus vel alter tantum in ea sit vere fidelis. Igitur ipsa communis & concors fidei professio & rituum ac Sacramentorum communio internæ fidei signum est infallibile Christi veram & proprie dictam Ecclesiam indicans, & eam oculis intuentium visibilem offerens.

Tertio sequitur Iudæos, Turcas & Paganos & alios

alios minime baptizatos, si Christianæ Ecclesiæ se commisceant, fidem Catholicam verbis, ritibus & omnibus Sacramentis; excepto vno baptismate profiteantur, partes aut membra Ecclesiæ Christi non esse; Quia primus in Ecclesiam ingressus visibilis est per Sacramentum baptismi, quod omnium est ianua Sacramentorum, ac rituũ Christianæ religionis; Igitur qui nondum insignitus est visibili baptismi Sacramento (visibili inquam in ipsa susceptione) non potest esse visibilis Ecclesiæ membrum. Sed tales Christiano populo miscentur, sicut populo Romano in foro congregato miscentur extranei ad eius integritatem minime pertinentes; cuius tamen oppositum asserit Bellarm. *in allegato lib. 3. de Ecclesia militante, cap. 10.* vbi etiam admittit fieri posse, vt omnes in Concilio generali congregati vera fide careant, & omnes alicuius Ecclesiæ particularis personæ sint infideles, & tamen illa proprie ac vere sit Ecclesia. Quæ nulla ratione videntur admittenda. *Postremo sequitur* diffinitiones omnes S. Patrum & Summorum Pontificum, quas referunt Authores supra notati, veras esse, ac præsertim illam, quæ asserit Ecclesiam esse congregationem fidelium; quia videlicet necesse est in qualibet Ecclesia, si non omnes, aliquos tamen, tot scilicet, quot Ecclesiæ constituendæ sufficiant, esse fideles.

Bellarmin. dictum reiicitur.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Damnati nullo modo sunt membra Christi aut Ecclesiæ*: Hæc patet ex textu, & ex quæstiuncula prima.

SECVNDA CONCLVS. *Infideles non baptizati non sunt actu membra Christi, aut Ecclesiæ vtouis modo sumptæ, sed tantum in potentia.* Hæc est S. Doctoris *in textu*, & patet *ex quæstiuncula 2. & ex vltima.*

TERTIA CONCLVS. *Cathecumeni sunt actu membra Christi, & Ecclesiæ priori modo, id est late sumptæ, non autem posteriori modo, id est stricte sumptæ.* Hæc conclusio quo ad priorem partem patet ex textu; quo ad alteram vero partem patet *ex tertia, & ex vltima q. huius Controuersiæ.*

QVARTA CONCLVS. *Hæretici, & Apostatæ à fide manifesti non sunt actu Ecclesiæ membra, sed in potentia tantum.* Hæc patet ex quarta quæstiunc.

QVINTA CONCLVS. *Schismatici non sunt actu, sed in potentia tantum Ecclesiæ membra.* Hæc patet ex quæstiuncula.

SEXTA CONCLVS. *Fideles excommunicati notorij, aut denuntiati non sunt actu membra Ecclesiæ stricte sumptæ, quamuis sint actu membra Ecclesiæ late sumptæ.* Hæc quo ad posteriorem partem patet ex textu; quo ad alteram vero partem *ex quæstiunc. 6.*

SEPTIMA CONCLVS. *Peccatores fideles, quantumuis magni, sunt actu Christi, & Ecclesiæ membra.* Hæc patet ex *q. 7.*

OCTAVA CONCLVS. *Suppositis in Ecclesia tot fidelibus, qui ad constituendam Ecclesiam sunt necessarij, si eis adiungantur alij homines baptizati, qui sint infideles occulti, illi sunt, siue magũ præsumi debent esse actu Ecclesiæ membra.* Hæc conclusio patet *ex vltima quæstiuncula*, & probant eam argumenta Bellarm. *in allegato cap. 10.*

NONA CONCLVS. *Si vel nulli, vel non tot sint in aliquo cœtu, vel diœcesi fideles, quot Ecclesiæ constituendæ sunt necessarij, infideles in eo cœtu, vel diœcesi existẽtes nullo modo sunt Ecclesiæ membra.* Probatur: quia cœtus ille non est Ecclesia. Igitur nullus infidelis in eo existẽs membrum est Ecclesiæ. Antecedens probatum est *supra quæstiuncula 8.*

DECIMA CONCLVS. *Infideles minime baptizati, si fidelium cœtui, & Ecclesiæ misceantur, & fidem externis actibus & ritibus profiteantur, non ideo tamen fiunt, aut sunt Ecclesiæ membra.* Hæc patet *ex eadem vltima quæstiuncula.*

A CONTRA *primam concluſ.* militare possent ea argumenta, quæ produci solent ad probandum in Dæmonibus & damnatis esse fidem; quorum solutiones lege, si vis apud Bann. & alios expositores *in 2. 2. q. 5. art. 2.* *Argumenta, & solutiones.*

CONTRA *tertiam concl.* est argumentum, quod affert & soluit Bannes *loco notato*, & est textum in ordine; & alia duo, quæ tangit & soluit Bellarminus *in allegato cap. 3.* Eorum tamen solutio patet ex dictis.

CONTRA *quartam concluſ.* sunt argumenta, quæ tangit Bannes *in suo argumento 5. in dicto art. 10. dubio 1.* & ea quæ refert & soluit Bellarm. *loco sæpe notato, cap. 4.*

CONTRA *quintam concluſ.* est septimum argumentum apud Bann. *loco allegato*, quod ibi soluitur. B Sunt etiam argumenta, quæ refert & soluit Bellarm. *in dicto 3. lib. c. 5.*

CONTRA *sextam concluſ.* sunt argumenta, quæ refert & soluit Bellarm. *in eodem libro, c. 6.*

CONTRA *septimam concluſ.* sunt multa argumẽta, quæ referunt & soluunt Turrecremata *in summa de Ecclesia lib. 1. art. 54. vsque ad 60* Medina *super hoc art.* Bannes *loco notato* Bellarm. *in allegato libro, c. 7. 8. & 9.*

CONTRA *nonam concluſ.* argumentatur Bellar. & *primo* probat hæreticos occultos esse Ecclesiæ membra ex illo *primæ Ioa. 2. Et nunc Antichristi multi facti sunt, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam, si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Quibus verbis significat Ioannes hæreticos, antequam exirent, non fuisse ex nobis, id est non fuisse catholicos animo & voluntate, sed hæreticos, & tamen ex nobis exiuisse; quia & si non erant ex nobis animo & voluntate, erant tamen ex nobis externa professione; sed postquam se prodiderunt & se ipsos à nostro cœtu separarunt, iam desierunt omnibus modis esse ex nobis. His addit plura loca Auguſt. Cypr. Ambr. Hieron. Greg. & Orig. affirmantium hæreticos occultos esse partes & mẽbra Ecclesiæ, cui commiscentur. *Resp.* locum illum diuinæ scripturæ & dicta Patrum probare octauam nostram conclusionem, & aduersus hanc, quæ nona est, non militare. Manifeste namque supponunt Ecclesiam multos habere fideles, quibus pauci vel multi commixti sint infideles occulti, & hos affirmant ad Ecclesiam, vt eius partes & membra pertinere, donec seipsos prodant & exeant. *Obi. 1. cont. 9. concl.* *Solut.*

Secundo probat nonnullis argumentis non esse necessariam fidem in quolibet Ecclesiæ membro siue parte, quod libenter admittimus: Hæc enim est octaua nostra conclusio. *Obi. 2.*

CONTRA *vltimam concluſ.* argumentatur Bellarm. *cap. 10.* probans baptismum non esse necessarium, vt quis sit Ecclesiæ pars aut membrum. Primo; quia si quis dicat se esse baptizatum, & non constet contrarium admittetur ad cetera Sacramenta, & per hoc erit de corpore Ecclesiæ; ergo. Probatur vltima pars antecedentis à signo; quia si postea innotescat illum non fuisse baptizatum, siquidem culpa ipsius id sit factum, expelletur de congregatione nec recipietur, nisi post pœnitentiam baptizetur; at si non culpa eius id factum sit, non repelletur, sed perficietur in eo quod deerat; nec iudicabitur non fuisse in Ecclesia, sed iudicabitur intrasse aliunde, quam per ordinariam potestatem; ergo. Probatur hæc pars: quia Innocentius III. *capit. Apostolicam de Presbitero non baptizato* iudicauit presbiterum non baptizatum vere ruisse in Ecclesia, & iussit pro eius anima offerri sacrificium, vt pro aliis fidelibus; & Dionysius Alex. vt habetur *lib. 7. cap. 8. histor. Ecclesiast.* iudica- *Obi. cont. vlt. concl.*

iudicauit quendam fuisse vere in Ecclesia, quem constabat non vere baptizatum, sed tantum percepisse alia Sacramenta, vt baptizatum, sed

Solut. *Resp.* talem admitti ad Sacramenta, nec tamen per hoc esse de corpore Ecclesię, cum vere non sit baptizatus. Ad probationem negatur consequentia: Nam si culpa sua non baptizatus recipiat Sacramenta, expelletur quidem à fidelium consortio, vt qui de Ecclesia nunquã fuerit; non autem præscindetur, vt membrum à corpore, cuius fuerit pars, si vero id fuerit absque eius culpa recipietur in Ecclesiam medio baptismi Sacramento; cũ eius antea membrum non esset. Ad probationem vltimæ partis antecedentis dico textum & historiam male allegari; In illo namque capite non affirmat Summus Pontifex presbyterũ illum fuisse membrum Ecclesiæ siue de Ecclesia, sed eum fidem habuisse, & ex voto baptismi fuisse ab originali peccato mundatum, ideo iubet pro eius anima sacrificium offerri. Dionysius etiam Alexãdrinus non affirmat illum non baptizatum vere fuisse de Ecclesia, cum illi non plene constaret de validitate, aut inualiditate baptismi, quem vir ille ab hæreticis susceperat; sed, cum non auderet illum iterum baptizare, adhortabatur eum, vt alia cum fidelibus Sacramenta susciperet.

Quæstio ab Aluarezio definita. QVÆRIT hic Aluar. *disput.* 38. Num Christus *quatenus homo & caput Ecclesiæ influat per humanitatem efficienter, seu ad modum causæ physicæ gratiam in omnes homines pertinentes ad corpus Ecclesiæ mysticum; an solum moraliter, seu meritorie?* Quam quæstionem subtiliter versat ac erudite definit, nos de ea loco fortasse magis opportuno, Deo largiente, differemus.

ARTICVLVS IV.

Virum Christus sit caput Angelorum.

3. d. 13. qu. 1. art. 2. q. 1. & d. 14. art. 3. q. 2. & 6. c. & veri. q. 29. a. 4. c. & 5. & opusc. 3. c. 223. Et 1. Cor. 11. col. 2. & Ephes. 1. in fin.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod Christus, secundum quod homo, non sit caput Angelorum. Caput enim, & membra sunt vnius naturæ. Sed Christus, secundum quod est homo, non est consimilis in natura cum Angelis, sed solum cum hominibus: quia vt dicitur Heb. 2. Nunquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Ergo Christus, secundum quod homo non est caput Angelorum.

Præterea: Illorum Christus est caput, qui pertinent ad Ecclesiam, quæ est corpus eius vt dicitur Ephes. 1. Sed Angeli non pertinent ad Ecclesiam: nam Ecclesia est congregatio fidelium: fides autem non est in Angelis: non enim ambulant per fidem, sed per speciem: alioquin peregrinarentur à Domino: secundum quod Apost. argumentatur 2. Corinth. 5. Ergo Christus, secundum quod homo, non est caput Angelorum.

Tract. 23. & 19. to. 9. *Præterea: August. dicit super Ioan. quod sicut Verbum, quod erat in principio apud Patrem, vinificat animas: ita Verbum caro factum vinificat corpora, quibus Angeli carent. Sed Verbum caro factum est Christus, secũdum quod homo: Ergo Christus secundum quod homo, non influit vitam Angelis. Et ita secundum quod homo non est caput Angelorum.*

Sed contra est, quod Apostol. dicit Col. 2. Qui est caput omnis principatus, & potestatis. Et eadem ratio est de Angelis aliorum ordinum. Ergo est Christus caput Angelorum.

Ar. 1 ad 2. *Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, vbi est vnũ corpus, necesse est ponere vnum caput. Vnum autem corpus similitudinarie dicitur vna multitudo ordinata in vnum secundum distinctos actus, siue officia. Manifestum est autem, quod ad vnum finem, qui est gloria diuinæ fruitionis, ordinantur, & homines, & Angeli. Vnde corpus Ecclesiæ mysticum, non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex Angelis. Totius autem huius multitudinis Christus, est caput: quia propinquius se habet ad Deum, & perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines, sed etiam quam Angeli: & de eius influentia non solum homines recipiunt, sed etiam Angeli. Dicitur enim Ephes. 1. quod constituit eum scilicet Christum Deus pater ad dexteram suã in cœlestibus supra omnem potestatem, & principatum, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedibus eius. Et ideo Christus non solum est caput hominum, sed etiam Angelorum: vnde, & Matt. 4. legitur, quod accesserunt Angeli, & ministrabant ei.*

Ad primum ergo dicendum, quod influentia Christi super homines, principaliter quidem est quantum ad animas, secundum quas homines conueniunt cum Angelis in natura generis, licet non in natura speciei. Et ratione huius conformitatis B *Christus potest dici caput Angelorum, licet deficiat conformitas quantum ad corpora.*

Ad secundum dicendum, quod Ecclesia secundum statum viæ est congregatio fidelium: sed secundum statum patriæ est congregatio comprehendentium. Christus autem non solum fuit viator, sed comprehensor. Et ideo non solum fidelium, sed etiam comprehendentium est caput: vtpote plenissime habens gratiam & gloriam.

Ad tertium dicendum, quod August. ibi loquitur secũdum quandã assimilationem causæ ad effectum: prout scilicet res corporalis agit in corpus, & res spiritualis in res spirituales. Tamen humanitas Christi ex virtute spiritualis naturæ, scilicet diuinæ, potest aliquid causare non solum in spiritibus hominum, sed etiam in spiritibus Angelorum, propter maximam coniunctionem eius ad Deum, scilicet C *secundum vnionem personalem.*

Forma Textus.

CONCL. *est: Christus non solum est caput hominum, sed etiam Angelorum.* Probatur dupliciter. Primo ratione: quia corpori Ecclesiæ mystico, quod constituitur non solum ex hominibus, sed etiam ex Angelis, assignandum est vnum caput; at hoc caput est Christus; ergo Christus est caput non solum hominum, sed etiam Angelorum. Maior duas habet partes: prima est, quæ affirmat corpus Ecclesiæ constitui non solum ex hominibus, sed etiam ex Angelis; quæ probatur: quia vnum corpus similitudinarie dicitur vna multitudo ordinata in vnum finem secundum distinctos actus, & officia; At homines & Angeli ordinantur in D vnum finem, qui est gloria diuinæ fruitionis; ergo. Secunda pars affirmans tali corpori assignandum esse vnum caput, probatur; quia vbi est vnũ corpus, necesse est ponere vnum caput: Minor vero probatur ex tribus capitis conditionibus, scilicet eminentia seu primitate, perfectione & virtute influendi in alia membra: quia Christus propinquius se habet ad Deum & perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines, sed etiam quam Angeli; ergo est caput corporis mystici, quod est Ecclesia ex hominibus, & Angelis constituta. Antecedens probatur authoritate Scripturæ *ad Ephes. 1.* vt patet in textu. Secundo probatur conclusio ex illo *Matth 4. Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* E

Expositio Textus.

ADVERTE *primo*, discursum S. D.ⁱ alio modo & fortasse meliori, posse formari sic arguendo: Christus est caput corporis Ecclesiæ mystici, quod non solum consistit ex hominibus, sed etiã ex Angelis; ergo est caput non solum hominum, sed etiam Angelorum. Conseq. est euidens. Antecedẽs autem vnum supponit & duo dicit; Supponit enim corpus Ecclesiæ mysticum habere caput; quod suppositum probatur: quia vbi est vnũ

corpus,

corpus, necesse est ponere vnum caput; ergo. Primum dictum est, corpus Ecclesiæ consistere non solum ex hominibus, sed etiam ex Angelis: Quod probatur: quia vnum corpus similitudinarie dicitur vna multitudo ordinata in vnum finem, &c. Secundum dictum est Christum esse caput huius mystici corporis; quod probatur ex conditionibus capitis, &c.

Secundo Vide quæ notat Caiet. circa responsiones ad primum & vltimum argumentum D. Th.

Prima Controuersia.

De veritate Conclusionis.

An scilicet Christus sit caput Angelorum.

Sententia Doctorum.

ALTISIODORENSIS *lib. 3. suæ Summæ, tract. 1. c. 4. q. 2.* docet Christum haud proprie dici caput Angelorum, & Angelos non proprie corporis Christi membra nuncupari. Quam opinionē sequuntur Bonauen. *in 3. dist. 13. art. 2. q. 3. dubio 2.* Driedo *in lib. de Capt. & redemptione generis humani tract. 2. c. 2 part. 3. art. 5, propositione 4.* Soto *in 4. s. dist. 49. q. 4. art. 2.* Videtur etiam hæc opinio nō displicuisse Gabrieli *in 3. s. dist. 13. q. vnica, art. 3. dub. 2.*

Oppositam sententiam habet *in hoc articulo* S. D. quam præter eius omnes discipulos tam antiquos, quam recentiores tuetur etiam Alensis *in sua 3 p. q. 12. memb. 2. art. 2.* Ricardus *in 3. dist. 13. art. 2. q. 2.* Dur. *q. 2. num. 7.* Palud. *q. 1. ar. 3.* Turrecremata *in summa de Ecclesia lib. 1.* & alij.

Resolutio. Christū esse proprie caput Angelorum, sed magis proprie ac principalius hominū probatur ex quinque capitis conditionibus.

QVÆSTIO hæc, vt ex dicendis apparebit, magis est de nomine, quam de re; nec tamen est omnino contemnenda; quia rebus grauissimis explicandis verba propria & accommodata sunt adhibenda. Ad huius igitur difficultatis euidentiam

Sciendum est primo; Has omnes conditiones Christo in ordine ad Angelos conuenire; videlicet excellentiam, superioritatem, influxum, gubernationem & conformitatem aliquam secundum ordinem naturæ, sed maiorem secundum ordinem gratiæ: Et de excellentia quidem Christi comparatione Angelorum magnifice loquitur Apostolus *ad Hebr. 1.* & patet ex iis, quæ supra diximus de gratia vnionis & de gratia habituali. Superioritatem etiam explicat ibidem Apostolus, dicens: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbē terræ dicit; & adorent eum omnes Angeli Dei.* Influxum autem Christi secundum humanitatem in Angelos affirmat Dionys. *cap. 7. cœlestis Hierarchiæ declarans illud Isaiæ 63. Quis est iste, qui venit de Edom?* his enim verbis ait Christum in Cœlum ascendentem ab Angelis interrogari; quibus teste ibidem Isaia Christus respondit, dicens: *Ego, qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.* Et ex his deducit à Christo ad Angelos spirituales reuelationes, & illuminationes deriuari: Quod etiam affirmat Hieron. *in Comment. Epist. ad Ephes. 3.* exponens illa verba. *Vt innotescat principatibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapiētia Dei.* His adde dictum Domini *Lucæ 15. Ita dico vobis; Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente*: Cum itaque pœnitentia sit beneficium Christi Redemptoris, gaudium etiā Angelorum ex eo proueniens erit quidam spiritualis eiusdem redemptoris influxus. Vnde S. D. *infra q. 59. art. 6.* ait: Gaudium est quoddam præmium accidentale, quod à Christo ad Angelos deriuatur: Gubernari autem Angelorum Hierarchias & ordines à Christo colligit loco notato S. D. ex verbis illis Apost. *Heb. 1. Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Videtur enim ibi per hæc Apostolus significare Angelos per Christum ad nos destinari. Denique Christum vtramque, scilicet naturalem & supernaturalem habere cum Angelis conformitatem, patet: Quoniam vt ait S. Doct. *hic ad primum* homines quantum ad animas conueniunt cum Angelis in natura generis, quia sunt substantiæ spirituales, & præterea Christus gratiam habet & gloriam sibi & omnibus bonis Angelis communem. Licet in illo sit in summo, in istis vero secundum partem. Has autem omnes conditiones, quamquam omnes in Christo confiteantur, quidam tamen existimāt eas ad rationem capitis in ordine ad Angelos in Christo constituendam non esse sufficientes, & ideo negant Christum proprie & stricte loquendo esse caput Angelorum. Sed oppositum esse verum probatur *ex articulo præcedente*, vbi S. Doct. Christo totius Ecclesiæ capiti iuxta membrorum diuersitatem seu variam eorum vnionem & dispositionem influxum spiritualem illi tribuit differentem. Quibusdam enim gratiam, aliis fidem informem, aliis motum influit gratiæ præuenientis; sicut etiam caput naturale quibusdam membris vitam influit, & sensum ac motum, aliis vitā sine sensu, aliis vero motum absque sensu & operatione vitali. Cum itaque Christus vt homo respectu Angelorum habeat eminētiam, maiorem gratiæ perfectionem, influxum illuminationis, gaudij & imperij cum prædicta duplici communicatione, consequens est, ipsum quatenus homo est, vere ac proprie dici posse caput Angelorum, vt asserunt etiam diuinæ Scripturæ, quas *in hoc articulo* refert S. Tho. Quibus adde Augus. *in Psal. 36. & 138.* & Hylarium *in Psalm. 139.* Verum tamē est loca diuinæ Scripturę in alium sensum absque magna violentia & absurditate posse detorqueri, vt aduertit Vasq *disp. 43. c. 3.* vbi quaedā refert Doctorum Græcorum expositiones à sensu D. Tho. diuersas.

Ex dictis sequitur primo Christum principalius & perfectius esse caput hominum quam Angelorū. *Primum Corollariū.* Probatur hæc deductio; quia principalius & magis influit in homines, quam in Angelos. Gratiam enim, charitatem, fidem & cætera dona supernaturalis ordinis ac beneficia redemptionis in homines influit; quibus etiam conformis est secundum humanitatem; Angelis autem nihil horum influit, sed eos tantum illuminat, gaudia confert accidentalia, mittit in varia ministeria, & circa eos etiam iudicium exercet: quæ longe minora sunt iis, quæ conferuntur hominibus.

Secundo sequitur duas præmissas sententias quæ videntur oppositæ, facile posse conciliari. Nam qui negant Christum esse caput Angelorum: nihil aliud intendunt, quam præcipuos illos influxus negare, quos habet in homines Christus, vt homo; ad quos redimendos & super cælestibus donis exornandos missus est in mundum; ita vt hoc fine cessante non esset Christus in mundo futurus; & ideo formaliter ac proprie loquendo dicendum sit Christum per se primo secundum humanitatem esse caput hominum, secuudario vero & occasionaliter ac quasi per accidens esse caput Angelorum: quia scilicet supposita occasione veniēdi propter homines, vt esset eorum redemptor, doctor, pastor & caput, ex eadem excellentia & abundantia gratiæ debuit etiam esse caput omnium Angelorum, in eos influens ea supernaturalia dona, quæ eorum conditioni & statui cōgruebant. Exemplum potest afferri de Medico, qui ad infirmi lecto decumbentis ac febre laborantis visitationem vocatus, alteri etiam eiusdem domus satis bene valenti perfectioris confert re-

2. Corollariū Conciliatio.

media sanitatis. Quia tamen Christus ex summa perfectione gratiæ tam vnionis, quam habitualis virtutem habuit sufficientem, non solum in homines, sed etiam in Angelos gratiam cum aliis supernaturalibus donis tam physice, quam moraliter influendi, ideo gratia Christi respectu cuiuslibet gratiæ, per se loquendo, videtur esse capitalis sed per accidens non exercet in eis effectus præcipuos gratiæ capitalis; quoniam, vt ex sequenti Controuersia patebit, Angelis ex sola gratuita Dei voluntate, non autem ex Christi meritis gratia fuit in principio creationis à Deo collata: Itaque si de per se aut per accidens, prout in moralibus accipitur sermo sit, verum est, quod prius diximus, nimirum quasi per accidens Christum cõstitutum fuisse caput Angelorum; si vero de per se aut per accidens physice loquamur, quod secundum intimas rerum naturas attenditur, dicendũ est Christum esse per se caput non solum hominum, sed etiam Angelorum; Quamuis in Angelos ob dictam causam officium capitis, quo ad præcipuos eius effectus non exerceat. Simpliciter autem loquendo dicendõ est, Christum principalius & perfectius, ac magis proprie esse caput hominum, quam Angelorum: Quia nomen capitis significat rem habentem non solum excellentiam & perfectionem, sed etiam influxum actualem in ea, quæ sub eo sunt membra; hunc autem longe maiorem habet Christus in homines, quam in Angelos, vt ante diximus.

Postremo notanda est doctrina respõsionis *ad tertium argumentum* cum expositione Cai. Et quamuis affirmet S. D. Christi humanitatem ex virtute spiritualis naturæ scilicet diuinæ, posse aliquid causare, non solum in spiritibus hominum, sed etiam in spiritibus Angelorum propter maximam coniunctionem eius ad Deum, scilicet secundum vnionem personalem, non tamen negat sed supponit vt ordini diuinæ prouidentiæ consonum virtutem hanc prius in animam & ea mediante ad corpus deriuari, adeo vt totus influxus radicaliter proxime reducatur ad animam: Et ideo recte dixit Cai. ad rationem capitis necessariam esse conuenientiam in natura cum membris: quæ in Christo respectu Angelorum attenditur secũdum animam, vt ait etiam S. Doct. *ad* 3. ac proinde licet Christus etiam secundum corpus sit caput Angelorum, ratio tamen capitis ex anima, cui primo conuenit, deriuatur ad corpus; sicut & gloria, quæ ex anima redundat in corpus. Quare Vasq. immerito Cai. reprehendit, quod dixerit ad rationem capitis requri conuenientiam in natura; Loquitur enim Caie. cum D. Thom. de capite homogeneo, quod necesse est cum membris aliquo modo in natura conuenire, & ait satis esse Christum habere conuenientiam cum Angelis quo ad animam, eo quod illa post Deum sit prima radix omnis influxus.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCLVS. *Christus inquantum homo est vere ac proprie caput Angelorum.* Hæc patet ex dictis *in primo notabili*, & probant eam recentiores prænominati pluribus argumentis, sed quæ supra posuimus, optima sunt.

SECVNDA CONCL. *Christus principalius & perfectius, ac magis proprie est caput hominum, quam Angelorum:* Hæc patet ex dictis in secundo notabili.

TERTIA CONCLVS. *Christus secundum animam primo & secundum corpus secundario est caput Angelorum.* Hæc ex patet ex dictis in vltimo notabili.

Obi. cont. 1. concl.

CONTRA *primam conclus.* præter argumenta S. Thom. sunt etiam argumenta, quæ afferunt & soluunt Medina *dubio* 1. Suarez *disput.* 23. *sect.* 1. Astur. *in sua Relectione de Christi gratia, quæst.* 6. *dub.* 3. *pag.* 837. & Aluarez *disput.* 39. Contra eandem concl. producit Vasq. verba Chrysost. *hom.* 1. *in Epistolam ad Ephes.* vbi explicans illud Apostoli: *Ad dispensationem plenitudinis*, &c. ait: *Vnum nobis posuit caput nempe Christum secundum carnem, omnibus inquam, & Angelis, & hominibus, hoc est alium dederat Angelis principatum, & alium hominibus, hu quidem. quod secundum carnem illis vero verbum Dei*, & idem (inquit) docet Theoph. *in illud ad Ephes. primo: Vt cõsummentur omnia in Christo. Resp.* hos Patres nihil aliud vel- *Solut.* le, nisi Christum, inquantum homo, esse per se primo siue ex primaria intentione & principalius & magis proprie caput hominum, quam Angelorum, quorum iam caput erat secundum diuinitatem ab initio Mundi.

CONTRA *tertiam conclus.* vt explicatur à Caie- *Obi. cont. 3. concl.* tano, argumentatur Vasquez: Quia ad rationem capitis mystici solum necessarium est, vt aliquo modo in membra influat vel internam virtutem, vel externam gubernationem; ergo ad rationem capitis non requiritur necessario conuenientia in natura. Antecedens probatur primo. Nam alioquin sequeretur Christum secundum corpus non esse caput Angelorum, sed solum secundum animam, quod tamen est falsum. *Secundo* probatur idem Antecedens: Quia Christus etiam secundum animam non est eiusdem omnino naturæ cum Angelis; ergo. *Resp.* falsum esse Anteced. lo- *Solut.* quendo de capite homogeneo: vt modo loquimur: Ad primam probationem iam dictum est, rationem capitis ex anima in corpus Christi fuisse deriuatam, & ideo totam rationem capitis in animam, vt in fontem reduci ac propterea sufficere in Christo conueniẽtiam cũ Angelis in natura, secundum animam. *Ad secundam* probationem respondetur non requiri conuenientiam in genere proximo, sed sufficere conuenientiam in natura capaci perfectionum, quæ per capitis influxum communicantur; qualis est in proposito natura spiritualis, quæ communis est Angelis & hominibus secundum animam.

Secunda Controuersia.

An ex Christi meritis aut ex humanitatis eius influxu receperint Angeli gratiam, & gloriam essentialem.

Sententia Doctorum.

QVATVOR sunt Doctorum de proposita dubitatione sententiæ. *Prima* est Origenis *homilia prima in Leuit. & homilia* 9. *in Lucam* dicentis gratiam Angelis ex merito Christi fuisse collatam, & eos, q ex illis fuerũt peccatores, per Christi passionem & meritum fuisse redemptos. Quã opinionem, vt errorem in fide manifestum reiiciunt SS. Patres & Scholastici Doctores. Vasq. tamen *disputatione* 49. *cap.* 5. nititur ostendere Origenem in hoc errore non fuisse. Videndus est Augustinus *Tomo* 3. *in Enchir. ad Laurentium cap.* 61. & 62. Gregorius *lib.* 18. *moralium cap.* 14. & *lib.* 28. *cap.* 6. & 7. Beda *in illud Ephes.* 1. *Instaurare omnia, &c.* & Anselmus *in eiusdem loci expositione.*

Secunda sententia est multorum Scholasticorũ; qui contra Origenem negãtes Angelos per Christi merita fuisse redemptos à peccatis, quibus antea tenerentur, affirmant tamen eos gratiam, quam ab initio creationis habuerunt, per Christi merita recepisse, & dici posse eos, per eandem gratiam ex Christi merito redemptos per modũ præseruationis & redemptionis; quatenus scilicet virtu-

virtute passionis Christi à peccato se continuerũt. Ita Catherinus *in libro primo, de eximia prædestinatione Christi, & in alio de gloria Angelorum.* Galatinus *lib.3. de Arcanis Catholicæ veritatis cap.4.* Viguerius *de Institutionibus Theolog. cap.20.§.1.* Iacobus de Valentia *in illud Psalmi 102. Benedicite domino omnia opera eius.* Naclantus *in Epistolam ad Ephes cap. 1. & in libro, qui inscribitur Medulla scripturæ in tertia ætate Mundi cap.20.* Hieronym. Rua, *Controuersia 8. Scholastica.* Eiusdem sententiæ videtur fuisse S. Thom. *in Cõmentario super Ioannem cap. 1. lect.10.* & Cai. *in præcedenti quæst. art.10. & 11.* quam etiam Rua prædictus tribuit S. Hieron. & Bernardo; quibus Valentia addit Cyrill. & Theodoretum dicens sententiam hanc esse probabiliorem, eo quod, cum recte intelligi possit, illustrat multo magis meritum Christi; eandem opinionem acerrime defendit Suar. *infra quæst.19. art.4. disput.42.* & alij minoris notæ; eandem sententiam sequuntur omnes, qui docent Christum fuisse venturum, etiam si Adam non peccasset.

Tertia sententia, quam refert Astur. *quæst. 6. de Christi gratia, dubio 3. pag.* 846. docet gloriam & gratiam Angelis, duplici titulo fuisse collatam, summæ scilicet liberalitatis & gratiæ Dei, absque vllo respectu ad Christi merita; & titulo rigorosæ iustitiæ, scilicet Christi meritis ipsis Angelis applicatis.

Vltima sententia est D. Thom. *in 3. distinct.13. q.2. art.2. q.1. & de veritate. q.29. art.4. ad 5. & art.7. ad 5. & infra q.5. art.6.* negantis Angelos ex Christi meritis aut influxu gratiam aut gloriam essentialem habuisse eandem tuetur Alensis *3. part. q.12. memb.2. art.3. §.5.* S. Bonau. *in 3. dist. 13. art.2. q.3.* Palud. *q.1. art.3.* Duran. *ibidem*, Abul. *q.107. super cap. 17. Matthæi* Driedo *in libro de captiuit. & redempt. tract.2. cap.2. parte 3. art.5. post quartam propositionem.* Almainus *in 3. dist.19. quæst.1. post primam concluſ.* & Maior *eadem dist. q.1.* Medina *super hoc art. dubio 2.* Astur. *de gratia Christi q.6. art.3.* & Vasq. *disput.49.* & Aluar. *disput.40.* & fauet Caie. *q.1. art.3.* vbi docet præordinationem, & præuisionẽ ordinis gratiæ præcedere in signo rationis præordinationem, & præuisionem vnionis hypostaticæ filij Dei cum humana natura.

Resolutio. Probabilem esse sententiam eorũ, qui docent gratiam & gloriam Angelis ex Christi meritis fuisse collatam, sed oppositã esse probabiliorem.

SVPPONENDA *sunt hic* PRIMO ea, quę diximus *in præcedenti controuersia* de influxu Christi capitis secundum humanitatem in Angelos.

Secundo supponendum est duplicem esse gloriam in Angelis, alteram essentialem quæ consistit in gratia cõsummata, & in visione ac fruitione Dei, quatenus est ipsa veritas, & ipsum bonum & vltimus finis supernaturalis; & correspondet gloria hæc essentialis primæ gratiæ, quam Deus Angelis infudit in ipso creationis eorum instanti. Alteram insuper habent Angeli gloriam, quæ dicitur accidentalis; quam in actibus ministerij circa homines salutaris sibi compararunt iuxta illud *Lucæ 15. Gaudium erit coram Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente.*

Tertio supponendum est Christum dupliciter in nobis gratiam efficienter causare, scilicet physice influendo per humanitatem, & moraliter id est per opera valoris infiniti, ac præsertim per passionem & mortem apud Deum gratiam iustificantem & gloriam promerendo, vt S. D. infra *qu.48. art. præsertim 1. & 6.* & ibidem explicat eleganter Medina & alij recentiores.

Quarto supponenda est tota illa doctrina, quam tradit S. D. *supra q.1. art.3.* vbi probat, quod si homo non peccasset, Deus incarnatus non fuisset. Quibus suppositis; SECVNDO *sciendum est* Angelis omnibus ab initio creationis eorum reuelatum fuisse mysterium incarnationis quo redimẽdum erat à peccato genus humanum; & omnes Angelos de illo fidẽ habuisse; & satis probabiliter credi posse Deum illis omnibus præcepisse, vt Christũ Deum & hominem post multa sæcula futurum adorarent tanquam caput, non solum hominum sed ipsorum etiam Angelorum; iuxta illud *Heb.1. Et iterum; cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei: Ex quibus sequitur primo* Angelos potuisse tunc primo peccare appetitu inordinatæ excellentiæ, vt Dei filius Angelicæ naturæ personaliter vniretur, quamuis nõ sit verisimile Angelos tali appetitu primo peccasse, vt diximus *in 1.p.q.63. art.3. in tertia Controu. §. Postrema quæstio.* Secundario tamen Angelos malos ita peccasse, & odium ac inuidiã contra Christum cõcepisse docet Asturicensis *loco supra notato.*

Secundo sequitur dari potuisse Angelis gratiam & gloriam ex Christi meritis à Deo prædefinitis ac præuisis: potuit enim Deus mysterium incarnationis, & merita Christi ab Angelis fide credita ad hos etiam effectus efficaciter producendos ordinare; quamquam vt infra dicemus, non ita fuerit factum; quia Christus secũdum scripturas non ad Angelos, sed ad homines suis meritis & passione redimendos missus fuit.

Tertio sequitur nõ esse probabilem eam opinionem, quæ dicit Deum intuitu meritorum Christi & passionis eius Angelos in officio virtutis continuisse, & in amore Dei & obsequio confirmasse, ne peccantibus Angelis consentirent, & vna cum eis damnationis pœnã incurrerent. Docent enim vbique diuinæ litteræ Christi passionem & merita non ad præseruandum à peccato, neque ad innocentiæ statum confirmandum fuisse destinata, sed in remedium humani peccati fuisse promissa & ad illius maculam abluendam ordinata; vt patet ex locis supra notatis *q.1. art.3.* Quapropter sanctorum dicta, quæ sanctos Angelos per Christum à peccato fuisse præseruatos affirmant, de Christo ratione diuinitatis, siue quatenus Deus est, sunt intelligenda; vt de verbis S. Bernardi dicit Medina, & de cæteris omnibus affirmant Astur. & Vasq.

TERTIO *notandum est* Christum passione sua non solum hominibus sed etiam pluribus modis Angelis profuisse. Nam primo semetipsum eorũ caput constituendo maximam illis dignitatem adiunxit; ex quo sequitur eos à Christo in cælum ascendente de multis fuisse mysteriis illuminatos & continue etiam illuminari. Secundo Christus homines redimendo & eos in cœlestem gloriam adducendo, ruinas Angelorum impleuit, dum numerum in singulis choris & ordinibus, ex multorum lapsu deficientem, exaltatis ad lapsorum sedes hominibus, reparauit; Et quia salutẽ hominum procurat Deus per Angelorum etiam ministeria, ideo beatificatis hominibus gloria quędã accidentalis additur Angelis, qui de iustorum salute, & eorum perpetua pace cum Deo & cũ Angelis ipsis inita ac fœdere sempiterno firmata lætantur. Ex quibus patet, quomodo sint accipienda plura diuinæ scripturæ dicta, quæ secundę sententiæ defensores allegant in sui fauorem; quale est illud *ad Ephes. 1. Instaurare omnia in Christo, siue quæ in terris, siue quæ in Cœlis sunt: & ad Coloss.1. Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris siue quæ in Cœlis sunt*; Quorum sensum explicant eleganter S. Augustt. *Tomo 3. in Enchir. ad Laurentium ca.61 & 62.* S. Tho. *in suo Commentario*, Medina *super hoc articulo.* Asturicensis *loco supra notato*, & Vasq. *in allegata disp.49. cap.4.* vbi diligenter expendit varias patrũ expositiones circa prædicta, & alia loca diuinæ scriptu-

scripturæ, quibus maxime nituntur ij, qui secundam tuentur opinionem.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Quamuis probabilis sit ea sententia, quæ docet Angelos ex Christi meritis gratiam & gloriam essentialem accepisse; si tamen cum D. Thom supponamus Christum non fuisse venturum, si primus homo non peccaret, atque adeo Christum fuisse prædestinatum in redemptorem, non videtur probabilis illa sententia, quæ secunda est neque tertia*: Prima pars huius conclusionis probatur primo: quia probabilis est apud Theologos illa sententia, quæ docet Christi prædestinationem non præsupponere præscientiam originalis peccati, & Christum fuisse prædestinatum ante præscientiam & præordinationem omnium rerum naturalium: hac enim opinione suppositā facile intelligitur Angelos ex Christi meritis fuisse prædestinatos. Secundo probatur eadem pars: Quia facile intelligi potest Christum per eadem opera, quib. nobis meruit gratiam sanitatis, gratiam quoque & gloriam essentialem Angelis meruisse, diuersa tamen ratione: Nam bene concipi posset opera Christi, vt eius passione & morte cōsummata hominibus profuisse, vt opera redemptionis; quatenus autem ex charitate & aliis virtutibus procedebant, quæ Christo poterant conuenire, etiamsi corpus assumeret impassibile & immortale, gratiam & gloriam Angelis meruisse. *Altera pars* eiusdem conclusionis dicens: Si tamen supponamus cum D. Thom. &c. probatur primo, Quia omnis gratia ex meritis Christi promanans est gratia redemptoris, & gratia sanās: at talis gratia non deriuatur ad Angelos: quia Christus neque pro illis mortuus est, nec eos redemit; igitur Angeli gratiā ex Christi meritis non acceperunt.

SECVNDA CONCLVS. *Postrema sententia negans Christum Angelis gratiam & gloriam essentialem meruisse longe probabilior est*: Probatur primo ex parabola pastoris, qui *reliquit nonaginta nouem in deserto*, & abiit, vt eam quæreret, quæ perierat. *Matth.* 18. & *Lucæ* 15. Nam per Pastorem Doctores intelligunt Christum, per oues nonaginta nouem in deserto relictas dicunt significari nouem Angelorum choros in Cœlo relictos, vt humanam naturam, quæ veluti ouis errauerat, sua doctrina & merito quæreret, sanaret & ad cœlestem patriam, vnde diuerterat, suis humeris impositam reportaret. Ita S. Ambros. *in Lucam lib. 7. cap. de oue centesima*, S. Greg. *Hom. 34. in Euang.* Beda *in illud Lucæ* 15. *Quis ex vobis homo, &c.* & Anselm. *in illud Matthæi* 18. *Quid vobis videtur, &c.* & Theophil. *in eorundem locorum expositione.* Si autem Dei filius ad iustificandos etiam Angelos & à peccato præseruandos carnem assumpsisset, vere dici non posset ipsum Angelos in Cœlo reliquisse, vt hominem perditum reuocaret, sed dicendum esset Dei filium ad Angelos etiam iustificandos carnem assumsisse; quia scilicet virtute meriti Saluatoris futuri gratiam in principio suæ creationis acceperunt; tametsi dici non posset Christum ad eos à peccato reuocandos venisse. Cuius argumenti vim aduersus Suarezium optime defendit Vasq. *in allegata disputat. cap.* 2. Præterea probatur conclusio ex illo Apostoli dicto, *ad Heb.* 2. *Qui sanctificat, & qui sanctificatur ex vno omnes*, id est ex vno primo parente, scilicet Adam; & subdit Apostolus. *Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te: & iterum: ego ero fidens in eum: Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus; quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem*; Quæ verba de solis hominibus secundum communem Sanctorum expositionem sunt intelligenda; ac proinde Sanctorum Angelorum gratia non videtur ad Christi sanctificationem pertinere; vt optime probat Asturicensis *loco supra notato*, & post eum Vasquez latius vim explicat huius argumenti, & contra Suar. respōsiones defendit acerrime. Tertio probatur Conclusio authoritatibus SS. Patrū supra notatis, & aliis, quas refert & expendit Vasq. *in allegata disput. 49. cap. 3.* Quarto probatur eadem Conclusio: quia, si opposita sententia vera esset, sequeretur Angelos nō ante Christi mortem gloriam essentialem fuisse consecutos; quod esse falsum docuit Christus *Matth* 18. dicens *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est*; ergo Consequentia probatur: quia non decuit, vt Angeli per Christi merita ad essentialem gloram adducerentur, & prius ipsi, quam Christus beatificarentur, & membrorum gloria prior esset, quam gloria capitis: sicut etiam ob eandem causam patres veteris testamēti gloriam essentialem ante Christum non fuerūt assecuti. His addit Asturicensis duas congruentias; quibus ostenditur veritatem hanc esse probabilem, Vide etiam eas rationes, quibus eandē veritatem probat Medina *super hoc articulo.*

Argumenta, & solutiones.

CONTRA *primam, & secundam* concluſ. sunt argumenta, quæ referunt & soluunt Medina, Astur. Vasq. & Aluar. *locis supra notatis.*

ARTICVLVS V.

Vtrum gratia Christi, secundum quam est caput Ecclesiæ, sit eadem cum gratia habituali eius, secundum quod est quidam homo singularis.

AD quintum sic procedtur. *Videtur, quod non sit eadem gratia, qua Christus est caput Ecclesiæ, cum gratia singulari illius hominis. Dicit enim Apost. Rom. 5. Si vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Sed aliud est peccatum actuale ipsius Adæ, & aliud peccatum originale, quod traduxit in posteros. Ergo alia est gratia personalis, qua est propria ipsius Christi, & alia est gratia eius, inquantum est caput Ecclesiæ, quæ ab ipso ad alios deriuatur.* 3. d. 13. q. 3. art. 2. q. 1. & 2. Et 4. dist. 5. q. 1. a. 3. q. 2. ad 3. Et ver. q. 29. a. 2. c. fi. & sextum: Et opusc. 3. c. 222. & 223.

Præterea, habitus distinguuntur secundum actus. Sed ad alium actum ordinatur in Christo gratia eius personalis, scilicet ad sanctificationem illius animæ: & ad alium actum ordinatur gratia capitis, scilicet ad sanctificandum alios. Ergo alia est gratia personalis ipsius Christi, & alia est gratia eius, inquantum est caput Ecclesiæ. Et 1o. 3 l. 6. co. 2.

Præterea, Sicut supra dictum est, in Christo distinguitur triplex gratia, scilicet gratia vnionis, gratia capitis, & gratia singularis illius hominis: sed gratia singularis Christi est alia à gratia vnionis: ergo etiam est alia à gratia capitis. q. 6. art. 6.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. primo, De plenitudine eius nos omnes accepimus. Secundum hoc autem est caput nostrum, quod ab eo accipimus. Ergo secundum hoc, quod habuit plenitudinem gratiæ, est caput nostrum. Plenitudinem autem gratiæ habuit, secundum quod perfecte fuit in illo gratia personalis, vt supra dictum est. Ergo secundum gratiam personalem est caput nostrum, & ita nō est alia gratia capitis, & alia gratia personalis. q. 7 art. 9.

Respondeo dicendum, quod quia vnumquodque agit, inquantum est ens actu, oportet quod idem sit actus quo aliquid est actu, & quo agit, sicut idem est calor, quo ignis est calidus, & quo calefacit. Non tamen omnis actus, quo aliquid est actu, sufficit ad hoc, quod sit principium agendi in alia: cum enim agens sit præstantius patiente (vt Aug. dicit 12. super Gen. ad litteram, cap. 16 tom. 3. & Philosophus in 3. de anima) oportet, quod agens in alia habeat actum secundum eminentiam quandam. Dictum est autē supra, q̄ in anima Christi recepta est gratia secundū maximam eminentiā: & ideo ex eminentia gratiæ, q̄ accepit, cōpetit sibi, quod gratia illa ad alios deriuetur: q̄ pertinet ad ra- Tex. 19. Art. 1. huius q. & q. 7. art. 9.

ad rationem capitis. Et ideo eadem est secundum essentiam gratia personalis, qua anima Christi est iustificata, & gratia eius, secundum quam est caput Ecclesiæ, iustificans alios: differt tamen secundum rationem.

3006. *Ad primum ergo dicendum, quod peccatum originale in Adam, quod est peccatum naturæ, deriuatum est à peccato actuali ipsius, quod est peccatum personale: quia in eo persona corrupit naturam: qua corruptione mediante, peccatum primi hominis deriuatur ad posteros, secundum quod natura corrupta corrumpit personam. Sed gratia nõ deriuatur à Christo in nos mediante natura humana, sed per solam personalem actionem ipsius Christi. Vnde non oportet in Christo distinguere duplicem gratiam: quarum vna respondeat naturæ, alia personæ, sicut in Adam distinguitur peccatum naturæ, & personæ.*

Ad secundum dicendum, quod diuersi actus, quorum vnus est ratio, & causa alterius, nõ diuersificant habitum: actus autem personalis gratiæ, qui est sanctum facere formaliter habentem, est ratio iustificationis aliorum, quæ pertinent ad gratiam capitis. Et inde est, quod per huiusmodi differentiam non diuersificatur essentia habitus.

Ad tertiam dicendum, quod gratia personalis, & gratia capitis ordinantur ad aliquem actum: gratia autem vnionis non ordinatur ad actum, sed ad esse personale. Et ideo gratia personalis & gratia capitis conueniunt in essentia habitus, non autem gratia vnionis. Quamuis personalis gratia possit quodammodo dici gratia vnionis: prout facit congruitatem quandam ad vnionem. Et secundũ hoc vna per essentiam est gratia vnionis, & gratia capitis, & gratia singularis personæ sed differens sola ratione.

Sensus quæsiti.

EX DICENDIS in expositione textus patebit sensus quæsiti: sermo enim est de gratia, secũdum quam Christus non radicaliter, sed formaliter est caput Ecclesiæ, & de gratia habituali, prout includit totam animę iustitiam tam secundum essentiam animæ, quam secundum potentias supernaturalibus habitibus perfectas.

Forma Textus.

CONCL. *est*: *Eadem est secundum essentiam gratia personalis, qua anima Christi est iustificata, & gratia eius, secundum quam est caput Ecclesiæ iustificans alios: differt tamen secundum rationem.* Probatur prima pars: Quia ex eminentia gratiæ quam Christus accepit, competit illi vt gratia illa ad alios deriuetur; ergo eadem est secundum essentiam, &c. Cõsequentia probatur: quoniam hoc pertinet ad rationem capitis, quod scilicet gratia ex sui eminentia deriuetur ad alios. Antecedens autem probatur: Quia oportet, vt idem sit actus, quo aliquid est actu & quo agit; ita tamen, vt agens in alia habeat actum secundum eminentiam quandam: At in anima Christi est gratia secundum maximam eminentiam: ergo. Minor patet *ex supra dictis art. 1. huius quæst. & art. 7. quæst. præcedentis.* Maior quo ad primam partem probatur, quia vnumquodque agit, inquantum est in actu, & explicatur exemplo caloris in igne: quo ad secundam vero partem probatur: quia agens est præstantius patiente, vt Augustinus dicit 12. *super Gen. ad lit. & Arist. in* 3. *de anima*; ergo oportet, vt agens in alia habeat actum secundum eminentiam quandam. Secunda pars conclusionis relinquitur, vt euidens.

Expositio Textus.

NOTANDVM *est hic primo* dupliciter aliorum gratiam ex Christi gratia posse deriuari: Vno modo per physicum influxum & efficientiam: & de hoc deriuationis modo non agit hic S. Doct. hic enim proprie & per se non pertinet ad gratiã capitis, vt sic. Alio modo per moralem quandam causalitatem; quæ est per modum meriti, & hic proprie & per se pertinet ad gratiam capitis, quatenus talis; & de hoc deriuationis modo loquitur hic S. Thom.

Secundo notandum est S. Thom. hic non ex simplici eminentia gratiæ Christi, sed ex maxima eminentia deducere illam ad alios deriuari; quæ quidem eminentia secundum duo potest attendi: *Alterum* est intentio maxima, & hæc per se sola non sufficit, vt gratiam sic eminenter habens in alios influat causando gratiam in eis per opera cõdigne meritoria; vt patet ex supra dictis. *Alterum* est coniunctio ipsius gratiæ habitualis cum gratia vnionis in eadem anima; quia scilicet est in anima Deo personaliter vnita; ex hac etenim coniunctione gratia Christi habitualis maximam adipiscitur excellentiam; atque adeo vim influendi moraliter in alios omnes, qui per gratiam Filij Dei adoptiui constituuntur.

Tertio notandum est ex S. Thom. *in* 3. *s. dist.* 13. *q.* 3. *art.* 2. *quæst.* 1. & 3. Tres in Christo gratias considerari, scil. gratiam vnionis, gratiam singularis personæ, & gratiam capitis: quæ Christo attribuuntur secundum diuersas considerationes; potest enim considerari secundum se; vel in ordine ad alios: & priori modo adhuc dupliciter potest considerari; primo quatenus Deus; & ita conuenit ei gratia vnionis. Secundo, quatenus homo, & ita conuenit ei gratia singularis. Si autem in ordine ad alios, sic ei attribuitur gratia capitis, *Et quoniam* (inquit ibi S. D.) *prius consideratur aliquid in se quam in comparatione ad alios, ideo gratia, secundum quam est caput, sequitur ad alias gratias; & quia omnis gratia, & perfectio humanitatis ex hoc sibi debetur, quia Deo vnitus est homo ille in persona, ideo gratia vnionis præcedit secundum ordinem naturæ, & intellectus gratiam singularem; quamuis simul in eodem tempore sint istæ tres gratiæ*, & ibidem quæstiuncula prima sic discurrit: *Si gratia vnionis dicatur gratia habitualis quodammodo disponens ad vnionem sic eadem est per essentiam gratia vnionis, capitis, & singularis illius hominis, solum ratione differens; quia inquantum perficiebat animam Christi ad actus meritorios, dicitur gratia illius singularis hominis; inquantum vero tanta erat huius gratiæ copia, vt in alios redundare posset, dicitur gratia capitis; inquantum vero gratiam dicebat inesse assumptæ naturæ, potest quodammodo dici gratia vnionis: Si vero gratia dicatur voluntas Dei gratuita, sic iterum constat, quod est vna: Aliis autem modis accipiendo gratiam vnionis constat, quod per essentiam differt, nisi quatenus intelligitur caput, vt Deus.* Differentias inter prædictos gratiarum modos explicat accurate Medina *super hoc art.*

Ex his sequitur pr.mo solam gratiam habitualem proprie & formaliter loquendo esse gratiam capitis; gratiam autem vnionis dici non posse gratiam capitis, nisi radicaliter siue originaliter tantum. Gratia namque capitalis dicitur, quatenus principium est operis supernaturalis, quo Christus cæteris gratiam meruit ex condigno: huius autem operis vt meritorij proximum & formale principium est gratia habitualis prædicto modo sumpta, prout scilicet includit totam animæ iustitiam; radicale vero principium est gratia vnionis, ex qua veluti proprietas gratia habitualis emanat; & quæ perfectam tribuit operi condignitatem & valoris infinitatem; vt patet ex iis, quæ diximus *supra q.* 1. *art.* 2.

Secundo sequitur haud recte distingui posse gratiam in eam, qua caput ipsum constituitur in esse capitis, ita vt hæc sit gratia vnionis, & in eam quæ datur capiti, vt eliciat actiones capitis, per quas influat in alios; ita vt hæc sit gratia habitualis; qua

Suarez ii distinctio reiicitur.

distinctione vtitur Suarez. *disp 23. sect. 2.* Huius enim distinctionis falsitas patet ex dictis. Cum enim gratia capitis vt sic, ordinetur ad alios quibus gratia cõicatur, eandem omnino gratiam esse necesse est, qua caput in esse capitis constituitur, & qua elicit actiones gratiæ communicatiuas.

Tertio sequitur Vasq. *disp. 49. cap 3* absque sufficienti ratione mirari, quod Theologi gratiæ vnionis omnino attribuerint nomen gratiæ capitalis. Quamuis enim tota virtus, efficacitas & dignitas meritorum Christi, ratione cuius influxum gratiæ deriuat in membra, sit ex gratia vnionis, à qua etiam oritur ipsa gratia habitualis, opus tamen vt meritorium formaliter & essentialiter ex habituali gratia prædicto modo sumpta, tanquã ex proximo & formali principio deriuatur. cum itaque dignitas & efficacitas illa moralis sit modus quidam operis meritorij in ipsum ex vnionis gratia media habituali gratia deriuatus, consequens est vt nomen & ratio gratiæ capitalis proprie & formaliter conueniat gratiæ habituali, ex qua proxime meritorium opus elicitur cum prædicto modo, videlicet infinita dignitate, quæ ex vnione in gratiã habitualem & ex gratia habituali in opus eius meritorium deriuatur. His adde gratiam capitis eiusdem esse rationis cum gratia membrorum; sicut in naturalibus vita capitis eiusdem est rationis cum vita membrorum; vt patet ex præcedentium articulorum doctrina.

Videnda sunt, quæ scribit Caietanus circa responsiones ad primum & secundum argumen. & post eum Suarez *in com. circa respons. ad 1.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum esse caput Ecclesiæ sit proprium Christo.

Inf. q. 7. ca. & veri. q. 29 art. 4. c. & 1. Cor. 11 co. 3

Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod esse caput Ecclesiæ non sit proprium Christo. Dicitur enim 1. Reg. 15. Cum esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es. Sed vna est Ecclesia in nouo, & veteri Testamento. Ergo videtur, quod eadem ratione aliquis alius homo præter Christum poterit esse caput Ecclesiæ.

Præterea: Ex hoc Christus dicitur esse caput Ecclesiæ, quod gratiam influit Ecclesiæ membris. Sed etiam ad alios pertinet gratiam aliis præbere: secundum illud Ephes. 4. Omnis sermo malus ab ore vestro non procedat: sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Ergo videtur, quod etiam alij quam Christo competat esse Ecclesiæ caput.

Præterea: Christus ex eo, quod præest Ecclesiæ, non solum dicitur caput, sed etiam Pastor, & fundamentum Ecclesiæ. Sed non sibi solum Christus retinuit nomen Pastoris secundum illud 1. Pet. 5. Cum apparuerit princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. Nec etiam nomen fundamenti: secundum illud Apoc. 21. Muris ciuitatis habens fundamenta duodecim; ergo videtur, quod nec etiam nomen Capitis sibi soli retinuit.

Sed contra est, quod dicitur Col. 2. Caput Ecclesiæ est, ex quo corpus per nexus, & cõiunctiones subministratum, & constructum, crescit in augmentum Dei. Sed hoc soli Christo conuenit. Ergo solus Christus est caput Ecclesiæ.

Respondeo dicendum, quod caput in alia membra influit dupliciter. Vno modo quodã intrinseco influxu: prout scilicet, virtus motiua, & sensitiua, à capite deriuatur ad cætera membra. Alio modo secundum quandam exteriorẽ gubernationem: prout scilicet secundum visum, & alios sensus, qui in capite radiũatur, dirigitur homo in exterioribus actibus. Interior aũt influxu gratiæ, non est ab aliquo nisi à solo Christo; cuius humanitas ex hoc, quod est diuinitati coniuncta, habet virtutem iustificandi. Sed influxus in mẽbra Ecclesiæ quantũ ad exteriorẽ gubernationem, potest aliis conuenire, & secundum hoc aliqui alij possunt dici capita Ecclesiæ: secundum illud Amos 6. Optimates capita populorum. Differenter tamen a Christo: primo quidem quantum ad hoc, quod Christus est caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, secundum omnem locum, & tempus, & statum: alij autem homines dicuntur capita, secundum quædam specialia loca, sicut Episcopi suarum Ecclesiarum: vel etiam secundum determinatum tempus, sicut Papa est caput totius Ecclesiæ, scilicet tempore sui pontificatus: & secundum determinatum statum, prout scilicet sunt in statu viatoris. Alio modo, quia Christus est caput Ecclesiæ propria virtute, & authoritate. Alij vero dicuntur capita, inquantum vicem gerũt Christi: secundum illud 2. ad Corinth. 2. Nam, & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi, & secundum illud secundæ ad Cor. 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud intelligitur, secundum quod ratio capitis consideratur ex exteriori gubernatione: prout dicitur Rex caput regni sui.

Ad secundum dicendum, quod homo non dat gratiam interius influendo, sed exterius persuadendo ad ea, quæ sunt gratiæ.

Ad tertium dicendum, quod sicut Aug. dicit super Ioa. Tract. 46. to 9. Si præpositi Ecclesiæ pastores sunt, quomodo vnus pastor est, nisi quia sunt illi omnes vnius membra pastoris? Et similiter alij possunt dici fundamenta, & capita, inquantum sunt vnius capitis, & fundamenti membra. Et tamen, sicut Tract. 47. to 9. Augustinus ibidem dicit pastorem esse dedit membris suis: ostium vero nemo nostrum se dicit: hoc sibi ipse proprium tenuit. Et ideo, quia in ostio importatur principalis authoritas, inquantum ostium est, per quod omnes ingrediuntur in domum: & ipse solus Christus est, per quem accessum habemus in gratiam istam, in qua stamus: Per alia vero nomina prædicta potest impartari authoritas, non solum principalis, sed etiam secundaria.

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat optime Caietanus.

Forma Textus.

PRÆMISSA vna distinctione respondetur quæsito duabus conclusionibus.

Distinctio est: Caput in alia membra influit dupliciter: Vno modo, quodam intrinseco influxu, prout scilicet virtus motiua & sensitiua à capite deriuatur ad cætera membra: Alio modo secundum quandam exteriorem gubernationem, prout scilicet secundum visum & alios sensus, qui in capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus.

PRIMA CONCL. quæ implicite tantum habetur in textu, est: *Esse caput Ecclesiæ secundum interiorem influxum est proprium Christo.* Probatur: quia interior influxus gratiæ non est ab aliquo sed solum à Christo; ergo. Antecedens probatur: quia humanitas Christi ex hoc, quod est diuinitati coniuncta, habet virtutem iustificandi: ergo.

SECVNDA CONCL. *Esse caput Ecclesiæ secundum exteriorem gubernationem est commune Christo, & aliis, differenter tamen.* Prima pars huius conclusionis probatur ex diuina scriptura *Amos 6* dicente: *Optimates capita populorum.* Secunda pars probatur afferendo duplicem differentiam: Quarum vna est secũdum extensionem, vel restrictionem quo ad tempus aut locum aut statum. Nam Christus est caput omnium eorum, qui ad Ecclesiam pertinent secundum omnem locũ & tempus & statum, scilicet viæ & termini. Alij autem homines dicuntur capita secundum quædam specialia loca, sicut Episcopi suarum Ecclesiarum, vel etiã secundum determinatũ tempus &c. prout in textu. Altera differentia est secundũ virtute & authoritatem propriam aut vicariam. Nam Christus est caput

caput Ecclesiæ propria virtute & authoritate; alij A vero dicuntur capita, inquantũ vices gerunt Christi, quod probatur authoritate *Apost.* 2. *Cor.* 2. & 5. vt patet in textu.

Expositio Textus.

MOVET Medina duas dubitationes, alteram circa primam, & alteram circa secundam conclusionem D. Tho. quibus optime satisfacit. Vide etiam, quæ breuiter circa easdem dubitationes scribunt Val. & Suar. *super hoc art.* & ante eos Ioannes de Turrecremata, *lib. 1. de Ecclesia, cap.* 52. vbi notat nomen *capitis* dupliciter dici, scilicet communiter & proprie: & priori quidem modo dupliciter (inquit) sumitur: Vno modo prout dicit solam excellentiam perfectionis: & hoc modo B omne, quod est nobilissimum & perfectissimum in quacunque natura dicitur caput: sicut Leo in animalibus: Alio modo prout solam dicit rationem principii, & hoc modo omne principiũ viæ dicitur caput viæ, & fons dicitur caput fluminis: & eadem ratione tota Trinitas dicitur caput Christi, quatenus homo est: quoniam ex ea veluti ex primo ac plenissimo fonte deriuatur omnia dona in humanitatem Christi, & ideo *prima Cor.* 11. dicitur *Caput Christi Deus*: & hoc eodem modo dicitur Deus & tota Trinitas caput Ecclesię: quoniam ab ipsa in Ecclesiam spiritualis omnis influentia deriuatur. Secundo dicitur (vt ait idem author) caput proprie, prout scilicet cum ratione principii dicit vniformitatem naturæ cum eo, cuius est caput: & hoc modo (inquit) soli Christo conuenit esse caput Ecclesiæ: Quod verum est, non tãtum quatenus dictio *solus* excludit patrem & Spiritum sanctum, quibus hoc modo non cõpetit hoc nomen capitis: sed etiam quatenus eadem dictione *solus* excluduntur cæteri homines: nullus enim hominum est primum principium eorum donorum spiritualiũ quæ cæteris hominibus communicantur: nec vllus est hominum, qui moralem scil. per merita condigui, aut physicam in alios habeat influentiam, nisi ad modum instrumenti separati. Vide etiam eundem authorem *in secundo libro eiusdem summ.*, c. 20. vbi ex multis Sanctorum dictis probat Petrum recte caput Ecclesiæ nuncupari. D

CIRCA respons. ad 3. vide ea quæ scribit idem author *in eodem lib. 2. cap.* 17. 18 & 19. vbi probat & aduersus hæreticos defendit Petrũ recte dici fundamentum Ecclesiæ: quod de omnibus etiam Apostolis diuina scriptura testatur dicens *Apoc.* 21. *Et murus Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina Apostolorum, & agni* Singulari tamen quodam modo Petro inter Apostolos cõuenit nomen fundamenti, de quo Turrecremata *in allegatis tribus capitibus* satis copiose disserit. Agit hic Aluarez de merito Christi à *disp.* 42. *v/g. ad* 50. *inclusiue*: sed harum disputationum propria sedes est *infra q.* 19. *a.* 3 & 4.

E

ARTICVLVS VII.

Vtrum Diabolus sit caput omnium malorum.

infra a. 8. c. AD *septimum sic proceditur. Videtur, quod Diabolus non sit caput malorum. Ad rationem enim capitis pertinet, quod influat sensum, & motum in membra: vt dicit quædam glo. super illud ad Ephes.* 1. *Ipsum dedit caput, &c. Sed Diabolus non habet virtutem influendi malitiam peccati: quod ex voluntate peccantis procedit. Ergo Diabolus non potest dici caput malorum.*

Præterea: Per quodlibet peccatum fit homo malus. Sed non omnia peccata sunt à diabolo. Quod quidem manifestum est de peccatis dæmonum, qui non ex persuasione alterius peccauerunt. Similiter etiam nec omne peccatum hominis ex diabolo procedit: dicitur enim in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus. Non omnes cogitationes nostræ malæ, ca. 82. to. 3. semper diaboli instinctu excitantur: sed aliquoties ex motu arbitrij nostri emergunt: ergo diabolus non est caput omnium malorum. ope. Auguſt.

Præterea: Vnum caput vni corpori præficitur. Sed tota multitudo malorum non videtur habere aliquid, in quo vniantur: quia malum malo contingit esse cõtrarium: contingit etiam ex diuersis defectibus, vt Dionys. dicit 4. *cap. de Diuin. nomin. Non ergo diabolus potest dici caput omnium malorum.*

Sed contra est, quod super illud Iob. 18. *Memoria illius Greg. lib. 14. Moral. c. 11.* pereat de terra: *dicit gloss. De vnoquoque iniquo dicitur, vt ad caput, ideſt diabolum reuertatur.*

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, ca- Art. prec. put non solum interius influit membris, sed etiam exterius gubernat, eorum actus dirigendo ad aliquem finem. Sic ergo potest dici aliquis caput alicuius multitudinis, vel secundum vtrunque, scilicet secundum interiorem influxum, & exteriorem gubernationem: & sic est Christus caput Ec- Art. prec. clesiæ, vt dictum est. Vel secundum exteriorem gubernationem: & sic quilibet princeps, vel prælatus est caput multitudinis sibi subiectæ. Et per hunc modum dicitur diabolus caput omnium malorum: nam, vt dicitur Iob. 41. *ipse est Rex super vniuersos filios superbiæ. Pertinet autem ad gubernatorem, vt eos quos gubernat, ad suum finem adducat: finis autem diaboli est auersio rationalis creaturæ à C Deo: vnde, & à principio hominem ab obedientia diuini præcepti remouere tentauit. Ipsa autem auersio à Deo, habet rationem finis, inquantum appetitur sub specie libertatis secundum illud Hierem.* 2. *A seculo confregisti iugũ, rupisti vincula, & dixisti, non seruiam. Inquantum igitur ad hunc finem aliqui adducuntur peccando, sub diaboli regimine, & gubernatione cadunt: & ex hoc dicitur eorum caput.*

Ad primum ergo dicendum, quod licet diabolus interius non influat rationali menti: tamen suggerendo inducit ad malum.

Ad secundum dicendum, quod gubernator non semper suggerit singulis, vt suæ voluntati obediant, sed proponit omnibus signum suæ voluntatis: ad cuius sequelam aliqui excitantur interius, alij propria sponte. Sicut patet in duce exercitus, cuius vexillum sequuntur milites etiam nullo persuadente. Sic igitur primum peccatum diaboli (quia ab initio peccat, vt dicitur 1. *Ioan.* 3.) *propositum est omnibus ad sequendum: quod quidam imitantur per suggestionem ipsius, quidam propria sponte absque vlla suggestione. Et secundum hoc omnium malorum caput est diabolus, inquantum ipsum imitantur: secundum illud Sap.* 2. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.*

Ad tertium dicendum, quod omnia peccata conueniunt in auersione à Deo, licet ab inuicem differant, secundum conuersionem ad diuersa commutabilia bona.

Sensus quæsiti.

DIABOLI nomine intelligitur princeps dæmoniorum: vt ex dicendis patebit.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quæsito vnica conclusione.

Distinctio est: Aliquis potest dici caput alicuius multitudinis dupliciter: Vno modo secundum interiorem & exteriorem gubernationem simul: Alio modo secundum solam exteriorẽ gubernationẽ. Probatur primo hęc distinctio: Quia caput non solum interius influit membris, sed etiam exterius gubernat eorum actus dirigendo ad aliquẽ finẽ. Deinde declaratur exemplo Christi: qui primo modo est caput Ecclesiæ, & exẽplo cuiuslibet

principis vel prælati, qui secundo modo est caput multitudinis sibi subiectæ. A

CONCL. *est*: *Diabolus est caput omnium malorum secundo modo, videlicet secundum exteriorem gubernationem*: Probatur primo authoritate scripturæ *Iob.* 41. dicentis: Ipse est rex super omnes filios superbiæ: secũdo ratione: Quia ad gubernatorem pertinet, vt eos quos gubernat, ad suum finem adducat: Sed Diabolus omnes malos ad suum finem adducit: ergo. Maior patet ex dictis. Minor vero probatur: quia finis Diaboli est auersio rationalis creaturæ à Deo: ad quem finem adducuntur homines peccando: ergo: Diabolus omnes malos ad suum finem adducit: Consequentia relinquitur, vt nota: Anteced. vero quo ad primam partem probatur: quia Diabolus à principio hominem ab obedietia diuini præcepti remouere tentauit: secundo declaratur explicando modum, quo auersio à Deo habeat rationem finis: habet enim (inquit S. D.) rationem finis, in quantum appetitur sub specie libertatis: quod probatur ex illo *Hierem.* 2. *à sæculo confregisti iugum, rupisti vincula, & dixisti, non seruiam.* Secunda vero pars antecedentis non eget probatione. B

Expositio Textus.

CAIET. *in sequenti artic.* docet nomen Diaboli hic non sumi pro vno aliquo Diabolo solo, sed pro toto ordine Diabolico, vel certe pro Lucifero, vt continet totum ordinem Diabolicum: ita vt sensus sit: Diabolus, hoc est Lucifer cum C suis, vel ordo Diabolicus est caput omnium malorum hominum: & huic sensui attestantur (inquit) tentationes hominum, quæ non ab aliquo vno Diabolo fiunt: Sed alii expositores affirmant hic nomine Diaboli intelligi principem Dæmoniorum: ita Med. Valentia & Suar. *super hoc art.* Ratio, quam affert Med. est: quia S. D. in probatione conclusionis affert dictum illud *Iob.* 41. *Ipse est rex super omnes filios superbiæ*, vbi illud pronomen *ipse* principem dæmoniorum designat. Addit Suarez rationem: quia Lucifer omnes superat malitia, & omnes aliquo modo ad peccandum induxit, vel per se vel per alios: vt patet *ex* 1. *p. q.* 63. *a.* 8. *& quæst.* 109. *&* 114. *&* 1. 2. *q.* 10. *&* 80 & confirmatur primo: quia Lucifer dicitur princeps huius mundi D *Ioannis* 12. *&* 14. *Nunc princeps huius mundi ejicietur foras*: Secundo, quia videtur hic sensus satis aperte colligi *ex resp. ad* 2. Probari potest etiam hæc sententia ex conditionibus capitis superius explicatis, quæ vni soli supposito absolute, vel in vno tali ordine, siue secundum vnam talem rationem capitis conueniunt: & ideo nec Christus cum ministris dicitur Ecclesiæ caput, nec Deus cum principibus & prælatis dicitur caput hominum aut Ecclesiæ, nec Summus Pontifex cum Episcopis dicitur vnum Ecclesiæ caput, licet quilibet in suo ordine sit & dicatur non improprie caput: ergo neque totus ordo dæmoniorum, neq; Lucifer, vt cõtinens totum ordinem dæmoniorũ, poterit proprie dici caput omnium malorum, licet quilibet E ex principantibus dæmonibus sit caput in ordine suo. Nec obstat, quod non solus Lucifer, sed etiam alij tentant: id enim agunt vt principis sui ministri.

Quærit hic Aluar. *disp.* 41. An per peccatum primi parentis vel aliorum hominũ diabolus acquisierit specialem aliquam potestatem, aut dominium regium super homines, ratione cuius dicatur rex eorum & caput? *Sed quia* locus huius quæstionis proprius, vbi tractatur à D. Tho. & eius expositoribus, est *in q.* 49. *a.* 2. ideo illuc vsque differatur.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Antichristus etiam possit dici caput omnium malorum.

AD octauum sic proceditur. *Videtur, quod Antichristus non sit caput malorum. Vnius enim corporis non sunt diuersa capita. Sed diabolus est caput multitudinis malorum. Non ergo Antichristus est eorum caput.* 1. 2 q. 84. a. 3. & 4. & 3. d. 13. q. 2. a. 1. c. & veri. q. 29. a 4. c. & mal. q 8. a. 1. c. & op. 3. c. 223. & 1. cor. 11.

Præterea: *Antichristus est membrum diaboli. Sed caput distinguitur à membris*: *ergo Antichristus non est caput malorum.*

Præterea: *Caput habet influentiam in membra. Sed Antichristus nullam habet influentiam in malos, qui eum præcesserunt. Ergo Antichristus non est caput malorum.*

Sed contra est, quod Iob. 21. *super illud, Interrogate quemlibet de viatoribus, dicit gloss. Dum de omnium malorum corpore loqueretur, subito ad omnium iniquorum caput Antichristum verba conuertit.* Est Greg. li. 15. Moral. c. 32.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, in capite naturali tria inueniuntur, scilicet ordo, perfectio, & virtus influendi. Quantum igitur ad ordinem temporis, non dicitur Antichristus esse malorum caput, quasi eius peccatum præcesserit, sicut præcessit peccatum diaboli. Similiter etiam non dicitur esse caput malorum propter virtutem influendi: etsi enim aliquos sui temporis ad malum sit conuersurus, exterius inducendo: non tamen illi, qui ante eum fuerunt, ab ipso sunt in malitiam inducti, nec etiam eius malitiam sunt imitati, vnde secundum hoc non possit dici caput omnium malorum, sed aliquorum. Relinquitur ergo, quod dicatur caput omnium malorum propter malitiæ perfectionem. Vnde super illud secundæ ad Thessal. 2. *Ostendens se tanquam sit Deus, dicit glossa, Sicut in Christo omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit, ita in Antichristo omnis malitiæ plenitudo: non quidem ita quod humanitas eius sit assumpta à diabolo in vnitatem personæ, sicut humanitas Christi à filio Dei: sed quia Diabolus suam malitiam eminentius ei influet suggerendo, quam omnibus alijs. Et secundum hoc omnes alij mali, qui præcesserunt, sunt quasi quædam figura Antichristi: secundum illud* 2. *ad Thess.* 2. *Mysterium iam operatur iniquitatis.* Ar. 1. huius q. 8. Glos. ordi.

Ad primum ergo dicendum, quod Diabolus, & Antichristus non sunt duo capita, sed vnum, quia Antichristus dicitur esse caput, inquantum plenissime muentur in eo impressa malitia diaboli. Vnde super illud secundæ ad Thessal. 2. *Ostendens se tanquam sit Deus, dicit gloss. In ipso erit caput omnium malorum, scilicet Diabolus, qui est Rex super omnes filios superbiæ. Non autem dicitur in eo esse per vnionem personalem, nec per intrinsecam inhabitationem (quia sola Trinitas menti illabitur, vt dicitur in lib. de Eccles. dog.) sed per malitiæ effectum.* cap. 85. inter opera Aug. tomo 3.

Ad secundum dicendum, quod sicut caput Christi est Deus, & tamen ipse est caput Ecclesiæ (vt supra dictum est) ita Antichristus est membrum diaboli, & tamen est caput malorum. art. 1. huius quæst.

Ad tertium dicendum, quod Antichristus non dicitur caput omnium malorum propter similitudinem influentiæ, sed propter similitudinem perfectionis. In eo enim diabolus quasi malitiam suam ducet ad caput per modum, quo dicitur aliquis ad caput suum propositum ducere cum illum perfecerit.

Forma Textus.

PRÆMISSIS conditionibus capiti naturali conuenientibus respondetur quæsito triplici conclusione. Conditiones capitis naturalis sunt ordo, perfectio & virtus influendi.

PRIMA CONCL. *est*: *Quantum ad ordinem temporis non dicitur Antichristus esse malorum caput.* Probatur: Quia eius peccatum non præcessit, sicut præcessit peccatum Diaboli.

SECVN-

SECVNDA CONCL. *Antichristus non dicitur esse malorum caput propter virtutem influendi.* Probatur: Quia etsi aliquos sui temporis ad malum sit conuersurus exterius inducendo: non tamen illi, qui ante eum fuerunt, ab ipso sunt in malitiam inducti, nec etiam eius malitiam sunt imitati: ergo secundum hoc non potest dici caput omnium malorum, sed aliquorum. A

TERTIA CONCL. ex prædictis à sufficienti diuisione deducta talis est: *Antichristus dicitur caput omnium malorum propter malitiæ perfectionem.* Probatur authoritate Glossæ dicentis: *Sicut in Christo omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit, ita in Antichristo omnis malitiæ plenitudo:* Quorum verborum sensum explicans S.D. tria dicit. *Primum* est, non ita intelligendam esse similitudinē hanc inter Chri- B stum Dominum & Antichristum, vt huius humanitas à Diabolo sit assumenda in vnitatem personæ, sicut in Christo assumpta fuit eius humanitas à persona Verbi: *Secundum* est in hoc consistere dictam similitudinem: quod Diabolus suam malitiam eminentius influet Antichristo suggerendo, quam omnibus alijs: sicut Christo, quatenus homo, dona spiritualia Deus influit eminentius, quam omnib. alijs. *Tertium* ex hoc deductum est, omnes alios malos, qui præcesserunt, esse quasi quādam figuram Antichristi, vt significat Apost. 2. *ad Thessal.* 2. Dicens: *Mysterium iam operatur iniquitatis.*

Expositio Textus.

C

VIDENDA sunt, quæ de Antichristo scribunt Medina *super hoc art.* Bellarm. *lib.* 3. *de Romano Pontifice* Suar. *infra Disp.* 54. Valentia *circa finem suorum Com. ad hanc* 3. *partem* vbi agit de signis & rebus antecedentibus cōmunem resurrectionem, & extremum iudicium, Maluenda *in suo opere de Antichristo*, & alii recentiores.

Vide præter ea: quæ circa responsionem ad quæsitum (quam in tres distinximus conclusiones) notat Caiet.

Controuersia Vnica.

An Antichristus possit etiam dici caput Dæmonum?

D

Proposita duplici opinione, altera Cai. negantis, & altera Suarezij affirmantis, defenditur sententia Cai.

PROPONIT hic sibi dubitationem Cai. An Antichristus dicatur caput omnium malorum, tam Dæmonum, quam hominum, an hominum tantum, & respondet Antichristum non esse Dæmonum caput, sed malorum hominum tantum.

At Suarez *in suo Com. ad hunc art.* existimat esse probabile tertiam conclusionem S.D. intelligendam esse de omnibus malis, etiam comprehendendo Dæmones præter Luciferum, cui opinioni videtur fauere Val. in modo loquendi dicens Antichristum dici caput omnium malorum saltem hominum: qua loquēdi forma significat dici posse probabiliter Antichristum esse etiam Dæmonum caput.

Reijcitur opinio Suarezij.

E

Sed mihi nec vera nec probabilis videtur hæc opinio: vt optime probat Caiet. hoc argumento: Antichristus nec ordine, nec virtute, nec perfectione excedit Dæmones in malitia: ergo nō Dæmonum sed malorum tantum hominū est caput: Antec. probatur: Quoniam Antichristus futurus est purus viator: ergo nō est habiturus ita malam voluntatem sicut habent Dæmones: qui in quolibet opere suo sunt mali: adeo vt etiam naturalibus actibus malas apponant circumstantias: Antichristum autem nihil prohibet operaturum esse aliquid de genere suo bonum, sine mala circunstantia: puta quia honorabit parentes & huiusmodi. Vnde (inquit) Angelum habebit custodem, cuius suasione quandoque ab aliquo malo desistet: *Sed rationem* hanc reprehendit Suarez: Quia, si ratio hæc (inquit) aliquid valet, etiam probat neq; omnes malos homines posse in hoc titulo intelligi: quia etiam damnati homines habent voluntates obstinatas sicut Dæmones: igitur inefficax est ratio Caietani. Nam licet probet ratione status excedi in malitia statum cuiuslibet viatoris à statu damnatorum, tamen in intensione vel multitudine malitiæ superare interdū potest viator damnatum. Sed efficacem esse rationem Caiet. tribus præmissis ostendo. *Primum* est quemlibet Angelum secundum genus, & speciē suam esse nobilioris naturæ, quam quilibet homo. *Secundum* est, Angelos præuaricatores tota vi & intensione suæ voluntatis propriam excellentiam, seu beatitudinem inordinate appetisse, vt communiter videntur affirmare Sancti Doctoris interpretes *in prima parte, qu.* 63. *Tertium* est, homines qui nūc sunt damnati, in duplici statu posse considerari: primus est viæ, secundus est termini: Et in statu quidem viæ certum est Antichristū fuisse eorum caput, vt probatur in textu: status vero termini damnatorum hominum dupliciter potest considerari: Vno modo secundum se: & sub hac ratione seu consideratione præcise damnatis hominibus repugnat, vt Antichristus sit eorum caput. Nam æque probat argumentum Caietani damnatos homines, sicut & Dæmones non esse membra Antichristi; quia scilicet longe perfectiorem habent malitiam. Sicut enim charitas & cæteræ virtutes supernaturales maiorem, simpliciter loquendo, habent in beatis perfectionem, quam in viatorib. iuxta illud *Matth.* 11. Qui autem minor est in Regno Cœlorum, maior est illo. (Vnde S. Thom. *in* 2. 2. *qu.* 24. *art.* 7. *ad* 3. ait charitatem viæ nunquam posse adæquare charitatem patriæ: quia non est eiusdem rationis quantitas in vtraque) ita malitia damnatorum omniū maior est, quam malitia viatorum, nec illa per hanc poterit vnquam adæquari: quia non est eiusdem rationis quantitas in vtraque. Alio modo considerari potest status damnatorum in ordine ad statum viæ præcedentem, & ad operationes, & malitiam eiusdem status: & hoc modo certum est homines in inferno damnatos sub Antichristo capite, velut eius membra contineri: quia eadem habent demerita, & eadem est in eis malitia secundum substātiam, per quam Antichristi membra facti sunt. Et licet malitia damnatorū sit maioris consummationis & perfectionis, atq; adeo quantitatem habeat alterius rationis à quantitate malitiæ Antichristi viatoris: secundum quam rationem vt sic præcise consideratam non habent homines damnati, vt sint membra Antichristi viatoris: simpliciter tamen asserendum est Antichristum esse caput eorum ob dictam causam: Et per hæc soluitur argumentum Suar. Et quamuis admitteremus malitiam alicuius viatoris esse posse maiorem intensiue & extēsiue, quam sit cuiuslibet hominis damnati malitia, ac proinde posse viatorē hominem esse caput omnium hominum damnatorum, nunquam tamen (vt arbitror) fieri potest, vt hominis viatoris malitia sit intēsior malitia Dæmonum: qui cum sint nobilissimæ naturæ, tota etiam vi suę voluntatis inordinatæ feruntur in volita.

Suarezij obiectio.

Confutatio

Vide etiam ea, quæ scribit Cai. circa responsiones ad primum & secundum argumentum.

QVÆ-

QVÆSTIO NONA.

De scientia Christi in communi in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de scientia Christi. Circa quam duo consideranda sunt. Primo, quam scientiam Christus habuerit: secundo, de vnaquaque scientiarum ipsius.

Circa primum quæruntur quatuor.

Primo, vtrum Christus habuerit aliquam scientiam præter diuinam.

Secundo, vtrum habuerit scientiam, quam habent Beati, vel comprehensores.

Tertio, vtrum habuerit scientiam inditam, vel infusam.

Quarto, vtrum habuerit aliquã scientiam acquisitam.

Dubitatio de ordine huius quæstionis.

Rationes dubitandi. DVBITARI non immerito potest; *an hic sit proprius huius quæstionis locus*? Videtur enim eius locus esse *in 7. q.* immediate post quæsitum de gratia Christi habituali: cum tamen ibi S. D. agat de virtutibus.

RATIONES vero dubitandi sunt: *Prima*: quia sicut intellectus prior est voluntate, & cognitio prior est volitione, ita scientia intellectiua est virtutibus prior quæ sunt in voluntate: igitur etiam quæstio de scientia Christi præmitti debuit quæstioni seu articulis de virtutibus. *Secunda ratio* est: quia scientia Christi videtur enumeranda inter gratias gratis datas: vt patet ex D. Tho. 1.2. *q.* 111. *a.* 4. *&* 2.2. *q.* 171. *in introductione*, igitur de Christi scientia agendum erat in quæst. 7. vbi agit de gratiis gratis datis Christo, vt homini conuenientibus.

Resolutio. Tribus modis satisfit propositæ difficultati. PRO *solutione sciendum est primo* in Christo Domino virtutes & scientiam duplicem scilicet beatam & infusam veluti passiones seu proprietates, ex eius plenissima gratia quodam ordine deriuari, & prius quidem scientiam, deinde virtutes ad appetitum pertinentes. Siquidem notitiam præsupponunt in intellectu, quæ sine scientia nequit esse perfecta: igitur ex Christi gratia primo scientia, deinde virtutes emanant.

Secundo considerandum est tam scientias, quam virtutes dici coassumptas: quia scilicet personæ Verbi media humanitate illi suppositaliter vnita fuere coniunctæ. Nec vt assumptæ aut coassumptæ dicantur, exigitur vt præextiterint assumptioni humanitatis: sed vt in signo rationis ante propriam assumptionem intelligatur existere eo modo, quo supra diximus humanitatis existentiam præintelligi eius assumptioni.

Tertio obseruandum est ordinem doctrinæ inter consequentia gratiam Christi attendendum esse penes maiorem proximitatem siue similitudinem aut conuenientiam, tam cum gratia habituali, quam cum gratia vnionis: Maiorem autem cum his habent conuenientiam virtutes, quam scientiæ. Primo, quia virtutes bonum simpliciter efficiunt habentem, sicut & gratia: scientiæ vero bonum tantum constituunt secundum quid. Secundo quia virtutes simul cum gratia habituali magis proprie rationem habent dispositionis respectu gratiæ vnionis, (eo modo, quo respectu eius potest esse dispositio) quam scientiæ: gratia enim vnionis summa sanctificatio est: igitur eius dispositio debuit esse quædam sanctificatio, quæ non per scientias sed per gratiam habitualem & virtutes formaliter & proxime fit: igitur de gratia & virtutibus primo, deinde de scientia Christi fuit agendum.

Potest etiam alio modo solui proposita difficultas dicendo secũdum ordinem doctrinæ prius de rei alicuius natura tractandum esse, quam de passionibus seu proprietatibus illius: de quib. etiam prius in cõmuni, deinde quo ad singulas species, (si particulares habeant difficultates) agendum est. Prius itaque de gratia Christi habituali, deinde de virtutibus ex ea profluentibus agere debuit S. D. & de his prius in communi, & deinceps in particulari. Virtutes autem ex Christi gratia dimanantes quædam sunt intellectuales, quædam morales, & quædam Theologicæ: recto itaque ordine primo disseruit S. D. de gratia habituali in quæst. 7. & 8. Secundo de virtutibus ex ea fluentibus in communi, & de aliis annexis scilicet donis, & gratiis gratis datis in dicta quæst. 7. Vltimo de virtutibus intellectualibus agit in particulari, idest de scientiis in hac & tribus sequentibus quæstionibus, eo quod speciales habeãt difficultates.

Obiectio. *Sed dices* in quæst. 7. quæsitum fuisse de fide, & spe, ac proinde prius etiam in specie de virtutibus Theologalibus, quam de scientia tractatum fuisse. *Solutio.* *Sed huic obiectioni* facile satisfit dicendo D. Th. de his duabus virtutibus egisse, vt eas excideret ab ea generali conclusione, quam in secundo articulo constituerat, & eas in Christo non esse declararet.

Tertio dici potest virtutes ad appetitum pertinẽtes esse quasi perfectionem quandam, & complementum gratiæ iustificantis: per actus enim virtutum fit homo iustus in actu secundo, & per eosdem actus augetur iustitia, sicut augetur & gratia, iuxta illud *Apoc. 22. Qui iustus est, iustificetur adhuc*: Vnde S. D. *in tit. quæst. 7.* sub nomine gratiæ Christi, prout est quidam singularis homo, comprehendit simul gratiam habitualem & virtutes, vt manifeste patet ex introductione dictæ quæstionis, & gratiæ diuisione cum subdiuisionibus ibi positis.

Ad rationes dubitandi. ET ex his satisfieri facile potest duabus rationibus dubitandi: Nam iuxta primam viam *ad primam* negatur consequentia: quia ordo doctrinæ inter virtutes & scientiam non attenditur secundum ordinem generationis, sed secundum ordinem maioris aut minoris conuenientiæ cum gratia vnionis & habituali. *Ad secundam* dico scientiam beatam sub gratia gratis data non contineri: vt patet ex ratione gratiæ gratis datæ, quam assignat S. D. locis supra notatis: scientia autem indita non nisi secundum quid, idest in ordine ad aliquos actus ad gratiam pertinet gratis datam, quatenus scilicet ad aliorum salutem ordinabatur. Quo ad partem vero seu rationem speculatiuam vt sic, nihil habet affine cum gratia gratis data proprie dicta: secundum priorem igitur eius rationem, quæ non habet peculiarem difficultatem, de Christi gratia tractauit sub communi nomine gratiæ gratis datæ in quæstione septima.

Iuxta secundam autem & tertiam viam, satis patet ex dictis vtriusque rationis solutio.

Ratio ordinis Articulorum.

ORDO vero articulorum huius quæstionis hic est: Quærit primo, scilicet in communi, An Christus scientiam aliquam habuerit præter diuinam: deinde tribus aliis articulis de singulis quærit scientiarum generibus Christo secundum humanitatem conuenientibus, & primo quidem de scientia Beatorum siue comprehensorum: quia hæc proximior & similior est diuinæ scientiæ, quæ Christo conuenit, vt Deus: secundo de scientia indita

dita vel infusa: quæ scientiæ Christi beatæ, ac proinde etiam diuinæ similior est: quam scientia acquisita vel experimentalis: de qua postremo tractat articulo: sic enim à facilioribus, ad ea, quæ nobis difficiliora sunt, ordinate procedit: facilius est enim capere, quomodo ex scientia Christi diuina deriuetur in eius animam illi personaliter vnitam scientia beata, quam quomodo causentur in ea aliæ duæ inferioris ordinis cognitiones: inter quas ea, quę nobilior est, scilicet infusa, probabilius Christo tribuitur, quam acquisita: vt patet ex singulorum articulorum argumentis, doctrina & responsionibus.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus habuerit aliquam scientiam præter diuinam.

3. dist. 14. a. 1. q. 1. Et Ver. q. 20. a. 2. & opus. 3. c. 225.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerit aliqua scientia præter diuinam. Ad hoc enim necessaria est scientia, vt per eam aliqua cognoscantur. Sed Christus per scientiam diuinam cognoscebat omnia. Superfluum igitur fuisset, quod in eo esset alia scientia.

Præterea, Lux minor per maiorem offuscatur. Sed omnis scientia creata comparatur ad scientiam Dei increatam, sicut lux minor ad maiorem. Ergo in Christo non refulsit alia scientia, quam diuina.

q. 1. art. 1

Præterea, Vnio humanæ naturæ ad diuinam, facta est in persona, vt ex supradictis patet. Ponitur autem in Christo secundum quosdam quædam scientia vnionis: per quam scilicet Christus ea, quæ ad mysterium Incarnationis pertinent, plenius scivit, quam aliquis alius. Cum ergo vnio personalis contineat duas naturas, videtur quod in Christo non sint duæ scientiæ, sed vna scientia pertinens ad vtranque naturam.

Sed contra est, quod Ambrosius dicit in lib. de Incar. cap. 7. tom. 2. Deus in carne perfectionem naturæ assumpsit humanæ, suscepit sensum hominis, non sensum carnis insitum. Sed ad sensum hominis pertinet scientia creata. Ergo in Christo fuit scientia creata.

quæst. 5.

Respondeo dicendum, quod sicut ex supradictis patet, filius Dei humanam naturam integram assumpsit, id est, non solum corpus, sed etiam animam: non solum sensitiuam, sed etiam rationalem. Et ideo oportuit, quod haberet scientiam creatam propter tria. Primo quidem propter animæ perfectionem: Anima enim secundum se considerata est in potentia ad intelligibilia cognoscenda: est enim sicut tabula, in qua nihil est scriptum, & tamen possibile est in ea scribi per intellectum possibilem, in quo est omnia fieri, Tex. 18. *vt dicitur in tertio de Anima. Quod autem est in potentia, est imperfectum, nisi reducatur ad actum. Non autem fuit conueniens, quod filius Dei humanam naturam imperfectam assumeret, sed perfectam, vtpote qua mediante, totum humanum genus ad perfectum erat reducendum. Et ideo oportuit, quod anima Christi esset perfecta per aliquam scientiam, qua esset propria perfectio eius. Et ideo oportuit in Christo esse aliquam scientiam præter scientiam diuinam: alioquin anima Christi esset imperfectior animabus aliorum hominum. Secundo, quia cum quælibet res sit propter suam operationem, vt dicitur in secundo* Tex. 17. *de Cæl. frustra haberet Christus animam intellectiuam, si non intelligeret secundum illam: quod pertinet ad scientiam creatam. Tertio, quia aliqua scientia creata pertinet ad animæ humanæ naturam, scilicet illa, per quam naturaliter cognoscimus prima principia: scientiam enim hic large accipimus pro qualibet cognitione intellectus humani.* q. 3. & 6. *Nihil autem naturalium Christo defuit: quia totam humanam naturam suscepit, vt supra dictum est. Et ideo in sexta Synodo damnata est positio negantium in Christo esse duas scientias, vel duas sapientias.*

Ad primum ergo dicendum, quod Christus cognouit omnia per scientiam diuinam operatione increata, quæ est ipsa Dei essentia: Dei enim intelligere est sua substantia, Tex. 38. *vt probat Philosophus 12. Metaphys. Vnde hic actus non potuit esse animæ humanæ Christi cum sit alterius naturæ. Si igitur non fuisset in anima Christi aliqua alia scientia præter diuinam, nihil cognouisset: & ita fuisset frustra assumpta, cum omnis res sit propter suam operationem.*

Ad secundum dicendum, quod si duo lumina accipiantur eiusdem ordinis, minus offuscatur per maius, sicut lumen Solis offuscat lumen candelæ, quorum vtrumque accipitur in ordine illuminantis. Si vero accipiantur duo lumina, ita quod maius sit in ordine illuminantis, & minus in ordine illuminati, minus lumen non offuscatur per maius, sed magis augetur: sicut lumen aeris per lumen Solis. Et hoc modo lumen scientiæ non offuscatur, sed clarescit in anima Christi per lumen scientiæ diuinæ, quæ est lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, Ioan. 1. *vt dicitur Ioan. 1.*

Ad tertium dicendum, quod ex parte vnitorum ponitur scientia in Christo, & quantum ad naturam diuinam, & quantum ad humanam: ita quod propter vnionem, secundum quam est eadem hypostasis Dei, & hominis id quod est Dei, attribuitur homini: & id quod est hominis, attribuitur Deo, q. 3. art. 1. in arg. & resp. *vt supradictum est. Sed ex parte ipsius vnionis non potest poni in Christo aliqua scientia: nam vnio illa est ad esse personale, scientia autem non conuenit personæ, nisi ratione alicuius naturæ.*

Sensus quæsiti.

TITVLVM huius articuli declarat S. D. *in corpore* dicens scientiam hic large sumi pro qualibet cognitione intellectus humani: Sub hac vero comprehenditur tam actus primus, quam actus secundus: quos etiam nomine scientiæ in sua conclusione significat S. Thom. vt clare patebit ex dicendis.

Forma Textus.

CONCL. *est: oportuit, quod anima Christi haberet scientiam creatam.* Probatur: Quia filius Dei humanam naturam integram assumpsit id est nõ solum corpus, sed etiam animam non solum sensitiuam sed etiam rationalem, non imperfectam sed perfectam: ergo oportuit quod anima Christi haberet aliquam scientiam creatam, quæ esset propria perfectio eius. Antecedens quo ad priores omnes partes patet ex supra dictis quæst. 5. quo ad vltimam vero partem probatur: quia totum humanum genus per Christum erat ad perfectum reducendum: ergo non fuit conueniens, quod filius Dei humanã naturam assumeret imperfectam, sed perfectam per aliquam scientiam, quæ esset propria perfectio eius. Consequentia vero probatur. Primo quia anima secundum se considerata est in potẽtia ad intelligibilia cognoscenda: igitur si filius Dei assumpsit animam perfectam debuit anima illa habere aliquam scientiam creatam, quæ esset propria eius perfectio. Probatur assumptum: quia anima secundum se est sicut tabula rasa, in qua nihil est scriptum, & tamen possibile est in ea scribi per intellectũ possibilem, in quo est omnia fieri, vt dicitur *in 3. de anima*: Consequentia vero probatur: Quia quod est in potentia est imperfectum, nisi reducatur ad actum. Secundo probatur principalis consequentia: Quia si Christus non haberet scientiam creatam, secundum quam intelligeret, sequeretur illũ frustra habere animam intellectiuam: cõsequens est absurdum: ergo. Probatur consequentia ex Arist. *in 2. Cœli, tex.* 17. dicente quamlibet rem esse propter suam operationem. Deniq; probatur eadẽ principalis consequentia: Quia aliqua scientia pertinet ad animæ humanæ naturam, scilicet illa, per quã naturaliter cognoscimus prima principia:

cipia: ergo si Christus assumpsit animam rationalem perfectam, oportuit, vt haberet aliquam scientiam creatam, quæ esset propria perfectio eius. Declaratur antecedens dicendo scientiam hic large sumi pro qualibet cognitione intellectus humani. Consequentia vero probatur: quia nihil naturalium Christo defuit: quod probatur: quia totam humanam naturam susceptit, vt dictum est, *quæst. 5. & 6.*

Secundo probatur Conclusio authoritate sextæ Synodi: vbi damnata est positio negantium in Christo esse duas scientias, vel duas sapientias.

Expositio Textus.

CIRCA probationes consequentiæ principalis, obserua primò procedere de scientia quo ad vtrunq; actum scilicet, primum & secundum: de quibus etiam procedit secunda, licet primario concludat de actu secundo: Tertia vero principaliter inferre videtur actum primum, quod est lumen intellectus agentis: hoc enim pertinet ad humanam naturam, vt eius proprietas naturalis. Dicitur hoc lumen scientia non formaliter, sed causaliter: vel quia est id, quod formale est in habitu principiorum, qui est cognitio quædam in actu primo, & principium scientificæ cognitionis. Secundario tamen hæc ratio procedit etiam de actu secundo, vt inferius ostendemus. Sed operæ pretium est dictarum rationum sensum, & vim diligenter explicare.

Igitur ad primæ rationis intelligentiam duo sunt prænotanda. *Primum* est in intellectu nostro tres esse quasi potentiæ rationes & ordines trium respicientes ordinum perfectiones: Prima potentiæ ratio nostro conuenit intellectui secundum propriam & specificam suam differẽtiam, prout scilicet rationalis est: secundum hanc enim habet potentiam naturalem ad species rerum materialium à phantasmatibus virtute intellectus agentis abstractas, vt ad actus primos, & ad cognitiones per eas elicitas, vt ad actus secundos. Secunda ratio siue ordo potentiæ nostro cõuenit intellectui, quatenus intellectus est à corpore separabilis: in quo nonnullam habet cum Angelico intellectu similitudinem: vt sicut ille species habet à materia minime dependentes, ita & hic noster in statu saltem separationis species habere possit influxas. Tertia potentiæ ratio huic nostro congruens intellectui species, & notitiam respicit ordinis supernaturalis, & ad ipsam Dei essentiam vt formam intelligibilem, & ad actum beatæ visionis extenditur. *Secundum* est tres esse intellectus agentis operationes. Prima est illustrare phantasmata: & ita species abstrahere, quibus intellectus possibilis perficiatur ad intelligendum: Secunda est facere euidentiam primarum propositionum seu principiorum indemonstrabilium, & eis mediantibus propositionum etiam demonstrabilium euidentiam causare. Tertia est luminis sui virtute possibilem intellectum adiuuare seu confortare, vt veritatem in omnibus actibus cuiuslibet prædictorum ordinum apprehendat: vt significat S.D. 1.*p.q.*84.*a.* 6.*ad* 1. vbi de rerum mutabilium notitia loquens ait: *Requiritur lumen intellectus agentis, per quod immutabiliter veritatem in rebus mutabilibus cognoscamus, & discernamus ipsas res à similitudinibus rerum.* & *lib.* 3. *cont. gent. cap.* 45. *in fine* ait: *Cum anima à corpore fuerit separata, intellectus possibilis intelligere poterit ea, quæ secundũ se sunt intelligibilia, scilicet substantias separatas per lumen intellectus agentis, quod est similitudo in anima intellectualis luminis, quod est in substantijs separatis*: vbi Ferrar. obseruat duas esse intellectus agentis operationes, alteram qua intelligibilia in potentia facit intelligibilia in actu: alteram qua dat intellectui possibili virtutem ad intelligendum per modum cuiusdam luminis: ita vt virtus animæ ad intelligendum sit tam ex intellectu possibili, quam ex intellectu agente: quod prius etiam aduerterat Petrus Bergomas *dubio* 1218.

Ex his facile demonstratur sensus & vis primæ rationis S. Tho. Nam si intellectus animæ Christi triplicem habet iam dictam potentiæ rationem, triplicem etiam illi respondentem debuit habere perfectionem: ne secundum aliquam rationem esset imperfectus. Igitur secundum primam rationem potentiæ debuit esse perfectus per scientiam acquisitam, ideſt lumine intellectus agentis à rebus abstractam: vt probat S.D. *a.* 4. Quo ad secũdam autem & tertiam scientia perfici debuit infusa, qua modo Angelico ideſt absque discursu, & sine phantasmatũ ministerio cognosceret ea, quæ S. D. explicat *infra q.* 11. *a.* 1. & tam in hac, quam in prima cognitione lumẽ intellectus agentis suo fungeretur officio superius explicato: Deniq; ad summum debuit creatæ notitiæ gradum eleuari, vt scilicet immediate per diuinam essentiam vt speciem intelligibilem Deum ipsum intueretur quidditatiue.

Ad secundæ vero rationis euidentiam notandum est operationem animæ Christi, qua Deum videbat, & eo vt Summo bono habito fruebatur, posse dupliciter considerari: Vno modo vt accidens quoddam est inhærens animæ medio intellectu aut voluntate: & ita certum est animam nõ ordinari ad eam vt ad finem: sed è contra. Primo quia substantia nobilior est accidente, cuius est subiectum: & sicut accidentia sunt entia, quia entis, quia scilicet ordinem habent ad substantiam, ita perfectionem & bonitatem habent: quia ad substantiæ perfectionem & bonitatem, vt ad finem ordinantur: & ideo bene dixit Cai. 1.*p.q.*44. *a. vlt.* omnib. agentibus commune esse agere propter se, quamuis diuersa ratione, vt ibi declarat. Vnde etiam alibi exponens propositionem illam: *Vnumquodque est propter suam operationem*, ait hunc esse sensum: *Vnumquodque est propter se ipsum operantem*: & secundum hanc rationem operatio non amatur ab operante, nisi amore concupiscentiæ quo sibi eam apperit & ad seipsum ordinat, vt ad finem; vt ait S. D. *in* 4. *dist.* 49. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 1. *ad* 3. Alio modo potest eadem visio vel fruitio considerari, vt est adeptio summi boni siue vnio cũ summo bono: & ita rationem habet finis, ad quem ordinatur anima Christi, & eius intellectus & volũtas: quia pro vno computantur Deus & eius assecutio, aut vnio per actionem intellectus & voluntatis: & ideo anima Christi & eius intellectus & voluntas non solum ad Deum, sed etiam ad prædictas operationes ordinantur, vt vnum vltimum finem cum ipso Deo: vt probat S.D. *in* 3. *cont. gent. cap.* 25. & ibi declarat Ferrar. & explicat idem S.D. *in* 1.2. *q.* 1. *a.* 8. *& q.* 2. *a.* 7. *& q.* 3. *a.* 1. *& alibi sæpe.* Et ex his manifeste patet sensus, & vis secundæ probationis.

Superest iam vt tertiæ rationis sensum, & vim breuiter explicemus. Pro quibus notandum est, duplicem esse cognitionem principiorum: alteram actualem & alteram habitualem, & vtranque dici & esse naturalem: Et prior quidem scilicet actualis dicitur, naturalis: quia terminat inclinationem animæ nostræ naturalẽ ad ipsammet cognitionem principiorum actualem: qui modus naturalitatis non exigit vt id, quod ita dicitur naturale, semper insit ei cui dicitur esse naturale: vt explicat Cai. *in* 1. 2. *q.* 10 *ar.* 1. Posterior vero cognitio scilicet habitualis ideo dicitur naturalis,

lis, quia per modum propriæ passionis emanat ex A vtriusque intellectus animæ nostræ natura. Quia tamen ad principiorum notitiam præter lumen naturale, quod est principium iudicandi, necessariæ sunt species intelligibiles ex sensibilibus acquisitæ, quæ sunt apprehensionis principia proxima, ideo Philosophus *in 2. Post. c. vlt.* dixit prædictum habitum esse acquisitum: quod etiam significat S.D. *in* 1. 2. *q.* 51. *ar.* 1. dicens nullum habitum operatiuum inesse nobis à natura; quia saltē vltimum habitus complementum (quod in habitu principiorum est per species intelligibiles) non est nobis congenitum, sed acquisitum. Ex his patet, quomodo cognitio primorum principiorum pertineat ad animæ nostræ naturam, vt B assumitur in tertia probatione: pertinet enim primo ratione luminis intellectus agentis, quod est animæ facultas naturalis: Secundo, quia cognitio principiorum habitualis consequitur animæ nostræ naturam: Tertio, quia cognitio eorundem actualis terminat naturaliter inclinationem animæ nostræ naturalem. Ex quibus vlterius sequitur optimam & euidentem esse prædictæ probationis consequentiam: vt patet applicanti, &c.

Quatvor *dubitationes* proponit, ac definit Suarez *disputatione sua* 24. Prima est: *An in anima Christi sit intellectus creatus, & quanta sit perfectionis?* Secvnda: *An fuerit in Christo homine actus intelligendi creatus, & ex quo tempore?* Tertia *vtrum actus intelligendi animæ Christi fuerit verus, certus & euidens?* C Quarta: *Vtrum in anima Christi fuerint habitus intellectuales.* Circa quas duo tantum sunt examinanda, *primum* est: An per absolutam Dei potentiam fieri possit, vt in anima Christi sit iudicium erroneum intellectus. *Secundum* est: An Christus habuerit seu habere potuerit errorē in parte sensitiua. Reliquas vero difficultates & earum resolutiones lege, si vis, apud dictum authorem: circa secundam vero specialiter lege Capr. *in* 3. *dist.* 24. *q.* 1. & Cai. *super hoc a.* & Aluarez. *disp.* 51. quæritur ergo primo.

Prima Controuersia.

D *An per absolutam Dei potentiam fieri possit, vt in anima Christi sit iudicium erroneum intellectus?*

Sententia Doctorum.

Partem affirmantem tuentur illi Scholastici, qui docent Deum de potentia absoluta posse mētiri aut falsum dicere, vel inclinare ad falsum: quos referunt & impugnant Bannes *in* 2. 2. *q.* 1. *a.* 3 & *ibidem* Valentia, & alii.

Suarez *in allegata disput.* 24. *sect.* 3. *in fine* duo dicit. *Primum* est difficile esse implicationem contradictionis in hoc ostendere, & non videri hoc nude consideratum in ordine ad potentiam quasi physicam contradictionem inuoluere, licet cōsideratum in ordine ad potentiam coniunctam diuinæ sapientiæ videatur repugnare. *Secundum* E est, se non posse ita de Christo seu de Deo homine sentire, vt existimet potuisse vel in intellectu eius cadere errorem, vel in sermone mendacium etiam materiale sine culpa.

Oppositam sententiā tuentur illi omnes scholastici, qui docent Deum per absolutam sui potētiam mentiri non posse, aut ad falsum inclinare.

Resolutio. In anima Christi nullum esse posse iudicium erroneum.

Dvo hic supponenda sunt. *Primum* est differentia inter potentiam Dei absolutam, & potentiam Dei ordinariam vel ordinatam de quarum differentiis egimus *in* 1. *p. q.* 25. *a.* 5, post D. Th. *ibidem ad* 3. & *in* 3. *dist.* 1. *q.* 2. *a.* 3. Videndus est etiam Bannes *in* 2. 2. *loco notato*. Secundum est: De potentia absoluta Deum neque per se, neque per alium mentiri posse: vt late probant Ban. & Val. *loco superius allegato*: Quibus suppositis

Dico fieri non posse per absolutam Dei potentiam, vt anima Christi iudicium habeat erroneum in intellectu. Probatur. Primo: quoniam ideo est impossibile Deum mentiri, aut errorem in intellectu causare, quia si Deus hæc faceret, hoc ipso auerteretur à semetipso, & vellet id, quod est ipsi vt summæ veritati & bonitati contrarium: at hoc idem absurdum sequeretur, si in anima Christi Domini esset aliquis error: ergo. Maior probatur: quia falsitas & error speculatiuus non tantum opponitur veritati creatæ, sed etiam ipsi primæ veritati & sapientiæ, qua Deus iudicat hoc aut illud obiectū ab eo cognitum esse verum: constat autem Deum esse veritatem ipsam & sapientiam & iudicium, quo de rerum omnium iudicat veritate: igitur sibi contrarius & à semetipso auersus esset Deus, si falsum diceret aut errorem causaret, non minus quā si peccaret aut esset causa peccati. Minor autem probatur: Quoniam actiones humanitatis Christi non à Deo tantum, vt prima causa, sed etiam speciali quadam ratione dirigebantur à Verbo illi personaliter vnito: igitur in actibus intellectus animæ Christi nulla potuit esse falsitas aut error. Antecedens patet: quia ad suppositum rationalis naturæ specialiter & proxime pertinet dirigere omnes eius operationes. Conseq. vero probatur: quoniam ideo dicunt Theologi præsertim Thomistæ Angelum & primum hominem in primo instanti suæ creationis non potuisse peccare, quia peccatum illud Deo tribueretur vt authori & directori naturæ: at multo magis dirigit Deus assumptam à Verbo humanitatem, & eius omnes actiones, quam naturam Angelicam aut Adam in primo instāti creationis, ob dictam causam, quia scilicet duplici ratione dirigebantur à Deo: ergo. Et hæc est doctrina Damas. *lib.* 3. *de fide cap.* 12. Secundo probatur: quoniam actiones naturæ sunt actiones suppositi operātis vt quod: igitur actiones humanitatis Christi sunt actiones personæ Verbi vt operantis: igitur falsitas omnis aut error, qui esset in cognitione animæ Christi, Verbo tanquam supposito per animam operanti tribueretur. Tertio probari potest hoc dictum illis omnibus argumentis, quibus probant expositores prædicti scilicet Ban. & Val. Deum nec posse mētiri, nec in alterius mente causam esse posse falsitatis aut erroris. Sed de hoc iterum disseremus vlterius infra *quæst* 15. *a.* 3.

Contra *prædictam* veritatem produci possent argumenta, quæ contra secundum suppositum referunt & soluunt Ban. & Val. *loco supra notato*. Contra eandem veritatem sunt argumenta Vasq. *Disp.* 61. *c.* 9. quibus satisfiet *in dicta q.* 15 *a.* 3. *Indicantur argumenta, & solutiones.*

Secunda Controuersia.

An Christus habuerit aut habere potuerit errorem in parte sensitiua?

Sententia Doctorum.

Refertvr à quibusdam recentioribus opinio Magistri Victoriæ ex eius scriptis *in* 3. *p. q.* 5. *a.* 3. dicentis non esse inconueniens, vt Christus infans deciperetur secūdum sensum, vel somniaret aliquid falsum.

Suarez *Disp.* 24. *sect.* 3. §. *Ad secundam confirmationem* ait Christum Dominum ita sua virtute confortasse sensus exteriores, vt semper viderent seu apprehenderent res, pro vt vere sunt siue prope essent siue distantes, & siue hoc siue illo modo applicarentur. Alii nouiores dicunt Christum nunquam somniasse, ne deciperetur; quia homo cum

somniat aliqualiter inhæret similitudinibus tanquam rebus ipsis: & cum in somniis sit operatio compositiua, interuenit ibi deceptio. A

Resolutio. Ex communibus philosophiæ principijs ostenditur Christum in parte sensitiua nullum errorem habere potuisse.

Sciendum est primo errorem in actu cognitionis, idem esse quod falsitas, quæ (de nostra cognitione loquendo) in sola compositione & diuisione, non autem in simplici apprehensione consistit: falsitas enim intellectus & cogitatiuæ solam cõsequitur compositionem aut diuisionem: falsitas autem imaginatiuæ seu phantasiæ aut sensus cõmunis absque iudicio intellectus esse non potest, vt patet ex D. Tho. *de Ver. q.*8. *a.6. ad* 15. Ad cuius euidentiam scito differentiam esse inter iudicium sensus præcise sumpti & iudiciũ intellectus: quod iudicium sensus præcise sumpti, ideſt præciso cõ- B cursu & participatione rationis, non est de re absolute, sed vt repræsentatur per talem speciẽ, iudicium autẽ intellectus est de re absolute: Ratio differentiæ est: quia sensus sicut respicit singulare pro vt est hic & nunc, ita ipsum cognoscit, & de eo iudicat pro vt hoc vel illo modo repræsentatur: intellectus autem noster res cognoscit, pro vt à materiæ conditionibus abstrahuntur, & secundum ea, quæ naturis eorum conueniunt absolute consideratis. Et ex hac sequitur alia differentia: quod intellectus cognoscens rem aliter quam sit secundum se, falsus est: sensus autem rem aliter cognoscens, aut iudicans, quam sit secundum se (si tamen eam cognoscat, & de ea iudicet secundum modum, quo per speciem illi repræsentatur) C vere & proprie falsus non est, vt cum Aug. docet S.Tho. *loco notato, & alibi sæpe.* Quo fit vt oculus noster cum sensu communi videns & iudicans, Solem cubitalem, & baculũ in aqua pro medietate existentem esse curuum non sit vere falsus, licet obiecto, pro vt in se est, absolute collatus inadæquatam habeat cognitionem, & secundum hanc rationem dicatur esse falsus, non causaliter tantum, sed etiam formaliter. Verum quia iudicium sensus ad rem, prout in se est & absolute cõsideratam non fertur, sed eam tantum cognoscit & de illa iudicat, pro vt illi per speciem repræsentatur: ideo falsitas illa, quæ sensui tribui solet in comparatione ad rem secundum se consideratã, nullam imperfectionem ponit in sensu: sicut nec D proprie & absolute loquẽdo falsitas est: quia sensus non est aptus natus cognoscere res absolute sumptas, sed pro vt illi per speciem repræsentantur, siue ita sint in re siue aliter. Ex quo sequitur primo, vt phantasia in somnis inhærens rerum similitudinib. tanquam rebus ipsis nõ sit falsa proprie & simpliciter loquendo. Secundo sequitur dicta D.Tho. 1.*p.q.*17. *a.*2. & Arist. *in* 5. *Metaph. tex.* 34. asserentium in sensu esse posse falsitatem, interpretanda esse de falsitate minus proprie dicta. Vide etiam ea, quæ diximus 1.*p. in allegata quæst.*17. quibus adde ea quæ dicentur inferius.

Secundo notandum est, potẽ tiam sensitiuam prius esse passiuam respectu sensibilis, cuius speciem in E se recipit vt agendi rationem, antequam sit actiua respectu sensationis, quam actuata per speciem elicit. Perfectio vero potentiæ passiuæ non in eo posita est, vt magis patiatur & immutetur, quam illam immutet agens: hoc enim est impossibile: sed in hoc vt à minoris virtutis agente facilius patiatur & immutetur: sicut maiorem habere potẽtiam calefiendi nõ in eo consistit, quod magis calefiat, quam sit virtus aut actio calefacientis: sed in eos quod ab æquali vel à minus intensa virtute facilius calefiat: Sic igitur in proposito maior perfectio sensus, puta visus nõ in eo posita est, vt magis immutetur à sensibili, quam sensibile sensum ipsum immutet: sed in hoc, quod ab æquali, aut etiam debiliori sensibili facilius immutetur.

Tertio notandum est virtutem agentis finiti spheram habere suæ actiuitatis determinatam, vltra q̃ agere non potest: atq; ideo quanto magis extenditur ad remota, tanto magis minuitur eius efficacitas: igitur sensibile, quod agens quoddam finitum est, tanto minorem habebit actiuitatem in sensum, quanto fuerit hic magis ab illo remotus: ita vt nõ tota virtus, qua sensibile sensum immutat, sed aliquid minus recipiatur in sensu remoto: ac proinde nec sensus totam tunc percipere poterit sensibilis quantitatem intensiuam aut extensiuam, vt patet inductiue in quolibet sensu, & singulariter in sensu visus, in quem agit visibile per speciem formam piramidis induentem, cuius basis est in obiecto visibili, conus vero siue angulus est in pupilla: & quo fuerit minor angulus, eo minus apparet obiectum: tanto autem minor est angulus in pupilla, quanto distantius est obiectum: vt patet de Sole & stellis, quorum maxima quantitas ob nimiam ab oculo nostro distantiam videtur exigua: quia nimirũ non tanta est anguli quãtitas, vt sufficiat ad totam Solis aut Stellæ quantitatem repræsentandam: Igitur seruato rerũ ordine & secluso miraculo dicendũ est, distãtia visibilia, puta Solem & stellas Christi oculis non secundũ totam eorum quantitatem, sed secundũ eam tantum magnitudinem fuisse repræsentata, secundũ quã perfectæ virtutis oculo in tanta distantia possunt apparere: Neq; tamen consequens est Christum in exteriori aut interiori animæ suæ sensu errorem aliquem habuisse: quia licet visibilia valde distantia nõ secundum totam, sed secundũ longe minorem quãtitatem oculis eius objcerentur & apparerent certissima tamẽ intellectus sui cognitione de propria & naturali eorum quantitate iudicabat. Quod ẽt de Adã in statu innocentię S.D. affirmat 1.*p.q.*94. *a.*4. *ad* 3. dicens: *Si aliquid repræsentatum fuisset sensui, vel phãtasiæ primi hominis aliter, quã fuisset in rerum natura, non tamẽ deciperetur: quia per rationẽ veritatem iudicaret.* quod ẽt docet in 2. *dist.*23. *q.* 2. *a.*3 *ad* 4. *& de Ver. q.*18 *a.*6. *ad* 15. vbi sic loquitur: *Quando sensus repræsentat, quod accipit, non est falsitas in sensu, vt Aug. dicit in lib. de vera religione, sed falsitas est in intellectu: qui iudicat hoc modo esse in rebus, sicut sensus demonstrat: quod nunquam in Adam fuisset: quia à iudicio cessasset intellectus: vt in somnijs, vel in vigilando de sensibilibus iudicans verum medium habuisset.* Ex quib. verbis apparet de mente D.Th. hominem secundum phantasiam in somniis inhærendo similitudinib. tanquam rebus nullam incurrere falsitatem, nisi cum ea concurrat etiam deficiens iudiciũ intellectus: ac proinde Christum Dominũ absq; errore somniare potuisse dormiẽdo. Quamquã dici nõ incongrue posset Christi dormitionem & somnia fuisse cũ vsu rõis phantasiã ab errore præseruãte.

Ex dictis sequitur hæc vnica CONCL. *Christus nullum habuit, aut habere potuit errorem in parte sensitiua exteriori, aut interiori:* Et probari potest illis omnibus fere mediis, quibus probatum est in Christo nullum esse potuisse iudicium erroneum intellectus. *Conclusio.*

Nec admittẽda est probatio seu declaratio Suarezij dicentis Christũ Dominum sua diuina virtute ita confortasse sensus, vt semper viderẽt aut apprehenderent res, p vt vere sunt siue prope essent siue distantes, &c. quia nõ sunt asserenda seu cõfingenda miracula sine necessitate: esset aũt miraculũ supra totum ordinẽ naturæ, si tanta sensibus Christi virtus adderetur, vt totã posset obiecti q̃ maxime distãtis magnitudinẽ intueri: cui aliud ex parte sensibilis miraculũ esset addendũ, vt sc. actiuitas eius in sensum ita distãtem augeretur: nam, vt ante diximus, vis naturalis obiecti non potest *Suarezij declaratio rejicitur.*

spe-

speciem in sensum ex tanta distantia causare, quæ A sufficiat ad cognitionem quantitatis obiecto secundum se conuenientis.

Tertia Controuersia.

An actus intellectionis animæ Christi fuerit aut esse potuerit actus diuina cognitionis increatus, & quantum valeat ratio S. D. & an conclusio præsentis articuli sit veritas fidei?

Sententia Doctorum.

QVATVOR sunt huius controuersiæ partes: & de prima fuit opinio Vgonis de S. Victore *in opusc. de anima Christi, & eius scientia, & lib. 2. de Sacramentis parte 6. cap. 1.* dicentis, animam Christi per scientiam increatam formaliter cognouisse: B qui tamen ab anima Christi non excludit actum scientiæ creatæ: Quidam vero alij, quos referunt Adamus *in 2. dist. 1.* & Greg. *in 2. dist. 7. a. 1. quæst. 3.* & Capr. *dist. 3. q. 2. arg. 10. contra 1. concl.* existimarunt beatos omnes Deum per actum increatæ visionis intueri.

Quo ad secũdam vero partem, quæ est de possibili, tenuit Io. de Ripa per Dei potentiam absolutã id fieri posse, vt ait Capr. *in 3. dist. 14. q. 1. in arg. contra 2. concl.* & Cai. *1. p q. 26 a 3. & super hoc a. & 1. 2. loco notato*: Sed oppositam prædictis opinionib. sententiam habet *in hoc a.* S. D & *1 p loco notato, & in 3. dist. 14. q. 1. a. 1. & 1 2 q. 3. a. 1. & alibi sæpe*: eandē sequũtur & tuentur omnes eius discipuli, ac præsertim Capr. & Cai. *locis allegatis*, Medina & Val. *super hoc a. & 1. 2. q. 3. a. 1.* Aluarez *disp. 51.* eandem sequuntur Suar. *disp. 24. sect. 2.* & Vasq. *super hoc art.*

De tertia vero parte disputat Cai. cuius doctrinam impugnat Suar in eo, quod ait actum intelligendi non posse esse alterius actum, nisi in genere naturæ.

Ad postremam autem partem respondet Medina *in 1. 2 q. 3 a. 1.* opinionem Vgonis, & aliorum supra relatam esse fere hæreticam: quod probare nititur pluribus argumentis, quib. concludit eam esse hæreticam: in quam etiam partem inclinat Vasq. Suarez affirmat esse temerariam tantum, si tamen non neget Vgo, & alii eiusdem opinionis omnem actum scientiæ creatæ in Christo. Alii deniq; viri doctissimi media via incedentes dicunt D prædictam opinionem esse erroneam.

Resolutio, indicantur Doctorum scripta pro definitione duarũ priorum partiũ Controuers.

NVLLVM actum intellectionis animæ Christi fuisse aut esse potuisse ipsum actum diuinę cognitionis increatum probant optimis argumentis Capr. Cai. Med. Val. Suar. Vasq. & Aluar. *locis superius allegatis*, quibusdam tamen argumentis ab authoritate vtitur Suar. quæ merito reprehendit Vasq. Videat hos authores, qui voluerit: nihil enim noui dicendum occurrit circa duas priores huius controuersiæ partes.

Tertia pars Cõtrouersiæ. Reiecta expositione Cai. affertur vera interpretatio rationis D. Thomæ.

Ratio D. Thom. *in respons. ad 1.* est: scientia, qua Christus omnia cognouit per scientiam diuinam operatione increata, est alterius naturæ ab anima Christi & eius actibus: ergo hic actus non potuit esse animæ Christi: ergo, si non fuisset in anima E Christi aliqua alia scientia præter diuinam, nihil cognouisset: at hoc est absurdum: ergo. Antecedens probatur; quia intelligere Dei est sua substãtia, vt probat Phil. *in 12. Meth. 1.* & 2. consequentiæ relinquuntur vt notæ: falsitas autem vltimi consequentis probatur: quia sequeretur, quod frustra fuisset assumpta: nam vnumquodque est propter suam operationem. Cuius rationis primam consequentiam ait in hoc principio fundari: quod *operatio est actus operantis secũdum esse naturale*, sub quo secundo, quod diuina substantia non potest esse actus secũdum esse naturale alicuius creaturæ, se-

Naz. in D. Thom. 3. partem.

quitur non posse diuinum intelligere esse intelligere, quo formaliter intelligat creatura. Declarat Cai dictum principium dicens particulam illam: *secundum esse naturale*, positam esse ad differentiam actus secundum esse intelligibile, quale est obiectũ intellectus, q̃ est perfectio & actus intellectus secundũ esse intelligibile: quo modo fieri potest, vt substantia illa, quæ est purus actus, non solum in genere entis, sed etiam in ordine intelligibili sit perfectio & actus alterius secundũ esse intelligibile; vt explicauimus *in 1 p. q. 12. a. 2. in 3. contr.* Nec audiẽdus est Suarez hic opponens docens. Probat autem illud primo inducendo: quia generare est à generante secundum esse naturale, & sentire est in sentiente secundum esse naturale, & similiter desiderare in desiderante, & intelligere in intelligente. Secundo ex terminis: Quia operans, inquantum operans, secundum suum esse naturale operatur, sicut & est Sed principium illud in operationibus potentiæ cognoscitiuæ, tam sensitiuæ, quã intellectiuæ manifeste falsum est: ac proinde sic absolute prolatum non est admittẽdum. Constat enim ex dictis *in 1. p. q. 14 a. 4 & 5. & q. 27. a. 2.* quod intelligere est esse intelligentis, vt intelligens est, siue intellectus in actu, qui constat ex virtute intellectiua, specie intelligibili & verbo: quorum omnium intelligere est esse diuerso modo: vt explicauimus *in allegata q. 27. a. 1. Contr. vnica*: igitur hæc operatio quæ est intelligere, non est actus operantis secundum esse naturale, sed secũdum esse intelligibile: immo est ipsum esse, & vltima actualitas in ordine intelligibili: *Quod si dicas* intelligere vt sic, claudere in se etiã suum esse naturale, & secũdum illud esse necessario actum intellectus, *eadem reijcietur* facilitate, qua dictũ fuerit. Nam licet species intelligibilis creata vt accidens quoddam est, suum habeat esse naturale, quo actuat intellectum, quẽ per se primo actuat secundum esse intelligibile: tamen essentia diuina, quæ species est intellectus Deum videntis, hãc non admittit imperfectionem, vt secundum esse naturale sit actus intellectus Deum videntis: eadẽ ergo ratione separari poterit hæc imperfectio ab ipsa Diuina intellectione, vt scil. fiat actus intellectus creati secundum esse intelligibile, nõ autem secundum esse naturale. Et ex his patet responsio ad inductionem. Ad rationẽ autem dico propositionem illam: *operans inquantum operans, secundum suum esse naturale operatur, sicut & est*: dupliciter intelligi posse: Vno modo primo, & sic vera est: sed nihil probat: quia gradus & ordo essendi operationis non attenditur secundum gradum & ordinem principii primi, sed proximi: Alio modo potest intelligi de operari proxime: & ita falsum est in operante cognoscitiuo, vt cognoscitiuum est: sic enim operatur non sicut est secundum esse naturale, sed sicut est secũdum esse cognoscitiuum, siue secundum quod est ipsum cognoscibile.

Vera interpretatio.

Aliter igitur interpretanda est ratio D. Tho. Ad cuius euidentiam supponendum est id, quod hic explicat & probat optime Cai. & alii recentiores, nimirum de ratione operationis vitalis esse, vt sit ab eo, cuius est operatio vitalis. Et quoniam hæc habitudo vitalis operationis ad suum vitale principium est ipsius intrinseca natura, quæ variari nõ potest: consequens est, vt secundum diuersitatem genericam aut specificã vel etiam individualem vitalium operationum sit etiam diuersitas vitaliũ principiorum aut operantium, à quibus procedunt, aut qui secundum eas operantur, ita vt impossibile sit, etiam per absolutam Dei potentiam, vnum Angelum intelligere per intellectionem alterius, aut velle per volitionem alterius, & ho-

minem intelligere aut velle per intellectionē aut A volitionem Angeli vel alterius hominis & Leonem aut hominem videre per visionem Bouis aut Aquilæ: & sic de singulis. Sicut enim implicat naturam vnius actus vitalis esse naturam alterius actus vitalis, ita implicat vnū actum vitalem habere habitudinem essentialem ad principium alterius actus vitalis, aut ad aliud suppositum, cui tanquam operanti tribuatur. Cum igitur actus increatus scientiæ Dei sit longe alterius naturæ ab actu scientiæ creatæ (quæ diuersitas præcipue in hoc posita est, vt actus diuinæ scientiæ à nullo possit causari principio, cum sit ipsa substantia Dei) consequens est, vt per Dei potentiam absolutam fieri non possit, vt intellectus creatus intelligat formaliter per actum increatum diuinæ intelle- B ctionis: itaque male Cai. rationem hanc D. Tho. ab ea distinxit, quæ ex natura vitalis operationis accipitur, cum eadem omnino sit, vt ex prædictis elucet.

Poſter. pars Controu. Opinionem aſſerentem animā Chriſti per ſcientiam increatam multa cognouiſſe non eſſe hæreticam, ſed temerariā & hæreſi proximam.

SVPEREST *iam poſtrema controu. pars* inquirens, an conclusio præsentis articuli sit veritas fidei, ita vt oppositū sit hæresis aut error in fide. Cui quæsito breuiter respondens

DICO PRIMO *certam esse fidei veritatem, Christum secundum intellectum suæ humanitatis scientiam, & actū cognitionū rerum habuisse, & actum illum non fuisse diuinum essentialiter, sed creatum.* Hanc veritatē probant recentiores *locis supra notatis*: & prima huius dicti pars sæpe significatur in sacris litteris *Matth. 22. lo. 8. & 11. & aliis in locis*, vbi fit mentio de co- C gnitione Christi, quatenus homo est: & expresse diffinitur hęc cum secunda eiusdem dicti parte in sexta Synodo, & aliis vniuersalibus conciliis, quæ referuntur infra *quæst. 19. art. 1.* partim à D. Th. & partim ab expositoribus: secunda vero pars probatur ab authoribus notatis *in 1. & 2. controu. parte.*

SECVNDO DICO *propositionem hæreticam eam esse, quæ sacru litteris, aut diuinis traditionibus, aut Summorum Pontificum, vel Concil. vniuersalium definitionibus, aut deductis ex aliquo dictorum propositionib. per necessariam, & euidentem consequentiam, aut deniq; cōmuni Patrum consensui in ijs, quæ ad fidem pertinent, est contraria*, vt docēt Melchior Canus *lib. 12. de locis Theol. cap. 3.* & Penna *in suis commentarijs ad Directorium Inquis. par. 2. Com. 27.* vbi octo regulis comprehendit D omne genus catholicarum veritatum, & propositionum hæreticarum illis oppositarum. Cum igitur opinio dicens animam Christi per actum increatæ intellectionis formaliter multa cognouisse: & cum ea tamen scientiam & notitiam creatā habuisse, nulli sit ex prædictis fidei regulis aduersa, vt facile patebit discurrēdo per singulas, & magis eluceſcet ex solutionib. argumentorum: consequens est non esse hæreticam aut erroneam in fide proprie & formaliter loquendo, sed esse temerariam & errori ac hæresi valde proximam: Quod videtur intendisse Medina *in 1. 2.* dicens illam esse fere hæreticam: licet in argumentis absolute concludat illam esse hæreticam: suam autem sententiam clarius expressit *super hoc a.* dicens *in 2.* E *sua concl.* opinionem Ioannis de Ripa esse temerariam & periculosam, & hoc probant ea omnia loca scripturarum, definitiones Conciliorum, dicta S. Patrum, & rationes, quas producunt *hic, & in 1. 2.* recentiores contra dictam opinionem.

Concluſiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Nullus actus intellectus animæ Christi fuit, aut esse potuit, etiam per Dei potentiam absolutam, actus diuinæ cognitionis increatus.* Hanc conclusionem probat optime S. D. in responsione ad primum. Alias eius probationes lege, si vis, apud autores allegatos in prima, & secunda parte controuersiæ.

SECVNDA CONCL. *Ratio D. Th. in solutione primi intellecta in sensu declarato in 3. p. Controu. probat optime conclusionem.* Hæc patet ex dictis.

TERTIA CONCL. *Hæresis est manifesta negare in intellectu animæ Christi fuisse actualem intellectionem creatam.* Hæc patet ex dictis, & probāt eam authores supra notari, & magis patebit infra q. 19. a. 1.

VLTIMA CONCL. *Opinio dicens animam Christi habuisse quidem actum scientiæ creatæ, sed cognouisse etiā per actum scientiæ increatæ formaliter, non est hæretica, aut erronea proprie loquendo, sed valde temeraria, & errori proxima*: Hæc patet ex dictis. & probant eam authores supra nominati.

CONTRA *primam* concluſ. quo ad primam eius partem sunt argumenta, quæ referunt & soluunt *Argum. & ſolutiones.* Med. & Vasq. *in 1. 2. q. 3. a. 1.* Contra eandem conclus. quo ad secundam eius partem sunt argumēta quæ referunt & soluunt Capr. *in 3. dist. 14. qu. 1.* Cai. & Med. *super hoc art.* Suar. *disp. 24 sect. 2.* & Aluar. *disp. 51.*

CONTRA *secundam* concl. militant eadem argumenta, quæ contra secundā partem primæ concluſ. producunt, & soluunt expositores prædicti.

CONTRA *tertiam* concl. eadem possunt pro- *Ob. 1. cont. ver. concl.* duci argumenta, quæ militant contra primam.

CONTRA *vltimam* concl. argumentatur Med. *in 1. 2. q. 3. a. 1.* Primo: quia *Ioannis 14.* dicitur: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem, & 1. Ioannis 3. Cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum, sicut est.* Videre autem in rationali creatura est producere visionem, ergo diuina scriptura significat Deum à creatura videri visione creata, non autem increata. *Resp.* non esse certum secūdum fidem id, quod *Solut.* subsumitur, nimirum videre in rationali creatura esse producere visionem: Et ideo nulla est argumenti consequentia.

Secundo, quia omnes Theologi *in 4. dist. 49.* do- *Obi. 2.* cent beatitudinem esse perfectionem inhærētem beatorum animis: qua beati vident Deum, eoque perfruuntur: ergo beatitudo est res creata. *Resp.* *Solut.* Theologos id non asserere tāquam omnino certum secundum fidem.

Tertio, quia *in Clem. Ad noſtrum de hæret.* ex Con- *Obi. 3.* cilio Viennensi sub Clemente 5. decretum est hæreticum esse asserere, quod homo non indigeat lumine gloriæ ex parte intellectus ad videndum Deum: ergo intellectus beati producit visionem beatificam: probatur cōsequentia: Quia alioquin non esset necessarium lumen gloriæ. *Resp.* nullam *Solut.* esse consequentiā: quia defensores oppositæ sententiæ dicerent necessarium esse lumen gloriæ ad recipiendam visionem increatam in intellectu: sicut nos dicimus esse necessarium ad recipiendā in intellectu diuinam essentiam vt formam intelligibilem & ad actum visionis eliciendum.

Quarto quia Concilium Ephes. & Vien. & Cō- *Obi. 4.* stantin. 6. & Tolet. 14. anathema pronunciant ei, qui dixerit, quod in Christo Iesu non fuerit geminus intellectus, gemina voluntas & gemina scientia, creata scilicet & increata: ergo hæreticum est asserere in Christo Iesu fuisse vnicam tantum visionem increatam, per quam Deum videret. *Resp.* *Solut.* hęc Concilia determinare duplicē esse in Christo Domino operationē alteram creatam, & alteram increatam, q̄ non negant prædictæ sententiæ defensores: sed tantum asserūt increatæ cognitionis actum animæ Christi cōmunicari, ita vt intelligat intellectione diuina: sicut subsistit subsistentia diuina: cum quo tamen affirmant eandem Christi animā alias simul habere creatas intellectiones.

Quinto, quia Concil. Trid. *sess. 6. can. 4.* anathe- *Obi. 5.* ma dicit ei, qui dixerit hominē, cum iustificatur, nihil prorsus operari, sed se habere mere passiue tan-

tanquam inanime organum, ergo multo magis est tanquam hæreticus execrandus, qui docet hominem, cum Deum videt, nihil penitus operari. Præterea in eodem Concilio, & *sess. can.* 10. definitur contra Lutherum & contra Osiandrum hæreticos, quod non sumus iusti formaliter per iustitiam, quæ est in Christo: ergo hæreticum est asserere beatos esse beatos, & videre Deum per visionem in Deo existentem *Resp.* quidam hoc argumento probari sententiam illam esse erroneam, quia per bonam consequētiam deducitur opposita veritas ex definitionibus dicti Concilii: non tamen probari esse hæreticam: quia non expresse definitur ibi opposita veritas. *Sed hæc responsio* supponere videtur vnum falsum, videlicet non esse hæreticas illas propositiones, quæ per necessariam, & euidentem consequentiam ex definitionibus vniuersalium Conciliorum deducuntur: cuius oppositum docent Canus & Penna locis supra notatis. *Aliter ergo respondeo* & dico consequentias illas non esse satis euidentes: quia dicerent illius opinionis assertores animam Christi, & alios beatos Deum increata visione videntes non se habere mere passiue, sed vere ac proprie agere & operari operatione increata illis à Deo cōmunicata, quatenus actio formaliter est, quamuis ab eis producta non esset, & similiter dicerent de iustificatione per Christi iustitiam imputatam, & de videre visione increata ipsi videnti communicata, quoniam illa extrinseca est, & non potest facere hominem formaliter iustum, sed oportet vt iustitiam habeat formaliter inhærentem, vt vere & proprie sit & nuncupetur iustus: at visio increata ponitur à prædictis opinantibus, ita communicari animæ Christi & aliis beatis, vt illis formaliter insit magis & intimius, quam per inhærētiam: sicut *in 1. p. q.* 12. *a.* 2. diximus de essentia diuina respectu intellectus creati Deum videntis. Alia argumenta ex prædictis facile diluuntur.

Solut. 1.

Reiicitur.

Solutio 2.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus habuerit scientiam, quam habent Beati, vel comprehensores.

Infra art. 3. cor. Eccl. cap. 23.

AD *secundum sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerit scientia Beatorum, vel comprehensorum. Scientia enim Beatorum est per participationem diuini luminis: secundum illud Psal.* 35. *In lumine tuo videbimus lumen. Sed Christus non habuit lumen diuinum tāquam participatum, sed ipsam diuinitatem in se habuit substantialiter manentem: secundum illud Coloss.* 2. *In Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, Ergo in Christo non fuit scientia Beatorum.*

Præterea, Scientia Beatorum eos beatos facit, secūdum illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum: & quem misisti Iesum Christum. Sed homo ille fuit beatus ex hoc ipso, quod fuit Deo vnitus in persona: secundum illud Psal.* 64. *Beatus quem elegisti & assumpsisti. Non ergo oportet ponere in ipso scientiam Beatorum.*

Præterea. Scientia duplex homini competit, vna secundum suam naturam, alia supra naturam. Scientia autem Beatorum, quæ in diuina visione consistit, non est secundum naturam hominis, sed supra eius naturam. In Christo autem fuit alia supernaturalis scientia multo altior, scilicet scientia diuina. Non ergo potuit in Christo esse scientia Beatorum.

Sed contra, Scientia Beatorum in Dei cognitione consistit. Sed ipse plene cognouit Deum, etiam secundum quod homo: secundum illud Ioan. 8. *Scio eum, & sermonem eius seruo. Ergo in Christo fuit scientia Beatorum.*

Respondeo dicendum, quod illud, quod est in potentia, reducitur in actum per id, quod est actu: oportet enim esse calidum id, per quod alia calefiunt. Homo autem est in potentia ad scientiam Beatorum (quæ in Dei visione consistit) & ad eam ordinatur sicut ad finem: est enim creatura rationalis capax illius beatæ cognitionis, inquantum est ad imaginem Dei. Ad hunc autem finem beatitudinis homines reducuntur per Christi humanitatem, secundum illud Hebr. 2. *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummari. Et ideo oportuit, quod cognitio beata in Dei visione consistens excellentissime Christo homini conueniret: quia semper causam oportet esse potiorem causato.*

Ad primum ergo dicendum, quod diuinitas vnita est humanitati Christi secundum personam, non secundum essentiam, vel naturam: sed cum vnitate personæ remanet distinctio naturarum. Et ideo anima Christi, quæ est pars humanæ naturæ per aliquod lumen participatum à natura diuina, perfecta est ad scientiam beatam, qua Deus per essentiam videtur. *Quæstio.*

Ad secundum dicendum, quod ex ipsa vnione homo ille est beatus beatitudine increata, sicut ex vnione est Deus. Sed præter beatitudinem increatam oportuit in natura humana Christi esse quandam beatitudinem creatam, per quam anima eius in vltimo fine humanæ naturæ constitueretur.

Ad tertium dicendum, quod visio, seu scientia beata est quodammodo supra naturam animæ rationalis, inquantum scilicet secundum naturam suam est capax eius, prout scilicet est ad imaginem Dei facta: vt supra dictum est. Sed scientia increata, est omnibus modis supra naturam animæ humanæ. *in corp. art.*

Forma Textus.

CONCL. est: *Oportuit, quod cognitio beata in Dei visione consistens excellentissime Christo homini conueniret.* Probatur prima pars: quia illud, quod est in potentia, reducitur in actum per id, quod est actu: Sed homo est in potentia ad scientiam Beatorum, quæ in Dei visione consistit, ad quem reducitur per Christi humanitatem: ergo oportuit, quod cognitio beata in Dei visione consistens Christo homini conueniret: Maior probatur exemplo: quia oportet esse calidum id, per quod alia calefiunt. Minor quo ad primam partem probatur: Quia creatura rationalis est capax illius beatæ cognitionis, inquantum est ad imaginem Dei, & ad eam ordinatur sicut ad finem. Quo ad alteram vero partem probatur ex dicto Apost. *ad Hebr.* 2. Secunda demum pars conclusionis, quod scilicet excellentissime &c. probatur, Quia semper causam oportet esse potiorem causato.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt, quæ scribunt S. D. & eius expositores infra *q.* 34. *a.* 4. vbi quæritur: an Christus fuerit perfectus comprehensor in primo instanti suæ conceptionis, & *q.* 46. *art.* 8. vbi quæritur: an tota anima Christi in passione frueretur fruitione beata, & Melchior Canus *de locis Theol. lib.* 12. *cap.* 14.

Concl. huius articuli probant optimis argumētis Medina *super hoc a. & infra q.* 34. *a.* 4. Suarez *disp.* 25. *sect.* 1. Val. *puncto* 2. & Aluar. *disp.* 52. quos vide, si placet. Vide etiam, quæ notat Caiet. circa discursum D. Tho. & circa responsionem *ad tertium argumentum.*

Sed præterea duo notanda sunt. *Primum* est, beatam illam visionem non impediuisse Christi sensus exteriores aut interiores ab eorum operationibus: vt ostendimus *in 1. p. q.* 12. *a.* 11. *in secunda Controu.* de mente D. Tho. *locis ibi notatis*: quibus adde

perfectionem luminis gloriæ & visionis propriã esse causam, vt inferiores potentiæ cognoscitiuæ à suis actibus non impediantur in Christo & in beatis. Cuius oppositum euenit in Moyse & Paulo propter luminis & visionis imperfectionem: erant enim in his lumẽ & visio ad modum passionis transeuntis, non autem ad modum habitus seu qualitatis permanentis.

Secundum est Christi animam fuisse beatam formaliter per visionem Dei, non autem per vnionem cum Verbo personalem, vt asserunt quidam recentiores. Primo quoniam, vt ait S. Tho. *in* 1. 2. *q.* 3. *art.* 5. beatitudo est operatio, non quæcunque, sed optima: hæc autem est illa, quę est optimæ potentiæ scilicet intellectus respectu optimi obiecti, scil. boni diuini, in quo supereminenter continentur omnia bona desiderabilia: talis autem actus est visio, qua Deum per essentiam videt anima Christi: igitur per hãc visionem est beata formaliter. Secundo: beatitudo formaliter est operatio, quæ est assecutio summi boni: hæc autem est visio, vt probat S. D. *in* 1. 2. *q.* 3. *a.* 1. *& seq.* ergo. Tertio: Deus non est beatus secundum rationem essentiæ, secundum quam est idem sibi, sed secundum intellectualem operationem, vt ait S. D. 1. *p. q.* 26. *ar.* 2. *in c. & ad* 1. ergo similiter anima Christi non est beata secundum rationem personalitatis aut diuinitatis, cui personaliter vnitur, sed ratione visionis: Conseq. patet: quia beatitudo nostra est participatio diuinæ beatitudinis: ergo debet cum illa proportionalem habere similitudinem, vt nostra, sicut & illa in operatione consistat. Vltimo: Beatitudo formaliter nõ ita debet esse summum bonum, vt non ordinetur ad altioris ordinis bonũ: sed satis fuerit, si bona omnia eiusdem ordinis cum illa ordinentur ad eam, ipsa vero ad nihil aliud eiusdem ordinis ordinetur: at visio Dei in anima Christi talis est: ergo. Maior probatur: Quia beatitudo formalis in creaturis est operatio creata, quæ est assecutio summi boni tanquam vltimi finis, ad quem ordinatur, vt patet *ex* 1. 2. *locis paulo ante notatis*. Minor vero probatur: quia visio animæ Christi finis est omnium habituum supernaturalium existentium in eadem anima: ergo licet hæc visio ordinetur ad bonum altioris ordinis, scilicet ad vnionem hypostaticam, non ideo desinit esse beatitudo. Et per hæc diluuntur obiecta, quæ ex ratione maioris nobilitatis bonitatis, & ex ratione causalitatis finalis conuenientis vnioni hypostaticæ respectu visionis animæ Christi trahi possunt.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus habuerit aliquam scientiam inditam, vel infusam.

Infra q. 12. *a.* 1. *cor &* 3. *dist.* 14. *art.* 1. *q.* 5. *Et veri qu.* 20. *ar.* 2. *c. fi. & ar.* 3. *Et op.* 9. *c.* 223. *Et op.* 2. *q.* 81. *ar. prec.*

AD tertium sic proceditur. *Videtur, quod in Christo non sit alia scientia indita, vel infusa præter scientiam beatam. Omnis enim alia scientia comparatur ad scientiam beatam, sicut imperfectum ad perfectum. Sed præsente cognitione perfecta, excluditur cognitio imperfecta: sicut manifesta visio faciei excludit ænigmaticam visionem fidei, vt patet primæ ad Corinth.* 13. *Cum igitur in Christo fuerit scientia beata (vt dictum est) videtur, quod non potuerit in eo esse alia scientia indita.*

Præterea, Imperfectior modus cognitionis disponit ad perfectiorem: sicut opinio, quæ est per syllogismum dialecticum, disponit ad scientiam, quæ est per syllogismum demonstratiuum. Habita autem perfectione non est vlterius necessaria dispositio: sicut habito termino, non est necessarius motus. Cum ergo cognitio quæcunque alia creata comparetur ad cognitionem beatam, sicut imperfectum ad perfectum, & sicut dispositio ad terminum: videtur, quod cum Christus habuerit cognitionem beatã, quod non fuerit ei necessarium habere aliam cognitionem.

Præterea: Sicut materia corporalis est in potentia ad formam sensibilem, ita intellectus possibilis est in potentia ad formam intelligibilem. Sed materia corporalis non potest simul recipere duas formas sensibiles, vnam perfectiorem, & aliam minus perfectam: ergo neq; anima potest simul recipere duplicem scientiam, vnam perfectiorem, & aliam minus perfectam, & sic idem quod prius.

Sed contra est, quod dicitur Coloss. 2. *quod in Christo sunt omnes thesauri Sapientiæ, & scientiæ absconditi.*

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, decebat, vt natura humana assumpta à Verbo Dei, imperfecta non quasi esset. Omne autem quod est in potentia, est imperfectum, nisi reducatur ad actum. Intellectus autem possibilis humanus est in potentia ad omnia intelligibilia. Reducitur autem in actum per species intelligibiles, quæ sunt quædam formæ completiuæ ipsius, vt patet ex his, quæ dicuntur in tertio de Anima. Et ideo oportet in Christo ponere scientiam inditam, inquantum per Verbum Dei, animæ Christi sibi personaliter vnitæ, impressæ sunt species intelligibiles ad omnia, ad quæ intellectus possibilis est in potentia. Sicut etiam per Verbum Dei impressæ sunt species intelligibiles menti Angelicæ in principio creationis rerum: vt patet per Augustinum 2. *super Genes. ad literam. Et ideo sicut in Angelis secundum eundem Augustin. ponitur duplex cognitio (vna scilicet matutina, per quam cognoscit res in Verbo: & alia vespertina, per quam cognoscunt res in propria natura per species sibi inditas) ita præter scientiam diuinam increatam, est in Christo secundum eius animam scientia beata, qua cognoscit Verbum, & res in Verbo: & scientia infusa, siue indita, per quam cognoscit res in propria natura per species intelligibiles humanæ menti proportionatas.*

Ad primum ergo dicendum, quod visio imperfecta fidei in sui ratione includit oppositum manifestæ visionis, eo quod de ratione fidei est, vt sit de non visis, vt in Secunda parte dictum est. Sed cognitio, quæ est per species inditas, non includit aliquid oppositum cognitioni beatæ. Et ideo non est eadem ratio vtrobique.

Ad secundum dicendum, quod dispositio se habet ad perfectionem dupliciter. Vno modo sicut via ducens ad perfectionem, alio modo sicut effectus à perfectione procedens. Per calorem enim disponitur materia ad suscipiẽdam formam ignis, qua tamen adueniente, calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formæ. Et similiter opinio ex syllogismo dialectico causata, est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur: qua tamen acquisita, potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstratiuam, quæ est per causam. Quia ille, qui cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus. Et similiter in Christo, simul cum scientia beatitudinis manet scientia indita, nõ quasi via ad beatitudinem, sed quasi per beatitudinem confirmata.

Ad tertium dicendum, quod cognitio beata non fit per speciem, quæ sit similitudo diuinæ essentiæ, vel eorum, quæ in diuina essentia cognoscuntur: vt patet ex his, quæ in Prima par. dicta sunt, sed talis cognitio est ipsius diuinæ essentiæ immediate per hoc, quod ipsa essentia diuina vnitur intellectui beato, sicut intelligibile intelligenti, quæ quidem essentia diuina est forma excedens proportionem cuiuslibet creaturæ. Vnde nihil prohibet, quin cum hac forma superexcedente, simul insint rationali menti species intelligibiles proportionatæ suæ naturæ.

D. 485. *q.* 11. *ar.* 2.

Sensus quæsiti.

QVOMODO differant in proprietate sermonis scientia indita & infusa declarat optime Cai. & post eum Med. & Suar. *in Com. huius a.* Sed præterea quomodo differant scientia indita vel infusa ab ac-

ab acquisita, declarant Caiet. *art. seq.* §. *Ad horum euidentiam*. Et Medina *super hoc artic.* qui & explicat quotuplex sit scientia acquisita; Nec audiendus est Suarez negans scientiam inditã eadem actione produci, qua producitur subiectum; quamuis enim eius opinio sit probabilis; oppositam tamẽ, vt absolute veram esse sequendam ostendimus *in* 1. *p. q.* 55. *art.* 2. *Controu.* 2.

A

Forma Textus.

CONCLVS. *est*: *Oportet in Christo ponere scientiam inditam*: probatur dupliciter. Primo, quia decebat, vt natura humana assumpta à Verbo imperfecta non esset; ergo oportet in Christo ponere scientiam inditam. Antecedens patet ex articulo præcedente, consequentia vero probatur: quia aliter intellectus eius possibilis esset imperfectus: B Probatur hoc assumptum; quia omne quod est in potentia, est imperfectum nisi reducatur ad actũ: sed intellectus possibilis Christi & omnis alius humanus est in potentia ad omnia intelligibilia, & reducitur in actum per species intelligibiles; ergo intellectus possibilis Christi esset imperfectus, si non haberet species intelligibiles inditas, quod est habere scientiam inditam. Declaratur conclusio principalis explicando modum, quo species inditæ sunt animæ Christi, & dicendo eas esse inditas, quatenus per Verbum Dei animæ Christi sibi personaliter vnitæ impressæ sunt species, intelligibiles ad omnia, ad quæ intellectus possibilis est in potentia; sicut etiam per Verbum Dei impressæ sunt species intelligibiles menti Angelicæ in principio creationis rerum. Secundo probatur conclusio à simili in Angelis; in quibus secundum Augustinum ponitur duplex cognitio &c. vt in textu.

Expositio Textus.

DE VERITATE conclusionis disputant Medina *super hoc artic.* & Aluarez *in expos.* & *in Controu.* 53. *concl. prima.* Probationis autem efficacitatem explicat optime Caiet. *hic & quæst.* 11. *art.* 1 *in principio expositionis*: quem sequitur Suarez. *in Commentario.*

Vide etiam, quæ notat Caiet. circa respons. *ad* 2. *&* 3. *argum. D. Thom.*

Controuersia Vnica.

An præter visionem beatam sit aliqua scientia indita vel infusa animæ Christi distincta à donis, & à virtutibus intellectualibus supernaturalibus Christi, & à scientia nostra Theologica, & an sit infusa per se.

Sententia Doctorum.

CAIET. *infra qu.* 19 *art.* 3. §. *ad hoc dicitur* ait scientiam infusam animæ Christi comprehendere in se dona Spiritus S. ad intellectum pertinentia, scilicet donum Sapientiæ, Intellectus, Scientiæ & Consilij: quod idem etiam consequenter affirmaret de virtutibus intellectualibus de quibus est eadem ratio.

Alij dicunt scientiam infusam animæ Christi esse quidem à virtutibus intellectualibus & donis distinctam, sed non esse per se, sed per accidẽs tantum infusam; & ex his quidam dicunt scientiam hanc esse eiusdem atomæ speciei cum nostra Theologia, quæ supernaturalis est, & tamen nostris actibus est acquisibilis; quidam autem dicũt scientiam hanc esse eiusdem ordinis cum scientiis naturalibus nostris actibus acquisitis, & cum ea quæ in statu innocentiæ fuit Adæ protoparenti diuinitus infusa: ita docẽt Alensis *in* 3. *p. q.* 3. *memb.* 1. *&* 2. S. Bonau. *in* 3. *dist.* 14. *art.* 1. *q.* 1. Scotus *quæst.* 3. Dur. *q.* 4. Ricard. *q.* 3. *art.* 1. Gabriel *art.* 2.

C

D

E

Caiet. *infra a.* 4. §. *in corpore, & q.* 11. *art.* 6. docet hanc animæ Christi scientiam esse ordinis naturalis, & esse specie differentem à scientiis nostris naturalibus, eo quod sit de genere connaturaliũ Angelis & animabus separatis.

Sed idem Caiet. hic & alij Thomistæ expositores, & ante eos Capr. *in* 3. *dist.* 14 *q.* 1. *concl. secunda*; docent scientiam hanc esse per se infusam, & esse debitam animæ Christi ratione suæ dignitatis & status, & specie distingui à cæteris virtutibus intellectualibus & donis Spiritus S. & colligi potest hæc sententia ex A. nostro D. tam *in hoc artic.* quam *in* 1. *q.* 11.

Resolutio. Prima pars respondetur quatuor dictis naturæ, & dignitatem scientiæ infusæ animæ Christi declarantibus.

QVATVOR habet partes hæc Controuersia: de quibus singulis ordinate ac breuiter agendum est.

AD PRIMAM igitur inquirentem; num præter visionem beatam sit aliqua scientia indita vel infusa animæ Chtisti, DICO PRIMO, *certum esse fidei doctrinam in anima Christi præter visionem beatam esse aliam cognitionem supernaturalem.* Probatur hoc dictum. Primo, quia secundum fidem certum est in anima Christi fuisse & esse dona Spiritus S. vt probat S. Doct. & eius expositores *supra q.* 7. *art.* 5. ergo certum est in ea fuisse cognitionem, quæ est per donum sapientiæ, Scientiæ, Intellectus & Cõsilij. Secundo certum est in anima Christi fuisse virtutes omnes morales; vt patet *ex allegata q.* 7. *a.* 2. ergo in ea fuit etiam prudentia supernaturalis; quæ est alia cognitio à visione beata; Tertio probatur: quia Christus ex parte animæ longe fuit excellentior cæteris aliis omnibus viatoribus; at in his fuit multiplex cognitio supernaturalis, puta fidei, prudentiæ, donorum & prophetiæ; ergo multo magis in anima Christi viatoris simul & cõprehensoris fuit cognitio supernaturalis à visione distincta seclusis imperfectionibus.

SECVNDO DICO *in anima Christi præter visionem beatam, & prudentiam supernaturalem, & dona Spiritus S. esse aliam cognitionem realiter ab his omnibus distinctam, & supernaturalem.* Probatur quoniam in Christo, quatenus merebatur, debuit esse cognitio aliqua supernaturalis, per quam dirigerentur opera meritoria; at hæc non potuit eadem esse cũ aliqua prædictarum cognitionum; ergo. Maior probatur: quia opera supernaturalia non dirigũtur, nisi per cognitionem supernaturalem; Minor probatur, quo ad singulas partes virtualiter in ea contentas; & primo quo ad visionem beatificam; quoniam hæc ad statum pertinet comprehensoris, vt præmium præcedentiũ omnium meritorũ; ergo. Et confirmatur: quia visio beata non potest ordinari ad aliud; ergo non potest esse principiũ meriti: Quo ad secundam vero partem, scilicet prudentiam supernaturalem probatur: quoniam hæc est omnino practica, & non eleuatur in contemplationem Dei, quem tamen oportet præcognoscere, vt in illum tanquam vltimum finem dirigantur opera meritoria; quo ad tertiam vero partem, scilicet dona Spiritus sancti probatur; quoniam hæc à Deo dantur, non vt per se primo principia sint eliciendæ cognitionis, sed vt anima per illa sit facile mobilis à Spiritu sancto atque adeo vt præsuppositum adiuuent supernaturalis cognitionis principium ab eis omnino distinctum.

TERTIO DICO *Christum, vt hominem scientiam hanc habuisse à principio suæ conceptionis.* Ita satis aperte docet S. Th. *infra q.* 14. *a.* 4. *ad* 2. *&* *q.* 15. *a.* 3. *ad primum, & ad* 3. *&* *quæst.* 19, *ar.* 3. *in c.* & Damasc. *lib.* 2. *de*

*fide,cap.*22.dicens, quod ille negaret vnionem hypostaticam,qui diceret Christum hac scientia caruisse;at ea caruisset si eam à principio nõ habuisset;ergo.Et probatur ratione: Quia scientia hæc, vt ante diximus, fuit in Christo principiũ meriti; at Christus meruit à principio suæ conceptionis; vt euidenter colligitur ex verbis Apostoli *ad Heb.* 10.dicentis:*Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam,& oblationem noluisti,corpus autem aptasti mihi*, & infra: *tunc dixi; ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam: aufert primum, vt sequens statuat; in qua voluntate sanctificati sumus.* In quibus verbis,quamuis sermo sit de voluntate Dei, qua dicimur sanctificati, quia sua voluntate dedit nobis Deus Christum nos sanctificantem; in eisdem tamen significatur voluntas Christi, quæ per actum obedientiæ nobis meruit sanctitatem,cum dicitur: *tunc dixi: ecce venio, vt faciam voluntatem tuam*, indicant enim actũ in primo instanti Incarnationis elicitum, in quo vere dixit Dei filius, *ecce venio*, tunc enim solum vere ac proprie venire dictus fuit, quando nostrã assumpsit humanitatem; vt patet ex iis,quæ de visibili missione filij dixit S.D.*1.p.q.*43.*a.*1.vbi ait filium dici missum à patre,quatenus incepit in mũdo esse per carnẽ assumptam; igitur vere ac proprie dicitur venire, cum primo carnem assumit. Nam venire missioni exercitæ correspondet,vt eius effectus inseparabilis; sicut motioni serræ ad secandum correspondet actio serræ instrumentalis;quæ sectio est,vt proprius & inseparabilis talis motionis effectus.

QVARTO DICO *scientiam hanc infusam proprie loquendo esse sapientiam & esse speculatiuam simul & practicam*: Prior huius dicti pars facile probari & explicari potest ex doctrina D. Thom.*1.p.q.*1.*a.*6. & ex iis, quæ ibi notauimus de habitu sapientiæ; posterior vero pars ex eisdem principiis deduci potest;ex quibus *in allegata q.art.*4.probat S.D.& ibidem expositores nostram Theologiam esse simul practicam & speculatiuam; ita vt fieri possit argumentũ à minori ad maius, eo quod hęc scientia sit longe perfectior, & maiorem habens similitudinem cum diuina scientia,à qua tam hęc quã nostra Theologia est exemplata.

Secunda pars Controuersia. Scientiam hanc à donis, & virtutibus intellectualibus infusis animæ Christi esse distinctam, & ea in vna altiori ratione eminenter includere.

SECVNDA PARS inquirit; *an hæc scientia distinguatur à donis & virtutibus intellectualibus infusis animæ Christi*? Cui quæsito respondeo scientiam hãc à prædictis omnibus esse distinctam, & illa in vna & simplici sua ratione excellenter includere. Et *primo* quod distinguatur à donis, sic probo: Hæc scientia est vnus simplex habitus, vt patet infra *q.* 11.dona vero sunt multa; ergo. Secundo: Hæc scientia per se primo datur ad eliciendam supernaturalem cognitionem; dona vero per se primo nobis à Deo dantur, vt per ea mens nostra sit facile mobilis à Spiritu sancto: ergo. Tertio:Dona sunt imperfectiora fide; vt ait S. D. *1.2.q.*68.*art.*3. ergo sunt imperfectiora hac scientia; igitur ab ea distinguitur; Prima consequentia patet;quia scientia hæc perfectior est fide;vt patet ex tota *quæst.*11. Secunda consequentia est euidens.*Secundo*,quod distinguatur à prudentia infusa probatur: Quoniam hæc est practica tantum; scientia vero animæ Christi infusa speculatiua simul est & practica: Secundo:prudẽtia infusa multiplex est; quædam enim est regalis siue monarchica,quædam politica, quædam œconomica, & quædam monastica,&c.vt patet ex D.Thom. *2.2.q.*51.hæc autem scientia vna tantum & simplex est; Tertio: actus prudentiæ proprius est præcipere; huius vero scientiæ actus est scire, ordinare & iudicare. *Demum* quod hæc scientia contineat excellenter donorum & prudentiæ infusæ perfectiones, A affirmat S.Thom.infra *quæst.*11.*art.*1.*in argumento, sed contra, & in c. & in resp. ad* 3.*argumentum*; quod etiam expressius asserit Caietanus, *quæst.*19.*art.*3. vbi tamen aduertendum est S.Thom.non asserere scientiam hanc idem esse cum donis, sed tantum earum perfectiones præhabere, & per hanc ea omnia cognosci, quæ per quodcunque donũ aut virtutem intellectualem cognosci possunt.

Tertia,& quarta pars Controuersia. Scientiam hanc esse per se infusam, & à nostra Theologia distingui.

SVPERSVNT iam duæ postremæ partes controuersiæ simul ob earum connexionem expedẽdæ; Nam si constiterit scientiam hanc esse per se infusam, consequens euidenter ac necessario erit eam à Theologia nostra distingui, quæ cum ex genere suo sit acquisita, non potest esse infusa per se;quamquam ex diuina largitate quibusdam possit esse infusa per accidens. Scientiam igitur B hanc animæ Christi infusam esse probatur primo ex dictis *in parte præcedenti*. Nam si præhabet hæc scientia donorum & prudentiæ infusæ perfectiones impossibile est eam esse ex suo genere acquisitam;quod enim per se infusum est,altioris ordinis est eo quod per se acquisitum est; constat autem dona Spiritus S. & prudentiam supernaturalem esse per se infusa; igitur includi nequaquam possent secundum suas perfectiones in hac scientia, si non esset per se sed per accidens tantum infusa. Secundo: Hæc scientia non pendet ex fidei principiis, sed eorum obscura cognitione longe perfectior est; ergo non minus, sed multo magis est infusa per se,quam fides. Tertio:Per hanc scientiam cognoscuntur immediate omnia mysteria fidei;vt patet infra *quæst.*11.*art.*1. hæc autem, cum supernaturalia sint, vendicant sibi vt sola diuina reuelatione & lumine supernaturali diuinitus infuso cognosci possint, vt ait S.D.*in* 1.2.*quæst.*109. *art.*1. Ex quibus sequitur euidenter scientiam hãc realiter esse diuersam à scientia nostræ Theologiæ; & probatur etiam primo: quia scientia hæc in Christo fuit principium meriti; vt ait S.D.infra *q.*19.*art.*3, nostra autem Theologia non est principium meriti, sed fides; vt ait S. August. *in tract.* 68.*in Ioan.* & Chrysost.*in homil.de fide,spe, & charitate post expositionem* 1. *ad Corinth.* Secundo probatur:quoniam obiectum huius scientiæ longe vniuersalius est obiecto nostræ Theologiæ, & ratio eius formalis est altior ratione formali nostræ Theologiæ;vt patet *ex quæst.* 11.*art.*1.ergo: Videnda sunt,quæ de scientia infusa per se scribunt Cai. D *artic sequenti*, §. *Ad horum euidentiam, & circa respons. ad* 2. *&* 3. Med.*super hoc art.* Vasq. *disput.* 52. & Aluar.*disp.*53.*conclus.*1.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCLVS. *In anima Christi præter visionem beatam est alia cognitio supernaturalis*: Hæc est fidei veritas, & patet ex dictis *in* 1.*p.contr.*

SECVNDA CONCL. *Scientia indita vel infusa animæ Christi distinguitur realiter non solum à visione beata sed etiam à prudentia infusa, & à donis Spiritus S.quæ sunt in eadem anima Christi*:Hæc patet ex dictis *in* 1. *&* 2.*p.controu.*

TERTIA CONCLVS. *Prædictam scientiam habuit Christus vt homo ab initio suæ conceptionis*; Hæc patet ex dictis *in eadem parte.*

E QVARTA CONCL. *Hæc scientia Christi est vere & proprie sapiẽtia,& est speculatiua simul & practica*:Hæc patet ex eadem parte.

QVINTA CONCL. *Hæc scientia continet excellẽter perfectiones donorum & prudentiæ infusæ*:Hæc patet ex dictis *in* 2.*parte Controu.*

SEXTA CONCL.*Hæc scientia est infusa per se, & distinguitur realiter à nostra Theologia.*Hæc patet ex dictis circa *duas vltimas Controu.partes.*

Argumenta, & solutiones.

CONTRA primam conclusionem militant argumenta, quæ producit Medina contra conclu-

sionem

fionem D. Thom. quibus optime satisfacit.

Obi. 1. cont. 2. concl. CONTRA *secundam concluſ.* sunt hæc argumenta. *Primum* est: S. D. infra *quæſt. 11. art. 1. in argumento ad oppoſitum* probat Christum per hanc scientiã vniuersa cognoscere, quia cognoscit omnia per dona Spiritus sancti eius animæ data; *& in eodem art. ad 3.* ait Christum per hanc scientiam omnia singularia cognouisse; quia plenitudinem habuit prudentiæ secundum donum consilij, cui necessaria est cognitio singularium præsentium, futurorum & præteritorum; & *art. 6. in argumento ad oppoſitum* probat scientiam hanc infusam distingui per diuersos habitus; quia *Zachariæ 3.* dicitur: *Super lapidem vnum oculi ſeptem*; per oculum autẽ (inquit S. Thom.) scientia intelligitur; ex quo deducit in Christo fuisse plures habitus scientiæ. Hæ autem consequentiæ essent inefficaces, si scientia

Conſ. 1. hæc distingueretur à donis: *Cõfirmatur primo*: quia posita huius scientiæ identitate cum donis, re-

Conſ. 2. manet efficax ratio S. D. *in textu*; vt patet applicanti. *Secundo confirmatur*: quia posita hac identitate saluantur conditiones omnes, quas huic scientiæ tribuit S. D. *infra quæſt. 11.* vt quod per eam cognoscat conuertendo se ad phantasmata, quod fuerit collatiua, quod fuerit maior scientia Angelorum, quod fuerit habitualis. & quod fuerit distincta per diuersos habitus. Hæ namque conditiones congruunt donis. *Reſpon.* quod quia scientia

Solut. hæc donorum perfectiones præhabet excellenter, ideo in primo loco S. Thom. hoc solum vult, quod sicut per dona Spiritus sancti cognoscuntur omnia, ita per hanc scientiam cognoscuntur omnia reuelabilia. Non autem quod sit idem cũ donis; & eodem modo accipiendum est secundũ dictum. Ad tertium autem dico distinctionem illam in plures habitus significatam per septem oculos, intelligendam esse materialiter siue quo ad species, nõ autem formaliter quo ad rationes formales scibilis, inquantum scibile, vt ibi dicemus.

Ad 1. conſ. *Ad primam confirmationẽ* negatur antecedens; quia anima Christi receptis speciebus, quæ donis deseruiunt, adhuc remaneret in potentia ad

Ad 2. conſ. species inditæ scientiæ deseruientes. *Ad secundam confirmationem* negatur antecedens; primo: quia per dona Spiritus sancti non cognoscuntur omnia omni modo, quo cognoscibilia sunt; Secũdo, quia dona Spiritus sancti non dantur per se primo ad eliciendam cognitionem, sed vt anima sit bene mobilis à Spiritu sancto: hæc autem scientia per se primo datur ad eliciendum assensum clarum, &

Obi. 2. euidentem circa omnia quocunque modo à Deo reuelabilia.

Secundum argumentum est: Hæc scientia nulli fuit vnquam puræ creaturæ collata simul cum donis, cum tamen ei non repugnet; ergo neque debuit

Solut. conferri Christo. *Reſp.* nullam esse consequentiam, quoniam hæc scientia soli Christo congruit, quate-

Obi. 3. nus est caput Ecclesiæ & Dominus omnium.

Tertium est: Si ponitur hæc scientia, sequitur nõ esse tantum tres sed quatuor virtutes Theologales; quod est absurdum: probatur consequentia. Nam hæc scientia respicit Deum secundum se vt

Solut. obiectum, & habet actum fide perfectiorem; ergo erit virtus Theologica. *Reſp.* nullam esse consequentiam. Nam vt ait Cai. *2. 2. q. 17 art. 5.* de ratione virtutis Theologicæ est, vt attingat Deum immediate; hæc autem non attingit nisi mediante discursu. Secundo respõdetur concedendũ esse scientiam hanc esse virtutem Theologicam; quia conditiones omnes habet Theologicæ virtuti necessarias. Nam Cai. *in 1. 2. q. 62. art. 2. & 2. 2. loco notato* tres ait exigi cõditiones vt aliqua virtus sit Theologica. Prima est, vt sit infusa; Secũda, vt versetur

A circa Deum immediate; Tertia, vt habeat actum optimum & perfectum: has autem omnes conditiones habet hæc scientia; est enim per se infusa, & habet actum perfectum & optimum scilicet clarum & euidentem; Nec obstat, quod tres tantum ponantur virtutes Theologales iuxta illud Apost. 1 *Cor. 13. Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc*: quia de virtutibus puro viatori conuenientibus sermo est, vt ait Cai. *in allegato art. 5. & in 2. 2.* scientia autem hæc Christo comprehensori simul & viatori data est.

CONTRA *tertiam concluſ.* militant argumenta, quæ S. D. proponit & soluit *infra q. 34. art. 2.* vbi quærit, an Christus in primo instanti suæ conceptionis habuerit vsum liberi arbitrij.

B CONTRA *ſextam concluſ.* præter argumen. quæ *Obi. 1. conc. 6 concl.* proferunt & soluunt Med. & Vasq. *locis allegatis*, sunt etiam hæc argumenta. *Primum* est: quia S. D. *infra q. 11. art. 5.* sic argumentatur ad probandum scientiam hanc infusam esse habitualem: *Hæc ſcientia fuit vnuoca ſcientiæ noſtræ, ſicut, & anima eius fuit vnius ſpeciei cum anima noſtra: ſed ſcientia noſtra eſt in genere habitus; ergo, & ſcientia hæc fuit habituala*: quæ ratio esset inefficax, nisi loqueretur S. D. de vniuocatione secundum speciem atomam; cum vnitas genetica siue speciei subalternæ non sufficiat. Nam scientia beata eiusdem est speciei subalternæ cum nostra Theologia, & cum hac scientia indita animæ Christi; quia omnes sunt supernaturales; & tamen scientia beata non est habitualis, sicut nostra Theologia sed actualis. *Reſp.* D. Tho. *Solut.*

C ibi loqui de vniuocatione secundum genus proximum earum scientiarum, quæ non attingunt Deum immediate vt clare visum; omnes enim hę scientiæ sunt habituales.

Secundum eſt: Scientia Christi est eiusdem spe- *Obi. 2.* ciei cum Theologia, quam habent Angeli & beati extra Verbum; ergo est eiusdem speciei cũ nostra Theologia; ergo. Probatur antec. quia S. D. hic ait: *ſicut in Angelo ponitur duplex cognitio, vna ſcilicet matutina, per quam cognoſcunt res in in Verbo, & alia veſpertina, per quam cognoſcunt res propria natura per ſpecies ſib. inditas, ita præter ſcientiam diuinã increatam eſt in Chriſto ſecundum eius animam ſcientia beata, qua cognoſcit Verbum, & res in Verbo, & ſcientia infuſa, ſiue indita, per quam cognoſcit res in propria natura per*

D *ſpecies intelligibiles humanæ menti proportionatas*; Secundo probatur antecedens: quia non facile potest assignari distinctio rationum formalium harum scientiarum; *Et confirmatur*: quia Theologia *Conf.* quam habemus in via, & ea quam habent beati extra Verbum, est eadem specie & numero, vt multi opinantur *in 1. p. q. 1. art. 2. Reſpon.* falsum esse *Solut.* antecedens: Ad primam eius probationem dico D. Thom. significare non vt. itatem speciei, sed similitudinem proportionalem. Nam sicut Angelis data est cognitio supernaturalis extra Verbum, quia sic congruit eorum dignitati, ita conferri debuit animæ Christi scientia supernaturalis extra Verbum eius dignitati proportionata; atque ideo præhabens perfectionem cuiuslibet notitiæ

E reuelatæ extra Verbum, etiam Angelis factæ, & consequenter ab ea distingui. Ad secundam probationem negatur antecedens: Nam, vt ante diximus, ratio formalis diuinæ reuelationis in hac scientia ad multo plura extenditur, quam reuelatio nostræ Theologiæ. *Ad confirmationem* respon- *Ad conf.* detur, primo falsam esse illam opinionem, vt ostendimus *in 1. part. lococo notato*; Secundo nego consequentiam; quia scientia hæc ad multa extẽditur, quæ non attinguntur à nostra Theologia, nec ab Angelica scientia; Hæ namq; non extendũtur ad futura cõtingentia, nec ad cogitationes

cordium

cordium, nec claudunt in se perfectiones donorum Spiritus sancti.

Obi. 3. *Tertium* est: Eadem sunt principia formalia scientiæ Christi, & nostræ Theologiæ; ergo sunt eiusdem speciei atomæ: Conseq. probatur ex Aristot. in lib. poster. dicente scientias distingui penes principia; quia vbi sunt distincta principia formalia, sunt etiam distincta obiecta formalia, per quæ scientiæ distinguuntur: Antecedens autem probatur: quia principium per se vtriusq; scientiæ est visio beata; cum per eam manifestentur propriæ concluſ. harum scientiarum secundum proprias

Solut. suas rationes; ergo. *Respon.* falsum esse antecedens: Nam principia nostræ Theologiæ sunt illæ tantum veritates in Verbo visæ, quæ ad vniuersalem statum Ecclesiæ; at principia scientiæ inditæ animę B Christi sunt veritates omnes ad ordinem gratiæ, gloriæ & vnionis hypostaticæ pertinentes; præterea diuersum est lumen diuinæ reuelationis sub quo veritates ab hac & ab illa. s. nostra Theologia, cognoscuntur.

Obi. 4. *Vltimum* est: Illa scientia est per se acquisibilis & ordinis naturalis, ad cuius species intellectus ita est in potentia, vt si careat illa, sit imperfectus: at talis est hæc scientia; ergo. Minor est S. D. in textu. Maior vero probatur: quia intellectus non manet imperfectus, si non habeat perfectiones, ad quas solum est in potentia obedientiali, vt ait S. D. *de Ver. q. 8. art. 4. ad 13.* ergo si intellectus Christi carens hac scientia & eius speciebus, manet imperfectus, est in potentia naturali ad illas; ac proinde talis scientia est omnino naturalis; probatur C

Conf. hæc consequentia: quia ad formam supernaturalem non est potentia naturalis. *Et confirmatur*: quia S. D. *hic in fine corporis* ait Christum per scientiam infusam cognouisse res in propria natura per species intelligibiles humanæ menti proportionatas; ergo hæc scientia est ordinis naturalis. Probatur consequentia; nam omnis forma supernaturalis est ordinis superioris, & excedit naturam

Solut. nostram. & non est illi proportionata. *Resp.* falsam esse maiorem, si sermo sit de intellectu, cui debitæ sunt species supernaturales, qualis est intellectus animæ Christi, cui ratione vnionis hypostaticæ debita est hæc scientia supernaturalis, vt ait

ad Conf. S. D. *infra q. 14. art. 4 ad 2.* Ad confirmationem respondetur D. Thomam loqui de proportione D quo ad vniuersalitatem specierum. Hanc enim species infusæ & supernaturales seruant cum intellectu, cui infunduntur, quamuis naturalem eius facultatem excedant, quatenus sunt ordinis superioris s. gratiæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Christus habuerit aliquam scientiam acquisitam.

Inf. q. 12 a. 12. & q. 15. a 8. & opus. 3. c. 12 5. Et 3. dist. 14. a. 3. q. 1. 3. & dist. 8. art. 3. 5. & veri. q. 20. a. 3 1. AD quartum sic proceditur. *Videtur, quod in Christo non fuerit aliqua scientia experimentalis acquisita.* E *Quicquid enim Christo conueniens fuit, excellentissime habuit. Sed Christus non habuit excellentissime scientiam acquisitam: non enim instituit studio litterarum, quo perfectissime scientia acquiritur: dicitur enim Ioan. 7. Mirabantur Iudæi dicentes. Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? Ergo videtur, quod in Christo non fuerit aliqua scientia acquisita.*

Art. prec. *Præterea: Et quod est plenum, non potest aliquid superaddi. Sed potentia animæ Christi fuit impleta per species intelligibiles diuinitus inditas, vt dictum est. Ergo non potuerunt superuenire eius animæ aliquæ species acquisitæ.*

Præterea: In eo, qui iam habet habitum scientiæ, per A *ea, quæ à sensu accipit, non acquiritur nouus habitus (quia sic duæ formæ eiusdem speciei simul essent in eodem) sed habitus, qui prius inerat, confirmatur, & augetur. Ergo cum Christus habuerit habitum scientiæ inditæ, non videtur, quod per ea, quæ sensu percepit, aliquam aliam scientiam acquisierit.*

Sed contra est, quod Hebr. 5. dicitur: Cum esset Filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam. Glossa, id est, expertus est. Fuit ergo in Christo aliqua experimentalis scientia, quæ est scientia acquisita. *Gl. interl.*

Respondeo dicendum, quod, vt ex supra dictis patet, nihil eorum, quæ Deus in nostra natura plantauit, defuit humanæ naturæ assumptæ à Dei verbo: Manifestum est autem, quod in humana natura Deus plantauit non solum intellectum possibilem: sed etiam intellectum agentem. Vnde necesse est dicere, quod in anima Christi fuit non solum intellectus possibilis, sed etiam intellectus agens. Si autem in aliis Deus, & natura nihil frustra faciunt (vt Philosoph. dicit in primo de Cœl.) multo minus in anima Christi aliquid fuit frustra. Frustra autem est, quod non habet propriam operationem. cum omnis res sit propter suam operationem: vt dicitur in secundo de Cœl. Propria autem operatio intellectus agentis, est facere species intelligibiles actu, abstrahendo eas à phantasmatib. vnde dicitur in 3. de Anima, quod intellectus agens est, quo est omnia facere. Sic igitur necesse est dicere, quod in Christo fuerint aliquæ species intelligibiles, per actionem intellectus agentis in intellectu possibili eius receptæ: quod est esse in ipso scientiam acquisitam, quam quidam experimentalem nominant. *Art. 1 huius q. 9. & q. 5.* *Tex. 32. & lib. 2. tex. 59.* *Tex. 17.* *Tex. 18.* *D. 1218.*

Et ideo, quamuis aliter alibi scripserim, dicendum est, in Christo fuisse scientiam acquisitam: quæ proprie est scientia secundum modum humanum, non solum ex parte subiecti recipientis, sed etiam ex parte causæ agentis. Nam talis scientia ponitur in Christo secundum lumen intellectus agentis: quod est animæ humanæ connaturale. Scientia autem infusa attribuitur animæ humanæ secundum lumen desuper infusum: qui modus cognoscendi est proportionatus naturæ angelicæ. Scientia vero beata, per quam ipsa Dei essentia videtur, est propria, & connaturalis soli Deo, vt in prima parte dictum est. *3 sent. dist. 14. q. 3. a. 3.*

Ad primum ergo dicendum, quod, cum duplex sit modus acquirendi scientiam, scilicet inueniendo, & addiscendo, modus, qui est per inuentionem, est præcipuus: modus autem, qui est per disciplinam, est secundarius. Vnde dicitur in primo Ethicorum. Ille quidem est optimus, qui omnia per seipsum intelligit: bonus autem rursus est ille, qui bene dicenti obedit. Et ideo Christo magis competebat habere scientiam acquisitam per inuentionem, quam per disciplinam, præsertim cum ipse daretur à Deo omnibus in doctorem: secundum illud Ioel. 2. Lætamini in Domino Deo vestro, qui dedit vobis Doctorem iustitiæ. *q. 12. art. 4.* *cap. 4.*

Ad secundum dicendum, quod humana mens duplicem habet respectum. Vnum quidem ad superiora: & secundũ hunc respectum anima Christi fuit plena per scientiam inditam. Alter autem respectus eius est ad inferiora, id est, ad phantasmata, quæ sunt nata mouere mentem humanam per virtutem intellectus agentis. Oportuit autem, quod etiam secundum hunc respectum anima Christi scientia impleretur: non quin prima plenitudo menti humanæ sufficeret secundum seipsam: sed oportebat eam perfici etiam secundum conformationem ad phantasmata.

Ad tertium dicendum, quod alia ratio est de habitu acquisito, & de habitu infuso. Nam habitus scientiæ acquiritur per comparationem humanæ mentis ad phantasmata: vnde secundum eandem rationem non potest alius habitus iterato acquiri. Sed habitus scientiæ infusæ est alterius rationis: vtpote à superiori descendens in animam, non secundum proportionem phantasmatum. Et ideo non est eadem ratio de vtroque habitu.

Sensus

Sensus quæsiti.

TITVLVM huius articuli declarant optime Caietanus, & Suarez.

Forma Textus.

CONCLVS. *Necesse est dicere in Christo fuisse scientiam acquisitam, quam quidam experimentalem nominant.* Probatur dupliciter primo: Quia necesse est dicere in Christo fuisse aliquas species intelligibiles per actionem intellectus agētis in intellectu possibili receptas; ergo necesse est in ipso esse scientiam acquisitam. Consequentia est euidens; Antecedens vnum supponit, & alterum dicit, & vtrunque probatur in textu. Quod supponitur est, in Christo esse lumen intellectus agentis; quod probatur: Quia nihil eorum, quæ Deus in natura nostra plantauit, defuit humanæ naturæ assumptæ à Dei Verbo; sed Deus in humana natura plantauit non solum intellectum possibilem, sed etiam intellectum agentem; ergo necesse est dicere, quod in anima Christi fuit non solum intellectus possibilis, sed etiam intellectus agens: Quod autem affirmatur est, quod lumen intellectus agentis in anima Christi abstrahit species à phantasmatibus; quod probatur: Quia propria operatio intellectus agentis est facere species intelligibiles actu abstrahendo eas à phantasmatibus; ergo etiam in Christo hanc habuit operationem. Antecedens probatur authoritate Arist. *in 3. de anima* dicentis, quod intellectus agens est, quo est omnia facere. Consequentia vero probatur: quia alioquin intellectus agens in Christo fuisset frustra; at non fuit frustra; ergo probatur sequela; quia frustra est id, quod non habet propriam operationem; ergo. Probatur hoc assumptum: quia vnum quodque est propter suam operationem, vt dicitur *in 2. Cœli, tex. 17.* subsumpta vero propositio, videlicet intellectum agentem in Christo non fuisse frustra. Probatur: quia Deus & natura nihil in aliis rebus agunt frustra, vt dicitur *in primo cali, tex. 32.* ergo multo minus in anima Christi aliquid fuit frustra.

Secundo probatur conclusio: Quoniam animæ Christi attribuitur scientia secundum lumen desuper infusum; qui modus cognoscēdi est proportionatus naturæ Angelicæ, & scientia beata, per quam ipsa Dei essentia videtur, quæ est propria & connaturalis soli Deo; ergo etiam dicendum est in ea fuisse scientiā acquisitam, quæ proprie est scientia secundum modum humanum, non solum ex parte subiecti recipientis, sed etiam ex parte causæ agentis. Explicatur hæc pars; quia talis scientia ponitur in Christo secundum lumen intellectus agentis, quod est animæ humanæ connaturale.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt quæ circa propositiones, & discursum præsentis articuli scribit erudite Cai. cuius doctrinam sequuntur Medina, Valentia & Aluarez.

Controuersia Vnica.

De veritate Conclusionis. An scilicet Christus habuerit scientiam aliquam acquisitam?

Sententia Doctorum.

SANCT. THOM. *in 3. s. dist. 14. q. vnica, art. 3. q. 5. in corp. & ad 3. & ad Aniballdum eandem dist. art. 4.* docet per sensum cognitionem additam fuisse animæ Christi certitudinem experimētalem, & quo ad hoc creuisse sciētiam Christi; quatenus. s. quotidie aliqua videbāt sensibiliter, quę prius non viderat; non tamē creuisse quo ad essentiam; & per lumen intellectus agentis, in Christo non fuisse speciem aliquam de nouo receptam in intellectu eius possibili; sed factam fuisse nouam cōuersionem ad species, quæ erant in phantasia; sicut fit in eo, qui habet habitum scientiæ eorum, quæ imaginatur vel videt. Eandem sententiam sequitur Scotus, Palud. Duran. & Gabriel *eadem dist.* & tribuunt quidam recentiores hanc opinionem Alensi *3. p. summæ, q. 13.*

S. Bonau. *eadem dist. art. 3. q. 2. in corp. & ad 2.* ait scientiam hanc fuisse Christo ab initio cōceptionis infusam quo ad lumen, non tamen ita, vt tunc ea potuerit vti, sed solum quando successu temporis acquisiuisset phantasmata, ad quæ posset conuerti.

Suarez *disput. 30. sect. 2.* duo dicit. *Primum* est; Christi animam à principio conceptionis suæ habuisse perfectos omnes habitus scientiarum, & virtutum intellectualium cum speciebus ad eorum vsum necessariis. *Secundum* est: animam Christi non habuisse à principio suæ creationis eam humanam cognitionem, quæ in experientia rerum consistit; ita vt anima Christi in intellectu non solum acquisierit mediis sensibus notitiam aliquam experimentalem, sed etiam species intelligibiles ad illam necessarias, quas à principio non habuit; quæ species intelligibiles repræsentent res, quatenus sub sensum ceciderunt, seu vt sunt principium cognoscendi ipsas res sensu perceptas; atque adeo potuisse acquirere species aliquorum singularium, quas non habebat infusas, & ita eorum experimentum comparare, & idem etiam affirmat de scientia Adæ.

Denique S. Thom. hic relicta priori sententia, quam primo loco retulimus docet Christū propriis actibus acquisiuisse scientiam omnem naturalem acquisibilem virtute intellectus agentis; quam sententiam sequuntur Capr. *in 3. dist. 14. ad argumenta contra secundam conclusionem* Cai. Med. & Val. *super hoc art.* Vasq. *disp. 55.* & Aluar. *disp. 53.* qui tamen *in responsione ad primum suum argumentum* negat D. Th. retractasse sententiam, quam tenuit *in 3. sent.* eo quod ibi *a. 3. ad 1. & 4. argumentum* asserat in Christo esse scientiam acquisitam seu experimentalem.

Resolutio. Distinguitur duplex modus scientiæ experimentalis, & explicatur fundamentum rationis D. Thomæ pro conclusione.

SVPPOSITA multiplici differentia, quæ est inter scientiam infusam & acquisitam & inter infusam per se & infusam per accidens, quam explicat Cai. hic §. *ad horum euidentiam, & circa responsionem ad secundum, & tertium argum.* D. Th. & Medina *super hoc art.*

Notandum est primo scientiam seu cognitionem experimentalem dupliciter sumi posse: Vno modo pro ipso sensuum experimento, etiamsi nulla ex eo cognitio noua in intellectu generetur, sed præexistens tantum exerceatur; vel dicas hoc primo modo sumi scientiam experimentalem pro scientia per infusionem habita, quatenus ministerio sensuum particularium rebus sensibilibus actu existentibus & præsentibus applicatur, & ea sensibiliter cognoscendo & experiendo exercetur: puta videndo, audiendo, tangendo, &c. ea secundum esse sensibile & singulare, quorum naturas & proprietates per species influxas à Deo cognouerat; quo modo Isidorus *lib. 1. de summo bono cap. 12.* dixit dæmones multa per experientiam longi temporis cognouisse. Et in eodem sensu intelligi posset illud Apostol. *Hebr. 5. Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* Alio modo sumi potest cognitio experimentalis pro notitia intellectuali per actus sensuum ex rebus singularibus acquisita virtute luminis intellectus agentis. Et in primo quidem sensu nullus vnquam Catholicorum negauit aut negare potest in Christo fuisse scien-

scientiam experimentalem ; hæc enim in sacris Euangeliis habet innumera & euidentia testimonia dicentia Christum vidisse, audiuisse, comedisse, esurisse & multa passum fuisse. Secundus vero sensus duplex est; primo namque nomine scientiæ seu cognitionis experimentalis in intellectu Christi Domini per sensus acquisitæ intelligi potest cognitio scientifica de rerum corporearum naturis à phantasmatibus, nō quibuscunque, sed ex speciebus & actibus exteriorum deriuatis accepta. Secundo potest intelligi sola cognitio singularium intellectiua, quæ fit per species sola singularia representātes, & à speciebus sensuum deriuatas; in quo sensu videtur Suar. tribuere Christo scientiam experimentalem.

Secundo sciendum est ; frustra esse, id quod non habet propriam operationem, vt ait S.D. in textu, ex quo deducit quod si Christus non habuisset scientiam acquisitam, intellectus agens in eo fuisset frustra. Cuius principij sensum tam absolute, quam vt applicatur instituto præsentis articuli, declarat accurate Caie. Comprehenditur autem eius declaratio quinque dictis. *Primum* est. Principium illud: *frustra est*, &c. non est arctandum ad genus, speciem aut indiuiduum quodlibet vel aliquod, sed absolute sumendum est; ita vt omnino vera sit de supposito siue subsistente, cui conuenit operatio, siue illud sumatur generice, siue specifice, siue indiuidualiter in vno vel aliquibus, aut in omnibus indiuiduis. *Secundum* dictum est: Idem principium intelligendū est subintellectis cōditionibus generalibus, quæ cum de operibus est sermo, subintelliguntur; nimirum quādo, vbi & in quo, &c. debet operari; ita vt sit sensus, id esse frustra quod propria caret operatione quando debet illam habere. *Tertium* dictum est: non solū id esse frustra, quod omni propria caret operatione naturali, sed id quod caret operatione sua principali, quia vnius potentiæ non est nisi vna operatio propria principalis, quę se habet ad ipsam vt finis, cuius priuatione dicitur frustra. Potentia siquidem naturalis determinata est ad vnum; rationalis autem alterum contrarium respicit principaliter & vniuersaliter, cum omnis potētia naturalis quædam sit, necesse est vt vnam habeat operationem principalem, quæ sit aliarū operationū omnium fundamentum ; & de operatione hac principali (inquit Caiet.) loquitur S. D. in textu. *Quartum* est ; duas esse intellectus agentis operationes, alteram principalem, quæ est facere species intelligibiles ; & alteram secundariam, quæ est facere euidentiam primarum propositionum immediate, & mediante illa facere aliarum propositionum & conclusionum ex eis deductarum euidentiam, quæ omnes propositiones & conclusiones ad scientiam pertinent acquisitam ; Si igitur (inquit Caiet.) in Christo non esset scientia naturalis propriis actibus acquisita, nec infusa per accidens, sed esset tantum in eo scientia illa, quæ dicitur infusa per se, vt quidam existimarunt, frustra esset intellectus agens in Christo; quia careret omni sua naturali & propria operatione tā primaria quam secundaria. Cum enim scientia illa infusa per se sit excellentior lumine intellectus agentis, si intellectus agens Christi non haberet officium species à phantasmatibus abstrahendi, quod est principale, careret etiam secundario, quod est facere propositionum euidētiam; huic enim muneri infusi per se luminis excellentia sufficeret; quod quidem (inquit Cai.) intelligendum est, quantū sit ex parte intellectus agentis; nam pro libera Christi voluntate potuisset intellectus agens illustrare phātasmata scientię infusæ deseruientia, quando voluisset Christus vti scientia illa conuertendo se ad phantasmata, & eadem ratione potuisset intellectus agens ex libertate animæ Christi cooperari ad intellectionem multorum intelligibilium. *Vltimum* est: Si supponamus in Christo scientiam ex suo genere acquisitam, sed per accidens infusam, quemadmodum fuit in Adam, tunc intellectum agentem non fore destitutum omni sua propria operatione, sed principali tantum; quoniam eodem lumine per se nota fuerunt prima principia, & propositiones seu conclusiones ex eo deductæ.

Sed duo sunt in quarto dicto, quæ non ab omnibus admittuntur. *Primum* est operatio illa secundaria intellectus agentis; hanc enim negat Vasq. *hic c. 2. versus finem, & 1. disp. 45. cap. 18.* & Suarez *disp. 30. sect. 2.* Verum hæc est doctrina S. Tho. *in 1. p. q. 84. a. 6. & in 3. cont. gent. c. 45. in fine*; & ideo valeant verba Vasq. & Suar. *Secundum* est: actionem abstrahendi species à phantasmatibus esse principalem; alteram autem qua propositionum facit euidentiam, esse secundariam; Quod videtur omnino falsum. Nam, vt ait S.D. *locis allegatis*, intellectus agens fortificat intellectum possibilem in eius operationibus assistens illi, vt educat in actum ea, quæ virtualiter continentur in primis principiis; at hoc non ordinatur ad abstractionem specierum à phantasmatibus, sed è contra, cum actus intelligendi sit perfectior specie intelligibili, & eam præsupponat; ergo elicere species non est operatio principalis, & finis intellectus agentis finis est abstractionis & specierum. Quare videtur dicendum Cai. nomine principalis operationis proximam aut primam ordine temporis vel naturæ significare voluisse: Secundo dici potest abstractionem specierū à phantasmatibus esse principalem, id est propriā operationem intellectus agentis, vt intellectus agens est; hæc enim illi soli conuenit; facere autem euidentiam propositionum & conclusionum non est solius intellectus agentis, sed conuenit etiam lumini scientiæ per se infusæ; nam, vt ait S. D. *infra q. 11. art. 3.* scientia animæ Christi infusa fuit discursiua quantum ad vsum, licet non quantum ad acquisitionem scientiæ. Cum igitur abstractio specierum à phantasmatibus propria sit luminis intellectus agentis, vt tale est, facere autem euidentiam principiorum & conclusionum alteri etiam lumini superiori conueniat, dici merito potest operationem illam esse principalem, hanc autem esse secundariam.

Tertio obseruanda est differentia inter Christum & Adam quo ad originem, seu causam scientiæ ex genere suo acquisitæ, & quo ad modum habēdi eam; quam optime explicat Cai. *in vltimo dubio ad præsentem art. §. oritur autem.*

Refertur opinio dicentium Christum quatuor modis scientiam naturalem absque vlla temporis mora acquirere potuisse.

Sed difficultas est, *an scientiam hanc sibi Christus acquisierit aliquo tractu temporis, puta per decem annos aut plures, vel absque temporis mora eam in se ipso causauerit virtute sui intellectus agentis, & possibilis in primo suæ conceptionis instanti?* Nullam enim fuisse temporis moram in huius scientiæ acquisitione docent quidam viri doctissimi dicentes id quatuor modis effici potuisse. *Primus modus* est, vt intellectus Christi ob summam perfectionem ex aliquibus sensibilibus, quæ experiebatur in primo suæ conceptionis instanti, deuenerit in cognitionem cæterorum, vt videtur asserere S. Tho. *infra q. 12. art. 1. ad 1. & 2.* vbi ait Christum, licet non omnia fuerit expertus, potuisse tamen procedere ad intelligendum effectus per causas, & causas per effectus, & contraria per contraria, & videndo corpora cœlestia potuisse comprehendere eorum virtu-

virtutes & effectus, quos habent in istis inferioribus, qui eius sensibus non subiacebant; & addit Cai. vno effectu præsertim perfecto comprehenso, puta homine, facile esse omnia comprehendi ab excellentissimo ingenio, quale fuit ingenium animæ Christi. Quomodo autem Christus existēs in vtero Virginis videre potuerit cœleste corpus, & se ipsum hominem, declarant dicentes, quod sicut illi adhuc mortali cōmunicatus fuit actus claritatis in transfiguratione, & agilitatis quando ambulauit super aquas, & subtilitatis quando illæsa virginitate matris exiuit in lucem, sic illi fuit in principio suæ Incarnationis immissa perfectissima quædam visio, qua pro tunc videbat cœlum & se ipsum; ex quibus omnia naturalia cognouit, & licet (inquiunt) hoc absolute cōsideratū fuisset miraculum, tamen fuit congruens Christi dignitati, & condecens ad maiorem eius perfectionem, & connaturale ordini hypostatico; vt hoc modo rerum omniū naturalium propriis actibus scientiam acquireret.

Secundus modus est, quā Caietanus ibidem proponit vt probabilem, dicens sicut esurienti Christo Angeli cibum corporeum ministrarunt, multo magis esse rationabile vt indigenti Christo spirituali cibo scientiæ acquisitæ ministrauerint Angeli singularia oportuna; ex quibus ipse suo ingenio adinuenerit scientiam, & S. Thom. *de Ver. q. 12. artic. 3.* docet multoties fieri prophetiam ministerio Angelorum, nempe quatenus Angeli immutant imaginationem prophetarum ad formanda phantasmata multarum rerum; similiter ergo potuerunt Christi imaginationem immutare in primo conceptionis eius instanti ad formāda phantasmata, à quibus sufficienter eliceretur species omnium intelligibilium pertinentium ad scientiam Christi naturalem; & licet (inquiunt) nō potuerint Angeli vitales actus in anima Christi producere, eorū tamen terminos, scilicet phantasmata potuerunt in ea causare, aut saltem Christi imaginatiuam disponere materialiter, vt diuersa posset formare phantasmata; quod facere potest Angelus immutando organa phantasiæ ad tales dispositiones; vt in simili docet S. D. *1. p. qu. 111. art. 2. & de Ver q. 12. art. 2. ad 4.* secundum hunc tamen dicendi modum (inquiunt) non potuisset hoc fieri in primo conceptionis instanti, sed statim à principio illius.

Tertius modus est, vt Christus à principio suæ cōceptionis ex phantasmatibus obiectorum naturalium, quæ tunc expertus est, virtute specierum scientiæ infusæ elicuerit alias species naturales, quibus mediantibus potuit habere cognitionem & scientiam omnium naturalium sensibilium. Quod autem Christus absque exteriori sensatione potuerit acquirere tales species Probatur: quia Christus potuit per scientiam infusam intelligere independenter à sensu exteriori, & tamen cōuertendo se ad phantasmata, vt ait S. D. infra *quæst. 12. art. 2.* ergo potuit formare phantasmata sine præcedente sensatione exteriore. Quod autem in eodem instāti potuerit simul abstrahere plures species, & per eas simul plura intelligere, probatur; Quia fieri potest, vt eadem potentia habeat plures operationes simul, si vna ordinetur ad alterā, aut vtraque ad vnam; Christus autem potuit omnes istas operationes ordinare ad eundem finem; ad propriam s. dignitatem; decebat enim ipsum cognoscere naturalia non per scientiam naturalem illi proportionatam secundum naturam. Et sicut (inquiunt authores prædicti) possunt infideles in instanti ad fidem conuerti, & eius mysteria credere (alioquin, si tempore indigerent, essent toto illo tempore extra statum salutis) non possunt autem credere, nisi forment phantasmata supernaturaliū, eo quod diuina p̄ præsentis vitæ statu nequeunt à nobis intelligi, nisi per habitudinem ad corporea.

Postremus modus est, vt Christus in primo instanti suæ conceptionis elicuerit tales species naturales non à phantasmatibus, sed à speciebus scientiæ infusæ immediate. Pro cuius expositione notant ex D. Thom. *prim. part. quæst. 12. articul. 9. ad 2. & alibi* intellectum & imaginatiuam ex speciebus præconceptis posse alias species elicere, & quamuis (inquiunt) talis specierum productio in anima non prædominante corpori fieri non possit absque conuersione intellectus ad phantasmata, in anima tamen beata id non est necessarium; quia lumen gloriæ liberat animam ab obligatione eliciendi species à phantasmatibus, & intelligendi per conuersionem ad phantasmata.

Confutantur quatuor prædicti modi dicendi, & probatur Christum in tempore scientiam hanc naturalem sibi comparasse.

Sed contrarium huic opinioni sententiam habet expresse S. D. infra *quæst. 11. artic. 2. ad 1.* cuius verba sunt: *Tam scientia infusa animæ Christi, quam scientia beata fuit effectus agentis infinitæ virtutis, qui potest simul totum operari; & ita in neutra scientia Christus profecit, sed à principio eam perfectam habuit: sed scientia acquisita causatur ab intellectu agente qui non simul totum operatur, sed successiue; & ideo secundum hanc scientiam Christus non à principio sciuit omnia, sed paulatim, & post aliquod tempus, scilicet imperfecta ætate; quod patet ex hoc, quod Euangelista simul dicit eum profecisse sapientia & ætate,* quod etiam in substantia repetit *in eadem q. art. 3. ad 3.* Pugnat igitur opinio illa manifeste cum doctrina D. Th. cuius se discipulos profitentur illi, quos diximus esse prædictæ opinionis authores.

Quatuor etiam illi dicendi modi, quos supra notauimus, plures in se continent fallitates. Et *in primo* quidem verba D. Thom. quæ pro sua sententia producunt authores prædicti, nihil eorum intentioni fauent, sed magis oppositum significant, dum ordine quodam vnum ex alio cognoscendo (per viam nempe discursus, qui necessario fit in tempore) docet Christum in omnium notitiam deuenisse. Ex quo etiam patet visionem illam cœli & hominis, quam authores prædicti Christum habuisse confingunt in primo suæ conceptionis instanti, nihil eorum opinioni suffragari, si quidem ea posita necessarius adhuc fuit illi discursus, vt ex duobus prædictis intellectis in aliorum notitiam deueniret: Deinde, vt ait hic S. D. scientia acquisita est scientia secundum modum humanum, non solum ex parte subiecti recipientis, sed etiam ex parte agentis, quod est lumen intellectus agentis; cuius virtus, cum sit finita, non potest simul totum operari, sed successiue; & ideo, vt ait S. Doct. infra *quæst. 12. art. 2. ad 1.* Christus secundum hanc scientiam non à principio sciuit omnia, sed paulatim & post aliquod tempus scilicet in ætate perfecta. Quamuis igitur hic primus dicendi modus prima facie videatur dignitati Christi conuenire, non congruit tamen assumptæ humanitati ob dictam causam. Nec tamen vllam ponimus imperfectionem in Christo, qui per scientiam beatam & infusam vniuersa cognouit ab initio suæ conceptionis, & scientiæ acquisitæ notitia non alio modo, quam per temporaneas successiones & augmenta Christo Domino debebatur.

Secundus vero dicendi modus plures patitur oppositiones. Nam primo, cum ait Caietanus fieri absque vllo incōuenienti potuisse, vt Angeli singularia Christo ministrarent, ex quibus ipse suo

ingenio scientiam inueniret, de ministratione loquitur non ad phantasiam immediate, sed in ordine ad sensus exteriores; & ideo doctrina, quam refert ex D. Tho. de formatione phantasmatum, huic proposito non deseruit. Deinde nō possunt Angeli sua virtute formas materiales, aut spirituales in aliquod subiectum influere, sed quasdam tantum ex potentia materiæ per motum localem educere, vt ait S. D. *prim.part.q.65. art. 4. & q.111. art.2.* de formis corporum; quasdam autem neq; per motum localem possunt causare, sed si quæ fuerint in subiecto quandoque receptæ, possunt eas per motum localem ad actum secundum excitare; & eas multipliciter adunare, vt ait S.D. *1.p. q.111.a.3.* de speciebus existētibus in phantasia; & ideo vanum & contra D.Thom. ac veram philosophiam est potuisse Angelos in Christi imaginatione rerum nunquam visarum phātasmata causare, aut imaginatiuam Christi disponere materialiter, vt diuersa posset formare phantasmata: nulla namque virtutis creatæ dispositione fieri potest, vt in phantasia formentur phantasmata omnino noua, vt ait S.D. *in allegato art.3. ad 2.* nec oppositum vnquam docuit. Denique, vt ipsi fatentur, ex hoc dicendi modo non infertur Christum scientiam hanc acquisiuisse in primo suæ conceptionis instanti.

Porro tertius dicendi modus plura continet falsa: *Primum* est Christum in primo suæ conceptionis instanti ex phantasmatibus obiectorum, quæ tunc expertus est, virtute scientiæ infusæ elicuisse alias species naturales, & eis mediantibus habere potuisse scientiam omnium naturalium sensibilium. Nulla namque phantasmata Christus habere potuit in primo suæ conceptionis instanti, nisi eorum tantum sensibilium, quæ tactu, vel gustu aut imperfecta quadam auditione sentire potuit in vtero Virginis; ex quibus neque homines, neque cœli, aut cæterarum specierum proprietates, & naturæ quocunque discursu cognosci perfecte possunt, & multo minus in instanti aut breuissimo tempore. Nec infusæ scientiæ virtute fieri possibile est, vt conclusiones in aliquo principio cognito virtualiter non comprehensæ per discursum ex eo deducantur. Quis autem asserat in speciebus ex dictis phantasmatibus abstractis cœlestium corporum species ea quidditatiue repræsentantes virtualiter contineri? *Secundum*, quod perspicue falsum cognoscitur, est Christum plures simul species abstrahere & plures simul intellectiones ordinis naturalis habere potuisse, eo quod fieri possit, vt eadem potentia plures simul habeat operationes, si vna ordinetur ad alteram, aut vtraque ad vnam. Hoc enim omnino falsum est de operationibus eiusdem rationis & ordinis, & realiter ab inuicem distinctis, quales sunt intellectiones animæ nostræ in ordine ad obiecta diuersa absolute sumpta, etiamsi ad vnū aliquem finem ordinentur, puta ad gloriam Dei vel perfectionem intelligentis, vt patet *ex 1.p.q.58. art.2. & q.85. art.4.* Nec obstat infidelium conuersionem instantaneam esse posse; id enim verum est, præsuppositis necessariis dispositionibus, quæ non nisi miraculose fieri possunt in instanti: Hæc autem doctrina, quam defendimus, intelligenda est secluso miraculo, & saluo modo intelligendi per discursum, qui sine tempore esse non potest.

Quartus demum dicendi modus, præterquam quod omnino chimericus est, vt pote qui nullo nititur solido fundamento, tot simul ponit in anima Christi rerum sensibilium intellectiones, quot sunt rerum species realiter ab inuicem distinctæ, & ad actus realiter distinctos ordinatæ; non enim elici potest species, nisi prout est actui secundo coniuncta; si ergo per scientiam Christus in vno instāti omnes species elicuit, tot etiam simul habuit intellectiones, quot erant species elicitæ; quod maximum esset miraculum à nullo Theologorum hactenus, præterquam à prędictis recentioribus excogitatum, his adde secundum hunc dicendi modum non esse in Christo scientiam acquisitam secundum modum animę rationali connaturalem.

Vltimo sciendum est: obiectum omne scientiæ proprie dictæ esse vniuersale abstrahens ab hic & nunc, id est ab omni differentia loci & temporis, ac proinde nullam esse posse scientiam siue habitum scientificum respicientem rem, vt cognitam tempore præterito; cuius oppositum absque solido fundamēto docet Suarez. Vnde etiam in Angelis & Adamo, quibus indita fuit scientia, nulla alia ponitur scientia per experimentum ex singularibus acquisita, sed per experimentalem singularium cognitionem confortata quodammodo fuit in eis illa, quæ præexistebat infusa notitia. *Suarezij dictum reiicitur.*

PRIMA CONCL. *In Christo non est ponenda scientia naturalis infusa tantum quo ad lumen, à phantasmatibus autem dependens quo ad vsum, vt ait S. Bonau.* Probatur, quia nomine luminis aut intelligitur lumē scientificum, aut lumē intellectus agentis; Si primum, illud non potest à speciebus, & habitu separari; igitur ponere scientiam infusam quo ad lumen est ponere scientiam simpliciter, id est in omnibus modis infusam, quod tamen negat S. Bonau. & id etiam esse falsum patet ex dictis. Si vero de lumine intellectus agentis sermo est, iam non quo ad vsum tantum, sed etiam quoad species & habitum ac lumen scientificum à phantasmatibus erit dependens, & erit scientia proprie & simpliciter acquisita, vt hic etiam ait S. Tho. *Conclusiones deductæ, & probatæ.*

SECVNDA CONCL. *In Christo non fuit scientia experimentalis mediis sensibus acquisita quo ad species intelligibiles repræsentantes res, quatenus sub sensum ceciderunt, seu vt sunt principia cognoscendi res iam antea sensu perceptas, vt ait Suarez.* Hæc patet ex dictis in vltimo notabili.

TERTIA CONCLVSIO: *In Christo non fuit scientia experimentalis solum quo ad hoc, quod est aliqua quotidie sensibiliter videre, quæ prius non viderat absque noua speciei receptione in intellectu eius possibili, & cum sola conuersione ad species, quæ erant in phantasia;* quæ fuit sententia S. D. *in 3.* quam hic aperte reiicit argumento superius explicato.

QVARTA CONCL. *In Christo ponenda est scientia naturalis obiectiue ex sensibilibus acquisita, quam vocant experimentalem.* Hæc est conclusio S. D. in textu; quam præter rationem superius explicatam probant discipuli D. Thom. & alij expositores supra nominati pluribus argumentis, & præ omnibus optime Vasq. *in allegata disp.55.c.2. & 3.*

VLTIMA CONCL. *Scientiam hanc Christus nō acquisiuit in instanti, aut ab initio conceptionis.* Hæc patet ex dictis.

CONTRA *primam* concluſ. eadem afferri possunt argumenta, quæ producentur contra tertiam. *Argumenta, & solutiones.*

CONTRA secundam concluſ. argum. Suarez: Experientia est repetita memoria earum rerum, quæ per sensum perceptæ sunt, & prout perceptæ sunt, ergo ad experientiam non satis est habere species rerū, quæ sub experientiā cadere possunt, sed oportet vt species repræsentent illas res, quatenus aliquādo sub sensum ceciderūt, seu vt sunt principia cognoscēdi ipsas res esse sensu pceptas; ergo Christo & Adæ non solum potuit infundi scientia rerum naturaliū sine propria experientia,

sed

sed etiam impossibile fuit infundi experimentalem cognitionem. Probatur hæc consequentia. Primo, species quæ ad experientiam deseruiunt, pertinent ad memoriam rei præteritæ seu iam cognitæ, vt sic; hæ autem species, vt vere repræsentent, non possunt omnino esse infusæ, sed debent esse aliquo modo relictæ ex precedenti cognitione; secundo, quia alias species infusa posset ducere in falsam cognitionem repræsentando aliquid vt per sensum perceptum, quod re vera nunquam cognitum sit. *Resp.* primo hoc argumento probari, impossibile esse infundi experimentalē cognitionem, vt experimentalis est, quod libenter admittimus. Secundo dico iuxta sententiam D. Tho. in scientia Christi experimentali per sensus acquisita duo considerari: primum sunt species ipsæ intelligibiles sensibilium quidditatum repræsentatiuæ; Secundum est earum respectus & dependentia à speciebus phantasiæ, à quibus sunt abstractæ, & ad quas in actu intelligendi fit conuersio, ex quo sequitur quædam colligatio; & vnio intellectus cum phantasia, & specierum, & actuū intellectus cum speciebus & actibus phantasiæ, ita vt species & actus vtriusque ad vnum actum cognoscendi perfectum concurrentes pro vno computentur, & cognitio singularium, quæ propria est phantasiæ, intellectui tribuatur, vt alibi declaramus ex Capr. Cum igitur phantasiæ seu cogitatiuæ proprium sit cognoscere rem præteritam vt præterita est, & rem sensu perceptam prout percepta est, (quæ est ratio experimentalis cognitionis, ex qua scientia deriuatur ad intellectū, qui rursus ad phantasiam conuersus mouet eam ad similem actum) consequens est, vt actus phantasiæ iam dictus ob mutuum hunc respectum, & colligantiam intellectui & eius scientiæ à rebus acceptæ tribuatur; adeo vt non sit necesse ad constituendam in intellectu scientiam experimentalem species in eo ponere singularium, & præteritæ cognitionis eorum, vt præterita est repræsentatiuas, sed sufficiat eas esse in phantasia cum habitudine & vnione prædicta cum intellectu. Ex quo sequitur, vt supposita etiam scientia per accidens infusa in intellectu, non sit necesse produci species singularium in intellectu, vt scientia illa fiat experimentalis, cum illæ sufficiant, quæ sunt in phantasia in earum vsu intellectui colligata.

Solut. *Obi. 1. cont. 3 & 4. conc.*

CONTRA *tertiam, & quartam* conclus. sunt argumenta, quæ afferunt & solunt S. Th. *hic*, Capr. *in allegata dist.* 14. Cai. & Val. *super hoc art.* Vasq. *disp.* 55. & Aluar. *disput.* 53. Contra easdem conclus. argum. Suar. *primo*: Quia Damasc. *lib. 3. de fide, cap. 22. & in oratione, seu libro; Quomodo ad imaginem Dei facti sumus*, negat Christum profecisse tam in scientia diuina quam humana, & per scientiam diuinam videtur intelligere scientiam supernaturalē; quia loquitur de scientia creata, & consequenter per humanam scientiam intelligit scientiam naturalem; & eodem modo loquitur Bernar. *homil. 2 in Missus est*, & Beda *tomo 7. hom. domin. primæ post Epiph.* Theophil. Eutim. Lyranus & alij *Luc. 2. Resp.* Damasc. & prædictos patres nomine scientiæ diuinę intelligere scientiam increatam, nomine vero scientiæ humanæ intelligere scientiam humanitati Christi diuinitus infusam; licet ibi loquatur principaliter Damasc. de scientia creata, ad maiorem tamen rei propositæ declarationem sermonem extendit ad increatam.

Solut.

Obi. 2. *Secundo*: Anima Christi in statu viæ potuit se ipsam propria naturali cognitione per propriam substantiam cognoscere; ergo à primo instanti cognitionis suæ hoc potuit: Probatur cōsequentia: quoniam in ea cognitione non penderet à corpore; ergo ætas aut organorum dispositio nihil ad eam referebat. *Et confirmatur*: quia substantia spiritualis potens se cognoscere, & non impedita actu se intuetur, & considerat naturali cognitione. Et simili (inquit) fere argumento concludi potest ab eodem instanti habuisse infusas species ad cognoscendas substantias Angelicas eiusdem rationis cum illis, quæ veluti naturaliter infunduntur aliis animabus, cum à corporibus separantur. *Resp.* falsum esse antecedens loquendo de scientia ex genere suo acquisita; nam hæc ad talem cognoscendi modum non extenditur, & multo minus ad cognoscendas substantias separatas per species eiusdem rationis cum illis, quę infunduntur animabus separatis; tales enim species non sunt à rebus sensibilibus abstrahibiles, quia sunt altioris ordinis; & ideo non pertinent ad scientiam ex suo genere acquisitam, & per accidens infusam, sed ad scientiam per se infusam. Quare manifeste confundit Suarez hanc scientiam cum illa.

Conf. *Solut.*

Obi. 3. *Tertio*: Hæc scientia, licet non debeatur animæ, seu naturæ humanæ secundum se, tamen ratione vnionis debetur naturę assumptę; ergo. Probatur antecedens; quia dignitas personæ assumētis postulat, vt natura assumpta sit omnino perfecta nō solum supernaturali, sed etiā naturali perfectione, & præsertim intellectus, quæ est potissima facultas talis naturæ, & carere ad tempus tali perfectione non fuit ad finem redemptionis necessarium. Et *confirmatur primo*: quia melius est nunquam carere aliqua perfectione, etiam si à Deo sola recipienda sit, quam carere illa aliquo tempore, vt per proprios actus obtineatur; quia hoc fere nihil perfectionis addit; vt in simili dixit D. Thomas *infra quæst.* 19. *art.* 3. Præsertim, quia quacunque ratione Christus hanc scientiam infusam habuerit, à se illam habere dicendus est, non tanquam aduentitiam, sed tanquam proprietatem connaturalem ratione vnionis. *Secundo confirmatur*: quia si Christus assumpsisset humanam naturam in statu per se debito vnioni sine defectibus; quos propter nostrā redemptionem in corpore assumpsit, sine dubio assumpsisset illam perfectam hac scientia, sicut reliquis perfectionibus; ergo & nunc de facto illam assumsit cum hac perfectione, ob eam causam, quod carentia huius scientiæ neque est necessario coniuncta cum corpore passibili, nec per se confert ad finem redemptionis. *Resp.* scientiam ex suo genere acquisitam deberi naturæ assumptæ eo modo & tempore, quo nata est illam habere; modus autem est per acquisitionem & experientiam; tempus vero est ab infantia vsque ad ætatem perfectam, vt ait S. D. *infra quæst.* 12. *art.* 2. *ad* 1. Et licet carentia talis perfectionis non sit ad finem redemptionis necessaria; congruit tamen suaui rerum dispositioni exigenti, vt scientia ex genere suo acquisita habeatur per acquisitionem, qui modus habendi nobilior est, quam illam habere per infusionem. *Ad primam confirmationem* negatur antecedēs. Nec verum est hanc scientiam esse proprietatem naturalem consequentem vnionem, nisi quo ad excellentiam potētiarum, scilicet intellectus agentis & possibilis, qua Christus perfectissime scientiam hanc sibi comparauit. *Ad secundam confirmationem* negatur antecedens; perfectior enim & congruentior est modus habendi scientiam hanc per acquisitionem, quam modus eam habendi per infusionem; præsertim cum anima Christi per altioris ordinis scientias, scilicet beatam & infusam per se cognosceret omnia perfectiori modo, quam per hanc scientiam cognosci possint, nec

Conf. *Conf. 1.* *Conf. 2.* *Solut.* *Ad 1. conf.* *Ad 2. conf.*

proprie dicatur subiectum perfectione carere, nisi eam non habeat eo tempore, quo debet eam habere.

Obi. 4. *Quarto* Christus habuit virtutes morales ordinis naturalis non acquisitas propriis actibus, sed à principio infusas, & hoc fuit illi simpliciter melius; ergo similiter, &c. *Respon.* nullam esse consequentiam quia si Christus non habuisset virtutes morales ex genere suo acquisitas infusas per accidens, caruisset debita virtutis perfectione; quia solæ virtutes naturales moderantur passiones, quas compatiuntur illæ quæ per se dicuntur infusæ; ex hoc autem quod non statim habuit scientiam ex genere suo acquisitam, nulla caruit sibi debita perfectione, vt antè diximus.

Obi. 5. *Quinto*: Si Christus habuit virtutes morales perfectas; ergo & prudentiam, quæ est auriga reliquarum virtutum; sed prudentia perfecta cum consistat in practica cognitione supponit perfectam cognitionem speculatiuam non tantũ primorum principiorum, sed etiã vniuersalium conclusionum, à quibus iudicium in singulis euentibus pendet; ergo habuit moralem scientiam horum omnium; ergo habuit cæteras scientias. Probatur hæc vltima consequentia; quia non erat alias impeditus, neque vna scientia potest esse sine consortio aliarum omni ex parte perfecta, cum sint quodammodo connexæ sicut virtutes. Solut. *Resp.* falsam esse subsumptam propositionem; ad practicam enim cognitionem non est necessaria, nisi cognitio speculatiua in vniuersali earum rerum, quarum scientia non quæritur propter se, sed propter opus; & ideo non est necesse virum perfectæ prudentiæ esse perfectum Mathematicũ aut philosophum naturalem, vel metaphysicũ, aut Geometram, musicum vel perspectiuum. Sed satis est, vt eam in rebus habeat cognitionem, quæ necessaria est ad operandum secundum rectam rationem. Constat autem ex Mathematicis demonstrationibus & metaphysicis subtilitatibus, & aliis similibus nullas posse desumi regulas ad operandum secundum rectam rationem, vt patet: & confirmatur; nam alioquin necesse esset principes, gubernatores, magistratus, & prælatos omnes, imo quemlibet virum bonum perfectam habere scientiarum omnium speculatiuarum eruditionem, vt perfectam haberet in consulendo, iudicando, imperando & agendo prudentiam, qd ridiculum est, nec vllus hactenus hoc ausus est affirmare. Secundo dico notitiam rerum omnium per scientiã infusam satis esse ad hoc, vt in Christo posset esse perfecta prudentia ordinis naturalis.

Obi. 6. *Sexto*: Anima Christi à principio fuit expedita ad vsum rationis; ergo oportuit, vt ad illum fuerit etiam perfecte disposita per habitus scientiarum naturalium. Solut. *Respon.* nullam esse consequentiam quia fuit expedita ad vsum rationis circa scientias naturales pro tẽpore, quod debuit eas habere; non debuit autem eas habere perfectas ab initio suæ conceptionis, vt ante diximus.

Obi. 7. *Septimo*: Si Christus scientias naturales habuisset per acquisitionem, non potuisset eas habere ex omni parte perfectas; nec decuit Christum inueniendis & inquirendis huiusmodi scientiis operam dedisse; ergo. Antecedens probatur primo: Quia discursus humanus in huiusmodi scientiis quodammodo in infinitũ procedit, vt in mathematicis constat. Secundo: quia non potuit Christus breui tempore vitæ proprio discursu inuenire, omnia quæ sub humanam scientiam cadere possunt; quia non poterant omnia experimento dignosci, à quibus hæc scientia accipi potest. Solut. *Resp.* cum S. Thom. & Caiet. *infra q. 12. art. 1. ad primum* scientiam rerum acquiri posse non solum per experientiam ipsarum, sed etiam per experiẽtiam quarundam aliarum rerum; cum ex virtute luminis intellectus agentis possit homo procedere ad intelligendum effectus per causas, & causas per effectus, & similia per similia, & contraria per contraria, & ideo, licet Christus non omnia fuerit expertus, ex iis tamen, quæ expertus est, in omnium deuenit notitiam; vbi etiam videnda est explicatio Cai. *S. d responsionem* hanc impugnat Suar. Replica. Quia per species ex sensibilibus & phantasmatibus acceptas nunquam potest deuenire ingeniũ humanum ad comprehendendum totam virtutem corporis cœlestis; ergo hoc excedit vires ingenij humani. Antecedẽs probatur: quia nec potest experiri omnes eius effectus, neque aliquos in quibus alij virtute contineantur; quia fere in infinitum procedere possunt & sunt valde dissimiles, & in ipsis motibus cœlorum multa sunt, quæ humana inuentione nullus assequi potest, nisi diuturni temporis obseruatione, quę in Christo homine locum non habet. Nec sufficienter saluatur perfectio in huiusmodi scientia dicendo cum Cai. ministerio Angelorum applicata fuisse sensibus Christi omnia sensibilia obiecta necessaria ad perfectam inuentionem harum scientiarum; neque vlla est necessitas, ob quãin has angustias coniiciamur. Denique illa perfectio huius scientiæ, quæ pertinet ad propriã & exactam cognitionem substantiarum, pro vt in se sunt, formando proprios & absolutos conceptus earum, nullo modo potuit per sensus obtineri. Solut. *Respon.* falsum esse antec. nam ex motibus & effectibus cœlestium corporum per spatium vnius anni aut trium vel ad summum decem annorũ poterit ab excellentissimo ingenio totus cœlestium corporum cursus, & tota virtus & effectus omnes eorum quocunque tempore futuri, aut secundum naturæ cursum fieri possibiles comprehẽdi: adeo vt non sit necesse omnes experiri; nec aliquos, in quibus alij virtute contineãtur: Neque improbabile est, quod ait Caietanus de sensibilibus obiectis per Angelos ministratis; visis enim sensibilibus obiectis puta corporibus, quæ cœlestia corpora referant cum singulis eorum motibus, & addita paucorum mensium vel annorum experientia circa consequentes effectus facile erit excellentissimo ingenio rerum omnium sensibilium notitiam perfectam & quidditatiuam inuenire; præsertim si fuerint etiam horum sensibilium indiuidua singula iuxta singulas species sensibus ministrata.

Obi. 8. *Contra eandem* concluſ. est hoc argumentum; Beati qui hic non acquisierunt scientiam naturalem, habent illam infusam ex vi suæ beatitudinis: Sed Christus fuit beatus à primo instanti suæ cõceptionis & non acquisiuit tunc scientiam naturalem; ergo habuit illam infusam ex vi suæ beatitudinis. Conf. *Et confirmatur*; Quia alias fuisset miraculum, quod in Christo non resultaret gloria corporis. Minor quo ad vtramque partem est certa; Maior vero probatur primo: quia beatitudo implet omne desiderium naturale hominis: At homini inest naturale desiderium habendi scientiã naturalem, vt ait Philos. *in primo Metaph.* ergo. Secundo probatur: Quia alias intellectus in beatis esset imperfectus secundum naturalem capacitatem; si quidem illa non esset perfecta per scientiã sibi connaturalem compossibilem cum beatitudine. Et confirmatur: quia beatitudo reformabit omnes defectus, vt probat S. D. *in 4. dist. 44. q. 2. a. 2. quæstiunc.* 1. ergo etiam reformabit defectũ scientię naturalis; quia potius debet perficere animam

quam

Quorundã solutio. quam corpus. *Huic argumento* respondent quidam recentiores dicentes scientiam hanc beatis infundi, quia non possunt illam acquirere; Sed Christo Domino licet esset beatus, nõ fuit infusa, quia erat in statu quo posset eam acquirere; & ideo debuit illam acquirere in instanti; Sic enim impletum fuit eius naturale desiderium sciendi, & naturalis capacitas intellectus. Ad cõfirmationem dicunt beatitudinem reformare omnes defectus naturales, non tamen per solam infusionem scientiæ naturalis, sed etiam per cooperationem ad acquisitionem illius in instanti. *Sed in hac respons.* duo *Cõfutatur.* sunt falsa & contraria doctrinæ D. Thom. Nam primo S. Tho. *in. 1.p.q.89.art. 3.* docet animas separatas per species infusas per se de omnibus naturalibus cognitionem habere nõ certam & propriam, sed communem & confusam, & *ibidem ad quartum* ita respõdet: *Cognitio, quæ acquiritur per studium, est propria & perfecta, illa autem est confusa; vnde non sequitur, quod studium addiscendi sit frustra*; quod idem expressius asserit *in quæst. disput. de anima q. 2. art. 18. ad. 2.* cuius verba sunt: *Dicendum, quod in illis, qui scientiam aliquorum naturalium scibilium in hac vita acquisierunt, erit determinata cognitio in speciali eorum, quæ hic acquisierunt; aliorum vero vniuersalis, & confusa; vnde non erit inutile eis scientiam acquisiuisse: nec est inconueniens, quod vtraque scientia eorundem scibilium adsit eidem: cum non sint ambæ vnius rationis.* hæc ibi: quibus verbis duplicem distinguit scientiam in animabus separatis; vnam omnibus communem, quæ est vniuersalis & confusa; & hanc *ibidem in corpore & art. 15. eiusdem quæst. & 1.p. loco notato* declarat esse scientiam infusam per se & eiusdem rationis cum scientia Angelorum; alteram distinctam & claram illis solum conuenientem, qui eam propriis studiis & industria, dum essent in hac vita, sibi comparauerunt. Deinde falsum est & D. Th. asserere animam Christi scientiam hanc distinctã acquisiuisse aut acquirere potuisse propriis actibus in primo conceptionis instanti, vt ostendimus supra.

Vera solut. *Ad argumentum* igitur dico falsam esse maiorem loquendo de scientia ex genere suo acquisita. Ad omnes eius probationes simul dico, desiderium hominis naturale & capacitatem animæ naturalem in ordine ad scientiam naturalem ex genere suo acquisitam excellenter suppleri per scientiam beatam, qua beati omnes distincte vident in Verbo rerum omnium species, proprietates & indiuidua ad ordinem & perfectionem vniuersi pertinentia vt ait S. D. *in 1.p.q.12.art. 8. ad 4. & in 3. cont. gent. cap. 59.* quam doctrinam *in dict. art. 8.* latissime declarauimus *in 4. cont. ad illum art. §. Secundum est, & sequent.*

Obi. 1. cont. conc. vlt. CONTRA *vltimam concluſ.* producunt oppositæ sententiæ defensores authoritatem Lyrani super illud *Isaiæ 7. vt sciat reprobare malum, & eligere bonum,* vbi ait Christum à principio conceptionis scientiam hanc acquisiuisse, & addunt Burgensem ibi *additione tertia* dicentem in Hebræo sic haberi: *butyrum & mel comedet, quia scit eligere bonum.* Ex quo sic arguunt: Propheta loquitur ibi de scientia naturali Christi, vt docent Basilius *ibi* & August. 8. *super Gen. ad litteram cap. 14.* sed illa fuit in Christo, antequam comederet mel & butirum, qui sunt cibi infantiles, quibus vescuntur pueri statim à principio suæ natiuitatis; ergo ante illud tempus *Conf.* Christus habuit istam scientiam. *Confirmatur*; nam Hieronym. *ibi* docet Christum illam habuisse in ipsa infantia, quando panis inuoluebatur; ergo illam etiam habuit in primo instanti conceptionis, probatur consequentia; quia est eadem ratio de ætate infantili & de primo instanti conceptionis.

Naz. in D. Thom. 3. partem.

Respon. Lyranum manifeste loqui de scientia infusa, quam putat cum Scoto non differre à scientia naturali, & de eadem loquitur Hieronym. Basil. autem & August. loquuntur de scientia experimentali, sed non iuxta lectionem Burgensis, sed secundum communem translationem. Admissa vero lectione Burgensis, dico cum eodem Burgensi loco notato Christum ante natiuitatem ex vtero habuisse plenitudinem scientiæ diuinæ & scientiæ infusæ, quibus omnia cognoscebat. Deinde dico data eadem expositione Christum, antequam butyrum & mel comederet (quod fuit post aliquot menses à die natiuitatis) habuisse scientiam experimentalem ad actus prudentiæ necessariam, qua posset eligere bonum, non tamen habuisse scientiæ ex genere suo acquisitæ perfectionem; Postremo dico longe diuersam esse rationẽ de primo instanti conceptionis Christi, & de infantili ætate post natiuitatem ex vtero: nam in instanti illo nullum Christus habere potuit vsum sensus visus, qui est omnium sensuum nobilissimus, multo plus quam aliis deseruiens inuentioni scientiæ, quem tamen vsum habuit egressus ex vtero. *Solut.*

Secundo arguunt: Si ponamus Christum scientiam hanc acquisiuisse in primo suæ conceptionis instanti, excludimus ab eo omnem ignorantiam etiam negatiuam rerum naturalium, & negationem scientiæ naturalis à principio suæ conceptionis, supponimusque ex tunc illum fuisse plenum scientiæ & veritatis naturalis, vt pote qui habebat omnes thesauros sapiẽtiæ & scientiæ Dei, & saluamus intellectum eius secundum vim naturalem numquam fuisse in potentia ad actum primum & imperfectum; ergo ita asserendum est. *Obi. 2.*

Respon. nullam esse consequentiam; quia impossibile fuit, vt ostendimus, Christum hominem in primo illo instanti propriis actibus acquirere sibi scientiam naturalem, & per hoc soluitur argumentum, quod deduci posset ex quatuor modis supra confutatis, quibus doctores prædicti docent potuisse Christum acquirere sibi scientiam naturalem in primo suæ conceptionis instanti. *Solut.*

QVÆSTIO DECIMA.

De scientia beata animæ Christi in quatuor articulos diuisa.

DEinde *considerandum est de qualibet prædictarum scientiarum. Sed quia de scientia diuina dictum est in prima parte, restat nunc dicendum de aliis tribus, primo de scientia beata: secundo de scientia indita: Tertio de scientia acquisita.*

Sed quia etiam de scientia beata, quæ in Dei visione cõsistit, plura dicta sunt in prima parte: hic illa sola videntur dicenda, quæ proprie pertinent ad animam Christi.

Circa hoc ergo quæruntur quatuor.

Primo, vtrum anima Christi comprehenderit Verbum, siue diuinam essentiam.

Secundo, vtrum in Verbo cognouerit omnia.

Tertio, vtrum anima Christi in Verbo cognouerit infinita.

Quarto, vtrum videat Verbum, siue diuinam essentiam clarius qualibet alia creatura.

Ratio ordinis.

EXpeditis quæstionibus *an est* de singulis scientiarum generibus Christo secundum humanitatem conuenientibus; nunc ab ea, quæ prima omnium est & diuinæ scientiæ similior, inchoans tractat quæstionem *quid est* in tribus prioribus

articulis; quæstionem autem *qualis, vel quomodo est*, in vltimo articulo; circa primã vero quæstionem tractat primo quid est scientiæ Christi beatæ in ordine ad eius obiectum principale, quod est essentia diuina, in primo articulo; Deinde in ordine ad obiectũ secundarium in aliis duobus sequentibus articulis, & prius considerando obiectum quo ad substãtiam, siue quo ad res visas in secundo articulo; posterius autem quo ad accidens, quod est infinitas, in tertio articulo; demum in vltimo articulo tractat quęstionem qualis sit hęc scientia quærens, Vtrũ anima Christi videat Verbum seu diuinam essentiam clarius qualibet alia creatura. Vel dicas in tribus primis articulis agi de scientia beata animæ Christi ex parte obiecti, in vltimo autem ex parte potentiæ, siue luminis quod se tenet ex parte potentiæ.

ARTICVLVS I.

Vtrum anima Christi comprehenderit Verbum, siue diuinam essentiam.

3.dist.14.a. 2.q.1.& 2. Et veri.qu. 20.a.4.& 5. c. Et quol.3. q.2.art.1.c. Et opus.3.c. 223. & 1. Tim.6.lectio 3.col.2. lib 3.de sum bon.c.3. cap.6.

AD primũ sic proceditur. *Videtur, quod anima Christi comprehenderit, & comprehendat Verbum, siue diuinam essentiam. Dicit enim Isidor. quod Trinitas sibi soli nota est, & homini assumpto. Igitur homo assumptus communicat cum sancta Trinitate in illa notitia sui, quæ est sanctæ Trinitati propria. Huiusmodi autem est notitia comprehensionis. Ergo anima Christi comprehendit diuinam essentiam.*

Præterea, Magis est vniri Deo secundum esse personale, quam secundum visionem, sed sicut Damas. dicit in 3.lib. tota diuinitas in vna personarum est vnita humanæ naturæ in Christo. Multo ergo magis tota natura diuina videtur ab anima Christi: & ita videtur, quod anima Christi comprehendat diuinam essentiam.

cap 13.

Præterea, illud, quod conuenit filio Dei per naturam, conuenit filio hominis per gratiam: vt Augustin. dicit in primo de Trinit. Sed comprehendere diuinam essentiam, competit filio Dei per naturam. Ergo filio hominis competit per gratiam. Et ita videtur, quod anima Christi per gratiam Verbum comprehendat.

q.14.to.4.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in lib. 83. Quod se comprehendit, finitum est sibi. Sed essentia diuina non est finita in comparatione ad animam Christi, cum in infinitum eam excedat. Ergo anima Christi non comprehendit Verbum.

q.2.art.1 & q.6.art.6.

Respondeo dicendum, quod sicut ex supra dictis patet sic facta est vnio naturarum in persona Christi, quod tamen proprietas vtriusque naturæ inconfusa permanserit, ita scilicet quod increatum manserit increatum & creatũ manserit infra limites creaturæ: sicut Damas. dicit in tertio lib. cap.38. D.366. q.12.a.7. *Est autem impossibile, quod aliqua creatura comprehendat diuinam essentiam (sicut in prima parte ostensum est) eo quod infinitum non comprehenditur à finito. Et ideo dicendum, quod anima Christi nullo modo comprehendit diuinam essentiam.*

*Ad primum ergo dicendum quod homo assumptus conformatur * diuinæ Trinitati in sui cognitione, non ratione comprehensionis, sed ratione cuiusdam excellentissimæ cognitionis præ cæteris creaturis.*

Ep.3.to.2.

Ad secundum dicendum, quod nec etiam in vnione, quæ est secundũ esse personale, natura humana cõprehendit Dei verbum siue naturam diuinam. Quæ quamuis tota vnita fuerit humanæ naturæ in vna persona Filij, non tamẽ fuit tota virtus diuinitatis ab humana natura quasi circumscripta. Vnde Augustin. dicit in Epistola ad Volusianum, Scire te volo, non hoc Christianã habere doctrinam, quod ita Deus infusus sit carni, vt curam gubernandæ vniuersitatis, vel deseruerit, vel amiserit, vel ad illud corpusculum quasi contractam, collectamque transtulerit. Et similiter anima Christi totam Dei essentiam videt, non tamen eam comprehendit: quia non totaliter eam videt, id est, non ita perfecte, sicut visibilis est: vt in prima parte expositum est. q.12.art.7.

Ad tertium dicendum, quod verbum illud August. est intelligendum de gratia vnionis, secundum quam omnia, quæ dicuntur de filio Dei secundum diuinam naturam, dicuntur de Filio hominis, propter identitatẽ suppositi. Et secundum hoc vere potest dici, quod filius hominis est comprehensor diuinæ essentiæ: non quidem secundum animam, sed secundum diuinam naturam. Per quem etiam modũ potest dici, quod Filius hominis est creator.

Sensus quæsiti.

QVID SIT intellectu aliquid comprehendere, & in quo posita sit ratio comprehensionis essentiæ Dei, declarauimus *in 1.p q.12.art.7.* & explicat late Suarez *hic disp.36.sect.2.* §. *Sed interrogo.* Nomen autem Verbi hic sumitur essentialiter, de qua significatione scripsimus *in eadem 1.par.q.34. art.1. Contr.2.*

Forma Textus.

CONCL. *est: Anima Christi nullo modo comprehendit diuinam essentiam*; Probatur: Impossibile est, quod aliqua creatura comprehendat diuinam essentiam; ergo. Antecedens probatur: quia infinitum non comprehenditur à finito. Consequentia vero probatur: Quia sic facta est vnio naturarum in Christo, vt tamen proprietas vtriusque naturæ inconfusa permanserit, ita scilicet vt increatum manserit increatum, & creatum manserit infra limites creaturæ, vt ait Damascenus.

Expositio Textus.

CONCLVS. S.D. esse fidei dogma docent Sotus *in 4.sent.dist.49.q.3.art.1.* Medina & Aluarez *super hoc art.* & Suarez *disp.36.sect.1.* quod probat ex diuinis scripturis, Patribus & Conciliis, & ante eum Bann. & Val. *1.part.q.12.art.7.* à quibus dissentit Vasq. quia comprehensionis nomen accipit in alio sensu; quem *in allegato art.7.* falsum esse probauimus.

Aduerte præterea dictum Isidori citatum à D.Th. *in primo argumento* non esse desumptum *ex lib.1. de summo bono cap.3.* ibi namque est alia verborum forma longe diuersa; sed habentur illa verba formaliter *in cap.42.* eiusdem authoris *in Exodum.* Ex quo patet vanum esse laborem, & incautam censuram Suar. circa responsionem S.D. ad primum, & circa sensum verborum Isid. vt etiam hic annotauit Aluarez.

ARTICVLVS II.

Vtrum anima Christi in Verbo cognouerit omnia.

3. distinct. 14.a.2.q.3. & 4.ad 3. & 4. Et ver.q.8.ar. 4. c. & q. 20.a.4.& 5. & quol. 3.q.2.art.1. c. Et opus.3. c.223. Et o. pus.5.q.81.

AD secundum sic proceditur. *Videtur, quod anima Christi in Verbo nõ cognoscat omnia. Dicitur enim Marci 13. De die autem illa nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius nisi Pater. Non ergo omnia scit in Verbo.*

Præterea, Quanto aliquis perfectius cognoscit aliquod principiũ tanto plura in illo principio cognoscit. Sed Deus perfectius videt essentiam suam, quam anima Christi. Ergo plura cognoscit in Verbo, quam anima Christi. Non ergo anima Christi in Verbo cognoscit omnia.

Præterea, Quantitas scientia attenditur secundum quantitatem scibilium. Si ergo anima Christi sciret in Verbo omnia, quæ scit Verbum, sequeretur, quod scientia animæ Christi æquaretur scientiæ diuinæ, creatum videlicet increato: quod est impossibile.

Sed cõtra est, quod super illud Apoc.5. Dignus est agnus, qui occisus est, accipere diuinitatem, & sapientiam, Gloss. dicit, id est, omnium cognitionem.

Respon-

Respondeo dicendum, quod, cum quæritur, an Christus A *cognoscat omnia in Verbo, ly omnia, potest dupliciter accipi. Vno modo proprie, vt distribuat pro omnibus, quæ quocunque modo sunt, vel erunt, vel fuerunt, vel facta, vel dicta, vel cogitata à quocunque, secundum quodcunque tempus. Et sic dicendum est, quod anima Christi in Verbo cognoscit omnia. Vnusquisq; enim intellectus creatus, in Verbo cognoscit, non quidem omnia simpliciter, sed tanto plura, quanto perfectius videt Verbum. Nulli tamen intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia, quæ ad ipsum spectant. Ad Christum autem, & ad eius dignitatem spectant quodammodo omnia, inquantum ei subiecta sunt omnia. Ipse etiam est omnium iudex constitutus à Deo, quia filius hominis est: vt dicitur Io. 5. Et ideo anima Christi in Verbo cognoscit omnia existentia, secundum quodcunque tempus, & etiam hominum* B *cogitatus, quorum est iudex: ita vt, quod de eo dicitur Ioa. 2. Ipse enim sciebat, quid esset in homine, potest intelligi non solum quantum ad scientiam diuinam, sed etiam quantum ad scientiam animæ eius, quam habet in Verbo. Alio modo ly omnia, potest accipi magis large, vt extendatur non solum ad omnia, quæ sunt actu secundum quodcunque tempus, sed etiam ad omnia, quæcunque sunt in potentia nunquam reducenda, vel reducta ad actum. Horum autem quædam sunt in sola potentia diuina: & huiusmodi non omnia cognoscit in Verbo anima Christi. Hoc enim esset comprehendere omnia, quæ Deus potest facere: quod esset comprehendere diuinam virtutem, & per consequens diuinam essentiam. Virtus enim quælibet cognoscitur per cognitionem omnium, in quæ potest. Quædam vero sunt non solum in potentia diuina, sed etiam in po-* C *tentia creaturæ: & huiusmodi omnia scit anima Christi in Verbo. Comprehendit enim in Verbo omnis creaturæ essentiam, & per consequens potentiam, & virtutem, & omnia quæ sunt in potentia creaturæ.*

Ad primum ergo dicendum, quod illud Verbum intellexerunt Arrius, & Eunomius, non quantum ad scientiam Q. 9. ar. 1. *animæ, quam in Christo non ponebant (vt supradictum est) sed quantum ad diuinam cognitionem Filij, quem ponebant esse minorem Patre, quantum ad scientiam. Sed istud stare non potest: quia per verbum Dei facta sunt omnia, vt dicitur Ioan. 1. Et inter alia, facta sunt etiam per ipsum omnia tempora. Nihil autem per ipsum factum est, quod à eo ignoretur. Dicitur ergo nescire diem, & horam iudicij, quia non facit scire. Interrogatus enim super hoc* D *ab Apostolis Act. 1. hoc eis noluit reuelare. Sicut econtrario legitur Genes. 22. Nunc cognoui, quod timeas Deum, id est nunc cognoscere feci. Dicitur autem Pater scire: quia huiusmodi cognitionem tradidit Filio. Vnde in hoc ipso, quod dicitur, Nisi Pater, datur intelligi quod Filius cognoscit, & non solum quantum ad diuinam naturam, sed* Hom. 72. in Mat. 12. & hom. 14 in Mar. to. 2. Hom. 30. in Mat. to. 2. *etiam quantum ad humanam: quia vt Chrysost. argumentatur, si Christo homini datum est, vt sciat, qualiter oporteat iudicare, quod est maius multo magis datum est ei scire, quod minus est scilicet tempus iudicij. Origenes tamen hoc exponit de Christo secundum corpus eius, quod est Ecclesia, quæ hoc tempus ignorat. Quidam autem dicunt hoc esse intelligendum de filio Dei adoptiuo, non de filio naturali.*

Ad secundum dicendum, quod Deus intantum perfectius cognoscit suam essentiam, quã anima Christi, quod E *eam comprehendit. Et ideo cognoscit omnia, non solum, quæ sunt in actu, secundum quodcunque tempus, quæ dicitur cognoscere scientia visionis: sed etiam omnia, quæcũque ipse facere potest, quæ dicitur cognoscere per simplicem* q. 14. ar. 9. *intelligentiam, vt in primo habitum est. Scit ergo anima Christi omnia, quæ Deus in seipso cognoscit per scientiam visionis: non tamen omnia, quæ Deus in seipso cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ. Et ita plura scit Deus in seipso, quam anima Christi.*

Ad tertium dicendum, quod quantitas scientiæ non solum attenditur secũdum numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem cognitionis. Quamuis igitur scientia animæ Christi, quam habet in Verbo, paricetur scientiæ visionis, quam Deus habet in seipso, quantum ad numerum scibilium: scientia tamen Dei excedit in infinitũ, quantum ad claritatem cognitionis, scientiã animæ Christi: quia lumen increatum diuini intellectus, in infinitum excedit lumen creatum, quodcunque receptum in animæ Christi. Licet absolute loquendo, scientia diuina excedat scientiam animæ Christi, non solum quantum ad modum cognoscendi, sed etiam quantum ad numerum scibilium, vt dictum est.

Sensus quæsiti.

TITVLVM declarat S.D. *in corpore*, & Suar. *commentario* ex eadem doctrina.

Forma Textus.

PROPOSITA distinctione cum vnius membri subdiuisione respondetur quæsito tribus conclusionibus.

Distinctio est: Cum quæritur, an Christus cognoscat omnia in Verbo: ly omnia potest dupliciter accipi: *Vno modo* proprie, vt distribuatur pro omnibus, quæ quocunque modo sunt vel erunt vel fuerunt, vel facta vel dicta vel cogitata à quocũque secundum quodcunque tempus: *Alio modo* potest accipi magis large, vt extendatur non solum ad omnia quæ sunt acta secundum quodcunque tempus, sed etiam ad omnia quæcunque sunt in potẽtia nunquam reducenda vel reducta ad actum.

Subdiuisio est: Horum scilicet, quæ sunt in potentia nunquam reducenda vel reducta ad actũ, quædam sunt in sola potentia diuina: quædam non solum sunt in potentia diuina, sed etiam in potentia creaturæ.

PRIMA CONCL. *est: Anima Christi in Verbo cognoscit omnia, quæ quocunque modo sunt vel erunt vel fuerunt, vel facta vel dicta vel cogitata à quocunque secundum quodcunque tempus.* Probatur: Quia vnusquisque intellectus creatus in Verbo cognoscit, non quidem omnia simpliciter, sed tanto plura quanto perfectius videt Verbũ: ita tamen vt nulli intellectui beato desit, quin cognoscat omnia, quæ ad ipsum spectant: sed ad Christum & ad eius dignitatem spectant quodãmodo omnia prædicta: ergo: Maior relinquitur vt nota. Minor probatur primo: quia illi subiecta sunt omnia: Secundo: quia ipse est omnium Iudex constitutus à Deo, quia filius hominis est, vt dicitur *Ioa.* 5. Tertio: quia sicid quod dicitur *Ioan.* 2. Ipse enim sciebat, quid esset in homine, potest intelligi non solum quo ad scientiam diuinam, sed etiam quo ad scientiam animæ eius, quam habet in Verbo.

SECVNDA CONCL. *Anima Christi non cognoscit in Verbo omnia, quæ sunt in sola potentia diuina.* Probatur: Quia si hæc omnia cognosceret, comprehẽderet diuinam essentiam: quod est falsum: ergo. Probatur sequela: Quia si cognosceret hæc comprehenderet diuinam virtutem: ergo etiam essentiam. Antecedens probatur: quia comprehenderet omnia, quæ Deus potest facere: ergo comprehenderet diuinam virtutem: probatur sequela: quia virtus quælibet comprehenditur per cognitionem omnium, in quæ potest.

TERTIA CONCL. *Anima Christi scit in Verbo ea omnia, quæ sunt non solum in potentia diuina, sed etiam in potentia creaturæ:* Probatur: Quia anima Christi comprehendit in Verbo essentiam omnis creaturæ, atq; adeo potentiam & virtutem: ergo omnia scit, quæ sunt in potentia creaturæ.

Expositio Textus.

OBSERVANDA *hic est primo* differentia illius dictionis *omnia* in primo & in secũdo membro distinctionis: In primo enim membro dici-

tur sumi proprie: eo quod ea proprie & simpliciter tantum entia sunt, quibus esse conuenit in aliqua temporis differentia: & ideo proprie scire dicitur omnia scilicet entia, qui scit vniuersa, quibus esse conuenit in aliqua temporis differentia: in secundo vero membro dicitur eadem vox large sumi: quia quæ sunt in potentia tantum, nec proprie nec simpliciter entia sunt, sed quodammodo & secundum quid, scilicet in potentia. Expressit autem S.D. in textu differentiam hanc ad Christi dignitatem secundum intellectum eius humanum clarius indicandam. Ex hoc enim quod proprie & simpliciter loquendo dicimus Christum hominem scire omnia, magnam illi tribuimus dignitatem: vt hic etiam aduertit Caietanus. B

Secundo Aduerte duo hic beatis omnibus communia ab expositoribus examinari. *Primum* est circa primam conclusionem D. Tho. & eius probationem: Disputant enim Cai. & Medina *super hoc art.* & alij quidam recentiores, *an & quomodo quilibet beatus in Verbo videat spectantia ad statum suū?* de qua difficultate multa diximus *in 1.p.q.12.a.10. Contr. Vnica*: SECVNDVM est circa secundam cōclusionem, & eius probationem. Disputat enim Suar. *disp.36. sect.2.* & Vasq. *disp.50.* & alij, *an beati videant, aut videre possint in Verbo ea omnia, quæ sunt in sola Dei potentia*, de quo late scripsimus *in allegata q.12.a.8. & contr.3.* & præcipuum veritatis fundamentum explicat hic breuiter Caiet.

Tertio lege, si placet, apud expositores tria de C scientia Christi beata. *Primum* est veritas primæ conclusionis, præsertim quo ad eam partem, quæ animæ Christi tribuit scientiam futurorū: de qua differunt Med. & Suar. *in commentario circa responsionem ad primum D.Thom.* Valentia *puncto 2.* Vasq. *disp 51* & Aluarez *disp.54.*

Secundum est, de veritate secundæ conclusionis: de qua disputant Suar. *in allegata disp.36. sect.2.* & Vasq. *disp 50.* vbi negat Christum, & alios beatos videre creaturam aliquam in Verbo formaliter, quod esse falsum ostendimus *in 1.p. q.12. art.8. controu.1.*

Tertium est sensus & veritas tertiæ conclusionis: de quibus agunt Medina *dubio 3.* & Aluarez *in expositione textus.* D

Quibus addendum occurrit per primam expositionem illorum verborum *Marci 13. De die autem illo nemo scit neque Angeli in cœlo, neque filius, nisi pater* Christum scilicet dici nescire diem iudicii, quia non facit scire, per hanc inquam expositionem quæ est apud S. Patres communissima, conuinci falsum esse dictum illud Suarezii in tertia dictorum verborum expositione, videlicet factas à Christo fuisse reuelationes aliquas de die iudicij: si namque dicitur nescire diem iudicij, quia non facit scire: igitur illum nunquam alicui reuelauit. Sed turpius errat Mald. asserens prædictam expositionem non esse admittendam: quia eadem ratione diceretur pater nescire diem iudicij, quia nobis non reuelauit; licet enim nobis diem E illum pater siue Deus non reuelauerit, animæ tamen Christi reuelauit: & ideo scire dici potest ad reuelandum: Christus autem neque nobis, neq; Angelis diem illum reuelauit: & ideo vere ac proprie nescire dicitur ad dicendum: vt etiam docēt Abul. *Matth.24.q.206.* & Soto *in 4. dist.43.q.2.a.2.* Cai. autem *in commentario dicti cap.* dubitat, an dies illa fuerit aliquibus Angelis superioribus reuelata: quæ dubitatio per dictam expositionem videtur excludi: reuelationes enim ad actiones Christi & mysteria redemptionis & glorificationis aut condemnationis hominum pertinentes per Christum ad Angelos deriuantur: vt patet ex dictis *supra q.8.a.4.* vbi S.D. probat Christum esse caput Angelorum, & *de Ver.q.29.a.4. præsertim ad 4* docet Angelos per Christum secundum humanitatem illuminari: quod idem asserit *in commentario Epist. ad Eph. cap.1. lect.8.* & probat authoritate Dion. *cap.7. cœlestis Hierar. exponentis illud Isaiæ 63. Quis est iste, qui venit de Edom.* &c. de Angelis interrogantibus & Christo respondente.

Præterea aduertendum est, tertiam conclusionem intelligendam esse de cognitione distincta: alioquin nihil speciale diceret S. D. de visione animæ Christi, quo ad ea, quæ sunt in potentia naturali creaturæ: quilibet enim beatus visione sua beatifica, immo & Angelus cognitione sua naturali cōprehēdens omnia ad vniuersi perfectionem pertinentia cognoscit in communi, & indistincte effectus à rebus producibiles per earum potentias naturales: probatio autem D. Thom. supponit omnia, quæ sunt in potentia naturali cuiuslibet creaturæ, pertinere ad statum beatificum animæ Christi, si non formaliter & actualiter, saltem radicaliter & in potentia proxima. Ex quo fit consequens hæc omnia ab anima Christi distincte in Verbo videri: Itaque discursus D. Thom. non in sola fundatur comprehensione creaturarum in Verbo visarum, sed etiam in suppositione prædicta: ex quo sequitur differentia inter animā Christi & alios beatos, quod naturale desiderium animæ Christi fertur non solum ad singulas rerum species, sed etiam ad vniuersa singularia sub speciebus comprehensa cognoscenda, siue ea sint actu quandoque in rerum natura, siue sint in sola potentia rei creatæ: Hæc enim omnia pertinent ad statum animæ Christi beatificum: Cæterorum vero tam Angelorum, quam hominum naturale desiderium non fertur ad ea omnia indiuidua distincte scienda, quæ sunt in potentia cuiuslibet creaturæ, quia hæc ad nullius eorum statum pertinent, sicut neque cognitio singularium secundum talem essendi modū pertinet ad perfectionem intellectus absolute loquendo. Et ex his patet quid censendum sit de ijs, quæ scribunt prædicti duo expositores circa sensum tertiæ conclusionis S. Thomæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum anima Christi in Verbo cognouerit infinita.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod anima Christi non possit cognoscere infinita in Verbo. *Quod enim infinitum cognoscatur, repugnat diffinitioni infiniti, prout dicitur in 3. Physic. quod infinitum est, cuius quantitatem accipientibus, semper est aliquid extra accipere. Impossibile autem est diffinitionem à diffinito separari: quia hoc esset contradictoria esse simul. Ergo impossibile est, quod anima Christi sciat infinita.* 1.p.q.14.ar. 12. Et 3. d. 14. ar. 2. q. 2. ad 2. & q. 4. ad 1. Et Ver. q 20. a. 4. co. & ad 1. 2. 5. Et quolib. 3. q. 2 ar. 1. Et op. 9. q. 81. Tex. 63.

Præterea, Infinitorum scientia est infinita. Sed scientia animæ Christi non potest esse infinita: est enim capacitas eius finita, cum sit creata. Non ergo anima Christi potest cognoscere infinita.

Præterea, Infinito non potest esse aliquid maius. Sed plura continentur in scientia diuina, absolute loquendo, quam in scientia animæ Christi, vt dictum est. Ergo anima Christi non cognoscit infinita. Q. prec. 61.

Sed contra. Anima Christi cognoscit totam suam potentiam, & omnia, quæ potest: Potest autem in emundationem infinitorum peccatorum: secundum illud primæ Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. Ergo anima Christi cognoscit infinita.

Respon-

Respondeo dicendum, quod scientia non est nisi entis, A eo quod ens, & verum conuertuntur. Dupliciter autem dicitur aliquid ens. Vno modo simpliciter, quod scilicet est ens actu: alio modo secundum quid, quod scilicet est ens in
Tex. 20. *potentia. Et quia, vt dicitur in 9. Meta. vnumquodque cognoscitur, secundum quod est actu, non autem, secundum quod est in potentia: scientia primo, & principaliter respicit ens actu, secundario autem respicit ens in potentia: quod quidem non secundum seipsum cognoscibile est, sed secundum quod cognoscitur illud, in cuius potentia existit. Quantum igitur ad primum modum scientiæ, anima*
D. 1215. *Christi non scit infinita, quia non sunt infinita in actu, etiam si accipiantur omnia, quæcunque sunt in actu, secundum quodcunque tempus, eo quod status generationis, & corruptionis non durat in infinitum. Vnde est certus numerus, non solum eorum, quæ sunt absque genera-* B
D. 477. Ar. prae. *tione, & corruptione: sed etiam generabilium, & corruptibilium. Quantum vero ad alium modum sciendi, anima Christi in Verbo scit infinita: scit enim, vt dictum est, omnia, quæ sunt in potentia creaturæ. Vnde cum in potentia creaturæ sint infinita, per hunc modum scit infinita, quasi quadam scientia simplicis intelligentiæ, non autem scientia visionis.*

q. 7. ar. 7. *Ad primum ergo dicendum, quod infinitum (sicut in prima parte dictum est) dupliciter dicitur. Vno modo secundum rationem formæ. Et sic dicitur infinitum negatiue, scilicet id, quod est forma, vel actus non limitatus per materiam, vel subiectum, in quo recipiatur. Et huiusmodi infinitum, quantum est de se, est maxime cognoscibile propter perfectionem actus, licet non sit comprehensibile à*
D. 366. *potentia finita creaturæ: sic enim dicitur Deus infinitus.* C
Et tale infinitum anima Christi cognoscit, licet non com-
* Alius potentiam. *prehendat. Alio modo dicitur infinitum secundum * rationem materiæ: quod quidem dicitur priuatiue. ex hoc scilicet, quod non habet formam, quam natum est habere: & per hunc modum dicitur infinitum in quantitate.*
Tex. 65. *Tale autem infinitum ex sui ratione est ignotum: quia scilicet est quasi materia cum priuatione formæ (vt dicitur in*
Tex. 63. & 92. *3. Phys.) omnis autem cognitio est per formam, vel actū. Sic ergo, si huiusmodi infinitum cognosci debeat secūdum modum ipsius cogniti, impossibile est, quod cognoscatur: est enim modus ipsius, vt accipiatur pars eius post partem, vt dicitur in 3. Phy. Et hoc modo verum est, quod eius quātitatem accipientibus, scilicet parte accepta post partem,* D
semper est aliquid extra accipere. Sed sicut materialia possunt accipi ab intellectu immaterialiter, & multa vnite: ita infinita possunt accipi ab intellectu non per modum infiniti, sed quasi finite: vt sic ea, quæ sunt in seipsis infinita, sint in intellectu cognoscentia finita. Et hoc modo anima Christi scit infinita: inquantum scilicet sit ea non discurrendo per singula, sed in aliquo vno, puta in aliqua creatura in cuius potentia existunt infinita, & principaliter in ipso Verbo.

Ad secundum dicendum, quod nihil prohibet aliquid esse infinitum vno modo, quod est alio modo finitum: sicut si imaginemur in quantitatib. superficiem, quæ sit secundum longitudinem infinita, secundum latitudinem autem finita. Sic igitur, si essent infiniti homines numero, haberent quidem infinitatem secundum aliquid, scilicet secundum multitudinem: secundum tamen essentiæ E
rationem haberent finitatem, eo quod omnium essentia esset limitata sub ratione vnius speciei. Sed id, quod est simpliciter infinitum secundum essentiæ rationem, est Deus: vt
q 7. ar 2. D. 752. Tex. 26. *in prima parte dictum est. Proprium autem obiectum intellectus est quod quid est (vt dicitur in 3. de anima) ad quod pertinet ratio speciei. Sic igitur anima Christi propter hoc, quod habet capacitatem finitam, id quod est simpliciter infinitum secundum essentiam, scilicet Deum, at-*
Art. 1. *tingit quidem: sed non comprehendit, vt dictum est. Id autem infinitum, quod in creaturis est in potentia, potest cōprehendi ab anima Christi: quia comparatur ad ipsam secundum essentiæ rationem: ex qua parte infinitatem non habet. Nam etiam intellectus noster intelligit vniuersale, puta naturam generis, vel speciei: quod quodammodo habet infinitatem, inquantum potest de infinitis prædicari.*

Ad tertium dicendum, quod id, quod est infinitum omnibus modis, non potest esse nisi vnum. Vnde & Philosophus dicit in primo de Cæl. quod quia corpus est ad omnem Tex. 2.
partem dimensionatum, impossibile est esse plura corpora infinita. Si tamen aliquid esset infinitum vno modo tantum, nihil prohiberet esse plura talia infinita: sicut si intelligeremus plures lineas infinitas secundum longitudinem, protractas in aliqua superficie finita secundum latitudinē.

Quia igitur infinitum non est substantia quædam, sed accidit rebus, quæ dicuntur infinitæ (vt dicitur in 3. Phy.) sicut infinitum multiplicatur secundum diuersa subiecta, ita necesse est, quod proprietas infiniti multiplicetur: ita
quod conueniat vnicuique illorum, secundum illud subie- Tex. 37. & 38.
ctum. Est autem quædam proprietas infiniti, quod infinito non sit aliquid maius. Sic igitur si accipiamus vnam lineam infinitam, in illa non est aliquid maius infinito. Et similiter, si accipiamus quamcunque aliarum linearum infinitarum, manifestum est, quod vniuscuiusque earum partes sunt infinitæ, oportet ergo, quod omnibus illis partibus infinitis non sit aliquid maius in illa linea: tamen in alia linea, & in tertia erunt plures partes etiam infinitæ præter istas. Et hoc etiam videmus in numeris accidere: nā species numerorum parium sunt infinitæ, & similiter species numerorum imparium, & tamen, numeri pares & impares sunt plures, quam pares. Sic igitur dicendum est, quod infinito simpliciter quo ad omnia, simpliciter nihil est maius: infinito autem secundum aliquid determinatū, non est maius in illo ordine: potest tamen accipi aliquid aliud maius extra illum ordinem. Per hunc igitur modum infinita est in potentia creaturæ, & tamen plura sunt in potentia Dei, quam in potentia creaturæ, & similiter anima Christi scit infinita scientia simplicis intelligentiæ, plura tamen scit Deus secundum hunc scientiæ modum.

Sensus quæsiti.

DE infinitis hic sermo est indistincte siue indifferenter ad substantias & accidentia, vt hic etiam aduertunt Caiet. & Med. & aperte satis habetur in textu: quare non est audiendus Suar. *in com.* dicens articulum hunc de infinita multitudine substantiarum esse intelligendum. Verbum etiam *cognouerit* indistincte sumendum est ad eam cognitionem, quæ simpliciter & proprie scientia visionis est, & ad eam quæ modum habet scientiæ simplicis intelligentiæ, vt patet in textu.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quæsito duabus conclusionibus.

Distinctio est: Dupliciter aliquid est cognoscibile: Vno modo secundum se ipsum: vt ens in actu: alio modo non secundum se ipsum, sed secundum quod cognoscitur illud in cuius potētia existit: Probatur hæc distinctio. Quia dupliciter aliquid dicitur eius: Vno modo simpliciter, quod scilicet est ens in actu: Alio modo secundū quid, quod scilicet est ens in potentia: ergo dupliciter aliquid est cognoscibile &c. Antecedens patet: consequentia vero probatur: primo quo ad particulam illam *dupliciter*, quia scientia non est nisi entis: ergo si dupliciter aliquid dicitur ens, dicitur dupliciter aliquid cognoscibile. Probatur hoc assumptum: quia ens & verum conuertuntur. Deinde probatur consequentia quo ad membrorum distinctionem dupliciter. Primo à priori: Quoniam, vt dicitur *in 9. Metaph. tex.* 20. vnumquodq; est cognoscibile, secūdum quod est in actu, non autem secundum quod est in potentia: ergo si dupliciter aliquid dicitur ens &c. sequitur etiam dupliciter aliquid esse cognoscibile scilicet secundum se ipsum, & in alterius potentia.

Secun-

Secundo probatur eadem consequentia à poste- A
riori: quia scientia primo & principaliter respicit ens actu: quod quidem secundum seipsum est cognoscibile: secundario autem respicit ens in potentia: quod non secundum se ipsum est cognoscibile, sed secundum quod cognoscitur illud, in cuius potentia existit.

PRIMA CONCL. *est. Quantum ad primum modum scientiæ, quo cognoscitur aliquid secundum seipsum, siue pro vt est in actu secundum se, anima Christi non scit infinita, etiam si accipiantur omnia, quæcunque sunt actu secundum quodcunque tempus*: quia certus est numerus non solum eorum quæ sunt absque generatione & corruptione, sed etiam generabilium & corruptibilium: ergo. Antecedens probatur: quia status generationis & corruptionis non durat in B
infinitum.

SECVNDA CONCL. *est. Quantum ad alterum modum sciendi, quo cognoscitur aliquid in alterius potentia, anima Christi in Verbo scit infinita.* Probatur primo. Quia scit omnia, quæ sunt in potentia creaturæ: ergo scit infinita. Antecedens patet ex articulo præcedente: consequentia vero probatur: quia in potentia creaturæ sunt infinita: Deinde declaratur modus huius scientiæ dicendo illam inducre modum scientiæ simplicis intelligentiæ, quam magis scientiæ visionis.

Expositio Textus.

Prima dubitatio. TRES circa primam conclusionem solent hic C
ab expositoribus moueri dubitationes: PRIMA est, quam excitat hic Cai. & Ferrar. *in primo cont. gent. c. 69.* & alii expositores *super hoc articulo*, & ante omnes Capr. *in 3. dist. 14. q. 2.* & Bergomas *in Aurea Tabula Dubio 477. & 1215.* quæ ex duobus emergit dictis S. Thom. Primum est *in art. præced. in resp. ad 2.* vbi ait animam Christi scire omnia, quę Deus in seipso cognoscit scientia visionis. Secundum est *in 1. p. q. 14. a. 12.* vbi docet Deum scientia visionis cognoscere infinita: ex quib. euidenter sequitur oppositum primæ conclusionis huius articuli negantis animam Christi cognoscere infinita actu existentia secundum quodcunque tempus. Cui difficultati communiter omnes respondent dicentes S. Tho. hic loqui de substantiis, quibus proprie conuenit generari, & quæ D
sunt entia completa & subsistentia: quæ sola dicuntur entia simpliciter: quibus addit Aluar. accidentia permanentia: alibi vero sermonem esse dicunt de omnibus simul entibus quandoq; futuris: inter quæ recensentur etiam entia successiua, præsertim spiritualia: vt cogitationes & affectiones Angelorum & hominum, quæ multiplicabuntur in infinitum. Videndi sunt Cai. Med. & Aluar.

Secũda dubitatio. De veritate primæ Conclusionis. Infinita simul esse posse, non in propria durationis mensura, sed in æternitate tantum.

Secunda dubitatio est de veritate eiusdem primæ conclusionis: an scilicet anima Christi scientia visionis, qua videntur ea quæ sunt actualiter existentia, videat infinita: quam difficultatem optime versat ac erudite definit Aluar. *disp. 55.* nos hic E
summatim præcipua colligemus fundamenta veritatis, quibus omnia dilui poterunt aduersariorum argumenta.

Recolenda igitur sunt primo ea, quæ diximus *in 1. par. q. 14. a. 13. in 3. Contr.* vbi ostendimus ex D. Tho. Capr. Cai. Ferrar. & aliis discipulis S. D. & ex Sanctis Patribus vniuersa illa, quibus esse conuenit in aliqua temporis differentia, præsentis scilicet aut præteriti vel futuri, vnico nunc æternitatis indiuisibili tanquam communi & excedẽte rerum omnium mensura contineri: ita vt tam præsentia quam præterita & futura secũdum nostri temporis aut cuiuscunque alterius durationis mensuram sint actu secundum vnum & indiuisibile nunc æternitatis præsentia: atque ideo tanquam præsentia videri possint non solum à Deo, sed etiam ab intellectu creato ad Dei visionem æternitate mensuratam eleuato: iuxta modum tamen & mensurã luminis gloriæ & prout statui congruit beatitudinis singulorum: ita vt soli Christo, ad cuius statum omnes pertinent creaturæ, conueniat vniuersa videre tam præsentia quam præterita & futura: Cum autem futuræ cogitationes & affectiones Angelorum & hominũ sint infinitæ, necesse est eas omnes esse præsentes æternitati, tam essentiali quã participatæ, ac proinde etiam fieri potest, vt ab intellectu & cognitione eadem æternitate mensurata simul omnes absque vlla successione videantur. Ad cuius ampliorem intelligentiam

Secundo recolendum est illud, quod diximus *in allegata Contr.* nimirum ea quę sunt in æternitate tãtum, & non in mensura propria suæ durationis, non habere esse simpliciter, ideſt sine addito, sed secundum quid, ideſt cum hac addita cõditione diminuente. scilicet in æternitate. Ex qua differentia sequitur alia, videlicet implicare contradictionem esse simul actu in propria mensura durationis numerum infinitum rerũ successiuarum aut permanentium: haberet enim ille numerus vltimam vnitatẽ, & esset in aliqua specie numeri; quoniam hæc est propria ratio numeri, & nullam haberet vltimam vnitatem, nec ad vnam aliquam esset speciem determinatus, eo quod esset infinitus secundum suum esse simpliciter illi conueniens in propria suæ durationis mensura: Esse autem simul actu numerum infinitum siue successiuum siue permanentem, non in propria durationis mensura, sed in æternitate, quæ est excellens & est cõmunis omnium durationum & rerum durantium mensura, nullam implicat contradictionem: quia res in æternitate præcise sumpta non habent esse simpliciter, & multitudini, quatenus est in æternitate, nulla debetur vltima vnitas aut determinata species, eo quod in æternitate non habet esse simpliciter: sicut nec successiua, pro vt existunt in æternitate, successionẽ habent, sed simul actu sunt: Et quia maior est æternitatis latitudo, quam totius temporis quomodocunque sumpti simul accepti, puta continui, discreti &c. ideo tota temporis sic accepti latitudo, quanquam sit infinita, sub æternitatis infinita comprehenditur latitudine, & eadem ratione multitudo infinita rerum tam permanentium, quam successiuarum ab eadem vt excedente mẽsura comprehenditur æternitatis latitudine. Et sicut in infinita illa multitudine nulla vere est vnitas vltima, qua multitudo illa determinetur ad speciem: ita nec ab vllo intellectu aut actu cognitionis æternitate mensurato videtur aut videri potest in infinita illa multitudine aliqua vnitas vltima: sed Deus & anima Christi sic distincte singulas illius multitudinis intuetur vnitates, vt nullam in eis videat esse postremã, vt cum Capr. declarauimus *1. p. q. 14. a. 12. Contr. vnica.*

Regula propositionum de futuro, & differentia modi cognitionis à modo productionis.

Tertio sciendum est, propositionem omnem affirmatiuam de futuro reducibilem esse ad aliquã propositionem de præsenti siue de inesse, sed non eodem modo: Nam quædam est immediate reducibilis ad propositionem de præsenti, vt hæc *Antichristus erit*, si vera esse debet, reducenda est ad hanc de præsenti: *Antichristus est*: quæ pro tempore generationis & durationis Antichristi, certam habitura est veritatem: Quædam autem non immediate, sed mediate tãtum est reducibilis ad alteram de præsenti: quales sunt omnes illæ propo-

posi-

positiones, in quibus verbum est numeris pluralis: sicut hæc: *infinitæ cogitationes, aut affectiones sunt*, non est immediate reducibilis ad hanc: *infinita cogitationes, aut affectiones sunt*: primo, quia nullum potest esse tempus præsens, in quo verum sit esse simul actu cogitationes aut affectiones infinitas. Secundo, quia verbum *erunt* idem pollet, quod *erit & erit*: Est igitur illa propositio *infinitæ cogitationes erunt* in suas singulares de futuro resoluēda dicendo: *hæc cogitatio erit, illa cogitatio erit, & sic de singulis*: Deinde quælibet singularis de futuro reducenda est ad suam singularem de præsenti: puta *hæc cogitatio est*, pro illo scilicet tempore, quo verum erit dicere *hæc cogitatio est*, &c.

Quarto notandum est ex Caiet. Medina & Aluar. *super hoc art.* modum cognitionis, præsertim excellentis, qualis est visio beatifica, esse diuersum immo & oppositum modo, quo res producuntur in esse & in propria durationis mensura. Nam in excellenti cognitione plura simul adunantur ad vnam speciem simul ea distincte repræsentātem: vt patet de speciebus intelligibilibus Angelorum: quod multo magis conuenit essentiæ diuinæ per lumen gloriæ beatorum intellectui copulatæ. In rerum autē productione res prius in causa simul existentes, & vnum in ea tantum esse habentes in plura esse distincta realiter & singulis propria distinguuntur: quo fit vt, licet impossibile sit infinita simul actu produci aut existere, possint tamen infinita vna simul specie repræsentari, & vno cognitionis actu comprehendi.

Quinto Videnda sunt ea, quæ diximus *in 1 p.q. 14. a. 12.* de modo, quo Deus infinita cognoscit, & de modo loquendi per propositiones.

Visionem animæ Christi ex sua perfectione ad infinita cathegorematice terminari.

Sexto Notanda est doctrina Cai. *circa responsionem ad secundum argumentum D. Tho* vbi docet visionem animę Christi habere perfectionem altioris ordinis, secundum quam non solum æquiualet, sed etiam excedit infinitas cognitiones terminabiles ad infinita, & tamen eam non esse simpliciter infinitam: quod idem affirmat *1.p.q.12.a.10.* & ante eum significauerat Capreol. *in 3 dist.14.q.2 a.3.* & eandem doctrinam sequitur Medina *super hoc art.* Sed obseruandum est, visionem animæ Christi ad duo cognitionū genera posse comparari: *Primum* est cognitio ordinis naturalis, quæ ad res secundum proprias earum naturas, aut etiam existentias immediate terminatur: & huius comparatione certum est non solum visionem animæ Christi, sed etiam visiones omnium beatorum esse longe altioris ordinis: & ideo quamlibet beatificam visionem æquialere infinitis numero & specie cognitionibus sub ordine naturali cōprehensis: ac proinde posse vnam numero beatam visionem ex sua finita perfectione ad infinita singularia vel etiam species terminari: quæ non nisi per infinitas cognitiones naturalis ordinis possent attingi. Nec tamen id omni conuenit visioni beatifice: quia id nō omni congruit statui beatorum. *Alterum* genus cognitionis cui comparari potest visio animæ Christi, est visio cæterorum omnium beatorum: huius enim comparatione visio animæ Christi est altioris ordinis eo modo, quo gratia Christi capitalis, atque adeo gloria dicitur esse altioris ordinis, quā gratia & gloria cæterorū. Sed quomodo ex hoc superioritatis modo sequatur vnam visionem animæ Christi æquialere infinitis aliorum beatorum visionibus, nō plane video: quia perfectio visionis animæ Christi non est alterius ordinis essentialiter à perfectione essentiali visionis aliorum beatorum, sed quo ad modum tantum: sicut etiam de gratia capitali supra dictum est. Vtramque tamen comparationem attigit Cai. primam quidem *in hoc art.* secundam autem *in prima parte loco notato*, quam etiam tuetur Medina.

Ex quo pēsanda sit perfectio cognitionis.

Septimo Considerandum est plura obiecta numero finita aut infinita dupliciter cognosci posse: *Vno modo* in seipsis: & hoc modo cognitio quæ ad plura terminatur obiecta perfectior est, cæteris paribus, ea quæ ad pauciora terminatur: dico autem *cæteris paribus*, propter intensionem attentionis, quæ (naturaliter loquendo) quando terminatur ad plura, minor est respectu singulorum, quam sit quando terminatur ad pauciora. *Alio modo* cognosci possunt illa plura non in seipsis immediate, sed in aliquo obiecto primario prius cognito, in quo virtualiter & repræsentatiue contineantur: & hoc modo verum non est, quo plura, etiam si sint infinita vnius ordinis, cognoscuntur eo cognitionem esse perfectiorem: Quia cognitionis perfectio non ex obiecto secundario sed ex primario tantum attenditur: ita vt iuxta modum cognitionis obiecti primarii sit modus perfectionis in cognitione. Et quia per cognitionem obiecti primarii finitam videri possunt obiecta secundaria infinita vnius ordinis, aut etiam plurium, licet non omnium ordinum: ideo ex visione cogitationum & affectionum infinitarum non recte infertur infinitas simpliciter in ipsa visione, vt scite Cai. aduertit *1.p.q.12.a.10.* vbi distinctionem prædictam significans ait: *Videre finita, aut infinita in Deo non specificat, aut per se modificat, seu quantificat visionem Dei: sed eius causa scilicet perfectius, aut imperfectius videre Deum: Nec valet: videt adeo perfecte, vt videat infinita: ergo videt infinite: quia visis infinitis vnius ordinis restant infinita alterius ordinis, & visis illis restant alia.*

Infinita dupliciter sumpta, videri posse.

Vltimo Notandum est, cum dicimus Deum aut animam Christi videre vno actu infinita dupliciter intelligi posse: Vno modo de infinitis syncathegorematice: Alio modo de infinitis cathegorematice: & vtroque modo in bono sensu admitti potest Deum & animam Christi videre infinita. Ad cuius euidentiam, suppositā dictorum terminorum cognitione, aduertendum est dictiones illas *cathegorematice & syncathegorematice* significare duos modos oppositos, scilicet simultatis & successionis partis post partem: Qui modi possunt se tenere vel ex parte rei cognitæ, puta multitudinis infinitæ cogitationum aut affectionum: & ita cum dico multitudinem cogitationum esse infinitam cathegorematice, significo talem multitudinem esse simul actu secundum se totam: cum autem dico eandem multitudinem esse infinitam syncathegorematice, significo eam non esse actu secundum omnes suas partes, sed illi fiendam esse aut fieri posse additionem vsque in infinitum & absque vllo termino. *Sed rursus* hi duo modi infinitatis dupliciter intelligi possunt se tenere ex parte rei: *Vno modo*, prout res illa, quæ dicitur infinita, consideratur vt existens in mensura propria, puta in mensura temporis continui vel discreti: & ita verum est esse non posse multitudinem infinitam cathegorematice, vt probat Sanct. Doct. *in 1. quæst.7. art.4.* quamuis esse possit & vere sit in rebus multitudo infinita syncathegorematice: multiplicabuntur enim absque termino cogitationes & affectiones hominum; quamuis illæ semper finitæ sint, quæ sunt actu simul. *Alio modo* potest intelligi prædictos duos modos se tenere ex parte rei, prout est in mensura æternitatis: & ita certum est esse simul actu multitudinem infinitam cogitationum & affectionum præciso quocunque cognitionis actu, vt ante diximus. Possunt præterea duo

præ-

prædicti modi se tenere ex parte cognoscentis si- A
ue cognitionis, & ita certum est quemlibet intellectum creatum posse cognoscere syncathegorematice multitudinem infinitam: quia potest talis multitudinis partem post partem vsque in infinitum cognoscere: certum est etiam illum intellectum creatum, cuius species potest simul actu infinita repræsentare, posse simul ea vno cognitionis actu cognoscere: vt patet de speciebus Angelorum repræsentantibus actu simul infinitas species numerorum & figurarum: & multo magis id potest essentia Dei nõ respectu solum intellectus diuini, sed respectu etiã alicuius intellectus creati & præsertim animæ Christi. Cum ergo quæritur: An Deus vel anima Christi videat infinita ca- B
thegorematice vel syncathegorematice respondendum est cum distinctione: Nam si dictio illa *cathegorematice* dicat modum se tenentem ex parte rei, prout est in propria suæ durationis mensura, nullus intellectus potest infinita cognoscere: quia implicat esse in rebus creatis aliquid infinitum cathegorematice: si vero dicat modum se tenentem ex parte rei prout est in æternitate, aut modum se tenentem ex parte cognitionis, dicendum est Deum & animã Christi Domini cognoscere infinita cathegorematice, non autem syncathegorematice: quia nec in æternitate, nec in actu diuinæ cognitionis aut visionis beatificæ vlla successio est, sed omnia simul actu sunt.

TERTIA DVBITATIO est de modo, quo ani C
ma Christi visione beatifica certo cognoscit futura contingentia, præsertim libera: cui satisfacit optime Didacus Aluar. *disp. 55. in solutione 2. confirm. pro 6. suo argum.*

VLTIMA DVBITATIO est: *An scientia animæ Christi in ratione scientiæ sit infinita simpliciter?* cui breuiter respondet Medina 6. *sua conclusione*: sed late ac erudite versat ac definit eam Aluarez *disputat. 56.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum anima Christi videat Verbum, siue diuinam essentiam clarius qualibet alia creatura.

D

Sup. q. 9. a. 2. eo & infra q. 11. art. 3. ad 1.

AD quartum sic proceditur. *Videtur, quod anima Christi non perfectius videat Verbum, quam quælibet alia creatura. Perfectio enim cognitionis est secundum medium cognoscendi: sicut perfectior est cognitio, quæ habetur per medium syllogismi demonstratiui, quam quæ habetur per medium syllogismi dialectici. Sed omnes Beati vident Verbum immediate per ipsam diuinam essentiã, vt in Prima parte dictum est. Ergo anima Christi non perfectius videt Verbum, quam quælibet alia creatura*

q. 12. ar. 2.

Præterea: Perfectio visionis non excedit potentiam visiuam. Sed potentia rationalis animæ, qualis est anima Christi, est infra potentiam intellectiuam Angeli: vt patet per Dionys. 4. ca. Cæles. Hier. Ergo anima Christi non perfectius videt Verbum, quam Angeli. E

Præterea: Deus in infinitum perfectius videt Verbum suum, quam anima. Sunt ergo infiniti gradus medij possibiles inter modum, quo Deus videt Verbum suum, & inter modum, quo anima Christi videt ipsum. Ergo non est asserendum, quod anima Christi perfectius videat Verbum, vel essentiam diuinam, quam quælibet alia creatura.

Sed contra est, quod Apost. dicit ad Ephes. 1. quod Deus constituit Christum ad dexteram suam in cælestibus supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Sed in illa cælesti gloria tanto aliquis est superior, quanto perfectius cognoscit Deum. Ergo anima Christi perfectius videt Deum, quam quæuis alia creatura.

Respondeo dicendum, quod visio diuinæ essentiæ conuenit omnibus Beatis, secundum participationem luminis D. 486.
deriuati in eos à fonte Verbi Dei: secundum illud Eccles. 1. Fons sapientiæ, Verbum Dei in excelsis. Huic autem Verbo Dei propinquius coniungitur anima Christi, quæ est vnita Verbo in persona, quam quæuis alia creatura. Et ideo plenius recipit influentiam luminis, in quo Deus videtur ab ipso Verbo, quam quæcunque alia creatura. Et ideo præ cæteris creaturis perfectius videt ipsam primam veritatem, quæ est Dei essentia. Vnde dicitur Ioan. 1. Vidimus gloriam eius, quasi Vnigeniti à Patre, plenum non solum gratiæ, sed etiam veritatis.

Ad primum ergo dicendum, quod perfectio cognitionis, quantum est ex parte cogniti, attenditur secundum medium: sed quantum est ex parte cognoscentis, attenditur secundum potentiam, vel habitum. Et inde est, quod etiam inter homines per vnum medium, vnus perfectius cognoscit aliquam conclusionem, quam alius. Et per hunc modum, anima Christi, quæ abundantiori repletur lumine, perfectius cognoscit diuinam essentiam, quam alij Beati: licet omnes ipsam Dei essentiam videant per seipsam.

Ad secundum dicendum, quod visio diuinæ essentiæ excedit naturalem potentiam cuiuslibet creaturæ: vt in Pri- p. p. q. 12.
ma parte dictum est. Et ideo gradus in ipso attenduntur ma- a. 4.
gis secundum ordinem gratiæ, in quo Christus est excellentissimus, quam secundũ ordinem naturæ, secundum quem natura Angelica præfertur humanæ.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est de q. 7. Ar. 11.
gratia, quod non potest esse maior gratia, quam gratia Christi, per respectum ad vnionem Verbi: idem etiam dicendum est & de perfectione diuinæ visionis, licet absolute considerando, possit esse aliquis gradus altior, sublimior q; secundum infinitatem diuinæ potentiæ.

Sensus quæsiti.

DICTIONEM illam *clarius*, quæ præcipua est in hoc quæsito, declarat S. D. *in corpore*, & *ad 1.* dicendo maiorem visionis claritatem attendi penes maiorem luminis influentiam.

Forma Textus.

CONCL. est: *Anima Christi præ cæteris creaturis perfectius videt ipsam primam veritatem, quæ est Dei essentia.* Probatur: quia visio diuinæ essentiæ cõuenit omnib. beatis secundum participationem luminis deriuati in eos à fonte Verbi Dei: sed anima Christi plenius recipit influentiam diuini luminis, in quo Deus videtur, ab ipso Verbo, quam quæcunque alia creatura: ergo præ cæteris creaturis perfectius videt &c. Maior probatur ex illo *Eccl. 1. Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Minor autem probatur: quia anima Christi propinquius coniungitur Verbo, quam quælibet alia creatura: ergo plenius recipit &c. Antecedens probatur: quia anima Christi est vnita Verbo in persona: ergo.

Expositio Textus.

CIRCA responsiones *ad secundum & tertium argumentum S. Tho.* docet Cai. pari existente lumine gloriæ in homine, & Angelo perfectius Angelum videre Deum, quam videat homo: & ideo (inquit) si ad æquale lumen gloriæ Angelus assumeretur à Verbo Dei in vnitatem personæ, Angelus ille perfectius videret Deum, quam anima Christi &c. quam doctrinam acriter reprehẽdunt Med. & Suar. *super hoc art.* & alij discipuli D. Th. 1. p. q. 12. a. 6. Sed nos ibi sensum exposuimus Caiet. & aliorum obiectis satisfecimus: quem dicendi modum approbat, & sequitur Aluar.

lib. 3. de diuinis auxilijs, disp. 63. & super hoc artic.

QVÆ-

QVÆSTIO VNDECIMA.

De scientia indita, vel infusa animæ Christi, in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de scientia indita, vel infusa animæ Christi.

Et circa hoc quæruntur sex.

Primo, vtrum secundum hanc scientiam Christus sciat omnia.

Secundo, vtrum hac scientia vti potuerit non conuertendo se ad phantasmata.

Tertio, vtrum hæc scientia fuerit collatiua.

Quarto, de comparatione huius scientiæ ad scientiam Angelicam.

Quinto, vtrum fuerit scientia habitualis.

Sexto, vtrum fuerit distincta per diuersos habitus.

Ratio ordinis.

CVM in qualibet scientia tria considerẽtur sc. obiectum, actus & habitus, de scientia indita animæ Christi tractaturus in hac quæstione S. D. primo de illius obiecto differit in art. 1. quærens: vtrum secundum hanc scientiam Christus omnia sciat: Secundo de illius actu, qui secundo loco post obiectum consideratur in scientia, tractat in duobus alijs articulis, nimirum secundo & tertio: in secundo quidem de actu siue vsu huius scientiæ in ordine ad phantasmata: in tertio vero de collatione seu discursu eiusdem scientiæ: prius enim ordine naturæ est ordo siue conuersio ad phantasmata, quam collatio siue discursus: cum hic ex illa dependeat. Et quoniam ex dictorum trium articulorum definitionibus consurgit dubitatio de gradu nobilitatis huius scientiæ, quæ ex doctrina primi articuli videtur maior scientia Angelorum, ex conclusionibus autem secundi & tertii articuli videtur inferior: ideo S. D. in art. 4. proponit quæsitum de comparatione huius scientiæ ad sciẽtiam Angelicam quærens, an hæc scientia fuerit maior scientia Angelorum. Deniq; duobus extremis articulis agit de ratione habitus huic scientiæ conuenienti, & prius quidem proponit quęsitum de ratione habitus absolute quærens in art. 5. vtrum hæc scientia fuerit habitualis: deinde de vnitate, aut pluralitate habitus inquirit in art. 6. quærens vtrum fuerit hæc scientia distincta per diuersos habitus.

ARTICVLVS I.

Vtrum secundum scientiam inditam, vel infusam Christus omnia sciat.

Inf. q. 12. a. 1. c. & 3. Et 3. d. 14. a. 3. q. 1. & q. 4. c. & q. 5. ad 2. Et ver. q. 20. ar. 6. & ep. 3. c. 123.

AD primum sic proceditur. *Videtur, quod secundum hanc scientiam Christus non cognouerit omnia. Hæc enim scientia indita est Christo ad perfectionem possibilis intellectus eius. Sed intellectus possibilis animæ humanæ non videtur esse in potentia ad omnia simpliciter, sed ad illa sola, in quæ potest reduci in actum per intellectum agentem, qui est proprium actiuum ipsius, quæ quidem sunt cognoscibilia secundum rationem naturalem. Ergo secundum hanc scientiam non cognouit Christus ea, quæ naturalem rationem excedunt.*

Præterea: Phantasmata se habent ad intellectum humanum, sicut colores ad visum: vt dicitur tertio de Anima. Sed non pertinet ad perfectionem visiuæ potentiæ cognoscere ea, quæ sunt omnino absque colore. Ergo neque ad perfectionem intellectus humani pertinet cognoscere ea, quorum non possunt esse phantasmata, sicut sunt substantiæ separatæ. Sic ergo, cum huiusmodi scientia fuerit in Christo ad perfectionem animæ intellectiuæ ipsius, videtur, quod per huiusmodi scientiam non cognouerit substantias separatas.

Lib. 3. tex. 3. 18 & 39.

Præterea: Ad perfectionem intellectus non pertinet cognoscere singularia. Videtur ergo, quod per huiusmodi scientiam anima Christi singularia non cognouerit.

Sed contra est, quod dicitur Isa. 11. quod repleuit eum Spiritus sapientiæ, & intellectus, scientiæ, & consilij. Sub quibus comprehenduntur omnia cognoscibilia: nam ad sapientiam pertinet cognitio omnium diuinorum: ad intellectum autem pertinet cognitio omnium immaterialium: ad scientiam autem pertinet cognitio omnium conclusionum: ad consilium autem cognitio omnium agibilium. Ergo videtur, quod Christus secundum scientiam inditam sibi per Spiritum sanctum habuerit omnium cognitionem.

Respondeo dicendum, quod sicut prius dictum est, conueniens fuit, vt anima Christi omnino esset perfecta per hoc, quod omnis eius potentialitas sit reducta ad actum. Est autem considerandum, quod in anima humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia passiua. Vna quidem per comparationem ad agens naturale. Alia vero per comparationem ad agens primum: quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale: & hæc consueuit vocari potentia obedientiæ in creatura. Vtraque autem potentia animæ Christi fuit reducta in actum, secundum hanc scientiam diuinitus inditam. Et ideo secundum eam anima Christi primo quidem cognouit, quæcunque ab homine cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis: sicut sunt, quæcunque pertinent ad scientias humanas. Secundo vero per hanc scientiam cognouit Christus omnia illa, quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt: siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ, siue ad quodcunque donum Spiritus sancti. Omnia enim ista abundantius, & plenius cæteris cognouit anima Christi. Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognouit, sed solum per primam, de qua supra dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de potentia naturali animæ intellectiuæ, quæ scilicet est per comparationem ad agens naturale, quod est intellectus agens.

Ad secundum dicendum, quod humana anima in statu huius vitæ quo quodammodo est ad corpus obligata, vt sine phantasmate intelligere non possit, non potest intelligere substantias separatas. Sed post statum huius vitæ, anima separata poterit aliqualiter substantias separatas per seipsas cognoscere: vt in Prima parte dictum est. Et hoc præcipue manifestum est, circa animas Beatorum. Christus autem ante passionem nõ solum fuit viator sed etiam comprehensor: vnde anima eius poterat cognoscere substantias separatas per modum, quo cognoscit anima separata.

Ad tertium dicendum, quod cognitio singularium non pertinet ad perfectionem animæ intellectiuæ secundum cognitionem speculatiuam. Pertinet tamen ad perfectionem eius secundum cognitionem practicam, quæ non percipitur absque cognitione singularium, in quibus est operatio: vt dicitur in sexto Ethic. Vnde ad prudentiam requiritur memoria præteritorum, cognitio præsentium, & prouidentia futurorum: vt Tullius dicit in sua Rhetorica. Quia igitur Christus habuit plenitudinem prudentiæ secundum donum consilij, consequens est, quod cognouerit omnia singularia præsentia, præterita, & futura.

Sensus quæsiti.

VOx illa *omnia* duplex complectitur genus cognoscibilium, scilicet per naturale lumen intellectus agentis, & per lumen diuinæ reuelationis, vt explicat S. D. in corpore.

Naz. in D. Thom. 3. partem.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. *Anima Christi secundum hanc scientiam cognouit omnia, quæ cognosci possunt per virtutem luminis intellectus agentis: sicut sunt quæcunque pertinent ad scientias humanas, & omnia illa quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, siue prophetiæ, siue ad quodcunque donum Spiritus S.* Probatur: quoniam in anima Christi consideratur duplex potentia passiua: Vna quidem per comparationem ad agẽs naturale: alia vero per comparationem ad agẽs primum, quod potest creaturam reducere in actum altiorem actu, in quem reducitur per agens naturale: quæ consueuit vocari potentia obedientialis: & vtraque potentia animæ Christi fuit reducta in actum per hanc scientiam diuinitus inditam: ergo secundum hanc scientiam cognouit omnia, quæ cognosci possunt &c. Antecedens quo ad primam partem probatur: quia in qualibet creatura consideratur prædicta duplex potẽtia passiua: ergo etiam in anima Christi: Quo ad secundam vero partem asserentem vtramque potentiam animæ Christi fuisse reductam in actum, probatur ex dictis supra *quæst. 9. art. 1.* quia scilicet conueniens fuit, vt anima Christi omnino esset perfecta per hoc, quod omnis eius potentialitas sit reducta ad actum: ergo vtraque prædicta potentia animæ Christi fuit reducta ad actum.

SECVNDA CONCL. *Anima Christi per hanc scientiam non cognouit ipsam Dei essentiam, sed solum per primam scil. scientiam visionis.* Hæc relinquitur vt nota ex differentia vtriusque scientiæ, & excessu scientiæ visionis super hanc scientiam.

Expositio Textus.

IN huius artic. expositione Caiet. & post eum Medina varias proponit difficultates ac breuiter definit: quas recentiores pluribus aliis additis ad explicationem primæ conclusionis latissime versant. Nos circa singulas summa breuitate sententiam nostram proferemus. Est igitur

---

Controuersia Vnica.

De obiecto scientiæ infusæ animæ Christi, in quinq; quæstiones diuisa.

PRIMA QUÆSTIO. *An Christus per scientiam inditam cognoscat omnia, quæ ab humano vel Angelico intellectu naturaliter sciri possunt?* Omissis Scoti, Dur. & aliorum antiquorum ac recentiorum quorundam opinionibus, quas referunt hic Caiet. Suar. Vasq. & Aluar. qui etiam in quibusdam dissentiunt.

Sciendum est primo ex D. Th. *1. p. q. 1. a. 3. in corpore, & ad 2.* vnitatem potentiæ & habitus esse considerandam secundum rationem formalem obiecti: & ideo fieri posse, vt inferiores potentiæ vel habitus diuersificentur circa illas materias, quæ cõmuniter cadunt sub vna potentia vel habitu superiori, eo quod superior potẽtia vel habitus fertur in obiectum sub vniuersaliori ratione formali: vt patet in obiecto sensus communis, quod est sensibile comprehendens sub se visibile & audibile &c. quo fit vt illa vna potentia realiter & formaliter, quæ est sensus communis, extendat se ad omnia obiecta quinque sensuum exteriorum: & ob eandem causam scientia Sacræ Theologiæ ea omnia sub vna ratione considerat, quæ ad diuersas attinent scientias philosophicas. Sic igitur in proposito, quia scientia animæ Christi infusa altioris ordinis est, quam scientia quælibet naturalis & quam omnis alia cognitio supernaturalis diuina reuelatione ad homines deriuata, ideo sub vna simplici ratione formali ad omnia cuiuslibet scientiæ naturalis & reuelatæ cognitionis obiecta terminatur: Virtus enim superioris ordinis & vniuersalior nobiliori modo extenditur ad ea, quæ sub inferioris ordinis & minus vniuersali virtute continentur.

Secundo considerandum est, scientiam infusam animæ Christi dici posse quadam ratione supernaturalem, & quadam alia ratione naturalem: Nam si consideretur in ordine ad animam Christi absolute sumptam scientia supernaturalis est, cum ad hanc non habeat anima Christi secundum se consideratam potentiam naturalem, sed obedientialem tantum: si vero consideretur eadem anima Christi, prout est hypostatice coniuncta personæ Verbi, atque adeo prout illi quasi naturaliter conuenit vterque status, scilicet viatoris & comprehensoris, scientia hæc dici potest illi quodammodo naturalis: sic enim est in anima Christi non solum ad naturalium, sed etiam ad supernaturalium cognitionem potentia naturalis. Sicut supra *qu. 3. art. 12* de gratia habituali dictum est: quod etiam hic aduertit Cai. & alij recentiores.

Tertio Notandum est species infusas animæ Christi similes esse speciebus Angelorum, & illis etiam esse excellentiores: Cum igitur species Angelorum intellectibus inditæ non communes tantum naturas genericas aut specificas, sed etiam vniuersa sub eis existentia singularia repręsentent, vt patet *ex 1. p. q. 57. a. 2.* multo magis hoc speciebus infusis animæ Christi tribuendum est, vt hic etiam notat & explicat Cai. *circa resp. ad 3. argum. D. Tho.* dicens species angelicas, ac proinde etiam species infusas animæ Christi repræsentare semper eodẽ modo ex parte ipsius speciei repræsentantis, siue res existant siue non existant, non tamen eodem modo semper repræsentare ex parte rerum repręsentatarum: nam existente Leone repræsentatur vt existens: si vero non existat, non repræsentatur vt existens &c. vide Cai. & ea quæ diximus *1. p. in allegata q. 57. a. 2.*

Cum igitur species infusæ animæ Christi fuerint à Deo immediate causatæ & exemplatæ à Diuina essentia, quæ distincte singularia repræsentat, & scientia infusa animæ Christi fuerit longe perfectior scientia Angelorum, vt probatur infra *art. 4.* & habuerint species illæ omnem perfectionem fini Incarnationis congruentem & possibilem eis communicari, *dicendum est animam Christi per species illas, & scientiam inditam vniuersa cognouisse, quæ ab humano vel Angelico intellectu sciri possunt.*

QUÆSTIO SECVNDA. *An per scientiam hanc anima Christi continue, aut aliquando simul omnia sub ea comprehensa cognouerit.* Vasq. *disp. 53. c. 2.* docet Christum per scientiam hanc ab initio simul actu cognouisse omnia futura in infinitum per proprium & quidditatiuum conceptum dicens hac sola ratione defendi posse Christum in hac scientia non profeciisse, & nullam in eo fuisse ignorantiam, nõ tamen fuisse aut esse continuo in actuali omnium consideratione, licet aliquando ad actualem omnium considerationem se reducat. *Duæ refelluntur opposita sententia, & vtraq; fulcitur, vt probabilis.*

Sed oppositam sententiam habet S. D. infra *art. 5.* quam explicat ibi Caietanus & latius Suar. *disp 28. sect. 1.* Aluarez *disp. 57.* tertiam hanc statuit concl. *Per scientiam infusam non cognoscit anima Christi actu simul omnia entia, quæ sub ea cadunt, sed habitualiter & successiue: ita vt quoties voluerit, possit vti tali scientia ad quamcunque rem cognoscendam.* Fundamentum eius est; quia cognitio scientiæ inditæ animæ Christi non mensuratur æternitate, nec potest humanus aut Angelicus intelle-

cellectus per plures species simul intelligere, vt A probat S.D. 1.*p.q.*58.*a.*2.*&* *q.*85.*a.*4.

Ego vtranque sententiam arbitror esse probabilem: Prior enim consonat perfectioni scientiæ Christi: posterior autem naturæ & ordini rerum videtur esse consonantior: Qui priorem elegerit, dicat lumen supernaturale inditum animæ Christi ob sui maximam excellentiam virtutem quandam superexcellentem intellectui contulisse, vt eo lumine speciebus illis omnibus influxis simul illustratis posset ad vnam vel plures ad modum vnius operationes eliciendas: quæ scilicet ad vnum scientiæ illius obiectum secundum totam eius latitudinem sub vna ratione formali comprehensam terminarentur, eo fere modo quo potest Angelus per plures species plures simul actus elicere, vt explicauimus *prima parte.q.*58.*a.*2. Cui vero posterior opinio magis arriserit, dicat fieri minime posse per Dei potentiam ordinariam, vt intellectus creatus per lumen finitum quantumuis excellens per plures species non subordinatas in repræsentando simul actu & distincte cognoscat omnia etiam infinita per eas repræsentata: quod tamen satis durum videtur: cum nulla appareat absurditas, sine qua nihil est diuinæ potentiæ aut sapientiæ & voluntati in anima Christi perficienda denegandum. Ad rationem autem Vasq dicat ex hac opinione non sequi Christum in hac scientia profeciſſe, aut ignorantiam aliquam habuisse; eo quod integram & perfectam rerum omnium habitualem per scientiam hanc habuerit cognitionem, dicitur autem aliquis tunc solum in scientia proficere, quando prius nō habitam rei notitiam acquirit habitualem, & similiter ignorantia non actualis, sed habitualis cognitionis priuationem importat. Nec verum est quod ait Vasqu. nempe nomine scientiæ habitualis intelligi solū actum præteritum, cuius maneat memoria, non autem habitum aliquē infusum vel acquisitum. Postremo dicat dictam scientiam potuisse pro libito voluntatis Christi ad actum reduci secūdum exigentiam negotiorum & temporis modo circa vnum, modo circa aliud obiectum: vt ait S.D. infra *a.*5.*ad* 2. ex quo infert scientiam hanc in Christo non fuisse frustra. His addo Christum per quālibet speciem potuisse simul actu cognoscere infinita: & cum earum specierum numerus esset finitus, probabile esse Christum singulis successiue vsum fuisse ad omnia per singulas repræsentata cognoscenda: atque ideo nullam in Christo cognitionē habitualem frustra fuisse. Huic doctrinæ consonant ea, quæ scribit Caiet. infra *art.*5. & Suar. *disp.*28.*sect.*1. Vide etiam Cai. infra *q.*34.*a.*2. & Ferrar. *in secundo cont.gent cap.*97. & ea quæ diximus infra *art.*5.

Referuntur duo contrarij modi dicendi S. Th. cum duplici conciliatione Bergomatis, & vtraq; confutatur.

QUÆSTIO TERTIA. *An Christus per scientiam infusam certo cognouerit cogitationes cordium, & actus omnes liberos internos & externos.* Sanct D. *in* 3. *dist.*14. *q.*1.*a.*3.*quæstiunc.*1. docet animam Christi hoc genere cognitionis nō cognouisse ipsam essentiam increatam, nec alia omnia quæ ad perfectionem intellectiuæ partis non pertinent, neque secundū naturam neque secundum gratiam: sicut sunt gesta particularium hominum & huiusmodi: quæ tamen omnia (inquit) cognouit in Verbo: & *de Ver.q.*20.*a.*6. sic loquitur: *Ista scientia rerum in proprio genere ponitur in anima Christi, vt nulla naturaliū perfectionum ei deesse inueniatur, & ideo tantum per hanc scientiam scivit, quantum naturalis animæ cognitio se extendere potest, non solum in hac vita, sed etiam post mortem, eo quod Christus simul fuit secundum animam viator, & comprehensor: sed quædam sunt, ad quæ naturalis cognitio nullo modo se extendere potest: sicut est ipsa diuina essentia, futura contingentia, cogitationes cordium, & alia huiusmodi: & horum anima Christi non habuit scientiam per modum istum, sed cognouit ea in Verbo*, &c. Cui sententiæ satis aperte videtur esse contraria conclusio prima præsentis articuli. Hanc tamen loquendi diuersitatem nititur conciliare Bergomas *dub.* 1217. duobus modis: primus est S. Thom. hic loqui de cognitione practica, in alijs autem locis de cognitione speculatiua: Secundus modus est D. Thom. *in tertio* loqui de Christo, & scientia eius infusa simpliciter & secundum se, *hic* autem loqui de Christo vt est caput Ecclesiæ & pastor omnium.

Bergomas conciliatio reijcitur.

Sed neuter conciliandi modus satisfacit. *Primus* enim supponit singularium cognitionē speculatiuam ad intellectus & scientiæ perfectionem minime pertinere: quæ suppositio simpliciter falsa est. Nam de ratione scientiæ, vt scientia est, non est vt ad vniuersalia & ad ea, quæ secundum se necessaria sunt, terminetur: sed cum nomen scientiæ sit analogum ad plures scientiæ modos, scilicet Diuinum, Beatificum, Angelicum, Humanum & eum qui per infusionem cōuenit animæ Christi, secundum perfectiores suos modos extenditur ad indiuidua: vt patet in tribus prioribus modis scilicet in scientia Dei, quā singularia omnia tam naturalia quam libera, tam necessaria quam contingentia, tam præsentia quā præterita & futura cognoscit: vt probat S. Doct. *in p.q.*14.*ar.*11. 12. *&* 13. Beatos etiam in essentia Dei videre singularia patet ex supra dictis, & ex ijs quæ post alios scripsimus *ad primam partem q.*12. *art.*8. De Angelis autem quo ad eorum scientiam naturalem id probat S. D. *in eodem libro, quæst.*57. *art.* 2. *& alibi sæpe.* Quod autem singularia contingenter futura per scientiam siue per scientias aliquas proprie dictas cognosci possint: Probatur primo: quia futura contingentia, & ea quæ sunt libera, causas habent suæ futuritionis certas & infallibiles, ipsam scilicet Dei scientiam, voluntatem & prouidentiam: vt ait S.D. *in p.p.q.* 14.*art.*13.*ad* 1. *&q* 19.*art.*8 *&q.*22.*ar.*4. per quas causas non solum à Deo, sed etiam à beatis sciri certo possunt: videt enim quilibet eorum multa futura libera & contingentia in essentia diuina, prout in ea manifestatur determinatio diuinæ voluntatis, quæ est causa infallibilis omnium futurorum: ad rationem autem scientiæ sufficit, vt quod sciri dicitur per causam infallibilē cognoscatur. Vnde etiam in nostra Theologia, quæ beatorum scientię subalternatur, multæ veritates singulares & secundum se contingentes sunt principia à nobis fide credita, sed in Theologia beatorum euidentia: Vt patet de mysteriis incarnationis, passionis, mortis & resurrectionis Filij Dei & alijs similibus. Per scientias vero nostras naturales nulla sciri possunt singularia, & ea præsertim quæ sunt futura libera aut contingentia: Cuius ratio est duplex. Prima: quia omnis scientia nostra naturalis suas conclusiones deducit ex quidditate subiecti tanquam ex propria & necessaria causa: nullius autem essentia subiecti potest esse totalis & necessaria causa singularium quo ad actuales eorum existentias & conditiones indiuiduantes & circunstantias temporum, locorum &c. Secunda ratio est, quam affert S.D. *de Ver.q.*2.*a.*5. *&in primo contragent.c.*65. dicens similitudinem rei scibilis, quæ est in intellectu nostro, esse acceptam à re materiali, quæ sic agit in intellectum, vt prius agat in sensum: *materia autem* (inquit) *quia est ens tantum in potentia, non potest esse principium agendi: & ideo res, quæ agit in animam nostram, agit solum per formam: Vnde similitudo rei,*

Naz. in D. Thom. 3. partem.

quæ imprimitur in sensum, & per quosdam gradus deputata vsque ad intellectum pertingit, est tantum similitudo formæ, & paucis interpositis addit: *Et quia ad hoc, quod aliquid cognoscatur, requiritur, quod similitudo eius sit in cognoscente, non autem, quod sit per modum, quo est in re, inde est, quod intellectus noster non cognoscit singularia, quorum cognitio ex materia dependet: quia non est in eo similitudo materiæ.* Sed quia singularia cognoscuntur indirecte ab intellectu nostro eo modo, quo alibi declarauimus, quatenus scilicet vnum fiunt intellectus & cogitatiua in ratione mouentis & moti, ac propterea actus cogitatiuæ, quo singularia cognoscit, tribuitur intellectui: ideo nostra Theologia, quę scientia supernaturalis est, de multis agit veritatibus singularibus secūdum se quidem contingentibus, sed in ordine ad diuinam voluntatem & prouidentiam necessariis necessitate suppositionis & infallibilitatis: vt explicauimus supra *quæst 1. contr. 1. §. Iam vero.* Nec placet quod alij dicunt, videlicet infundi Theologo species supernaturales singularia repręsentantes, aut species naturaliter acquisitas addito lumine supernaturali vigorari, vt etiam singularia repræsentent, vel vt ex noua earum ordinatione fiat repræsentatio singularium. Primum enim voluntarie dicitur nec vllum habet legitimum fundamentum ex scripturis aut patribus, ac præsertim ex doctrina D. Thom. Nec aliquid est scitum in nostra Theologia aut in eius principiis, cui repræsentādo non sufficiant species naturaliter acquisitæ cum lumine supernaturali. Secundum autem falsum esse probatur ex eo, quod lumē supernaturale additum speciei non mutat naturam speciei, quæ tota consistit in repræsentando, sed eam perficit iuxta modum ipsius, vt scilicet speciem vniuersaliter repræsentantem eleuet ad ordinem supernaturalem, & simul cum aliis speciebus supernaturalia repræsentet: vt patet de specie hominis, cui addito lumine supernaturali, & speciebus diuinæ potentiæ resurrectionis, immortalitatis & beatitudinis additur etiam repræsentatio rei & veritatis supernaturalis asserentis hominem diuina potentia resurrecturum ad vitam beatam & immortalem: species autem, quæ cum vniuersali natura singularia naturaliter repræsentant, quales sunt species Angelorum, ad ea nouo & altiori modo repræsentanda virtute luminis supernaturalis eleuantur: Et ex hoc etiam tertium confutatur: nam species, quæ ex sui natura solum in vniuersali repræsentant, quomodocunque ordinentur, nunquam repræsentandi naturam immutabunt: ac proinde nunquam in eis poterunt singularia relucere. Cum itaque species per se infusæ animæ Christi sint nobiliores speciebus Angelorum, & altiori etiam lumine illustrentur, poterūt multo magis quam species Angelorum singularia repræsentare.

Secundus etiam modus conciliandi, quo vtitur prædictus author, falsus est: quia sicut Christus ex vi scientiæ per se infusæ non cognoscit futura cōtingentia & cogitationes cordium, ita neque hæc cognoscit ex vi scientiæ beatæ vt sic, sed quatenus hæc in Christo est vt in capite, iudice & pastore vniuersalis Ecclesiæ: at Christus dicitur absolute hæc per scientiam visionis cognouisse: igitur hæc etiam absolute cognouisse dicendus est per scientiam inditam.

Approbatur sententia Cai. & aliorum ꝺ centium cū D Th. Christū per hanc

Dicamvs igitur cum Cai. & aliis D. S. hicà priori sententia recessisse, & meliorem ac dignitati Christi magis congruentem elegisse. Hanc autem esse meliorem probatur quo ad eam partem, de qua modo quæstio est, videlicet quo ad cogitationes cordium: quia *Matthæi 9. Marci 2. & 8. & Luc. 5.* dicitur Christum cognouisse cogitationes hominum, & singulariter *Marci 2.* dicitur Christus cognouisse spiritu suo cogitationes scribarum: spiritus enim, ideſt anima, Christo conuenit quatenus homo est: igitur per animam, scientia nimirum infusa perfectam, vidit Christus scribarum cogitationes. Scio multos ex S. Patribus affirmare ex his locis efficax argumentum deduci ad Christi diuinitatem comprobandam: ita Chrysost. *Hom. 30. in Matth.* Hieronym. *in Matth. cap. 9.* Cyril. *lib. 2. in Ioan. c. 37.* qui multa diuinæ scripturæ testimonia proferunt ad ostendendum Christum suam diuinitatem manifestasse, quia cordium videbat cogitationes: his adde Bedam *in Matth. c. 10. super illud. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* ex quo *videtur* manifeste sequi Christum per nullam creatam scientiam aut cognitionem cordium cogitationes cognouisse: nam si per infusam à Deo scientiam eas cognouit, eandem potuisset habere cognitionem etiam si non fuisset Deus: *sed facile soluitur* hæc obiectio dicendo scientiam infusam, qua cogitationes omnes & omnia futura cognoscuntur, soli Christo Deo & homini propriam esse, illique conuenire vt dispositionem exornantem vnionem hypostaticam, & ex ea profluere, sicut supra de gratia habituali dictum est: & ideo ex hac cognitione, tanquam ex proprietate soli Deo & homini conueniente bene & efficaciter ostendunt patres Christum vere fuisse Deum. Qui tanquam Deus naturaliter, & tanquam homo per scientiam inditam ex vnione hypostatica dimanantem videret omnes cogitationes, ex quibus aliquas nōnunquam Deus quibusdam lumine prophetico reuelauit, vt patet de Eliseo & aliis. Secundo probatur eadem pars: quia Christus inquantum homo, est iudex omnium hominum quo ad eorum actiones internas & externas: vt probat S. D. infra *q. 59. art. 2.* & habetur expresse *Ioan. 5.* vbi dicitur: *Potestatem dedit ei iudicium facere: quia filius hominis est*: igitur ad eum quatenus homo est, pertinet cognoscere cordium cogitationes bonas & malas, vt illis debita præmia, his vero condigna supplicia decernat. Tertio probatur ratione D. Tho. superius explicata: cuius vim aperit Caiet. & alij expositores. Alias probationes lege, si placet, apud recentiores.

scientiam omnia prædicta cognouisse.

Obi.

Solut.

Quæstio Quarta. *An, & quomodo Christus per scientiam inditam certo, & infallibiliter cognouerit futura contingentia, præsertim libera?* Tres sunt de proposita dubitatione sententiæ. *Prima* est S. Th. *locis supra notatis*: qui negat animam Christi per scientiam infusam cognoscere futura contingentia, & ait hæc ab ea cognosci visione beata. *Secunda* est quorundam Theologorum asserentiū hæc ab anima Christi cognosci per donum prophetiæ: *Tertia* est S. Th. hic & omnium discipulorum eius ac expositorū dicentium futura contingētia ab anima Christi cognosci per scientiā inditam: sed in explicando cognitionis modo dissentiunt.

Sent. Doct.

Nam Medina duo dicit: *Primum* est, animam Christi per species infusas cognoscere futura cōtingentia non in seipsis, neque in causis suis, sed medio modo scil. per reuelationem Dei. *Secundum* est, hanc scientiam non esse intuitiuam.

Ban. *1. p. q. 57. a. 2. dub. 3.* tria dicit: *Primum* est, species infusas animæ Christi non repræsentare liberam determinationem diuinæ voluntatis ad producendum futura contingentia: quia id per nullam speciem creatam præstari potest. *Secūdum* est, species animæ Christi repræsentare quidditatem futurorum contingentium antequam existant, non tamen actualem durationem existentiæ

tię futuræ: *Tertium* est actualem hanc durationem cognoſci ab anima Chriſti per euidentiam in Deo atteſtante.

Suar. *diſp.27.ſect.2.* tria dicit: *Primum* est futura contingentia, præſertim libera, nō posse cognoſci in determinatione diuinæ voluntatis: *Secundū* est probabiliter dici posse hæc futura posse ab anima Chriſti cognoſci intuitiue per quādam participationem ſcientiæ Dei, qua cognoſcit non ſolum quid factura ſit creata voluntas posita in talibus circunſtantiis &c. Sed etiam quid actu faciet: quia (inquit) rem hanc esse futuram est quædam veritas, omnis autem veritas de se est cognoſcibilis ab eo, qui ſufficientem habet vim cognoſcendi. Cum autem ex parte Dei ad horum futurorum cognitionem duo concurrant, ſcilicet eſſentia ipſa diuina vt ſpecies repræſentans hæc futura quo ad omnes eorum conditiones, & lumen quo iudicat de re cognita intuitiue, puta voluntate creata, non ſolum quid poſſit, ſed etiam quid factura ſit, vtrunque communicabile est intellectui creato: quia dare potest illi Deus ſpecies quæ ad quandam imitationem eſſentiæ diuinæ repręſentent res futuras quo ad omnes earum conditiones, & infundere lumē ſupernaturale quo vim habeat participatam ad iudicandum, non ſolum quid poſſit ſed etiam quid factura ſit creata voluntas: quam cognitionem ait esse proprie intuitiuam: quia attingit rem ipſam futuram ſecundū omnes conditiones exiſtentiæ tam diſtincte & perſpicue, ac ſi eſſet realiter exiſtens: quod est habere illam obiectiue præſentem. *Tertium* est, probabilius esse per hanc ſcientiam cognoſci futura contingētia ſolum abſtractiue per medium, quod est diuina reuelatio includens diuinam authoritatem & teſtificationem euidenter per lumē huius ſcientiæ manifeſtatam.

Alii autem recentiores viri doctiſſimi docent Chriſtum per hanc ſcientiam intuitiue cognouiſſe omnia futura cōtingentia, vt in ſeipſis præſentia & coexiſtentia cognitioni iſtius ſcientiæ, qua cognoſcebantur.

Denique Caiet. *hic ad ſecundum dubium in fine* dicit animam Chriſti per ſpecies infuſas intuitiue & perfecte videre præterita præſentia & futura, quam opinionem ſequitur Aluarez *diſputatio. 60.*

Reſolutio. Cognoſci aliquid in ſeipſo duplicíter.

Aduertendum eſt primo dupliciter intelligi posse futura contingentia in ſeipſis cognoſci. *Primo*, vt cognoſci in ſeipſis idem ſit, quod non cognoſci in alio vel in aliis, puta in cauſis aut in effectibus vel in dicentis atteſtatione, ſed ſecundum proprium esse, quod illi conuenit in rerum natura: & hoc modo quælibet res diſtincte ſecūdum eius eſſentiam vel etiam ſecundum eius exiſtentiam cognita, dicitur in ſeipſa cognoſci, etiamſi cognoſcenti ſit præſens obiectiue tantum, & abſtractiua cognitione cognoſcatur: *Secundo* potest intelligi futura contingentia in ſeipſis cognoſci nō ea ratione tantum, quod non in alio, ſed ſecundum esse proprium cognoſcantur, verum etiam quia cognoſcuntur vt actu præſentia ſecūdum propriam exiſtentiam, vel vt coexiſtentia cognitioni in eadem menſura durationis, etiamſi non exiſtant, aut coexiſtant in menſura propria: & hoc modo Deus & beati futura contingentia cognoſcunt in ſeipſis, quia cognoſcunt ea vt coexiſtentia cognitioni in menſura æternitatis, vt *in prima parte, q.14.* dictum est.

Cognitio intuitiua duplex.

Ex hac diſtinctione ſequitur alia diſtinctio, nimirum duplicem esse aut dupliciter dici posse cognitionem intuitiuam: *Vno modo*: quia terminatur ad rem ſecundum eius proprium esse, quod habet vel habuit aut habitura est in rerum natura, etiam ſi cognoſcenti ſiue cognitioni non coexiſtat in menſura cognitionis, ſed ſit illi præſens tantum in esse obiectiuo: & hic est improprius modus intuitiuæ cognitionis. *Alio modo*, quia terminatur ad rem ſecundum eius proprium esse, q̄ habet actu in rerum natura, & est præſens cognoſcenti ſecūdum propriam cognitionis eius menſuram, & hæc proprie dicitur intuitiua cognitio: vt patet ex Auguſt. *lib.11.confeſſ. cap.17. & 18.* vbi de cognitione intuitiua loquitur, prout etiā extenditur ad ſupernaturalem: & est expreſſa ſententia S. Thom. *1.p.q.14. a.9.* vbi ſtatuit differentiam inter ſcientiam viſionis & ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: quam ibidem explicat Cai. idem docet magis aperte Capreol. *in 4. diſt.10.q.4. ad 1. contra tertiam concluſ.*

Non posse per Dei potentiam abſolutam homini, vel Angelo cōmunicari extra Verbum cognitionem proprie intuitiuam futurorum in ſeipſis, licet communicari poſſit quædam excellens notitia intuitiua minus proprie dicta.

Secundo ſciendum eſt, fieri non posse per Dei potentiam abſolutam, vt homini vel Angelo communicetur extra Verbum cognitio intuitiua futurorum in ſeipſis, vt etiam aduertit Ban. *1 p.q.14. a.13. §. ſequitur concl.4* Ad cuius euidentiam recolenda ſunt, quæ diximus *in p.p.q.10. a.5. controu. 1. & 2.* ex quibus duo præcipua ſunt. *Primum* est ex differentiis per ſe mutabilitatis aut immutabilitatis ab intrinſeco deſumi differentias per ſe durationis: ex quo ſequitur, vt inter durationes esse rei menſurantes prima ſit æternitas eſſentialis, quæ est ipſum esse diuinum vt maxime immutabile & vniforme, &c. ſecunda ſit æternitas participata, quę est nobiliſſimæ viſionis creatæ, qua videtur ab anima Chriſti eſſentia Dei: tertia ſit Æuum, quod est esse ſubſtantiale maxime immutabile & vniforme: quale est esse animæ Chriſti, vt oſtendimus *p.p q.10. ar.6* quarta ſit tempus Angelorum diſcretum: quinta tempus eorum continuum: ſexta & vltima tempus noſtrum: vt patet ex iis, quæ diximus *in allegata q.10.* *Secundum* autem est differentia inter æternitatem eſſentialem, æternitatem participatam, æuum & inſtans temporis diſcreti. Nam *æternitas eſſentialis* ab æterno ſimul actu coexiſtit omnibus differentijs ſeu partibus temporis tam realis quam imaginarij, quia continet eminenter totam temporis latitudinem tam realem quam poſſibilem: ſed *æternitas participata* non ab æterno, ſed ex tempore coexiſtit omnibus partibus temporis realis tantum nō autem imaginarij. Non enim ab æterno est, nec totam continet eminēter temporis latitudinem realem & poſſibilē: alioquin eſſet infinita ſimpliciter, ſicut æternitas eſſentialis: ſed eam tamen habet inditam excellentiam, vt in ſupremo ſit omnium creatarum & creabilium durationum ordine cōſtituta: atque ideo partibus omnib. temporis realis ſimul actu coexiſtat: in hoc enim ſola inter omnes creatas & creabiles durationes proxime accedit ad æternitatem eſſentialem, vt eius quaſi vniuoca participatio: ſicut etiam maxime participat eius immutabilitatem: vt patet ex cauſis viſionis beatificæ, quæ ſunt intellectus, lumen gloriæ & eſſentia diuina, vt forma est intelligibilis: quæ omnes ab intrinſeco ſunt immutabiles. *Æuum* autem totum quidem ſimul est & partibus omnibus temporis coexiſtit, non tamen ſimul ſed ſucceſſiue, vt *loco ſupra notato* declarauimus. Cum enim eſſe ſupremi æuiterni, quatenus æuum est, ad beatæ viſionis immutabilitatem nō attingat, in inferiori conſtituitur ordine durationum, & ab ea, quæ propria est æternitas excellentia, deficit, ſecundū quam æternitatis etiam participata toti ſimul coexiſtit temporis durationi. Quod idē multo magis dicendum est de *inſtanti temporis* Angelorum diſcreti, quod non omni tempori noſtro ſed parti

Æternitas eſſentialis.

Æternitas participata

Æuum.

Inſtans Angelicum.

tantum,nõ simul sed successiue coexistit: quia licet operatio primi æuiterni,quæ est ipsum æuum, sit tota simul,est tamen ab intrinseco defectibilis: & ideo inferior æuo est. A

Ex his sequitur primo fieri non posse à Deo cognitionem supernaturalem extra Verbum, quæ mensuretur vno instanti indiuisibili coexistente simul actu tempori plurium annorum, dierum vel horarum: talis enim operatio defectibilis esset ab intrinseco,ac proinde ad immutabilitatem & nobilitatem æui non attingeret, & multo minus ad excellentiam æternitatis ascenderet, cui proprium est pluribus simul temporis partibus coexistere ob summam mensuratę durationis immutabilitatem & sui maximam vniformitatem.

Secundo sequitur, solam illam esse proprie cognitionem intuitiuam,quæ ad obiectum, vt actu præsens secũdum actualem & exercitam eius existentiam,terminatur: ac proinde si Deus sua omnipotẽtia produceret in intellectu speciem intelligibilem adeo perfectam, vt rem futuram cum sua existentia & omnib. accidentibus repręsentaret, ac si obiectum illud esset præsens cognoscẽti secundum realem existentiam, & moueret per se ipsum potentiam ad formandũ notitiam sui, suppleret quidem claritatem & perfectionem intuitiuę cognitionis,quatenus cognitio est,nõ tamen suppleret illius modum, secundum quem in esse intuitiuæ notitiæ constituitur & ab abstractiua distinguitur. B

Conciliantur opiniones.

Tertio sequitur conciliari facile posse duas oppositas opiniones,sc. eam quæ asserit,& eam quę negat cognitionem animæ Christi per species inditas respectu futurorum contingentium & præteritorum fuisse intuitiuam: Caiet. autem videtur cognitionem hanc appellasse intuitiuam, quia quando res actu fuerint existẽtes vere tunc est intuitiua, ita vt respectu futurorum vt futura sunt, non sit actu sed habitu tantum aut virtute intuitiua: quatenus scil. eo tempore,quo fient actu existentia, cognoscentur eadem scientia & notitia intuitiue: sicut etiam Angeli cognoscunt intuitiue res cum actu fiunt præsentes,ex quibus multas prius eadem specie vel etiam intellectione cognoscebant vt futuras. C

Ex conditionib. luminis prophetici ostenditur animæ Christi dupliciter cognouisse futura omnia contingentia, & lumen scientiæ infusæ non fuisse propheticum.

Tertio notanda sunt septem conditiones lumini prophetico conuenientes: *prima* est, vt sit ex diuina reuelatione,& nõ per modum habitus,vt probat S.D. 2.2.*q.*171.*a.*2.& per hãc manifeste distinguitur à scientia: Secunda conditio est, vt nec per se nec vt continuatum cum alio lumine superiori faciat ex natura sua videre principium eorũ, quæ prophetantur: vt probat ibidem S.D. & explicat optime Cai. *Tertia* est, vt nõ faciat euidentiam eorum,quæ prophetantur,quo ad quid aut propter quid, sed tantum quo ad quia est, & quo ad hoc quod est ea esse à Deo reuelata: vt ait S.D. *in 3. cont. gent. c.*154 *& de Ver.q.*12 *a.*3. Cai. 2.2.*q.*171.*art* 5. *& q.*178 *a.*1. *Quarta* est, vt sit imperfectum ex sua ratione in genere diuinæ reuelationis: vt probat S. D. 2.2 *q.*171.*a.*4. *ad* 2. *ex illo* 2. *Cor.* 13. *siue prophetiæ euacuabuntur* &c. vbi scitò imperfectionem hanc & obscuritatem quo ad quid,vel propter quid rerum prophetatarum non repugnare claritati scięntiæ beatæ vel infusæ de eisdem obiectis: imperfectio enim hæc & obscuritas se tenet ex parte medii, & est negatiua tantum: quia scilicet non dicit claritatem: cui negationi non repugnat claritas eiusdem veritatis per aliud medium in eodem subiecto: non autem est priuatiua, neque se tenet ex parte subiecti, sicut obscuritas: quæ ideo repugnat claritati cognitionis eiusdem obiecti: Vnde sicut medium probabile, quod non est obscurum priuatiue sed negatiue tantum, quia scilicet non affert claritatem, admittit in eodem intellectu medium necessarium, quod de eodem obiecto confert claritatem, ita lumen propheticum ob eãdem causam simul esse potest cum clara de eodem obiecto cognitione. *Quinta* conditio est, vt rerum cognitionem efficiat sub ratione temporali: vt ait S.D. *de Ver.q.*14. *a.*8. *ad* 13. *& in* 3. *dist.* 24. *quæst.* 1. *art.*1. *quæstiunc.*1. *ad* 3. *& art.*2. *quæstiunc.*1. *ad* 4. *Sexta* conditio est, vt sit circa ea quæ procul sunt à sensibus hominum secundum sensum, aut secundum locum, aut secundum tempus: vt ait S.D supra *quæst.*7. *a.*8. *Vltima* est, vt prophęta sit viator conueniens cum illis, quibus annunciat occulta: vt ait idem S.D. *in eodem articulo*. D E

Ex his sequitur primo, animam Christi duplici modo futura contingentia, tam naturalia quam libera cognouisse, scilicet per lumen propheticum, de quo supra *qu.*7 *art* 8. & per scientiam inditam, per quam, vt hic ait S.D. Christus cognouit omnia, quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donũ prophetiæ, siue ad quodcunque donum Spiritus S.

Secundo sequitur lumen,quo Christus per scientiam infusam hæc futura cognouit, non esse lumen propheticum: quia de ratione huius scientiæ tria sunt: Primum est, vt sit habitus; vt probat infra S.D. *art.*5. Secundum est, vt continuata cum cognitione suorum principiorum, quæ est per scientiam beatam, dicat propter quid suorum obiectorum desumptum ex determinatione diuinæ voluntatis: Tertium est perfectio maxima luminis & cognitionis huius scientiæ in genere cognitionum supernaturalium extra Verbum, siue in proprio genere: quorum oppositа conueniunt lumini prophetico.

Concl. deducta, & probata.

PRIMA CONCL. *Anima Christi certo & infallibiliter cognouit futura contingentia, tam naturalia, quam libera, pro vt sunt in seipsis, siue in proprio genere.* Hæc conclusio est S.D. *in hoc art.* & probatur argumẽto supra formato. Alias probationes vide apud Med. *in solutione secundæ difficultatis*, & Aluar. *disput.* 59. *concl.*1.

SECVNDA CONCL. *Anima Christi non solum per lumen propheticum, sed etiam per scientiam inditam, & per lumen à prophetico diuersum cognouit omnia futura contingentia*: hæc est Sancti Doct. *in textu*, & patet ex dictis, & probat eam Aluarez *in secunda sua concl.* & probatur etiam: Quia Sanct. Doct. ait Christum per hanc scientiam cognouisse omnia, quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ &c. Sed lumen & habitus huius scientiæ est longe altioris ordinis, quam lumen propheticum; ergo lumen huius scientiæ nõ pertinet ad lumen propheticum Probatur secunda propositio: quia lumẽ propheticum causat rerum cognitionem sub ratione temporali, vt ait S. D. *locis supra notatis*: huius vero scientiæ cognitio terminatur ad obiecta sub ratione æterna, cum non sit inferior cognitione fidei, quæ sua attingit obiecta sua ratione æterna, vt ait S. D. *in eisdem locis nimirum de Ver.q.*14.*art.*8.*ad* 3. *& in* 3. *dist.* 24. *q.* 1. *a.*1. *quæstiunc.*1. *ad* 3. *& a.*2. *quæstiunc.*1. *ad* 4. Secũdo probatur eadẽ propositio: quia alioquin hæc scięntia nõ esset vnus habitus per se & formaliter: probatur sequela: quia per hanc scientiam multa cognoscuntur in proprio genere & per causas necessarias: quæ vero lumine prophetico reuelãtur, nota sunt ex testimonio claro dicentis: constat aurẽ habitus distingui ex luminum diuersitate & ex

diuer-

diuersis modis procedendi. Tertio probatur eadem propositio: Quia S.Th. *supra q.9. art. 3. & de veritate, q.20. art. 3. & 6.* probat cognitionem huius scientiæ terminari ad res in propria natura, ac per hoc distingui à cognitione beata, qua res videntur in Verbo, & vt sunt in essentia diuina, licet etiam in seipsis secundario videantur. Ex quo patet falsum est, quod ait Suar. *in allegata disput. 27. sect. 2. §. Secundus ergo modus*, vbi docet medium, quod in hac scientia veritatem euidenter ostendit, esse diuinam reuelationem in se includentem diuinam authoritatem & testificationem euidenter per lumen huius scientiæ manifestatam; ita vt per hanc scientiam Christus non habuerit euidētiam futurorum contingentium in seipsis, seu in propria eorum natura: cuius dicti falsitas patet etiam ex supra notatis, & clarius elucescet ex dicendis.

Suarezij dictum reijcitur.

TERTIA CONCL. *Anima Christi per hanc scientiam cognouit omnia futura contingentia in seipsis, id est in propria natura, atque adeo cognitione intuitiua improprie dicta.* Probatur primo ex locis D. Tho. paulo ante notatis. Secundo probatur omnibus illis argumentis, quibus Aluar. nititur probare sententiam suam; eis enim probatur solum hæc nostra conclusio, vt infra patebit.

QVARTA CONCLVS. *Anima Christi per hanc scientiam non cognoscit intuitiue proprie futura contingentia.* Hæc patet ex dictis; & probatur: Quia soli cognitioni, quæ mensuratur æternitate, proprium est videre futura, vt actu sibi in eadem mēsura præsentia; At cognitio animæ Christi per scientiam inditam non mensuratur æternitate; ergo.

VLTIMA CONCL. *Anima Christi cognoscit futura contingentia in determinatione diuinæ voluntatis, vt in causa illi reuelata.* Hæc conclusio multa supponit ad æternas & ad temporales, seu physicas prędeterminationes pertinentia, de quibus late diseruimus *in prima parte, q.22. art.4.* contra Molin. Suar. Valent. Vasq. & alios extraneos S. D. expositores. Hanc materiam breuiter tangit Aluar. *disp.59. in responsionib. ad argum.*

Argumenta, & solutiones.

CONTRA *primam concluſ.* sunt argumenta, quæ affert & soluit Aluar. *disp.59.*

CONTRA *secundam concluſ.* est argumentum, quod affert & soluit idem author *in dicta Controu. num.8.* & facile etiam soluitur ex dictis.

CONTRA *tertiam conel.* proferri possent ea omnia argumenta, quæ refert & soluit idem author *disput. 60.* sed illa probant tantum nostram quartam conclusionem.

Obi.1 cont. 4. concl.

CONTRA *quartam concluſ.* argumentantur quidam recentiores; & *primo* proferunt diuersa loca S.Thom. in quibus ait Deum quandoque imprimere species & cognitionem mentibus prophetarum, qua cognoscant futura contingentia, vt præsentia in seipsis. Loca vero sunt *in 2.2 quæst.95. art.1. quæst.171. art.6. ad 2. & ad 3. q.172. art.1.3. cont. gent. c.154. ante medium*, vltimus est *in 4. dist.49. q.2. art.5. in corpore, & ad vlt.* vbi ait, quod post diem iudicij, vbi sanctorum beatitudo erit consummata, quilibet beatus per specialem reuelationem videbit omnia, quæ Deus scit sciētia visionis: Quod autem loquatur de cognitione intuitiua probāt; quia quando futura erunt præsentia in seipsis in sua connaturali mensura, quilibet beatus poterit ea intueri; ergo à die iudicij intuetur illa. Probatur illatio: quia alias eorum perfectio post vltimā consummationem posset crescere, quod negat D. Thom. crescere enim perfectio cognitionis, si postea intuitiue viderent in seipsis, quæ antea non cognoscebant intuitiue in seipsis. Vnde ex hoc loco sic arguunt: Prædicta cognitio beatorum est cognitio extra Verbum, & est rerum in proprio genere & in seipsis, & terminatur ad futura in seipsis, antequam existant in sua propria mensura; ergo Deus potest creaturæ communicare cognitionem intuitiuam futurorum in seipsis, antequam existant in sua propria mensura.

Resp. D. Thom. in omnibus istis locis loqui de cognitione, seu visione intuitiua improprie dicta, quæ terminatur ad res præsentes in esse obiectiuo tantum, alioquin dicendum esset cognitionē propheticam de futuris contingentibus mensurari æternitate participata, vel alia eiusdem ordinis mensura coexistente simul actu pluribus partibus temporis, vtrunque autem apud Theologos ac præsertim Thomistas hactenus est inauditum, & primum etiam negant recentiores prædicti; Secundum autem esse impossibile supra probauimus. Ad rationem autem, qua probatur S. Thom. *in 4.* loqui de cognitione intuitiua proprie, quia alias perfectio beatorum posset crescere post diem iudicij, &c. q negat S.Th. dico S. Th. negare perfectionem cognitionis beatorū extra Verbum posse crescere quoad nouas rerum cognitiones; vt patet ibidem *ex responsione ad 12.* non tamen negat posse crescere quo ad modum cognoscendi ex parte rei cognitæ, quæ de nouo fit existens & præsens cognitioni, & de nouo etiam vt actu præsens & actu existens cognoscitur.

Solut.

Secundo arguunt, quia Deus potest facere vnam cognitionem supernaturalem extra Verbum mēsuratam vno instāti indiuisibili coexistenti mille annis, in quibus futura existent in se; ergo poterit dare cognitionem extra Verbum, quæ sit intuitiua futurorum in seipsis; consequentia patet: Antecedens probatur dupliciter. *Primo*: Quia cognitio angelica mensuratur vnico instanti indiuisibili temporis discreti coexistenti indiuisibiliter multo tempori futuro; ergo poterit Deus facere cognitionem supernaturalem extra Verbum mēsuratam vno eminentiori instāti indiuisibili multo tempore futuro, puta mille annorum, &c. *Secundo*: Quia ex nulla parte implicat Deum tribuere talem durationem cognitioni extra Verbum; ergo; Probatur assumptum: quia habere talem durationem non facit illam participare aliquam proprietatem Dei secundum gradum, quo est incommunicabilis: nam licet tota & integra æternitas sit proprietas Dei imparticipabilis, tamen imperfecta quædam participatio illius est participabilis à creatura, v.g. à visione beata, & alia imperfectior participatio eius communicatur cognitioni propheticæ; ergo non implicabit aliam distinctam illius participationem communicari alicui cognitioni supernaturali, quæ sit inferior ad mensuram visionis beatæ, & superior ad mensuram cognitionis propheticæ.

Obi.2.

Resp. fal- *Solut.*
sum esse antecedens, *ad primam* probationem negatur consequentia: quia instans temporis discreti non coexistit actu simul alicui tempori futuro, sed successiue tantum coexistit illis partibus quæ fiunt actu præsentes. *Ad secundam* negatur assumptum: Ad eius probationem dico æternitatem quidem esse participabilem secundum eam rationem, qua coexistit actu partibus temporis successiuis, sed à summa & excellentissima tantum creata mensura qua mensuratur duratio beatæ visionis, vt ante diximus; quare falsum est mensuram propheticæ cognitionis participare æternitatem, qua ratione simul coexistit diuersis partibus temporis; Ex his sequitur non posse dari speciem creatam, neque lumen creatū inferius lumine gloriæ, quę sint principia talis cognitio-

gnitionis intuitiuæ, quod tamen affirmant prædicti recentiores. A

CONTRA *vltimam concluſ.* militant omnia argumenta, quibus probare contendunt Molina & alij eiuſdem inſtituti actus liberos non eſſe à Deo prædefinitos, quibus alibi ſatis fecimus.

CONTRA *eandem concluſ.* eſt hoc argumentum. Anima Chriſti per ſcientiam inditam nō cognoſcit futura contingentia in ſeipſis, quia non menſuratur illa cognitio æternitate, neq; in ſuis cauſis indeterminatis; quia ſic non ſunt cognoſcibilia, vt ait S. D. 1.*p.q.*14. *art.* 13. neque in cauſis determinatis; quia cauſa libera determinans ſe ad producendum aliquem effectum poteſt impediri; vt patet de cauſis determinatis ad cauſandam mortem Ezechię, quæ fuerunt impeditę &c. *Reſp.* animam Chriſti per ſcientiem inditam certo cognoſcere futura omnia contingentia in ſe ipſis modo ſuperius explicato, non tamen ea videre intuitiue proprie, & ideo non eſt neceſſe, vt menſuretur æternitate. Deinde videt etiam illa, vt ſunt determinata per diuinam voluntatem; cuius efficacitas impediri non poteſt, nec voluntas ipſa mutari. Ex quo ſequitur, vt etiam illa videat intuendo infallibilem eorum veritatem, quatenus prædeterminata eſt à diuina voluntate vt prima cauſa; alioquin ea veritas eſſet à caſu reſpectu diuinæ voluntatis & prouidentiæ, quod eſt abſurdum. Per quod excluditur Suar. Vaſq & aliorum quorundam recentiorum doctrina. B

Sed contra reſponſ. hanc eſt argumentum Bann. loco ſupra notato. Quia nulla ſpecies creata poteſt repræſentare liberam determinationem diuinæ voluntatis, neque idæam diuinam, vt cauſa eſt; ergo. Probatur antecedens; quia ſic oporteret diuinæ voluntatis determinationem & idæam repræſentari & cognoſci vt in ſe eſt, quod per nullam ſpeciem creatam fieri poteſt. *Reſpon.* Antecedens verum eſſe de repræſentatione per ſpeciem & lumen ordinis naturalis, non autem de repræſentatione per ſpeciem & lumen ordinis ſupernaturalis. Ad probationem negatur aſſumptum: quod nulla efficaci ratione probari poteſt; Nam etſi per nullā ſpeciem creatam repræſentari poſſit libera illa determinatio diuinæ voluntatis aut idæa quidditatiue & prout in ſe eſt, ita vt intuitiue proprie videatur, ſicut nec repræſentari poteſt eſſentia Dei vt probat S. D. 1.*p.q.*12.*art.* 2. poteſt tamen repræſentari per ſpeciem creatam quo ad quia eſt, ita vt intuitiua cognitione minus proprie dicta videatur, vt etiam infra dicemus de rebus ſupernaturalibus & de myſterio SS. Trinitatis. C D

QVÆSTIO QVINTA. *An Chriſtus per ſcientiam inditam cognouerit euidenter omnia ſupernaturalia & myſteria gratiæ.*

Chriſtum per ſcientiā inditam cognouiſſe omnia ſupernaturalia, & omnia myſteria gratiæ exhibita in quacunque tēporis differentia euidenter, & intuitiue, ſed improprie.

Sciendum eſt *primo* multiplicem eſſe euidentiam cognitionis rerum præſertim ſupernaturalium; Prima eſt per claram earum viſionem in eſſentia diuina medio lumine gloriæ; & hæc conuenit ſolis beatis, ſi ſit per modum permanentis: Nam per modum tranſeuntis fuit etiam Paulo & Moyſi communicata. Secūda eſt cognitionis intuitiuæ proprie dictæ extra Verbum; quæ fit per ſpeciem creatam repræſentantem rem exiſtentē & præſentem vt eſt actualiter exiſtens & præſens, eo modo quo Angeli per ſpecies inſuſas cognoſcunt non ſolum rerum ſpecies, ſed etiam indiuidua ſub eis actualiter exiſtentia. Tertia per cognitionem intuitiuam improprie dictam, quæ fit per ſpeciem perfectæ repræſentantem rem præteritam vel futuram ac ſi eſſet exiſtens & præſens actu cognoſcenti ſecundum menſuram cognitionis illius; quo modo diximus animam Chriſti per ſpecies inditas cognoſcere futura contingentia tam naturalia quam libera. Quarta euidentia eſt cognitionis rei per effectus proprios; ſicut eſt cognitio exiſtentiæ Dei & perfectionū eius ex creaturis accepta. Vltima eſt per cognitionem ex atteſtatione euidenti, cui nulla poteſt ineſſe falſitas: qualis eſt locutio Dei; qui eſt ipſa prima veritas, cum intellectui noſtro loquitur cauſando in eo conceptus formatos, vel ex præexiſtentibus ſpeciebus, vel ex nouiter infuſis, & infundendo lumen ſupernaturale euidenter oſtendens Deum eſſe qui loquitur. Quod fieri poſſe duobus exēplis explicant recentiores: primum eſt in actu vel habitu fidei; quem ſi quis per Dei reuelationem quidditatiue cognoſceret, clare videret eius entitatem eſſe ſupernaturalem, ac proinde non niſi à Deo poſſe dimanare: Secundum eſt in humana loquutione; nam qui perfecte proprietatem & modum vocis & locutionis alicuius cognoſcit, ſtatim eius audita voce nouit euidenter eum eſſe qui loquitur: Deus autem ſuæ locutionis ad intellectum proprium habet modum, quo ſupernaturaliter illum immutat & eleuat ad ſupernaturalia; ſicut etiam illi proprium eſt illabi mentibus. Angelus igitur aut homo ex hoc loquendi modo diuina reuelatione euidenter cognito cognoſcit etiam euidenter Deum eſſe qui loquitur; ſed cum hic modus ſit ſupernaturalis, quæritur quomodo eius cognitio habeat euidentiam: ſi dicatur habere euidentiam in atteſtante, quæro de hac atteſtatione, quomodo ſit euidens: & ne ſit proceſſus in infinitum, neceſſe eſt deuenire ad atteſtationem cognitam euidenter in ſeipſa; igitur eadem euidentia poterunt alia ſupernaturalia cognoſci, quia de omnibus eſt eadem ratio. Huius vero difficultatis ſolutio patebit ex dicendis.

Secundo ſupponendum eſt Deum poſſe creato intellectui ſpeciem & lumen infundere, quibus intuitiue non proprie ſed improprie, euidenter tamen, cognoſcatur eſſentia Dei & Trinitas perſonarum quo ad quia eſt, quod oſtendetur *in quæſtiunc proxime ſequenti.*

Tertio notandum eſt, omnia fere ſupernaturalia creata intrinſece claudere relationem tranſcendentalem ad Deum, qui eſt ens per ſe primo & ſimpliciter ſupernaturale; vt patet de viſione beatifica, de vnione hypoſtatica, de gratia, fide, ſpe & charitate, religione, &c. quo fit vt eorum euidens cognitio haberi non poſſit, niſi cognito etiam ipſorum ſupernaturalium termino, non quidem intuitiua cognitione proprie dicta, quæ terminatur ad Deum quidditatiue cognitum, & prout eſt in ſeipſo ſecundo modo ſuperius explicato; prout ſcilicet eſt exiſtens & preſens in menſura, qua menſuratur duratio cognitionis; ſed intuitiua cognitione improprie dicta, quæ terminatur ad Deum cognitū quo ad quia eſt, & prout in ſe eſt, id eſt non in alio, in quo cognito cognoſcatur; quo modo probabile eſt Deum per ſpeciem creatam poſſe repreſentari, & ab intellectu creato cognoſci; vt oſtendemus inferius.

Concluſiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Chriſtus per ſcientiam inditam non cognouit omnia ſupernaturalia poſſibilia, neque omnia myſteria gratiæ, quæ per Dei potentiam abſolutam efficipoſſent.* Probatur: quia ſic comprehenderet omnipotentiā Dei, quatenus eſt author gratiæ; quod videtur impoſſibile. E

SECVNDA CONCL. *Chriſtus per ſcientiam inditam cognouit omnia entia ſupernaturalia, & omnia myſteria gratiæ nobis exhibita in quacunque temporis differentia.* Hæc eſt S. D. *in textu*; & probatur etiā: quia Chriſtus vt homo, cauſa eſt efficiens & finalis omniū ſupernaturalium & myſteriorum gratię; ergo hęc

omnia

omnia per scientiam inditam cognouit; consequentia valde probabilis est, suppositis præsertim propositionibus assumptis à D. Tho. in probatione huius conclusionis. Antecedens probatur: quia Christus est caput omnium prædestinatorum & fons totius gratiæ, quæ redemptis confertur hominibus.

TERTIA CONCL. *Christus per scientiam inditam cognouit prædicta supernaturalia, & mysteria gratiæ euidenter non solum in attestante, sed etiam in seipsis, id est non in alio prius cognito; nec ea cognouit intuitiue proprie sed improprie.* Primam partem huius conclusionis, quod scilicet Christus prædictorum habuerit euidentiam in attestante, admittūt & probant Bann. *in* 2.2.*q.*5.*art.*1.*ad* 3. & Aluar. *hic disp.* 61. Secunda vero pars probatur: quia hoc nullam implicat contradictionem, & pertinet ad maximam Christi hominis dignitatem; ergo est asserendum; & cōfirmatur: quia supernaturalia creata, & mysteria gratiæ sunt res finitæ, nec eorum cognitio implicat cognitionem quidditatiuam alicuius infiniti simpliciter; igitur per species creatas possunt euidenter repræsentari. Antecedens quo ad primam partem clarum est. Quo ad secundam vero partem patet ex vltimo fundamento.

Argumenta, & solutiones. CONTRA *secundam conclus.* sunt argumenta; quæ affert & soluit Aluar. *in* 61.*disp.*

Obi. 1.*cont.* 3.*cont.* CONTRA *tertiam conclus.* argum. Bannes: Nam lumen gloriæ quo ad propriam & specificā suam rationem à nullo intellectu carente lumine gloriæ est cognoscibile; ergo neque habitus fidei, gratiæ & charitatis. Antecedens probatur; Quia lumen gloriæ excedit omne aliud lumen & est alterius & superioris ordinis; ergo distincte cognosci non potest alio lumine inferiori; Consequentia vero probatur: quia non potest euidenter cognosci virtus seminis, nisi euidenter cognoscatur fructus qui ex semine potest produci; sed gratia & virtutes Theologicæ sunt veluti semina beatitudinis; iuxta illud *ad Rom.* 6. *gratia Dei vita æterna*; ergo si lumen gloriæ non est euidenter sine lumine gloriæ cognoscibile, nec alij habitus supernaturales erunt euidenter cognoscibiles. *Respon.* falsum esse antecedens. Ad probationem dico nullam esse consequentiam; nam etiam diuina essentia est altioris ordinis, quam sit intellectus creatus actuatus lumine gloriæ, & tamen ab eo quidditatiue cognoscitur. Quamuis igitur in cognitione quidditatiua naturali requiratur identitas ordinis, non tamen requiritur in supernaturali. Secundo dico sufficere identitatem ordinis genericam aut quasi genericam; qualis est inter lumen scientiæ inditæ animæ Christi & lumen gloriæ; vtrunq; enim est lumen intellectuale supernaturalis ordinis, & lumen inditæ scientiæ supremum obtinet gradum inter omnia lumina supernaturalia post lumen gloriæ, cui maxime assimilatur.

Solut.

Obi. 2. *Contra eandem conclus.* argum. Aluar. *Primo*: quia S. Thom. *in fine corporis huius articuli* agens de iis, quæ Christus cognouit per scientiam inditam, ait: *Ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognouit, sed solum per propriam*, hoc est per scientiam beatam, & idem docet *art.* 5. *ad primum*, & loquitur in his locis de cognitione euidenti essentiæ diuinæ in seipsa. *Resp.* primo: Aliud esse loqui de cognitione euidenti essentiæ diuinæ, & aliud de cognitione euidenti entium supernaturalium creatorum, de quibus loquitur nostra conclusio; Secundo respondetur D. Tho. loqui de cognitione illa euidenti, quæ est quidditatiua & intuitiua proprie, non autem de illa quæ proprie tantum est intuitiua.

Solut.

Secundo: Iuxta sententiam S. Tho. 1.*p.q.*12.*art.*2. nulla potest dari species creata, quæ repræsenter clare & distincte diuinam essentiam prout est in seipsa; ergo sub hac ratione non potest euidenter cognosci, nisi per scientiam beatam, in qua vnitur essentia diuina intellectui in ratione speciei intelligibilis. *Resp.* D. Thom. loqui de repræsentatione & cognitione quidditatiua & intuitiua proprie dicta; secundum hanc enim proprie & absolute loquendo dicitur essentia diuina repræsentari & cognosci clare, distincte & prout est in seipsa.

Obi. 1.

Solut.

QVÆSTIO SEXTA *An Christus per scientiam infusam, cognouerit euidenter mysterium sanctissimæ Trinitatis?*

De proposita difficultate variæ sunt opiniones: præcipue vero sunt quatuor. *Prima* est Vasq. *super hoc articul. disput.* 53. *&* 1.*p. quæst.* 32. *artic.* 1. *disp.* 135. dicentis nulli intellectui creato communicari posse cognitionem claram diuinæ Trinitatis extra Verbum, ac proinde animam Christi per solam visionem beatificam habuisse claram notitiam mysterij SS. Trinitatis.

Secunda sententia est Zumel. *in* 1.*p. qu.* 32. *art.* 1. *disp.* 2. vbi statuit quinque conclusiones. *Prima* est: Possibile est euidenter cognoscere mysteriū Trinitatis euidentiā in attestante. *Secunda* est: Impossibile est vt homini, qui nunquam vidit Deum, detur euidens cognitio Trinitatis in seipsa quantum ad quid est aut quantum ad an est. *Tertia* est: Christus per scientiam infusam non cognouit euidenter Trinitatem personarum in seipsa. *Quarta conclus.* Valde rationabile & probabile est dicere, quod anima Christi per scientiam infusam euidenter cognoscit Trinitatem, quantum ad an est in effectib. supernaturalis ordinis; quam sententiam sequuntur quidam recentiores viri doctissimi. *Quinta eiusdem conclusio* est: Non est improbabile, immo vero ratione consentaneum dicere, quod Christus extra Verbum per scientiam infusam habuit euidētiam Trinitatis in attestante, quantum ad an est.

Tertia sententia est Bann. *in* 1.*p. in allegata qu. & art. dubio* 2. qui tria dicit. *Primum* est fieri non posse etiam de potentia Dei absoluta, vt detur homini species creata, per quam possit euidenter cognoscere Deum sicuti est. *Secundum* est: Probabiliter posse sustineri, quod secluſa visione beatifica possit Deus conferre speciem intelligibilem, per quam homo euidenter iudicet Deum esse qui loquitur & reuelat hæc mysteria, ac per consequens euidenter iudicet esse vera quæ reuelātur, & hæc est (inquit) euidentia in attestante. *Tertium* est: probabilius esse, quod secluſa visione Dei nō possit mysterium Trinitatis euidenter cognosci notitia intuitiua aut abstractiua.

Quarta sententia est Suar. *disp.* 27. *sect.* 5. quam sequitur Aluar. *disp.* 62. Hi dicunt Christum per scientiam inditam habuisse cognitionem mysterij Sanctissimæ Trinitatis euidentem in attestante ex vi proprij luminis & reuelationis supernaturalis.

Vltima sententia est Capr. *in* 2.*dist.* 23. *quæst. vnica, ad argumenta Scoti contra secundam conclusionem*; vbi dicit non repugnare, quin virtute cognitionis intuitiuæ qua beatus intueturDeum, possit in ipso creari cognitio abstractiua talis, qua euidenter appareat Deum esse Trinum & vnum, potissime diuina virtute, ita vt beatus duplicem habeat cognitionem de Deo vno & Trino; Vnam beatificam, & alteram non beatificam: quam sententiam sequuntur Caietanus *super hoc articul. &*

in 2.

in 2. 2. quæst. 171. art. 5. Molina 1. *par. quæst. 1. art. 2. disp 4.* & alij antiquiores, quos notat Vasq. *in allegata sua disp. 135 c. 1.*

Resolutio. Christum per scientiam inditam eo cognouisse eum dono mysterium Trinitatis, & quo ex pro ditto dono esse modos ei probabi-

Supponenda sunt hic primo ea, quæ supra diximus de duplici modo cognoscēdi rem in seipsa, & de duplici modo cognitionis intuitiuæ; de qua late disserit Capr. *in allegata dist. 23. in responsionibus ad argumenta Durandi.*

Secundo sciendum est cognitionem omnem intuitiuam fieri per speciem rei propriam; vt patet ex Capreolo *loco notato.* Sed species potest dupliciter dici propria: Vno modo, quia distincte & perfecte repræsentat singula ad rei quidditatem & conditiones eius pertinentia, pro vt existit actualiter in rerum natura; & hæc species causat cognitionem euidentem & intuitiuam proprie dictam, de quo loquitur Capr. *in dicto loco.* Alio B modo dicitur species propria, non quia rem perfecte & quidditatiue repræsentat; vt patet de speciebus seu conceptibus, quibus nos Deum intelligimus, tam quo ad eius naturam absolutam, quam quo ad Trinitatem personarum; sunt enim proprij Deo, quatenus à qualibet alia re distinguitur, licet in infinitum ab eius repræsentatione deficiant; Multo magis itaque fieri & infundi poterunt intellectui creato species, quæ non tantū sint hoc modo propriæ diuinæ Trinitatis, sed ipsam quo ad quia est euidenter repræsentent, ita vt in intellectu causent cognitionem intuitiuam minus proprie dictam, quæ tamen simpliciter sit abstractiua. Nulla enim videtur esse repugnantia vt fiat à Deo species, quæ distincte & euidēter repręsent & intellectui meo diuinam essentiā in tri- C bus suppositis subsistentem absque hoc, quod cognitio ex ea causata terminetur ad ipsam, vt in actu exercito sic existit, sed hæc terminatio supleatur, licet imperfecte, per speciei & luminis excellentiam, eo fere modo quo species phantasiæ per actum sensus communis terminatę res absentes veluti præsentes actu distincte ac euidenter somniantibus & quandoque vigilantibus repræsentant. Quanto namque excellentiores sunt species intelligibiles à Deo supernaturaliter inditæ speciebus in phantasia receptis, & lumen illarum supernaturale nobilius est lumine harum naturali, tanto perfectiori modo potest Deus per illas species & lumen intellectui nostro fieri præsens obiectiue, ita vt intuitiue (quanquam minus proprie) videatur, supplente quodammodo speciei & luminis excellentia præsentiam & terminationem obiecti secundum actualem existentiam; qui præsentiæ modus soli conuenit intuitiuæ cognitioni proprie dictæ, qualis est visio beatorum.

Tertio notandum est posse Deum quo ad absoluta per creatam speciem immediate & distincte, licet non quidditatiue, repræsentari: vt late probaui & explicaui *in prima p. q. 56. art. 3. Contr. 1.* vbi etiam ostendi Deum, non solum mediate, sed etiam immediate repræsentari per substantiam Angeli. Nulla igitur apparet repugnantia, quin possit Deus, vt agens supernaturale intellectui creato speciem infundere supernaturalem, quæ distincte ac immediate, licet non quidditatiue nec intuitiue proprie. Deum secundum essentiam vnū in tribus suppositis relatiue distinctis subsistentem repræsentet; vt etiam affirmat Scotus, *quod lib. 7.* cuius mentem explicat & tuetur Molina 1 *p. q. 1. a. 2. disp. 4.*

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Christus per scientiam inditam cognouit euidenter mysterium Trinitatis.* Hæc conclusio est contra Bannesium & Vasquezium: sed in ea conueniunt alij omnes doctores supranominati; & colligitur ex textu præsentis articuli, vbi dicitur Christum per hanc scientiam plenius & abundantius ea omnia cognouisse, quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, &c. & ab huius scientiæ perfectione solum excipit perfectionem visionis beatificæ; igitur perfectiori modo cognouit Christus per hanc scientiam mysterium SS. Trinitatis, quam cognoscatur per fidem, aut prophetiam, aut per quodcunque donum Spiritus sancti: igitur non obscure & ænigmatice sed euidenter. Et confirmatur: quia possibilis est talis cognitio; igitur conuenit animæ Christi: Antecedens supra probatum est; consequentia est S. D. *in textu* dicentis, fuisse conueniens vt anima Christi omnino esset perfecta per hoc, quod omnis eius potentialitas sit reducta ad actum. Alias probationes lege apud Zumel. *conclusione 3.* & apud Suarezium *in allegata disp. 27. sect. 5. §. Dico 2.*

SECVNDA CONCLVS. *Probabile est Christum per scientiam inditam habuisse cognitionem mysterij SS. Trinitatis quo ad quia est euidentem in attestante.* Huic conclusioni consentiunt Bann. Zumel. Suar. & Aluar. *locis supra notatis*, & præ ceteris Aluar. eam probat & tuetur egregie.

TERTIA CONCL. *Probabilis est eorum sententia, qui dicunt Christum per hanc scientiam euidenter cognouisse Trinitatem esse per species omnium rerum supernaturalium, specialiter autem per species illarum rerum supernaturalium, quæ dicunt ordinem transcendentalem ad personas Trinitatis, vt ad obiectum vel causam formalem, vel terminum:* Probatur hæc conclusio: Quia gratia participatio quædam est Dei, vt est vnus in essentia, & Trinus in personis & charitas etiā qualitas est disponens ad dilectionem Dei, vt est vnus & Trinus, & lumen gloriæ dispositio est intellectus ad videndum Deum quo ad vnam eius essentiam in tribus suppositis subsistentem, & visio beatifica terminatur ad Deum, vt est Trinus & vnus, & similem habitudinem habent omnes effectus ordinis supernaturalis: quamuis enim gratia & alij omnes eiusdē ordinis effectus à Deo vt ab efficiente dependeant, quatenus vnus est in essentia, ab eo tamen vt ab obiecto & termino & vt causa formali seu exemplari ac finali dependent, quatenus est Trinus & vnus. Quemadmodum enim grauitas terræ naturaliter ac essentialiter ordinatur ad centrum, ita gratia & alia super- D naturalia ex intrinseca sui natura ordinantur in Deum vnum & trinum, vt in proprium ac proportionatum eorum finem; igitur in his effectibus quidditatiue cognitis cognosci poterit euidenter Trinitas personarum; sicut cognita quidditatiue terræ grauitate, cognoscimus euidenter centrum esse.

VLTIMA CONCL. *Christus per scientiam infusam cognouit euidenter Trinitatem quo ad quia est intuitiue, sed improprie modo superius explicato.* Hæc patet ex dictis: & probatur etiam: quia, vt ostendimus, possibile est dari speciem immediate & distincte, licet non quidditatiue, repræsentantem Deum vt est Trinus & vnus; sed per hanc cognoscitur euidē- E ter & intuitiue, licet improprie, Trinitas personarum quo ad an est; ergo.

CONTRA *primam concluſ.* sunt argum. Vasq. quę refert & soluit Aluar. *disp. 62.* & ea quæ producit Bann. *pro 4. sua concl.* quorum solutio patet ex dictis, & erit euidentior ex solutionibus argumentorum contra vltimam nostram concl. *Argumenta, & solutiones.*

CONTRA *secundam concl.* sunt argumenta, quæ referunt & soluunt Bann. Zumel. Suar. & Aluar. *locis supra notatis.*

CONTRA *vltimam concl.* argumentatur Bann. *primo,* *Obi. cont. vlt. concl.*

primo, quia D. Tho. hic ait animam Christi per hãc scientiam non vidisse diuinam essentiam; ergo.

Solut. *Resp.* Animam Christi per hanc scientiam non vidisse diuinam essentiam quidditatiue, sed tantum quo ad quia est.

Obi. 2. *Secundo* impossibile est dari speciem creatam, quæ repræsentet tres personas sicut sunt in seipsis; sicut nec repræsentari potest essentia Dei, vt in se est; ergo. Eodem argumento vtitur Zumellus. *Re-*

Solut. *spondetur* falsum esse assumptum loquendo de repræsentatione essentiæ & personarum in se ipsis, id est immediate & non in alio obiecto prius repræsentato; & de repræsentatione euidenti, non quidditatiua, sed quo ad quia est, de qua loquitur nostra conclusio.

Obi. 3. *Contra eandem* conclus. argumentantur alij *primo* quia species immediate repræsentans Trinitatem, & quæ est illius propria, debet esse eiusdem rationis cum illa: & eam repræsentare non tantum secundum gradum communem, sed etiam secundum gradum proprium, atque adeo non ad instar creaturæ, sed prout in se est; igitur talis spe-

Solut. cies repræsentabit Trinitatem quidditatiue, & non tantum quo ad quia est. *Resp.* nullam esse cõseq. quia potest esse species alicuius rei propria, & aliquo modo eiusdem rationis cũ illa repræsentans eam immediate secundum proprium gradum, quæ tamen non repræsentet illam quidditatiue; vt patet de substantia Angeli, quæ Deum immediate repræsentat secundum proprium eius gradum, quo distinguitur ab omni ente creato vel creabili, vt est aliquo modo eiusdem rationis cum illo, quia est ipse Deus in esse intelligibili: nec tamen repræsentat Deum quidditatiue; quia propria Dei non repræsentat ea claritate & distinctione, quæ sufficiat ad cognitionem quidditatiuam; sed quæ satis sit ad Deum, prout à creaturis distinguitur, intelligendum; longe tamen perfectiori modo, quam nos per species à rebus acceptas Deum, pro vt à cæteris entibus distinguitur, intelligamus; sic igitur species inditæ animæ Christi Deum in tribus suppositis subsistentem immediate, & quo ad propria repræsentant longe perfectiori modo, quam per species & lumen diuinæ reuelationis mediatæ vel immediatæ nobis repræsentetur; non ea tamen distinctione & claritate, quæ necessaria est cognitioni quidditatiuæ; sicut nec quilibet habẽs speciem propriam ignis, bouis aut hominis habet eius cognitionem quidditatiuam, sed necesse est distincte concipere genus & differentiam eius constitutiuam & à cæteris distinctiuam. Stat enim species rei propria, etiam in actu secundo cum cognitione confusa, aut non quidditatiua.

Obi. 4. *Secundo arguunt.* Quia Trinitatem esse non est aliquid minus immateriale, aut minus perfectũ, aut minus identificatum cum suo esse, quam ipsa quidditas Trinitatis; sed nulla potest dari species quidditatis Trinitatis, eo quod est infinite immaterialis & perfecta, & suum esse; igitur non potest dari species repræsentans illã esse secundum suũ proprium conceptum, quin repræsentet propriũ

Solut. & quidditatiuum conceptum illius. *Resp.* hoc argumento probari non posse dari speciem repræsentantem intuitiue proprie Trinitatem esse, non autem probat impossibile esse dari speciem, quæ repræsentet idem intuitiue, sed improprie; Vnde admissa secunda propositione & consequentia de cognitione intuitiua proprie dicta, negatur eadem secunda propositio, si sermo sit de cognitione intuitiua improprie sumpta; quamuis enim esse Trinitatis à parte rei sit idem quod quidditas Trinitatis & ideo nõ possit repræsentari sicut est, id est intuitiue proprie, nisi repræsentetur etiam quidditas sicuti est, & consequenter videatur Trinitas quidditatiue; si tamẽ sermo sit de cognitione intuitiua minus proprie dicta, potest repræsentari quidditas & esse Trinitatis, euidenter quidem, sed non quidditatiue; non enim omnis cogitio quidditatis est quidditatiua.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus hac scientia vti potuerit non conuertendo se ad phantasmata.

AD secundum sic proceditur. *Videtur, quod anima Christi non potuerit intelligere secundum hanc scientiam, nisi conuertendo se ad phantasmata. Quia, vt dicitur in tertio de anima, Phantasmata comparantur ad animam intellectiuam humanam, sicut colores ad visum. Sed potentia visiua Christi non potuit exire in actum, nisi conuertendo se ad colores. Ergo etiam neque anima intellectiua eius potuit aliquid intelligere, nisi conuertendo se ad phantasmata.* Inf. a. 4. fin. & q. 34. ar. 2. ad 3. & 3. a. 14. ar. 3. qu. 2 & 3. cor. & ver. q. 20. art. 3. ad 1.

Præterea: anima Christi est eiusdem naturæ cum animabus nostris: alioquin ipse non esset eiusdem speciei nobiscum: contra id quod Apostolus dicit Philip. 2. quod est in similitudinem hominum factus. Sed anima nostra nõ potest intelligere, nisi conuertendo se ad phantasmata. Ergo etiam neque anima Christi.

Præterea: Sensus dati sunt homini, vt deseruiant intellectui. Si igitur anima Christi intelligere potuit absque conuersione ad phantasmata, quæ per sensus accipiuntur, sequeretur, quod sensus frustra fuissent in anima Christi; quod est inconueniens. Videtur igitur, quod anima Christi non potuerit intelligere, nisi conuertendo se ad phantasmata.

Sed contra est, quod anima Christi cognouit quædam, quæ per phantasmata cognosci non possunt, scilicet substãtias separatas. Potuit igitur intelligere non conuertendo se ad phantasmata.

*Respondeo dicendum, quod Christus in statu ante passionem, fuit simul viator, & comprehensor, vt infra magis patebit *. Et præcipue quidem conditiones viatoris habuit ex parte corporis, inquantum fuit passibile: conditiones vero comprehensoris maxime habuit ex parte animæ intellectiuæ. Est autem hæc conditio animæ comprehensoris, vt nullo modo subdatur suo corpori, aut ab eo dependeat; sed totaliter ei dominetur. Vnde, & post resurrectionem, ex anima, gloria redundabit ad Corpus. Ex hoc autem anima hominis viatoris indiget ad phantasmata conuerti, quod est corpori obligata, & quodammodo ei subiecta, & ab eo dependens. Et ideo animæ beatæ, & ante resurrectionem, & post, intelligere possunt absque conuersione ad phantasmata. Et hoc etiam oportet dicere de anima Christi, quæ plene habuit facultatem comprehensoris.* q. 15. a. 10. D. 190. D. 125.

Ad primum ergo dicendum, quod similitudo illa, quam Philosophus ponit, non attenditur quantum ad omnia. Manifestum est enim, quod finis potentiæ visiuæ est cognoscere colores: finis autem potentiæ intellectiuæ non est cognoscere phantasmata, sed cognoscere species intelligibiles, quas apprehendit à phantasmatibus, & in phantasmatibus secundum statum præsentis vitæ. Est igitur similitudo, quantum ad hoc, ad quod aspicit vtraque potentia: non autem quantum ad hoc, in quod vtriusque potentiæ conditio terminatur. Nihil autem prohibet, secundum diuersos status ex diuersis rem aliquam ad suum finem tendere: finis tamen propius alicuius rei semper est vnus. Et ideo, licet visus nihil cognoscat absque colore, intellectus tamen secundum aliquem statum potest cognoscere absque phantasmate, sed non absque specie intelligibili. D. 752.

Ad secundum dicendum, quod licet anima Christi fuerit eiusdem naturæ cum animabus nostris, habuit tamen aliquem statum, quem animæ nostræ non habent nunc in re, sed solum in spe, scilicet statum comprehensoris.

Ad

Ad tertium dicendum, quod licet anima Christi potuerit intelligere, non conuertendo se ad phantasmata: poterat tamen intelligere, se ad phantasmata conuertendo. Et ideo sensus non fuerunt frustra in ipsa, præsertim cum sensus non dentur homini solum ad scientiam intellectiuam, sed etiam ad necessitatem vitæ animalis.

A

Sensus quæsiti.

CONVERSIO intellectus in vsu scientiæ aut præhabitæ cognitionis habitualis fit per imperium intellectus phantasiam seu cogitatiuam mouentis ad formandum phantasma rei singularis sub communi natura contentæ, vt in eo naturam rei materialis inspiciat singulariter subsistentem, vel vt conditiones indiuiduantes materiales, quas inspicit in phantasmate remoueat à natura spirituali, puta Gabriele, vel vt in phantasmate tanquam in exemplo inspiciat id, quod studet intelligere; Quæ est doctrina S. Th. *lib. 2. cont. gent. cap. 73. ratione 7 & 1. p. q. 84. art. 7.* vbi Cai. has omnes causas indistincte complectens ait cõuerti ad phantasma nihil aliud significare, nisi vti phantasmate actualiter ad tale opus. Videnda sunt etiam quæ scribit Bannes *dubio tertio, ad eundem articulum.* Et licet intellectus in conuersione ad phantasmata, quæ fit secundum actum scientiæ seu cognitionis à phantasmatibus acceptæ, aut per species ab eis deriuatas, vel per accidens infusas, ab eis dependeat & eis indigeat; conuersio tamen quæ fit per actum scientiæ per se inditæ, qualis est ea scientia animæ Christi, de qua loquitur *in hoc art.* S. Tho. non est ex indigentia aut dependentia vel subiectione, sed ex eminentia & abundantia perfectionis, superioritatis & virtutis ac prædominij. Cum enim possit intellectus vti specie infusa ad communem naturam intelligendam non vtendo ea, pro vt singularia repræsentat, poterit per illam naturæ communis cognitionem mouere phantasiam ad formandum phantasma rei singularis sub illa natura contentæ, & in ea naturam inspicere, vt indiuidualiter subsistentem, & sic intelligere naturam illam per conuersionem ad phantasmata; vt specialiter de scientia Christi probat *in hoc art.* S. D. Et ex his patet Vasq. *disput. 52. cap 2.* non intellexisse quid sit conuersio intellectus ad phantasmata.

B

C

Forma Textus.

CONCL. *est*: *Anima Christi potuit vti hac scientia non cõuertendo se ad phantasmata*: Probatur: quia anima Christi plene habuit facultatem comprehensoris; ergo potuit, &c. Antecedens probabitur infra *quæst. 15. art. 10.* vbi ostẽditur, quod Christus ante passionem fuit simul viator & comprehensor. Consequẽtia vero probatur ex differentia conditionum Christi vt erat viator, & vt erat comprehensor; nam conditiones viatoris habuit præcipue ex parte corporis, in quantum fuit passibile; conditiones vero comprehensoris maxime habuit ex parte animæ intellectiuæ inter quas hæc vna est, vt anima intellectiua nullo modo subdatur suo corpori, aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur; ergo si anima Christi plene habuit facultatem comprehensoris, potuit intelligere non conuertendo se ad phantasmata. Antecedens quo ad vltimam partem probatur ab effectu: quia post resurrectionem ex anima gloria redundabit ad corpus. Consequentia vero probatur: Quia ex hoc anima viatoris indiget, ad phantasmata conuerti, quod est corpori obligata & quodammodo ei subiecta, & ab eo dependẽs; ergo. Probatur hoc assumptum: quia animæ beatæ, & ante resurrectionem, & post intelligere possunt absque conuersione ad phantasmata, quia scilicet non sunt corpori obligatæ, &c.

D

E

Controuersia Vnica.

De veritate conclusionis, & doctrinæ præsentis articuli.

PRIMA *sententia* fuit Dur. *in 3. sent. dist. 14. quæst. 2.* dicentis Christum indiguisse conuersione ad phantasmata, etiam in vsu scientiæ infusæ. *Sententia Doctorum.*

Secunda sententia in altero extremo posita est Vasq. *disp. 52. cap. 2.* vbi duo dicit, *primum* est scientiam animæ Christi infusam talis esse naturæ, vt qui illam habet, non solum non indigeat conuersione ad phantasmata ad vsum illius, verum etiam ea vti non possit ad cognitionem cuiuscunque obiecti, etiam sensibilis, per conuersionem illam; quamuis fieri possit, vt simul cũ intellectu vtente hac scientia operetur phantasia, & imaginatio circa res sensibiles, & eas suo modo cognoscat; ita tamen vt vsus huius scientiæ nullo modo connexus sit cum operatione imaginationis & phantasiæ; sed hoc non est proprie intelligere per conuersionem ad phantasmata. *Secundum* est: rationem D. Th. pro sua conclusione non omnino firmam videri. Quam sententiam quo ad priorem partem quidã recentiores immerito tribuunt Suarezio.

Tertia sententia vtrique contraria est D. Tho. *in hoc art.* vbi duo dicit. *Primum est*, animam Christi potuisse vti hac scientia non conuertendo se ad phantasmata; *Secundum est*, eandem intelligere potuisse per conuersionem ad phantasmata: ita S. D. *ad 3.* quam sententiam sequuntur omnes eius discipuli. Ex quibus addunt nonnulli potuisse etiam animam Christi Domini vt scientia acquisita absque conuersione ad phantasmata.

Resolutio. Animam Christi potuisse vti scientia infusa sine conuersione ad phantasmata.

Tres sunt propositæ controuersiæ partes breuiter expediendæ.

Prima est de veritate conclusionis S. Thom. asserentis animam Christi vti potuisse hac scientia non conuertendo se ad phantasmata, cuius oppositum docet Duran. sed eius veritatem explicant & tuentur Caietanus, Medina & alij recentiores.

Ad cuius euidentiam attendenda est primo diligenter ratio S. Thom. cuius vis in hoc consistit, quod Christus plene habuit facultatem & conditiones comprehensoris, maxime secundum animam intellectiuam; inter quas hæc vna est, vt anima intellectiua nullo modo subdatur suo corpori, nec ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur: ex quo sequitur, vt potuerit intelligere non solum scientia beata, sed etiam scientia infusa, immo & acquisita, vt dicemus, non conuertendo se ad phantasmata. Habet autem anima Christi, vt corpori dominetur, ex dote fruitionis & comprehẽsionis, quæ sunt animæ dotes; ex parte vero corporis nulla ad hunc effectum dos est necessaria; quia non oportet ad actus huius scientiæ corpus cõcurrere; ex dictis vero dotibus dominium animæ supra corpus conuenire docet D. Thom. *in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 5. quæst. 1. ad 3.* dicens comprehensionem importare remotionem impedimentorum, propter quæ nõ poterat anima Deo præsentialiter coniungi, quod quidem fit per hoc, quod habitus gloriæ animam ab omni defectu liberat, & ita reddit eam sufficientem ad cognoscendum sine phantasmate. Primo quidem secũdum actum visionis beatificæ, secundario vero secundum omnem alium actum intellectiuæ cognitionis conuenientem animæ, prout est in statu beati-

beatifico, omnis enim animæ perfectio secundum beatitudinis statum illi congruens à corpore libera est, nec illi subditur, sed eo superior est, & ad dominium pertinet animæ respectu corporis. Quamuis ergo modus operandi naturalis sequatur modum essendi naturalem, & ideo anima coniuncta corpori nihil possit intelligere naturaliter sine phantasmate, modus tamen operandi gratuitus & supernaturalis non sequitur modum essendi naturalem; sed modum essendi supernaturalem, quem habet ex gratuita Dei voluntate. Vnde S. Athan. *quæst.* 12. ait B. Virginem in salutatione Angeli vidisse nudam eius essentiam, vt in se est; quam certe videre minime potuisset, nisi modum prius habuisset operandi supernaturalem independentem à corpore & à phantasmatibus. Cum igitur anima Christi ante passionem conditiones & statum haberet comprehensoris, nullo suæ intellectionis actu corpori subdebatur, sed illi quolibet actu & habitu scientifico dominabatur, non minus quam in statu resurrectionis animæ beatorum sint corporibus quo ad actus intellectiuæ cognitionis dominaturę; poterat igitur anima Christi non solum actu visionis beatificæ, sed etiam actu scientiæ infusæ, quæ supernaturalis est, intelligere siue conuersione ad phantasmata; quoniam vterque actus, & vtraque scientia conuenit animæ Christi ratione status beatifici; quamuis illa primario, hæc autem secundario. Scientia siquidem infusa se habet, vt dispositio vnionem consequens hypostaticam, & statum animæ Christi beatificum exornans, licet ad eius essentialem rationem non pertineat. Et quia plenum habebat anima Christi dominium super imaginatiuam suam potentiam, & species in ea conseruatas, ideo poterat ea vti pro sua voluntate in actu intellectionis rerum corporearum contemplando quidditates earum in illis speciebus, vt singulariter existentes.

Ex dictis patet primo efficacitas probationis D. Thom. quam hic explicat optime Caiet. *secundo*, quam vanæ sint cauillationes Vasquezij; quibus nititur vim dictæ probationis infringere; *tertio patet* solutio argumentorum Durandi; quæ refert & soluit Medina *super hoc artic.*

SECVNDA PARS *Controuersiæ. An Christus vti potuerit, vel vsus fuerit hac scientia conuertendo se ad phantasmata?*

Resp. affirmans. Secunda controuersiæ pars est circa responsionem ad tertium, vbi S. D. ait Christum intelligere potuisse per hanc scientiam se ad phantasmata conuertendo; cuius contrarium affirmat Vasq. sed huius dicti veritatem explicat & tuetur Aluar. *in sua disput.* 63. ostendens etiam probabile esse aliquando Christum vsum fuisse scientia indita conuertendo se ad phantasmata. Probatio vero præcipua dictæ veritatis ea est, quæ habetur in dicta responsione collata argumento; cuius vim explicat prædictus Expositor *in secunda sua conclus.* nec eius dictis quidquam addendum occurrit: & est expressa doctrina S. Th. *in hac q. art.* 4. vt etiam hic aduertit Medina.

TERTIA PARS *Controuersiæ. An Christus, vt comprehensor, vti potuerit, aut vsus fuerit scientia acquisita non conuertendo se ad phantasmata?*

Sententiam affirmantē esse probabilem. Partem affirmantem tuentur quidam viri doctissimi; quorum sententia valde probabilis est: Quoniam id conuenit animæ separatæ, quæ scientiam retinet acquisitam, & ea libere vtitur absque conuersione ad phantasmata, quæ nulla sunt, aut esse possunt in anima à corpore separata; igitur etiam anima Christi, licet esset in corpore, potuit vti scientia acquisita sine cõuersione ad phantasmata; eo quod esset in statu comprehensoris, qui longe nobilior est, & minus indigens corpore, quam status cuiuscunque animæ separatæ. Et cõfirmatur: quia probabile est species acquisitas addito lumine supernaturali posse repræsentare singularia. Vnde etiam nostra Theologia quatenus scientia est, de multis agit singularibus, vt supra declarauimus. Nec tamen propterea negandum est, in anima Christi fuisse scientiam illam ordinis naturalis per se infusam, quæ cunctis infunditur animabus à corpore separatis: hæc n. est alterius rationis ab acquisita: ab infusa vero supernaturali nõ videtur differre, nisi sicut imperfectũ in esse naturæ, q̃ est perfectibile p̃ esse gratiæ, differt à se ipso iã perfecto per gratiã, vt, exẽpli gratia beatitudo Angeli naturalis, quæ perfectibilis est per gratiam & gloriam supernaturalẽ, differt à se ipsa iam perfecta per superadditam gratiam & gloriam, & immutabilitas Angeli perficitur per gratiam, vt explicauimus *in 1. p. q. 10. ar. 6.* Debuit enim omnis potentialitas animæ Christi ad actum reduci, ac proinde nõ debuit illi deesse prædicta scientia per se infusa naturalis: sed quoniam hæc ex se valde imperfecta est, vt patet *ex 1. p. q. 89.* ideo perfici debuit in anima superaddito lumine & speciebus etiam supernaturaliter infusis, vt per additum lumen supernaturale non minus, sed multo magis distincte repræsentarent species illæ ordinis naturalis, quam repræsentent species Angelorũ ex natura sua perfectiores, per additas vero species repræsentarentur ea, quę per species ordinis naturalis non sunt apta repræsentari, vt cordium cogitationes, futura contingentia, & mysteria gratiæ.

PRIMA CONCL. *Anima Christi potuit vti scientia infusa sine conuersione ad phantasmata.* Hæc est conclusio S. D. in textu, & patet ex dictis. *Conclusiones deductæ, & probatæ.*

SECVNDA CONCL. *Probatio D. Th. efficax est quantum patitur subiecta materia.* Hæc patet ex dictis.

TERTIA CONCL. *Anima Christi per dictam scientiam potuit intelligere conuertendo se ad phantasmata.* Hæc est S. D. *in respons. ad 3. & art. 4. huius quæst.* Et probatur: quia Christus erat viator & comprehensor. Et quamuis hæc scientia ad statum præcipue pertineret comprehensoris, vsus tamen eius pertinebat etiam ad officium Saluatoris; atq; adeo viatoris; & ideo talem debuit habere excellentiam, vt in vsu & actibus intellectionis ad salutẽ humani generis ordinatis modum posset induere scientiæ viatoris & animæ rationalis, qui est intelligere per conuersionem ad phantasmata, & vnum alteri componendo, & ex vno in aliud discurrendo; vt patet *ex artic. sequenti.* Videndus est S. Th. *in 2. sent. dist. 14. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2.*

QVARTA CONCL. *Probabile est Christum nonnunquam vsum fuisse prædicta scientia per conuersionem ad phantasmata.* Hæc patet ex responsione S. Thom. *ad 3.* eidem argumento collata, vt optime deducit, & explicat Aluarez, & est de mente S. Thom. *in 2. sent. loco notato.*

VLTIMA CONCL. *Valde probabile est Christum vti potuisse scientia etiam acquisita sine conuersione ad phantasmata.* Hæc patet ex dictis.

CONTRA *primam concl.* sunt argum. Dur. quæ referunt & soluunt Cai. & Med. *super hoc art.* & Suar. *disp. 28. sect. 1. §. Sed obijcit Durandus.* *Argumenta, & solutiones.*

CONTRA *secundam concluſ.* Vasq. *disp. 52. cap. 2. num. 10.* proposito argumento Caietani, & eius responsione sic eam impugnat: Tota difficultas est de scientia infusa, quare non indigeat conuersione ad phantasmata; ergo non sufficit probasse intellectum Christi non indiguisse conuersione ad phantasmata. *Et confirmatur*: quia intellectus *Obi. 1. cont. 2. concl.* *Conf.*

Naz. in D. Thom. 3. partem.

Christi in hac vita, ideo non indigebat conuer- A
sione ad phantasmata, quia scientia præditus erat
claræ visionis Dei, quæ nullo modo iuuari potest
sensibus, non autem, quia talis intellectus erat;
Solut. quin potius ex hoc capite indigeret in quouis sta-
tu, in quo esset coniunctus corpori. *Respon.* cum
Caiet. falsum esse anteced. quoniam hæc scientia
infusa similis est scientiæ Angelorum, & ea longe
excellentior est; & ideo sicut per eam Angeli re-
rum essentias, vt indiuidualiter existentes intuen-
tur absque conuersione ad phantasmata & sine
discursu & compositione, sic & multo magis a-
nima Christi per scientiam inditam potuit intel-
ligere absque conuersione ad phantasmata. *Ad*
ad Conf. *confirmat.* dico falsum esse antecedens præcise
sumptum; status enim comprehensoris cum om-
nibus ad ipsum pertinentibus propria causa est B
non indigentiæ conuersionis ad phantasmata; vt
supra declarauimus.

Obi.2. *Contra eandem concluſ.* est hoc argumentum; A-
nima Christi licet esset beata, non tamen habebat
alias perfectiones & conditiones beatarum ani-
marum; ergo non oportuit, vt haberet dominiũ
in corpus, ita vt posset intelligere sine conuersio-
ne ad phantasmata. Antecedens probatur: quia
anima Christi non conformabatur voluntati Dei
etiam in volito materiali; vt probat S. Doct. infra
quæst. 18. *art.* 8. ex illo *Matth.* 26. *Transeat à me calix*
iste. Et præterea contristabatur: nam vt *in eodem*
Solut. *cap.* dicitur, *capit contristari, & mœstus esse*, Ergo. *Resp.*
falsum esse antecedens. Ad probationem dico
conformitatem duplicem esse posse, alteram per
voluntatem, vt ratio est, siue vt est deliberata; & C
hoc modo Christi voluntas conformabatur in
volito, etiam materiali, diuinæ voluntati; quæ est
perfectio conueniens omni beatæ voluntati; al-
tera est per voluntatem antecedentem, & vt na-
tura est; & hoc modo neque Christi voluntas,
neque beatorum voluntates necessario, aut sem-
per conformantur diuinæ voluntati: vt ait S. D.
in 3. sent. dist. 17. quæst. 1. artic. 2. quæst. 1. & dist. 31. quæst.
2. art. 3. quæstiunc. 2. & Caiet. *Matth.* 20. exponens
murmur operariorum. Ad aliam probationem
dico Christum habere debuisse omnes eas perfe-
ctiones animæ beatæ, quæ non tollunt merendi
facultatem, non autem eas, quæ illam non admit-
tunt; constat autem dolorem, tristitiam & mœro-
rem voluntarie susceptam ad finem redemptionis
esse meritoria; & ideo non debuit habere perfe- D
ctiones affectionibus istis oppositas: obligatio
vero ad corpus, cui opponitur prædominium, nõ
conducit ad meritum; quia prior est ex natura sua
omni actu voluntatis; Doctrina est D. Thom. in-
fra *q.* 15. *art.* 5. *ad* 3.

CONTRA *tertiam, & quartam* conclusionem
sunt argumenta Vasq. quibus optime respondet
Aluarez.

ARTICVLVS III.

Vtrum hæc scientia fuerit collatiua.

3. d 14. ar. 3.
q. 3. & veri.
q. 20. a 3. ad
1. c. 14. & li.
2. c. 22.

AD *tertium sic proceditur. Videtur, quod anima Chri-*
sti hanc scientiam non habuerit per modum colla-
tionis. Dicit enim Damasc. in 3. lib. In Christo non dici-
mus consilium neque electionem. Non autem remouentur
hæc à Christo, nisi inquantum important collationem, &
discursum. Ergo videtur, quod in Christo non fuerit scien-
tia collatiua vel discursiua.

q. prec. a. 2

Præterea: Homo indiget collatione, & discursu ratio-
nis ad inquirenda ea, quæ ignorat. Sed anima Christi co-
gnouit omnia, vt supra dictum est. Non ergo in ea fuit
scientia discursiua, vel collatiua.

Præterea: Scientia animæ Christi se habuit per modum
comprehensorum, qui Angelis conformantur: vt dicitur
Matthæi vigesimo secundo. Sed in Angelis non est scientia
discursiua, seu collatiua: vt patet per Dionys. 7. cap. de di- *cap. 7.*
uin. nom. Ergo nec etiam in anima Christi fuit scientia
discursiua, seu collatiua.

Sed contra est, quod Christus habuit animam ratio-
nalem vt supra habitum est. Propria autem operatio ani-
mæ rationalis est conferre, & discurrere de vno in aliud.
Ergo in Christo fuit scientia discursiua vel collatiua. *q. 5. a. 4.*

Respondeo dicendum, quod aliqua scientia potest esse
discursiua, vel collatiua dupliciter. Vno modo, quantum
ad scientiæ acquisitionem: sicut accidit in nobis, qui proce-
dimus ad cognoscendum vnum per aliud, sicut effectus per
causas, vel econuerso. Et hoc modo scientia animæ Christi
non fuit discursiua, vel collatiua: quia hæc scientia, de qua
nunc loquimur: fuit sibi diuinitus indita, non per inuesti-
gationem rationis acquisita. Alio modo potest dici aliqua
scientia discursiua, vel collatiua, quantum ad vsum: sicut
interdum scientes, ex causis concludunt effectus: non vt de
nouo addiscãt, sed volentes vti scientia, quam iam habent.
Et hoc modo scientia animæ Christi poterat esse collatiua,
& discursiua. Poterat enim ex vno aliud concludere, sicut
sibi placebat: Sicut Matth. 17. cum Dominus quæsisset à
Petro, à quibus Reges terræ tributum acciperent, à filiis
suis, an ab alienis, Petro respondente, quod ab alienis, con-
clusit. Ergo liberi sunt filij.

Ad primum ergo dicendum, quod à Christo excluditur
consilium, quod est cum dubitatione: & per consequens ele-
ctio, quæ in sui ratione tale consilium includit. Non autem
à Christo excluditur vsus consiliandi.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de dis-
cursu, & collatione, prout ordinatur ad scientiam acqui-
rendam.

Ad tertium dicendum, quod Beati conformantur An- *D. 142. &*
gelis, quantum ad dona gratiarum: manet tamen diffe- *186.*
rentia, quæ est secundum naturam. Et ideo vti collatione,
& discursu, est connaturale animabus Beatorum, non au-
tem Angelis.

Sensus quæsiti.

ESSE collatiuum hic sumitur, prout extenditur etiam ad discursiuum; vt patet ex principio corporis. Dicitur autem scientia collatiua, aut discursiua, cuius actus fit per modum collationis, aut discursus; ita vt sensus sit. Vtrum huius scientiæ cognitio fuerit per collationem, aut discursum.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quæsito duabus conclusionibus.

Distinctio est: Scientia potest esse collatiua, vel discursiua dupliciter: *Vno modo*, quantum ad sciẽtiæ acquisitionem: sicut accidit in nobis, qui procedimus ad cognoscendum vnum per aliud; sicut effectus per causas, vel è conuerso; *Alio modo*, quantum ad vsum; sicut interdum sciẽtes ex causis concludunt effectus, non vt de nouo addiscãt, sed volentes vti scientia, quam iam habent.

PRIMA CONCL. *est: Scientia hæc non fuit discursiua, vel collatiua quantum ad acquisitionem.* Probatur: E
quia hæc scientia fuit illi diuinitus indita, non per
inuestigationem rationis acquisita; ergo.

SECVNDA CONCL. *Scientia hæc potuit in anima*
Christi esse collatiua, & discursiua quantum ad vsum.
Probatur: quia poterat ex vno aliud concludere;
ergo. Antecedens probatur ex locutione Domi-
ni cum Petro *Matth.* 17. quæ refertur in textu.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt, quæ scribunt Med. & Suar. *in*
comment. pro intelligentia præsentis *art.*

Contro-

Controuersia Vnica.

De veritate secundæ Conclusionis. An scilicet hæc scientia quo ad vsum fuerit discursiua, aut collatiua.

Sententia Doctorum.

TRES sunt in hac q. Theologorum opiniones: *prima* est Ricardi *in 3. s. dist. 14. quæst. 3. art. 4.* vbi docet Christum hac scientia vti nō potuisse cum discursu; quam sequuntur Suarez *disp. 28. sect. 2.* & Vasq. *hic disp. 52. cap. 3.* & *1. p. disp. 222. cap. 2.* qui pro eadem sententia citant S. Bonau. qui tamen non agnouit in Christo scientiam infusam per se distinctam à naturali.

Secunda scientia est Durandi *in 3. dist. 14. quæst. 3.* dicentis scientiam hanc esse necessario discursiuam, & pro sua scientia citat Alensem, quem etiam alij recentiores allegant pro tertia sententia. Sed hic author nullam in Christo posuit scientiam inditam, sed tantum naturalem.

Tertia sententia est D. Thom. *in hoc, & in seq. artic.* & *alibi* dicentis scientiam hanc ex sui natura non esse necessario discursiuam sed ex parte subiecti, quod est anima rationalis, posse ad eius libitum habere modum cognoscendi per discursum; quā sententiam sequuntur & tuentur omnes eius discipuli.

Resolutio. Scientiam Christi, quo ad vsum nō fuisse necessario collatiuam, aut discursiuā. vtrunque tamen habe re potuisse, & habuisse nōnunquā.

Notandum est primo ex D. Thom. *1. p. quæst. 14. art. 7.* & *quæst. 38. art. 3. ad 1.* duplicem esse discursum: Vnus est minus proprie seu communiter dictus; qui est secundum solam conceptuum, & intellectionum successionem: sicut (inquit S. D.) cum, postquam intelligimus aliquid in actu, conuertimus nos ad intelligendum aliud: Alter discursus est stricte & proprie dictus; De priori discursu nulla quæstio est; omnes enim illum admittunt in anima Christi secundum scientiam inditam; sicut in Angelis illum admittit S. Doct. *in 1. p. q. 58.* Sed de posteriori tantum discursu controuersia est. Hic vero duplex est, vt habetur in textu: *Vnus*, quo scientiæ fit acquisitio; qui est secundum causalitatem: sicut cum per principia peruenimus in cognitionem conclusionum. Hic enim discursus, vt ait S. D. *in allegata quæst. 58.* quendam motum nominat; omnis autem motus est de vno priori in aliud posterius. Vnde discursiua cognitio attenditur, secundum quod ex aliquo prius noto deuenitur in cognitionem alterius posterius noti, quod prius erat ignotum. *Alius* est discursus, qui consistit in vsu scientiæ; cum scilicet scientes ex causis concludunt effectus, non vt de nouo addiscant, sed volentes vti scientia, quam iam habent: Postulat autem hæc discursiua cognitio quatuor conditiones. *Prima* est, vt principia secundum sua significata dicant seu contineat causas conclusionis. *Secunda* est, vt principia prius cognoscantur in actu secundo, quam conclusiones, licet prius tam principia quam conclusiones cognoscerentur in actu primo. *Tertia* ex secunda consequens est, vt, si forte principia, & conclusiones cognoscantur per eandem speciem inditam, non vtatur intellectus in vno & eodem actu specie illa secundum totam eius potestatem in repræsentando, sed ea primo vtatur, vt repræsentat principia, deinde vt repræsentat conclusionem. *Quarta* conditio est, vt cognitio actualis conclusionis oriatur ex actuali cognitione principiorum. Quæ simul omnes conditiones inueniri nequeunt, nisi in intellectu naturę rationalis; qualis est intellectus animæ Christi. Nec placet opinio quorundam recentiorum dicentium scientiam hanc animæ Christi ideo esse discursiuam, quia multæ sunt in ea conclusiones ex principiis visione beatifica cognitionis deductæ; quod etiā affirmant de cognitione Angelorum circa multa supernaturalia, quæ noua sunt, & absque fundamento excogitata, & aliena à Doctrina D. Th. qui de tali discursu nusquam meminit. Et reiici facile potest hæc phantasia ex doctrina Cai. *1. p. q. 1. ar. 2.* vbi statuit, ac explicat conditiones scientiæ subalternantis & subalternatæ. Non enim de ratione scientiæ subalternatæ est, vt eius principia discursu syllogistico probētur per principia visa in scientia superiori; sed, vt eadem principia, quæ per se non sunt euidentia in scientia inferiori, sint euidentia in scientia superiori; vt ibi late declarauimus cum Cai.

Secundo sciendum est tria esse habituū intellectualium genera: Quidā enim ex natura sua sunt discursiui: vt illi omnes, qui ex sensibilibus sunt acquisiti; vt probat S. D. *in 3. dist. 14. q. 1. art. 3. quæstiun. 3.* Quidam ex natura sua sibi vendicant, vt non sint discursiui; vt habitus ad naturalem cognitionem Angelorum pertinentes, & habitus primorum principiorum in intellectu nostro; hic enim perficit intellectum secūdum gradum eius supremum, quo conuenit cum intellectu Angelorum, in quo nullus potest esse discursus. Quidam demum sunt habitus ex se minime discursiui; qui tamen in tali subiecto positi s. in anima rationali possunt actum intellectionis efficere discursiuū. Quidam tales in anima recipiuntur, non tantum secundum gradum illius supremum, quo conuenit cum Angelis, sed etiam secundum proprium illius gradum & differentiam, qua differt ab Angelis, & eis inferior est; ita vt tales habitus à Deo supernaturaliter agente dati sint ad animam intellectiuam, non solum quatenus intellectiua est, sed etiam quatenus rationalis est, perficiendam. Cuius ratio est: quia nulla in Christo est scientia supernaturalis extra visionem beatificam præter infusam; igitur omnes discursus Christi Domini circa supernaturalia effectus sunt huius scientiæ, tanquam perficientis intellectum animæ Christi secundum gradum etiam rationalem; non autem sunt actus scientiæ acquisitæ, cuius lumen species & obiecta sunt ordinis naturalis. *Sed dicunt oppositæ* sententiæ defensores, ac præsertim Vasquez Christum voce ipsa protulisse discursum, vt se accommodaret audientibus, non tamen in mente & conceptu suo vsum fuisse discursu: sicut si Deus in forma humana nobis appareret, ita loqui posset & tamen nullo modo discurreret. *Sed hanc responsionem* merito reiicit Aluarez; quia locutiones Christi Domini non fuerunt phantasticæ aut metaphoricæ, sicut locutiones Angelorum, & sicut esset locutio Dei, si sensibiliter loqueretur, sed fuerunt veræ & propriæ locutiones humanæ, & veri actus vitales; ac proinde etiam fuerunt internæ locutionis & discursus signa. Et quia discursus in se claudit compositionem, consequens est vt anima Christi vti potuerit, & sæpius etiā vsa fuerit indita scientia cōponendo & diuidendo, non solū in discursu, sed etiam ante vel extra discursum.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Hæc scientia quo ad vsum non necessario fuit discursiua*; Probatur: quia erat altior scientia Angelorum, neq; habet dependentiam à phantasmatibus.

SECVNDA CONCL. *Hæc scientia quo ad vsum potuit esse, & aliquando fuit actu discursiua, & collatiua*: Hæc est S. D. in textu, & patet ex dictis.

Argumenta, & solutiones.

CONTRA *primam concl.* est argumentum, quod proponit & soluit Suarez *disp. 28. sect. 2. §. sed obiici potest.*

Obi. cont. 2. concl.

CONTRA *secundam conclus.* argumentatur Suarez: quia proprius & connaturalis modus cognoscendi

scendi per hanc scientiam est per simplicem intuitum seu cognitionem: sed huiusmodi modus operandi natura sua opponitur discursui seu cõpositioni; ergo ex natura rei nunquam hæc scientia operatur alio modo; sicut fieri non potest, vt per habitum principiorum cognoscantur principia per discursum; quia ille habitus intuetur veritatem principiorum simpliciter, prout in se est. *Et confirmatur* quia quamuis possit anima Christi vti aliqua specie per se infusa in adæquate, & postea paulatim perficere illum actum, non tamen propterea erit ille discursus, sed solũ cognitio vnius rei post aliam; sicut contingit etiam in Angelo; ergo, &c *Resp.* scientiam hanc, licet ex sui natura non habeat vt sit discursiua, ex tali tamen subiecto, scilicet anima rationali, habere vt valeat esse discursiua; vt etiam supra diximus de conuersione ad phantasmata. *Sed hanc respons.* arguit Suarez. Nam (inquit) non est simile; quia conuersio ad phantasmata non dicit aliquid intrinsecum ipsi scientiæ, quæ est in intellectu, sed tantum dicit concomitantiam quandam inferioris potentiæ ex motione superioris; quæ motio fieri potest per scientiam superiorem & perfectã; at vero discursus dicit intrinsecam imperfectionem & limitationem in actibus, per quos fit discursus; fieri autem non potest, vt scientia, quæ ex natura sua habet efficere actus perfectos & superioris ordinis, trahatur ad efficiendos actus ordinis inferioris. *Respon. primo* falsum esse conuersionem ad phantasmata non dicere aliquid intrinsecum scientiæ; nam, vt ait S. D. 1. p. q. 84. art. 7. *de ratione naturæ sensibilu est, vt in aliquo individuo existat, quod non est absque materia corporali; sicut de ratione naturæ lapidis est, quod sit in hoc lapide, & de ratione naturæ equi est, quod sit in hoc equo, & sic de aliis. Vnde* (inquit) *natura lapidis, vel cuiuscunque materialis rei cognosci non potest cõplete, & vere. nisi secundum quod cognoscitur vt in particulari existens; particulare autem apprehendimus per sensum, & imaginationem; & ideo necesse est ad hoc, vt intellectus intelligat obiectum proprium, quod conuertat se ad phantasmata; vt speculetur naturam vniuersalem, vt in particulari existentem.* Hæc ibi: quæ verba exponẽs Caiet. ait, quod esse in particulari radicaliter est simpliciter de ratione naturæ sensibilis; esse autem in particulari formaliter est de ratione eiusdem naturæ vt modus. Ex quibus patet conuersionem ad phantasmata esse quid intrinsecum scientiæ tanquam pertinens ad eius complementum. *Secundo dico* discursum acquisitiuum scientiæ, & etiam causalem ex natura scientię ad talem modum intelligendi determinatæ dicere imperfectionem; non autem discursum vsualem ex eminentia scientiæ infusæ in subiecto rationali receptæ, & ex libera ipsius subiecti voluntate proueniente; sicut etiam de conuersione ad phantasmata supra dictum est.

Conf. *Solut.* *Replica.* *Solut.*

Contra eandem conclus sunt argumenta Vasq. quę proponit & soluit Aluarez *disput.* 64. Alia argumenta ex prænotatis facile diluentur.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hæc scientia in Christo fuerit maior scientia Angelorum.

Sup. q. 10. *a.* 4. *& inf.* 2. 6. 1 *&* q. 34. *a* 4. *co. &* q. 59. *ar.* 6. *c.* — AD *quartum sic proceditur. Videtur, quod huiusmodi scientia in Christo fuerit minor, quam in Angelis. Perfectio enim proportionatur perfectibili. Sed anima humana secundum ordinem naturæ est infra naturam Angelicam. Cum igitur scientia, de qua nunc loquimur, sit indita animæ Christi ad perfectionem ipsius, videtur, quod huiusmodi scientia fuerit infra scientiam, qua perficitur natura angelica.* *& 3. d. 14. a. 1. q. 2 1.*

Præterea: Scientia animæ Christi fuit aliquo modo collatiua, & discursiua: quod non potest dici de scientia angelica. Ergo scientia animæ Christi fuit inferior scientia Angelorum. *& a. 2. q 2. cor. & ar. 3. q. 2. cor. & veri. q. 20. 2. 3. cor. & a. 4. c. & 6. co. & opusc. 3. c. 113.*

Præterea: Quanto aliqua scientia est magis immaterialis, tanto est potior. Sed scientia Angelorum est immaterialior, quam scientia animæ Christi: quia anima Christi est actus corporis, & habet conuersionem ad phantasmata: quod de Angelis dici non potest. Ergo scientia Angelorum est potior, quam scientia Christi.

Sed contra est, quod Apost. dicit Hebr. 2. Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Iesum propter passionem, mortis, gloria, & honore coronatum. Ex quo apparet, quod propter solam passionem mortis dicatur Christus ab Angelis minoratus: non ergo propter scientiam.

Respondeo dicendum, quod scięntia indita animæ Christi, potest dupliciter considerari. Vno modo secundum illud, quod habuit à causa influente: Alio modo secundum id, quod habuit ex subiecto recipiente. Quantum igitur ad primum, scientia indita animæ Christi, fuit multo excellentior, quam Angelorum scientia, & quantum ad multitudinem cognitorum, & quantum ad scientiæ certitudinem: quia lumen spiritualis gratiæ, quod est inditum animæ Christi, est multo excellentius, quam lumen, quod pertinet ad naturam Angelicam. Quantum autem ad secundum scientia indita animæ Christi, est infra scientiam Angelicam. scilicet quantum ad modum cognoscendi, qui est naturalis animæ humanæ: qui scilicet est per conuersionem ad phantasmata, & per collationem, & discursum. Et per hoc patet responsio ad obiecta.

Sensus quæsiti.

DICTIO illa *maior* de maioritate simpliciter videtur intelligenda. De hac enim præcipue videtur esse comparatio, & de hac loquitur prima conclusio; licet secundario ad maioritatem secundum quid videatur extendi; de quo loquitur secunda conclusio.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quæsito duabus conclusionibus.

Distinctio est: Scientia indita animæ Christi potest dupliciter considerari: Vno modo secundum illud, quod habuit à causa influente: Alio modo secundum id, quod habuit ex subiecto recipiẽte.

PRIMA CONCL. *est: Scientia indita animæ Christi secundum illud. quod habuit à causa influente, fuit multo excellentior, quam Angelorum scientia, & quantum ad multitudinem cognitorum, & quantum ad scientiæ certitudinem.* Probatur: quia lumen spiritualis gratiæ, quod est inditum animæ Christi, est multo excellentius, quam lumen, quod pertinet ad naturam Angelicam.

SECVNDA CONCL. *Scientia indita animæ Christi secundum id, quod habuit ex subiecto recipiente est infra scięntiam Angelicam.* Probatur: Quia modus cognoscendi, qui est naturalis animæ humanæ, qui scilicet est per conuersionem ad phantasmata, & per collationem & discursum, est inferior modo Angelicæ cognitionis.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt ea, quæ circa distinctionem & conclusiones notat Caiet. & ea quæ scribit idem expositor, & post eum Med. & latius Vasq. *disp. 52. cap. 4.* contra Scotum de cognitione animæ Christi intuitiua rerum in proprio genere.

Contro-

Controuersia Vnica.

De veritate conclusionum D. Thom. An scilicet scientia animæ Christi secundum id, quod habuit ex parte Dei influentis, fuerit excellentior, quam scientia Angelorum; secundum id autem, quod habuit ex subiecto recipiente, sit infra scientiam Angelicam.

Sententia Doctorum.

TRES SVNT de proposita dubitatione sententiæ. *Prima* est Suar. *disp.* 28. *sect.* 1. & Vasq. *in allegata disp.* 52. Hi docent scientiam inditam animæ Christi esse maiorem seu perfectiorem Angelica, non solum quo ad multitudinem cognitorum & scientiæ certitudinem, sed etiam omnibus modis; quoniam (inquiunt) non est discursiua; Conuersio vero, quam admittit ad phantasmata, nullam in ea ponit imperfectionem, aut dependentiam ab illis, sed magis dicit perfectionem & efficaciam qua possit mouere phantasiam.

Secunda sententia in alio extremo posita est Scoti *in* 3. *dist.* 14. *q.* 4. vbi videtur asserere scientiam inditam animæ Christi simpliciter esse minus perfectam scientia Angelorum, præsertim vero, quatenus est intuitiua; vt hic etiam de mente Scoti dicit Cai. & post eum alij recentiores.

Tertia sententia est S. D. in textu; quam tuentur omnes eius discipuli; quæ consistit in duabus cõclusionibus supra positis.

Resolutio. Scientiam inditam animæ Christi, tam vt est abstractiua, quã vt est intuitiua, perfectiorem esse omni scientia Angelorum naturali & supernaturali, & illius actus esse huius actibus essentialiter perfectiores; modum autem intelligendi per conuersionem ad phantasmata, & per discursum esse modo huius imperfectiorẽ.

Sciendum est primo in Angelis præter visionem beatificam esse duplicem scientiam illis infusam à Deo; alteram naturalem; de qua S. D. agit *in* 1. *p.* à *q.* 55. *vsque ad q.* 59. *inclusiue*; alteram supernaturalem; de qua *in eodem libro, q.* 106. differit idem S. D. At scientia indita animæ Christi supernaturalis est, & vna tantum, licet aliam etiam habeat acquisitam. Quanta vero sit huius inditæ scientiæ nobilitas, perspicue patet ex iis, quæ de hac scientia supra docuit S. Thom. *art.* 1. vbi ait Christum per hanc scientiam illa omnia cognouisse, quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ, siue ad quocunque donũ Spiritus sancti quibus adde notitiam futurorum contingentium, & cogitationum. Ex quo sequitur, vt sit etiam perfectior, quam scientia supernaturalis Angelorum, quæ non includit perfectionem notitiæ, quæ est per dona Spiritus sancti neque extenditur ad futura contingentia, aut cogitationes cordium.

Secundo considerandum est animam Christi per scientiam inditam duplicem de rebus habere cognitionem; alteram intuitiuam; quæ est de solis rebus existentibus & præsentibus ipsi secundum mensuram actus cognoscendi; alteram abstractiuam; quæ est de rebus omnibus absolute consideratis abstrahendo à præsentia, & existentia in actu exercito: & vtraque cognitio perfectior est Angelica cognitione: quia res attingit sub altiori ac nobiliori lumine & ratione formali, & certius ac clarius, quam intelligantur ab Angelis.

Tertio notandum est oportere actum & modum intelligendi proportionari non solum specificæ luminis perfectioni, sed etiam subiecto, in quo recipitur: vt patet de lumine prophetico & de lumine fidei, quod est perfectius lumine Angelorum naturali, & tamen ex eo elicitur actus intelligendi proportionatus virtuti, speciebus & modo intellectus humani, quibus perfectiores sunt species, virtus ac modus intellectus angelici; lumen etiam gratiæ siue gratuitum eiusdem est speciei in omnibus Angelis & hominibus; vt ait S. D. *de Ver. Naz. in D. Thom.* 3. *partem.* *q.* 9. *art.* 1. *ad* 17. & tamen in Angelo superiori principium est actus intelligendi nobilioris; quoniam ex parte subiecti species habet magis vniuersales. Vnde inferiorem illuminat formando cõceptus speciebus illis inadæquatos, & minus vniuersales, vt explicat S. D. *in* 1. *p. q.* 106. *art.* 1. vbi multa diximus circa modum Angelicæ illuminationis; cuius dicti rationem supra assignauimus dicentes scientiam infusam animæ Christi, & eadem ratione cæteros habitus & lumina supernaturalia perficere intellectum non solum secundum gradum eius supremum illi communem cum Deo & Angelis, sed etiam secundum proprium & specificum gradum, quo ab eis distinguitur, & in proprio esse constituitur; De lumine tamen gloriæ alia ratio est: hoc enim perficit intellectum secundum gradum eius supremum, & eum eleuat ad intelligendum nobilissimo modo diuinæ intellectioni simillimo; iuxta illud 1. *Ioan.* 3. *Cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Vide etiam Caietanum art. sequenti.

Quarto recolendum est id quod supra diximus de scientia animæ Christi, videlicet animam Christi vti posse prædicta scientia pro sua voluntate cum conuersione ad phantasmata, & cum discursu, & absque conuersione & discursu ita vt prior vsus s. cum conuersione & discursu sit ex natura subiecti; posterior autem s. sine conuersione & discursu sit ex natura & perfectione scientiæ secundum se consideratæ. Nec tamen scientia hæc ex conditione subiecti aliquam intrinsece contrahit imperfectionem, quæ non insit Angelicæ scientiæ; Cum enim hæc scientia sit altioris ordinis, quam Angelica, perfectior ea est secundum essentiam; ac proinde etiam actus suos omnes habet essentialiter perfectiores illis, qui per scientiam eliciũtur Angelorum. Et licet actus, qui per hanc scientiam eliciuntur per cõuersionem ad phantasmata & cum discursu, modum habeãt imperfectiorem eo, quem habent actus eliciti ex Angelica scientia; hic tamen modus omnino accidentalis est scientiæ Christi, & nullam in ea ponit imperfectionem, sed magis ex illius excellenti perfectione procedit; Ex hac enim habet anima Christi, vt pro sua voluntate possit mouere cogitatiuam, & vti phantasmatibus ad intelligendum rem, vt singulariter existentem; sicut ex eadem excellentia potest intelligere componendo & discurrendo; & sic ea scientia vti iuxta modum suæ naturæ rationalis. Quemadmodum enim Deus operando in rebus necessariis & in contingentibus ac liberis intime & suauiter iuxta modum vniuscuiusque naturæ nullam contrahit imperfectionem, sed infinitæ suæ virtutis exercet & explicat excellentiam; ita scientia indita animę Christi, cum actus elicit iuxta modum naturæ rationalis, suam exercet & explicat perfectionem.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Scientia hæc indita animæ Christi secundum se, tam vt abstractiua, quam vt intuitiua, perfectior est omni scientia Angelorum naturali & supernaturali.* Hæc patet ex primo & secundo notabili.

SECVNDA CONCL. *Actus omnes per hanc scientiã eliciti perfectiores sunt essentialiter actibus per Angelorum scientiam elicitis.* Hæc patet ex duobus vltimis fundamentis.

VLTIMA CONCL. *Hæc scientia quo ad modum actuum, quos elicit per conuersionem ad phantasmata & per discursum, est inferior scientia Angelorum.*

Argumenta, & solutiones.

CONTRA *primam* concluſ. quo ad secundam eius partem est argumentum Scoti confutatum à Caiet. Med. & aliis recentioribus. Contra eandem conclusionem est hoc argumentum; Scien-

tia hæc habuit ſpecies in minori vniuerſalitate, A quam Angeli, ita vt anima Chriſti diuerſas naturas ſpecificas per diuerſas ſpecies cognoſat; vt ait S.D.infra *art.* 6. igitur hæc ſcientia omnibus modis eſt imperfectior ſcientia Angelorum *Et confirmatur*; quia ſpecies huius ſcientiæ ſe tenet ex parte Dei influentis, quod ex eo patet, quia priores natura ſunt omni actione animæ Chriſti; qua ratione etiam lumen huius ſcientiæ ſe tenet ex parte Dei influentis. *Reſpon.* nullam eſſe conſeq. quia ſcientia hæc excedit Angelicam in multitudine, ac certitudine & claritate rerum cognitarum. *Ad confirmat.* reſpondetur ſpecies huius ſcientię ſe tenere ex parte Dei influẽtis quantum ad virtutem repræſentandi, non autem, quantum ad limitationem & particularitatem, quam habent ex natura ſubiecti ante omnem actionem ex eis elicitam: Neceſt eadem ratio de lumine: quoniã hoc ex natura ſua excedit modum intelligendi animę connaturalem, & non accommodatur in rerum manifeſtatione modo proprio lumini naturali.

Conf. *Soluit.* *Ad conf.*

Obi. cont. vlt. concl. CONTRA *vltimam concluſ.* ſunt hæc argumenta. *Primum* eſt: Modus cognoſcendi per conuerſionem ad phantaſmata & per diſcurſum erat ſupernaturalis; ergo etiam ex hac parte erat hæc ſciẽtia perfectior cognitione naturali Angelorum; Probatur antecedẽs: quia modus huius ſcientię proportionatur illi; cum ergo ſcientia ſit ſupernaturalis, eius etiam modus erit ſupernaturalis. *Reſpon.* modum illum eſſentialiter & entitatiue eſſe ſupernaturalem, & ideo eſſentialiter eſſe nobiliorem modo ſcientiæ ſeu cognitionis Angelorum naturalis; idem tamen huius ſcientiæ modus in ratione modi, vt ſic imperfectior eſt modo cognitionis Angelorum: ſicut etiam ſupernaturalis inhærentia gratiæ perfectior eſt eſſentialiter & entitatiue, quam ſubſtantia; ſed in ratione modi imperfectior eſt, quam ſubſtantia & eius modus: Hæc tamen imperfectio ſcientiæ ratione modi non eſt priuatiua, nec eſt ſcientiæ aut eius actibus intrinſeca; ſed eſt negatiua & quaſi per extrinſecã denominationem.

Obi. *Secundum* eſt: ex hac concluſ. & ex ſecunda S. D. in textu, quæ eadem eſt cũ iſta, ſequitur quod idem lumen huius ſcientiæ receptum in intellectu naturæ perfectioris eliceret cognitionẽ perfectiorem, quam in anima Chriſti: At conſequẽs eſt abſurdum, vt oſtendimus 1.p.q.12. *art.* 6. ergo Conſeq. probatur: quia ſi lumen huius ſcientiæ ſupernaturale actum elicit imperfectiorem, quia eſt in imperfectiori ſubiecto, ſcilicet in anima humana, igitur ſi ponatur in Angelo ſupremo, eliciet actum longe perfectiorem. *Reſpon.* dupliciter intelligi poſſe cognitionem illam eſſe perfectiorem: Vno modo, vt ſit perfectior, quam exigat perfectio & virtus luminis ſupernaturalis huius ſcientiæ; & in hoc ſenſu falſa eſt conſequentia. Alio modo vt ſit perfectior cognitio, quam ſit ea, quæ per idem lumen elicitur in ſubiecto inferiori ex libera voluntate ipſius ſubiecti imperfectioris; & in hoc ſenſu admittitur conſequentia & ipſum conſequens.

Soluit.

Præterea: Cum habitus ordinetur ad actum, fruſtra videtur eſſe habitualis ſcientia, quæ nunquam in actum reducitur. Cum autem Chriſtus ſciuerit omnia (ſicut iam dictum eſt) nõ potuiſſet actu omnia illa conſiderare, vnum poſt aliud cogitando: quia infinita non eſt enumerando pertranſire. Fruſtra igitur fuiſſet in eo quorundam ſcientia habitualis: quod eſt inconueniẽs. Habuit ergo actualem ſcientiam omnium, quæ ſciuit, & non habitualem. q.10.a.2.

Præterea: Scientia habitualis eſt quædã perfectio ſcientis. Perfectio autem eſt nobilior perfectibili. Si igitur in anima Chriſti fuiſſet aliquis habitus ſcientiæ creatus, ſequeretur, quod aliquid creatum eſſet nobilius, quam animæ Chriſti. Non igitur in anima Chriſti fuit ſcientia habitualis.

Sed contra eſt: Scientia Chriſti, de qua nunc loquimur, B *vniuoca fuit ſcientiæ noſtræ, ſicut, & anima eius fuit vnius ſpeciei cum anima noſtra. Sed ſcientia noſtra eſt in genere habitus: Ergo & ſcientia Chriſti fuit habitualis.*

Reſpondeo dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, modus huius ſcientiæ inditæ animæ Chriſti fuit conueniens ipſi ſubiecto recipienti: nam receptum eſt in recipiente per modum recipientis. Eſt autem hic modus connaturalis animæ humanæ, vt quandoque ſit intelligens actu, quandoque in potentia. Medium autem inter puram potentiam, & actum completum eſt habitus. Eiuſdem autem generis eſt medium, & extrema: & ſic patet, quod modus connaturalis animæ humanæ eſt, vt recipiat ſcientiam per modũ habitus. Et ideo dicendum eſt, quod ſcientia indita animæ Chriſti fuit habitualis, & poterat ea vti, quando volebat. Art. præc.

Ad primum ergo dicendum, quod in anima Chriſti fuit duplex cognitio, & vtraque ſuo modo perfectiſſima. Vna C *quidem excedens modum naturæ humanæ: quæ ſcilicet vidit Dei eſſentiam, & alia in ipſa, & hæc fuit perfectiſſima ſimpliciter: & talis cognitio non fuit habitualis, ſed actualis reſpectu omnium, quæ hoc modo cognouit. Alia autem cognitio fuit in Chriſto ſecundum modum proportionatum humanæ naturæ: prout ſcilicet cognouit reſpectu ſpecies ſibi diuinitus inditas, de qua cognitione nunc loquimur. Et hæc cognitio nõ fuit ſimpliciter perfectiſſima in genere humanæ cognitionis: vnde non oportuit, quod eſſet ſemper in actu.*

Ad ſecundum dicendum, quod habitus reducitur in actum ad imperium voluntatis: nam habitus eſt, quo quis agit, cum voluerit. Voluntas autem indeterminate ſe habet ad infinita. Nec tamen hoc eſt fruſtra, licet non in omnia actualiter tendat, dummodo tendat actualiter in id, quod conuenit loco, & tempori. Et ideo etiam habitus non eſt D *fruſtra, licet non omnia reducantur in actum, quæ habitui ſubiacent, dummodo reducatur in actum id, quod congruit ad debitum finem voluntatis, ſecundum exigentiam negotiorum, & temporis.*

Ad tertium dicendum, quod bonum ſicut, & ens, dupliciter dicitur. Vno modo ſimpliciter: & ſic bonum, & ens dicitur ſubſtantia, quæ in ſuo eſſe, & ſua bonitate ſubſiſtit. alio modo dicitur ens, & bonum ſecundum quid: & hoc modo dicitur ens, & bonum accidens: non quia ipſum habeat eſſe, & bonitatem, ſed quia eius ſubiectum eſt ens, & bonum. Sic igitur ſcientia habitualis non eſt ſimpliciter melior, aut dignior, quam anima Chriſti, ſed ſecundum quid: cum tota bonitas habitualis ſcientiæ cedat in bonitatem ſubiecti.

Senſus quæſiti.

E TITVLVM explicat Suarez *in commentario.*

Forma Textus.

CONCLVS. *eſt: Scientia indita animæ Chriſti fuit habitualis.* Probatur; Quia modus huius ſcientiæ inditæ animæ Chriſti fuit conueniens ſubiecto recipienti; ergo. Antecedẽs probatur: quia receptum eſt in recipiente per modum recipientis; Conſequentia vero probatur: Quia modus connaturalis animæ humanæ eſt, vt quandoq; ſit intelligens actu, & quandoque in potentia; ergo modus

ARTICVLVS V.

Vtrum hæc ſcientia fuerit habitualis.

3.d.14.a.1. q.2.& 3.& veri q.20. a.2 q.9.a.1 AD *quintum ſic proceditur. Videtur, quod in Chriſto non fuerit habitualis ſcientia. Dictum eſt enim, quod animam Chriſti decuit maxima perfectio ſcientiæ exiſtentis in actu, quam exiſtentis in potentia, vel habitu. Ergo conueniens fuiſſe videtur, quod omnia ſciret in actu. Non ergo habuit habitualem ſcientiam.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

modus huic scientiæ connaturalis est, vt quandoque sit in habitu. Probatur hæc illatio: quia medium inter puram potentiam & actum completum est habitus, & medium est eiusdem generis cum extremis: ergo si modus connaturalis animæ humanæ est, vt quandoque sit intelligens actu, & quandoq; in potentia, sequitur, vt modus huius scientiæ, qui est conformis modo subiecti recipientis, sit vt quandoque sit in habitu.

Expositio Textus.

VIM consequentiæ vltimi enthymematis assumentis medium esse eiusdem generis cum extremis explicat optime Cai.

Videnda sunt, quæ pro declaratione litteræ scribunt Cai. Med. & Suar. *in Comm.*

Circa respons. ad 2. quærunt Suar. *disp.* 28. *sect.* 1. & Vasq. *disp.* 53. *c.* 2. *Vtrum anima Christi fuerit, aut esse potuerit semper in actu secundo huius scientiæ?* Sed huic quæsito satisfecimus supra *art.* 1. *in* 2. *quæstiunc. seu parte Controuersiæ ad illum articulum.* Vasq. *loco notato* confutat optime sententiam Scoti.

Hic tamen nonnulla ad ampliorem huius articuli declarationem, & eorum, quæ breuiter supra diximus intelligentiam annotabimus.

Vniuocatio scientiæ Christi, & nostræ.

Obseruandum est igitur primo dictum illud Sanctissimi Doctoris in argumento, *sed contra* videlicet *scientia Christi, de qua nunc loquimur, vniuoca fuit scientiæ nostræ: sicut anima eius fuit vnius speciei cum anima nostra* non esse intelligendum de vniuocatione tantum in genere habitus, vt exponit Medina. Primo: quia S. D. eam constituit vniuocationem inter hanc scientiam & nostram, quæ est inter animam Christi & nostram: hæc autem est vniuocatio secundum atomam speciem: ergo, secundo: quia ex sola vniuocatione generica scientiæ Christi cum nostra non potest inferri eam esse habitualem: quia visio beatifica & cognitio prophetica vniuocationem habent in genere cognitionis cum scientia nostræ Theologiæ & cum scientia indita animæ Christi: & tamen duæ illæ priores cognitiones non sunt habituales, sed actuales: Tertio: quia scientia nostra & scientia Angelorũ sub vno genere cognitionis vniuoco cõtinentur: & tamen non licet inferre scientiam nostram esse sine discursu, & absque conuersione ad phantasmata, sicut est Angelorum cognitio: ergo nec in proposito, &c. Est igitur exponendum dictum illud de vniuocatione quo ad modum. Nam, vt supra diximus cum D. Th. scientia hæc recipitur in anima Christi secundum modum naturæ ipsius animæ, cui cum sit rationalis, connaturale est intelligere per conuersionem ad phantasmata, & cum cõpositione & discursu: & ideo potuit Christus ea vti modo eiusdem atomæ speciei cum modo scientiæ nostræ, scilicet per conuersionem ad phantasmata, & componendo ac discurrendo: fuit igitur hæc scientia Christi dupliciter vniuoca scientiæ nostræ: primo quidem in ratione generica cognitionis: secundo in ratione modi: qui duplex est scil. receptionis in anima secundum modum ipsius & vsus iam dicti.

Christum per hanc scientiam non omnia semper actu simul considerasse.

Secundo notandum est S. Thomam in responsione ad primum argumentum constituere differentiã inter hanc scientiam & beatam: quod beata excedit modum naturæ humanæ & fuit perfectissima simpliciter & semper in actu respectu omniũ, quæ in essentia Dei videbat: hæc autem scientia non fuit simpliciter perfectissima, sed fuit tãtum perfectissima in genere humanæ cognitionis, & fuit in Christo secundum modum proportionatum humanæ naturæ: & ideo non oportuit vt esset semper in actu. Vbi S. D. loquitur de proportione non essentiali sed modali: Quamuis enim hæc scientia sit ordinis supernaturalis, infusa tamen fuit animæ Christi secundũ modum illi proportionatum & connaturalem: quia sc. eius species singulas tantum naturas rerum cum indiuiduis, & eorum accidentibus repræsentabant, & illis vti poterat per conuersionem ad phantasmata: atque adeo componendo, diuidendo & discurrendo, & ita vt non semper esset in actu secundo quo ad singulas species, sed pro libito voluntatis quo ad aliquam vel aliquas tantum, quo ad reliquas autem in habitu seu in potẽtia ad actum secundum. Cognitio enim habitualis ad actum reducitur per voluntatem: quæ non necessario fertur, nisi in obiectum infinitę bonitatis clare visum: quod est ipsa bonitas per essentiam: quæ est essentia Dei, & consequenter etiam in ea, quæ in essentia Dei sic visa, vt in obiecto primario repræsentantur. Vnde beatorum voluntas non solum necessario vult intellectum semper actu intendere visioni essentiæ Dei, in qua posita est summa fælicitas, sed etiam necessario vult intellectum in ipsa essentia contemplari creaturas, quas in ea Deus illi per lumen gloriæ manifestat. Non potest autem essentia Dei, nisi per ipsam essentiam, vt speciem per se ipsam actuantem intellectum, videri, & ideo licet anima Christi per species inditæ scientiæ Deum cognosceret, non tamen ipsum per illas species clare videbat, & multo minus creaturas in ipso: ac proinde non semper actu cognoscebat omnia per species illius scientiæ repræsentata, sed quandoque vnum & quandoque aliud. Cum igitur ait S. D. cognitionem huius scientiæ fuisse secundum modum proportionatum humanæ naturæ, de proportione loquitur non essentiali: quia scientia hæc supernaturalis est essentialiter: sed loquitur de proportione secundũ modum humanæ naturæ proprium: qui est intelligere quandoque in habitu, & quandoque in actu secundo: quam proportionem non habet scientia beatæ visionis: quia fit per ipsam Dei essentiam clare seipsam, vt summum bonum repręsentantem, & eleuantẽ intellectum creatum ad maximam diuini intellectus similitudinem, ipsumq; perficientem secundum supremum eius gradum & nobilissimam potentiam obedientialem: secũdum quam trahi potest ad consortium diuinæ beatitudinis: quæ semper in actu est: & propter hoc ait S. D. sciẽtiam beatæ visionis excedere modum humanæ naturæ.

Modus huius scientiæ.

Tertio recolendum est, quod supra diximus, nimirum scientiam hanc esse quidem subalternatam scientiæ beatæ visionis, & illi coniunctam in eodem subiecto: ex quo sequitur, vt anima Christi Domini semper actu videat in essentia Dei ea, quę in scientia nostræ Theologiæ principia sunt: ex quibus anima Christi potest veluti principijs vti discurrendo: Nec tamen sequitur animam Christi semper actu vti principijs omnibus, & ex eis omnes deducere conclusiones: quia modus hic intelligendi non est humanæ naturæ proportionatus: sicut ob eandem causam non sequitur animã Christi vtentem hac scientia sine discursu vniuersa considerare, quorum principia videt in essentia Dei. Nam, vt dictum est, hic modus non est animæ rationali proportionatus: quę distincte singulas rerum naturas per singulas species intelligit: nec scientia hæc, cum exit in actum sine discursu, cõclusiones deducit ex principiis, sed modum habet Angelicæ cognitionis. Et sicut Angelus, aut quęlibet anima beata, licet in Verbo videat non solũ principia suæ Theologiæ, sed etiã omnes conclusiones, non ideo tamen per scientiã

Theologicam extra Verbum omnia simul actu A contemplatur: quoniam hic intelligendi modus nõ solum animæ rationalis, sed etiam Angeli naturam excedit: ita nec anima Christi debuit vniuersa per hanc scientiam simul actu cognoscere, licet ea simul actu videret in Verbo. Sunt enim hæ cognitiones diuersarum rationum & ordinũ, & per diuersas species: & ideo quamuis sint subordinatæ, vna non necessario infert aliam: sicut contingit in cognitione præmissarum & conclusionum: quæ sunt eiusdem ordinis & per easdem species: in quibus tamen vna semper sola conclusio, non autem plures simul actu deducuntur ex præmissis.

Perfectio huius scientiæ.

Quarto sciendum est scientiam hanc animæ fuisse simpliciter perfectiorem quacunq; scientia ci- B tra beatam animæ separatæ, aut Angelo, vel etiam B. Virgini collata: vt patet ex dictis supra *art.* 1.

Ex quo sequitur primo scientiam hanc fuisse semper in actu respectu alicuius obiecti. Angelus enim semper est in actuali cognitione alicuius rei extra Verbum: vt probat S. D. *in 2. cont. gent. cap.* 97. & Ban. 1. *p. q.* 88 *a.* 2. *in resp. ad* 3. *argum. Dur.* Quem cognitionis modum probat *in allegato cap.* S. D. animæ separatæ conuenire. Sed probatur etiam ratione Christum per hanc scientiam semper aliquid actu cognouisse. Quoniam, vt S.D. *hic ad* 2. ait, scientia habitualis in Christo tendebat actualiter in id, quod congruebat ad debitum finem voluntatis secundum exigentiam negotio- C rum & temporis: sed in qualibet parte temporis occurrebant actus hominum præmio vel pœna digni, quos cum eorum obiectis & circunstantijs debuit Christus tanquam ad se pertinentes actu considerare: ergo.

Semper actu respectu Dei.

Secundo sequitur Christum per hanc scientiam Deum semper in actu secundo cognouisse: Nam de Beatissima Virgine multi Doctores affirmant eam etiam inter dormiendum aliquam Dei cognitionem actualem habuisse, ita vt de illa vere dici posset illud *Cant.* 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*, vt etiam in huius loci expositione docent Rupertus & Carthus. & ante eos Ambr. *lib.* 2. *de Virgin.* & Albertus M. *in lib. de B. Virgine, c.* 177. & 178. & S. Anton. *in quarta parte, tit.* 15. *cap.* 20. §. 6. & Canisius *in lib. de B. Virgine*, & alii plures. Con- D tinuam etiam Dei cognitionem actualem Angelos habuisse constat ex ijs, quæ diximus *in* 1. *p. q.* 56. *controu.* 1 & 2. ergo multo magis hæc, & altior de Deo cognitio continua est animæ Christi secundum hanc scientiam tribuenda.

Christus per hanc scientiam quandoque omnia simul cognouit.

Tertio sequitur probabilem esse eorum opinionem, qui dicunt Christũ aliquando vno vel pluribus actibus omnia simul actu cognouisse, quæ sub obiecto scientiæ huius inditæ continentur. Probatur primo: quia hoc consonat maximæ excellentiæ luminis huius scientiæ. Si namque potest Angelus naturaliter per plures species plura simul actu cognoscere, saltem imperfecte, multo magis anima Christi per scientiam hanc supernaturalem excellentissimam poterit, quando vo- E luerit, omnia simul actu cognoscere. Secundo probatur. Quoniam ad statum & dignitatẽ Christi pertinebat, vt in primo suæ conceptionis instanti vniuersa cognosceret per species huius scientiæ repræsentata: vt tota sua virtute Deo gratias ageret. Deum igitur vt suum benefactorem, & tot excellentium donorum largitorem, creaturas autem vt sibi traditas à patre, & suæ dominationi subiectas cognoscere debuit anima Christi: non confuse tantum & in vniuersali, sed distincte & in particulari: cognitio enim in vniuersali imperfecta est, vt ait S.D. 1. *p. q.* 14. *a.* 6. & 9. & *q.* 55. *a.* 3. *ad* 2. & *secundo cont. gent. cap.* 98. & *alibi*. Denique probatur: Christus inquantum homo, & per scientiam inditam iudex est viuorum & mortuorũ: iudicium autem vniuersale fiet in instanti: igitur in vno instanti Christus secundum scientiam inditam vniuersa distincte cognoscet, de quibus est iudicaturus.

ARTICVLVS VI.

Vtrum hæc scientia fuerit distincta per diuersos habitus.

AD *sextum sic proceditur. Videtur, quod in anima Christi non fuerit, nisi vnus habitus scientiæ. Quanto enim scientia est perfectior tanto est magis vnita: vnde,* 3. *d.* 14. *ar.* 3. *q.* 3. *& Angeli superiores per formas magis vniuersales cognoscunt, vt in prima parte dictum est. Sed scientia Christi* q. 55. *ar.* 3. *fuit perfectissima: ergo fuit maxime vna. Non ergo fuit distincta per plures habitus.*

Præterea: Fides nostra deriuatur à scientia Christi: vnde dicitur Hebræorum duodecimo aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum. Sed vnus est habitus fidei de omnibus credibilibus: vt in Secunda parte dictum est. Ergo multo magis in Christo non fuit nisi vnus habitus scientiæ.

Præterea: Scientiæ distinguuntur secundum diuersas 2. 3. *q.* 4. *a.* 6 *rationes scibilium. Sed anima Christi omnia sciuit secundum vnam rationem, scilicet secundum lumen diuinitus infusum. Ergo in Christo fuit tantũ vnus habitus scientiæ.*

Sed contra est, quod Zacharia 3. *dicitur, quod super lapidem vnum, ideſt Christum sunt septem oculi. Per oculum autem scientia intelligitur. Ergo videtur, quod in Christo fuerint plures habitus scientiæ.*

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, scientia indita animæ Christi habuit modum connaturalem animæ humanæ. Est autem connaturale animæ humanæ, vt recipiat species in minori vniuersalitate, quam Angeli: ita scilicet, quod diuersas naturas specificas, per diuersas species intelligibiles cognoscat. Ex hoc autem contingit, quod in nobis sint diuersi habitus scientiarum, quia sunt diuersa scibilium genera: inquantum scilicet, ea quæ reducuntur in vnum genus eodem habitu scientiæ cognoscuntur. Sicut dicitur in primo Posteriorum quod vna scientia est, quæ est vnius generis subiecti. Et ideo scientia indita animæ Christi fuit distincta secundum diuersos habitus.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut supra dictum Art. 4. *est, scientia animæ Christi est perfectissima, & excedens Angelorum scientiam, quantum ad id quod consideratur in ea ex parte Dei influentis: est tamen infra scientiam Angelicam, quantum ad modum recipientis. Et ad huiusmodi modum pertinet, quod scientia illa per multos habitus distinguatur, quasi per species magis particulares existens.*

Ad secundum dicendum, quod fides nostra innititur primæ veritati: & ideo Christus est author fidei nostræ secundum diuinam scientiam, quæ est simpliciter vna.

Ad tertium dicendum, quod lumen diuinitus infusum, est communis ratio intelligendi quæ diuinitus reuelantur: sicut, & lumen intellectus agentis eorum, quæ naturaliter cognoscuntur. Et ideo oportuit esse in anima Christi proprias species singularum rerum ad cognoscendum cognitione propria vnumquodque. Et secundum hoc oportuit esse diuersos habitus scientiæ in anima Christi: vt dictũ est.

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat Caiet. quem sequitur Suar. *in Comm.*

Forma Textus.

CONCL. *est: Scientia animæ Christi fuit distincta secundum diuersos habitus.* Probatur: ex hoc contingit, quod in nobis sunt diuersi habitus scientiarum,

tiarum, quia sunt diuersa scibilium genera, inquã- A tum scilicet ea, quæ reducuntur in vnum genus, eodem habitu scientiæ cognoscuntur: sed respectu scientiæ Christi inuenitur diuersitas generis scibilis: ergo fuit distincta per diuersos habitus. Maior probatur authoritate Aristot. 1. *post.* dicentis, quod vna scientia est vnius generis subiecti. Minor, quæ implicite tantum habetur in textu. Probatur: quia connaturale est animæ humanæ, vt recipiat species in minori vniuersalitate, quam Angeli, ita scilicet quod diuersas naturas specificas per diuersas species intelligibiles cognoscat, & consequenter etiam respiciat diuersa genera scibilia: At scientia indita animæ Christi habuit modum connaturalem animæ humanæ: ergo scientia indita animæ Christi est distincta per diuer- B sas species intelligibiles iuxta diuersitatem naturarum specificarum: & consequenter etiam respicit diuersa genera scibilia.

Expositio Textus.

QVo sensu intelligendũ sit scientiam inditam animæ Christi fuisse distinctam per diuersas species intelligibiles iuxta naturarum specificarũ distinctionem, declarat optime Caiet. dicens per hoc non negari per vnamquamque speciem repræsentari singularia sub ea contenta, & eius proprietates & accidentia: quia species illæ non per accidens, sed ex suo genere sunt infusæ. Quomodo etiam ex prædicta specierum distinctione sequatur distinctio secundum diuersa genera scibi- C lia, probat idem expositor à minori dicens: si scientia hæc distinguitur per diuersas species, &c. ergo multo magis distinguitur secundum diuersa genera scibilia: cum multo minor sit distinctio per diuersa genera scibilia, quam per diuersas species. Vbi tamen aduerte sermonem hic esse de diuersis generibus scibilibus nõ formaliter sed materialiter tantum: vt ex dicendis patebit.

QVATVOR hic moueri solent controuersiæ. PRIMA: *An species huic scientiæ deseruientes fuerint magis vniuersales, quam species intellectus humani, aut etiã Angelici?* SECVNDA *est: An scientia hæc infusa animæ Christi sit aliquis habitus distinctus à speciebus?* TERTIA *est: An hic habitus sit vnus tantum, vel plures?* VLTIMA D *est: An lumen huius scientiæ distinguatur à lumine gloriæ?* Ex quibus prima propter recentiorum obiecta diligentius erit examinanda. Cæteras vix breuiter attingemus.

Prima Controuersia.

An species huic scientiæ deseruientes fuerint vniuersaliores speciebus intellectus humani, aut etiam Angelici?

Sent. Doct. MARSILIVS *in* 3. *q.* 10. *a.* 2. docet vnam solam speciem vniuersa repræsentantem infusam fuisse animæ Christi.

In alio extremo est Scotus *in* 3. *dist.* 14. *q.* 3. & 4. E dicens scientiam infusam animæ Christi eiusdem rationis esse cum acquisita, & singulas non tantũ singularum naturarum, sed etiam singulorum indiuiduorum species continere.

S. D. *in eadem dist. q. vnica a.* 3. *quæstiunc.* 4. docet scientiam inditam animę Christi fuisse magis vniuersalem, & per species magis vniuersales, quã aliqua scientia creaturæ. *Et quia diuersæ species secundum genus faciunt* (inquit) *diuersos habitus scientiarum, ideo anima Christi, quæ habuit scientiam magis vniuersalem, quam aliquis Angelus, non habuit diuersos habitus, quib. cognosceret, sed vno habitu omnia cognouit, quæ ad hanc scientiam pertinent, quamuis diuersis speciebus.* Quam sententiam sequitur Suarez *disput.* 29. *sect.* 1. & 3.

Sed idem S. D. *in hoc articulo* docet scientiam inditam animæ Christi fuisse distinctam per diuersas species intelligibiles iuxta diuersitatem naturarum specificarum, ac proinde etiam fuisse distinctam per diuersos habitus. Quam sententiam sequuntur omnes Thomistæ, & addit Cai. duo: *primum* est, dictam specierum distinctionem iuxta naturarum diuersitatem intelligendam esse quo ad diuersitatem naturarum, quæ proprie naturæ sunt: hæ vero sunt substantiæ: nam per vnam (inquit) & eandem speciem infusam intelligit anima Christi substantiam & proprietates & accidẽtia eius. *Secundum* est, non ita intelligendum esse species illas intelligibiles dearticulari ad naturas specificas, vt præcise repræsentent eas, & nõ principia indiuiduantia, vt faciunt species intelligibiles à phantasmatibus abstractæ: sed vna & eadem species, non solum naturam specificam, sed omnia etiam infinita indiuidua sub ea contenta repræsentat: In quam sententiam videtur inclinare Vasquez *disp.* 52. *c.* 1. Addens quasdam huius scientiæ species esse supernaturales tam secundũ substantiam, quam secundum modum: quasdam vero secundum modum tantum: quia scilicet infunduntur à Deo homini præter consuetum naturæ cursum, quales sunt omnes rerum naturalium species: hæ namque naturales sunt secundum substantiam, quoad modum vero supernaturales: sed *disp.* 54. *cap.* 4. *in fine* priorem approbat S. D. opinionem.

SCIENDVM *est primo* ex D. Th. *de Ver. q.* 3. *a.* 1. *ad* 2. *&* 3. quod ad speciem, quæ est medium cognoscendi, duo requiruntur, scilicet repræsentatio rei cognitæ, quæ conuenit ei secũdum propinquitatem ad cognoscibile: & esse spirituale vel immateriale, quod ei conuenit, prout habet esse in cognoscente. Quæ duo nõ necessario perfectionis habẽt æqualitatem: sed potest in eadem specie intelligibili vnum esse perfectius altero. Et cum cognitio causetur ex specie, & in cognitione duo sint: primum est ipsa natura cognitionis, quæ sequitur speciem secũdum comparationem, quã habet ad intellectum, in quo est: Secundum est, determinatio cognitionis ad cognitum, quæ sequitur relationem speciei ad rem ipsam: quanto species erit immaterialior, tanto erit efficacior cognitio: conuenit autem speciei immaterialitas in ordine ad cognoscentem, cui inquantum huiusmodi, conuenit immaterialitas vt eius natura: vt patet *ex* 1. *p. qu* 14. *a.* 1. igitur quanto immaterialior erit intellectus, & ipsa intelligentis natura, tanto efficacior erit cognitio, similiter quãto species similior erit rei cognitæ per modum repræsentationis, tãto erit cognitio magis determinata.

Resolutio. Species indituas animæ Christi esse perfectiores essentialiter speciebus Angelorum, minus tamen vniuersales, & singularium etiam esse repræsentatiuas, & secundũ probabilem sententiam esse supernaturales.

Secundo considerandum est lumen intelligibile tã naturale quam supernaturale, esse medium cognoscendi se tenens ex parte cognoscentis: quod S. D. *in* 1. *p. q.* 12. *a.* 5. *ad* 2. & appellat medium sub quo: & ibidem de lumine gloriæ loquens ait illud esse augmentum virtutis intellectiuæ: quæ ex se sufficiens non est ad videndam diuinam essentiã: & secundum hoc lumen efficiuntur (inquit) beati Deiformes, ideſt Deo similes iuxta illud 1. *Io.* 3. C*ũ apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eũ, sicuti est, & in* 2. *eiusdẽ q.* art. ait, virtutem intellectiuã creaturæ esse aliquã participatam similitudinẽ Dei, quatenus est primus intellectus: atq; ideo virtutẽ intellectualẽ creaturæ dici lumẽ quoddã intellectuale, quasi à prima luce deriuatũ, siue hoc intelligatur de virtute naturali, siue de aliqua perfectione superaddita gratiæ vel gloriæ: & concludens ait:

Requi-

Requiritur ergo ad videndum Deum aliqua Dei similitudo ex parte visiuæ potentiæ, qua sit efficax intellectus ad videndum Deum: Ex quibus sequitur euidenter intellectum creatum per lumen supernaturale gradum supernaturalis immaterialitatis acquirere. Nam vis intelligendi in immaterialitate consistit: quæ, vt ante diximus, propria natura est cognoscentis, vt cognoscens est. Et quia lumine supernaturali species creatæ illuminantur ad clare & distincte repręsentanda supernaturalia. (Nam lumine fidei, prophetiæ, prudentiæ infusæ, donorum Spiritus S. & Theologiæ species ordinis naturalis illuminantur & eleuantur ad repræsentanda supernaturalia, & ad actus cognitionis circa ea eliciendos) ideo species etiam infusæ animæ Christi ex plenitudine luminis supernaturalis clarius & distinctius tam naturalia, quam supernaturalia repræsentant, quã species cuilibet Angelorum naturaliter aut supernaturaliter indita: quod etiam significat S. D. supra *art.* 4. dicens, ideo scientiam animæ Christi fuisse multo excellẽtiorem Angelorum scientia, quantum ad multitudinem cognitorum, & quantum ad scientiæ certitudinem, quia lumen spiritualis gratię, quod est inditum animæ Christi, est multo excellentius, quam lumen quod pertinet ad naturam Angelicam. Itaque lumen supernaturale non solum perficit & eleuat virtutem intellectus ad intelligendum supernaturalia, sed etiam perficit species tam naturales, quam supernaturaliter inditas ad clare & distincte repræsentanda supernaturalia. Cum enim in specie talis obiecti repræsentatiua duo sint, scilicet repræsentatio talis obiecti, prout à quolibet alio distinguitur, & modus repræsentandi magis aut minus clare aut euidenter: primum est ex specie: secundum autem est ex gradu luminis tanquam ex propria causa: sed lumen additum specieb. ordinis naturalis aliquid amplius efficit, vt scilicet extendantur & eleuentur ad supernaturalia repræsentanda: vt patet de luminib. fidei, prophetiæ &c.

Ex his sequitur primo species inditas animæ Christi non esse minus sed multo magis immateriales, quam sint species siue naturaliter siue supernaturaliter inditæ mẽtibus Angelorum. Probatur hoc ex dictis: quia lumen intelligibile se tenet ex parte intellectus, & addit illi virtutem & immaterialitatem.

Secundo sequitur has species esse speciebus Angelicis essentialiter perfectiores. Probatur: quia species animæ Christi perfectionem habent repræsentationis ex altiori ac nobiliori lumine, quã sit lumen Angelicum: sumuntur autem vt vnum species, & lumen, vt eius perfectiuum ad repræsentandum: igitur species animæ Christi simpliciter loquendo sunt essentialiter perfectiores speciebus Angelorum. His adde species animæ Christi repræsentare futura contingentia, cordium cogitationes & omnia creaturis conuenientia secundum ordinem diuinæ prouidentiæ supernaturalis.

Tertio notandum est potentiam obedientialem intellectus humani ad species supernaturales recipiendas illi conuenire non solum, vt participat gradum intellectualitatis, qui communis est animæ, DEO & Angelis, aut qui conuenit Deo & Angelis, prout modum excedunt intelligendi proprium animæ nostræ: sed etiam secundum illum infimum gradum, qui conuenit animæ nostræ ex vltima sua differentia, quatenus scilicet est rationalis. Ex quo sequitur, vt in potentia obedientiali animæ nostræ non recipiantur species supernaturaliter infusæ secundum totam capacitatem & amplitudinem illi conuenientẽ, vt præcise participat gradum intellectualem Deo & Angelis conuenientem, prout animæ nostræ modũ excedunt, sed iuxta capacitatem animæ nostræ consideratam, quatenus infimum habet intellectualitatis gradum, prout scilicet est rationalis. Et ideo species inditæ animæ Christi debuerunt esse longe minus vniuersales, quam species Angelorum, vt scilicet singularum naturarum singulas haberet species repræsentatiuas, vt per eas modo sibi connaturali elicere posset intellectiones per conuersionem ad phantasmata, & componendo ac diuidendo, & discurrendo. Alioquin species omnes supernaturaliter infusæ tam Angelis, quam hominibus aut animabus separatis eandem haberent vniuersalitatem, cum eadem in omnibus sit potentia obedientialis, & æqualis amplitudinis capacitas ad eas recipiendas secundum gradum intellectualitatis eis cõmunem. Sed quia species illæ ex suo genere non erant ex sensibilib. acquisitæ, sed infusæ per se, ideo in repræsentãdo non abstrahebant à singularibus, & conditionib. & accidentibus in eis existentibus, sed quælibet species simul cum natura repræsentabat individua cum eorum proprietatibus, conditionibus & accidentibus.

Quarto obseruandum est vniuersalitatem scientiæ ex duplici capite posse considerari. Primo ex parte specierum: quando scilicet vna quælibet species plures rerum naturas specificas, aut etiam genericas repræsentat: vt patet de speciebus Angelorum, & præsertim supremæ Hierarchiæ. Secundo ex parte luminis, quod extenditur ad diuersorum generum & ordinum obiecta: puta naturalia & supernaturalia, futura contingentia & cogitationes cordium: quod soli conuenit lumini scientiæ inditæ animæ Christi. Et quia potest anima Christi cum voluerit vti scientia indita secundum totam sui luminis facultatem, & secundum omnes eius species simul in actu, ideo secũdum hanc rationem dici potest non solum scientia, sed etiam species eius simul sumptæ vniuersaliores speciebus omnibus Angelicis, etiam simul sumptis: & ita possent diuersa dicta S. Thomæ quæ videntur oppolita, conciliari: quam conciliationem ex parte videtur attigisse Bergomensis *in aurea Tabula dub.* 1216.

Quinto notandum est secundum probabilem opinionẽ species inditas animæ Christi fuisse quidem omnes à Deo supernaturaliter infusas, non tamen erant omnes secundum suam substantiam supernaturales: Nam species rerum naturalium repræsentatiuæ erant ordinis naturalis non minus, quam visus supernaturaliter eæco datus: illæ vero, quæ rerum supernaturalium aut contingẽtium vel liberarum erant repræsentatiuę, ad ordinem pertinebant supernaturalem. Et cum vnitas scientiæ formaliter non attendatur ex speciebus, sed ex lumine, quod est ratio sub qua res omnes per species repræsentatæ cognoscuntur, diuersitas illa specierum in scientia Christi in nullo præiudicat eius vnitati. Quod autem priores illæ species ad ordinem pertineant naturalem, patet ex eo, quod per se primo & essentialiter ordinantur ad obiecta naturalis ordinis repræsentanda. Certum est autem in Christi scientia indita fuisse tales species: quia non poterat vna species diuersorum ordinum obiecta repræsentare, sed tantum vna quælibet naturam vnam secundum speciem, vt ante diximus. Probabiliter tamen dici posset vnam quamque speciem infusam animæ Christi repræsentare naturam cum omnibus eius accidẽtibus, etiam ordinis supernaturalis, illi conueniẽtibus

tibus ex ordine ad prouidentiam Dei supernaturalem, atq; species omnes scientiæ inditæ animæ Christi esse ordinis supernaturalis: vt ait Cai. Aluarez & alij recentiores.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Species inditæ animæ Christi sunt essentialiter perfectiores speciebus Angelorum.* Hæc patet ex dictis.

SECVNDA CONCL. Species inditæ animæ Christi sunt minus vniuersales, quam species intellectus Angelici.

TERTIA CONCL. *Species inditæ animæ Christi distinguuntur & multiplicantur iuxta naturarum substantiarum specificam distinctionem, ita tamen vt vna quælibet repræsentet omnia individua sub natura contenta, & eorum proprietates & accidentia.*

QUARTA CONCL. *Probabile est species inditas animæ Christi non omnes esse ordinis supernaturalis, sed quasdam etiam esse ordinis naturalis: cum tamen sint supernaturaliter inditæ:* Hæc patet ex dictis, & tenent eam Medina, Vasquez, & alij.

VLTIMA CONCL. *Probabilius est species omnes infusas animæ Christi esse supernaturales:* Hanc probant argumenta quę producentur contra quartam cõclusionem. Et probatur etiam: quia si sint species supernaturales, poterunt repræsentare res naturales & eorum accidentia supernaturalia: si vero sint ordinis naturalis, repræsentabunt tãtum naturalia & non poterunt extendi ad supernaturalia, & necesse erit per alias species ordinis supernaturalis repræsentari accidentia rerum supernaturalia, & ita multiplicabuntur absque necessitate species in anima Christi.

Ob. cont. 1. concl. CONTRA *primam concl.* est hoc argumentum: Species inditæ animæ Christi sunt minus immateriales quam species Angelorum: ergo sunt imperfectiores. Antec. probatur: quia subiectum in quo recipiuntur, scilicet anima, est minus immateriale quam Angelus: ergo. *Resp.* falsum esse antec. *Solut.* Ad probationem negatur assumptum: quia immaterialitas animæ & intellectus non attenditur tantum secundum esse naturale, sed etiam & principalius, ex gratia & lumine supernaturali virtutem intellectus eleuante & augente: vt supra diximus.

Obi. 1. cont. 2. concl. CONTRA *secundam concl.* argumentatur Suar. *Primo*: quia in omnibus aliis perfectionibus gratiæ & scientiæ anima Christi superauit Angelos: ergo etiam in ista: ergo species eius sunt vniuersaliores speciebus Angelorum. *Confirmatur primo*: *Conf. 1.* quia species infunduntur proportionatæ lumini & intellectui non secundum se, sed prout eleuatur per lumen: at lumen scientiæ infusæ animæ Christi est excellentius lumine intellectus Angelici: ergo. Prima propositio probatur: quia obiectum vnitur potentiæ vt eleuatæ: vt exemplo patet in visione beata, in qua (vt ita dicam) vniuersaliori modo vnitur essentia diuina intellectui Christi, quam Angelorum propter perfectius lumen. *Conf. 2.* *Secundo confirmatur*: quia istæ species in sua entitate, & substantia sunt perfectiores, quam Angelicæ, vt ait S. D. *in art 4. Resp.* nullam esse secundam conseq. *Solut.* Primo: quia perfectio specierũ essentialis attenditur penes immaterialitatem, repræsentationem & lumen sub quo repræsentant obiecta, magis quam penes modum repræsentãdi vniuersaliter. Secundo: quia species scientiæ infusæ animæ Christi simul sumptæ plura & nobiliora & clariori modo repræsentant, quam species Angelorum omnes simul sumptæ. Secundo Resp. falsum esse antec. loquendo de perfectione ex parte subiecti. Nam quædam dona sunt in anima Christi, quę ex parte subiecti habent aliquam imperfectionem, quam nõ habent in Angelis, vt prudẽtia infusa & dona intellectualia Spiritus S. quæ in anima Christi possunt actus elicere cum cõuersione ad phantasmata, & cum compositione & discursu, non autẽ in Angelis. Tertio Resp. nullã esse conseq. Quia dona supernaturalia consequuntur gratiam, quæ datur animæ secundum potentiam obedientialẽ illi conuenientem secũdum gradum ipsius animæ supremum, quo conuenit cum Angelis, & cum ipso Deo, & ideo in anima personaliter Verbo coniuncta debuerunt hæc esse maiora, quam in Angelis: sciẽtia vero indita animæ Christi data fuit animæ Christi secundum potentiam obedientialem illi conuenientẽ, non solum secundũ gradum illi cum Deo & Angelis cõmunem, sed ẽt secũdum gradum rationalem ipsi animæ proprium. *Ad primam confirm.* dico *ad 1. Conf.* lumen etiam supernaturale ad intelligendum per species infusas fuisse datum animæ Christi secundum vtrunq; modum potentiæ obediẽtialis iam dictum. *Ad secundam confirm.* iam dictum est, in quo *ad 2. Conf.* consistat hæc maior perfectio: & ideo nulla est consequentia.

Obi. 2. *Secundo arguit*: quia alias nõ posset anima Christi vno actu tam multa simul intelligere, quam Angeli possunt: At hoc videtur absurdum: ergo. Probatur sequela maioris: quia solum potest ea simul intelligere, quæ per vnã speciem repræsentantur: ergo. *Resp.* falsam maioris conseq. Ad pro- *Solut.* bationem negatur antecedẽs: quia dignitas Christi postulabat, vt quandoq; pluribus, aut etiam omnibus simul speciebus vteretur ad intelligendum: licet modus speciebus animæ connaturalis vnius tantum aut duarum simul specierum vsum admittat: Ille tamen modus intelligendi quandoque pluribus aut omnibus simul speciebus dici potest animæ Christi connaturalis, quatenus dignitatem habet vnionis personalis ad Verbum, & prout est caput omnium saluandorum, cui propter causas supetius assignatas conuenit omnia per species infusas repræsentata simul intelligere.

Obi. 3. *Contra eandem* concluſ. est hoc argumentum: Christus vt homo illuminat Angelos: vt ait Dionys. 7. *c. Cæleſt. Hierar.* quod etiam patet ex dictis *supra quæſt. 8. artic. 4.* igitur habet species vniuersaliores speciebus Angelorũ. Probatur consequentia. Nam qui illuminat alterum, concipit magis vniuersaliter, quam ille qui illuminatur: vt ait S. D. *in 1. p. q. 106. a. 1.* & ibi Cajet. *Resp.* nullam esse *Solut.* conseq. Ad probationem dico: licet in Angelis superiorib. illuminantibus inferiores sit illa maior vniuersalitas specierum: in Christo tamen non esse necessariam: eo quod eius species longe maiorem habeant perfectionem & excellentiam, quam sit vniuersalitas. Habent enim lumen altioris ordinis, & plura ac altioris ordinis obiecta repræsentant, & simul possunt per intellectum virtute prędicti luminis adunari ad omnia simul ipsi intellectui repræsentanda, & vno tantum actu intelligenda: quæ longe maior est vniuersalitas & excellentia, quam quæ possit inesse cuiquam Angelicæ speciei.

Obi. 1. contra 3. concl. CONTRA *tertiam concl.* sunt hæc argumenta. *Primum*: Anima Christi per species infusas cognoscit Angelos quidditatiue: vt patet ex dictis supra *art. 1.* nos autem talem cognitionem habere non possumus per species nostro intellectui connaturales: vt probat S. D. *in 1. p. q. 88. a. 1.* & Cai. *de ente, & essentia, cap. 6. quæst. 14. Respon.* species illas in- *Solut.* fusas animæ Christi, quatenus quidditatiue repręsentant substantias separatas, respicere potentiam

tiam obedientialem illi conuenientem secũdum gradum, quo conuenit cum ipsis Angelis: quia licet anima Christi per conuersionem ad phantasmata, & per compositionem & discursum possit Angelos intelligere, non tamen eos potest hoc modo cognoscere quidditatiue. Secundo dico hoc argumento probari non maiorem vniuersalitatem: quia singulæ singulas quidditates repræsentant, sed perfectionem maiorem specierum animæ Christi: quia perfecte & quidditatiue repræsentant

Obi. 2. *Secundum* est: Quia species infusæ fuerunt animæ Christi secundum capacitatem eius obedientialem: quæ maior est Angelorum capacitate naturali: ergo. *Resp.* animam Christi esse receptiuam specierum infusarum secũdum capacitatem obedientialem illi conuenientem non solum secundum gradum sui supremum, sed etiam secundum gradum rationalem illi proprium, & inter gradus siue modos substantiæ spiritualis infimum: & ideo recipiuntur in ea species secundum modum ipsi animæ connaturalem: qui species exigit intelligibiles dearticulatas iuxta distinctionem specificam naturarum, quæ sunt in vniuerso.

Solut.

Ob 1. cont. 4. concl. CONTRA *quartam concl.* argum. quidam viri doctissimi. *Primo*: quia actus huius scientiæ secũdum se est omnino supernaturalis: sicut & ipsa scientia: vt patet ex dictis supra *q. 9. a. 3.* ergo etiam species connaturaliter eliciens illum. Probatur conseq. quia effectus de se supernaturalis connaturaliter & perfecte debet elici à Christo mediãte principio supernaturali, & proportionato. *Resp.* nullam esse conseq. Ad eius probationem negatur antecedens: sufficit enim lumen intellectus supernaturale: ex eo nam q; tam intellectus, quam species in actu eleuatur in ordinem supernaturalem, & illis vt sic connaturalis est actus elicitus supernaturalis.

Solut.

Obi. 2. *Secundo*: Species obiectorum naturalium connaturales nequeunt repræsentare omnia, quæ per istas species cognoscuntur de illis: quia non possunt repræsentare accidentia supernaturalia, futura contingentia libera, & ordinem supernaturalis prouidentiæ: sed species huius scientiæ, licet sint obiectorum naturalium repræsentant omnia ista: ergo species omnes huius scientiæ sunt supernaturales. Minor probatur: quia non oportet in scientia Christi infusa esse duo genera specierum eiusdem obiecti, v. g. hominis, vt scilicet vna repræsententur naturales hominis conditiones, alia vero conditiones supernaturales: Declaratur hoc: Nam lumen huius scientiæ, licet sit supernaturale, manifestat obiecta naturalia sub ratione supernaturali: ergo species illi proportionatæ, licet sint supernaturales, poterunt repræsentare naturalia sub ratione supernaturali, in quo distinguentur à speciebus naturalib. eorundem obiectorum, quæ tantum repræsentant naturalia sub ratione naturali & in ordine ad naturalia. *Resp.* nullam esse conseq. Nam sicut in diuina mente accidentia, quæ superueniunt subiecto, specialem habent idæam: quia artifex per formam domus facit omnia accidẽtia, quæ à principio concomitantur domum: sed ea quæ superueniunt domui iam factæ, vt picturæ & similia facit per aliam formam: vt ait S. D. *in 1. p. q. 15. a. 3 ad 4.* ita multo magis anima Christi per speciem infusam hominis cognoscit eius naturam, & conditiones omnes illius ad ordinem naturalem pertinentes: accidẽtia vero supernaturalia per aliam aut alias species intelligit, vt homini conuenientia.

Obi. 3. *Contra eandem* concl. argumentatur Aluarez. *Primo*: Species intelligibiles, quæ deseruiunt alicui scientiæ, debent esse proportionatæ lumini scientifico: alias per eas non posset clare & distincte cognosci obiectum in seipso. Sed lumen scientiæ inditæ animæ Christi est supernaturalis ordinis: ergo similiter & species intelligibiles. *Confirmatur*: nam, vt docet Cai. *in 1. 2 q 54. a 4.* coadunatio seu collectio specierum per se pertinet ad scientiam: ergo si scientia est supernaturalis, species intelligibiles debẽt esse eiusdem ordinis. *Resp.* species intelligibiles se habere ad lumen intellectuale tanquam perfectibile ad perfectionẽ, & tanquam potentiam ad actum: duplex autem est proportio perfectibilis ad perfectionem, & potentiæ ad actum: Altera naturalis: quæ attenditur secundum potentiam naturalem in ordine ad actum naturaliter illi coaptatum: altera supernaturalis: quæ attenditur secundum potentiam obedientialem & secundum congruentiam potentiæ naturalis in ordine ad actum supernaturalem: vt patet de potentia animæ secundum eius essentiam in ordine ad gratiam, & secundum intellectum & voluntatem in ordine ad virtutes & dona spiritualia: & de speciebus per sensus acquisitis in ordine ad lumen fidei & prophetiæ, & de natura humana in ordine ad personalitatem diuinam: de qua congruentia dictum est supra *q. 4. a. 1.* Ad argumentum ergo dico primam propositionem esse falsam, si loquamur de proportione naturali: vt patet in simili de lumine fidei & de lumine prophetiæ, & de lumine specierum nostræ Theologiæ: quod est supernaturale, cum tamẽ species sint ordinis naturalis. Ad probationem, quia alias &c. dico falsam esse consequentiam: vt patet in exemplis allatis, & præsertim in speciebus & lumine nostræ Theologiæ. *Ad confirmat* negatur conseq. nullam enim habet apparentiam.

Solut. *Conf.* *Ad Conf.*

Obi. 4. *Secundo*: Nulla species naturalis ordinis potest repræsentare determinate & distincte futura contingentia in seipsis, vel actus liberos & cogitationes cordium: sed species inditæ animæ Christi hæc repræsentant: ergo. *Resp.* species illas, quæ hæc repræsentant, esse supernaturales: sed præter istas sunt aliæ multæ species naturales.

Solut.

Obi. 5. *Tertio*: Species intelligibiles deductæ & exemplatæ ab essentia diuina, in quantum habet rationem speciei intelligibilis, sunt ordinis supernaturalis. At species animæ Christi sunt deductæ & exemplatæ ab essentia diuina: ergo. Maior probatur: Quia tales species participant ab essentia diuina virtutem repræsentandi ea, quæ naturaliter cognosci non possunt: ergo. *Resp.* falsam esse maiorem. Ad eius probationem negatur antecedens vniuersaliter sumptum: nam species Angelis connaturales sunt exemplatæ ab essentia diuina, & tamen non repræsentant, nisi quæ naturaliter sunt cognoscibilia.

Solut.

Obi. 6. *Quarto*: Species inditæ animæ Christi sunt magis perfectæ & clarius ac magis distincte repræsẽtant obiecta per eandem speciem cognoscibilia: quam species inditæ Angelis, etiam supremis: sed nulla species intelligibilis naturalis ordinis est superior ad species intelligibiles inditas Angelis, præsertim supremis: ergo necesse est dicere, quod species inditæ animæ Christi sint ordinis superioris. *Resp.* prædictas perfectiones conuenire speciebus animæ Christi etiam naturalibus, nõ præcise sumptis, sed prout illustratæ sunt lumine supernaturali excellentissimo.

Solut.

Obi. 7. *Vltimo arguit*: Scientia per se infusa est ordinis supernaturalis: vt omnes Theologi fatentur: ergo similiter species per se infusæ speciali actione à Deo, vt est author gratiæ, pertinent ad ordinem super-

supernaturalem: tales autem sunt species infusæ A animæ Christi: ergo. Antec. probatur: Non potest acquiri viribus naturæ, sed solum causatur speciali actione à Deo, vt est author gratiæ: ergo. *Resp.* nullam esse conseq. quia scientia includit simul species & lumen: quod in hac scientia est supernaturale: species autem vt species, non includunt lumen: ex hoc autem quod speciali actione infunduntur à Deo, nec possunt naturaliter acquiri, sequitur tantum eas esse supernaturaliter infusas, non autem omnes esse ordinis supernaturalis.

CONTRA *vltimam* concl. sunt argumenta: quæ refert & soluit Aluarez *disp.* 65.

B

Secunda Controuersia.

An scientia hæc infusa animæ Christi sit aliquis habitus distinctus à speciebus.

DIFFICVLTATEM hanc soluit S.D. *hic ad* 3. dicens in scientia Christi præter lumen diuinitus infusum, quod est communis ratio intelligendi ea, quæ diuinitus reuelantur oportere esse in anima Christi species singularũ rerum ad cognoscendum vnumquodque propria cognitione, & secundum hoc, idest considerando solam specierum pluralitatem, diuersos esse habitus in anima Christi: quia nimirum diuersę species diuersi sunt habitus materialiter: vnde etiam scientia Christi C respicit diuersa scibilia materialiter: quæ sub vna formali ratione scibilis altioris ordinis continentur.

Videnda sunt, quæ de habitibus Angelorum diximus *in* 1. *p. q.* 58. *a.* 4. *Controu.* 1. & ea, quæ scribunt Cai. 1. 2. *q.* 54. *a.* 4. §. *Quo ad quartum*, & *hic ad* 3. & *a.* 5. *in fine* & ibi Medina, & Bergomas *dub.* 12. 16. & Suarez *disp.* 29. *sect.* 2. & 3.

Alias duas difficultates supra propositas, videlicet tertiam de vnitate habitus huius scientiæ: & quartam de distinctione luminis eiusdem scientiæ tractat Suarez *in allegata disp.* 29. *sect.* 3. & 4. Medina de tertia disputat & eam recte definit.

D

QVÆSTIO DVODECIMA.

De scientia animæ Christi acquisita, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de scientia animæ Christi acquisita, vel experimentali.

Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, vtrum secundum hanc scientiam cognouerit omnia.

Secundo, vtrum in hac scientia profecerit.

Tertio, vtrum aliquid ab homine didicerit.

Quarto, vtrum acceperit aliquid ab Angelis.

Ratio ordinis.

QVÆSTIONIS huius ordo ad præcedentes pa- E tet ex ijs, quæ supra diximus de ordine articulorum, quæstionis nonæ. Huius vero quæstionis articuli sic ordinantur: Nam primo differit S. D. de quidditate & perfectione scientiæ Christi acquisitæ: quę consideratur in ordine ad obiectũ, quętens in primo artic. An secundum hanc scientiam Christus cognouerit omnia. Vt enim aduertit Cai. *in* 1. *p. q.* 83. *a.* 7. § *Ad cuius euidentiã* perfectio & imperfectio prædicata sunt rebus conuenientia intra primum modum dicendi per se: cum sine eis haberi nequeat complete quidditatiua rei cognitio: Vnde etiam philosophus *in* 1. *Cæli* primum prædicatum, quod inuestigat de mundo est hoc,

Naz. in D. Thom. 3. *partem.*

quod dico, perfectum: & S.D. *in* 1. *p.* post Dei simpliciratem: quæ primo pertinet ad quidditatem Dei, differit immediate de perfectione Dei. Secũdo agit S.D. de modo acquisitionis huius sciẽtiæ: & primo in communi *in secundo art.* quærens: An Christus in hac scientia profecerit. Secundo in particulari in ordine ad duas causas efficientes, sc. hominem & Angelum: ex quibus notior est nobis homo & eius doctrinæ modus, quam sit Angelus cum suo docendi modo: & ideo in tertio artic. quærit: An Christus aliquid ab homine didicerit: in quarto autem & vltimo quærit: Vtrum Christus aliquid acceperit ab Angelis.

ARTICVLVS I.

Vtrum secundum hanc scientiam Christus cognouerit omnia.

AD primum sic procediur. Videtur, quod secundum 77
hanc scientiam Christus non omnia cognouerit. Huiusmodi enim scientia per experientiam acquiritur. Sed Christus non omnia expertus est. Non igitur omnia secundum hanc scientiam sciuit.

Præterea: Homo scientiam per sensum acquirit. Sed non omnia sensibilia sensibus corporalibus Christi fuerunt subiecta. Non igitur secundum hanc scientiam omnia cognouit Christus.

Præterea: Quantitas scientiæ attenditur secundum scibilia. Si igitur secundum hanc scientiam Christus omnia sciuisset, esset in eo scientia acquisita æqualis scientiæ infusæ, & scientiæ beatæ: quod est inconueniens. Non ergo secundum hanc scientiam Christus omnia sciuit.

Sed contra est, quod nihil imperfectum fuit in Christo quantum ad animam. Fuisset autem imperfecta hæc eius scientia, si secundum eam non sciuisset omnia: quia imperfectum est, cui potest fieri additio. Ergo secundum hanc scientiam Christus omnia sciuit.

Respondeo dicendum, quod scientia acquisita ponitur in anima Christi (vt supra dictum est) propter conueni- *q. 9. ar. 4.*
entiam intellectus agentis, ne eius actio sit otiosa, quæ facit intelligibilia in actu: sicut, & scientia indita, vel infusa ponitur in anima Christi ad perfectionem intellectus possibilis. Sicut autem intellectus possibilis est, quo est omnia fieri, ita intellectus agens est omnia facere: vt dicitur in *Tex. 18.*
tertio de Anima. Et ideo, sicut per scientiam inditam sciuit anima Christi omnia illa, ad quæ intellectus possibilis *D. 1218.*
est quocunque modo in potentia: ita per scientiam acquisitam sciuit omnia illa, quæ possunt sciri per actionem intellectus agentis.

Ad primum ergo dicendum, quod scientia rerum acquiri potest nõ solum per experientiam ipsarum, sed etiam per experientiam quarundam aliarum rerum: cum ex virtute luminis intellectus agentis possit homo procedere ad intelligendum effectus per causas, & causas per effectus, & similia per similia, & contraria per contraria. Sic igitur, licet Christus non fuerit omnia expertus, ex his tamen, quæ expertus est, in omnium deuenit notitiam.

Ad secundum dicendum, quod, licet sensibus corporalibus Christi non fuerint subiecta omnia sensibilia: fuerunt tamen sensibus eius subiecta aliqua sensibilia, ex quibus propter excellentissimam vim rationis eius potuit in aliorum notitiam deuenire per modum prædictum: sicut vidẽdo corpora cælestia, potuit comprehend. re eorum virtutes, & effectus, quos habent in istis inferioribus, qui eius sensibus non subiacebant. Et eadem ratione ex quibuscunque alijs, in aliorum notitiam deuenire potuit.

Ad tertium dicendum, quod secundum istam scientiam anima Christi non simpliciter cognouit omnia: sed illa o- *D. 1217.*
mnia, quæ per lumẽ intellectus agentis homini sunt cogno- *In cor. ar.*
scibilia. Vnde per hãc scientiam non cognouit essentias sub- *& q. prac.*
stantiarum separatarum, nec etiam singularia præterita, *& q 9. a. 3.*
præsentia, & futura, quæ tamen cognouit per scientiam in- *& 4.*
ditam: vt supra dictum est.

A

Sensus quæsiti.

DICTIO *omnia* sicut absolute proponitur, ita absolute etiam sumenda est: vt patet ex tertio argumento, & expectanda est limitatio quæ apponitur conclusioni, & explicatur in solutione dicti argumenti.

Forma Textus.

CONCL. *est: Anima Christi per scientiam acquisitam sciuit omnia illa, quæ possunt sciri per actionem intellectus agentis.* Probatur ex proportionali similitudine inter scientiam infusam respectu intellectus possibilis, & scientiam acquisitam respectu intellectus agentis. Nam sicut scientia indita vel infusa ponitur in anima Christi ad perfectionem intellectus possibilis, ita scientia acquisita ponitur B in anima Christi propter conuenientiam intellectus agentis, ne eius actio sit otiosa, quæ facit intelligibilia actu: ergo sicut per scientiam inditam sciuit anima Christi omnia illa, ad quæ intellectus possibilis est quocunque modo in potentia, ita per scientiam acquisitam sciuit omnia illa, quæ possunt sciri per actionem intellectus agẽtis. Antecedens declaratur ex Arist. *in 3. de Anima, tex.* 18. quia, sicut intellectus possibilis est, quo est omnia fieri, ita intellectus agens est, quo est omnia facere, specialiter autem secunda pars eiusdem antecedentis probatur ex dictis supra *quæst. 9. a. 4.*

Expositio Textus.

VIDENDA sunt, quæ de modo acquisitionis C scientiæ experimentalis scribunt *super hoc art.* Cai & Med. & ea, quæ late diximus sup *q 9. a. 4.* vbi sententias & dicta expositorum *super hoc artic.* diligenter examinauimus.

Notandum est primo scientiã hanc in anima Christi fuisse distinctam per diuersos habitus, sicut cæterorum hominum scientia diuiditur in rationalem & realem: quæ multiplex est scilicet Physica, Mathem. & Metaph. vt enim ait S. D. *in 3. dist. 14. q. 1. a 3. quæstiunc. 4.* ex naturali debilitate luminis naturalis intellectus humani prouenit scientiarum diuersitas: sicut è cõtra perfectio scientiæ infusæ Angelis & animę Christi formalem sibi vendicat vnitatem. D

Secundo notandum est scientiã hanc animæ Christi fuisse in genere suo perfectissimam, atq; adeo extensam ad omne scibile naturaliter, tam speculatiue quam practice, fuisseque longe perfectiorem scientia protoparentis Adæ ac Salomonis, & cuiuslibet inter homines sapientis tam practici quam speculatiui: vt patet ex ijs, quæ supra diximus, *q. 9. a. 4.* quibus adde scientiam hanc ex coniunctione cum scientia per se infusa magnam acquisiuisse perfectionem.

Nec obstat, quod soli Deo diuina scriptura significet proprium esse cognoscere numerum stellarum Cœli, & singularũ naturam: nam *Psalm.* 146. dicitur: *Qui numerat multitudinem stellarum & omnibus eis nomina vocat*, impositio namque nominis ex E perfecta prouenit cognitione. *Respondetur* enim vocare Dei practicum esse, & idem esse quod facere: ac proinde Deum vocare rem aliquo nomine est illi tribuere naturam & virtutem illo nomine significatam: & hoc modo res vocare propriũ Dei est. Speculatiua vero cognitio & nuncupatio rerum omnium, præsertim corporearum, conuenit non solum Angelis, sed etiam hominib. quibusdam in diuina scriptura celebratis, vt Adamo & Salomoni, & multo magis animæ Christi, tam secundum scientiam inditam, quam secundum acquisitam.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus in hac scientia profecerit.

Sup. q. 9. ar. 12. 3. & inf. a. 3. 3. & q. 15. a. 8. & 3. dist. 13. lit. in fi. & dist. 14. 2. 3. q. 5. & ver. q. 20. a. 6. 3. & op. 3. c. 223. & Io. 1. lec. 23. col. 1. fi. & Heb. 5. col. 6. Ar. prac.

AD *secundum sic proceditur. Videtur, quod secundum hanc scientiam Christus non profecerit. Sicut enim secundum scientiam beatitudinis, & secundum scientiam infusam Christus cognouit omnia: ita & secundum hanc scientiam acquisitam, vt ex dictis patet. Sed secundum illas scientias non profecit: ergo nec secundum istam.*

Præterea: proficere est imperfecti: quia perfectum additionem non recipit. Sed in Christo nõ est ponere scientiam imperfectam. Ergo secundum hanc scientiam Christus non profecit.

Præterea: Damas. dicit. Qui proficere dicunt Christum sapientia, & gratia, vt additamentum sensus suscipientem, non venerantur vnionem, quæ est secundum hypostasim. Sed impium est illam vnionem non venerari. Ergo impiũ est dicere, quod scientia eius additamentum acceperit.

lib. 3. c. 21.

Sed contra est, quod dicitur Luc. 2. quod Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum, & homines. Et Ambr. dicit, quod proficiebat secundum sapientiam humanam, Humana autem sapiẽtia est, quæ humano modo acquiritur, scil. per lumen intellectus agentis. Ergo Christus secundum hanc scientiam profecit.

lib. de Incar. Dom. ca. 7. to. 2.

Respondeo dicendum, quod duplex est profectus scientiæ. Vnus quidem secundum essentiam: prout scilicet ipse habitus scientiæ augetur. Alius autem secundum effectum: puta si aliquis secundum eundem, & æqualem scientiæ habitũ, primo minora alijs demonstret, & postea maiora, & subtiliora. Hoc autem secundo modo manifestum est, quod Christus in scientia, & gratia profecit, sicut & in ætate: quia scilicet secundum augmentum ætatis opera maiora faciebat, quæ scil. maiorem scientiam, & gratiam demonstrabant. Sed quantum ad ipsum habitum scientiæ, manifestum est, quod habitus scientiæ infusæ in eo non est augmentatus, cum à principio plenarie fuerit sibi omnium scientia infusa: & multo minus scientia beata in eo augeri potuit. De scientia enim diuina, quod non possit augeri, supra in prima parte dictum est. Si igitur præter habitum scientiæ infusum, non sit in anima Christi aliquis habitus scientiæ acquisitæ (vt quibusdam videtur, & mihi aliquãdo visum est) nulla scientia in Christo augmentata fuit secundum essentiam, sed solum per experientiam, ideest cõuersionem specierum intelligibilium, inditarum ad phantasmata. Et secundum hoc dicunt, quod scientia Christi profecit secundum experientiam, conuertendo scilicet species intelligibiles inditas ad ea, quæ de nouo per sensum accepit. Sed quia inconueniens videtur, quod aliqua naturalis actio intelligibilis, Christo deesset cum extrahere species intelligibiles à Phantasmatibus sit quædam naturalis actio hominis secundum intellectum agentem, conueniens videtur hanc etiam actionem in Christo ponere. Et ex hoc sequitur, quod in anima Christi aliquis habitus scientiæ fuerit, qui per huiusmodi abstractionem specierum potuerit augmentari: ex hoc scilicet quod intellectus agens, post primas species intelligibiles abstractas à phantasmatibus poterat etiam alias, & alias abstrahere.

q. 14. a. 15. Tertio sent. d. 14. q. 3. a. 3

D. 13. 18.

Ad primum ergo dicendum, quod tam scientia infusa animæ Christi, quam scientia beata, fuit effectus agentis infinitæ virtutis, qui potest simul totum operari: & ita in neutra scientia Christus profecit, sed à principio eam perfectam habuit. Sed scientia acquisita causatur ab intellectu agente, qui non simul totum operatur, sed successiue. Et ideo secundum hanc scientiam Christus nõ à principio sciuit omnia, sed paulatim, & post aliquod tempus, scilicet in perfecta ætate. Quod patet ex hoc, quod Euangelista simul dicit eum profeciſſe scientia, & ætate.

Ad secundum dicendum, quod hæc etiam scientia semper fuit perfecta secundum tempus: licet non semper fuerit perfecta simpliciter, & secundum naturam. Et ideo potuit habere augmentum.

lib. 3. c. 21.

Ad ter-

Ad tertium dicendum, quod Verbum Damas. intelligitur quantum ad illos, qui dicunt simpliciter fuisse factam additionem scientiæ Christi, scilicet secundum quamcunque eius scientiam: & præcipue secundum infusam, quæ causatur in anima Christi ex vnione ad Verbum. Non autem intelligitur de augmento scientiæ, quæ ex naturali agente causatur.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione: Respondetur quæsito sex conclusionibus.

Distinctio est: Duplex est profectus scientiæ: vnus secundum essentiam, prout scilicet ipse habitus scientiæ augetur: alius secundum effectum: puta si aliquis secundum eundem & æqualem habitum scientiæ primo minora alijs demonstret, & postea maiora & subtiliora.

PRIMA CONCL. *Christus hoc secundo modo profecit in scientia & gratia, sicut & in ætate.* Probatur: quia secundum augmentum ætatis opera maiora faciebat: quæ scilicet maiorem scientiam & gratiam demonstrabant.

SECVNDA CONCL. *Habitus scientiæ infusæ non fuit augmentatus in Christo secundum essentiam.* Probatur: quia à principio plenarie fuit illi omnium scientia infusa.

TERTIA CONCL. *Scientia beata multo minus in eo potuit augeri*: Probatur ex præcedenti.

QUARTA CONCL. *Scientia diuina multo minus potuit augeri*: Probatur ex dictis *in prima parte, quæst.* 14. *art.* 15.

QUINTA CONCL. *Si præter habitum scientiæ infusum non sit in anima Christi aliquis habitus scientiæ acquisitæ (vt quibusdam videtur) nulla scientia in Christo augmentata fuit secundum essentiam, sed solum per experientiam, id est conuersionem phantasmatum in intelligibilia inditarum alphantasmata, quo ad ea quæ de nouo per sensum accepit.*

SEXTA CONCL. *In anima Christi fuit aliquis habitus scilicet (scientiæ acquisitæ) qui per abstractionem specierum potuit augmentari.* Probatur prima pars, quia si non ponatur talis habitus in anima Christi, sequitur quod aliqua naturalis actio Christo deesset: quod est inconueniens. Probatur sequela: quia extrahere species intelligibiles à phantasmatibus est quædam naturalis actio hominis secundum intellectum agentem: ergo conueniens est hanc etiam actionem in Christo ponere. Secunda vero pars conclusionis probatur ex priori parte: quia intellectus agens post primas species intelligibiles abstractas à phantasmatibus poterat etiam alias, & alias abstrahere.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt, quæ supra diximus *q.* 9. *a.* 4. vbi *ex hoc art. & præsertim ex responsione ad* 1. & 2. probauimus contra quosdam recentiores Thomistas scientiam hanc non fuisse acquisitam in primo instanti conceptionis Christi, sed longo temporis tractu: ita vt hæc scientia in sola Christi ætate perfecta fuerit omnib. numeris absoluta: quo ad singulas autem inferiores ætates perfectionem habuerit vnicuiq; conuenientem: vt ait hic S. D. *ad* 2. Videnda sunt etiam quæ scribunt Med. *super hoc art.* & Suar. *disp.* 30. & Vasq. *disp.* 55.

Refertur opinio dicentium Christum à principio suæ Incarnationis habuisse scientiam acquisitã partim ex phantasmatibus, partim ex speciebus infusis.

ADVERTE *quosdam* recentiores existimare Christum à principio suæ Incarnationis habuisse scientiam acquisitam partim ex phantasmatibus, & partim ex speciebus infusis: ex quibus affirmant potuisse Christum alias sibi species formare, quæ ad hanc scientiam pertinerent, & essent ordinis naturalis, diuersæ tamen rationis à speciebus abstractis à phantasmatibus, & successu temporis Christum virtute intellectus agentis nouas ex phantasmatibus species eadem obiecta repræsentantes acquisiuisse. Et ita dicunt posse conciliari diuersa dicta D. Th. quæ videntur opposita: Nam *in opusc.* 2. *cap.* 216. ait Christum in cognitione naturali scibilium solum profecisse per experientiã, & *infra q.* 15. *a.* 3. *ad* 3. ait Christum nunquam fuisse hominem, quin habuerit istam scientiam: *hic vero* ait scientiam hanc augmentatam fuisse: quia poterat intellectus agens post primas species intelligibiles: abstractas à phantasmatibus alias & alias abstrahere. Sed priora loca (inquiunt) intelliguntur de scientia omnium naturalium: quod scilicet ea omnia cognouit per aliquas ex prædictis speciebus: in hoc autem articulo dicens scientiam hanc auctam fuisse non negat eam à principio attigisse omnia obiecta, sed solum intendit eam non attigisse obiecta omnia per species tam acquisitas ex sensibilibus, quam ex speciebus infusis deductas, & formatas. Nam si à principio per species ab infusis speciebus deductas omnia cognoscebat, postea fuit aucta secundum essentiam per additionẽ nouarum specierum à phantasmatibus abstractarum, quibus eadem repræsentabantur. *sis, & partim ex phãtasmatib.*

Confutatio.

Sed in hac sententia multa sunt falsa. *Primo namque falsum est* ex specieb. infusis posse species alias ad habitum inferioris scientiæ pertinentes deriuari. Nec eadẽ ratio est de visione Apostoli Pauli: nam visio beatifica per nullam fieri potest creatam speciem, sed per solam diuinam essentiam: verum quia visa in diuina essentia res quædam creatæ sunt & finitæ, possunt per creatas & finitas species expressas à beato concipi, & inferioris ordinis notitia cognosci. Et quia species illæ ab obiecto primario, quod est essentia diuina continens creaturas vt obiecta secundaria, sunt deductæ: ideo vim habent etiam specierum impressarum quo ad hoc, quod est in memoria conseruari, & posse esse principia nouæ cognitionis. Deinde essentia Dei, cum sit primum omnium intelligibilium & rationum intelligendi, fons est omnium ad quemcunque ordinem intelligibiliũ pertinentium, ac proinde mirum non est si ab intellectu beati clare visa causet in eo species quasdam creaturarum in ipsa relucentium repræsentatiuas. Hæc autem scientiæ infusæ & eius obiecto minime congruunt: igitur ex specieb. aut obiectis scientiæ infusæ nullæ poterunt species illis inferiores deriuari.

Secundo, datis huiusmodi speciebus ex infusis animæ Christi formatis, *falsum est* eas esse ordinis naturalis. Non enim potest scientia supernaturalis scientiam parere naturalem. Vnde sicut nostra Theologia, quæ ex principijs deducitur immediate reuelatis, dicitur scientia mediate reuelata & absolute supernaturalis, ita species suæ simpliciter essent supernaturales, & lumen ac consequenter habitus supernaturalis. Ex quo *tertio sequitur non posse* vnum habitum constitui ex eis, & speciebus à phantasmatibus abstractis.

Denique falsum est talem scientiam esse vere acquisitam & experimentalem: hæc enim ex rerum singularium experimentali cognitione per sensus habita comparatur: illa vero, quam sibi confingunt auctores prædicti, ex infusis & supernaturalibus speciebus, quasi naturali sequela deriuatur, & ideo magis proprie dici posset infusa mediate, quam acquisita, & nullo modo experimentalis.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus aliquid ab homine didicerit.

AD tertium sic proceditur. *Videtur, quod Christus aliquid ab hominibus didicerit. Dicitur enim Luc. 2. quod inuenerunt eum in templo in medio Doctorum interrogantem illos, & respondentem. Interrogare vero, & respondere est addiscentis. Ergo Christus aliquid didicit ab hominibus.*

Præterea: Acquirere scientiam ab homine docente, videtur esse nobilius, quam acquirere à rebus sensibilibus: quia in anima hominis docētis sunt species intelligibiles in actu, in rebus autem sensibilibus sunt species intelligibiles solum in potentia. Sed Christus accipiebat scientiam experimentalem ex rebus sensibilibus, vt dictum est. Ergo multo magis potuit accipere scientiam addiscendo ab hominibus. B

Art. prec.

Præterea: Christus secundum scientiam experimentalem non omnia à principio sciuit, sed in ea profecit, vt dictū est. Sed quilibet audiens sermonem significatiuum alicuius, potest addiscere, quod nescit. Ergo Christus potuit ab hominibus aliqua addiscere, quæ secundum hanc scientiam nesciebat.

Sed contra est, quod dicitur Isa. 55. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus. Præceptoris autem non est doceri, sed docere. Ergo Christus non accepit aliquam scientiam per doctrinam alicuius hominis.

Art. prec.

Respondeo dicendum, quod in quolibet genere id, quod est primum mouens, non mouetur secundum illam speciem motus: sicut primum alterans non alteratur. Christus autem constitutus est à Deo caput Ecclesiæ, quinimo omnium hominum (vt supra dictum est) vt non solum omnes per ipsum gratiam acciperent: sed etiam vt omnes ab eo doctrinam veritatis reciperent. Vnde ipse dicit Ioan. 18. In hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Et ideo non fuit conueniens eius dignitati, vt à quocunque homine doceretur. C

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Origen. dicit super Luc. Dominus interrogabat, non vt aliquid addisceret, sed vt interrogatus erudiret. Ex vno quippe doctrinæ fonte manat, & interrogare, & respondere sapienter. Vnde, & ibidem in Euangelio sequitur, quod stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia, & responsis eius.

Hom. 19. t. 3

Ad secundum dicendum, quod ille, qui addiscit ab homine, non accipit immediate scientiam à speciebus intelligibilibus, quæ sunt in mente ipsius, sed mediantibus vocibus sensibilibus, tanquam signis intelligibilium conceptionum. Sicut autem voces ab homine formatæ sunt signa intellectualis scientiæ ipsius, ita creaturæ à Deo conditæ sunt signa sapientiæ eius. Vnde dicitur Eccles. 1. quod Deus effudit sapientiam super omnia opera sua. Sicut igitur dignius est doceri à Deo, quam ab homine: ita dignius est accipere scientiam per sensibiles creaturas, quam per hominis doctrinam. D

Ad tertium dicendum, quod Iesus proficiebat in scientia experimentali, sicut & in ætate: vt dictum est. Sicut autem ætas opportuna requiritur ad hoc, quod homo accipiat scientiam per inuentionem, ita etiam ad hoc, quod accipiat scientiam per disciplinam. Dominus autem, nihil fecit, quod non congrueret eius ætati: & ideo audiendis doctrinæ sermonibus, non accommodauit auditum, nisi illo tempore, quo poterat etiam per viam experientiæ talem scientiæ gradum attigisse. Vnde Greg. dicit super Ezech. Duodecimo anno ætatis suæ interrogare dignatus est homines in terra: quia iuxta rationis vsum doctrinæ sermo non suppetit, nisi in ætate perfecta. E

Art. prec.

Forma Textus.

CONCL. *est: Non fuit conueniens dignitati Christi, vt à quocunque homine doceretur.* Probatur: quia Christus constitutus est à Deo caput Ecclesiæ & omnium hominum, vt non solum omnes per ipsum gratiam acciperent, sed etiam vt omnes ab eo doctrinam veritatis reciperent: ergo non fuit conueniens &c. Antecedens probatur auctoritate Domini *apud Ioannem 18. cap.* dicentis *in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt test. perhib. ver.* Conseq. vero probatur: quia in quolibet genere id, quod est primum mouens, non mouetur secundum illam speciem motus, qua mouet: sicut primum alterans non alteratur. A

Expositio Textus.

AD huius articuli intelligentiam *notandum est* tria esse genera cognoscibilium ab homine per alterius hominis docentis magisterium. *Primū* est rerum seu mysteriorum supernaturalium. *Secundum* est rerum omnium ad scientias naturaliter acquisibiles pertinentium. *Tertium* est rerum singularium præsentium secundum tempus, absentium autem secūdum locum & rerum præteritarum, aut contingenter vel libere futurarum, aut etiam libere factarum: quales sunt vocum significationes secundum diuersarum gentium vsum.

Et de primo quidem rerum ordine præcipue intelligenda est conclusio S. Tho. cuius oppositum nullus præter Gnosticos seu Valentinianos hæreticos ausus est affirmare: vt patet apud Iren. *lib. 1. contra hæreses, cap. 17.* & colligitur hæc veritas ex illo *Matth. 13* Docebat eos in synagogis eorum: ita vt mirarentur, & dicerent: vnde huic sapientia hæc, & virtutes? & *Marci 6. cæpit in synagoga docere, & multi audientes admirabantur in doctrina eius dicentes: Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia, quæ data est illi?* & *Ioan. 7 quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Eandem veritatem explicant Augustinus *tractatu 29. in Ioan.* Cyril. *lib. 4. & nono in Ioan. ca. 8. & in Isaiam, cap. 41. in fine,* & Galatinus *lib 3. cap. 29.* Ad secundum etiam rerum cognoscibilium ordinem extenditur secundario conclusio D. Tho. vt expresse patet *ex respons. ad 2.* vbi id optimo probatur argumento. Cui adde Christum fuisse supremum veritatum supernaturalium doctorem, ad quas veluti certissimas & infallibiles confirmi debent, & examinari veritates naturales. *De tertio* vero cognoscibilium ordine paulo maior est difficultas. *Quidam* enim existimant haud absurdum esse Christum nonnullorum præteritorum & aliquorum futurorum contingentium ab aliis notiam accepisse; vt cum Mater illi dixit *Luc. 2. Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Sed hæc solutio,* cum non satis videatur congrua dignitati Christi, merito reijcitur à Medina. B

1. Solut.

Reijcitur.

Alij recentiores dicunt Christum ex se prædicta cognouisse, non quidem modo scientifico, sed per directionem scientiæ infusæ, potuit adiuuari ad indagandum cognitionem omnium naturalium, quæ intellectus agens potest attingere. *Sed hæc* responsio deficit: quia singularia præterita vel futura, & præsertim contingētia & libera nequeunt attingi per lumen intellectus agentis. C

2. Solut.

Reijcitur.

Tertio igitur respondet Medina Christum à nullo veluti Magistro edoctum fuisse, sed tantum à rebus ipsis. Vnde (inquit) quando quispiam aliquid Christo dicebat, talis se habebat vt discipulus, qui in libro legit vt inde magister veritates actu cognoscat, quas ante sciebat in virtute vel in habitu. Sciebat enim Christus per scientiam inditam, vel beatam veritatem omnem à quocunque relatam, & ita non credebat propter aliorum dicta. Quæ responsio optima est. D

Solutio Medina.

Vel dicas ad veritatē conclusionis dicentis Christum nihil ab homine didicisse, nō esse necesse vt per omnē scientiā vniuersa cognouerit, atq; adeo vt per

Alia solutio

vt per scientiam acquisitam cognouerit omnia A singularia & contingentia ac libera (hæc enim ad habitum scientiæ experimentalis minime pertinent) sed satis esse, quod hæc per aliquam animæ suæ scientiam ante cognouerit, quam per hominis locutionem aut nutum potuerint ei manifestari: In auditione vero talium rerum nulla scientiæ Christi acquisitæ fiebat accessio: sed externis ac internis ea tantum sensibus ingerebantur, & ad nonnullum experimentū inditæ scientiæ pertinebant.

CIRCA *resp.* ad primum argum. aduerte D. Th. non omnes interrogandi causas recensuisse, sed duas tantum quæ suo deseruiebant instituto. Præter quas sunt aliæ plures, quas afferunt Chrysost. B *hom.* 17. *in Ioan. & hom.* 70. *in Matth. & hom.* 4. *de patientia Iob.* Ambr. *lib.* 5. *de Fide, cap.* 8. Orig. *hom.* 16 *in numer. & hom.* 13. *in Matth.* & alij.

CIRCA *resp.* ad 2. vbi dicitur Christum à rebus sensibilibus scientiam accepisse, obijci potest doctrina D. Tho. infra *q.* 61. *a.* 2. dicentis statui innocentiæ non conuenire, vt anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam per aliquod corporale: constat autem maiorem fuisse Christi perfectionem, quam status innocentiæ: *Sed facile soluitur* dicendo D. Th. hic loqui de cognitione naturali: quam etiam Adæ filij durante statu innocentiæ ex sensibilibus acquisiuissent, vt ait S. D. 1. *p. q.* 101. *art.* 1. infra vero de cognitione supernaturali: vt ibidem etiam aduertit Suarez. Aliam solutionem affert Bergomensis, *dubio* 740. *& dub.* 1. 107. sed prior est melior. C

ARTICVLVS IV.

Vtrum Christus aliquid acceperit ab Angelis.

Inf. q. 30. *a.* 2. 1. *&* 3. *d.* 13 *q.* 2. *ar.* 2. *q.* 1. *&* 3. *dis.* 14. *ar.* 3. *q.* 6.

AD quartum sic proceditur. *Videtur, quod Christus ab Angelis scientiam acceperit. Dicitur enim Luc.* 22. *quod apparuit Christo Angelus de cælo, confortans eum. Sed confortatio fit per verba confortatoria docentis: secundum illud Iob* 4. *Ecce docuisti plurimos, & manus lassas roborasti, vacillantes confirmauerunt sermones tui. Ergo Christus ab Angelis edoctus est.*

Præterea: Dionys. dicit 4. *Cæl. Hier. Video enim, quod* D *& ipse Iesus, supercæleſtium substantiarum supersubstantialis substantia, ad nostram intransmutabiliter ventens, obedienter subijcitur Patris, & Dei per Angelos formationibus. Videtur igitur, quod ipse Christus ordinationi legis diuinæ subijci voluerit, per quam homines mediantib. Angelis eruduntur.*

Præterea: Sicut corpus humanum naturali ordine subijcitur corporibus cæleſtibus: ita etiam humana mens Angelicis mentibus. Sed corpus Christi subiectum fuit impressionibus cæleſtium corporum: passus est enim calorem æstate, & in hyeme frigus, sicut & alias humanas passiones. Ergo etiam eius mens humana subiacebat illuminationibus supercæleſtium spirituum.

Sed contra est, quod Dion. dicit 7. *c. Cæl. hierarch. quod* E *supremi Angeli ad ipsum Iesum quæstionem faciunt, diuinique illius operis, & pro nobis assumptæ carnis scientiam discunt, & eos ipse Iesus sine medio docet. Non est autem eiusdem docere, & doceri. Ergo Christus non accepit scientiam ab Angelis.*

Respondeo dicendum, quod sicut anima humana media est inter spirituales substantias, & res corporales: ita duobus modis nata est perfici. Vno quidem modo per scientiam acceptam ex rebus sensibilibus: Alio modo per scientiam inditam, siue impressam ex illuminatione spiritualium substantiarum. Vtroque autem modo anima Christi fuit perfecta: ex sensibilibus quidem secundum scientiam experimentalem, ad quam quidem non requiritur lumen Angelicum, sed sufficit lumen intellectus agentis: ex impressione vero superiori secundum scientiam infusam: quam est immediate adeptus à Deo. Sicut enim supra communem modum creaturæ anima illa vnita est Verbo in vnitate personæ: ita supra communem modum hominum, immediate ab ipso Verbo repleta est scientia, & gratia. Non autem mediantibus Angelis, qui etiam ex influentia Verbi, rerum scientiam in sui principio acceperunt, sicut in secund. super Genes. ad litteram Augustin. dicit. *Lib.* 2. *c.* 8. *to.* 3. *Cap.* 92. *lib.* 6. *in luc. t.* 2.

D. 1118.

Ad primum ergo dicendum, quod illa confortatio Angeli non fuit per modum instructionis, sed ad demonstrandam proprietatem humanæ naturæ. Vnde Beda dicit super Luc. In documento vtriusque naturæ, & Angeli ei ministrasse, & eum confortasse dicuntur. Creator enim creaturæ suæ non eguit præsidio: sed homo factus, sicut propter nos tristis est, ita propter nos confortatur, vt scilicet in nobis fides incarnationis ipsius confirmetur. *lib.* 6. *c.* 19.

Ad secundum dicendum, quod Dion. dicit Christum fuisse formationibus Angelicis subiectum: non ratione sui ipsius, sed ratione eorum, quæ circa eius incarnationem agebantur, & circa ministrationem eius in infantili ætate constituti. Vnde ibidem subdit, quod per medios Angelos nuntiatur Ioseph à Patre dispensata Iesu ad Ægyptum recessio, & rursum ad Iudæam de Ægypto traductio.

Ad tertium dicendum, quod filius Dei assumpsit corpus passibile (vt infra dicetur) sed animam perfectam scientia, & gratia. Et ideo corpus eius conuenienter fuit subiectum impressioni cælestium corporum: anima vero eius non fuit subiecta impressioni cælestium spirituum. *q.* 14. *ar.* 1.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quæsito duabus conclusionibus.

Distinctio est: Anima humana duobus modis nata est perfici. Vno quidem modo per scientiam acceptam à rebus sensibilibus. Alio modo per scientiam inditam siue impressam ex illuminatione spiritualium substantiarum. Declaratur hæc distinctio: quia anima media est inter spirituales substantias & res corporeas.

PRIMA CONCL. *Anima Christi perfecta fuit ex sensibilibus secundum scientiam experimentalem absque lumine Angelico.* Probatur: quia ad hanc scientiam sufficit lumen intellectus agentis.

SECVNDA CONCL: *Anima Christi perfecta est ex impressione superiori secundum scientiam infusam, quam est immediate adeptus à Deo.* Probatur: Quia Anima Christi supra communem modum creaturæ vnita est Verbo in vnitate personæ: ergo etiam supra communem modum hominum immediate ab ipso Dei Verbo repleta est scientia & gratia, & non mediantibus Angelis. Consequentia probatur à minori ad maius: quoniam Angeli, qui non fuerunt vniti Verbo personaliter, ex eius tamen influentia rerum scientiam in sui principio acceperunt: vt ait Augustinus *super Gen. ad litteram*: ergo multo magis anima Christi, quæ Verbo fuit vnita personaliter, scientiam ab eo recepit influxam.

Expositio Textus.

NOTANDVM *est primo*, Christum per scientiam infusam potuisse potentia proxima cognoscere in actu secundo, quæcunque hominum aut Angelorum locutione, aut quocunque modo fuerunt eius intellectui præsentata, & virtute eiusdem scientiæ formare phantasmata, & ab eis species abstrahere: atque ideo nec ab hominibus, nec ab Angelis aliquid didicisse, aut ab eis de aliqua veritate illuminatum fuisse. Sicut nec Angelus superior ex inferioris allocutione illuminatur, vt ait S. D. 1. *par. q.* 107. *art.* 3. neque magister

ex interrogatione discipuli quidquã addiscit aut illuminatur, sed ad ea tantum excitatur considerãda in actu secundo, cum prius posset potentia proxima seipsum ad eorum considerationem excitare. Illuminatio namque in eo solo fit intellectu, qui proxima caret potẽtia ad aliquid cognoscendum: vt ait S.D. *in 3. dist. 14 q. 1. a. 3. q. 6.* & patet ex ijs, quæ late diximus *in 1. p. q. 106. a. 1.*

Secundo notanda sunt ea, quæ scribit Med. & post eum Vasq. *disp. 56. cap. 1.* circa narrationem illam *Lucæ 22. Apparuit autem illi Angelus de Cœlo confortans eum* &c. quam affert in primo argumento S.D. & in eius solutione declarat. Quamuis enim ex antiquis nonnulli diuinæ scripturæ partem nõ esse contenderint, aut de eius sinceritate dubitauerint: nunc tamen approbata per Concilium Trid. editione vulgata narrationem illam conuenire nulli salua fide licitum est de ea dubitare.

Controuersia Vnica.

An Christus reuera ab Angelo fuerit confortatus: ita vt aliquid leuaminis, & consolationis ex colloquio illius acceperit?

Sent. Doct. VAsquez *disp. 56. cap 2.* ait se multo probabilius existimare Angelum Domini ita Christo apparuisse, vt nullam ei consolationem adhibuerit, sed eius potius robur & animi magnitudinẽ laudaueri:, quod tam prompto animo mortis periculo vltro se obtulisset: & pro iua sententia multos allegat Patres ac præsertim Epiph. *hæresi 69.* cuius verba late refert.

Sed oppositum docent hic S. Tho. *ad primum*, & Cai. *in eius expositione*: Medina *in suo commentario*: qui tamen addit Angelum, quantum in se erat, Christum confortasse, quamuis Christus cõsolationem illam non acceptare visus sit: quia statim subditur: *Factus in agonia prolixius orabat.*

Resolutio. Christum vere, ac proprie fuisse ab Angelo confortatũ. SCIENDVM est ex D. Thom. *in 3. dist. 14. quæst. 1. a. 3. quæstiunc. 6. ad 2.* Christum ex Angelorum ministerio confortationem accepisse, non enim (inquit) confortabatur per instructionem, sed eo modo, quo ex colloquio & præsentia amicorum & familiarium homo naturaliter confortatur in tristitijs: & *in 1. 2. q. 32. art. 5.* ait homines in hoc delectari, quod laudantur aut in admiratione habentur: quia per aliorum laudes & admirationem quandam accipiunt cognitionem vel æstimationem propriæ bonitatis vel magnitudinis, in quibus aliquis delectatur. Cum igitur, vt notat Vasq. ex Chrys. Theophil. & Epiph. Angelus *Luc. 22.* admiratione ductus Christum ad passionem procedentem laudauerit, glorificauerit ac benedixerit dicens: tua est adoratio, tuum est dominium, tua est potentia, tua est fortitudo &c. consequens est Christum ab Angelo consolationem accepisse, quatenus scilicet propriẽ virtutis & excellentiæ notitia de potentia proxima fuit in actum secundum per Angeli locutionem reducta, & ipsius Angeli veluti amici ac familiaris præsentia delectationem attulit, tristitiæ leuamen afferentem. Qui modus dicendi longe melior est eo, quem ex alijs affert & sequitur Vasq. quia proprium & formalem absque vlla absurditate saluat diuinæ scripturæ sensum: qui etiam veritatem indicat assumptæ à verbo humanitatis: vt *in allegata quæstiunc. 6. ad 2.* S.D. aduertit. Hunc dicendi modum sequuntur Hieron. *Dial. 2. contra Pelagianos*: Hilar. *lib. 10. de Trinit. ante medium* Cyril. *Epist. 9. circa finem*: Bernar. *serm. 1. de S. Andrea*: Beda *Luc. 22.* Damasc. *lib. 3. de fide, c. 20.* vt illum explicat Nicetas *lib. 3. Thesauri c. 37.* Iansen. *in concordia c. 137. Luc. 22.* idem asserunt Dion. Carth. Lyranus & Cai. *in suis commentarijs.*

Ex his ad quæsitum respondetur hac vnica *conclus. Christus vere ac proprie fuit ab Angelo confortatus, ita vt aliquid leuaminis & consolationis ex colloquio & præsentia illius acceperit.*

CONTRA propositam concl. argumentatur Vasq. *Primo*: quia Christus in promptu habuit omnem rationem mitigãdi dolorem & tristitiam, & penitus eam extinguendi ac proinde consolandi seipsum, vt nihil ignorauerit, nihil non considerauerit, nihil non expenderit, ergo. Antecedẽs probatur: nam quis Christo inconsiderantiam eius, quod probe nouerat, in ea occasione concedat? atque ab Angelo ipsi fuisse in memoriam reuocatum dicere ausit? *Resp.* Christum voluntarie propter nostram salutem tristitiam & passiones omnes, quas habuit, assumpsisse, & propria virtute potuisse pro libito eas abijcere, & id quandoq; fecisse: sed ad ostendendam in se naturæ humanæ veritatem, & ad instructionem nostram intrinsecas omnes consolationis causas tunc ab actu cõsolandi retinuisse, atque ideo intellectum suum à consolantium consideratione retraxisse, vt totam in ea tristitia constitutus consolationem ab Angelo perciperet: vt bene Carthus. obseruat *in dicto cap. 22.* Vnde ad argumẽtum negatur antecedens quo ad vltimam illam partem, videlicet: nihil nõ considerauit, nihil nõ expendit: Ad cuius probationem dico inconsiderantiam priuatiue sumptã non esse Christo tribuendam: sed negatiuam illi posse congruere: non enim actu per scientiam inditam aut acquisitam omnia considerabat. Et quamuis omnia simul actu visione beata consideraret: dispensatiue tamen nullus ex ea deriuabatur in partem inferiorẽ consolationis effectus. *Obi. Vasq. 1. Solut.*

Secundo arguit: quia Luc. 22. postquam dictum est: *Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum*, proxime subditur: *& factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Ex quibus patet, post colloquium Angeli & confortationem potius creuisse dolorem, quam mitigatum fuisse: siquidem antea nõ erat factus in agonia, nec sanguinem sudauerat: igitur nullam Christus ab Angelo cõsolationem accepit. *Et confirmatur*: quoniam agonia est extremæ perturbationis species, quam Latini perturbationem appellant &c. *Resp.* nullam esse consequentiam, quia sicut libere Christus ab Angelo consolationem accepit, ita libere quando voluit, eam dimisit, & tristitiam ex apprehẽsione passionis ac mortis proxime imminentis consequentem admisit: & ideo post receptam ob dictam causam ab Angelo consolationem & breuem eius retentionem eam dimisit, inferiorem suæ humanitatis partem naturæ suæ relinquendo. Et quoniam ex Angelica consolatione non fuerunt ablatæ tot dispositiones ad agoniam ex præcedenti tristitia congregatæ, mirum non est, quod recedente consolatione & redeunte tristitia, qua dispositio perficiebatur ad agoniam, hanc effecerit cum sudore sanguineo: & quamuis Euangelista non referat moram aliquam inter consolationem ab Angelo receptam & agoniam intercessisse, non tamen affirmat hæc absque vlla temporis interposita mora contigisse, sed valde probabile est hæc aliqua tẽporis duratione fuisse distantia. *Obi. 2. Conf. Solut.*

Alia, quæ congerit idem auctor exponendo verba illa: *confortans eum* militant aduersus ipsum: vt patet ex ijs, quæ supra notauimus ex D. Thoma.

QVÆ-

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

De potentia animæ Christi, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de potentia animæ Christi. Et circa hoc quæruntur quatuor.

Primo, vtrum habuerit omnipotentiam simpliciter.

Secundo, vtrum habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Tertio, vtrum habuerit omnipotentiam respectu proprij corporis.

Quarto, vtrum habuerit omnipotentiam respectu exequutionis suæ voluntatis.

Ratio ordinis.

DVAS habet partes hæc quæstio. Prior, qua tres primos complectitur articulos, tres potentiæ modos excludit ab anima Christi. Posterior, quæ vltimo continetur articulo, vnum illi modum omnipotentiæ conuenientem examinat. In excludendis autem tribus illis modis procedit secundum ordinem elongationis eorum ab anima Christi; quia magis illi repugnantes facilius excluduntur; constat autem magis animæ Christi repugnare omnipotentiam simpliciter, de qua primus agit articulus, quam omnipotentiam respectu immutationis creaturarum; de qua secundo tractatur articulo; & hanc maiorem habere repugnantiam, quam omnipotentia respectu proprij corporis; de qua tertio disputatur articulo.

ARTICVLVS I.

Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter.

Inf. tribus art. huius q. & q. 21. art. 1. & 1. d. 43. q. 1. art. 1. 2. & 3. d. 14. a. 4. gloss. ord. id habet ex Amb. luc. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod anima Christi habuerit omnipotentiam. Dicit enim Ambros. super Luc. Potentiam, quam Dei filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus. Sed hoc præcipue videtur esse secundum animam, quæ est potior pars hominis. Cum ergo Filius Dei ab æterno omnipotentiam habuerit, videtur, quod anima Christi ex tempore omnipotentiam acceperit.

Præterea: Sicut potentia Dei est infinita, ita etiam, & eius scientia. Sed animæ Christi habet omnium scientiam, quæ scit Deus quodammodo: vt supra dictum est. Ergo etiam habet omnium potentiam, & ita est omnipotens.

Præterea: Anima Christi habet omnem scientiam. Sed scientiarum quædam est practica, quædam speculatiua. Ergo habet eorum quæ scit, scientiam practicam, vt scilicet scia: facere ea, quæ scit. Et sic videtur, quod omnia facere possit.

q. 2. a. 1. & 2

Sed contra: Illud, quod est proprium Dei non potest alicui creaturæ conuenire. Sed proprium est Dei esse omnipotentem: secundum illud Exod. 15. Iste Deus meus, & glorificabo eum. Et postea subditur, Omnipotens nomen eius. Ergo anima Christi cum sit creatura, non habet omnipotentiam.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, mysterio incarnationis, ita facta est vnio in persona, quod tamen remansit distinctio naturarũ, vtraque scilicet natura retinente id, quod sibi est proprium. Potentia autem actiua cuiuslibet rei, sequitur formam ipsius, quæ est principium agendi. Forma autem, vel est ipsa natura rei, sicut in simplicibus, vel est constituens ipsam rei naturam, in his scilicet, quæ sunt composita ex materia, & forma. Vnde manifestum est, quod potentia actiua cuiuslibet rei, consequitur naturam ipsius. Et per hunc modum, omnipotentia A consequenter se habet ad diuinam naturam. Quia enim natura diuina est ipsum esse Dei incircumscriptum (vt patet per Dionys. cap. 5. de Diuin. nom.) inde est, quod habet D 945. potentiam actiuam respectu omnium, quæ possunt habere rationem entis, quod est habere omnipotentiam. Sicut, & quælibet alia res habet potentiam actiuam respectu eorum, ad quæ se extendit perfectio suæ naturæ: sicut calidum ad calefaciendum. Cum igitur anima Christi sit pars humanæ naturæ, impossibile est, quod omnipotentiam habeat.

Ad primum ergo dicendum, quod homo accepit ex tempore omnipotentiam, quam Filius Dei habuit ab æterno per ipsam vnionem personæ: ex qua factum est, vt sicut homo dicitur Deus, ita dicatur omnipotens. Non quasi sit alia omnipotentia hominis, quam filij Dei, sicut nec alia Deitas: sed eo quod est vna persona Dei, & hominis.

B Ad secundum dicendum, quod alia ratio est de scientia, & potentia actiua: sicut quidam dicunt. Nam potentia actiua consequitur ipsam naturam rei, eo quod actio consideratur, vt egrediens ab agente. Scientia autem non semper habetur per ipsam essentiam scientis, sed potest haberi per assimilationem scientis ad res scitas, secundum similitudines susceptas. Sed hæc ratio non videtur sufficere: quia sicut aliquis potest cognoscere per similitudinem susceptam ab alio, ita etiam potest agere per formam ab alio susceptam: sicut aqua, vel ferrum calefacit per calorem susceptum ab igne. Non ergo per hoc prohibetur, quin sicut anima Christi per similitudines omnium rerum sibi à Deo inditas potest omnia cognoscere, ita per easdem similitudines possit ea facere.

Est igitur vlterius considerandum, quod id, quod à superiori natura in inferiori recipitur, habetur per inferiorem modum: non enim calor in eadem perfectione, & virtute recipitur ab aqua, quæ est in igne. Quia igitur animæ Christi inferioris naturæ est, quam natura diuina, similitudines rerum non recipiuntur in ipsa anima Christi secundum eandem perfectionem, & virtutem, secundum quam sunt in natura diuina. Et inde est, quod scientia animæ Christi est inferior scientia diuina, quantum ad modum cognoscendi, quia Deus perfectius cognoscit res, quam anima Christi: & quantum etiam ad numerum scitorum; quia anima Christi non cognoscit omnia, quæ Deus potest facere, quatamen Deus cognoscit scientia simplicis intelligentiæ, licet cognoscat omnia præsentia, præterita, & futura, quæ Deus cognoscit scientia visionis. Et similiter similitudines rerum, animæ Christi inditæ, non adæquãt virtutem diuinam in agendo, vt scilicet possint omnia agere, quæ Deus potest, vel etiam eo modo agere, sicut Deus agit, qui agit infinita virtute, cuius creatura non est capax: Nulla autem res est, ad cuius cognitionem aliqualiter habendam requiratur virtus infinita, licet aliquis modus cognoscendi sit virtutis infinitæ: quædam tamen sunt, quæ non possunt fieri, nisi à virtute infinita, sicut creatio, & alia huiusmodi: vt patet ex his, quæ in prima parte dicta sunt. Et ideo anima Christi, quæ cum sit creatura, est virtutis finitæ, potest quidem omnia cognoscere, sed non per omnem modum: non autem potest omnia facere: quod pertinet ad rationem omnipotentiæ. Et inter cætera manifestum est, quod non potest creare seipsam. C D *quæst. 45.*

Ad tertium dicendum, quod anima Christi habuit, & scientiam practicam, & speculatiuam: non tamen oportet, quod omnium illorum habeat scientiam practicam, quorum habuit scientiam speculatiuam. Ad scientiam enim speculatiuam habendam sufficit sola conformitas, vel assimilatio scientis ad rem scitam: ad scientiam autem practicam requiritur, quod forma rerum, quæ sunt in intellectu, sint factiuæ. Plus autem est habere formam, & imprimere formam habitam in alterum, quam solum habere formam: sicut plus est lucere, & illuminare, quam solum lucere. Et id est, quod anima Christi habet quidem speculatiuam scientiam creandi (scit enim qualiter Deus creat) sed non habet huius rei scientiam practicam: quia non habet scientiam creationis factiuam. E

Sensus Quæsiti.

DICTIO illa *simpliciter* dupliciter sumi potest: Vno modo, vt idem est quod absolute siue nullo addito; Alio modo, prout idem est quod omnibus modis: hic sumitur vtroq; modo; & primo quidem modo sumi indicat conclusio, qua respõdetur quæsito; quæ in actu exercito de omnipotentia loquitur absolute, id est sine addito, negans omnipotentiam animæ Christi conuenire. Secundum autem sensum indicant tres sequẽtes articuli, in quibus quæritur de omnipotentia cum addito limitante, ad immutationem creaturarum, vt in artic. 2. vel ad proprium corpus, vt in tertio; vel ad executionem propriæ voluntatis, vt in quarto. Coincidunt enim in re præsenti primus & secundus sensus; vt infra dicemus.

Forma Textus.

CONCLVS. *est: impossibile est, quod anima Christi omnipotentiam habeat.* Probatur: quia omnipotentia consequitur ad diuinam naturam; sed anima Christi non est naturæ Diuinæ, sed est pars humanæ naturæ; ergo impossibile est, &c. Maior probatur: quia diuina natura est ipsum esse incircumscriptum; ergo habet potentiam actiuam respectu omnium, quæ possunt habere rationem entis, quod est habere omnipotentiam. Antecedens probatur: quia potentia actiua cuiuslibet rei consequitur naturam ipsius; ergo omnipotentia consequitur naturam diuinam, quæ est ipsum esse. Antecedens probatur: quia potentia cuiuslibet rei sequitur formam ipsius, quæ est principiũ agendi, & est idem quod ipsa natura rei, vt in simplicibus; vel est constituens ipsam naturam rei, vt in compositis ex materia & forma. Cõsequentia vero probatur: quia quælibet res habet potentiam actiuam respectu eorum, ad quæ se extendit perfectio suæ naturæ; sicut calidum ac calefaciẽdum; igitur natura diuina, ex hoc, quod est tantæ perfectionis, vt sit ipsum esse incircumscriptum, habet potentiam actiuam respectu omnium. Minor vero principalis argumenti probatur: Quia in mysterio Incarnationis, ita facta est vnio in persona, vt tamen remanserit distinctio naturarum, vtraque scilicet natura retinente id, quod sibi est proprium.

Expositio Textus.

OBSERVANDVM *est primo*; quod licet perfectiones omnes & attributa Dei sunt infinita simpliciter, nec possint creaturæ nisi finito modo communicari; differentia tamen est in nominibus diuinas perfectiones & attributa significantibus; Nam quædam Dei perfectionem significant absolute, vt sapientia bonitas & potentia; & hæc etiam absolute, id est, sine addito communicãtur creaturis, & de illis prædicantur; non tamen vniuoce, sed analogice. Quædam autem perfectionem significant cum infinitate, siue sint complexa, vt actus purus, prima causa, esse per essentiam, &c. siue sint incomplexa; vt Deitas, & omnipotentia; & hæc simpliciter non communicãtur creaturis, aut de illis prædicantur, sed ab eis absolute remouentur; & ideo S. D. quæsito respondens interroganti; Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter, respondet absolute animam Christi non habere omnipotentiam. Nomen enim omnipotentiæ virtutem significat respicientem omnia, quæ non implicant contradictionem; quod idem significat omnipotentia simpliciter; ac proinde non differunt omnipotentia, & omnipotentia simpliciter; cum vtriusq; sit idem obiectum & eadem significatio.

Secundo aduerte quasdam perfectiones operatiuas, seu virtutes actiuas soli Deo, vt supremæ ac principali causæ conuenientes posse creaturę, saltem vt instrumento, communicari; vt virtus causandi gratiam & potestas miraculorum; Quibusdam autem repugnat ita communicari; quoniam ex sua ratione vendicant sibi infinitatem simpliciter; vt potentia creandi, siue principaliter, siue instrumentaliter; vt ostendimus *in 1. p. q. 45. art. 5.* & ob eandem causam nullo modo potest omnipotentia communicari creaturæ; quia ratio omnipotentiæ est ratio causæ principalis & independentis, dicit enim virtutem omnia possibilia respicientem; & ideo manifesta cõtradictio est dicere omnipotentiam esse virtutem instrumentalẽ aut causam minime principalem. Causa namque omnis instrumentalis & secundaria per influxum mouetur à principali agente deriuatũ; hunc autem influxum nulla potest creatura in semetipsa producere, per hunc enim influxum causa instrumentalis constituitur in ratione causæ agẽtis, & ab eodem influxu cæteræ causæ principaliter agentes recipiunt complementum, quo sunt actu causæ, prius natura, quam operentur. Constat autem nullam causam efficientem posse in se ipsa producere rationem formalem, per quã in esse causæ constituitur aut eiusdem rationis cõplementum. Et confirmatur: quia influxus ille est effectus proprius, & libere productus à prima & vniuersalissima causa, quatenus illi subordinantur essentialiter omnes aliæ causæ; igitur à nulla alia produci potest. Confirmatur secundo & explicatur: quia influxus ille dicit dependentiam essentialem secundæ causæ, quatenus actu causa est à prima dependens; at nulla causa secunda potest operari seu causare independenter à prima; ergo nulla causa secunda potest in seipsa, vel in alia producere dictum influxum, quo ad agendum mouetur à prima.

Tertio notandum est personalitatem infinitam simpliciter potuisse communicari animæ Christi, & toti eius humanitati; quia terminare naturam vt sic, non fit per informationem, nec vllam dicit imperfectionem; & eadem ratione potuit etiam existentia diuina eidem animæ & naturæ communicari: quia per eam non informatur natura; sed hoc ipso, quod assumpta natura terminatur diuina personalitate, existit existentia diuinæ personæ, vt ostendemus *infra qu. 17. art. 2* potentia vero ex sui ratione subordinatur naturæ, & eam informat; quod omni potentiæ repugnat respectu naturæ finitæ. Probatur antecedens: nam Aristot. *in 2. de anima*, probat animam esse actum corporis; quia est, quo viuimus, sentimus, &c. id est principium viuendi, sentiendi, &c. cum autem sit duplex operationis principium scilicet primũ & proximum, natura siue forma substantialis est primum agendi principium: potentia vero principium est agendi proximum naturæ subordinatum; constat autem omnipotentiã non esse creaturæ cõmunicabilem in ratione naturæ seu principij primi, alioquin creatura iam non esset creatura, sed esset Deus ipse creator; igitur si creaturæ communicaretur omnipotentia, communicaretur in ratione potentiæ quæ naturam informaret & ei subordinaretur. Ex quibus patet, cur per Deitatem potuerit sanctitas assumptæ naturæ cõmunicari, non autem omnipotentia; hæc enim sanctitatis communicatio non fit per informationem, sed per vnionem hypostaticam personæ sanctitatem habentis infinitam.

Circa primum argum. & eius responsionem aduerte non solum Ambros. sed multos alios Patres

eadem

eadem vsos fuisse forma loquendi, atque eorum dicta esse eodem modo interpretanda. Ex his vero quidam etiam affirmant humanitati vel animæ fuisse communicatam omnipotentiam; ita Damasc. *lib. 3. de fide, c. 8* Nicetas *in tractatu de Anima*, Cyril. *lib. de Incarnat. c. 8.* & Hieronym. vt refert Euseb. *in Epist. ad Damasum, quæ inserta est operibus D. Hieron.* in quorum dictis accipiendum est abstractum pro concreto; vt scilicet humanitas posita sit pro homine, & anima pro habente animam; vel non de omnipotentia simpliciter loquuntur dicti Patres, sed de quadam excellenti potestate animæ, & humanitati Christi singulariter communicata in ordine præsertim ad media fini redemptionis congruentia: quomodo possunt etiam accipi verba illa Domini *Matth. vltimo: Data est* B *mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*, & illa *Ioan. 13. Pater dedit ei omnia in manus*: quamuis non incongrue plures ex patribus eam traditionem, & acceptionem pro æterna generatione interpretantur.

Conciliantur dicta S. Thom.

Circa respons. ad tertium, vbi Caiet. affirmat D. S. correxisse, modum loquendi de scientia practica animæ Christi, quo vsus fuerat *in 3. dist. 14. art. vltimo, ad 2.* aduerte facile posse vtrumque dicendi modum conciliari dicendo scientiam aliquam dupliciter esse practicam: Vno modo, quia suum obiectum, & ea quæ sub eo continentur, considerat, quatenus ex eis sumi potest aliqua ratio morum, ita vt circa ea versetur, quatenus ex eis desumitur species, bonitas, aut malitia actionum humanarum in genere moris. Alio modo dicitur aliqua scientia practica; quia est effectiua C seu productiua obiecti per eam considerati. Sumendo itaque practicum primo modo affirmat S. D. scientiam animæ Christi esse practicam eminenter; quo etiam modo diximus *in 1. p. q. 1. art. 4.* nostram Theologiam esse practicam eminenter; hic vero negat esse practicam secundo modo, dicens ad scientiam practicam requiri, vt formæ rerum, quæ sunt in intellectu, sint factiuæ, & animam Christi non habere scientiam practicam creandi, quia non habet scientiam creationis factiuam. Vide etiam quæ scribit Vasq. *disp. 31. sect. 1.*

ARTICVLVS II.

Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu D *immutationis creaturarum.*

AD *secundum sic proceditur. Videtur, quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Dicit enim ipse Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Sed nomine Cœli, & terræ intelligitur omnis creatura: vt patet, cum dicitur Genes. 1. In principio creauit Deus cœlum, & terram. Ergo videtur, quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.*

Præterea: Anima Christi est perfectior qualibet creatura, sed qualibet creatura potest moueri ab aliqua creatura:
c. 4. tom. 1. *dicit enim Augustinus in tertio de Trinitate, quod sicut corpora crassiora, & inferiora, per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per spiritum vitæ rationalem, & spiritus vitæ rationalis desertor, atque peccator, per spiritum vitæ rationalem, pium, & iustum. Anima autem Christi etiam ipsos supremos spiritus mouet, illuminando eos: vt dicit Dionys. 7. cap. Cœl. hierarch. ergo videtur, quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.*

Præterea: Anima Christi habuit plenissime gratiam miraculorum, seu virtutum, sicut & cæteras gratias. Sed omnis immutatio creaturæ potest ad gratiam miraculorũ pertinere, cum etiam miraculose cœlestia corpora à suo ordine immutata fuerint: sicut Dion. probat in Epist. ad Polycar. Ergo anima Christi habuit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. A

Sed contra est, quod eiusdem est transmutare creaturas, cuius est eas conseruare. Sed hoc est solius Dei, secundum illud Heb. 1. Portans omnia Verbo virtutis suæ. Ergo solius Dei est habere omnipotẽtiam respectu immutationis creaturarum. Non ergo hoc conuenit animæ Christi.

Respondeo dicendum, quod hic duplici distinctione est opus. Quarum prima est ex parte transmutationis creaturarum: quæ triplex est. Vna quidem est naturalis, quæ sci- D. 219. *licet fit à proprio agente secundum ordinem naturæ. Alia vero est miraculosa, quæ fit ab agente supernaturali, supra consuetum ordinem, & cursum naturæ: sicut resuscitatio mortuorum. Tertia autem est secundum quod omnis creatura vertibilis est in nihil. Secunda autem distinctio est accipienda ex parte animæ Christi, quæ dupliciter considerari potest. Vno modo secundum propriam naturam, & virtutem; alio modo, prout est instrumentum Verbi Dei, sibi personaliter vniti. Si ergo loquamur de anima Christi secundum propriam naturam, & virtutem siue naturalem, siue gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus faciendos, qui sunt animæ conuenientes: puta ad gubernandum corpus, & ad disponendos humanos actus, & etiam ad illuminandum per gratia. & scientiæ plenitudinem, omnes creaturas rationales ab eius perfectione deficientes per modum, quo hoc est conueniens creaturæ rationali. Si autem loquamur de anima Christi, secundum quod est in-* D. 314. & 980. *strumentum Verbi vniti, sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas ordinabiles ad Incarnationis finem: qui est instaurare omnia, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt. Immutationes vero creaturarum, secundum quod sunt vertibiles in nihil, correspondent creationi rerum: prout scilicet producuntur ex nihilo. Et ideo, sicut solus Deus potest creare, ita solus po-* D. 896. *test creaturas in nihilum redigere: qui etiam solus eas in esse conseruat, ne in nihilum decidant. Sic ergo dicendum est, quod anima Christi non habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.*

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Hier. dicit, illi *Hier. in illud Matth. 28 data est mihi omnis potestas. to. 9* *potestas data est, qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui postea resurexit, id est Christo, secundũ quod homo. Dicitur autem sibi omnis potestas data, ratione vnionis per quam factum est, vt homo esset omnipotens: vt supra dictum est. Et quamuis hoc ante Resurrectionem innotuerit Angelis, post resurrectionem tamen innotuit omnibus hominibus: vt Remigius dicit. Tunc autem dicuntur res fieri, quando innotescunt: & ideo post Resurrectionem dicit Dominus sibi datam omnem potestatem in cœlo, & in terra.* *Art. prec. ad 1.* D. 152.

Ad secundum dicendum, quod licet omnis creatura sit mutabilis ab alia creatura præter supremum Angelum, qui tamen potest illuminari ab anima Christi, non tamen immutatio omnis, quæ potest fieri circa creaturam, potest fieri à creatura: sed quædam immutationes possunt fieri à solo Deo. Quæcunque tamen immutationes possunt fieri per creaturas, possunt etiam fieri per animam Christi, secundum quod est instrumentum Verbi, non autem secundum propriam naturam, & virtutem: quia quædam huiusmodi immutationum non pertinent ad animam, neque quantum ad ordinem naturæ, neque quantum ad ordinem gratiæ.

Ad tertium dicendum, quod (sicut dictum est in secun- E *da parte) gratia virtutum, seu miraculorum datur animæ alicuius Sancti, non vt propria virtute ei conueniat miracula facere, sed vt per virtutem diuinam huiusmodi miracula fiant. Et hæc quidem gratia excellentissime data est animæ Christi, vt scilicet non solum ipse miracula faceret sed etiam vt hanc gratiam in alios transfunderet. Vnde dicitur Matthæi decimo, quod conuocatis duodecim Discipulis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* I. 2. q. 111. artic. 1.

Ratio

Ratio ordinis & sensus quæsiti.

EXCLVSA ab anima Christi omnipotentia simpliciter, cuius obiectum est omne aliud ab esse per essentiam, illud scilicet omne, cuius esse aut fieri non implicat contradictionem, proponit quæsitum de omnipotentia secundũ quid seu cum addito eam limitante ad tale obiectum, quod est res omnis creata vt mutabilis; res enim actu creatæ aut etiam creãdæ, vt mutabilitati subiectæ, pars quædam sunt obiecti omnipotentiæ simpliciter dictæ.

Forma Textus.

PRÆMISSA duplici distinctione respondetur quæsito quatuor conclusionibus.

Prima distinctio, quæ sumitur ex parte transmutationis creaturarum, est: Triplex est transmutatio creaturarum. Prima est naturalis; quæ scilicet fit à proprio agente secundum ordinem naturæ. Secunda est miraculosa; quæ fit ab agente supernaturali supra cõsuetum ordinem, & cursum naturæ; sicut resuscitatio mortuorum. Tertia est, secundum quod omnis creatura vertibilis est in nihil.

Secunda distinctio, quæ sumitur ex parte animæ Christi, est: Anima Christi dupliciter considerari potest: Vno modo secundum propriam naturam & virtutem; Alio modo, prout est instrumentum Verbi Dei sibi personaliter vniti.

PRIMA CONCL. *Anima Christi secundum propriã naturam & virtutem siue naturalem siue gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus faciendos, qui sunt animæ conuenientes*; declaratur recensendo genera effectuum per virtutem animæ Christi producibiliũ; vt patet in Textu.

SECVNDA CONCL. *Anima Christi, vt est instrumẽtum Verbi sibi vniti, habet instrumentalem virtutem ad omnes illas mutationes miraculosas faciendas, quæ sunt ordinabiles ad Incarnationis finem.* Declaratur hæc conclusio dicendo cum Apostolo *ad Ephes.* 1. finem Incarnationis esse *instaurare omnia siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt.*

TERTIA CONCL. *Solus Deus potest creaturas in nihilum redigere.* Probatur: quia solus Deus potest creaturas in esse conseruare; ergo. Probatur consequentia: quia immutationes creaturarum, secundum quod sunt vertibiles in nihil, correspondent creationi rerum prout scilicet producuntur ex nihilo; ergo, sicut solus potest creare, ita solus potest creaturas in nihilum redigere; qui etiam solus eas in esse conseruat, ne in nihilum decidant.

VLTIMA CONCL. *Anima Christi non habet omnipotentiam respectu immutationũ creaturarum.* Hæc conclusio sequitur euidenter ex tribus præmissis conclusionibus, & præsertim ex Tertia.

Expositio Textus.

VIDENDA *sunt*, quæ scribit Caiet. & post eum Suar. *in tom.* circa sensum primæ, & secundæ Concluſ. & circa probationes earum omissas, & circa respõsiones ad argumenta. Vide etiam quæ notat Vasq circa textum.

Secundo circa declarationem primæ conclusionis notandum est animam Christi dupliciter posse homines aut Angelos illuminare. Vno modo physice, infundendo scilicet scientiam naturaliter acquisibilem aut supernaturalem; sicut in die Pentecostes Apostolis infudit sciẽtiam supernaturalem. Alio modo moraliter, scilicet per modum magisterij; vt late declarauimus *in* 1. *p. q.* 106. *art.* 1. Primus modus pertinet ad immutationem miraculosam; vt ait S. D. *in* 1. 2. *q.* 113. *art. vlt. ad* 3. & ideo continetur sub secunda conclusione; secundus autem sub prima comprehenditur.

Tertio obseruanda est responsio ad primum argum. vbi S. Doct. exponit illa verba Domini *Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*, dicens Christo datam esse potestatem ratione vnionis, per quam factum est, vt homo esset omnipotens, scilicet per communicationem idiomatum: quæ fuit expositio Tertul. *libr. contra Praxeam, cap.* 16. Greg. Niceni *oratione* 2. *de Resurr. circa finem.* Hiero. & Remigij *Matth. vlt.* Et quoniam ex vna potestate diuina humanitati & homini Christo prædicto modo communicata sequitur ad modum naturalis proprietatis in Christo secundum humanitatem potestas quædam excellens imperandi omnibus in cœlo, & in terra in ordine ad finem Incarnationis, atque adeo ad regimen Ecclesiæ, & ad euangelicæ doctrinæ prædicationem & cõfirmationem; ideo consequenter etiam de hac potestate dictum illud Domini intelligendũ est; prout etiam à multis patribus fuit expositũ; quos allegat Suarez *in Comm.* Dicitur autem vtraque potestas, tunc data Christo: quia tunc primo fuit hominibus manifestata. Nec S. D. affirmans primam excludit secundam, sed eam in sua radice, & vt ex ea consequentem intelligendam reliquit: de prima vero sola mentionem fecit; quia principalis est & causa quasi naturalis secundæ, quæ veluti accessoria sequitur ad eam, vt principalem, & in ea virtualiter & implicite continetur ac intelligitur. Et ideo minus recte Suar. *in suo Commen.* priorem interpretationem reiicit dicens eam nõ esse textui consentaneam; falso enim existimauit per eam excludi secundam; cuius oppositum patet ex dictis; nam etsi quasi proxime ad finem Incarnationis operaretur potestas excellentiæ, erat tamen in agendo quasi vis instrumentalis diuinæ potestatis per Verbi personalitatem vniræ humanitati, ita vt reputanda sit vtraque potestas tanquam vna, tum propter coniunctionem in vna Verbi Incarnati persona, tum propter cõcursum in ratione principalis agentis, & instrumẽti dicto modo coniuncti ad omnem supernaturalem operationem.

Suarezij: & sua reiicitur.

Prima Controuersia.

De sensu primæ Conclusionis: An scilicet Christus vt homo, aut anima Christi causet gratiam & alios supernaturales effectus in nobis & aliis rebus, tanquam causa physica principalis, vel solum vt instrumentum diuinitatis.

ALBERTVS M. *in* 3. *dist.* 13. *art.* 2. & 3. docet humanitatem Christi esse tantum causam moralem gratiæ, non autem physicam principalem aut instrumentalem, quem sequuntur Altisiodorensis *lib.* 3. *summæ, tract.* 1. *c.* 4. *qu.* 2. *ad* 1. S. Bonau. *in dicta* 13. *distinct.* & Ricard. *ibidem art.* 2. *q.* 3. Alex. de Ales. 3. *p. q.* 11. *memb.* 2. Dur. *dist.* 14. *q.* 5. Melch. Canus *in relectione de Sacramẽtis, parte* 4. *in fine*, & Vasq. *super hoc art disp.* 57. *c.* 5. & infra *q.* 62. *art.* 1. & 1. *p. qu.* 45. & quidam alij.

Sententia Doctorum.

Medina, dubio vltimo statuit quatuor conclusiones. *Prima* est: Solus Deus est causa prima efficiens & finalis vltima nostræ iustificationis & gratiæ. *Secunda* est: Christi anima fuit causa meritoria principalis nostræ iustificationis & sanctitatis, & nõ tantum hoc sed etiam fuit prima causa meritoria; immo solus ipse meruit nobis gratiam, adoptionem, regnum & gloriam de condigno, & de

& de rigore iustitiæ, & solus Christus satisfecit A iustitiæ vindicatiuæ Dei pro peccatis nostris, & operatus est nostram salutem per modum sacrificij, & liberauit nos à captiuitate, emit & redemit interposito iusto pretio. *Tertia* est: Christus secundum quod homo est causa efficiens nostræ iustitiæ instrumentalis & ministerialis, habetque in iustificandis hominibus ministerium excellentiæ; *Quarta* est: Christus secundum quod homo est principalis post Deum causa nostræ iustificationis, secundaria tamen & ministerialis; cuius conclusionis declarationem præmisit dicens humanitatem Christi, ex hoc, quod est instrumentum diuinitatis coniunctum, attingere quodammodo diuinitatis virtutem, quæ est causa principalis iustitiæ & sanctitatis, & ideo non solum esse B causam instrumentalem, sed etiam quodammodo principalem, & hoc significare voluisse Theologos asserentes Christum vt homo est, in iustificandis hominibus habere ministerium excellentiæ. Eandem sententiam sequuntur & explicant quidam recentiores dicētes, humanitatem Christi per suam gratiā habitualem esse causam principalem & physicam, secundariam tamen nostræ gratiæ, non tamen ita, vt operetur illam per virtutem sibi propriam & connaturalem, sed vt eam producat per formam, quam sustentat, ab extrinseco tamen sibi communicatam, scilicet gratiam, eo modo quo ferrum ignitum est causa principalis caloris, & voluntas nostra est causa principalis actus charitatis, non per formam sibi propriam & connaturalē, sed ab extrinseco cōmunicatam. C

Suarez *disput.* 31. tria docet; *Primum* est, humanitatem Christi Domini non fuisse principium principale proximum ad efficienda miracula, sed solum organum seu instrumentum Verbi diuini: *Secundum* est, humanitatem Christi non habere virtutem producendi gratiam, seu supernaturalem iustitiam, tanquam principalem causam eius; sed solum vt præcipuum instrumentum Verbo coniunctum. *Tertium* est, oppositam sententiā esse falsam & temerariam.

Astur. *in sua relectione de Christi gratia, q. 6. pagina* 828. duo dicit. *Primum* est, implicare cōtradictionem, Christum Dominum inquantum homo, esse causam physicam gratiæ. *Secundum* est, oppositam sententiam nec veritati fidei esse contrariā, nec vlla ratione temerariam. Eandem sentētiam quo ad primum dictum sequitur Val. *super hoc art.* & Aluarez *disput.* 38. quam prius tenuit Cai. *super hoc, & seq. art. & 1.2. quæst.* 112. *art.* 1. quæ est expressa sententia D. Tho. locis inferius allegandis, & est communis opinio Theologorum.

Resolutio. Christum, vt homo est, esse causam gratiæ moralem principalem, nō autem physicam principalem: & oppositam huic secundo dicto sententiam nō esse temerariam.

SCIENDVM *est primo* duplicem esse causam. Altera est moralis, quæ operatur per actus intellectus & voluntatis, aut eosdem actus causat, vt obiectum: Vnde consilians, orans & imperans sunt causæ morales; tum quia agunt per actus intellectus & voluntatis; tum quia proponunt obiectū, quo mouetur audientis intellectus & voluntas. Altera est causa physica; quæ scilicet per realem & naturalē suæ virtutis influxum, siue per actionem transeuntem agit in rem extrinsecam suæ E potestati subiectam, eam mouendo aut etiam formam aliquam in eam inducendo; vt patet de igne, qui suo calore ligna calefacit & in eorum materiam propriam suæ naturæ formam inducit; & intelligentia cœlum reuoluens & Sortes lapidem proiiciens physicæ causæ sunt; quia per realem & naturalem suæ virtutis influxum in externo corpore operantur.

Secundo notandum est, vtramq; causam duplicem esse, scilicet principalem & instrumētalem; Causa principalis moralis est, quæ iam dicta est: instrumentalis vero causa moralis dici potest, quælibet res qua causa principalis moralis vtitur ad alterius intellectum excitandū & voluntatem eius mouendam; vt patet in munere, aut pecunia, vel precio dato pro domo, agro vel officio acquirendo, aut gratia seu beneuolentia alterius sibi comparanda: Hæc enim videntur esse instrumenta moralia; quia nullum habent realem in humanam voluntatem influxum, sed vt obiecta tantū intellectui recipientis præsentata, & ab eo apprehensa mouent ad venditionem domus, agri vel officij vel ad beneuolentiam. Causa vero physica principalis est, quæ propriæ formæ virtute attingit effectum & eum sibi similem reddit; Instrumētalis vero causa physica virtute suæ formę non attingit effectum, sed virtute tantum agentis principalis in se recepta, ac proinde non sibi sed agenti principali similem eum efficit.

Tertio obseruandum est, duplicē esse causam physicam principalem: Altera est simpliciter prima; quæ in cæteris omnibus causis operatur, eas in esse conseruando, in eas influendo & illas applicādo ad proprias earum operationes, vt ait S. Tho. *in 1. p. q. 105. art. 5. & in 1. 2. q. 109. art. 1. & alibi sæpe*, & hæc Deus est: Altera causa principalis est, quæ licet à prima dependeat in essendo & operando, agit tamen per propriam formam sibi connaturalem, aut ab intrinseco & superiori agenti receptā: secundum quam effectum producit sibi similem; & hæc nuncupatur causa principalis secundaria; quæ duplex est: Quædam quæ simpliciter & proprie dicitur causa principalis secundaria, quæ iam descripta est. Quædam vero est quæ non absolute aut proprie sed quodammodo siue secundum quid & minus proprie dici potest causa physica principalis; simpliciter autem est causa instrumētalis; cuius nullum aliud reperitur exemplum, præterquam in Christo, quatenus homo est. Ad cuius euidentiam scito, aliud esse loqui de Christi humanitate aut de eius anima, & aliud de Christo inquātum homo in hoc, quod est habere potestatem excellentiæ in ordine ad supernaturales effectus ad humani generis salutem ordinatos; quæ illis congruit, ex vnitate personali cum Verbo; Differentia tamen est, quod Christus, inquātum homo, dupliciter sumi potest; Vno modo D prout ea reduplicatione seu specificatione, inquātum homo, resumitur hoc nomen *homo*, ratione humanæ naturæ; Alio modo, prout eadem reduplicatione seu specificatione resumitur hoc nomen *homo* ratione suppositi in natura humana subsistentis, vt ait S. Doct. *infra q. 16. art. 10. & 11.* Si priori modo sumatur dicta reduplicatio, nulla erit differentia inter Christum, inquantum homo, & eius humanitatem; ac proinde sicut humanitas & eadem ratione anima, dici nō potest, nisi valde improprie causa gratiæ aut operationum supernaturalium physica principalis, sed instrumentalis; ita neque Christus, inquantum homo, dici potest dictorum effectuum causa principalis; sed diuinæ naturæ proprie & absolute dicitur instrumentum. Si vero posteriori modo sumatur reduplicatio illa *inquantum homo*, prout scilicet ea re sumitur hoc nomen *homo* ratione suppositi in humanitate subsistentis, certū est Christum, inquantū homo, non esse dictorū effectuū causam præcise instrumentalem; implicat enim diuinum suppositum esse diuinitatis instrumentum; Erit igitur Christus vt homo, aliqua ratione, non tamen simpliciter & proprie, causa principalis, tam gratiæ quam cęterorum effectuum supernaturalium, ab eo procedentium; Dixit *aliqua ratione*; quia humanitas Christi ex hoc, quod est instrumen-

strumentum coniunctum, & potestatem habet A excellentiæ circa supernaturales effectus, & terminatur ac subsistit Verbi personalitate, & est causa exemplaris gratiæ nobis collatæ, & futuris etiam hominibus conferendæ, & finis est omniũ electorum, figuram quandam seu rationem ac modum habet causæ principalis, præsertim comparatione ad instrumenta separata, quales sunt alij Pontifices, Sacerdotes & Sacramẽta, & in hoc sensu accipienda est quarta conclusio Medinæ. Dixi: *non tamen simpliciter & proprie*: quoniam ad causam principalem absolute & proprie dictam requiritur, vt per se, vt per propriam formam aut perfectionem in se receptam, tanquam per rationem agendi producat effectus sibi per se primo similes secundum formam seu perfectionem, per quam producuntur effectus: Gratia autem charitas ac cæteræ Christi hominis virtutes supernaturales, non sunt rationes seu principia transeuntis actionis, qua similes in aliis hominibus perfectiones producantur; alioquin cuiuslibet viatoris gratia, quæ eiusdem est speciei cũ gratia Christi, posset esse similis gratiæ in altero viatore productiua, & eadem ratione charitas, ac cæteræ virtutes infusæ gratiam consequentes possent esse principia similium virtutum in aliis productiua. Sola igitur gratia per essentiam, quæ ipsa diuina natura est, & charitas, quæ Deus est, & aliæ virtutes simpliciter de Deo dictæ, prout sunt ipsa essentia Dei, possunt physice & proprie ac principaliter similium esse productiuæ; ita vt per huiusmodi perfectiones fiat per se prima recipientis assimilatio ad Deum secundum eas perfectiones, C quæ sunt illi rationes agendi & communicandi creaturis similes perfectiones; puta gratiam, charitatem, sapientiam, &c. Et quamuis per gratiam & charitatem à Deo receptam Christo, quatenus homo est, assimilemur, iuxta illud Apostoli *Rom. 8. Quos præscuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Non tamen consequens fit Christum, vt homo est, esse causam physicam gratiæ & charitatis principalem simpliciter & absolute loquẽdo: Hæc enim assimilatio secundaria est; nec excedit rationem causæ instrumentalis: Malleus enim instrumentum est, & simul exemplar ad aliũ illi similem ab artifice producendum. Deinde, vt ante dictum est, humanitas Christi, instrumentũ est Deitati coniunctum potestatem habens excellentiæ; cui quam maxime congruunt gratiæ, charitatis ac cæterarum ornamenta virtutũ, quæ nullam in sui ratione formali claudunt imperfectionem; ita vt in ea sint cum omni suæ rationis plenitudine: Quo fit, vt cæterorum hominũ gratia, charitas, &c. hominibus per Christum à Deo collata, per se primo quidem eos Deo similes efficiat; Secundario vero Christo etiam, quatenus homo, eos assimilet. His adde Christum esse causam gratiæ & charitatis moralem; scilicet per merita, satisfactionem & redemptionem: Et ideo congruum fuit, in eo præexistere gratiam & charitatem, &c. vt homines secũdum prædictas perfectiones à Christo vt causa morali principali deriuatas, illi secundum eiusdem rationis perfectiones, in eo excellentissime præexistentes, assimilarentur.

Defensio Medinæ cõtra Suarez.

Ex dictis sequitur sententiam Medinæ, prout ab eo proponitur & explicatur, nulla iuste posse notari censura, atque adeo non esse temerariam; cuius oppositum nimis facile & inconsulte Suarez affirmat, vt notat Astur. *loco superius allegato concluſ. secunda*, & alij recentiores *super hoc art.* vt enim ait Melch. Canus *de locis Theologicis lib 12. cap. 11.* & Simancas *de Catholicis inst. tut. titulo. 54. num. 12.* & alij. Propositio temeraria est, quæ nulla graui authoritate, aut iusta ratione insolenter vel audacter, contra Ecclesiasticam modestiam asseritur: Multa vero sunt diuinæ Scripturæ dicta, & SS. Patrũ asserta, prædictæ sententiæ non prorsus obscure fauentia, quæ inter argumenta referentur, & ex iis quæ diximus in eiusdem opinionis explicatione, colligi possunt varia argumenta satis probabilia: Et explicari potest amplius ea sententia exẽplo aquæ ab igne calefactæ; quæ per calorem intrinsece sibi inhærentem causat physice, vt causa principalis calorem in corpora intra eam clauso; & licet calor non sit aquæ naturalis, aquæ tamen calefactæ naturale est calefacere; vt ait S.D.1.2.*q. 31. art. 7.* Sic igitur probabiliter dici potest Christum, vt homo est, gratiam ex diuinitate in animã deriuatam aliorum hominum gratiam per modum principalis agentis causare: Et confirmatur primo; quia Christus, vt homo, gratiam habet sibi connaturalem, vt explicauimus supra cum D. Tho. *q. 2. art. 12.* igitur probabile est etiam virtutem gratiæ causatiuam esse Christo, vt homo est, connaturalem. Secundo confirmatur: Gratia Christi respectu gratiæ cæterorum hominum est capitalis; igitur magna non erit absurditas, aut temeritas affirmare Christum, vt homo est, esse causam gratiæ principalem, sed secundariam; Cum præsertim *Ioann. 1.* scriptum sit. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, &c.* Alia ad hanc materiam spectantia, proprium habent locum infra *q. 48. art. 6.* interim vide, quæ scribit Aluarez *in alleg. disp. 38.*

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Christus vt homo, est causa moralis principalis nostræ gratiæ.* Probatur primo; quia Christus vt homo, & per operationes humanitatis gratia & charitate perfectæ fuit causa meritoria principalis gratiæ, charitatis, & omnium donorum supernaturalium, quæ nobis à Deo conferuntur; igitur est causa moralis principalis nostræ gratiæ, charitatis, &c. Consequ. est euidens; quia causa meritoria, est causa moralis principalis mouens præmiantem ad præmij seu mercedis retributionem; non minus quam orans, consulens aut præcipiens moueat eum, qui oratione, consilio aut præcepto inclinatur ad agendum. Antecedens autem probatur: Quoniam actibus meritoriis repugnat elici à merente vt instrumento; sicut cuilibet actui vitali, & præsertim voluntario repugnat elici ab operante, vt instrumento; D vt probat S. D. 2.2.*q. 23. art. 2.* Ad rationem enim actus vitalis non sufficit, vt procedat ab intrinseco agentis principio; sed oportet, vt sit ab agente veluti causa principali; alioquin motus grauium & leuium, qui à principiis intrinsecis; sed instrumentalibus procedunt, essent vitales. Secundo probatur: quia omnis causa instrumentalis supponit principalem, à qua mouetur; igitur si Christus vt homo, est causa moralis instrumentalis gratiæ & charitatis, necesse est supra ipsum esse causam principalem moralem, quæ scilicet principaliter mereatur, satisfaciat &c. At implicat talem esse causam; ergo. Probatur hoc assumptũ; E Quia hæc non posset esse nisi Deus, cui manifeste repugnat esse causam meritoriam & satisfactoriam per actus Deitatis: Nam, qui meretur, inferior est redditore mercedis, vt hic etiam aduertit Med. Denique probatur conclusio; quia Christus est primus & summus Sacerdos, vt ait Apost. *Hebr. 1.* Sacerdos autem & præcipue summus causa est moralis principalis effectuum omnium ex Sacerdotalib. actib. dependẽtium: Nititur Vasq. hoc argumentũ soluere; sed eius solutiones nullius esse valoris ostendemus *in seq. controu.*

Secunda

Secvnda Concl. *Christus inquantum homo, vel humanitas Christi proprie & absolute loquendo, non est causa physica principalis effectiua gratiæ.* Hanc concl. late probat Suarez *disp.* 31. *sect.* 4. Astur *loco supra citato*, & Aluar. *in allegata disput.* 38. & eam statuit ac probat S. D. *in* 1. 2. *q.* 112. *art.* 1. *& supra q.* 8. *art.* 1. *ad* 1. *& infra q.* 48. *art.* 6. *& q.* 62. *art.* 5. *& q.* 64. *art.* 3. *& 4. contra gent. cap.* 41. *& de veritate, q.* 27. *art.* 3. *ad* 5. *& q.* 29. *art.* 4. *in c. & ad* 1. & Cai. *supra q.* 7. *art.* 9. *& q.* 8. *art.* 1. *ad* 1. *& super hoc art. & infra q.* 64. *art.* 1. & Palud. *in* 4. *dist.* 1. *q.* 1. *num.* 32. Scotus *in* 2. *dist.* 37. *& in q.* 4. *dist.* 2. *q.* 1. Driedo. *de capt. Tract.* 2. *cap.* 1. Andreas à Vega *super Concil. Trid. lib.* 7. *cap.* 13. Stapletonius *lib.* 7. *de iustificatione, cap.* 4. Soto *in* 4. *dist.* 1. *q.* 3. *art.* 1. *& q.* 5. *art.* 3. & omnes alij Thomistæ, & recentiores communiter. Et probatur etiam pluribus argumentis. Primo, diuinæ Scripturæ Deo veluti proprium tribuunt, conferre gratiam, dimittere peccata, saluare nos. *Psalm.* 67. *Deus noster Deus saluos faciendi, & Domini, exitus mortis, & Psalm.* 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus, & Iob.* 14. *Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine? nonne tu, qui solus es?* & *Isa.* 43. *Non est absque me Saluator*, & *Osee* 13. *Saluator non est præter me.* & *Rom.* 8. *Deus, qui iustificat, quis est, qui condemnet?* & *Iacobi* 4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*; igitur solus Deus est causa gratiæ principalis. Secundo probatur ex Concilio Ephes. *Canone* 11. dicente, carnem Christi esse viuificatricem propter vnionem ad Verbum quod habet vitam diuinam, quod etiam affirmat dictum Concilium *in Epistola Synodali ad Nestorium*; At caro Christi, non potest moraliter viuificare; quia moraliter agere soli conuenit animæ intellectiuæ; ergo caro Christi physice causat in nobis gratiam, vt instrumentum Diuinitati in persona Verbi coniunctum. Idem docet Cyrill. *lib.* 11. *in Ioannem cap.* 35. dicens ideo dictum fuisse *Num.* 11. Deum accepisse de spiritu Moysi, & dedisse septuaginta senioribus, vt significaretur, nullum præter Deum posse principaliter dare Spiritum sanctificationis; & ob eandem causam S. Ambros. *serm.* 60. *&* 61. Euseb. *lib.* 4. *demonst. Euang. cap.* 13. Damasc. *lib.* 3. *de fide, cap.* 5 *&* 19. & alij Christi humanitatem appellant organum, id est instrumentum Deitatis ad gratiam in nobis causandam, & patranda miracula. Nec intelligi congrue possunt hæc testimonia de causa principali physica gratiæ, per virtutem ipsi causæ connaturalem; sic enim nihil Deo tribueretur, vt est causa gratiæ, quod ei non conueniat, vt causat in nobis actum charitatis, & in comprehensoribus actum visionis beatificæ; neutrum enim horum actuum potest vlla creatura facta vel factibilis producere, per virtutem sibi connaturalem, quos tamen elicit vt causa principalis eleuata per habitus supernaturales. Tertio probatur; quia qui principaliter causat gratiam, dat etiam vt causa principalis Spiritum S. cum in ipsa collatione gratiæ detur etiam Spiritus sanctus; vt ait S. D. 1. *p. q.* 43. *a.* 3. At Christus vt homo non habet potestatem physicam & principalem ad dandum Spiritum sanctum. Ergo neque ad causandam eodem modo gratiam: Minor probatur primo ex Aug. *lib.* 1. *de Trinit. c.* 12. dicente, Christum dare Spiritum S. vt Deus, non vt homo est; quia scilicet non dat vt causa physica principalis; Secundo ex D. Th. 1. *p. q.* 38. *art.* 1. *ad* 1. vbi ait, donum oportere esse aliquomodo dantis, vel per identitatem, vel per originem, vel vt possessionem: nullo autem horum modorum Spiritus S. est Christi, vt homo est; igitur Christus vt homo, non dat principaliter Spiritum S. & eadem est ratio de missione Spiritus S. Et confirmatur; quia Christus, vt homo, non habet potestatem principalem causandi beatitudinem, cum non habeat potestatem supra essentiã diuinam; nec eandem habeat cum ea voluntatem, vt pro libito possit eam, cui voluerit, intellectui copulare. Quarto probatur conclusio: Quicunque meretur aliquid, non potest illud physice principaliter causare; at Christus vt homo, meruit nobis gratiam; igitur non potest eam physice principaliter causare: Maior propositio ostenditur inferius, *quæst.* 62. *art.* 4. Confirmatur; quia sequeretur Christum secundum eandem rationem consideratum esse causam moralem respectu sui, vt homo est; oraret enim seipsum, quatenus homo est, & eadem ratione apud seipsum mereretur, impetraret, mercedem acciperet à seipso eodem modo considerato; at consequens est absurdum; ergo. Probatur sequela; quia Christus orabat & merebatur nobis gratiam apud causam gratiæ physicam principalem; ergo. Falsitas autem consequentis patet ex supradictis, *quæst.* 2. vbi diximus meritum sicut & satisfactionem debere esse ad alterum suppositum, vel saltem natura distinctum, & eadem est ratio de oratione. Quinto probatur; quia Christus vt homo, nõ potest principaliter physice nos adoptare in Filios Dei; ergo. Neque potest eodem modo gratiã in nobis causare; Antec. est D. Tho. *in* 4. *contra gent. cap.* 17. *ratione* 21. *& in* 3. *dist.* 10. *q.* 2. *art.* 1. *& infra q.* 23. *art.* 2. *ad* 5. Conseq. probatur; quia per gratiam habitualẽ adoptamur in filios Dei, & per eam datur nobis ius ad paternam hæreditatem; igitur solus ille, qui tribuit nobis gratiam per modum causæ physicæ principalis, adoptat nos in filios Dei. Antec. est Aug. *Epist.* 120 *cap.* 4. *Et lib.* 3. *contra Faustum*, vbi docet adoptionem Dei in hoc positam esse, quod tribuat nobis gratiam, qua iustificemur. Declaratur & confirmatur; quod diximus, ex differentia inter adoptionem humanam, & diuinam, quod illa fit per extrinsecam acceptationem ad hæreditatem patris, & per illum nullum esse reale & intrinsecum confertur adoptato, quo patris adoptantis naturam participet; & ideo fit hæc adoptio per solam moralem causalitatem; At hæc, scilicet diuina, fit per intrinsecam adoptati mutationem & realem naturæ diuinæ participationẽ; atque adeo per generationem, iuxta illud *Ioan.* 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine eius, qui nõ ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Et ideo habet hæc adoptio rationem physicæ generationis, ac proinde adoptans debet esse causa physica principalis huius generationis, quæ fit per gratiã. Itaque, si Christus vt homo, non potest nos hac adoptione principaliter adoptare, nec poterit nos, vt causa physica principalis regenerare per gratiam. His adde rationes quibus vtitur S. Doct. *de veritate, q.* 27. *a.* 3.

Tertia Concl. *Implicat contradictionem Christi humanitatem, aut aliam aliquam creaturam esse causam gratiæ physicam principalem.* Hanc conclusionem probat Astur. *loco supra notato*, & est D. Tho. *locis superius allegatis ex* 1. 2. *& de veritate, & in* 4. *dist.* 5. *qu.* 1. *art.* 3. *& alibi*, & sequitur euidenter ex probationibus præcedentis conclusionis.

Qvarta Conclvs. *Sententia Medinæ dicentis Christum, vt homo est, esse causam physicam gratiæ principalem secundariam, neque temeraria est, neque aliam aliquam meretur censuram:* Hæc conclusio patet ex dictis, & probat eam Astur. *in allegata quæst.* 6. *pag.* 830. & maiorem habet probabilitatem hæc sententia, si per reduplicatiuam illam *inquantum* intelligatur reassumi hoc nomen *homo* ratione suppositi, vt præcise subsistentis in humana natura,

Naz. in D. Thom. 3. *partem.*

siue terminantis humanam naturam, & quatenus per eam vt propriam naturam operatur: nam, si consideretur Verbi suppositum, non vt præcise terminat humanam naturam, & in ea subsistit, & per eam operatur eo modo, quo suppositum operatur per suam naturam; sed absolute, vel vt est subsistens, non tantum in humana natura, sed etiam in diuina, & vt per vtramque operatur; & per dictam reduplicationem intelligatur reassumi, hoc nomen homo, prout importat suppositum Verbi, hoc modo sumptum, certum est Christū, vt homo est, esse causam gratiæ physicam principalem simpliciter & proprie; sic enim sumitur, nō tantum vt homo, sed etiam vt Deus. Intelligenda est igitur hæc conclusio, sumendo reduplicatiuā illam *inquantum*, & prout reassumit hoc nomen homo ratione naturæ humanæ, & prout reassumit idem nomen ratione suppositi, quatenus præcise terminat & sustentat humanitatem & per eā vt suppositum per suam naturam operatur. Est enim humana natura, vt ante diximus, instrumentum Verbi coniunctum, summa atque capitali gratia perfectum, potestatem habens excellentiæ, & totius nostræ perfectionis exemplar; atq; ideo multas habens conditiones, ac proinde modum quendam causæ physicæ principalis. Vide si placet apud Medinam *concl.* 7. declarationem excellentiæ ministerij potestatis Christi, vt homo est: sex enim ibi recensetur excellentias ex doctrina D. Tho. desumptas.

Obi. 1. cont. 2. concl. CONTRA *secundam concl.* argumentatur Medina. *Primo*; quia Christus secundum quod homo, est Vniuersale principium iustitiæ & sanctitatis, vt patet ex illo *Ioan. 1. Vidimus eū plenum gratiæ, & veritatis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*; Ergo est causa præcipua nostræ iustificationis: & *confirmari* potest argumentum ex verbis ibidem immediate sequentibus; videlicet; *Quia lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* His verbis indicatur differentia inter Moysen & Christum, quæ est inter famulum & Dominum, munus enim famuli est, mandata Domini iis, quibus imponuntur, euulgare; ad Dominum autem pertinet cum potestate & authoritate principali aliquid facere; & ideo dicitur: *Lex per Moysen*, &c. Quia s. Moyses vt minister & famulus Dei, mandata populo denunciauit: Christus autem vt Dominus principali sua authoritate gratiam cum supernaturalium mysteriorum notitia cordibus nostris infudit, quæ est expositio Glossæ, Chrys. & Theoph. Vbi etiam Cai. ait eo modo dictum esse gratiam esse factam per Christum, quo paulo ante ibi dictum fuerat, omnia facta esse per Verbum: Constat autem omnia per verbum facta fuisse, tanquam per causam principali sua authoritate physice operante; igitur eodem modo; scilicet per authoritatem & vt causa principalis, Christus vt homo, gratiam in nobis causat. *Conf.* *Solut.* *Resp. primo*: Christum vt homo est, esse principium & causam principalem nostræ iustitiæ, & sanctificationis, non physicam sed moralem, merendo scilicet, orando & satisfaciendo, & eius humanitatem esse instrumentum Verbo coniunctum ad causandam in nobis gratiam & iustificationem; & in hoc sensu accipienda esse verba Diui Ioannis priori loco relata. *Secundo* dico verba illa intelligenda esse, de Christo, vt Deus est, quo modo etiam intelligenda sunt illa; *Quia lex per Moysen data est*, &c. vt enim ait August. *super eo loco & lib. 1. de Trin. cap. 12.* & S. D. *supra q. 8. art. 1. ad 1. & infra q. 64. ar. 1.* gratia facta est per Verbum, quod factum est homo, tanquam per causam principalem, non autem dicunt sic factam esse, per Verbum, vt homo est, & eo modo loquitur Caietanus.

Secundo: Ea est causa principalis, & non instrumentaria, cui assimilatur effectus; sed omnes homines, qui gratificantur, assimilātur Christo Domino; ergo. Maior patet. Minor probatur ex sacris litteris: Nam *Rom. 8.* dicitur. *Quos præscinit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, & ad Philipens. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Respon.* maiorem esse veram de causa instrumētaria seperata, & de ea quæ præcise est instrumentum physicum, non autem de causa instrumentali coniuncta & habente potestatem excellentiæ, & quæ etiam simul est causa moralis principalis, qualis causa est Christus vt homo, cui proinde debuerunt omnes gratiam & iustificationem accipientes assimilari: Vnde etiam malleus potest assimilari malleo tanquam exemplari; cum tamen ab eo veluti instrumento fabricetur, vt etiam notat Asturicensis *in allegata q. 6. pag.* 834. *Obi. 2.* *Solut.*

Tertio: Christus secundum se & per essentiam suam est gratus Deo, cæteri vero per participationem, quam ab eo accipiunt; ergo. Antecedens p batur; quia vt dicitur *Matth. 3. & Luc. 9. & 2. Petri 1.* audita est vox de Cœlo dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, & *ad Ephes. 1.* dicitur: *Gratificauit nos, in dilecto filio suo*; Ergo Christus est per essentiam suam gratus Deo; ac proinde est principalis causa nostræ iustitiæ; Probatur hæc consequentia, quia quod est tale per essentiam, est causa principalis eorum, quæ sunt per participationem. *Resp.* Christum non vt homo est, sed vt Deus, esse gratum Deo per essentiam: Nam gratia per essentiam est ipsa diuina natura; verba autem illa: *Hic est filius meus dilectus*, &c. de Christo vt Deus est, exponuntur à Patribus, & præsertim ab Aug. *in serm. de Epiph. & de fide ad Petrum, cap. 9.* & Hilario, *cap. 2. in Matth. prope finem*, & Hieronym. *in Comm. in Matth. cap. 3.* Apostolus autem per ea verba: *Gratificauit nos in dilecto filio suo*; nihil aliud significat; nisi nos à Deo diligi; in quantum per gratiæ participationem sumus Filio Dei similes, qui per se & principaliter est à Deo dilectus; cum sit ei similis per naturam, vt ibidem exponit S. Th. Fit autem hæc in nobis similitudo per Christi merita, vt ibidem ait Apost. subdens: *in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, (remissionem peccatorum) secundum diuitias gratiæ eius.* *Obi. 3.* *Solut.*

Quarto: Christus Dominus habet gratiam & sanctitatem ex propriis, & causat illam in aliis; Ergo est causa gratiæ principalis & non instrumentaria tantum. Antec. probatur; quia alioquin non satisfeciisset ex propriis, sed ex alienis, & ita satisfactio eius non esset de rigore iustitiæ. *Resp.* Christum habere gratiam ex propriis; quia est Deus & homo, & quatenus Deus causat gratiam in seipso, vt homo est: Ex quo sequitur, Christum quatenus Deus & homo est, esse causam gratiæ nostræ principalem, nō autem præcise, vt homo est. *Obi. 4.* *Solut.*

Quinto: Christi gratia & iustitia est causa exemplaris nostræ iustitiæ; ergo Christus est causa gratiæ & iustitiæ nostræ principalis. *Respondetur* nullam esse consequentiam, sed conuenire gratiæ Christi esse causam exemplarem; quatenus anima Christi & tota humanitas est causa gratiæ moralis principalis, & est instrumentum Deo coniunctum in persona Verbi, & quatenus Christus vt homo habet potestatem & ministerium excellentiæ in hominum satisfactione, & per hoc soluitur aliud eiusdem expositoris argumentum. *Obi. 5.* *Solut.*

Sexto: pfert diuersa dicta S. Th. *Primū est in hoc a.* *Obi. 6.*

vbi

vbi ait animam Christi virtute propria illuminare & gratificare homines; quatenus autem est instrumentum Verbi personaliter illi vniti, virtutem habere ad omnes immutationes miraculosas faciēdas, ordinabiles ad Incarnationis finem. Cum ergo iustificatio non sit opus miraculosum, erit ab anima Christi, vt ab agente principali. *Secundum.* *Secundum est in 4. dist. 5. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2.* vbi sic loquitur: *Duplex est agens: vnum principale, & aliud instrumentale. Agens autem principale, cum agat sibi simile, oportet, quod habeat formam, quam inducat per suam actionem, in agentibus vniuocis, vel aliquam nobiliorem in agentibus non vniuocis, sed agens instrumentale non oportet, quod habeat formam, quam inducit, vt disponentem ipsum; sed solum per modum intentionis; sicut de forma scamni in serra patet. Agens autem principale in baptizādo, est ipse Deus, per authoritatem, & ipse Christus, secundum quod homo; cuique meritum operatur in baptismo, & ex plenitudine diuinæ bonitatis, & gratia Christi peruenit gratia ad baptizatum: sed baptizans est tantum agens instrumentale: Vnde non refert ad rem Sacramenti percipiendam, vtrum ipse gratiam habeat, vel non:* & *in solutione primi: Actio* (inquit) *non attribuitur instrumento secundum philosophum, sed principali agenti vnde, proprie, & per se loquendo, malus minister non est, qui mūdat, sed Christus, de quo dictum est Ioan. 1. Hic est, qui baptizat.* *Tertium.* His adde duo eiusdem S. Thom. dicta. *Primum est supra q. 7. art. 9.* vbi dixit Christum habere plenitudinem gratiæ, quia est vniuersale principium habentium gratiam, & virtus primi principij in aliquo genere extenditur ad omnem effectum illius generis; si autem Christus esset principium instrumentale habentium gratiam, non oporteret ipsum habere plenitudinem gratiæ, vt causaret illam in aliis, quia perfectio effectus non necessario debet præexistere in principio instrumentali. *Quartum.* *Secundum est in 4. contr gent. cap. 74.* vbi sic legitur: *Oportet autem ministrum esse proportionatum agenti: vnde & ministros Christi oportet ei esse conformes: Christus autem, vt Dominus auctoritate, & virtute propria nostrā salutem operatus est, in quantum fuit Deus, & homo,* &c. & infra: *Oportet igitur ministros Christi homines esse, & aliquid diuinitatis eius participare secundum aliquam spiritualem potestatem:* nam, & instrumentum aliquid *participat de virtute principalis agentis.* *Solut.* *Resp. ad primum dictum.* Animam alio modo se habuisse in ordine ad actus secundos scientiæ & charitatis & aliarum virtutum, atque se habuit in ordine ad miracula: Nam priores illos actus ex actibus primis & perfectionibus sibi inhærentibus causabat, vt agens principale, quia ex propria illos efficiebat sibi inhærente virtute, licet effectus ex eis in nobis causati; puta illuminatio, iustificatio, &c. ab ea tantū essent, vt instrumento. Quemadmodum etiam aqua calida propria sua virtute calefacit, vt agens principale, vt habetur ex D. Tho. 1. 2. q. 31. art. 7. ad formam autem ignis non disponit, nisi vt instrumentum ignis; cuius vt agētis principalis est ignis generatio, quæ fit per calorem; & prædicator, vt causa principalis proponit & explicat doctrinam Euangelij; sed effectus ex prædicatione consequens nimirum conuersio peccatoris à Deo est, vt à causa principali. Aliam huic argumento respōsionem adhibet Asturicēsis dicens, hominis iustificationem inter opera posterioris ordinis, scilicet miraculosa late sumpta computari, eo quod sit omnium miraculorū finis, & sit opus supernaturale, licet non sit proprie & rigorose miraculum; vt ait S. Doct. *in 1. 2. q. 113. art. vlt.* sed hæc responsio pugnat aperte cum verbis S. D. in textu, vt patet intuenti. *Ad secundum dico* D. Th. *ibi in c. & ad 1.* satis aperte significare, se quo ad Christum, vt homo est, loqui de causalitate morali; vt indicant illa verba: *Cuius meritum operatur in baptismo. Ad tertium* locum patet ex dictis: loquitur enim ibi S. D. de principio instrumentali; sed quia Christus, vt homo, erat instrumentum excellentię Verbo personaliter vnitum, & causa meritoria principalis, ideo congruū fuit illum habere plenitudinem gratiæ. *Ad vltimum* locum dico D. Tho. ibi manifeste loqui de Christo, vt est Deus & homo, & docet Christum vt Deus est, esse causam physicam principalem gratiæ, & eundem vt homo est, esse causam moralem principalem, & physicam instrumentalem coniunctam, & ab ea ad cæteros Ecclesiæ ministros virtutem deriuari instrumentalem gratiæ causatiuam.

Contra eandem concl. producunt quidam recē- *Obi. 7.* tiores plura non exigui ponderis argumenta. Et primo diuinæ Scripturæ proferunt testimonia. Primum: *Ioan. 1.* dicitur: *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est* quibus verbis significatur Moysen vt famulum & ministrum legem dedisse, Christum autem vt Dominum, ac proinde vt agens principale gratiam fecisse vt etiam exponunt Augu. *in Ioan. tractatu primo,* Chrysost. *hom. 3. & 14. in Ioan.* Theophil. & Glossa *in expositione dictorum verborum.* Secundum est *Ioan. 10.* vbi dicit Dominus: *ego sum ostium, per me si quis introierit saluabitur.* At secundum Augustinum *tract. 47. in Ioannem,* & D. Thom. *supra quæst. 8. art. 6. ad 3.* ostij nomine principalis importatur auctoritas; ergo. Tertium est *Isaiæ 9.* vbi Christus vocatur *pater futuri seculi,* At pater causa est principalis filij; ergo Christus est causa gratiæ nostræ principalis, secundum quā generamur in filios Christi. Quartum est *1. Corint. 15.* vbi dicitur: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* At in Adam omnes moriuntur, vt causa principali damnationis. Igitur in Christo viuificabuntur omnes, vt in causa vitæ principali. Probatur consequentia: nam alioquin non esset donū maius delicto; cuius oppositum ait Apost. *Rom. 5.* Dignior est enim causa principalis, quam instrumentalis. Quintum est *Ioan. 15.* vbi Christus viti se comparat in palmites influenti, significans gratiam in nos ex eius influxu deriuari; at vitis est causa principalis influxus in palmites; ergo etiam Christus est causa gratiæ principalis. Sextum est *Matth. 9.* vbi Christus de se loquens ait: *Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata,* &c. quod etiam clarius exprimit *Ioan. 17.* vbi subleuatis oculis in cœlum, & patrem alloquens ait: *sicut dedisti ei* (scilicet filio) *potestatē omnis carnis, vt omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam,* & *Actor. 3. & ad Heb. 2. 5. & 12.* vocatur Christus author salutis & gratiæ: quæ omnia denotant causam non instrumentalem sed principalem; alioquin nihil haberet excellentiæ Christus præ aliis Ecclesiæ ministris. Vltimus locus est *Rom. 8.* vbi dicit Apost. *Quos præscivit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Loquitur autem Apost. de Christo, quatenus homo est; alioquin nō magis assimilarentur Christo prædestinati, quam toti Trinitati. Cum igitur hæc assimilatio fiat per Christi gratiam, vt exemplarem nostræ, vt ibidem aduertit S. Tho. sequitur Christum vt homo est, per gratiam suam esse causam gratiæ nostræ physicam principalem, patet consequentia: quia causæ instrumentali non assimilatur effectus. *Respon.* ad primum ibi ser- *Solut.* monem esse de Christo, qui est Deus & homo, non autem de eo vt est homo præcise; in eodem sensu loquuntur ibi patres de Christo; quamuis etiam non incongrue verba illa possint intelligi de Christo vt homo est, ratione potestatis excel-

lentiæ, qua Moysi & aliis, tam veteris quam noui testamenti ministris præterebatur: & eodem modo respondetur ad secundum; loquitur enim de Christo vt Deus & homo est, vel etiam ratione potestatis excellentiæ. Ad tertium dico Christum dictum fuisse patrem futuri seculi non physice, sed moraliter: tum quia meruit nobis adoptionē filiorum Dei; tum quia doctrina sua multos disposuit ad spiritualem generationem; quæ est per gratiam; sicut & Paulus 1. *Cor.* 4. se Patrem Corinthiorum nominat causam afferens; quia per Euangelium eos in Christo generat. Denique dictus est Christus pater futuri seculi, quatenus Deus & homo: quibus omnibus modis è contra nos eius filij nominamur & sumus. Ad quartum dico, maius fuisse donū per Christum nobis collatum, quam delictum Adæ & malum ex eo deriuatum. Primo: quia Christus, vt Deus & homo, est causa gratiæ nostræ physica principalis. Secundo: quia prout homo est, eiusdem gratiæ causa est moralis principalis. Tertio: quia vt homo est, eandem gratiam physice causat, vt instrumentum excellentiæ diuinitati coniunctum. Quarto: quia dona Christi longe maiorem habent bonitatem, quam sit malitia transgressionis Adæ & malorum omnium ex ea consequentium. Ad quintum dico Christum, vt homo est, viri comparari quo ad influxum, nō autem quo ad rationem causæ principalis; sed satis est vt influat tanquam instrumētum excellentiæ Deo coniunctum. Ad sextum dico primo cum D. Tho. *in* 4. *ad Anibaldum, dist.* 5. *qu. vnica, art.* 1. *ad.* 1. verba illa intelligenda esse de filio hominis, non tamen, inquantum est filius hominis. Dictum autem illud *Ioan.* 17. *Sicut dedisti ei potestatem*, &c. de traditione per æternam generationem exponit Hilarius *lib.* 9. *de Trinitate*; Augustin. autem illud de potestate temporali secundum humanitatem accepta interpretatur: quia nimirum Christus vt homo, potestatem habet excellentiæ tanquam instrumentum diuinitati coniunctum.

Obi. 1. *Contra eandem* concl. sunt hæc argumenta. *Primum*: Vt aliqua sit proprie causa physica principalis, satis est, vt formam habeat actiuam nobiliorem effectu per eam producto, licet ea forma non sit illi causæ connaturalis; vt patet de ferro ignito, qui calorem causat vt causa physica principalis; & charitas animæ nostræ causa est physica principalis actuum dilectionis; licet neque forma caloris ferro, neque charitas animæ nostræ sit connaturalis. At anima Christi formam habet actiuam nobiliorem gratia animæ nostræ; ergo per eam est causa gratiæ nostræ physica principalis. Minor patet *ex q.* 7. vbi dictum in Christo esse gratiæ plenitudinem, & eam esse propriam Christo, & gratiam Christi hominis esse infinitam, nec augeri posse, & *ex q.* 8 vbi dictum est Christi graciam esse capitalem per quam Christus, vt Ecclesiæ caput influit in membra, & Caiet. *in eadem q. a.* 5 ait: *Quia in anima Christi gratia est in summo, & habetur excellentissimo modo, ideo ex tali eminentia est actiua in omnes, vt caput.* Et *confirmatur primo* ex differentia inter causam principalē & causam instrumētalem; quod illa causat per suam propriam formam & intimam suam virtutem, hæc autem per hoc solum producit effectum principalem, quod ab agente principali mouetur, vt ait S. D. *infra q.* 69. *a.* 2. & 5. *ad* 2. Ex quo sequitur vlterius causam omnem instrumentalem, vt sic, esse imperfectiorem suo effectu; cum non propria, sed aliena virtute principalem attingat effectum. *Secundo confirmatur*: quia nō minor perfectio requiritur in gratia Christi, vt sit causa principalis moralis gratiæ nostræ, quam, vt sit eidem gratiæ causa physicæ principalis: At perfectio gratiæ Christi, quam habet ex vnione ad verbum sufficit ad primum causalitatis modum; igitur sufficiet etiam ad secundum. *Resp.* falsam esse maiorem; vt patet de resurrectione Christi; quæ est instrumenstum nostræ, & tamen est nobilior. Vt enim aliqua res sit causa physica principalis alterius, oportet etiam vt forma, qua mediante illam producit, sit de se actiua illius rei, aut saltem vt virtus illi ab extrinseco cōmunicata ad producendum effectum sit æqualis nobilitatis, cum effectu per eam producto; vt patet in exemplis allatis de ferro ignito & charitate. Ad minorem autem dico, gratiam animæ Christi esse quidem actiuam gratiæ nostræ, sed non ex se, sed per virtutem transeuntem diuinæ motionis illi communicatam; quæ virtus inferior est nobilitate gratia nostra, quæ est participatio Deitatis secundum id, quod in ea maximum est. *Ad primam confirmat.* dico assumptum verū esse de causa præcise instrumentali, non autem de ea, quæ est instrumentum excellentiæ; qualis est anima Christi; cui ex hoc, quod est instrumentum gratię coniunctum personæ Verbi, debetur gratia lōge perfectior illa, quæ ex ea deriuatur ad nos; & eodem modo satisfit consequenti ex illa confirmatione deducto. *Ad secundam confirmat.* dico falsam esse maiorem: Nam vt anima Christi per gratiam meritum in se causet infinitum, tanquam causa principalis, non requiritur, vt sit ipsa natura diuina, sed satis est, si sit personaliter Deo coniuncta, & sit principium actus per quem humilietur, & subiiciatur persona diuina; Ad hoc autem vt esset causa physica principalis oporteret vt esset ipsa natura diuina: Quamuis igitur in supposito infinite & principaliter merente non minor sit necessaria perfectio, quā in supposito gratiam physice principaliter efficiente, non est tamen necessaria æqualis perfectio in principio, quo suppositum infinite meretur, & in principio, quo suppositum physice principaliter gratiam efficit.

Conf. 1.

Conf. 2.

Ad 1. *conf.*

Ad 2. *conf.*

Secundum argumentum est. Omne instrumentū physicum causat in subiecto aliquid præuium effectui principalis agētis: at nihil præuium potuit anima Christi per gratiam suam causare in animabus innocentum, in quibus gratiam causauit; Ergo gratia Innocentū causata fuit ab anima Christi, vt à causa physica principali. *Resp.* non esse necessarium, vt instrumentū diuinæ virtutis aliquid præuium causet in eodem subiecto, in quo recipitur effectus principalis agentis, sed satis est, vt virtutem principalis agentis modificet & determinet ad talem effectum; ratione cuius modificationis dicitur etiam aliquo modo præuium aliquid causare in eodem subiecto. Videnda sunt, quæ diximus *in* 1. *p. q.* 45. *art.* 5. *Contr.* 2. & quæ docet Caiet. supra *hoc art.* & S. Tho. infra *q.* 52. *art.* 1. *ad* 2. *& q.* 56. *a.* 1. *ad* 2. *&* 3. & Cai. *ibid. circa resp. ad* 3.

Obi. 2.

Solut.

Obi. 3. *Tertium* argumētum est: Quamuis sit Deo proprium cognoscere supernaturalia & cordium cogniciones, vt dicitur *Hierem.* 17. *&* 1. *Cor.* 2. homini tamen communicata fuit à Deo virtus illi per modum permanentis inhærens, qua tanquam causa principalis prædicta cognosceret; Ergo licet Deo proprium sit gratiam principaliter causare, potuit nihilominus idem modus gratiā efficiendi, Christo quatenus homo est, communicari. *Resp.* nullā esse conseq. quia creaturæ communicari potuit principium dictorum actuum, quo suapte natura esset eorū productiuum, & esset æqualis cū eis nobilitatis; sed nō ita creaturæ pōt cōmunicari principiū vt ex sui natura gratiā causet, & vt sit æqualis cūea nobilitatis: gratię nāq; principiū sola pōt esse

Solut.

divina

diuina natura; cui soli per se primo & immediate, A qui gratiam habet, assimilatur; licet mediate, & secundario cæteris etiam gratiam habentibus assimiletur: quemadmodum filius per se primo & immediate patri generanti, mediate vero & secundario fratribus ex eodem patre genitis assimilatur, & imago Cæsaris per se primo & immediate Cæsari, ex quo vt ab exemplari deducta fuit assimilatur; mediate vero & secundario cum aliis etiam Cæsaris imaginibus habet similitudinem. Videndus est S. Th. *in* 1.2.*q.*112.*art.*1. & ibidem expositores.

Argumenta, quæ producit & soluit Asturic. facilem ex prædictis habent solutionem. Vide etiam argumenta, quæ refert & soluit Aluar. *in allegata disp.*38.

Secunda Controuersia.

De sensu & veritate secundæ conclusionis: An s. anima Christi sit morale tantum, vel sit etiam physicum instrumentum ad omnes immutationes miraculosas faciendas in ordine ad finem incarnationis?

Sententia Doctorum. RICARDVS *in* 3.*dist.*15.*art.*2.*q.*7. & Mich. Med. *de recta in Deum fide lib.* 2.*c.*3. referunt duos errores circa Christi Domini potestatem ad patranda miracula. *Primus*, quem Waldensibus ascribit Ricardus, est Christum miracula quæ narrantur in Euangeliis, fecisse virtute perfecti temperamēti corporis sui, quod medici nominant temperamentum ad pondus. Quem errorem late & efficaciter confutat Medina *loco notato*, & post eum Vasq. *in d. cap.* 3. *Secundus* error fuit quorundam, qui iuxta doctrinam Auicennæ *in* 4. *sexti naturalium cap.* 6. miracula Christi Domini imaginationis efficacitati tribuebant, quod deliramentum confutant auctores iam dicti.

Sed his omissis Catholicorum sententias referamus: sunt vero quinque. *Prima* est Christū, vt homo est, non fuisse aut esse physicum diuinitatis instrumentum ad patranda miracula, sed morale tantum dupliciter; primo per orationem & meritum apud Deum, vt miracula fierent. Secundo propter pactum inter Deum & Christum quatenus homo est, vt posita tali vel tali Christi operatione, puta oratione, imperio, tactu aut verbo sequatur illico miraculosus effectus à Deo p- D briæ Domini fuit à fluxu sanguinis liberata. Et cū ductus. Sententiam hanc tuentur Altisiodorensis 3.*par.tract.*1.*cap.*4.*quæst.*1. Alex. Alensis. 3.*par. suæ summæ qu.*13.*art.*3.*memb.*3. S. Bona. *in* 3.*d.ist.*13.*art.*2.*q.*2. & *ibidem* Ricard. & Gabriel *dub.*3. Durand. *dist.* 14.*q.*5. & *in* 4.*dist.*1.*q.* 4 & Scotus *ibidem quæst.*1.4. & 5. Petrus de Soto *in* 2.*par. de institutione Sacerdotum*, Melch. Canus *in relectione de Sacramētis par.*4. *post* 6.*concluſ.* Andreas à Vega *lib.*7. *in Conc. Trid. cap.* 13. & Vasquez *to.*1. *in* 3.*part.disp.*57.*c.*5. qui eandem opinionem tribuit Ferrariensi: hanc esse probabilem affirmat Asturic. *in sua electione de gratia Christi, quæst.* 6.*pag.*785.

Secunda sententia docet Christum ante ascensionem in cœlum fuisse physicum diuinitatis instru- E mentum ad gratiam in nobis causandam, & ad miracula facienda; sed post ascensionem, cum à nobis & ab omnibus rebus corruptioni subiectis sit valde distans, prædicta moraliter tantum efficere, nisi forte aliquid eorum per Eucharistiā, in qua realiter existit operetur. Hanc opinionem dicunt quidam tenuisse Victoriam, & in eam videtur inclinare Vega prædictus, vt ait Asturic. *pag.*777.

Tertia sententia ab Astur. relata est quorundam recentiorum dicentium, Christum, nunc in cœlo regnantem homines, vt instrumentum Dei præstitum iustificare, & miracula facere non per seipsum immediate, sed mediantibus Angelis.

Vltima sententia est humanitatem Christi à primo instanti suæ conceptionis instrumentum, nō morale tantum, sed etiam physicum fuisse diuinitatis ad gratiam in nobis causandam, & ad miracula facienda. Hanc perpetuo tenuit S. D. vt patet *ex hoc art. & infra q.*48.*art.*6.*q.*52.*art.*1. & 2.*q.*56.*art.*2. & *q.*62.*art.*1. & 1.2.*q.*112.*art.*1. *ad* 1. & 2. & *in* 3.*s.dist.*14.*q.*1.*art.*4. & *de pot.q.*6.*art.* 4. Eandem sequitur Palud. *in* 4.*s.dist.*1.*q.*1. *num.* 32. & Sotus *eadem dist.q.*3 *art.*5. Capreol. *ibidem ad argumenta contra secundam concl.* & *dist.* 13. *ad argumenta contra primam concl.* Caiet. hic; qui non dixit oppositum *in* B 2.2.*q.*178. vt ei imponit Asturic. *in relectione de gratia Christi pag.*777. Eandem sententiam tuetur Medina *super hoc art. dub.*3. Val. *puncto* 2. *huius quæst.* Suarez *disput.*31.*sect.*5. licet discordet in fundamēto, de quo specialis erit controuersia, Asturic. *de gratia Christi q.*6. *dub.*4. *concluſ.* 4. *pag.* 785. Aluarez *disp.*66. & alij.

SVPPOSITIS iis, quæ diximus *in præcedenti controuersia* de causa principali, & iis, quæ *in* 1.*p.q.*45. *art.* 5. *contr.* 2. scripsimus de physico tam creatæ, quam diuinæ virtutis instrumento, hic breuiter explicandus est modus, quo humana Christi natura physicum est instrumentum ad omnia opera miraculosa Deitatis, cuius euidentiam

Resolutio. Ex communi ratione, & conditione instrumenti physici declaratur, quo modo Christi humanitas, sit physicum instrumentū diuinitatis.

Sciendum est primo, principium illud D. Tho. *in* C 1.*p.q.*45.*art.* 5. videlicet causa secunda instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi inquantum per aliquid sibi proprium dispositiue operatur ad effectum principalis agentis, intelligendum esse de operari latissime sumpto ad omne genus actionis, passionis, & contactus corporei; vt ait idem S. D. *in* 2.2.*q.*178.*artic.*1.*ad* 1. cuius verba sunt: *Deus principaliter operatur, qui vtitur instrumentaliter, vel interiori hominis motu, vel etiā aliquo exteriori actu, seu etiam aliquo contactu corporali, corporis etiam mortui*: quod intelligendum est de contactu non quocunque, sed qui terminus est motus localis alterius corporis alterum contingentis: vt patet de cadauere proiecto in sepulchrū Elisei; quod ad tactum ossium Prophetæ fuit illico vitæ restitutum, & de muliere, quæ tactu fimbriæ Domini fuit à fluxu sanguinis liberata. Et cū omne corpus huius sphęræ corruptibilis virtutes aliquas habeat actiuas, puta caliditatem, frigiditatem & alias etiam sublimiores: vt patet in magnete, succino & in multis aliis mixtis, quę mirabiles habent agendi virtutes sibi congenitas; consequens est Deum vti posse quocunque corpore, etiam localiter immoto, ad agendum effectum quemcunque miraculosum: potest etiam vti calefactione, infrigidatione & aliis corporū actionibus, quas sine motu locali per suas exercēt virtutes naturales ad quemlibet etiam specialem effectum supra totum ordinem naturæ producendum: per has enim operationes modificatur & determinatur Dei principalis agentis operatio, & defertur eius imperium ad subiectum operis miraculosi, etiamsi talis operatio instrumenti subiectum operis miraculosi nō attingat. Quod si nulla ex prædictis interueniat ex parte corporis operatio, non solum frustra adhiberetur ad agēdum, vt ait S. D. *loco supra notato ex* 1.*part.* sed nec vere esset instrumentum; & ideo non placet, quod ait Asturic. *in allegata q.* 6. *pag.* 813. videlicet sufficere determinatam aliquam habitudinem ex parte instrumenti ad subiectum operationis miraculosæ, etiamsi nullam sibi propriam corpus habeat o-

perationem: nec explicat hic auctor, quod nomine determinatæ habitudinis intelligat; nec apparet, quæ aut qualis habitudo possit naturaliter rei creatæ conuenire in ordine ad opus supernaturale & miraculosam circa rem aliam operandum.

Secundo notandum est ex D.Thom. *de potentia q.6. art.4.* SS. Angelos & homines quandoque ex potestate miracula facere deferendo, seu præsentando diuinum imperium ad corporeas creaturas, atque ita Spiritus Angelicos aut humanos agere, vt instrumenta diuinæ virtutis ad miraculi profectionem, possequе intelligi virtutem ad cooperandum Deo in miraculis ad modum formarum imperfectarum, quæ intentiones vocantur; quæ non permanent, nisi per præsentiam agentis principalis: sicut lumen in aere, & motus in instrumẽto. *Nec mirum est* (inquit S.D.) *si per hunc modum spirituali creatura Deus instrumentaliter vtitur ad faciendos mirabiles effectus in natura corporali, cum etiam corporali creatura vtatur instrumentaliter ad spirituum iustificationem, vt in Sacramentis patet.* Ad cuius euidẽtiam scito diuinum imperium seu præceptum dupliciter posse ab Angelis aut hominibus alicui rei præsentari: *Vno modo* moraliter: & sic præsentari non potest, nisi rationali creaturæ, cui fit notificatio & intimatio diuini præcepti: Et hoc modo præsentata fuerunt Dei præcepta per Angelos Moysi & eo mediante toti populo Iudæorum. *Alio modo* potest diuinum præceptum per Angelos, aut homines physice præsentari; & ita cuilibet etiam insensibili creaturæ potest præsentari; immo & quælibet creatura potest illud alteri præsentare: & de hoc modo præsentandi loquitur in dicto loco S. Thom. Quomodo autem fiat hæc physica præsentatio & delatio imperij & virtutis diuinæ ad creaturam corpoream, aut spiritualem explicauimus *in 1. par.* cum Bannesio.

Ex his dicendum est humanitatem Christi Domini nunc in cœlo regnantis pluribus modis posse ad opera Dei miraculosa concurrere, vt instrumentum personæ Verbi cõiunctum. Nam primo potest instrumenti munus exercere per actiones sui corporis glorioſi, puta per motum, tactum, nutum, locutionem, illuminationem, & similia. Deinde potest idem efficere per actiones immanentes animæ suæ; quales sunt apprehensio, volitio, actus imperij, aut etiam imaginatio, vel appetitio sensitiua; quibus etiam actibus (vna dumtaxat excepta illuminatione) miracula patrabat in statu passibili: Non enim necesse est actionem instrumenti propriam attingere immediate & secundum se subiectum operationis miraculosæ, vt ante diximus.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

PRIMA CONCL. *Humanitas Christi, siue Christus, vt homo fuit causa moralis, non instrumentalis, sed principalis omnium effectuum supernaturalium, qui quocunque tempore facti fuerunt in ordine ad finem incarnationis.* Hæc patet ex dictis *in precedenti controuersia*; & probant eam Medina *super hoc articulo*, & Aluarez *disput. 66.* Et probatur etiam ratione posita in superiori controuersia: Quia omnis causa instrumentalis præsupponit causam principalem eiusdem ordinis sibi proportionatam. At nulla causa supra humanitatem Christi potest assignari, quæ sit causa principalis eiusdem ordinis in genere moris orationum, meritorum ac satisfactionum Christi, vt homo est; ergo Christus vt homo, siue humanitas Christi, non est causa dictorum actuũ instrumentalis, sed principalis. Maior videtur euidens in quolibet ordine causarum subordinatarum secundum rationem causæ principalis, & instrumenti. Minor probatur: quia supra humanitatem Christi non est, nisi Deus; cui vt sic repugnat orare, mereri & satisfacere: hi enim sunt actus inferioris ad superiorem. *Huic argumento respondet* Vasquez *disput. 57. cap. 6. ad tertium argumentum* dicens instrumentum morale non dici respectu causæ moralis, sed respectu causæ physicæ; instrumentum enim morale (inquit) dicitur id, quod impetrat à causa physica effectum; cõmuni namque & vulgari modo loquendi causa physica dicitur operari effectum per tale medium impetratorium, tanquam per instrumentum; & ita Christi humanitatem esse causam instrumentalem Dei in ordine ad immutationes supernaturales. In prima vero parte *disput. 176. cap. 1. num. 6.* ait morale instrumentum non dici id, quod solum impetrat aliquid à Deo, sed id, quod impetrat faciendo aliquid circa rem, in quam effectus à Deo deriuatur: vt cum aliquis tangit ægrotum, & tactu suo impetrat à Deo sanitatem; id enim (inquit) quod impetrat aliquid à Deo, eatenus dicitur instrumentum, quatenus assimilatur instrumento naturali separato, seu instrumento artis, quod ex se habet præuiam aliquam operationem circa subiectum: ideo, &c. *Sed vtrumque dictum* formaliter intellectum, & vt asseritur ab auctore prædicto, falsum est. Et prioris quidem dicti falsitas probatur: quia de ratione instrumenti, quatenus est instrumentum, est, vt sit medium inter causam principalem, & effectum causatum ab ea per instrumentum: At Christus, vt homo orans & merens apud Deum non est medius inter Deũ sub ea ratione, qua Deus est causa physica miraculorum, & ipsa miracula, neque Deum orat aut apud eum meretur, vt motus à Deo, quatenus ea miracula physice causat: ergo. Maior probatur; quia ratio instrumenti consistit in hoc, vt sit causa mouens, quatenus mota est ab agente principali, vt huius virtus illo mediante deueniret ad effectum: quo fit vt omnes secundæ causæ, quæ mouentur & applicantur ad agendum à prima, dicantur à D. Thom. (quamuis minus proprie) eius instrumenta; vt patet *in 2 cont. gent. cap. 21. & in 3. cap. 10.* & omnium artium instrumenta mediãt in agendo inter artificem & eius effectum: ità vt per ea virtus artificis modificetur ac determinetur, & ad effectum siue magis ad subiectum actionis principalis agentis deferatur: vt patet in Serra, malleo, penicillo, &c. Quod etiam elucet in moralibus instrumentis; seruus enim operans ad imperium Domini illius est instrumentum; vt ait Arist. *in 8. Ethic. c. 8.* & clare constat illum esse medium inter Dominũ & opus ab eo præceptum; ita vt medio seruo virtus seu imperiũ Domini quodammodo deferatur ad effectum. Est igitur de ratione instrumenti, quatenus instrumentum est, vt mediet inter causam principalem & eius effectum, vt asserebat maior assumpta. Minor autem probatur: quia orans & merens vt sic antecedet operationem Dei physice sumptam, qua facit miracula: mouet enim quodam modo Deum, & est ei ratio, vt velit miracula facere, eo modo quo declarauimus *in 1. p. q. 19. a. 5.* vnum bonum creatum esse posse rationem volendi bonum aliud creatũ, igitur Deus est, qui mediat inter orationem aut meritum Christi & opus miraculosum; non autẽ Christus est qui mediet inter Deum miracula facientẽ & eius opera miraculosa. Et licet Deus, vt primum agens voluntarium sit causa principalis moralis omnis orationis & meriti, & inter ipsum & effectum mediat omnis alia causa moralis, puta orans & merens; nihil tamen hoc Vasquezio suffragatur, qui causæ morali instrumentali assignat causam principalem non moralem, sed physicam. Ex quo sequitur Christi humanitatẽ, quæ

Vasquez ex primo.

Confutatio.

secundum hunc auctorem moraliter tantum agit, non esse vere ac proprie causam miraculorũ, sed eius orationem ac merita esse solum conditiones, aut signa diuinæ operationis, vt patet in simili de Sacramentis infra *q.62.art.1.* Nec humanitas Christi magis esset causa miraculorum, aut gratiæ quam Sacramenta veteris legis fuerint causa gratiæ, & quam oratio Stephani fuerit instrumentalis causa conuersionis Pauli, & quam iudicium antiqui Sacerdotis de sanitate lepræ esset instrumentum ad eam sanandam. Probatur hæc illatio: quia secundum Vasq. Christus, vt homo ea tantum ratione dicitur fecisse miracula, vt instrumentum, quod eius oratione, imperio vel tactu posito, Deus statim ea miracula faciebat: At similiter erat Dei pactum seu promissio, vt suscepta circumcisione gratiam ipse cõferret suscipienti, & posito Sacerdotis iudicio etiam errante de sanitate lepræ: fieret sanitas à Deo: vt ait S. D. *in 1.2.q.103.ar.2.ad 3.*

Posterius autem dictum manifeste falsum est: quia Christus Dominus seruum Centurionis sanauit, & Lazarum à mortuis reuocauit nihil circa eos operando per tactum vel aliam preuiam operationem similem operationibus instrumentorum artis aut naturæ.

Deinde probatur cõclusio auctoritate D. Th. *in 4.dist.5.q.2.ar.2.q.2.ad 2.* dicentis in oratione orantem esse sicut principale agens, & non solum sicut instrumentum: & eadem est ratio de merito, & satisfactione: Ergo Christ⁹, vt homo, qui fuit causa moralis nostræ salutis per dictos actus, non fuit causa instrumentalis: sed principalis.

Secvnda Concl. *falsa est ea sententia, quæ docet Christum in nobis gratiam effectiue causare mediãtibus Angelis.* Hanc probat Astur. *pag.779.* primo: quia nequeunt Angeli intra mentes hominum efficaciter operari. Secundo, quia fundamentum dictæ opinionis falsum est, videlicet non posse Christi humanitatem propter localem distantiam in animalibus nostris gratiam causare: quia coniunctio agentis ad passum conditio tantum est secũdum ordinem naturæ ad agendum requisita, nec ab ea tanquam principio dependet operatio: igitur operatio, quæ fit præter, & supra naturæ leges, hãc non necessario postulat conditionem: sed perab. solutam & infinitam Dei potentiam fieri potuit, vt instrumentum loco maxime distans nullo suo præuio contactu physice cum agente principali concurrat ad agendum: & cum hoc ad maximam pertineat humanitatis Christi dignitatem id ei à quolibet sapiente ac pio Theologo tribuendum est. Et confirmatur: quia si verũ esset illud fundamentum, sequeretur neque mediantibus Angelis posse Christum in nobis gratiam causare: quia, si proximi sunt Christo in cælo regnanti, distant à nobis in terra existentibus: si vero nobis proximi sunt, à Christo distant virtute eis influente. Tertio probatur conclusio: quia nequeũt Angeli causare gratiam baptismalem, neq; transubstantiationem panis in corpus Christi, cum non sint Sacramentorum ministri: quæ tamen causat humanitas Christi, vt instrumẽtum excellentiæ: ex quo etiam habet, vt sit causa generalis resurrectionis futuræ in die nouissimo: quod Angelis nulla ratione cõuenit: qui tunc solum in puluere colligendo ministrabunt: vnde neq; in resurrectione Lazari vim aliquam habuerunt, vt instrumenta.

Tertia Concl. *Humanitas Christi est physicum instrumentum Verbo coniunctũ ad omnes immutationes faciẽdas in ordine ad finẽ Incarnationis, qui est instaurare omnia, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Hæc satis aperte significatur in textu. Nam in eodem sensu loquitur S.D *in 2.* & *in 3 conclusione*: certum est autem *in 3.concl.* sermonẽ esse de physico instrumẽto quod negatur ad actum creationis posse concurrere: Morale namque instrumẽtum, puta orationem, aut meritum Petri posse in actu creationis interuenire, nullus est qui neget. Deinde probatur conclusio pluribus argumẽtorum generibus: quæ in quatuor classes distinguemus. *Prima* continet dicta sacrarum litterarum, *Matth.8.* multa Christi Domini recensentur miracula solius imperij virtute patrata: quod etiã videre est *apud Lucam cap.5.* & *8. Ego noui virtutem de me exiisse.* Et *ibidem cap.6.* dicitur: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Et *Io.1. Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* quæ verba Chrysost. exponit de physica Christi virtute gratiæ productiua: quam etiam significant verba ibidem subiuncta. *De plenitudine eius omnes accipimus. Et Matth.28.* Dominus ait: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Et *Io.20.* dicitur. *Insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata,* &c. Conferre autem S.S. in sufflando est gratiam & charitatem physice causare. Alia loca lege, si vis, apud Medinam, & alios recentiores.

Secunda classis diffinitiones cõprehendit Conciliorum generalium. Ac primo Conc. Ephes. *1. can.11.* & *in Epistola Synodali ad Nestorii* diffinit carnem Christi Domini esse viuificatricem, propter vnionem ad Verbũ, quod vitam habet diuinam: At caro Christi nequit esse viuificatrix secundum moralem causalitatem: quæ ad solam animã pertinet: ergo physicam habet viuificandi virtutem. Deinde sexta Synodus generalis *actione 11.* recipit Epistolam Sophronij dicentis, actionum Christi quasdam esse pure diuinas nõ conuenientes humanitati, nisi per communicationẽ idiomatum: vt vniuersi conseruatio: quasdam pure humanas, quas exercere posset humanitas, etiamsi non existeret in supposito diuino: vt flere, esurire, sitire, dormire, vigilare & orare: quasdam vero medias, quæ ad diuinitatem & humanitatem simul pertinent: quas appellat Theandritas: cuius ordinis fuerunt omnes operationes miraculosæ & supernaturales: vt iustificatio animarum. Denique Cõcilium Trid. *sess.6.cap.7.* diffinit Sacramentum baptismi esse causam instrumentalem iustificationis impij: nomen vero causæ instrumentalis absolute prolatum non morale sed physicum, quod vere & proprie dicitur instrumentum, significat.

Tertia classis dicta Sanctorum continet. Quorum primus est Dionys. *in Epist.ad Caium*: vbi distinctionem illam statuit operationum Christi, quam ex epistola Sophronij supra retulimus: Athana. *in sermone 4 contra Arianos* sic loquitur: *Quin & ea opera, quæ sunt propria Verbi: qualia sunt mortuos excitare, cæcis visum reponere, hæmorrhoissã sanare: ea quoque omnia corporis ministerio peragebantur. Et quemadmodum Verbum carnis infirmitates baiulabat, vt suas (neque id mirum: erat enim caro ipsius) ita rursus, cum caro suo ministerio diuinitatis operibus inseruiebat, illa opera in carne fiebant, quia illa caro erat corpus Dei.* Cyril. Alexand. *lib.2 in Ioan.cap.15,* ait: *Nam quemadmodum ad facienda signa diuina verbis suis inerat virtus, sic ad persuadendum magnas vires habebat.* Et *lib.4. cap.14.* inquit: *Non verbo solum semper, verum etiam tactu mortuos excitabat, vt ostenderet corpus quoq; suum viuificare posse.* Idem *in Exegesi de Verbi Incarnatione ad Valerianum,* (& habetur *in actis Concilij Ephesini tomo sexto*) *Nobis* (inquit) *ad pietatem id sat sit, vt cogitemus, sedulo; animo versemus, carnem, quæ Dei omnia viuificantis peculiaris effecta est, viuificam ipsius Verbi virtutem, & operationem obtinere.* Eandem habet doctrinam *in Anathematismo 11.* & *in dial.6.de Trinitate,* & *lib.1.de fide ad Reginas,* & *alibi sæpe.* Chrys. *hom.26.*

in Matth. explicans illa verba: Si vis potes me mundare, obseruat non dixisse leprosum: Domine si oraueris, sed si vis: quia omnia eius arbitrio & potestati committebat. Aug. *tractatu 24. in Ioan.* dicit potestatem multiplicandi panes in manibus Christi positam esse. Euseb. *lib. 4. de demonstratione Euangelica cap. 23.* Christi humanitatem vocat organum diuinitatis: quibus vocibus etiam vtitur Theod. *in Dialogo: In immutabili.* Greg. Nazi. *in carminibus de Christi miraculis secundum Marcum* ait: *Viribus ejicitur Christi cum Damone febris.* His adde Patrum testimonia de virtute gratiæ effectiua Sacramentorum nouæ legis: Præcipui vero sunt S. Iustinus martyr *de baptismo, in Dialogo contra Triphonem, & in Apologia secunda*: vbi loquitur de virtute baptismi & Eucharistiæ, Cypr. *in sermone de Cœna Domini,* Niss. *lib. de baptismo* Cyril. Alexand. *lib. 2. in Ioan. cap. 42. & lib. 7. contra Iulianum circa finem*: Theod. *in Epitom. diuinorum offic.* Ambros. *lib. de ijs, qui initiantur, & lib. 3. de Sacram. c. 1.* Chrysost. *hom. 25. in Ioan.* Aug. *tract. 80. in Ioan.* Damasc. *lib. 5 de fide cap. 10. & 14.* S. Th. *hic, & infra q. 48. a. 6 & q. 52. a. 1 & 2. & q. 62. a. 1 & 4 & alibi* physicam humanitati Christi & Sacramentis tribuit efficientiam.

Nititur Vasq. glossas quasdam generales adhibere prædictis scripturæ locis, ac patrum dictis: quas verba supra notata formaliter ac proprie sūpta veluti adulterinas, ac minime congruentes reijciunt: nec expedit in singulis locis & dictis ponderandis verba consumere.

Postrema demum classis rationibus constat valde probabilibus. Prima ratio ex prædictis deducta hæc est: Ea sententia magis est amplectenda, quæ magis consonat modo loquendi & verbis diuinæ scripturæ, Conciliorum & Patrum formaliter & proprie sumptis, & nullam habet impossibilitatem aut absurditatem: At hæc nostra sententia, quam tertia conclusione proposuimus, est huiusmodi. Ergo, vt probabilior est amplectenda Et confirmatur primo: quoniam, vt ait Aug. virtus miraculorum factiua erat in manib. Christi, & vt affirmat Cyril. erat etiam in verbis eius: Sicut etiam erit in eiusdem Christi Domini voce ad iudicium mortuos excitante: vt dicitur *Ioan. 5. & 1. ad Thessal. 4.* sub nomine Archangeli, vt magister aduertit *in 4. dist. 43. cap. 2.* & ibi S. Th. *q. 1. a. 2 q. 2. ad 2.* Et eadem virtus fuit in fimbria vestimētorum Christi, vt patet ex Euangelio, & in corpore Christi mortuo virtus fuit ad animam sibi reuniendam, vt ait S. D. *infra q. 53. a. 4. ad 3.* Ex quib. sic arguo: In Christi manibus, verbis, voce & corpore mortuo nulla potuit esse virtus moralis operatiua miraculorum: Ergo. Probatur assumptum: quia prædicta nec orare possunt, nec mereri: & fatuum est asserere ea solum concurrere vt conditiones sine quibus facta non fuissent à Deo miracula: dicta namque Scripturarum, Conciliorum & Patrum formaliter & proprie sumpta aliquid amplius, quam nudam illam exprimunt conditionem, Confirmatur Secundo: Quia Christi humanitatem esse physicum instrumentum diuinitatis ad omnes immutationes miraculosas, & supernaturales ad finem Incarnationis ordinatas maximam dicit dignitatem & excellentiam: Cum igitur verba & modum loquendi scripturæ, Conciliorum & Patrum hunc sensum, vt maxime proprium admittant, recta ratio postulat, vt secundum hunc sensum eorum dicta recipiantur. Secūda ratio est. Christi meritum fuit infinitum, & eo meruit plures alias excellentias, sc. exaltationem, immortalitatem & similia: igitur hanc etiam meruit excellentiā, vt esset physicum diuinitatis instrumentum: non enim est maior ratio de hac quā de alijs. Tertia ratio: Christus est caput Ecclesiæ: igitur optimo & perfectissimo modo influit in membra: ergo influxu physico, qui est omnium optimus & proprijssimus. Quarta ratio: Si influxus humanitatis Christi nō est physicus, sed moralis, sequitur virtutem in ea existentem ad patranda miracula, & ad alios effectus supranaturales in ea fuisse per modum permanentis, quod non est admittendum. Sequela probatur: quia gratia & charitas, quæ sunt principia merendi, vt fiant à Deo miracula & alij effectus supranaturales sunt habitualiter in anima Christi. Quinta ratio: Ex illa opposita sententia sequeretur Christi humanitatem non esse instrumentum diuinitatis, sed solius filij. Probatur conseq. quia solum filij suppositum concurrit ad actus meritorios modo in superioribus explicato.

Contra primam, & tertiam concl. profert Vasq. nonnulla argumenta, quibus optime satisfacit Aluar. *disp. 66.* & eorum solutio patet ex ijs, quæ diximus *in 1. p. q. 45. a. 5.* Vide etiam Cai *super Matt. c. 14. in illa verba: Iube me venire ad te super aquas* &c. *Argum. & solutiones.*

Contra easdem concl. sunt duo dicta D. Thom. primum est *in 3. dist. 16. q. 1. a. 3.* vbi sic loquitur: *Eius solius est immutare legem & cursum naturæ impositum, qui naturam instituit, & ordinauit; quod solus Deus facit: & ideo neque aliqua virtus corporalis, nec spiritualis, aut animæ, aut Angeli, nec etiam animæ Christi potuit ad immutationem legis naturæ impositæ diuinitus, nisi per modum orationis, aut intercessionis,* &c. Secundum dictum est *in 2. 2. q. 178. a. 1. ad 1.* vbi S. D. tria dicit. Primum est, operationem virtutum, id est virtutē operādi miracula, se extendere ad opera, quæ supernaturaliter fieri possunt: quorum causa est Diuina omnipotentia. Secundum est, mentem miracula facientis moueri ad faciendum aliquid, ad quod sequitur effectus miraculi, quod Deus sua virtute facit. Tertium est id quandoque fieri præcedēte oratione, sicut Petrus Tabitam mortuam suscitauit *Act. 9.* quandoque etiam non præcedēte manifesta oratione, sed Deo ad nutum hominis operante: sicut Petrus Ananiam & Saphyram morti increpando tradidit. Ex primo dicto sequitur virtutem miraculorum operatiuam ad creationem extendi: at nullum instrumentum physicum potest ad creationem concurrere: ergo S. D. ibi significat virtutem faciendi miracula non esse physicam, sed moralem. Ex secundo etiam dicto sequitur dictam virtutem non esse physicam, sed moralem: Nam si creatura sic operans esset causa physica, sequeretur effectus miraculi ad operationem ipsius creaturæ, vt instrumenti à Deo moti, non autem ad solam Dei operationem, vt significatur illo secundo dicto. Ex tertio demum sequitur idem: nam id ad cuius nutum agens principale operatur, concurrit vt moraliter mouens, non autem vt instrumentum physicū ab agente principali motum. *Ob. cont. 1. & 3. concl.*

Ad primum locum respondet Cajet. hic primo, dici posse D. Tho. mutasse sententiam. Secundo ait nomine orationis comprehendi etiam modum instrumentalem: quia oratio conuenit in hoc cum omni alia virtute instrumentali, quod non est de genere permanentium, sed cōsistentium in motu: *sed hanc solutionem* reijcit Vasq. dicens inepte per intercessionem & orationem intelligi modum physicè operandi, non minus, quam si per rubrum intelligatur viride. *Sed obseruandum est* orationē duplicem simul habere posse virtutem ad patranda miracula, scilicet moralem & physicā: quia potest ea vti Deus, vt physico instrumento ad opus miraculosum: & hanc secundam orationis virtutem ait Cai. D. Tho. congrue significasse nomine orationis ob dictam conuenien- *Solut. Vasq. impugnatio. Solut.*

nientiam. Secundo respondetur D. Th. ibi loqui A de eo, qui vt agens principale immutat ordinem rerum: vt patet ex verbis D. Thom. supra notatis non potest autem homo aut Angelus vel anima Christi rerum ordinem, vt causa physica principalis immutare, sed vt moralis tantum, scilicet orando, merendo, &c. & hæc videtur optima solutio. *Ad secundum locum* dico primum illud dictum intelligendum esse de virtute principalis agentis miracula operantis, non autem de virtute instrumentaliter efficientis. Ad quid autem se extendat virtus hęc instrumentalis, declarat S. D. in hoc artic. Secundi vero dicti sensus est, mentem miracula facientis moueri vt instrumentum physicum ad faciendum aliquid, ad quod instrumentaliter sequitur effectus miraculi, quod Deus, vt agens B principale sua virtute facit. Postremum autem dictum intelligitur de miraculis ab homine factis, vt à causa principali: sic enim, vt causa moralis tãtum concurrit. Secundo dico D. Tho. ibi significare duplicem modum, quo homo concurrit ad opus miraculosum: alterum morale, scilicet per orationem: & alterum physicum, scilicet per increpationem: vt *Act* 5. aut per præceptum: vt *Iosuæ* 10. in hoc enim operandi modo communicatur diuina virtus voci hominis, vt instrumento, & in eo modificatur & defertur ad subiectum operis miraculosi.

Contra easdem concl. sunt argumenta, quæ proponit & soluit Astur. *loco supra notato*: quorum tamen solutio satis patet ex ijs, quæ diximus *in 1. p.* C *quæst.* 45.

Contra easdem concl. produci possunt argumẽta tangentia difficultatem illam: an virtus in instrumento Dei recepta sit corporea, vel spiritualis: cui satis facit D. Th. infra *q.* 62. *a.* 4. *ad* 1. dicens virtutem illam esse Spiritualem: quod idem affirmat *in* 4. *dist.* 1. *q.* 1. *a.* 4. *quæstiunc.* 2. *& de Veritate*, *q.* 27 *a.* 4 *ad* 4. Videndus est etiam Ferrar. *in* 4. *contra gent. cap.* 56. & Capr. *in* 4. *dist.* 1. *q.* 1. Aluarez autem ait virtutem illam esse formaliter corporalem, sed virtualiter spiritualem: quod non videtur esse cõsonum doctrinæ S. Th. locis allegatis: Propositio autem illa: *Omne, quod recipitur ad modum recipientis recipitur*: vera est tantum in formis completis & D permanentibus, non autem in incompletis & transeuntibus, &c.

Tertia Controuersia.

An virtus effectiua miraculorum sit in anima Christi per modum habitus, aut formæ permanentis?

Sent. Doct. PRIMA *sententia* est asserentium datam fuisse animę Christi qualitatem quandam supernaturalem permanentem, quæ sit virtus instrumentalis ad patranda miracula. Hanc Suar. *disp* 31. *sect.* 5. tribuit Palud. Capr. & Ferrar. sed immerito.

Secunda sententia in altero extremo posita est eorum, qui dictam negant qualitatem & virtutem omnem Physicam instrumentalem in humanitate Christi dicentes, eam solum fuisse instrumentum morale diuinitatis, quam sequitur Vasq. *disp.* E 57. *cap.* 5.

Tertia sententia est Suar. *loco notato* dicentis virtutem instrumentalem in Christi humanitate nõ esse rem vel entitatem aliquam, aut intrinsecum modum humanitati additum, illique inhærentẽ: sed esse potentiam obedientialem actiuam in rebus ipsis existentem, per quam efficere possunt supernaturalia opera vt instrumenta Dei ipso cõcurrente per auxilium vel concursum proportionatum effectu, & excedentem concursum debitum naturali virtuti creatæ.

Quarta sententia est Caiet. *super hoc art.* dicentis, Deum per secundas causas miracula facere non dando illis virtutes aliquas naturales aut gratuitas permanentes, sed vtendo illis instrumẽtaliter ad opera miraculosa: ita, vt hoc ipso, quod Deus vtitur aliqua re, vt instrumẽto ad opus miraculosum, eleuetur res illa in ordine causæ instrumentalis, & ipse passiuus vsus, quo Deus illa vtitur ad hoc opus, sit motus quo à principali agẽte instrumentum mouetur, & ex hoc ipso sit vis actuatiua, & constitutiua ipsius instrumẽti, ac per hoc in esse causæ instrumentalis operis miraculosi: reducitur enim (inquit) res illa de potentia obediẽtiali ad actum, cum de nõ instrumento sit instrumentum: quod ex hoc solo sit, quod Deus illa vtitur instrumentaliter ad opus miraculosum: Et paucis interpositis de anima Christi loquens ait, non opus esse quærere alium modũ, aut quid, aut qualiter, nisi quod Verbum vtitur instrumentaliter anima seu humanitate coniuncta sibi ad opera miraculosa: quæ fuit sententia Capr. *in* 4. *dist.* 1 *q.* 1. *a.* 3. & sequuntur eam Ferrar. *in* 4. *contr. gent. cap.* 56. & Aluarez *disp.* 67. & alii Thomistæ communiter.

Quinta sententia est Astur. *in relectione de Christi gratia, qu* 6. *p.* 822. qui sequens Andream à Vega docet virtutem miraculorum pertinere ad Christi humanitatem, per modum formæ permanentis, sed non esse aliquam qualitatem superadditam, sed ex eo, quod humanitas est coniuncta Verbo, habere diuinitatem sibi infallibiliter assistentem ad operandum miracula, quotiescunque voluerit Christus ea patrare: & declarans suam hanc opinionem ait, vnionem hypostaticam radicaliter tantum constituere humanitatem in actu primo, sed formaliter constitui in actu primo seu in potentia proxima per immediatam assistẽtiam, qua diuinitas ipsi humanitati assistit, & eam habet subordinatam suæ infinitę virtuti ad huiusmodi miraculosa opera.

Vltima sententia est Medinæ *super hoc art.* quam explicat hac propositione: Animæ Christi Domini, sicut & Apostolis, competebat facere miracula ex virtute propria, & ex gratia gratis data per modum actus transeuntis: Cæterum potestatiue, & per modum habitus facere miracula, quando volebat, competit animæ Christi ex vnione ad Verbum hypostatica absque superaddita qualitate: quia est instrumẽtum coniunctum Verbi: & non tantum hoc, sed etiam conuenit, vt tribuat aliis potestatem patrandi miracula.

HVIVS *Controuersiæ* definitio pendet ex ijs, quę late diximus de nomine & ratione instrumenti 1. *p. q.* 45. *a.* 5. *Contr.* 2. *& in duabus præcedentibus Controu. ad hunc art.* sed præterea

Sciendum est primo: Virtutem instrumentalem posse dupliciter instrumento communicari: Vno modo, vt fluentem: Alio modo, vt permanẽtem. Et priori quidem modo dupliciter adhuc potest virtus principalis agentis instrumento communicari: Vno modo, vt non solum ex natura sua, sed etiam actualiter sit fluens: vt patet de virtute artificis in instrumentis artis, & de virtute Dei in Sacramento Baptismatis, pœnitentiæ &c: Alio modo, vt ex natura sua sit transiens siue fluens, & modum quendam permanentis habeat tantum in actu secundo: sicut plantarum & animalium semina: quæ naturalia sunt eorum instrumenta, virtutẽ habent ab agente principali, à quo decisa sunt, ex sua quidem natura transeuntem: quoniam, vt ait S. D. *in* 1. *p. q.* 118. *a.* 1. *ad* 3. *& de malo*, *q.* 4 *a* 1. *ad* 16. virtus actiua, quæ est in semine ex anima generationis deriuata, motio quædam est ad talem formam in spiritu seminis existens, sed modum quẽdam habet permanentis: quia diuturnam habet dura-

Resolutio. Posse Deum alicui personæ creatæ communicare virtutem instrum. ex sui natura non ad omnia, sed ad aliqua tantum miracula faciẽda. Non tamen fieri posse à Deo qualitatẽ, per quam agens miracula faciat, vt causa principalis.

durationem: licet per accidens hoc illi cõueniat, quatenus instrumentalis virtus est: eo quod non nisi præuijs dispositionibus, quas efficere nequit in instanti, principalis agentis effectum attingat: & ideo virtus illa per se, & essentialiter non est permanens, sed vere transiens est: sicut etiam virtus intelligentiæ mouentis in cœlo recepta continuo durat, & tamen motio quædam est essentialiter transiens: & auxilium efficax Dei ad perseuerandum in bono nobis collatum, & similiter illud, quod beatis ad Deum videndum & amandum, & eo fruendum impertitur, suapte natura transiens est, cum sit motio quædam ad operationem, & tamen in viatoribus diuturnam, in beatis vero perpetuam habet durationem: quia tantum etiam durat operatio.

Secũdo modo principaliter communicari potest ab agente virtus instrumento, vt naturam & modum habeat permanentem, & sit veluti habitus & actus primus: quo modo naturalib. instrumentis cõiunctis, vt brachio, pedi &c. videtur esse virtus ab agente principali, scilicet supposito communicata, & Sacerdoti character imprimitur, qui virtus est permanens ac perpetuo durans, ad actum miraculosæ transubstantiationis ordinata: Hanc autem esse miraculosam affirmat S.D. 2.2.q.1.a.8 *ad 6.* & eadem ratione potest Deus virtutem instrumentalem ex sui natura permanentem alicui personæ creatæ conferre ad aliqua secundum species definita miracula, quãdo & quoties ei placuerit, perpetranda. Nam si ratio permanentiæ, & ratio virtutis instrumentalis nullam habeãt ad inuicem repugnãtiam, vt patet in charactere Sacerdotis, & in virtute brachij, quod instrumentum est hominis naturale, poterit etiam à Deo conferri virtus permanens instrumento ad aliqua patranda miracula determinato. Dixi ad aliqua patranda miracula: quoniam, vt ait S.D. 2.2.q.178.a.1.ad 1. *Operatio virtutum se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter fieri possunt: quorum quidem causa est diuina omnipotẽtia: quæ nulli creaturæ communicari potest: & ideo impossibile est, quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima.* Hæc ibi S. D. vbi negat solum operationẽ virtutum, quæ est gratia gratis data ad facienda miracula, posse esse qualitatem in anima permanentem, quæ se extendat ad omnia supernaturaliter factibilia: non autem eam, quæ se extendat ad aliquas supernaturalium species determinatas. Et licet Astur. existimet S. Thomam ibi non de potentia absoluta, sed de ordinaria tantum locutum fuisse dicens, posse dari creaturæ qualitatẽ ad omnia miracula, præterquam ad Incarnationem, eo quod hæc immediate Deum attingat, atque ideo repugnantiam inuoluat: ego tamen cõsiderata ratione S. Thom. quæ de potentia Dei procedit absoluta, quæ eadem est cũ eius omnipotentia, de hac intelligendum existimo dictum D. Tho. & sicut auctor prædictus excepit Incarnationem, eo quod immediate Deum attingat, ita panis & vini transubstantiationem in Christi corpus excipere tenebatur: quoniã hæc ad Christi corpus, prout est hypostatice Deo cõiunctum, terminatur: quæ tamen exceptio, si fiat, communem destruit Theologorum de charactere Sacerdotali doctrinam. Præterea debuit excipere præterita & futura, quæ sub diuina comprehenduntur omnipotentia: ad quæ tamen impossibile videtur creatam vllam hominis aut Angeli qualitatem extendi, & circa ea præuium aliquid operari. Aliam denique non minus necessariam omisit exceptionem, videlicet fieri non posse qualitatem, quæ sit proprio subiecto principium conuertendi rem aliam in seipsam, vt incipientem esse: quod tamen diuina fieri potest omnipotentia: quæ substantiam vnam potest in aliam, vt incipientem esse transmutare: vt patet *Gen.*19. de cõuersione vxoris Loth in statuam salis nouiter incipientis existere. De potentia igitur absoluta loquitur ibi S.D.

Asturicensis interpretatio reijcitur.

Sed quamuis à Deo fieri possit qualitas, aut forma permanens, quæ sit principium instrumentale quorundam miraculorum, fieri tamen impossibile est qualitatem, aut formam, quæ sit eorum causa principalis, ideſt per quam agens operetur, vt causa principalis: quod probat S. D. *de potentia Dei, q.9.art.1.in argumento, sed contra*: primo per illud *Psal. Qui facit mirabilia magna solus*: vbi dictione illa *solus* non possunt excludi causæ creatæ, nisi vt principales: vt patet *ex eodem art. & 2.2. q.78.a.1.ad 1 & infra q.43.a.2. & 1 p.q.110. a.4. & alibi sæpe.* Secundo probat idem: quia *sic ait Bernardus in lib. de dispensatione, & præcepto: Ille solus potest legem immutare, vel dispensare in lege, qui legem condidit: sicut patet in legibus humanis: quod solus imperator potest legem immutare, qui legem condidit: at solus Deus legem naturalis cursus instituit: ergo ipse solus potest miracula facere præter cursum naturalem agendo.*

Explicatur accurate modus, quo humanitas Christi est instrumentum diuinitatis, & Verbi.

Secundo notanda est differentia inter instrumentum coniunctum & instrumẽtum separatũ: Nam instrumentum coniunctum, vt brachium, formã seu dispositionem habet permanentem ad operationes suppositi per illud exercendas, nec alia videtur ad operandum indigere superaddita virtute præuia realiter ab ipso distincta, sed ex sola naturali & essentiali subordinatione ad potentiã animæ per actum imperij mouentem reducitur ab actu primo ad actum secundum, vt explicauimus *in 1.p.q.22.a.4.Controu.1.* Instrumentum autem separatum agentis creati, vt ensis & baculus, quia naturalem non habet subordinationem ad agens principale, virtute indiget ad modum intẽtionis in ipsum ab agente deriuata, per quam ad operationem applicetur: ita vt hæc virtus in instrumento recepta sit eius applicatio ad operandum operatione, quæ vna & indiuisa est principalis agentis & instrumenti: vt expresse docet S. Thom. *1p.q.105.a.5 ad 2. & in 3 cont gentes, cap.7. & de potentia, quæst.3.a.7.ad 3.* & Capr. *in 2. dist.1.qu.2.* Sic igitur humanitas Christi, quia instrumentum est Diuinitatis coniunctum in vna Verbi personalitate, nullam, vt operari valeat tanquam instrumentum, recipit à Diuinitate, vel ab ipso Verbo qualitatem ad modum habitus permanentem, aut vim intentionalem realiter ab ipsa distinctã, sed per ipsam vnionem cum Verbo personalem, & per assistentiam Diuinitatis ad operandum ex ea vnione consequentem constituitur sufficienter in actu primo ad operandum opera miraculosa, vt instrumentum Diuinitatis, & trium in ea subsistentium personarum, quotiescunque voluerit operari. Ex hypostatica siquidẽ vnione duo tãtum formaliter habet humanitas: Primum est: vt sit Verbo subordinata tanquam supposito, vt per ipsam tanquam eius naturam iuxta facultates, perfectiones ac formas, tam naturales quam supernaturales in ea per modum habitus existentes possit, cum voluerit, operari. Secundum est dignitas & valor moralis operationum, qui in eas ex infinita suppositi dignitate deriuatur. Ex his autem solis & præcise sumptis nulla constituitur formaliter in humanitate virtus ad miracula facienda, sed radicaliter tantum: quia scilicet vnionem hanc consequitur aut concomitatur assistẽtia diuinitatis ad humanitatem, vt illi subordinatam ad patranda miracula: ita vt per assistentiam

hanc

hanc constituatur humanitas formaliter in actu primo, & in potentia proxima ad efficienda miracula.

Sed operæpretium erit explicare, qua ratione siue quo modo vnio hypostatica naturam humanam constituat in actu primo ad operanda miracula. Id autem dupliciter præstat, scilicet physice & moraliter: Physice quidem, quatenus hac vnione redditur humanitas proportionata, vt assumatur à diuinitate tanquam instrumentum cõiunctum, vt plene subordinatum ad operationes diuinitati proprias efficiendas: quod in maximã assumptæ naturæ cedit excellentiam, iuxta illud *Isa. 49. Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fœces Israel conuertendas: dedi te in lucem gentium*, &c. Moraliter autem id efficit primo, quatenus ex vnione dignitas in humanitatem infinita deriuatur, cui maxime congruit, vt particeps fiat nobilissimæ causalitatis circa supernaturales, & miraculosos effectus. Secundo, quatenus hæc vnio ad vniuersalem humani generis redemptionem per assumptam humanitatem exequendam ordinatur: huic enim fini valde congruit facultas operandi miraculosa. Tertio: quia probabile est Christum hanc sibi tam excellentem virtutem, sicut & multas alias excellentias meruisse: vt etiam affirmat Asturicensis *loco supra notato, pag.* 824.

Cum autem dicimus Christi humanitatem cõstitui in actu primo, & in potentia proxima formaliter per assistentiam diuinitatis, &c. nõ intelligimus solam & præcise sumptam assistentiam id humanitati Christi præstare, sed de assistentia loquimur diuinitatis, prout non media qualitate, sed per se ipsam hypostatice coniunctam existit in humanitate, atque ita superexcellẽter supplet omnem perfectionem, & munus actus primi, quamuis per seipsam non exerceat officium actus secundi: qui est motio seu applicatio passiua humanitatis ad opera miraculosa: hæc enim applicatio entitas quædam imperfecta est ab humanitate solum ex natura rei siue realiter Metaphysice distincta, & ab ipsa diuinitate in humanitate causata, ad quam applicationem sequitur operatio, quæ cõmunis effectus est diuinitatis & humanitatis, & per hæc facile diluuntur obiecta cuiusdam recentioris viri doctissimi contra Asturicensem.

Ex his sequuntur quatuor potissimæ differentiæ inter humanitatem Christi & cæteros Sanctos in operatione miraculorum: quas etiam annotauit Aluarez *in sua disp. 67. Prima* est, quod humanitas est instrumentum coniunctum, cæteri vero Sancti sunt instrumenta separata. *Secunda* huic affinis & ex ea consequens est, quod humanitas Christi miracula operatur virtute proprij suppositi, quo subsistit: quod est Filius Dei & Deus omnipotẽs: alij vero Sancti sola operãtur diuina virtute trãseunte participata. Ex hac simul cum præcedente sequitur. *Tertia* differentia, nimirum Christi humanitatem esse primũ & supremum instrumentũ ad omnes operationes miraculosas concurrens cum omnib. Sanctis ad miracula faciẽda per eos, vt instrumenta separata. *Postrema* differentia ex prædictis consequens est, quod humanitas Christi siue Christus vt homo, miracula faciebat, quãdo volebat, non tamen vt agens principale, sed vt instrumentum siue minister, atq; ideo non nisi vt motus à Diuino supposito, veluti agẽte principali, vt vellet miracula facere: cæteri vero Sancti nõ pro libito suæ volũtatis, sed diuinæ virtutis influxu præmouente, cum Deo placuerit operantur miracula. Quod autem Christus pro sua voluntate miracula fecerit, affirmant Chrysostomus *hom. 63. in Ioannem* Hylar. *lib. 3. de Trinitate*, D. Tho. *infra q. 43. a. 3. ad 2.* & eius discipuli *super hoc artic.* Quod etiam ratione probatur: quia Sacerdos ex charactere sacerdotali, quotiescunque voluerit, consecrat panem & vinum conuertendo in corpus & sanguinem Christi, tanquam instrumentum virtutem diuinam semper habens paratam ad influendum; igitur multo magis existimandum est humanitatẽ Verbo diuino personaliter copulatam miracula pro sua volũtate facere potuisse. Quam dignitatem nulli aliorum Sanctorum fuisse concessam docet S. Th. *in 2. 2. q. 178. a. 1 ad 1. & de Potentia, q. 6. a. 4.* & D. Greg. *lib. 2. Dialogi, cap. 30. vel 33.*

Tertio considerandum est humanitatem esse instrumentum diuinitatis, & Dei vt Deus est, & Verbi, & totius Trinitatis, sed diuersa ratione: Nam Dei vt sic, instrumẽtum est, vt principalis agentis, cui per se primo conuenit esse & operari vt quod: vt patet *ex 1. p. q. 45. a. 5. & 6.* Diuinitatis autem instrumentum est, vt principalis principij formalis operandi, siue tanquam operantis, vt quo principaliter: sed Trinitatis instrumentum est, quatenus tres personæ in vno esse & in vna Deitate, ac proinde in vno per se primo & essentialiter subsistente Deo conueniunt: vt patet ex 1. p. *locis allegatis.* Deniq; Verbi speciali quadam ratione instrumẽtum est, eo quod illi personaliter sit vnita: ex qua vnione radicaliter habet, vt constituatur in actu primo, quo sit idonea, vt assumatur tanquam instrumentum ad patranda miracula. Deinde præuium illud, quod causat humanitas, vt instrumẽtum in operibus miraculosis, vt à Deo sunt, veluti ab agente principali, ab humanitate est, quatenus est vnita Verbo personaliter. Denique totum miraculũ specialiter Christo tribuitur, quatenus ad tale miraculum efficiendum determinabat seipsum per voluntatem humanam. Qua ratione etiam consecratio tribuitur Sacerdoti, tanquam agenti principali, licet vere sit minister & instrumentum, & vt vno Verbo dicatur, opus miraculosum specialiter Verbo tribuitur, tanquam supposito per suam naturam, scilicet humanitatem assumptam, operanti: quæ quia creatura est gratuito assumpta & ex ea Verbum naturaliter non subsistit, nec vt Verbum est, eam intrinsece claudit: ideo vere & proprie dicitur eius instrumentũ in vnitate personæ coniunctum: quod etiam Patres affirmant & præcipue Damascenus *lib. 3. c. 15.*

Quarto sciendum est Christum per vnum tantum principium & actum primum, tanquam primam virtutem fecisse miracula; quæ alij Sancti per diuersas operantur virtutes, iuxta illud Apost. 1. *Corinth. 12. Alij datur gratia sanitatum, alij operatio virtutum*, &c. Ex eodem igitur principio, veluti actu primo Christus sanauit Emoroissam à fluxu sanguinis, & socrũ Petri liberauit à febri, & mortuos suscitauit, & Paulum mirabiliter conuertit ad fidem. Quę omnes operationes miraculosæ ab illo vno principio, scilicet vnione & assistentia diuinitatis, tanquam ab actu primo dependebãt: ita vt nec plures nec vnam necesse sit in Christo ponere qualitatem permanentem, quæ sit per se primo propter operanda miracula, sed eam aut eas omnes in illo vno principio Christus præhabeat eminenter. Quod etiam significauit S. D. *supra q. 7. a. 7. ad 1.* dicens in alijs Sanctis huiusmodi gratias diuidi, nõ autem in Christo: cuius anima, inquantum erat vnita diuinitati, plenam habebat efficaciam ad omnes prædictos actus perficiendos.

Postremo notandum est nullam esse in rebus potẽtiam actiuã obedientialem positiuã & proximã: vt osten-

vt ostendemus *in sequenti controuersia*: si vero sumatur potentia obedientialis pro capacitate, seu nõ repugnantia creaturæ, vt eleuetur per Dei virtutem ad efficienda miracula, aut quæuis alia supernaturalia, admittenda necessario est. A

Ex dictis patet tres vltimas opiniones, scilicet Caietani, Asturicensis, & Medinæ facile posse conciliari: Nam principium illud miraculorum ex vnione hypostatica, & assistentia diuinitatis consurgens, quod in humanitate Christi statuit Asturicensis, non tollit virtutes transeunter in ipsa humanitate receptas ex influxu diuinitatis vtentis humanitate, vt instrumento coniuncto ad efficiẽda miracula: Medina vero neutrũ horum negat, sed magis affirmat vtrũmque: licet enim de assistentia diuinitatis non meminerit, eam tamen in vnione hypostatica veluti in radice comprehendit: vnionem siquidem hypostaticam personæ Verbi cum humanitate concomitatur vnio diuinitatis cum eadem humanitate in eadem Verbi personalitate, vt patet ex supra dictis *in 2. & 3. qu.* ex qua vnione proxime & immediate consequitur alia, quæ est diuinitatis, vt principalis agentis cum humanitate, vt instrumento coniuncto in actu primo: quæ vnio consistit in assistentia diuinitatis parata concurrere cum humanitate ad patranda miracula, quando ea patrare voluerit humanitas ab ipsa diuinitate ad id volendum excitata: & per assistentiam hanc constituitur humanitas in potentia proxima ad miracula facienda. B C

Concl. deducta, & probata.

PRIMA CONCL. *Potest Deus virtutem instrumentalem ex sui natura permanentem alicui personæ creatæ communicare non ad omnia, sed ad aliqua tantum secundum species definita miracula: quando, & quoties ei placuerit, facienda.* Hæc patet ex dictis in primo notabili.

SECVNDA CONCL. *Impossibile est fieri à Deo qualitatem, aut formam per quam agens miracula faciat, vt causa principalis.* Hæc patet ex dictis in fine primi notabilis.

TERTIA CONCL. *Humanitas Christi, quatenus instrumentum est diuinitatis ad miracula facienda, nullam recipit à diuinitate, vel ab ipso Verbo qualitatem ad modum habitus permanentem, vt per ipsam constituatur in actu primo, sed per ipsam vnionem cum Verbo personalem, & per assistentiam diuinitatis ad operandum ex illa vnione consequentem constituitur sufficienter in actu primo ad operandum opera miraculosa, vt instrumentum diuinitatis, & trium subsistentium in ea personarum, & speciali quadam ratione Verbi: nec actu fit operans per motionem aut intentionem in ipsa receptam & realiter ab ea distinctam, sed per actualem applicationem passiuam ab ea solũ ex natura rei siue realiter Metaphysice diuersam.* Hæc patet ex 2. & 3. notabili. D

Obi. 1. cont. 1, concl.

CONTRA *primam concl.* est auctoritas D. Th. *in* 2. 2. *q.* 178. *a.* 1. *ad* 1. vbi ait: *Sicut prophetia se extendit ad omnia: quæ supernaturaliter cognosci possunt, ita operatio virtutum se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter fieri possunt, quorum quidem causa est diuina omnipotentia, quæ nulli creaturæ communicari potest, & ideo impossibile est quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima.* E

Solut.

Resp. primo S. Th. loqui de qualitate, quæ sit principium alicui, tanquam causæ principali operandi miracula, non autem de ea quæ principium est alicui operandi miracula per modum causæ instrumentalis: & ratio differentiæ est: quia virtus instrumentalis operandi miracula est finita: & ideo non sibi vendicat totam perfectionem omnipotentiæ Dei: si vero sit virtus principalis siue principaliter agens, idem est quod ipsa Dei omnipotentia: eo quod facere quodcunque miraculum particulare sit proprium omnipotentiæ Dei: vt ostendimus *in fine primi notabilis* ex D. Thom. ea ratione: quia nimirum solus ille potest naturæ cursum & ordinem immutare tanquam causa principalis, qui illum instituit: hic vero solus Deus est, qui quemadmodum vt agens primum naturale causandi dignitatem principaliter plurimis contulit creaturis, sic vt agens supernaturale supremum & principale: virtutem multis contulit creatuis instrumentalem transeuntem, ad aliquid operãdum supra totum ordinem, cursumque naturæ: & eadem ratione & auctoritate potest Deus virtutem eisdem ad aliqua miracula facienda conferre permanentem. Secundo respondetur D. Tho. ibi loqui de virtute miraculorum absolute, prout scilicet ad nullum operis miraculosi genus limitatur: vt patet ex quæsito absolute proposito, videlicet: an sit aliqua gratia gratis data ad miracula facienda: cui consonat doctrina totius articuli, & præsertim responsio ad primum argumentum: constat autem ex dictis impossibile esse virtutem miraculorum sic acceptam creaturæ, vt instrumento communicari: sicut nec illi potest omnipotentia Dei communicari.

Obi. 1. *Contra eandem* cõclusionem, quoad illam particulam: *Non ad omnia, sed ad aliqua tantum*, & contra secundam etiam conclusionem est argumentum: Sicut facere miracula tanquam agens principale proprium est diuinæ virtutis, ita coexistere toti latitudini cuiuslibet durationis, & attingere omnia tempora, tam realia, quam imaginaria proprium est æternitatis: at potuit Deus ab æterno creare vnum, aut plures Angelos etiam cum perfectione beatitudinis supernaturalis, quorum esse duraret in tota æternitate, & beatitudo coexisteret cuilibet creatæ aut creabili durationi, atq; adeo simul attingeret partes omnes seu totam latitudinem temporis, tam realis quam imaginarij: Ergo potuit etiam creaturæ conferre virtutem seu qualitatem permanentem ad facienda quæcunque miracula. Maior patet. Minor probatur: quoniam ille vnus aut plures Angeli non essent æquales Deo: quia durationem illam haberent non ex se, sed dependenter à Deo. Consequentia vero & paritas rationis probatur: quia adhuc qualitas illa finita esset: cũ nihil agere posset præter miracula, neque hæc ex se facere posset: aut fine dependentia ab omnipotenti Dei virtute: Ergo posset hæc qualitas communicari creaturæ nõ minus quam æternitas, &c. Et *confirmatur* argumentum: quia Dei proprium est, vt per lumẽ suo intellectui connaturale sciat vniuersa, tam præterita quam præsentia & futura: & tamen horum omnium cognitionem communicabit Deus beatis omnibus post diem iudicij: vt ait S. D. *in* 4. *dist.* 49. *q.* 2. *a.* 5 & Caiet. 1. *p. q.* 89. *in fine*, & potest etiam talem cognitionem Deus nunc alicui creaturæ communicare: quia talis cognitio non esset infinita simpliciter: non enim extenderetur ad omnia, quæ diuinus attingit intellectus: vt patet. *Conf.*

Resp. nullam esse conseq. argumenti & confirmationis: quoniam ea quę assumuntur vt similia, vere non sunt similia sed valde diuersa: Nam duratio illa esset extrinseca, & cognitio illa futurorum esset per lumen extrinsecum communicatum: & ideo ponerent hęc in subiecto perfectionem simpliciter infinitam. Ex quo patet etiam hæc non esse Dei propria, nisi quo ad modum habendi, scilicet vt connaturalia: quo modo nulli possunt communicari creaturæ: virtus autem permanens faciendi miracula absolute, idest absq; vlla limitatione ad hæc, aut illa, infinitatem exigit propriã omnipotentiæ Dei: vt supra probatum est: & ideo nulli potest creaturæ communicari. *Solut.*

CON-

CONTRA *tertiam concl.* sunt argumenta Suar. quibus satisfiet *in sequenti Controuer.*

Obi. 1. cont. vlt. concl. CONTRA *vltimam concl.* sunt argumenta, quæ afferunt & soluunt Medina *super hoc articulo*, & Aluarez *disp. 67.* quæ tamen ex dictis facile diluentur. Contra eandem concl. sunt plura argumenta quorundam recentiorum, quibus probant, neq; solam vnionem hypostaticam humanitatis cum Verbo (quod gratis admittimus) neque assistentiam Dei posse constituere humanitatem sufficiēter in actu primo ad facienda miracula: sic autem arguunt. *Primo* S. Thom. diuersis in locis negat aliquam causam posse aliquid operari per virtutē Dei illi assistentem: ergo id etiam negandum est de humanitate Christi respectu miraculorū. An- B tecedens probatur: quia D. Thom. *quol. 12. ar. 14. & infra q. 62. a. 4. & in 4. dist. 8. q. 2. art. 3. in c. & ad 5. & 6.* docet, quod nisi in Sacramentis nouæ legis præter virtutem Dei assistētem illis ponamus virtutem causatiuam gratiæ, non poterunt illam instrumentaliter producere: Ergo similiter cum in Christo ponamus vim instrumentalem & physicam ad facienda miracula, necesse est vt præter assistentiam Deitatis, & subordinationem ad illam ponamus, in illa aliquam superadditam virtutem Physicam: Probatur consequentia: Nam alioquin humanitas Christi non magis faceret miracula, quam antiqua Sacramenta, quæ habebant virtutem Dei sibi assistentem ad causandam gratiam, producerent illam: Sicut enim hæc Sacra- C menta nō causabant gratiam, sed illam producebat virtus diuina illis assistēs, ita humanitas Christi non esset, quæ faceret miracula, sed ea patraret *Solut.* virtus diuina illi assistens. *Resp.* primo: Nullam esse consequ. quia assistentia Dei ad legis antiquæ Sacramenta fuit pura & mere extrinseca assistentia nullam præsupponens suiipsius cum illis substantialem siue hypostaticā vnitatem, sed extrinsece tantum denominans: at assistentia diuinitatis cum humanitate supponit hypostaticam vnitatem sui cum illa in persona Verbi: ex qua vnitate velut ex radice habet humanitas, vt sit instrumentum cōiunctum diuinitatis, & per eam quasi ad modum intrinsece formæ fiat habens virtutem instrumentalem in actu primo, & in potentia proxima ad operandum: & ideo non erat hæc as- D sistentia tantum extrinseca denominatio. Secundo dico præter dictam vnionem & assistentiam deriuari ex diuinitate in humanitatem virtutis influxum, seu motionem actualem ab ipsa humanitate, in qua recipitur, ex natura rei tātum seu realiter Metaphysice differentem: qualem influxum non recipiebant legis antiquæ Sacramenta.

Obi. 2. *Secundo* arguunt: Quia sequeretur Christi humanitatē esse causam principalem & non instrumentalem miraculorum. Probatur conseq: quia causaret illa per virtutem principaliorem & nobiliorem eis, scilicet virtutem diuinā: instrumentum autem producit suos effectus per virtutem illius ignobiliorem: Neque (inquiunt) obstat, E quod talis virtus sit extrinseca humanitati: quia hæc non tollit ab illa rationem causæ principalis: Nam intellectus beati principaliter elicit visionem Dei per essentiā Dei vnitam in ratione speciei intelligibilis: quæ tamen communiter dicitur esse forma extrinseca illius: Immo sequitur: quod humanitas Christi eadem virtute, qua facit miracula, possit etiam creare: quod negat hic D. Tho. Probatur sequela: quia virtus increata Dei assistens illi potest creare: sed hæc est virtus qua fa- *Solut.* cit miracula: ergo. *Resp.* nullam esse consequent. Ad probationem negatur assumptum: Si sermo sit de virtute diuina essentialiter, quæ modo supra dicto ponitur assistens: hæc enim, licet quodammodo constituat humanitatem in actu primo, non tamen est illius forma, nec per eam, vt rationem agendi operatur humanitas: sed potius diuina virtus, ideſt omnipotentia Deitatis sic assistens humanitati eam constituit operationum supernaturalium instrumentum prius natura sibi personaliter copulatum, & ea vtitur in actu secundo per influxum illi communicatum. Si vero sermo sit de virtute ex diuinitate in humanitatem deriuata, nego virtutem illam principalem esse nobiliorem opere miraculoso. Nec verum est essentiam diuinam vnitam intellectui beatorum esse formam extrinsecam: vt patet ex ijs, quę late diximus *in 1. p. q. 12. a. 2.* post Caiet. fit enim magis vnum ex essentia diuina & intellectu Deum videntis, quam ex materia & forma: quia videns Deum fit Deus in esse intelligibili: Quod autem additur de creatione, facile confutatur ex dictis: quoniam ex sola & nuda assistentia diuinitatis nō attribuitur humanitati Christi operatio miraculorum: sed necessarius est etiam virtutis influxus in ipsa humanitate, tanquam in instrumento receptus: quo vere & Physice causat vt instrumentum diuinitati coniunctum: sic autem non potest ad actum creationis concurrere: vt patet *ex 1. p. qu. 45. art. 5.*

Quarta Controuersia.

An sit in rebus, ac præsertim in humanitate Christi, aliqua potentia obedientialis actiua ad faciendа miracula?

PRIMA *sententia* est Suar. *disp. 31. sect. 5. & alibi* septem dictis explicata. *Primum* est: Potentia *Sententia Doctorum.* obedientialis actiua est potētia in rebus existens, per quam efficere possunt supernaturalia opera, vt instrumenta Dei ipso concurrente per auxiliū vel concursum proportionatum effectui, & excedentem cōcursum debitum naturali virtuti creaturæ. *Secundum* est: Hæc potentia non est à rebus aliquid distinctum realiter aut formaliter, sed est de conceptu cuiuslibet entis creati, & conuenit illi ex vi suæ primæ productionis, & est idē, quod entitas rei, vt potens agere, tanquam instrumentum Dei, & extenditur ad omne id, quod non implicat cōtradictionem, vt tali modo fiat: actio vero talis potentiæ est ipsamet productio supernaturalis effectus, per quam pendet à tali instrumento: quæ actio eadem est cum actione principalis agentis, quatenus per tale instrumentum operatur. *Tertium* est: Hæc potentia secundum se quidem est innata: quia non est nisi ipsa entitas rei: tamen, quia modus agendi per illam & concursus ad hoc necessarius, nec naturalis est, nec rei debitus: ideo illa potentia secūdum se sumpta est tantum remota, nec constituit rem ex natura sua simpliciter potentem ad sic operandum: sed proprie constituit capacem, vt eleuari possit à Deo ad huiusmodi operandi modum: ac proinde non denominat res potentes, nisi in ordine ad Deum: si tamen sumatur, vt iam appropriata à primo agente, & habens paratum proportionatumque concursum, præbet dictam denominationem: quia vt sic iam est veluti potentia proxima habens omnia necessaria ad operandū. *Quartum* est: Potentia hæc obedientialis actiua innata rebus omnibus formaliter & entitatiue, nec est naturalis nec supernaturalis, materialis aut spiritualis, substantia vel accidens: sed abstrahit ab his omnibus, & quodammodo dici posset eam

non esse naturalem nec supernaturalem, sed obedientialem. *Quintum* est: Hæc potentia nullum reddit subiectum potens operari, nec specificatur à sua actione vel effectu. *Sextum* est: Hæc potentia constituitur in esse actualis agentis, sine aliqua virtute intrinsece superaddita, sed per solum extrinsecum concursum Dei receptum in effectu, & talis concursus non est illi accõmodatus vel proportionatus, sed totàm excedit eius virtutem & cuiuslibet alterius creaturæ. *Vltimum* est: omnis hæc potentia obedientialis actiua est vnius atoniæ speciei in omnibus, & in qualibet re est vna tantum respectu omnium suorum effectuum.

Secunda sententia quorundam recentiorum est virtutem actiuam obedientialem non esse rebus innatam & congenitam: sed à Deo receptam in creaturis, mediante eorum potentia obedientiali: quæ si per talem virtutem actiuam superadditam constituatur in actu primo, poterit obedientialiter actiue operari præter vel supra naturam.

Tertia sententia negat vllam esse in rebus potentiam actiuam obedientialem ad actus miraculosos vel supranaturales: hæc tribuitur Zumel. 1. 2. *q.*112. *a.*1. *disp.*3. quam sequitur Vasq. 1. *p. disp.* 106. *c.*4. Astur. *in sua Reiect. de gratia Christi*, *q.* 6. *p.* 798. & alij recentiores.

Quarta sententia est Magistri Nauarreti, *tom.*1. *in* 1. *p. Contr.*41. dicentis in rebus esse potentiam obedientialem actiuam radicalem illis congenitam: quæ est subiectum immediate susceptiuum qualitatis supranaturalis operatiuæ: qua susceptа cũ ea concurrit ad operationes supernatũrales: ita tamen, vt omnis conatus supernaturalis sit à superaddita qualitate: Quam sententiam tribuit Ledesmæ *in tractatu de diuina prædest. q.* 8. *a.* 7. *concl.* 2. cui sententiæ videtur fauere Ban. 1. *p. q.* 12. *art.* 1. *dub.* 1 *ad* 2. vbi ait intellectum habere virtutem actiuam vt possit eleuari ad visionem beatificam.

Resolutio. In rebus omnib. à Deo creatis esse potentiam obedientialem passiuã ad actus & immutationes supernaturales: & posse ilas secundum potentiam obedientialẽ, esse possibile secundum nullam potentiam, & secundum solam non repugnantiam terminorum.

QUÆSTIO hæc alteram habet sibi necessario connexam: *an scilicet in rebus constituenda sit potentia passiua obedientialis, & quæ sit eius ratio formalis & quidditatiua*: De qua prius hic ea, qua fieri poterit, breuitate discurremus.

Ac primo certum est rebus omnibus à Deo creatis inesse potentiam passiuam obedientialem ad actus aut immutationes supranaturales: de qua sæpe meminit S.D. ac præsertim *supra q.*1. *a.* 3. *ad* 3. & *q.*11. *a.*1. *in c.* & 1. *p. q.*115. *a.*2. *ad* 4. & *de Verit. qu.*8. *a* 4 *ad* 13. & *a.*12. *ad* 4. dicens potentiam obedientiæ esse illam, secundum quam in creatura fieri potest, quidquid in ea fieri voluerit creator. Eandem doctrinam habet *de potentia*, *q.*1 *a.*3. *ad* 1. & *q.* 6. *a.*1. *ad* 18. & *alibi sæpe*. Potentiam hanc S. D. *supra q.*1. *a.*3 *ad* 3. ait esse capacitatem, quæ attenditur secundum ordinem diuinæ potentiæ, cui omnis creatura obedit ad nutum: *in art. vero* 3 *de potentia*, *ad* 1. sic loquitur. *Quidquid* (Deus) *in rebus facit, non est contra naturam, sed est eis natura: eo quod ipse est conditor, & ordinator naturæ: sic enim in rebus naturalibus videtur, quod quando aliquod corpus inferius à superiori mouetur, est ei ille motus naturalis, quamuis non videatur conueniens motus, quem naturaliter habet ex seipso: sicut Mare mouetur secundum fluxum, & refluxum à Luna, & hic motus est ei naturalis: vt commentator dicit in* 3. *Cœli & mundi, licet aquæ secundum seipsam motus naturalis sit ferri deorsum. Et hoc modo omnes creaturæ, quasi pro natura habent, quod à Deo in eis fit. Et propter hoc in eis distinguitur potentia duplex: Vna naturalis ad proprias operationes, vel motus: alia, quæ obedientia dicitur, ad ea, quæ à Deo recipiunt.* Quam doctrinam nititur explicare Bergomas, *dubio* 917. sed nos huius loci sensum inferius aperiemus. Ex his locis colligitur necessitas potentiæ passiuæ obedientialis in qualibet re creata. Nam potentiæ Dei infinitæ, quatenus præter & supra totum ordinem naturæ potest in rebus operari, necesse est potentiam aliquam passiuam in eisdem rebus assignare, secundum quam ea possint in se recipere, quæ fieri in illis à Deo possunt: hæc vero non est potentia naturalis: hæc enim ad formas tantũ naturales & proportionatas recipiendas est determinata: igitur est potentia obedientialis: qnæ est ratio S.D. locis supra notatis.

Ex quibus etiam facile colligi potest quid sit hæc potentia: an scilicet sit realis & Physica potentia, à rebus ipsis quibus inest aliquo modo distincta: an vero sit idem realiter aut etiam formaliter, quod res ipsæ creatæ, prout diuinæ subijciũtur operationi supernaturali. Quidam enim recentiores viri doctissimi docent potentiam hanc esse veram, physicam & realem potentiam: Alij vero discipuli D. Tho. sentiunt esse solam non repugnantiam ad quæcunque supernaturaliter in rebus à Deo causata recipienda. Ad cuius euidentiam

Notandum est primo: Ex Arist. 5. *Metaph. tex.* 17. & D. Th. 1. *p. q* 25. *a.*3 & *q.*46. *a.*1. *ad* 1. & de potentia, *q.*1. *a.*3. & *alibi*, possibile, quod ad propositum attinet, dici dupliciter: *Vno modo* secundum aliquam potentiam actiuam vel passiuam sicut dicitur homini possibile ambulare secundum potentiam gressiuam: Alio modo non secundum aliquam potentiam, sed secũdum habitudinem terminorum, qui sibi non repugnant: vt Sortem sedere: & hic modus possibilis constituit obiectum omnipotentiæ Dei: vt ait S.D. 1. *p. q.*25. *a.*3. & *de potentia*, *q.*1. *a.*3. Cum igitur possibile secundum potentiã obediẽtialem non sit possibile primo modo, qui attenditur secũdum potentiam actiuam vel passiuam rerum naturalem, relinquitur, illud esse possibile secundo modo scil. secundum nullam realem potentiam ex parte rerum, sed secundum solam habitudinem terminorum adinuicem nõ repugnantium, & secundum actiuam Dei potentiam infinitam.

Secundo obseruandum est ex D. Thom. *de Verit. q.* 13. *a.*1. *ad* 2. quod duplex est natura, scilicet *Particularis, quæ est propria vniuscuiusque rei, & vniuersalis, quæ complectitur totum ordinem causarum naturalium. Et ex hoc dicitur esse dupliciter aliquid secundum naturam, aut contra naturam: Vno modo, quantum ad naturam particularem: Alio modo, quantum ad naturam vniuersalem: sicut omnis defectus, & corruptio, & senium est contra naturam particularem: sed tamen naturale est secundum naturam vniuersalem, vt omne compositum ex contrarijs corrumpatur. Quia igitur ordo vniuersalis causarum hoc habet, vt inferiora à suis superioribus moueantur, omnis motus, qui fit in inferiori natura ex impressione superioris, siue in corporalibus, siue in spiritualibus, est quidem naturalis secundum naturam vniuersalem, non autem secundum naturam particularem: nisi quando à superiori sic imprimitur in naturam inferiorem, vt ipsa impressio sit eius natura. Et sic patet quomodo ea, quæ à Deo in creaturis fiunt, possunt dici secundum naturam & contra.* Ex quibus deducit S.D. raptum, de quo ibi sermo est, non esse contra naturam, sed secũdum naturam vniuersalem.

Ad cuius ampliorem euidentiam scito naturã vniuersalem in subiecta materia esse naturam entis per participationem, quatenus ens per participationem est: sic enim Deo subijcitur, tanquam supremæ causæ & motori, tam naturali quam supernaturali, à quo dependet in fieri, conseruari, perfici & moueri quocunque motu aut transmutatione, tam naturali quam supernaturali. Sed hoc interest inter ea, quæ à Deo fiunt in creatura secun-

secundum ordinem naturalem, siue secũdum Dei causalitatem & prouidentiam dirigentem ordinem rerum naturalem, ab ijs quæ à Deo fiunt in rebus supra totum ordinem naturalem, & secundum prouidẽtiam supranaturalem, quod illa potentiam habẽt passiuam in rebus naturalem, quæ est ipsa materia prima, & aliæ potentiæ de genere accidentis: quia potentia & actus per se primo adinuicem ordinati pertinent ad idem genus: atque ideo dicuntur esse rebus simpliciter & absolute naturalia: Hæc vero scilicet quæ supra naturã fiunt à Deo velut i agente & prouisore supranaturali, neque simpliciter naturalia, neq; secundum naturam absolute dici possunt aut debent, sed tãtum secundum quid, idest, secundum hanc vniuersalem eorum rationem, quæ est esse ens omnino à Deo dependens in esse & moueri quocunq; modo: qui modus essendi secũdum naturam nullam ponit in rebus, quibus conuenit realem potentiam, sed solam eis addit terminorum non repugnantiam. Potentia namque realis & positiua non est ad infinita specie distincta, qualis est potentia creaturæ ad omnia, quæ supernaturaliter à Deo fieri possunt in illa: Dicitur autem talis potentia rebus in esse secũdum earum naturam modo dicto, scilicet secundum vniuersalem earum considerationẽ: quod est esse secundum naturam non repugnanter: quia considerata illa sola vniuersali ratione, non repugnat supernaturalib. esse secũdum naturam. alioquin omnibus, quæ à Deo fiunt, vt vniuersali motore in rebus creatis, repugnaret esse secundum naturam: simpliciter tamẽ ac proprie non sunt secundum naturam, sed supra naturam: quia fiunt hæc absolute & simpliciter in singulis rebus creatis, prout singulæ proprias habent rationes specificas & individuales, quib. ab inuicem distinguuntur: secundum vero has rationes ea, quæ fiunt in rebus à Deo supra totum ordinem naturæ, non sunt secundum naturam, vt ait S. D. loco notato. Pro cuius intelligentia

Potentiam obedientialem passiuã, quæ ratione potentia est formaliter, non esse aliquid positiuum reale, & sola ratione à re creata distingui.

Tertio sciendum est in potentia obedientiali passiua duo considerari, scilicet id quòd est materiale & id quod est formale. Id quod est materiale est res creata, cui conuenit non repugnantia ad recipiendum actus supernaturales aut naturales modo supranaturali, aut cui non repugnat secundum se totam, aut secundum partem in alterius rei naturam transmutari: & ita certum est potentiam obedientialem, hoc modo sumptam ab ipsis rebus, quibus non repugnat suscipere proxime ac immediate dictas perfectiones aut transmutationes, non esse distinctam realiter aut ex natura rei seu formaliter à parte rei: quod euidenti probatur argumento. Nam si potentia hæc est à rebus distincta realiter aut ex natura rei, vel est eis ab extrinseco superaddita, scilicet à Deo, vt agente supernaturali, vel est rebus innata. Primum non est consonum doctrinæ D. Thom. qui potentiam obedientialem nunquam significauit esse rebus superadditam. Deinde cum omne superadditum rei necesse sit in ea recipi secundum aliquam eius potẽtiam, quæro de potentia receptiua dictæ potentiæ an sit rei superaddita vel naturalis: si primum quæro de hac &c. & sic erit processus in infinitum: si secundum: eadem ratione dicẽdum est primam potentiam non esse superadditam, sed naturalem: Si vero dicas eam esse naturalem, sequitur Primo naturalem potentiam esse per se primo ac naturaliter ad actus supernaturales ordinatam: si quidem ad eos recipiendos est instituta & rebus innata. Secundo sequitur eam esse naturalem: quia rebus est innata, & non esse naturalem: quia potẽtia & actus sunt eiusdem generis & eiusdem ordinis, loquendo, sicut in proposito, de potentia per se primo & essentialiter ad actum ordinata: Id autem quod formale est in hac potẽtia, necesse est esse, vel ordinem positiuum & realem ad actum supernaturalem, vel non repugnãtiam ad recipiendum actum aut operationem Dei supernaturalem, vel ad summũ sit ordo rationis ex consideratione dictę non repugnãtiæ conceptus. Et ordinem quidem positiuum & realem esse nõ posse, patet ex præcedenti discursu. Relinquitur ergo vt sit non repugnantia vel etiam ordo rationis fundamentum habens in re creata, quatenus à Deo dependet, vt prima causa & motore supernaturali, cui pfecte subditur omnis creatura quo ad omnia quæcunq; in ea Deo placuerit operari. Et ideo proprie & absolute loquendo, potentia hæc nulla in rebus potentia est, & quod possibile dicitur secundum hanc potentiam, propriissime dicitur secundum nullam creaturæ potentiã passiuam: sed secundum solam Dei omnipotentiam esse possibile. Nec; ex hoc, quod perfectiones aut operationes Dei supernaturales recipiuntur in rebus, deduci congrue potest in eis esse potentiam passiuam realem & positiuam ad tales actus aut operationes recipiendas: receptio namq; non semper ex potentia prouenit receptiua seu passiua in recipiente pręsupposita: sed ab infinita quandoq; prouenit agentis vniuersalis potentia: cui quælibet subijcitur & obedit creatura: quę perfectiones & operationes ex agente deriuatas recipit secundum nullam in se potentiam, sed secundum suam entitatem tantum talibus actibus & operationib. minime repugnantem: Potentia siquidem realis & positiua in sui ratione claudit ordinem essentialem ad actum quem respicit, & ad eius ordinẽ ac genus pertinet: ita vt ad actum naturalem potentia naturalis, & ad actum supernaturalem potentia supranaturalis essentialiter ordinetur. Quo fit vt quælibet potentia realis & positiua tam naturalis, quam supernaturalis, sit actui suo proportionata, & naturalem ad ipsum habeat inclinationem: alioquin vere & proprie potẽtia non est: Cum itaque perfectiones & immutationes, quæ à Deo fiunt in rebus supra totum ordinem naturæ, nullam in creaturis in quibus fiunt & recipiũtur præsupponant ad ipsas perfectiones & immutationes supernaturaliter à Deo perfectas naturalem inclinationem aut proportionem & essentialem ordinem, consequens est hæc nullam in eisdem præexigere potentiam realem & positiuam, sed solam non repugnantiam rerum cum dictis perfectionibus & immutationibus, quæ nõ repugnãtia rerum entitatibus addita formaliter complet & constituit rationem potentiæ obedientialis in ordine ad Deum agentẽ: cui tota plene subditur entis creati latitudo. Quod ergo dictæ perfectiones supernaturales in creatura recipiantur & ex eis etiam educantur, in eis sustententur & cum eis componant, ex nulla prouenit passiua reali & positiua creaturæ potentia. sed ex infinita Dei virtute & subiectione creaturæ: cui ex hoc ꝙ Dei creatura est totaliter ab eo dependens, conuenit non repugnantia ad omnes eos actus & immutationes, quas in ea Deo placuerit operari. Quæ subiectio & dependentia non sumitur hic pro relatione, sed est ipsa creatura vt est à Deo dependens secundum omne suum esse substantiale & accidentale: ex qua dependentia veluti ex fundamento cõsurgit relatio. Et hæc est ratio potentiæ obedientialis à D. Th. *locis allegatis* expressa & ab antiquioribus Thomistis intellecta. Igitur hæc potentia quo ad id, quod in ea materiale est, dicit aliquid reale, & positiuum, quod est entitas ipsa crea-

Naz. in D. Thom. 3. partem.

creaturæ: quoad formale vero & quatenus potē- A tia est, nihil addit entitati creaturæ, nisi solam non repugnantiam terminorum, vt ante diximus.

Deducūtur ex dictis quatuor corollaria, quib. explicatur natura potentiæ obedientialis passiuæ.

Ex dictis sequitur primo potentiam passiuam obedientialem non esse potentiam simpliciter, sed secundum quid siue cum addito, & æquiuoce dici potentiam, quatenus scilicet illi conuenit ratio receptiui & perfectibilis: quæ tamen sola nō sufficiunt ad cōstituendam rationem potentiæ simpliciter: sed requiritur essentialis ordo & inclinatio ac proportio naturalis ad actum, quæ nulla ratione tribui possunt rerum creatarum naturis in ordine ad actus & operationes supernaturales, vt ostendimus.

Secundo sequitur capacitatem, quæ secundum D. Tho. rebus conuenit in ordine ad supernatu- B ralia, nihil aliud esse, quam res ipsas cum dicta nō repugnantia ad supernaturales actus & immutationes recipiendas, quæ nihil rerum naturis addit positiuum.

Tertio sequitur potentiam obedientialem passiuam quo ad id, quod in ea materiale est, abstrahere à ratione substantiæ & accidentis, & à ratione substantiæ corporeæ & spiritualis, & à ratione naturalis & supernaturalis. Probatur: quia potentia obedientialis passiua reperitur in quolibet ente, tam substantiali quam accidentali, tam corporeo quam incorporeo, tam naturali quam supernaturali: potest n. Deus in quolibet ente, quidquid voluerit, operari. Et declaratur quoad singulas partes: nā in anima & in Angelo, quæ sunt C substantiæ spirituales, est potentia obedientialis ad gratiam, & in intellectu & voluntate est potentia obedientialis ad habitus supernaturales infusos & ad actus beatificos, sc. visionis & fruitionis, & in corpore est potentia obedientialis ad dotes glorioſas subtilitatis, agilitatis, &c. & rursus in quolibet habitu supernaturali est potentia obedientialis ad augmentum & diminutionem, & in cadauere est potentia obedientialis ad eandem animam numero supernaturaliter recipiendam: quæ potentia non est supernaturalis, nec proprie ac simpliciter naturalis: sicut nec vlla alia potentia obedientialis cuilibet rei naturali conueniens proprie & absolute est naturalis, aut su- D pernaturalis, sed vere, proprie, & absolute nulla potentia est: Sed quia nullam habet repugnantiā ad actus, quos potest Deus supernaturaliter in ipsa re naturali causare, dicitur res naturalis habere potentiam obedientialem passiuam ad tales actus: quod est habere potentiam secundum quid, vt supra diximus. Quod autem non sit naturalis hæc potentia, quatenus potentia est, ex eo patet, quod in suo conceptu claudit respectum rationis ad actum, qui est supernaturalis secundum rem aut secundum modū: & ideo concipitur vt potētia supranaturalis. Dixi, vt potentia est: quia in rebus ordinis naturalis hęc potentia, quo ad entitatem est naturalis. Quod etiam non sit supernaturalis speciem desumens ab extrinseco, scil. omni- E potentia Dei, quatenus potest in ea inducere actū aliquem supranaturalem, vt dicunt quidā recentiores, probatur: quia sequeretur substantiam creatam, cui realiter idem est hæc potentia, vt prædicti fatentur, esse supranaturalem: quod est absurdum: sed dicūt posse aliquid substantiale incompletum, qualis est hæc potentia, esse supernaturale, & ab extrinseco specificari: vt patet de modo substantialis vnionis, quem aliqui ponunt in humanitate Christi: qui supernaturalis est & specificatur à personalitate Verbi: sed cum hæc potentia sit idem realiter, quod ipsa essentia rei, cui cōuenit, nō potest esse ens substantiale minus completum quam ipsa rei essentia, quæ secundum se totam ex dictorum recentiorum sententia habet ordinem ad actus supernaturales: igitur ex dicta responsione sequitur substantiam creatam completam esse ens supernaturale, & ab extrinseco specificari: quod est impossibile. Hanc partem, videlicet potentiam obedientialem non esse supernaturalem, probat Suarez *in allegata disp.* 31. multis argumentis, quibus prædictorum recentiorum responsiones non videntur plene satisfacere.

Quarto sequitur ex prædictis potentiam hāc obedientialem passiuam non denominare absolute suum subiectum, neq; esse specie distinctam, iuxta distinctum ordinem rerum aut actuum, quorū est receptiua. Probatur prima pars huius corollarij: quia, vt supra diximus, potentia obedientialis simpliciter est potentia nulla, & dicitur potentia tantum secundum quid: ergo non denominat absolute subiectum. Secunda vero pars probatur: quia hæc potentia formaliter, vt potentia est, non est aliquid reale & positiuum à natura rei creatæ distinctum: nec habet essentialem ordinem ad actus per Dei potentiam in ea causabiles: ergo nō potest per ordinem ad eos specificari & distingui. Antecedens probatum est supra: consequentia vero euidens est: quia nullum ens specificatur ab extrinseco, nisi per hoc, quod ordinem habet essentialem ad ipsum: vt patet in materia respectu formæ, in motu respectu termini, in intellectu respectu actus & obiecti proprii, & aliis similibus vt ostendimus cum Caiet. *in 1. p. quæst. 27. art. 4. controu. 2.*

Sensus, ac status controuersiæ declaratur.

Nvnc *ad propositam* difficultatem, quæ de potentia obedientiali actiua in rebus à Deo creatis inquirit, an sit eis concedenda disserendum est.

Sciendum est igitur primo duplicem esse differentiam rerum, quas Deus, vt agens primū supernaturale assumit ad actiones supernaturales: Quædam enim sunt, quæ nullam habent virtutem naturalem ad actionem illam supernaturalem, ad quam assumuntur à Deo, siue sumatur actio illa secundum propriam suæ speciei rationem supernaturalem, siue sumatur secundum rationem eius genericam & communem: exempli gratia, aqua, quam Deus assumit ad abluenda peccata in Sacramento baptismi, nullam ex sui natura virtutem habet ad hūc effectum supernaturalem, qui est emūdatio animæ à sordibus peccatorum, neque vim aliquam habet ad actionem aut effectū aliquem spiritualem in anima nostra causandum: Et has res perspicue constat nullam habere potētiam obedientialem actiuam ad operationes supernaturales: quoniam huiuscemodi res nullam habent agendi rationem, sed mouent, vt præcise motæ ab agente principali, cum ab eo nullam accipiant agendi virtutem ad modum actus primi, sed motio principalis agentis in eas deriuetur per modum transeuntis eo modo, quo virtus artificis recipitur in instrumentis artis ab eo motis. Et de his intelligenda sunt verba S. D. *in 4. dist. 8. q. 2. ar. 3. ad quartum* dicentis: *Sicut creaturæ inest obedientia potētia, vt in ea fiat quidquid creator disposuit, ita etiam, vt ea mediante fiat, quæ est ratio instrumenti.* Quædam aliæ res sunt, quæ licet ex sui natura nullam habeant facultatē ad actiones supernaturales, quatenus tales sunt, vim tamen habent naturalē ad eas secundum communem & genericam earum rationem consideratas: sicut intellectus noster nullam quidem habet ex sui natura facultatem ad videndum Deum, sed tamen naturalis animæ nostræ potentia est ad actus intelligendi naturaliter ac essentialiter ordinata: & de his Cōtrouersia est, an habeant potentiam obedientialem actiuam ada-

ad actiones ordinis supernaturalis. Ad cuius euidentiam

Secundo considerandum est, quemlibet habitum & perfectionem supernaturalem præsupponere potentiam obedientialem in re, in qua recipitur aut cui communicatur: & quoniam habitus seu perfectiones supernaturales duplices sunt: quædam enim ad esse diuinum participandum, non autem ad operandum (saltem proxime & immediate) conferuntur: vt gratia, quæ immediate recipitur in essentia animæ, & Verbi personalitas, quæ Christi Domini terminat humanitatem: & hæc præsupponunt in ea re, in qua recipiuntur, aut cui communicantur, solam & meram potentiam passiuam obedientialem: quidam autē sunt habitus aut perfectiones supernaturales proxime ac per se primo ad operationē ordinatæ: vt fides, spes, charitas, prudentia, iustitia, & alij similes habitus operatiui: Et hi non solum potentiam præexigūt passiuam obedientialem, sed virtutem etiam actiuam postulant in re, cui conferūtur, quæ simul cum dictis habitibus concurrat ad operandum: vt patet in visione beatifica: quæ plures habet causas efficientes, quarum vnaquæque totalis est in suo ordine, ad eam eliciendam concurrentes: quæ sunt: intellectus, lumen gloriæ, essentia diuina & diuinum auxilium supernaturale: vt ostendimus *in 1.p.q.12.a.5.Controu.2. & ar.2. Controu.3.* Sed quæstio est inter recentiores: an virtus actiua, quæ præsupponitur in re creata, dici vere ac proprie possit potentia obedientialis actiua. Et licet opiniones supra notatæ quam maxime dissidere videantur, existimo tamen totam inter eas dissensionem esse de nomine: atque ideo facile posse conciliari. Ad cuius euidentiam

Reb. à Deo creatu non esse congenitam potentiam actiuā formalem positiuam respectu actuum supernaturalium, sed radicalem tātum: & hāc esse potentiā actiuam obediētialem formaliter.

Tertio notandum est secundū recentiores in qualibet re creata duplicem esse posse potentiam actiuam in ordine ad operationes supernaturales scilicet radicalem & formalem. *Prior*, scilicet radicalis, est virtus actiua rei connaturalis, ideo radicalis appellata: quia si formam aut perfectionem receperit supernaturalem, poterit, vt causa totalis in suo ordine simul cum ea actiue concurrere ad operationem supernaturalem: vt patet de intellectu creato, cuius obiectum est ens, quatenus ens, quod extenditur ad ens materiale & ad ens immateriale, ad ens naturale & ad ens supernaturale: & ideo potest intellectus creatus eleuari ad eliciendum actum visionis supernaturalem circa diuinam essentiam, quæ est obiectum beatificum supernaturale: vt ait S.D. 1. *p. quæst.12 art. 4. ad 3. & in 2.2. quæst.2 art.3. & alibi*: quam doctrinam late explicauimus *in allegata qu. 12. ar.1. controu. prima.*

Posterior vero potentia, scilicet formalis, ad actus supernaturales nulli potest esse congenita rei naturali. Hæc enim cōsistit in actu primo, ex quo veluti principio formali & ratione agēdi, ac principio proximo & immediato prouenit actus secundus supernaturalis: ergo, si rei creatæ naturaliter esset cōgenita talis potentia, posset sua natu- E rali virtute, vt sufficienti principio exire in actus supernaturales, quod est erroneum. Constituitur igitur hæc potentia formalis in re creata per additam formam seu perfectionem supernaturalē receptam in actiua virtute naturali, quæ per eam, vt rationem agendi producit actum secundum supernaturalem. Virtus enim actiua naturalis primo formam recipit in se naturalem & ita potentiæ passiuæ obedientialis munus exercet: deinde ea recepta, tanquam agendi ratione simul cum ea concurrit efficienter ad eliciendum seu producendum actum supernaturalem, & ita secun-

Naz. in D. Thom. 3. partem.

dum supra notatos auctores rationem habet, & officium potentiæ obedientialis actiuæ: Licet enim (inquit Nauarretus) potentia obedientialis non dicat ordinem positiuum ad actum supernaturalem, seu ad eleuationem, sed dicat non repugnantiam, necesse tamen est præsupponere in aliquibus virtutem actiuam: alioquin repugnantiam haberent cum forma supernaturali actiua: Potentia igitur actiua rei creatæ, vt actiua formaliter, non est eleuabilis ad supernaturalia, sed vt passiua tantum: si dictio, vt, reduplicet rationem formalem actualiter obediendi, secus autem, si dictio, vt, reduplicet radicem obediendi & submittendi se motioni primi agētis supernaturalis, per qualitatem actiuam in ea receptam, vt agendi rationem. Quod alia distinctione proposita declarat idem auctor dicens, potentiam naturalem actiuam creaturæ, quatenus actiua est in esse concepto, recipere qualitatem supernaturalem, licet nō exerceat rationem actiuitatis: & eandem potentiam esse radicaliter potentiam actiuam respectu actuum supernaturalium, quatenus est actiua in esse concepto, & hanc esse potentiam actiuam obedientialem. Declaratur hæc doctrina ex simili in materia relationum diuinarum, quibus constituuntur personæ diuinæ: vt patet *ex 1.p.q.40 art.4.* & in receptione influxus diuini in voluntate, ex quo influxu, veluti prima radice pendet libertas creatæ voluntatis. Nam quamuis formaliter, & in actu exercito ratio libertatis non sumatur ex receptione, in qua passiue concurrit voluntas, sumitur tamen ex eadem receptione radicaliter & implicite. Quia voluntas non recipit in se diuinæ virtutis influxum, nisi quatenus potentia est potens seipsam ex appetitu finis præuia intellectus apprehensione, & deliberatione mouere: sic enim iuxta modum suæ naturæ diuinum in se recipit influxum: similiter ergo potentia actiua creaturæ supernaturalem in se recipit qualitatem, quatenus ex sui natura, antequam illam qualitatem actu recipiat, radicaliter eam habet actiuitatem, qua possit illa in se recepta simul cum ea, vt agendi ratione concurrere ad actus supernaturales. Hanc itaque radicalem virtutem, vt sic eleuabilem ad actus supernaturales dicunt auctores prædicti esse potentiam obedientialem actiuam. Breuius & clarius dici posset, potentiam actiuam naturalem rei creatæ, quatenus passiua formaliter est, recipere formaliter qualitatem supernaturalem: ita vt potentialitas passiua sit ratio recipiendi, sed eam actiua potentia, quatenus actiua formaliter est, ideſt, quatenus ad agendum instituta est à natura, recipit in se supernaturalem qualitatem finaliter, ideſt vt actu per eam, tanquam per medium ordinata ad finem hunc, qui est operatio supernaturalis: recipere namque medium sub ea ratione, qua medium est ordinatum ad finem assequendum, est recipere ipsum finaliter: quia talis receptio ad exercitium pertinet causalitatis finalis: quæ suam exercet causalitatem cum medijs, ac per media rebus in finem tendentibus suam communicat bonitatem.

Scito tamen virtutem rerum creatarum actiuam cum non repugnantia ad obsequēdum Deo cooperando ad effectus supernaturales esse potentiam actiuam obedientialem formaliter, & nō radicaliter tantum, quamuis, vt actu operetur, indigeat superaddita motione aut qualitate supernaturali, per quam acquirit ordinem realem & positiuum ad actus supernaturales: sed hic non pertinet ad rationem essentialem & intrinsecam potentiæ obedientialis actiuæ, sed ad eius exer-

citium aut complementum, quo fit proxime potens operari. Potentia namq; obedientialis actiua nihil aliud formaliter importat, quam virtutē, cui non repugnat à Deo eleuari per additam qualitatem aut motionem supernaturalem ad agendum opera supernaturalia, quod illi certum est conuenire ante receptionem cuiuscunque qualitatis, aut motionis supernaturalis. Recepta vero qualitatē, aut motione supernaturali dicitur potentia obedientialis: non quia totum compositū ex virtute actiua naturali & qualitate supernaturali sit potentia obedientialis: id enim falsum est: quia tale compositum est potentia actiua supernaturalis habens ordinem essentialem ad actus supernaturales: vt patet in intellectu illustrato lumine gloriæ, cui connaturalis est visio beatifica. B Sed dicitur potentia obedientialis propter solam naturalem virtutem, quatenus ei non repugnat eleuari ad eliciendos, vt causa efficiens in suo ordine actus supernaturales: aut etiam, quatenus actu in suo ordine concurrit cum recepto principio formali supernaturali virtutem ipsam naturalem eleuante ad actus supernaturales.

Si ergo nomine potentię obedientialis actiuę, nihil aliud significetur, quam virtus rei creatæ cū non repugnantia ad hoc, vt per supernaturalem qualitatem eleuetur, vt simul cum ea, tanquam agendi ratione concurrat ad actus supernaturales: ita vt ante eius receptionem virtus seu potentia actiua naturalis nullum habeat ordinem realem & positiuum ad dictam eleuationem, & ad actus C supernaturales, sed solam non repugnantiam, nullum inconueniens est, sed rationi & diuinis litteris valde consonum est, potentiam hanc obedientialem actiuam reb. formaliter tribuere: Sæpe namque legimus in diuina scriptura Deum rebus, quib. vti voluit ad effectus supernaturaliter operandos, imposuisse præcepta: vt patet 3 *Reg.* 17. vbi Deus ad Eliam dixit: *Coruis præcepi, vt pascant te*, & Paulo post subditur: *Corui quoque deferebant ei panem, & carnes mane: similiter panem, & carnes vesperi*: Et *Ionæ* 4. dicitur: *Et parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum & percussit hedera, & exaruit: & cum ortus fuisset Sol, præcepit Deus vento calido, & vrenti, & percussit Sol super caput Ionæ*, &c. His adde mirabilia, quæ Deus operatus est media rerum inanimatarum D & hominum actiua virtute: vt patet de gestis Samsonis *Iudicum* 14. 15. & 16. de Prophetia Saul *primi Reg.* 10. & de prædicatione Apostolorū post receptionem Spiritus sancti *Actor.* 12. Ex his enim omnibus apparet Deum, vt agens est primum supernaturale sæpe virtutibus seu potentiis rerum actiuis vti ad patranda miracula, & alios supernaturales effectus operandos, & actiuas rerum potentias, quatenus actiuæ sunt, Deo obsequi & ministrare concurrendo sua actiuitate ad actus illos supernaturales: atque ideo non incongrue posse tales virtutes appellari potentias obedientiales actiuas. Si vero nomine potentiæ obedientialis actiuæ significentur actiuæ rerum virtutes, vt realem ac positiuum ordinem habentes ad actus su- E pernaturales, & vt proxime potentes operari, negandum est rebus naturalibus secundum se sumptis, siue secundum earum pura naturalia, idest præcisa omni qualitate & motione supernaturali, conuenire potentiam obedientialem formaliter: Sed quoniam, vt dictum est, in ratione essentiali & intrinseca potentiæ obedientialis actiuæ non includitur qualitas aut motio supernaturalis, sed sola non repugnantia ad supernaturalia, ideo simpliciter loquendo dici potest in rebus naturalibus esse potentiam obedientialem actiuam formaliter sumptam.

A PRIMA CONCL. *Rebus omnibus à Deo creatis ineſt potentia obedientialis paſſiua ad actus, & immutationes ſupernaturales, quas poteſt Deus in illis operari.* Hæc patet ex dictis. *Concl. de. ducta, & probata.*

SECVNDA CONCL. *Potentia obedientialis paſſiua, aut etiam actiua, vt potentia eſt formaliter, non dicit aliquid reale poſitiuum, ſed ſolam non repugnantiam terminorum.* Hæc etiam patet ex dictis.

TERTIA CONCL. *Prædicta potentia ſola ratione (vt aiunt) ratiocinata, ideſt re fundamentum habente, diſtinguitur ab eſſentia rei, cui conuenit.*

QUARTA CONCL. *Potentia obedientialis paſſiua, aut actiua non pertinet vere proprie ac ſimpliciter ad ordinem ſupernaturalem, ſed materialiter & radicaliter ſeu fundamentaliter pertinet ad ordinem naturalem: formaliter autem & prout à nobis concipitur cum ordine ad ſupernaturalia, dici poteſt illam aliquo modo, ſiue ſecundum quod ad ordinem ſupernaturalium pertinere, quatenus ſcilicet nō poteſt complete concipi ſine ordine ad ſupernaturalia* Concl. hæc quo ad vtramque partem ſupra probata eſt.

QUINTA CONCL. *Rebus à Deo creatis congenita eſt potentia actiua radicalis in ordine ad actus ſupernaturales: non autem formalis poſitiua, ſed illi aduenit per ſuperadditam à Deo qualitatem, aut motionem ſupernaturalem.*

SEXTA CONCL. *In rebus creatis ſecundum earum naturas, præciſa qualibet realitate ſupernaturali eſt potentia actiua obedientialis formaliter.* Probatur: quia in ratione potentiæ actiuæ obedientialis non clauditur intrinsece ordo positiuus ad supernaturalia, sed sola non repugnantia ad hoc, vt eleuetur ad obsequendum & cooperandum, &c. ergo licet talis potentia non possit absolute dici actiua formaliter respectu actuum supernaturalium, potest tamen respectu eorundem actuum dici potentia actiua obedientialis formaliter: quia dictio illa *obedientialis* addita potentiæ actiuæ diminuit de ratione actiui, vt scil. non dicat ordinem positiuum, & realem ad actus supernaturales, sed solam non repugnantiam: quæ rebus formaliter conuenit secundum earum naturas.

CONTRA *ſecundam concl.* argumentantur quidam recentiores viri doctissimi. *Primo*: Illa est vera positiua physica & realis causa formarum supernaturalium à qua sustentantur & dependent in fieri & in conseruari: sed ad hoc non sufficit sola negatio & non repugnantia, sed requiritur vera & realis potentia materialiter influens in effectum; ergo. *Resp.* hoc argumento probari, potentiam obedientialem passiuam quo ad materiale, seu quo ad entitatem esse aliquid reale & positiuum: quia quo ad suam entitatem sustentat & cōseruat formas supernaturales, quo ad formale autem nullam habet causalitatem, cum sit mera negatio. *Argum. & ſolutiones. Obi. 1. cont. 2. concl. Solut.*

Secundo id, quod concurrit vt potentia ad realem & physicam compositionem rei ex actu & potentia, habet etiam physicam rationem potentiæ: sed anima secundum suam potentiam, quam habet obedientialem ad gratiam, concurrit ad compositum, quod fit ex illa & ex gratia, tāquam ex actu & potentia, & concurrit vt potentia: ergo. Minor probatur: quia compositū, quod significatur hoc nomine gratum, est verū & physicum compositum ex actu & potentia: sed actus est gratia: ergo anima secundum suam obedientialem potentiam passiuam est potentia. *Confirm. primo*: quia anima positiue, realiter & physice recipit gratiam: ergo habet verā & physicam potētiam ad illam: sed hæc potentia est obedientialis: Ergo potentia obedientialis passiua est vera potētia realis. Prima conseq patet: qa act⁹ positiuus & *Obi. 2. Conf. 1.*

realis

realis supponit positiuam & realem potentiam proportionatam; ergo si anima actu recipit gratiam, habet realem & Physicam potentiam ad illam recipiendam. *Conf. 2.* *Secundo confirm.* Perfectio ordinis supernaturalis requirit veram & realem potentiam receptiuam formarum supernaturalium proportionatam illis & eiusdem ordinis naturalis requirit veram potentiam naturalem receptiuam formarum sui ordinis; ergo. *Solut.* *Respon.* maiorem verã esse de ratione reali & physica potentiæ quo ad id, quod in ea est materiale, non autem quo ad id, quod est formale; vt supra probauimus. *Ad 1. conf.* *Ad primã confirmat.* dico vtramque cõsequentiam cum suo consequente veram esse de potentia obediẽtiali materialiter, non autem formaliter sumpta. Ad probat. primæ consequentiæ dico, Assumptũ quo ad omnes partes verum esse de actu, & potẽtia naturali; de actu vero supernaturali in ordine ad potentiam obedientialem, est verum, quo ad primam partem, sumendo potentiam quo ad id, quod est in ea materiale; quo ad alteram vero partem, videlicet, *proportionatam* omnino falsum est; quia potentia obedientialis, quo ad materiale in rebus naturalibus est ordinis naturalis, qui nullam habet proportionem ad ordinem supernaturalem, sed solam non repugnantiam. Et per *Ad 2. conf.* hoc satisfit *secundæ confirmationi*: falsum est enim eius antecedens.

Obi. 3. *Tertio* miracula, quæ fiunt, præextiterunt in operibus productis in sex primis diebus productionis mundi: at non præextiterunt in illis secundũ potentias actiuas vel passiuas naturales eorum; ergo præextiterunt in illis secundum potentias obedientiales eorum; ergo illa habent veram rationem potentiæ. Maior asseritur à Diuo Hiero. & Glossa *super illud Eccles. 1. Nihil nouum sub Sole.* & à D. Tho. *in 2. dist. 15. q. 3. art. 1. ad 8. & ad Anibaldum ibidem art. 4. ad 3.* Minor est euidens S. Thom. *Solut.* *in eisdem locis, & 1. p. q. 115. art. 2. ad 4. Resp.* Admisso toto argumento cum prima consequentia, falsam esse secundam cõsequentiam formaliter intellectam, de potentia vt potentia est: quia sufficit entitas creaturæ quæ est id quod est materiale in potentia, cum non repugnantia, quæ complet vt formale, rationem potentiæ obedientialis, vt dici vere possint miracula vere præextitisse in operibus sex dierum. Et ex his dilui facile possunt alia similia eorundem recentiorum argumenta.

Obi. 1. cont. 4. concl. CONTRA *quartam concluſ.* argumentantur iidẽ recentiores, *Primo.* Hæc potentia obedientialis passiua non est formaliter naturalis; ergo est, formaliter supernaturalis. Consequentia probatur: quia præter ordinem hypostaticum, ad quem nõ pertinet potentia obedientialis passiua, quam habemus ad gratiam, duo tantum sunt rerum ordines, scilicet naturalis & supernaturalis, ad quorum aliquem deberent pertinere omnes quidditates & formalitates reales entium: nam ideo tantum ponimus in Deo duplicem rationem primæ causæ & vltimi finis, scilicet naturalis & supernaturalis, & non ponimus in eo tertiam rationem causæ vel finis obedientialis, nec prouidentiam obedientialem; ergo nõ est ponendus ordo obedientialis, vt distinctus ab istis, sed vt contentus sub aliquo illorum; & per consequens ratio formalis istius potentiæ, cum formaliter sit ens, & nõ sit ens naturale formaliter, debet esse ens supernaturale. Antecedens autem probatur, Primo: quia D. Tho. & alij potentiam hanc distinguunt à potentia naturali. Secundo: quia omni potentię passiuæ naturali correspõdet naturalis actiua reducens illam ad actum: at nulla datur potentia naturalis actiua, quæ possit reducere ad actum nostram obedientialem potentiam passiuam receptiuam gratiæ; ergo. Tertio: quia omnis potentia passiua naturalis remanet imperfecta, nisi reducatur ad actum: at potentia obedientialis nõ remanet imperfecta, si aliquando non reducatur ad actum, vt patet de potentia obedientiali Angelicæ naturæ ad assumi; ergo. *Respon.* nullam esse consequentiam. *Solut.* Ad probationem dico potentiam obedientialem formaliter sumptam non esse realitatem, aut formalitatem positiuam, sed esse non repugnantiam rei ad actum supernaturalem; & ideo esse potentiam nullam, formaliter & proprie ac absolute loquendo, & non posse dici potentiam nisi secundum quid, & non esse supernaturalem nisi secundum modum nostrum concipiendi, vt ante diximus.

Secundo: Ad rationem supernaturalitatis creatæ *Obi. 2.* sufficit, quod proportionate & perfecte tendat in Deum, vt auctorem supranaturalem præhabentem totam rationem essendi sine aliqua limitatione: Sed prædicta potentia obedientialis respicit hoc modo Deum; ergo. Minor probatur: quia respicit Deum & subordinatur illi, vt potenti agere præter & supra legem naturæ ex infinitate & illimitatione suæ omnipotentiæ. *Confirmatur*: Ista *Conf.* potentia debet proportionari & esse eiusdem ordinis cum actu quem respicit, & cum agente & fine illius; ergo. Antecedens patet: Nam ordo supernaturalis debet esse perfectior & completior, quam ordo naturalis, & consequenter debet habere intra se omnia genera causarum requisitarũ ad effectum sui ordinis; ergo sicut respectu gratiæ habet cæteras causas supernaturales; ita debet habere causam receptiuam supranaturalem. *Vrgetur hoc amplius*: quia dispositiones ad gratiam per- *Conf. 2.* tinent ad genus causæ materialis, & respectu illius & illarum est omnino supernaturalis; ideo etiam ipsæ sunt supernaturales, & nullus actus omnino naturalis est proprie dispositio ad illam: sed ista potẽtia magis pertinet ad genus causæ materialis respectu gratiæ, quam dispositiones; ergo. *Resp.* falsam esse minorem, ad probationem negatur assumptum; hæc enim potentia nullam dicit *Solut.* inclinationem in Deum, vt causam supernaturalem; sed formaliter dicit solam non repugnantiã; & ideo proprie & absolute est potentia nulla. *Ad primam confirmationem* negatur antecedens; quia *Ad 1. conf.* hæc potentia est potentia nulla. Ad probationem dico eam potentiam, quæ per se primo ordinatur ad recipienda supernaturalia, esse ordinis supernaturalis, non autem illam, quæ nullum habet ordinem positiuum, sed solam non repugnantiã; & in hoc præstantiorem & meliorem esse ordinem supernaturalem, quam sit ordo naturalis: quia non solum ad sui ordinis potentiam extenditur; sed etiam ad subiecta nullam ad ea potentiam realem habentia, sed solam non repugnantiam; & ratio est: quia supernaturalia & præsertim miracula, ad obiectum pertinet potentiæ Dei absolutæ; quæ supra naturales & intrinsecas ac essentiales rerum proportiones & capacitates operatur. *Ad secundam confirmationem* dico falsam esse *ad 2. Conf.* minorem: quia potentia obedientialis non est proprie & absolute potentia, sed formaliter dicit solam non repugnantiam: Materialiter autem dicit entitatem rei; quæ, quia nullam habet ad supernaturalia positiuam & realem inclinationem, nõ potest proprie dici causa materialis eorum, sed cum ea recipit dici potest eorum subiectum, & materia; quatenus ea recipit & susteptat, absque tamen essentiali & intrinseco ordine ad illa; in quo consistit complementum causæ materialis proprie, ac simpliciter dictæ.

Obi. 3. *Tertio* sequeretur potentiam hanc gratiæ receptiuam nihil illi tribuere; consequens est falsum; ergo. Sequela probatur: Nam si aliquid tribueret, illud esset naturale; quia cũ ipsa sit ordinis naturalis inferioris ad gratiam, non potest ex sua propria & naturali virtute tribuere aliquid supernaturale: nulla enim causa virtute propria potest causare aliquid ordinis perfectioris, quam sit ipsa: sed in gratia, cum sit omnino supernaturalis, nihil naturale potest reperiri, quod causetur à potentia obedientiali; ergo cum non tribuat illi aliquid naturale, nec supernaturale nihil ei tribuit. Minor vero probatur. Nam omnis causa, vt producens effectum tribuit ei aliquid, alias impertinens esset concursus illius, cum sine illo habeat omnia, quæ ad ipsius esse requiruntur. *Respon.* negando minorem seu falsitatem cõsequentis: quoniam, vt supra dictum est, subiectum gratię, quod est substantia spiritualis, non habet materialem causalitatem respectu gratiæ, proprie & absolute loquendo: Quia nullum ad eam habet essentialem & intrinsecum ordinem, sed solam non repugnantiam ad eam recipiendam, & vt per Dei potentiam infinitam & supranaturalem educatur ex ea: per quæ nulla constituitur aut infertur causalitas materialis in substantia spirituali respectu gratiæ; quia causalitas materialis non est sine ordine intrinseco & essentiali ipsius materiæ, tanquam potentiæ ad actum, quem causat: Nec tamen est impertinens eius cõcursus. Quia supernaturalia creata, cum sint accidentia postulant necessario subiectum in quo sustententur; ac proinde etiam ex quo educantur: quia sicut per se non habent esse, ita neque fieri.

Solut.

Obi. 4. *Vltimo* Deus vt auctor naturæ non potest producere potentiam obedientialem; ergo hæc potentia non est naturalis. Antecedens probatur. Primo: quia Deus, vt auctor naturæ non cognoscit potentiam receptiuam supernaturaliter; & cũ omnia producat per intellectum & voluntatem, si non cognoscit illam, vt auctor naturæ, neque vt sic poterit illam producere. Secundo: quia talis potentia vt sic, non ordinatur ad Deum vt auctorem naturæ; ergo vt sic non producitur ab illo. Conseq. probatur: Nam teste D. Tho. 1. *p. q.* 4. *art.* 4. idem proportionaliter debet esse finis & efficiens cuiuslibet rei. Antecedens vero probatur: quia hæc potentia causat cum concursu supernaturali Dei, qui non ordinatur ad finem naturalẽ, sed ad aliquid supernaturale, scilicet ad gratiam; idem autem est finis & ordo formæ receptæ in materia & ipsius materiæ, vt sit recipientis illam. Tertio probatur ratione D. Tho. 1. *p. q.* 105. *art.* 4. & 1. 2. *q.* 9. *art.* 6. Nulla res potest dare ordinem & inclinationem ad aliquod bonum, nisi præhabeat perfectionem illius: qua ratione voluntas à solo Deo potest produci; quia habet inclinationem ad bonum vniuersale, quam non potest dare bonum particulare: sed Deus vt auctor naturæ non præhabet perfectionem boni supernaturalis; ergo vt sic non potest tribuere capacitatem, ordinem & inclinationem ad illud, & per consequens neque producere prædictam potentiam obedientialem passiuam ad gratiam, quę dicit ordinem ad illam. *Resp.* falsum esse antecedens. Nam potentia obedictialis quo ad omnem entitatem, & rationem formalem positiuam est ipsa rei creatæ natura, vt supra diximus, ad quam consequitur negatio, quæ est non repugnantia, quæ formaliter nihil est, & solo modo nostro concipiendi addit ordinem rationis ad actum supernaturalẽ. Ad primam probationem dico falsum supponi, videlicet in re creata esse potentiam realem & positiuam, quæ sit receptiua actuum supernaturaliũ, quæ à Deo sit creata & prius ab eo cognita & volita. Et eodem modo satisfit secundæ, & tertię probationi; dicimus enim nullam esse in reb. potentiam & inclinationem realem ad actus supernaturales, quæ sit à Deo producta.

Solut.

CONTRA *quintam, & sextam* concl. sunt multa prædicti recentioris argumenta, quæ probant efficaciter nullam in rebus esse potentiam obedictialem eo modo sumptam, quo proponitur & explicatur à Suarezio, nostræ vero sententiæ non aduersantur.

Contra easdem concl. sunt argumenta, quæ refert & soluit Nauarretus: sed omnia ex iis, quæ supranotata sunt facile diluentur. Vide etiam Aluar. de auxiliis diuinæ gratiæ *disp.* 68. *præsertim in resp. ad* 1. *&* 2. *argum.* vbi multa dicit, quæ fauent sententiæ nostræ.

Quarta Controuersia.

Quid sit virtus causatiua gratiæ, & miraculorum existens in humanitate Christi, & in aliis Sanctis, & in Sacramentis, ac aliis rebus, quibus ad opera supernaturalia Deus vtitur, vt instrumentis.

PRIMA *sententia* est quorundam recentiorum Thomistarum asserẽtium præmotionem primæ causæ in secunda causa receptam, qua mouetur & applicatur ad operandum, esse qualitatem per modum dispositionis transeuntis, cum ipsa operatione causæ secundæ. *Sententia Doctorum.*

Secunda sententia in alio extremo posita est quorundam Theologorum qui docent motionem causæ primæ, nihil ponere præuium in secundis causis, quod earum operationes antecedat, etiam ordine naturæ & causalitatis, sed esse Deũ ipsum siue Dei voluntatem, quatenus parata est cũ qualibet secunda causa concurrere, quotiescunque operetur, vel ex necessitate naturæ, vel ex libera determinatione suæ voluntatis. Eandem vero motionem affirmant in secundis causis ponere operationes ipsarum causarum, quatenus efficienter procedunt ex concursu Dei simultaneo; quẽadmodum creatio in creatura nihil ponit, nisi creaturam ipsam, quatenus à Deo vt ab efficiente procedit.

Tertia sententia huic proxima est dictam motionem præuiam ponere aliquid in secundis causis prius natura, quam operentur; quod nihil aliud est, quam ipsæ operationes, quatenus à Deo procedunt eas applicante & præmouente efficaciter ad operandum: ac proinde in causis liberis prædeterminationem, qua Deus prædeterminat voluntatem ad actum liberum: non esse distinctam realiter, sed ratione tantum ab actuali determinatione, qua seipsam voluntas determinat per suam operationem. Existimant enim huius sententiæ defensores, voluntatem non alio actu, quã ipsa sua operatione, seipsam determinare, & eandem operationem, quatenus à Deo prius natura mouente procedit, esse Dei prædeterminationem.

Quarta sententia est virtutem, qua Deus præmouet secundas causas in eis esse ad modum intentionis habentis esse quoddam incompletum, eo modo, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento. Ita D. Thom. de potentia. *quæst.* 3. *art.* 7. *ad* 7. Capr. *in* 2. *distinct.* 1. *q.* 3. Ferar. *in* 3. *contr. gent. c.* 70. Zumel. *in* 1. *p. q* 8. *art.* 1. *disp.* 2. Aluar. *de Auxiliis disp.* 19. & alij Thomistæ communiter.

Quinta

Quinta sententia est Caiet. *super hoc art. & infra q.* 62. *art.* 4. *& q.* 78. *art.* 4. dicentis vim spiritualem in instrumento Dei esse vsum seu motum, quo Deus vtitur actione instrumenti ad principalem effectum, hunc autem vsum appellat Caietanus motum virtuosum, cuius ratione explicat vberrime locis allegatis. A

Vltima sententia negat primo dictam virtutem esse qualitatem. Secundo ait eam non distingui realiter physice, sed realiter Metaphysice, seu ex natura rei à secunda causa, in qua recipitur. Tertio docet in causis liberis eodem modo distingui applicationem creatæ voluntatis, qua se ipsam applicat ad agendum, à diuina applicatione seu virtute in ea recepta. Quarto affirmat vtramque applicationem esse realiter ab operatione consequente distinctam. Hæc est sententia nostra; quã B esse longe diuersam à secunda, & tertia perspicue patet ex his quatuor propositionibus, & ex iis, quæ diximus *in* 1. *p. q.* 22. *art.* 4. *Controu.* 1. *& q.* 59. *ar.* 3. *& q.* 62. *art.* 2. Ad cuius euidentiam

Resolutio. Distinguitur, & explicatur duplex instrumenti ratio, & duplex influxus prima causa, & aperitur status Controuersiæ.

SVPPONENDA *hic primo* est multiplex illa significatio huius nominis *instrumentum*, quam explicauimus 1. *p. q.* 45. *art.* 5. *Controu.* 2. quæ tamen ad duas præcipuas reducitur significationes. Dicitur enim instrumẽtum, vno quidem modo proprie: quod scilicet est causa, quæ solum mota mouet, & vi proprię formæ pręuium aliquid agens virtute principalis agentis illius effectum attingit. Quã ciffinitionem ibi, quo ad singula declarauimus. Alio vero modo dicitur instrumentum minus proprie siue potius improprie de qualibet secunda causa respectu primæ, vt ait S. Tho. *in* 2. *cont. gent. cap.* 21. de potentiis rerum naturalibus, & Caiet. 1. *p. q.* 77. *art.* 1. & de causa dispositiua, quæ non attingit effectum principalem; vt *in allegata Controu.* declarauimus. Quæritur hic præcipue de causa instrumentali proprie dicta, cõsequenter autem de causa instrumentali minus proprie sumpta. Deinde recolenda sunt ea, quæ diximus *in* 1. *p. qu.* 22 *art.* 4. *Controu.* 1. de influxu primæ causæ in secundas causas, tam principales, quam instrumentales. Quorum nonnulla huic definiendæ Controuersiæ quam maxime necessaria breuiter hic erunt annotanda. C

Secundo sciendum est duplicem esse motionem, seu virtutis influxum primę causæ respectu secundæ. Prior est in ipsam causam; & dicitur influxus præuius: & hic influxus siue motio idem est, quod D applicatio causę ad operandum: quæ quidem applicatio est vltimum secundæ causæ complementum & actualitas aduenies illi prius natura, quã actu operetur. Distinguitur autem hic influxus seu motio aut applicatio & complementum ab ipsa secunda causa realiter Metaphysice, siue ex natura rei, ab operatione vero cõsequente distinguitur realiter physice, tanquam alia omnino res. Posterior autem influxus est in operationem secundæ causæ & eius effectum, & hic si sit in operationes causarum principalium, quæ minus proprie dicuntur instrumenta, dicitur simultaneus cum influxu causæ secundæ: Verius tamen ac formalius dicitur quodammodo simultaneus, simpliciter autem prior. Nam prima causa, quæ Deus est, duplicem habet respectum ad secundam causam. Primus est ad ipsam causam, quam applicat ad operandum: Secundus est ad ipsam operationem, & effectum, quem simul efficit cum causa secunda, iam applicata & operante. Differunt tamen secunda causa naturalis & causa libera, quod secunda causa naturalis solam habet habitudinẽ ad operationem & effectum; quia seipsam non applicat ad operationẽ: Libera vero, quia seipsam etiam applicat ad operandum, præter habitudinem, quam habet ad operationem & effectum, habet etiam priorem aliam habitudinem ad seipsam, vt applicatam, vel proxime applicandam ad operationem. Si ergo comparentur prima & secunda causa secundum habitudines, quas habent ad operationem & effectum ipsius secundæ causæ, siue causa sit libera siue naturalis, certum est operationem & effectum secundæ causæ in nullo priori naturæ à prima causa causari, in quo non causetur à secunda: cuius ratio euidens est; quia prima causa non efficit operationem secundæ, nisi media ipsa secunda causa, quam mouet & applicat ad agendum, & prius natura modificatur virtus, & motio primæ causæ in secunda, quam ad eam sequatur operatio: igitur in nullo priori naturæ causari potest operatio secundæ causæ à prima, quin simul in eodem instanti non concurrat efficientia secundæ causæ. Si vero comparentur prima & secunda causa secundum habitudines, quas habent ad inuicem in ratione mouentis & motæ, seu applicantis & applicatæ ad operandũ; dicendum est operationem secundæ causæ, siue sit naturalis siue libera, prius natura, id est causalitate à prima causa inchoari & ab ea dependere, quam à secunda: quia scilicet agere secundæ causæ dependet à prima, quæ secundam applicat ad agendum. Quæstio hæc de vtroque loquitur virtutis influxu, primæ, scilicet in secundam causam, & in eius operationem.

Quid sit virtus, seu influxus prima causa in secunda receptus: & quomodo distinguatur à secunda causa, & eius operatione.

Tertio notandum est, in secunda causa antequam moueatur ad agendum à prima, quandoque solam præsupponi virtutem eius naturalem; vt patet in omnibus secundis causis naturalibus, & etiam in liberis ante omnem habitum supernaturaliter illis infusum: quandoque vero præter naturalem secundæ causæ virtutem, in ea supponi supernaturalem virtutis habitum, puta fidei, spei & charitatis.

Quarto sciendum est, vnam & eandem rem secũdum diuersas rationes eius formales consideratam posse ad diuersa genera, seu prædicamenta pertinere: vt patet secundum eorum opinionem, qui docent relationem non esse realiter à fundamento distinctam: vt enim concipitur absolutè ad prædicamenta pertinet absoluta, puta substantiæ, quantitatis, aut qualitatis; vt autem ad aliud relata consideratur, sub prædicamento clauditur relationis; & ex qualitatibus multæ secundum vnam rationem sub tertia specie continentur, quæ genus quoddam est, secundum aliam vero ad primam pertinent speciem, quæ & ipsa genus quoddam est; vt notant expositores Arist. in prædicamento qualitatis.

Quinto obseruandum est secundas causas posse dupliciter à prima moueri. Vno modo successiue, & in tempore; vt patet de causis secundis agẽtibus per motum proprie dictum. Alio modo instantanee: vt patet de Sole illuminante, de Angelo, aut etiam homine intelligente, & volente.

Sexto tolenda est distinctio *in prima huius articul. Controuersia* posita de duplici virtute instrumentali, scilicet permanente, qualis est character; & E transeunte, qualis est ea qua Deus sine vllius habitualis qualitatis impressione mouet intellectũ cratum ad intelligendum, & voluntatem ad volendum, & potentias hominis, aut Angeli ad opera miraculosa: cui similis est ea, quæ recipitur in instrumentis artis, cum eis vtitur artifex ad agendum.

Septimo notandum est ex Caiet. infra *q.* 62. *art.* 4. *& q.* 78. *a.* 4. in instrumento moto à causa principali tria considerari, scilicet motum, virtutem & motum

motum virtuosum. Ex quibus duo priora, non re, A sed ratione tantum formali distinguuntur ab inuicem, & realiter identificantur in tertio, scilicet in motu virtuoso: & quatenus formaliter distincta sunt, virtuti tribuitur genus & ratio qualitatis reductiue, quod habeat esse intentionale & spirituale & similia, quæ motui non conueniunt. Et ob eandem causam S. D. nonnunquam ait in motu instrumenti esse virtutem ab agente principali deriuatam: quia nimirum virtus hæc, formaliter distinguitur à motu simplici, & aduenit illi ab extrinseco, scilicet à tali agente; vt patet in verbis consecrationis à Sacerdote, vt Dei ministro super debita materia prolatis: Propter quam etiam causam hæc eadem virtus rationem ac modum induit qualitatis, & qualitas nominatur; cum tamé secundum rem nihil aliud sit, quam orationem B esse instrumentum Dei; quod est Deum vti oratione instrumentaliter ad talem effectum. Adeo vt talis vsus verborum sit constitutiuus instrumétalis efficaciæ in oratione, qua vtitur Deus per Sacerdotem, nec opus sit aliam addere qualitatem; vt *in allegata q. 78. art.* 4. declarat optime Cai. Quatenus autem materialiter vnum sunt, affirmat S. D. instrumentum agere per solum motum, quo mouetur ab agente principali: de motu namque virtuoso loquitur vtramque simul rationem, scilicet motus & virtutis includente.

Postremo huc reuocanda sunt omnia, quæ diximus *in* 1 *p. q.* 22. *art.* 4. *Controu.* 1. vbi defendimus influxũ primæ causæ in secundas non esse realiter omnino distinctum ab eis, sed tantum realiter metaphysice, seu ex natura rei, & approbari motionẽ; C quia non durat, nisi durante operatione, & modum excellenter habere virtutis instrumentalis ac intentionis, nec tamen esse superadditam qualitatem, sed esse actionem Dei physicam in secũda causa receptam, & se habere vt modum realẽ ab ipsa secunda causa distinctum realiter metaphysice & esse fundamentum proximum relationis realis ipsius secundæ causæ ad operationem, ac proinde esse rem omnino physice distinctam ab ipsa operatione secundæ causæ; cuius oppositum affirmant Suarez, & alij recentiores. Quibus etiam addidimus sententiam asserentem prædictam virtutem esse accidens quoddam intentionale realiter omnino ab ipsa secũda causa distinctum, esse probabilem; & ideo non esse reiiciendam vt falsam, cum præsertim eam expresserit S. D. *de potentia Dei q.* 3. *art.* 7. *ad* 7. cuius tamen verba eam patiuntur interpretationem, quam illi adhibuimus *in allegata Controu.* vbi etiam conciliauimus modum dicendi Cai. & Scoti cum sententia D. Tho. Capr. Ferrar. & aliorum Thomistarum, qui verba S. D. videtur accipere iuxta planiorem eorum intelligentiam.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

Prima concl. *Influxus seu virtus primæ causæ recepta in operatione secundæ causæ, quæ non est proprie instrumentum, idem est omnino realiter cum ipsa operatione secundæ causæ.* Probatur: quia influxus in operationem nihil aliud est quam productio operationis. Secundo probatur ex doctrina Caietani relata *in* 7. *notabili.* Et in hac conclusione conueniunt etiam sectatores secundæ & tertiæ opinionis. Et quia operatio vt actio, specificatur ex principio eius formali, vt autem motus seu mutatio quædã est, specificatur ex termino, vt ait S. D. *in* 1. 2. *q.* 1. *art.* 3. ideo influxus seu virtus in diuersis specie operationibus recepta, ad diuersas attinet species & genera, iuxta specificam aut genericam specificantium diuersitatem.

Secunda Conclvs. *Licet prædictus influxus seu virtus in operatione non semper sit de genere qualitatis, quatenus tamen ratione distinguitur ab operatione, modum quendam habet qualitatis.* Hæc patet ex septimo fundamento.

Tertia Concl. *Influxus supernaturalis in causam secundam principalem, aut eius potentiam est actio physica formaliter, ac per se primo, sed reductiue, & quo ad modum ad genus attinet qualitatis; nec tamen hic influxus distinguitur à secunda causa, vel eius potentia, nisi realiter metaphysice:* Probatur hæc conclusio quo ad primam partem: quoniam hic influxus motio quædam est in actu secundo, vt ait S. D. *in* 1. 2. *p. q.* 110. *ar.* 2. motio vero mouentis, quatenus ab ipso est formaliter, est actio physica. Secunda vero pars probatur ex D. Tho. infra *q.* 63. *art.* 2. vbi ait virtutem, quæ est in Sacramentis, non esse in genere per se, sed reductiue, eo quod sit quoddam fluens & incompletum: sed hæc virtus est quid fluens & incompletum; ergo. Secundo probatur: quia talis motio principium est operationis formale & effectiuum vt quo, non minus quam si modum haberet permanentis; igitur est qualitas, saltim reductiue. Et confirmatur: quia talis motio facit aliquo modo subiectum quale, id est potens operari. Quod autem dicta motio sit principium formale & efficiens quo operationis; probatur: quia non potest aliud assignari principium, per quod producitur operatio illa supernaturalis. Postrema denique pars conclusionis patet ex iis, quæ diximus *in* 1. *p. q.* 22. *art.* 4. & *q.* 23. *art.* 3.

Qvarta Concl. *Probabiliter dici posset prædictũ influxum esse qualitatem formaliter, & essentialiter, quæ modum habet motionis transeuntis.* Hanc probat secũdum argumentum, cum sua confirmatione pro secunda parte conclusionis præcedentis.

Qvinta Concl. *Influxus, seu virtus ordinis naturalis recepta in causa secunda, nullo habitu perfecta, sed sufficientem habente virtutem per modum actus primi ad operandum, non est qualitas formaliter & per se primo, sed potest esse qualitas virtualiter, & reductiue, & modum habet qualitatis; Proprie autem & formaliter, ac per se primo est motio, quæ est actio physica in secunda causa, vt in subiecto recepta. Quod idem dicendum est de influxu in causam quocunque habitu perfectam.* Probatur hæc conclusio quo ad singulas partes: Et primo quo ad primam ex D. Thom. 1. 2. *q.* 110. *art.* 2. dicente auxilium, quo ex gratuita Dei voluntate anima hominis mouetur ad aliquid cognoscendum aut volendum vel agendum, non esse qualitatem, sed D motum quendam animæ: quia actus mouentis in moto, est motus, vt ait Philosophus *in tertio Physicorum. tex.* 1.

Sed dicunt quidam viri doctissimi, D. Thomam *obi.* ibi non negare auxilium illud esse qualitatem secundum rem sed solum velle, quod modum non habeat qualitatis permanentis, & sufficientis denominare suum subiectum simpliciter tale: sicut etiam Arist. *in prædicamento qualitatis, & lib.* 1. *Ethic. c.* 2. dixit operationes virtutum esse passiones, & non qualitates, eo quod habeant esse fluens & transiens ad modum passionum; atque ideo denominent quale simpliciter: nam per vnam operationem prudentiæ, fortitudinis vel temperan- E tiæ non denominatur aliquis simpliciter prudẽs, fortis vel temperatus; sicut per ruborem proueniẽtem ex verecundia nullus vocatur simpliciter rubicundus. Cum ergo dictum auxilium siue virtus sit imperfecta, qualis est etiam virtus transiens in omni instrumento Dei recepta, non potest simpliciter denominare subiectum potens: & quia pendet à motu, qui est à Deo mouente, non solet dici qualitas, sed motus, scilicet quoad modum. *Sed hæc responsio* deficit: quia diuina virtus *Solut.* seu motio in prædictis secundis causis receptа nõ

est

est vnius speciei vel generis, etiam supremi, eò quòd ad diuersas species aut etiam genere & prædicamento ordinetur operationes & effectus, vt parum inchoatio: & propterea ad genus operationis, aut effectus inchoati sit reducenda: Si namq; sit virtus applicans secundam causam ad motum localem, erit inchoatio motus localis, & ad prædicamentum vbi reductiue pertinebit: si ad actũ calefactionis applicet calefactiuũ, ad genus qualitatis erit reducenda; ad quod etiam pertinebit, si moueat ad actus intellectus & voluntatis immanentis; qui vere & proprie sunt qualitates: si ad generationem, aut quamcumque factionem substantiæ moueat, erit inchoatio substantiæ, & ad substantiæ Prædicamentum reducetur. Sed quia prædicta vis seu motio, quatenus se tenet ex parte potentiæ actiuæ secundæ causæ, complementum est ipsius potentiæ, ideo ex hac parte ad genus reducitur qualitatis: ad quod etiam pertinet quo ad modos ex Caietano supra nominatos: simpliciter tamen & formaliter ac per se primo non est qualitas, sed actio Physica prędicamentalis; vt ait quarta pars conclusionis. Nam qualitas omnis actiua ad primam vel secundã attinet speciem qualitatis; at ea virtus, qua Deus applicat secundas causas ad operandum, ad neutram pertinet dictarum specierum. Prima namque species qualitatis est habitus, quæ perficit potentiam vt actus primus, non determinans eam ad actualiter operandum, sed relinquens eam adhuc in potentia: virtus autem illa est actualis applicatio & motio ad actum secundum: implicat enim secundam causam efficaciter à Deo moueri ad operandum, & ipsam tunc actu non operari. Deinde habitus omnis ex sui natura potest esse principium diuersarum operationum; virtus autem illa ad vnam numero determinat operationem. Præterea omnis habitus animæ subditur libero arbitrio quantum ad vsum; at motio diuina non subditur nostræ voluntati, sed magis eam sibi subiicit; quia facit eam velle; ergo non est habitus & qualitas. Alias probationes lege apud Aluar. *in allegata disp. 19. concluſ. 3.*

Et ex his patent tres priores particulæ conclusionis. Sequitur quarta dicens, *virtutem illam proprie & formaliter ac per se primo esse motionem, & actionem physicam in secunda causa, vt in subiecto receptam.* Cuius probatio sequitur euidenter ex dictis. Si namque non est habitus aut forma permanens constituens secundam causam in actu primo, sed actualiter eam applicat ad actum secundum, ad quem per se primo confertur à Deo; igitur est motio formaliter ac per se primo, prout à causa prima deriuatur in secundam: hæc autem est ratio formalis actionis, prout à quolibet alio prædicamento distinguitur: vt patet ex Arist. 3. *Physic. text. 20.* & ex authore sex principiorum *in prædicamento actionis.* Postrema demum pars affirmans *idem asserẽdum esse de influxu in causam quocunque habitu perfectam*, manifestam ex iis, quæ diximus, habet consequentiam: hic enim influxus seu virtus est actualis applicatio & motio potentiæ per habitum perfectæ, determinans eam ad hanc vnam numero operationem, ad quam per se primo dirigitur à Deo, vt primo agente & mouente; igitur est actio formaliter & per se primo, non aũt habitus aut alia qualitas, nisi modis superius explicatis.

Sexta Concl. *Eadem virtus diuina transiens recepta in causa proprie instrumentali, qualis est virtus miraculorum in Sanctis, aut fidelibus tali gratia donatis, nõ est qualitas formaliter, & per se primo, sed reductiue tantum: proprie vero est actio physica:* Hanc probant quo ad vtramq; partem ea fere omnia media, quibus probatur conclusio præcedens. Hæc enim virtus formaliter & essentialiter consistit in actu secundo, qui est applicatio & motio, ac vsus rei creatæ, vt instrumenti ad operationem & effectum supernaturalem à Deo intentum. Et quia munus supplet excellenter formæ vel habitus aut actus primi, ideo secundum hanc rationem ad primam reducitur speciem qualitatis: vnde S. D. infra *qu. 62. art. 4. ad 2.* ait, virtutem instrumentalem non esse, proprie loquendo in aliquo genere, sed reduci ad genus & speciem virtutis perfectæ (intellige de virtute perfecta creata, aut creabili, quæ sola proprie genus habet & speciem:) constat autẽ virtutem omnem creatam perfectam sub prima specie qualitatis contineri. Et quia potentia & actus, ad quem per se ordinatur potentia, sunt in eodem genere; ideo considerando virtutem hanc diuinam, quatenus reductiue potentia quædam est, ad genus & speciem, reducitur actus per eam producti; vt virtus applicatiua rei, quę Sacramentum est, ad supernaturalem operationem, quæ est productio gratiæ, & gratia ipsa in fieri, ad genus & speciem reducitur gratiæ, quæ est in prima specie qualitatis; virtus autem applicatiua verborũ ad transubstantiationem aut suscitationem mortui, vel multiplicationis panum, ad ipsam transubstãtiationem, resuscitationem, &c. vt potentia actiua ad suos actus, ac proinde ad substantiam, cui identificatur transubstantiatio, resuscitatio, &c. est reducenda, & sic de singulis.

Vltima Conclvs. *Virtus instrumentalis diuina permanens in creatura recepta non est in genere per se & proprie, sed reductiue pertinet ad genus qualitatis.* Hæc est D. Tho. infra *q. 6. 3. art. 2.* vbi ait: *Sicut virtus, quæ est in Sacramentis, nõ est in genere per se, sed per reductionem, eo quod est quiddam fluens, & incompletum; ita etiam character non proprie est in genere, vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.*

Contra *primam concluſ.* est argumentum Ferrarien. *in 1. cont. gent. c. 21.* cui satisfecimus *1. p. q. 45. art. 5. Controu. 2. §. secundo considerandum.* *Argumenta, & solutiones.*

Contra *tertiam, & quintam* concluſ. asserentes influxum primæ causæ in secundas esse motionem, & actionem physicam formaliter, & per se primo, non autem qualitatem nisi reductiue, & secundum modum, sunt argumenta, quæ refert & soluit Aluar. *in allegata disput. 19.* Præcipuum argumentum sumitur ex quodam dicto D. Thom. *1. 2. q. 109. ar. 9.* vbi ait: *Nulla res creata potest in quemcunque actum prodire, nisi virtute motionis diuinæ.* Ex quo sequitur virtutem illam esse qualitatem, cum tribuat secundæ causæ virtutẽ, & posse ad operandum, quod etiam affirmat *in 1. a. eiusdem q.* dicens: *quantumcunque natura aliqua corporalis, vel spirtualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moueatur à Deo.* *Obi. 1. cõt. 3. & 5. concl.*

Resp. dictionem illam excluſiuam, *nisi*, dupliciter sumi posse: *Vno modo*, vt determinet verbum *potest* & tunc vtraque propositione significatur nullam secundam causam habere in se potentiam operandi, nisi moueatur à Deo; qui sensus omnino falsus est, nec illum intẽdit S. Th. *Alio modo* sumi potest eadem excluſiua, prout determinat verbum *operari*: & tunc est sensus, fieri non posse, vt secunda causa in aliquam exeat operationem, & tamen non moueatur à Deo; & hunc sensum, vt verissimum intendit S. D. vt patet ex eius declaratione *in quæst. 1. de potentia Dei, art. 5. ad 1.* vbi explicans sensum illius propositionis: *Deus non potest facere, nisi quod præscit se facturum*, vtitur prædicta distinctione circa distinctionem illam concluſiuam, *nisi*. Alia argumenta facile diluentur ex dictis. *Solut.*

Contra

Obi. 1. cont. 4. concl.

CONTRA *sextam concl.* argumentãtur quidam recentiores Thomistæ. *Primo*: Virtus instrumentalis est virtus actiua causæ efficientis; motus autem formaliter sumptus, siue consideretur vt actio siue vt passio, est effectus virtutis actiuæ & actus secundus; ergo supponit actum primum, & virtutem, à qua procedat; ergo formaliter non est

Solut.

ipsa virtus. *Resp.* Virtutem instrumẽtalem esse virtutem causæ efficientis in actu secundo, non autem in actu primo, siue esse virtutem vt actum secundum, non autem vt actum primum, & eandem virtutem, prout est influxus in operationem instrumenti, esse idem realiter cum ipsa operatione instrumentali; vt autem est applicatio instrumenti ad operandum præueniens operationem, actio est in instrumento recepta, vt ante diximus: quæ tamen rationem & modum quendam habet qualitatis, quatenus officium supplet excellenter actus primi vel habitus aut formæ, quæ sit ratio seu formale principium operandi, & quatenus additur instrumento ad modum qualitatis.

Obi. 2.

Secundo: Humanitas Christi & cætera instrumenta Dei solum se habent passiue respectu motus, quo mouentur à Deo, & per illum, vt sic, mouentur & patiuntur; ergo per illum, vt sic, non agunt neque producunt effectum.

Solut.

Resp. Hoc argumento probari virtutem applicatiuam instrumẽti Dei ad operationem non esse ipsam operationem instrumenti, qua denominatur formaliter instrumentum agens, sed esse actionem Dei receptam in ipso instrumento, passiue tantum ad eam se habente, quod nos etiam supra docuimus.

Obi. 3.

Tertio: Vis actiua instrumentalis non est motus, quo Deus concurrit cum instrumento ad agendum, neque motus quo mouet & applicat illud ad operandum; Ergo nullus. Antecedens pro prima parte probatur: quia motus quo Deus concurrit cum instrumento ad operandum formaliter, vt sic, supponit instrumentum potens operari; ergo ante illum sic formaliter sumptum supponitur in instrumẽto vis operatiua, per quam possit concurrere ad effectum. Pro secunda vero parte probatur idem antecedẽs: quia ille motus Dei, quo mouet & applicat instrumentum, est actio transiens; ergo producit aliquem terminum in ipso instrumento: at non producit motum ipsius instrumenti; ergo producit in illo aliquam virtutem, quam dicimus esse vim instrumentalem eius. Maior de se patet & similiter consequentia; quia nullus alius potest esse terminus illius actionis transeuntis, nisi ipsa virtus actiua per illam cõmunicata instrumento. Minor vero probatur, Primo: quia terminus motus non potest esse alius motus; & cum terminus istius motus non sit quãtitas, vel locus, erit qualitas prædicta. Secundo: quia actio vel motus non producitur alia actione & motu, sed ipse est productio sui ipsius. Tertio: quia instrumentum applicari ad operandum ordine rationis supponit ipsum esse potens operari; ergo talis applicatio formaliter sumpta non constituit illud potens operari, sed supponit in eo virtutem operatiuam.

Solut.

Resp. Vim actiuam instrumentalem duplicem esse: altera est applicatio præueniẽs operationem instrumentalem communem agenti principali & instrumento: & hæc est à solo agente principali; & instrumentum ad eam se habet mere passiue: altera est ipsa operatio instrumentalis vt eleuata ad producendum effectum principalis agentis; quæ secundum rem est ab agente principali & instrumento, licet non secundum eandem rationem formalem ab vtroq; procedat; vt ostendimus *in 1. p. q. 45. art. 5. supra notato.* Si in antecedente sermo sit de priori virtute, dico illam non esse motum, quo Deus concurrit cum instrumento ad agendum, sed esse motum, quo Deus mouet & applicat instrumentum ad agendum. Ad argumentum aduersus hanc partem dico terminum seu effectum productum per illum motum, non esse virtutem actiuam; quia motus ille est ipsa virtus actiua in actu secundo; sed est hoc totum compositum, quod est instrumentum esse applicatum ad operandum, seu esse completum & perfectum vltimo complemento ad cooperandum agenti principali. Quæ perfectio & complementum, cum sit ens quoddam transiens & imperfectum quo ad modum essendi, reducitur ad genus perfectæ virtutis seu potentiæ, quæ habet esse permanens in eo, cuius est potentia: vt patet ex dicto S. Tho. supra notato. Si autem antecedens loquatur de virtute instrumentali secũdo modo sumpta, dico cum Caiet. virtutem hãc esse realiter eandem cum motu, quo Deus concurrit cum instrumento ad agendum. Ad impugnationem huius partis, dico ante motum hunc supponi instrumento virtutem applicatiuam, qua instrumento fit potens operari, non per potentiã formaliter, sed per potentiam suppletiue & reductiue, modo superius explicato.

Obi. 4.

Quarto: Arguunt argumento Petri de Palude. Motus artificiosus, quo aqua mouetur à baptizante vt conferat gratiam, & quo mouetur à fingente se baptizare, non differunt in ratione motus, sed in hoc, quod in primo propter rectam intentionem requiritur virtus instrumentalis causatiua gratiæ, & non in secundo; ergo virtus illa instrumentalis aliquid dicit præter motum.

Solut.

Resp. Si in conseq. fiat sermo de virtute instrumentali applicatiua ad operandum, & de motu qui est operatio per talem applicationem producta, verã esse consequentiam, & ipsum consequens; sed fallitur arguens: quia putat virtutẽ illam esse qualitatem formaliter, cum tamen sit actio, vt ante diximus. Si vero consequens loquatur de virtute instrumentali, quę est operatio ipsa instrumentalis, vt eleuata ad producendum effectum principalis agentis, & de motu, qui est etiam ipsa operatio communis agenti principali & instrumento, & de diuersitate reali, negatur consequentia: Sufficit enim diuersitas formalis, aut ad summũ ex natura rei; sed posita etiam reali diuersitate nõ sequitur ex illo consequente virtutem illam esse qualitatem, sed erit operatio principalis agentis, vt prior natura operatione propria instrumenti; vt opinatus est Ferrar. *loco supra notato.*

Obi 5.

Quinto sic arguunt: Virtus operatiua, vt sic, est qualitas; sed ea virtus seu principium est virtus operatiua; ergo est qualitas. Maior probatur: quia virtus illa reddet subiectum quale, scilicet potens operari; quæ est diffinitio qualitatis: ideo namque potentiæ naturales & habitus sunt qualitates; quia subiectum suum efficiunt quale, scilicet potens operari. Minor vero probatur: Nam D. Tho. hoc principium sæpe docet esse virtutem operatiuam, vt infra *q. 62. art. 4. ad 1. & 4. cont. gent. cap. 56. & in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 2. ad 4. & quæstiunc. 4. & de Potentia, q. 6. art. 3. & de Virtute, qu. 27. art. 4. & 10.* & in aliis locis: similiter idem D. Tho. *in p. 1. ad Corinth. 12. lect. 2.* gratias gratis datas, quales sunt virtutes instrumentales ad facienda miracula, vt gratia sanitatum, &c. ait esse facultates operatiuas, & in 3. cont. gent. cap. 154. in fine ait, quod in omni operatione miraculosa imprimitur à Deo quædã efficacia virtutis diuinæ, &c. sed ista facultas, & efficacia non est motus, sed principium illius; ergo.

Solut.

Resp. Maiorem esse veram de virtute operatiua, quæ est actus primus: hæc enim

enim formaliter & directe est qualitas, sed falsa A est de virtute operatiua, quæ est actus secundus siue sit actus secundus qui est applicatio, siue sit actus secundus qui est operatio, vt est ab agente principali: talis enim virtus non potest esse qualitas, nisi reductiue, vt supra dictum est ex D. Tho. Ad probat. maioris distinguo antecedens: reddit, vt actus primus subiectum potens operari, nego: reddit, vt actus secundus subiectum potens operari, concedo: sed tunc falsa est consequentia, loquendo de qualitate formaliter & directe, licet verum sit de qualitate reductiue. Ad loca D. Th. dico, ea esse intelligenda de virtute operatiua in ratione actus secundi formaliter. Secundo dico, D. Tho. in multis ex prædictis locis dicere virtutē esse in instrumentis Dei, quatenus à Deo ordinantur effectus spirituales; quia scilicet ipse vsus, quo Deus vtitur instrumento ad tales effectus, est motus virtuosus, quatenus à Deo fit in instrumēto, cum ordine ad talem effectum: iam autem diximus cum Caiet. virtutem illam non esse realiter ab ipsa operatione instrumentali distinctam, sed tantum formaliter, & ideo non esse qualitatem, nisi quoad modum superius explicatum.

Obi. 6. *Sexto*: Assumunt diuersa dicta D. Th. quæ (vt aiunt) saluari nequeunt, nisi dicamus prædictam virtutem esse qualitatem causatam per motum principalis agentis, vel existētem in motu instrumenti: Primo namque distinguit D. Thom. sæpe virtutem instrumenti à motu ipsius instrumenti dicens, per motum Angeli imprimi cœlo virtutē instrumentalem ad producendum viuentia, & quod semen mouetur ab anima, quamdiu remanet in illo vt causata ab anima, & quod caro Christi habet suam operationem instrumētalem; quia inquantum mouetur à Deo, per influxum Dei virtutem consequitur operandi: ita loquitur *de Potentia, q. 3. art. 7. ad 7. & art. 11. ad 5. & 14. & in quæst. de vnione art. 5. ad 12. & de malo, q. 4. art. 1. ad 16. & infra q. 62. art. 4. ad 3.* Præterea docet S. Thom. virtutem instrumenti non poni directe in prædicamento, sed indirecte & reductiue pertinere ad genus & speciem virtutis perfectæ: ita S. D. infra *q. 62. art. 4. ad 2. & 63. art. 2. & alibi*: sed virtus perfecta & principalis agentis, si fuerit creata, ponitur in prædicamento qualitatis; ergo in illo ponitur reductiue virtus instrumenti: *Vrgetur hoc amplius*: Nam motus, vt sic, non ponitur in prædica- D mēto directe, sed reducitur ad prædicamentū sui termini, vt augmentatio ad quantitatem, &c. ergo si ista virtus instrumētalis formaliter esset motus ipse instrumēti, non poneretur directe in prædicamento, in quo ponitur virtus perfecta agentis principalis, scilicet in prædicamento qualitatis, sed in prædicamento sui termini: verbi gratia virtus instrumentalis concessa B. Virgini ad miraculose concipiēdum Christum poneretur in prædicamento substantiæ, & virtus concessa multis Sanctis ad transferēdum montes in alia loca, poneretur in prædicamento vbi. *Denique* S. D. in allegata *q. 62. art. 4.* ait virtutem impressam Sacramēto ad causandam gratiam, esse quidem in rebus corporalibus, sed tamen esse spiritualem; sicut in E voce est virtus spiritualis ad mouēdum animam: at sit virtus instrumentalis Sacramentorum esset motus & non qualitas, non esset formaliter spiritualis, sed materialis & corporea: talis est enim motus aquæ ad baptismum, & motus chrysmatis *Solut.* vel olei pro confirmatione, ordinatione, &c. *Resp. ad primum* dictum, virtutem illam impressam in instrumento secundum D. S. non esse omnino realiter à motu distinctam, sed tantum à motu simpliciter considerato, vt supra notauimus cum *Naz. in D. Thom. 3. partem.*

Caietan. Est igitur illa virtus idem realiter, quod motus virtuosus in instrumento receptus; qui vt est à Deo mouente, est actio physica: semen autem virtutem habet in se permanentem; sed quia non multum durat, imperfecta est in ratione potentiæ & qualitatis; & ideo reductiue tātum pertinet ad genus qualitatis. *Ad secundum dico* ex illo sequi, virtutem illam reductiue tantum non autem simpliciter & formaliter ac per se primo esse qualitatem: formaliter autem ac simpliciter & per se primo est actio, quæ est motus virtuosus, prout est à Deo mouente: Et licet motus, vt sic nō habeat speciale prædicamentum, sed reductiue tantum sit in prædicamēto sui termini; motus tamen, vt actio speciale sortitur prædicamentum. *Ad vltimum* dico motum corporis simplicem esse B corporeum, sed motus virtuosus, vt sic, est spiritualis: sic enim est actio sua perfectione transcendens omnem corpoream facultatem. Secundo dico nomine motus D. Thom. significare motionem causæ principalem habentem esse intentionale, quod est esse spirituale transiens in instrumento, non autem motum proprie dictum, qualis est motus sensibilis aquæ in actu baptismi, & chrysmatis in vnctione.

Septimo arguunt. Character Sacerdotalis de se *Obi. 7.* est virtus instrumentalis ad causandam gratiam per absolutionem Sacerdotalem, & ad faciendā miraculosam transubstantiationem panis in corpus Christi; sed character non est motus, & est in specie qualitatis, licet reductiue, vt ait S. D. *infra* C *quæst. 63. art. 2.* ergo virtus instrumentalis non est motus, sed qualitas. *Respond.* Nullam esse conseq. *Solut.* quia character est virtus instrumentalis de genere permanentis, accedens proxime ad virtutem agentis principalis; vnde Sacerdos non est merū instrumentum, sed aliquo modo est agens principale in ordine suo: sed quia virtus omnis instrumentalis, etiam permanens, imperfecta est in specie sua & insufficiens secundum se ad producendum effectum principalem, ideo talis virtus non constituit agens in ratione causæ completæ & per se sufficientis & perfectæ; ac proinde necesse est, vt speciali quodā modo moueatur & coadiuuetur hoc agens instrumentale à causa principali talis virtutis, & illi subordinetur, tanquam specialiter cōseruanti virtutem illi communicatam, quæ D ob dictam suam imperfectionem nō potest operari, nisi quatenus continuatur agenti principali; ita vt tota virtus eius quodam modo transfundatur in eam. Vt enim ait S. D. *in 4. dist. 1. q. 1. artic. 4. quæstiunc. 3.* instrumentum non accipit virtutem, nisi vt continuatur agenti principali; ita vt quodammodo virtus eius transfundatur in instrumētum. Quod exēplo manifestatur in calore ignis, vel animali; qui vim ex se non habet sufficiētem ad generandum ignem aut carnem, nisi cōtinuetur igni aut animali, & ab eo virtutem accipiat generandi; sic itaque necesse est, vt sacerdos cum charactere Sacerdotali Christo quodammodo continuetur in actu sacramentali per suā & Christi principalis agentis intentionem, vt Sacramentalem operetur effectum. Quapropter non incōgrue dici posset, illa etiam instrumēnta, quæ virtutem videntur habere permanentem, & character, & Cœlum ab intelligentia motum, habere illam quadam ratione transeūtem, quatenus scilicet in operando sic ab agente principali dependent, vt ex se virtutem non habeant sufficientem ad agendum, nisi speciali quadam ratione iungātur, & cōtinuentur agenti principali, & ab eo perficiantur, & virtutem ab eo accipiāt suorum effectuum productiuam: In quo differunt à cæteris

agentibus, quæ Deo secundum rationem quandam cõmunem, scilicet vt primæ causæ mouenti subordinantur, non autem vt ab eo sic perficiãtur & illi continuentur, vt instrumenta proprie dicta. Quare secundo responderi posset negando minorem argumenti: quia licet character secundum rationem, seu virtutem suam imperfectam, & insufficientem non sit motus, vis tamen diuina perficiens, & complens eius efficacitatem motio quædam est; quod idem dicendum est de virtute specierum Sacramenti Eucharistiæ, quæ ex corpore Christi sub eis contentæ in eas transfunditur, & in nobis operatur.

Obi. 8. *Octauo.* Luminaribus Cœli in quarta die communicata est virtus instrumentalis ad producenda viuentia, & tunc non est eis datus motus, quem habebant à primo die; ergo virtus illa instrumentalis non est motus, sed qualitas aliqua illis superaddita. *Solut.* *Resp.* Virtutem illam fuisse à Deo quarta die communicatam cœlestibus corporibus, mediante luce actu illuminante: illuminatio autem motio & actio quædam est.

Obi. 9. *Nono arguunt.* Si talis virtus esset motus, non posset esse indiuisibilis & in vltimo instanti verborum consecrationis, sed necessario esset successiua & diuisibilis, sicut ipse motus, & non daretur vltimum instans intrinsecum illius, in quo existẽs produceret suum effectum; sicut non datur vltimum instans intrinsecum motus: At consequens est falsum, vt patet in eisdem verbis consecrationis; quorum tota virtus est indiuisibiliter in vltimo instanti, & tota simul; vt docet Ferrar. *in 4. cont. gent. cap. 56.* & videtur esse doctrina D. Tho. *infra quæst. 75. art. 7. ad 1. & q. 78. art. 4. ad 3.* vbi ait verba cõsecrationis in vltimo instanti suæ prolationis consequi suam virtutem in ordine ad præcedentia. *Solut.* *Resp. primo.* Caiet. huic argumento plene satisfeciſſe *in dicto art. 4.* quem lege, si placet. Secundo dico, virtutem illam non semper esse motum proprie dictum, sed esse quandoque motionem & actionem instantaneam: adaptatur enim hęc virtus naturis instrumentorum, quibus communicatur à Deo.

ARTICVLVS III.

Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprij corporis.

AD tertium sic proceditur. *Videtur, quod anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprij corporis.* *Cap. 20. & 23.* *Dicit enim Damasc. in 3. lib. quod omnia naturalia fuerunt Christo voluntaria: volens enim esuriuit, volens sitiuit, volens timuit, volens mortuus est, &c. Sed ex hoc Deus dicitur omnipotens, quia omnia quæcunque voluit fecit. Ergo videtur, quod anima Christi habuerit omnipotentiam respectu naturalium operationum proprij corporis.*

Præterea: In Christo fuit perfectius humana natura, quam in Adam, in quo secundum originalem iustitiam, quam habuit in innocentiæ statu, corpus habebat omnino subiectum animæ, vt nihil in corpore posse accidere contra animæ voluntatem. Ergo multo magis anima Christi habuit omnipotentiam respectu sui corporis.

Præterea: Ad imaginationem animæ, naturaliter corpus immutatur, & tanto magis, quanto magis anima fuerit fortis imaginatione, vt in Prima parte habitum est. Sed anima Christi habuit virtutem perfectißimam, & quantum ad imaginationem, & quantum ad alias vires. Ergo anima Christi fuit omnipotens in respectu ad corpus proprium.

Sed contra est quod dicitur Hebr. 2. quod debuit per omnia fratribus assimilari, & præcipue in his, quæ pertinent ad conditionem naturæ humanæ. Sed ad conditionem humanæ naturæ pertinet, quod valetudo corporis, & eius nutritio, & augmentum, imperio rationis seu voluntatis non subdantur: quia naturalia soli Deo, qui est actor naturæ, subduntur. Ergo nec in Christo subdebantur. Non igitur anima Christi fuit omnipotens respectu proprij corporis.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, anima Christi potest dupliciter considerari. Vno modo secundum propriam naturam, & virtutem. Et hoc modo, sicut non poterat immutare exteriora corpora à cursu, & ordine naturæ, ita etiam non poterat immutare proprium corpus à naturali dispositione: quia anima secundum propriam naturam, habet determinatam proportionem ad suum corpus. Alio modo potest considerari anima Christi, secundum quod est instrumentum vnitum Verbo Dei in persona. Et sic subdebatur eius potestati totaliter omnis dispositio proprij corporis. Quia tamen virtus actionis, non proprie attribuitur instrumento, sed principali agenti, talis omnipotentia magis attribuitur ipsi Verbo Dei quam animæ Christi. *Art. præc.*

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Damasc. est intelligendum quantum ad voluntatem Christi diuinam: quia sicut ipse in præcedenti cap. dicit, beneplacito diuinæ voluntatis permittebatur carnipati, & operari, quæ propria. *Cap. 15 & 14.*

Ad secundum dicendum, quod non pertinebat hoc ad originalem iustitiam, quã Adam habuit in statu innocentiæ, quod anima hominis haberet virtutem transmutandi proprium corpus in quamcunque formam: sed quod posset ipsum conseruare absque omni nocumento. Et hanc etiam virtutem Christus assumere potuisset, si voluisset. Sed cum sint tres status hominum, scilicet innocentiæ, culpæ & gloriæ, sicut de statu gloriæ assumpsit comprehensionem, & de statu innocentiæ immunitatem à peccato, ita & de statu culpæ assumpsit necessitatem subiacendi pœnalitatibus huius vitæ: vt infra dicetur.

Ad tertium dicendum quod imaginationi, si fuerit fortis, naturaliter obedit corpus quantum ad aliqua: puta quantum ad casum de trabe in alto posita: quia imaginatio nata est esse principium motus localis: vt dicitur 3 de Anima. Similiter etiam quantum ad alterationem, quæ est secundum calorem, & frigus, & alia consequentia: eo quod ex imaginatione consequenter natæ sunt consequi animæ passiones, secundum quas mouetur cor, & sic per commotionem spirituum, totum corpus alteratur. Aliæ vero dispositiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur, ab imaginatione, quantumcunque sit fortis: puta figura manus, vel pedis, vel aliquid simile. *q. 14. art. 2. Tex. 48. & sequentib.*

Sensus Quæsiti.

DE IMPOTENTIA sermo est respectu naturalium & miraculosarum transmutationum, non autem respectu annihilationis aut conseruationis ex nihilo, vt hic aduertit Caietanus *circa secundam conclusionẽ.* Rationem huius quæsiti reddit Vasquez.

Forma Textus.

PRÆMISSA vna distinctione bimembri, respõdet quæsito tribus cõclusionibus.

Distinctio est: Anima Christi potest dupliciter considerari: Vno modo, secundum propriam naturam & virtutem: alio modo secundum quod est instrumentum vnitum Verbo Dei in persona.

PRIMA CONCL. *est: Anima Christi secundum propriam naturam, & virtutem non poterat immutare proprium corpus à naturali dispositione.* Probatur dupliciter: Primo à simili: quia nõ poterat immutare exteriora corpora. Secundo: quia anima secundum propriam naturam habet determinatam proportionem ad suum corpus.

SECVN-

SECVNDA CONCLVS. *Potestati animæ Christi, secundum quod est instrumentum vnitum Verbo Dei in persona, subdebatur totaliter omnis dispositio proprij corporis.* Huius probatio supponitur ex dictis in articulo præcedenti.

TERTIA CONCL. *Hæc omnipotentia magis attribuitur ipsi Verbo Dei, quam animæ Christi.* Probatur: quia virtus actionis non proprie attribuitur instrumento, sed principali agenti.

Expositio Textus.

CIRCA *primam concluſ.* videnda ſunt, quæ diximus de vi imaginationis, & de magia Cabala *in controu. de magia, 1.p.q. 114. art. 4.* poſt Ioan. Medinam *lib. 2. de recta in Deum fide cap. 7.* Vide etiam dubitationem hic propoſitam & ſolutam à Med. circa veritatem ciuſdem concluſionis.

Scito præterea Chriſti humanitatem, & eius potentias naturalis perfectionis omnem habuiſſe plenitudinem; ac propterea quidquid perfectionis quod ad corporis temperamentum, aut animæ vires tam ſuperiores quam inferiores fuit alicui hominum à Deo conceſſum, totum excellentius humanitati Chriſti, & eius potentiis fuiſſe collatum. Ex quo deducunt aliqui recentiores, quod ſicut legitur aliquos propter optimum ſui corporis temperamentum nullam ab igne læſionem accepiſſe, & aliorum dolores ſuo tactu mitigaſſe, hæc eadem eſſe Chriſti corporis temperamento tribuenda, ſi hæc ad naturalem attinent perfectionem humanitatis: quod etiam aſſerunt de perfectione oculorum, quam refert Suetonius de Tiberio Cæſare, dicens ex eius oculis nocturno tempore tantum ſplendoris emicuiſſe, vt nullo alio adhibito luminari videret omnia; ſicut etiam de Cæſare Auguſto narrat, oculos ſi lius in alterius oculos defixos eorum aciem, inſtar lucis Solaris hebetaſſe. Sed hæc præter quam quod derogare videntur ex parte operibus Chriſti mirabilibus, quæ frequenter edidit in teſtimonium ſuæ diuinitatis & doctrinæ; hæc duo poſteriora, quæ de vtroque Cæſare referuntur, magis ad inæqualitatem temperamenti prædominiũ igneæ virtutis habenti videntur eſſe reducenda, quam ad corporeæ naturæ perfectionem: quemadmodum etiam ex defectu virtutis motiuæ à rectitudine regulę naturalis exorbitantis videtur accidiſſe quibuſdam ab Auguſtino relatis, vt pro libito mouere poſſent capillos & aures, eos erigendo vel deprimendo; atque ideo non ſunt hæc facile humanitati Chriſti tribuenda.

SECVNDAM *concluſ.* illuſtrant tria Chriſti facta, additis Sanctorum patrum expoſitionibus. Primum eſt *apud Lucam 4. cap.* vbi dicitur: *Ieſus autem tranſiens per medium illorum ibat.* Quæ verba exponentes Cyrill. *lib. 12. in Ioan. cap. 22.* & Origenes *Homelia 35. in Matth.* affirmant Chriſtum, tunc factũ fuiſſe inuiſibilem. *Secundum eſt apud Ioan. 18.* vbi militibus Chriſtum in horto comprehendere volentibus, poſt ſingulas ſuas interrogationes & eorum reſpõſiones ſubiunxit: *Ego ſum*: quod ideo dictum fuiſſe patres affirmant: quia Chriſtus diuina virtute faciem mutauerat, vt non cognoſceretur ab illis, aut quia percuſſit eos cæcitate, vel eorum oculos impediuit, ita Cyril. *lib. 11. in Ioan. cap. 33.* Chryſ. *Hom. 82. in Ioan.* & Theoph. *Ioan. 18.* Ad eandem etiam Chriſti virtutem pertinet, quod, reſpondente Domino *Ego ſum*, milites in terram ceciderint. *Tertium* eſt ieiunium quadraginta dierũ: in cuius tantum termino eſuriem ſenſit: quo facto indicari potentiam animæ inſtrumentalem in ordine ad proprium corpus docent Cyrillus *in 2. de fide ad Reginas*, & Chryſoſt. *ſermon. 11.* & alij *Naz. in D. Thom. 3. parte.* plures. Quædam alia inſignia Chriſti facta miraculoſa circa proprium corpus expendit Medina *ſuper hoc articulo.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum anima Chriſti habuerit omnipotentiam reſpectu exequutionis ſuæ voluntatis.

AD *quartum ſic proceditur. Videtur, quod anima Chriſti non habuerit omnipotentiam reſpectu exequutionis propriæ voluntatis. Dicitur enim Marci 7. quod ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere. Non ergo potuit in omnibus exequi propoſitum ſuæ voluntatis.* q. 19. a. 12.

Præterea: Præceptum eſt ſignum voluntatis: vt in prima parte dictum eſt. Sed Dominus quædam facienda præcepit, quorum contraria acciderunt: dicitur enim Matth. 9. quod cæcu illuminatu, comminatus eſt Ieſus dicens: Videte ne quis ſciat: illi autem exeuntes diffamauerunt illum per totam terram illam. Non ergo in omnibus potuit exequi propoſitum ſuæ voluntatis.

Præterea: Id, quod poteſt aliquis facere, nõ petit ab alio. Sed Domin⁹ petiuit à Patre, orãdo illud, quod fieri volebat: dicitur enim Luc. 6. quod exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Ergo non potuit exequi in omnibus propoſitum ſuæ voluntatis.

Sed contra eſt, quod dicit Auguſtin in libro de Quæſtionibus veteris, & noui Teſtamenti: Impoßibile eſt, vt Saluatoris voluntas non impleatur: nec poteſt velle, quod ſcit fieri non debere. q. 87. to. 4.

Reſpondeo dicendum, quod anima Chriſti dupliciter aliquid voluit. Vno modo quaſi per ſe implendum. Et ſic dicendum eſt, quod quidquid voluit, potuit: non enim conueniret ſapientiæ eius, vt aliquid vellet per ſe facere, quod ſuæ virtuti non ſubiaceret. Alio modo voluit aliquid, vt implendum virtute diuina: ſicut reſuſcitationem proprij corporis, & alia huiuſmodi miraculoſa opera. Quæ quidem non poterat propria virtute, ſed ſecundum quod erat inſtrumentum diuinitatis: vt dictum eſt.

Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Auguſtin. dicit in lib. de Quæſtionibus veteris, & noui Teſtamenti. Quod factum eſt, hoc voluiſſe dicendus eſt Chriſtus. Aduertendũ eſt enim quod illud in finibus geſtum eſt Gentilium, quibus adhuc tempus prædicandi non erat: vltro tamen venientes ad fidem, non ſuſcipere inuidia erat. A ſuis ergo noluit prædicari, requiri autem ſe voluit: Et ita factum eſt. Vel poteſt dici, quod hæc voluntas Chriſti non fuit de eo, quod per ipſum fiendum erat, ſed de eo, quod erat fiendum per alios: quod non ſubiacebat humanæ voluntati ipſius. Vnde in Epiſtola Agathonis Papæ, quæ eſt recepta in ſexta Synodo, legitur, Ergone ille omnium Conditor ac Redemptor, in terris latere volens, non potuit, niſi hoc ad humanam eius voluntatem, quam temporaliter eſt dignatus aſſumere, redigatur?

Ad ſecundum dicendum, quod ſicut Gregor. dicit in 1. Mor. per hoc, quod Dominus præcepit tacere virtutes ſuas, ſeruis ſuis ſe ſequentibus exemplum dedit, vt ipſi quidem virtutes ſuas occultari deſiderent: & tamen, vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti. Sic ergo præceptum illud deſignabat voluntatem ipſius, quæ humanam gloriã refugiebat: ſecundum illud Ioan. 8. Ego gloriam meam non quæro. Volebat tamen abſolute, præſertim ſecundum diutnam volũtatem, vt publicaretur miraculum factum, propter aliorum vtilitatem.

Ad tertium dicendum, quod Chriſtus orabat, & pro his, quæ virtute diuina fienda erant, & pro his etiam, quæ humana voluntate erat facturus, quia virtus, & operatio animæ Chriſti dependebant à Deo: qui operatur in nobis velle, & perficere: vt dicitur Philip. 2.

Sensus Quæsiti.

QVÆSTIO est de efficacia voluntatis, quatenus est executiua eius quod vult: vt enim hic obseruat Caiet. Ille dicitur omnipotens respectu executionis propriæ voluntatis, qui facultatem habet exequendi quidquid vult exequi, ita vt eius executiua potentia voluntatem executionis adæquet.

Forma Textus.

PROPOSITA vna distinctione bimembri, respondetur quæsito duabus conclusionibus.

Distinctio est. Anima Christi dupliciter aliquid voluit: vno modo, quasi per se implendum: Alio modo, vt implendum virtute diuina.

PRIMA CONCL. *est: Anima Christi, quidquid voluit, quasi per se implendum, potuit.* Probatur: quia nō conueniret sapientiæ eius, vt aliquid vellet per se facere, quod suæ virtuti non subiaceret.

SECVNDA CONCLVS. *Anima Christi, quidquid voluit, vt implendum virtute diuina, potuit; non quidem propria virtute, sed secundum quod erat instrumentum diuinitatis.* Manifestatur ex effectu resuscitationis proprij corporis, & alijs similibus operibus miraculosis.

Expositio Textus.

PRO LITTERÆ huius intelligentia duo hic sunt breuiter explicanda. *Primum* est sensus distinctionis. Nam Caiet & post eum Vasq. ait particulam illam *per se ipsum* idem significare, quod per propriam virtutem naturalem, vel gratuitam à Deo infusam, & humanitati Christi inhærentem, & ita effectui accommodatam, vt esset eius ratio & principium formale seu effectiuum quo & veluti propria causa. Cuius rationem affert Caieta. quia S. D. distinguit hoc membrum contra ea, quæ poterat Christus vt instrumentum diuinæ virtutis. Addit autem Vasquez, sub dicta particula comprehendi etiam illud omne, quod non est pendens ex aliorum voluntate, nec per alios faciendum: sed Cai. *circa respons. ad* 1. ait, sub neutro distinctionis membro comprehendi, quæ Christus voluit per alios homines fieri. Melius tamen dici posset, sub primo membro comprehendi omnia prædicta negatiue, vt ait Vasquez, sub secū do vero eadem comprehendi affirmatiue sumpta: quoniam anima Christi, vt instrumentum diuinitatis, potuit exequi voluntatem suam, etiam quo ad ea, quæ libere per alios erant fienda: potest enim Deus vti instrumento creato, præsertim spirituali, ad quemcunque effectum corporeum aut spiritualem; atque ita potuit vti actu voluntatis, aut imperij animæ Christi ad causandam efficaciter physice conuersionem peccatoris, ambulationem, scriptionem aut locutionem, &c. cum eorum causæ entia quædam sint, ad quæ per actus animæ Christi deferri potest diuinum imperium. Et hac expositione saluatur sufficientia distinctionis in textu præsenti.

Obiectio. *Secundum est* sensus primæ conclusionis: cui *obijci posset*, Christi potentiam executiuam impediri potuisse, ne volita exequeretur. Cōsiderata namque virtute solius humanitatis, potuisset Christus in carcere detineri, aut manus & pedes ligari; atque ita impediri, ne quod vellet, exequeretur: Nec sola propria sua virtute potuisset humanitas, siue Christus vt homo, hæc impedimenta remouere; quamuis hæc posset, vt instrumentum diuinitatis: igitur videtur esse falsa conclusio dicens animam Christi potentiam habuisse quo ad ea omnia, quæ voluit quasi per se ipsam implenda. *Sed*

Solut. A *facile soluitur* negando consequentiam: vt enim hæc potentia sit in anima Christi, non est necesse vt propria virtute auferre potuerit impedimenta, sed satis est animam Christi, nihil vt per ipsam implendam voluisse, quādo esset impedita eius potentia executiua, nisi prius à Deo, vel etiam ab ipsa anima, vt instrumento Dei fuissent ablata impedimenta. Vnde quando fuit comprehensus & ligatus & crucifixus à militibus; non habuit voluntatem ea per seipsum faciendi, quæ durantibus illis impedimentis facere minime potuisset: noluit enim fugere, aut de cruce descendere, & seipsum è manibus persequentium eripere. Potentiam itaque tunc etiam habuit ambulandi, descendendi, &c. & hæc omnia propria virtute exequendi, sublatis tamen prius diuina virtute impedimentis.

B

Controuersia Vnica.

An anima Christi habuerit omnipotentiam respectu eorum, quæ voluit vt adimplenda per alios?

Sententia Doctorum. PRIMA *sententia* est Suar. qui *disp.* 38. *sect.* 5. tria dicit. *Primum* est: quæcunque Christus Dominus sua humana voluntate absolute & efficaciter voluit, siue ea vellet vt implenda per se ipsum, siue vt fienda per alios, semper fuerunt impleta. *Secundum* est: Voluntas seu desideriū inefficax Christi non semper impletum fuit. *Tertium* est: dictum illud *Marci* 7. *Ingressus domum neminem voluit scire, &* C *non potuit latere*, intelligendum esse de voluntate aliquo modo efficaci, scilicet quātum erat ex potestate & viribus naturalibus humanitatis: quia potuit Christus per voluntatem humanam, quātum in se erat, desiderare, vt aliquid fieret, & omnia media in sua potestate naturali adhibere, vt id consequeretur, & nihilominus id non fieri: quia vires huius voluntatis ad id non sufficiebāt.

Secunda sententia est Caietani dicentis nullum esse inconueniens, Christum humana voluntate vere voluisse aliquid per alios operandum, vel nō operandum, cuius oppositum factum est. Quam sententiam tuetur Vasquez *disp.* 58. & alij quidam recentiores.

Tertia sententia est Medinæ dicentis secundam sentētiam esse probabilem, sed primam esse probabiliorem. D

Resolutio. Quæ propria sit voluntas impotens, quot modis dicatur voluntas efficax, & quæ possint efficaci voluntate prudēter appeti. SVPPONENDA *sunt hic ea*, quæ late diximus 1. *p. q.* 19. de voluntate antecedente, & consequente, & de voluntate absoluta & conditionata, & de voluntate efficaci & inefficaci. Quibus suppositis

Sciendum est primo differentiam esse inter Dei voluntatem & humanam omnem voluntatem, comprehendendo etiam voluntatem assumptæ à Christo naturæ, quod diuina volūtas illud omne quod vult etiam antecedenter potest efficere sua infinita virtute, sed humana voluntas etiam Christi, per executiuam suam potentiam non potest illud omne perficere vel assequi, quod vult antecedenti volitione. Conueniunt tamen in hoc, E quod, sicut diuina voluntas non dicitur impotēs, quia non producat per actum voluntatis antecedentis vt sic, id quod sicut diuina vult tali volitione, eo quod possit illud producere per actum voluntatis consequentis, qui est volitio efficax, quā potest Deus habere; ita voluntas humana, & præsertim Christi volens aliquid antecedenter, non hac præcisa ratione dicitur impotens, quia non possit illud per talem volitionem producere, si per alium actum, qui sit absolutus & efficax possit illud producere.

Secun-

Secundo notandum est voluntatem dici posse dupliciter efficacem: Vno modo, quia simpliciter, & absolute potest aliquid efficere: & hoc pacto voluntas dicitur efficax respectu eorum, quæ simpliciter vult; & hæc sic volita potest efficere per eundem actum, aut per actum executiuæ potentiæ, vel absolute vt diuina voluntas, vel ablatis impedimentis, vt humana voluntas. Alio modo dicitur voluntas efficax, non quia absolute efficere possit id, quod simpliciter vult, sed cum limitatione, videlicet, quantum sit ex facultate & viribus propriis: quia nimirum potest quantum in se est, desiderare vt aliquid fiat & applicare omnia media, quæ sunt in eius propria potestate, vt illud fiat: sic enim dicitur quodammodo efficaciter velle, quatenus actu intentionis sic fertur in illud, B vt ex eius affectu moueatur ad eligenda & adhibenda media omnia suæ virtuti possibilia, & intentio fini consequendo proportionata: per hoc enim satis distinguitur ab inefficaci volũtate, quę non mouet ad electionem & applicationem mediorum possibilium. Ex quo sequitur, tam Deum quam hominem posse velle efficaciter actum & effectum liberæ voluntatis alterius hominis; sed differenter. Nam, quia Deus potest influxu physico potenter, & infallibiliter (suauiter tamen) mouere creatam omnem volũtatem ad quoduis bonum appetendum & agendum, ideo per actum suæ voluntatis prædeterminantis aliquid futurũ ex libera voluntate creata dicitur efficaciter illud velle, non quodammodo, sed simpliciter & absolute: cuius oppositum docet Vasq. *in allegata disp.* C 58. *ca.* 2. sed eius fundamentum esse falsum ostendimus 1. *p. q.* 22. *art.* 4 *contr.* 1. & 2. Homo autem nõ potest simpliciter dici velle efficaciter aliquid, quod ex alterius pendeat voluntate: quia mouere non potest infallibiliter & potenter alterius voluntatem ad aliquid volendum aut agendum, sed dicitur quodammodo, s. quantum sit ex se, efficaciter tale aliquid velle; quoniam ad inclinandam alterius voluntatem, vt illud velit, operatur, eligit & adhibet omnia media suæ virtuti possibilia, licet ea singula aut omnia simul sumpta nõ sufficiant ad voluntatem cuiusuis hominis efficaciter inclinandam.

Tertio obseruandum est efficaci voluntate prudẽter appeti posse, non solum ea, quæ certo scimus D aut probabiliter opinamur esse futura; sed etiam ea, quæ certo scimus non posse esse futura. Ad cuius euidentiam recolendum est id, quod probauimus *in* 1. *p. q.* 14. *art.* 13. *Contr.* 6. videlicet necessitatem suppositionis, præscientiæ Dei non tollere libertatem aut contingentiam actus vel effectus futuri; igitur eadem, immo potiori ratione, non poterunt hæc tolli ex suppositione præscientiæ, quæ sit à Deo creaturæ communicata; ac proinde effectus liberæ voluntatis, qui præuidetur non esse futurus, erit simpliciter & absolute possibilis; cum in ordine ad propriam causam, quæ est creata & diuina voluntas, esse possit, & consequenter velle efficaciter tale possibile futurum, & ad illud vt fiat siue eueniat, totis viribus eniti & media ad illud assequendum opportuna pro E posse dirigere prudentia est, non autem stultitia, vt asserunt oppositæ sententiæ defensores. Petro namque reuelauit Christus futurum negationis peccatum; qui tamen ex fidei firmitate statim voluntatis actum efficacem summis laudibus efferendum ostendens ait: *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Differunt namque impossibile ex suppositione præteriti, & impossibile ex suppositione futuri, quod illud non subest amplius humanæ libertati; hoc autem manet adhuc sub po-

Naz. in D. Thom. 3. partem.

A testate nostræ voluntatis; alioquin nulla prorsus esset creatæ libertas volũtatis: quia omnes, & singuli eius actus, & effectus sunt à Deo præuisi: consequens autem est hæresis manifesta: ergo antecedens, ex quo sequitur, non est asserendum.

Quarto notandum est ex D. Thom. 1. 2. *q.* 19. *artic. vlt.* Voluntatem omnem creatam, vt bona sit, debere confirmari diuinæ in volito formaliter, non tamen oportere voluntatem viatoris conformari diuinæ in volito materialiter, vt ibi declarat S. Thom. Sed voluntatem comprehensoris, siue beati necesse est, vt sit diuinæ voluntati conformis in volito, tam materialiter quam formaliter: & quia Christus erat simul viator & comprehensor, & per scientiam etiam inditam cognoscebat vniuersa futura, non solum singularia substantiæ, sed etiam cogitanda, dicenda & fienda per liberas hominum voluntates, ideo voluntas eius humana conformis erat diuinæ, non solum quo ad volita formaliter, sed etiam quo ad volita materialiter: cuius oppositum hic absq; legitimo fundamento docet Vasquez. Specialiter autem quo ad ea, quæ futura non erant, conformabatur voluntas humana Christi cum diuina; Quoniam huius & illius voluntatis actus, non sub oppositis sed magis sub eisdem rationibus in obiecta ferebantur. Nam exempli gratia, volebat Deus vt Christus quantum in se erat sui occultationem in ciuitate Sydoniorum intenderet efficaciter, & ad eam assequendam media dirigeret pro posse sufficientia, vt nobis fugiendæ ostẽtationis præberet exemplum; sed præterea voluit Christum propter salutem nonnullorũ ex illo populo manifestari: Vtrumque etiam humana sua voluntate Christus appetiit: Nam per actum intentionis occultationem appetens, omnia ad eam assequẽdam media destinauit, quæ secundum humanam prudentiam poterant adhiberi; Per actum vero complacentiæ voluit sui manifestationem propter aliorum salutem. Neque tamen ex hac voluntatis humanæ Christi conformitate cum diuina potest inferri, illã esse omnipotentem ad exequendum omnia, quæ vult per alios impleri: Nã beatorum voluntates eandem habent cum diuina voluntate conformitatem; nec tamen ideo sunt omnipotentes ad ea, quæ volunt, exequenda. Videndus est Ansel. *in lib. de similitudinib. cap.* 52.

Humanam Christi voluntatem fuisse diuinæ conformem in volito formaliter, & materialiter, & voluntatem, quæ latere voluit, fuisse voluntatẽ efficacem.

Vasquezij dictum reijcitur.

Ex his patet primo: Christi voluntatem humanã, qua latere voluit, non fuisse voluntatem inefficacẽ, vt asserit Medina: dicit enim diuina scriptura, *quod Christus ingressus domum neminem voluit scire, & non potuit latere.* Si autem voluntas illa fuisset inefficax, inepte diceretur eum non potuisse latere: cum enim voluntas inefficax non applicet omnia media ad id, quod appetit assequendum, haud congrue dicitur id efficere, vel assequi non posse, quod intendit; id enim solum vere ac proprie dicimur efficere, vel assequi non posse, quod adhibito conatu ex mediis omnibus secundum vires & prudentiam oportunis, efficere aut assequi non valemus: hoc autem illud solũ est, quod efficaciter aliquo modo volumus. Cum ergo dicit Euangelium *Neminem voluit scire, & non potuit latere*, de voluntate efficaci intelligendũ est: quæ adhibitis mediis secundum rectam rationem opportunis ad sui occultationem, quæ nobis intelligenda relinquunt Euangelistæ, eam obtinere nõ potuit.

Medinæ dictum reijcitur.

Secundo patet summum Pontificem Agatonem ex dicto loco recte probasse humanã inesse Christo voluntatem. Id enim probat ex eo, quod intentum effectum assequi non potuerit: in hoc enim manifeste differt humana voluntas à diuina,

quod humana voluntas efficax sæpe caret effectu A per eam intento; quod de diuina, quę simpliciter omnipotens est, dici nequaquam potest; cum tamen ambæ conueniant, vt neutra, si sit inefficax, congrue dici valeat non posse, quod voluit, vt ante diximus.

Tertio patet rationem à S. D. assignatam, quare Christus cum voluerit, latere non potuerit, optimam esse: ait enim ideo Christum latere non potuisse, quia voluntas hęc non fuit de eo, quod per eum fiendum erat, sed de eo, quod erat fiendum per alios, quod non subiacebat humanæ voluntati ipsius: quæ vltima verba, vt congrua sint, necessario de voluntate efficaci sunt intelligenda. Nam ea solum ratione dicimur id posse, quod nostræ subiacet voluntati; quia cum efficaciter B volumus, id possumus efficere vel assequi: dicuntur enim aliqua subiacere nostræ voluntati quatenus voluntas, adhibitis mediis sufficientibus, potest illud agere vel assequi; constat autem talia media per solam voluntatem efficacem adhiberi; voluntas autem inefficax, vt sic, nec adhibet nec adhibere potest media sufficientia ad finem assequendum.

Conclusio. POSTREMO *sequitur concluſ.* negatiua directe respondens quæsito, videlicet: *Anima Christi non habuit omnipotentiam, quo ad ea, quæ voluit absoluta & efficaci voluntate, vt adimplenda per alios.*

Argumenta, & solutiones. CONTRA *concluſ.* argumentatur Medina: *Primo*: Voluntas animæ Christi est voluntas Dei: nã actiones sunt suppositorum; Ergo semper impletur, si est efficax & absoluta. *Obi. 1.* *Resp.* Nullam esse C *Solut.* conseq. quoniam ex supposito non deriuatur infinita perfectio aut virtus infinita simpliciter ad humanitatem, & eius potentias; alioquin vnio facta fuisset, non in persona tantum, sed etiam in natura: sed ex illo antecedente sequitur: Primo, humanam voluntatem non fuisse diuinę contrariam, sed illud tantum voluisse, quod Deo placuit ipsam velle. Secundo sequitur, voluntatem humanam vt instrumentum Dei, potuisse semper impleri.

Obi. 2. *Secundo*: Christus Dominus euidenter videbat voluntatem diuinam esse determinatam ad hoc vel ad illud; ergo non poterat velle, nisi quod nouerat Deum velle: Probatur consequentia: Nam hoc habent vniuersi beati. *Resp.* Iam ostensum es- D se *in 3. notabili*, quomodo humana Christi voluntas fuerit eius diuinæ voluntati conformis; & ideo admisso toto argumento, nihil sequitur contra nostram conclusionem.

Obi. 3. *Tertio*: Voluntas efficax & absoluta semper impletur in omnibus beatis; ergo & in Christo. *Solut.* *Resp.* falsum esse antec. quoad eam voluntatem, quæ dicitur efficax secundo modo, alioquin nullus hominum damnaretur; certum est enim Angelum omnem custodem voluntate efficaci secundo modo velle salutem hominis custodiri, cũ adhibeat omnia media secundum prudentiam opportuna ad eius salutem, & tamen cõstat multos ex hominibus non saluari; & sancti continue orant pro nobis, vt salutem à Deo consequamur E per eius gratiam & auxilia, quam ex nobis multi sua culpa non obtinent: vnde S. D. *in 2. 2. q. 83. art. 11. ad 2.* ait: *Sancti impetrant illud, quod Deus vult fieri per orationes eorum: & hoc petunt, quod æstimant eorum orationibus implendum secundum Dei voluntatem.* Vbi Caietanus ait Sanctos orantes nescire, an impetrabunt, sed petere æstimantes hoc esse Deo placiturum, & de hoc orando consulere diuinã maiestatem: Atque ideo diuersos Sanctos absque contrarietate voluntatum diuersa petere, quasi contraria proponentes adunati ad Dei beneplacitum; vt patet de duobus Angelis *Dan. 10.* quæ non possunt intelligi, nisi de voluntate & petitione Sanctorum absoluta; alioquin incongrue diceret S. D. Sanctos illud petere, quod æstimant eorum orationibus implendum; petitio namque conditionata talem æstimationem non requirit; vt patet de petitione Christi Domini dicentis, *Pater si possibile est, &c.* non enim æstimabat id media hac oratione implendum à Deo fuisse, cũ oppositum à Deo fuisse prædefinitum certo sciret. Quadam tamen ratione dici posset, quod Sanctorum orationes semper exaudiuntur à Deo; cuius explicatio ad rem præsentẽ minime pertinet.

CONTRA *eandem concl.* est auctoritas August. *in lib. de quæst. noui Testamenti, q. 77.* & Greg. *19. moral. cap. 14.* dicentium Christum habuisse omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis. *Respond.* Hos patres loqui de Christo quo ad eius diuinã voluntatem, vel etiam quoad humanam, quatenus erat instrumentum diuinitatis. *Obi. 4.* *Solut.*

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

De defectibus corporis assumptis à filio Dei, in quatuor articulos diuisa.

DEinde considerandum est de defectibus, quos Christus in humana natura assumpsit.

Et primo de defectibus corporis, secundo de defectibus animæ.

Circa primum quæruntur quatuor.

Primo vtrum filius Dei assumere debuerit in humana natura corporis defectus.

Secundo, vtrum assumpserit necessitatem his defectibus subiacendi.

Tertio, vtrum hos defectus contraxerit.

Quarto, vtrum omnes huiusmodi defectus assumpserit.

Ratio ordinis.

HACTENVS egit S. D. de perfectionibus assumptæ humanitatis; nunc de defectibus eiusdem naturæ disputat: & primo quidem de iis quę ad corpus attinẽt, prout ab anima saltem sensitiua distinguuntur, & ex corpore sic accepto, veluti ex propria causa deriuantur; vt patet ex hac tota quæstione. Deinde quæstione proxime sequenti de iis defectibus agit, qui ad animam pertinent eiusdem assumptæ humanitatis. De defectibus autem corporis primo tractat indefinite seu indistincte prioribus tribus articulis; deinde distincte de eisdem agit in vltimo artic. De illis indistincte sumptis agit, primo considerando eos absolute, siue secundum se in primo artic. Deinde quo ad eorum causam, vel causas physicas in secundo artic. Demum quo ad causam moralem *in 3. artic.*

ARTICVLVS I.

Vtrum filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus.

AD primum sic proceditur. *Videtur, quod filius Dei nõ debuerit assumere humanam naturam cum corporis defectibus.* Sicut enim anima vnita est personaliter *Verbo Dei, ita & corpus.* Sed anima Christi habuit omnimodam perfectionem, & quantum ad gratiam, & quantum ad scientiam: vt supra dictum est. Ergo etiam corpus eius debuit esse omnibus modis perfectum, nullum in se habens defectum. *3. d 15. q. 1. a. 1. & dist. 22. q. 2 art. 1 q. c. & 4. cont. c. 55 11. & opus. 3. c. 42. & 47. q. 7. a. 9. & q. 9. art. 1.*

Præterea: Anima Christi videbat Verbum Dei ea vi- *q. 9. art. 2.* sione, qua Beati vident (vt supra dictum est) & sic anima *Epist. 56.* Christi erat beata. Sed ex beatitudine animæ glorificatur *to. 2.* corpus: dicit enim Augustinus in Epist. ad Dioscorum. Tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius plenissima beatitudine, redundet etiam in inferiorem naturam, quod

quod est corpus, non beatitudo, quæfruentis, & intelligẽtis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor. Corpus igitur Christi fuit incorruptibile, & absque omni defectu. A

Præterea: Pœna consequitur culpam, sed in Christo non fuit aliqua culpa: secundum illud primæ Pet. 2. *Qui peccatum non fecit*: Ergo nec defectus corporales, qui sunt pœnales, in eo esse debuerunt.

Præterea: Nullus sapiens assumit id, quod impedit ipsum à proprio fine. Sed per huiusmodi defectus corporales, multipliciter videtur impediri finis Incarnationis. Primo quidem, quia propter huiusmodi infirmitates, homines ab eius cognitione impediebantur: secundum illud Isaiæ 53. *Consideravimus eum despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, & despectus*: unde nec reputavimus B eum. Secundo, quia sanctorum Patrum desiderium non videtur impleri: ex quorum persona dicitur Isa. 51. *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini*. Tertio, quia congruentius per fortitudinem, quam per infirmitatem videbatur & potestas diaboli posse superari, & humana infirmitas posse sanari. Non ergo videtur conveniens fuisse, quod filius Dei humanam naturam assumpserit, cum corporalibus infirmitatibus, siue defectibus.

Sed contra est, quod dicitur Hebr. 2. In eo, in quo passus est, & tentatus, potens est, & eis, qui tentantur auxiliari. Sed ad hoc venit, vt nos adiuuaret: vnde, & Dauid dicebat. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Ergo conueniens fuit, vt filius Dei carnem assumpserit, infirmitatibus humanis subiacentem, vt in ea C *posset pati, & tentari: & sic auxilium nobis ferre.*

Respondeo dicendum, conueniens fuisse, corpus assumptum à filio Dei humanis infirmitatibus, & defectibus subiacere, & præcipue, propter tria. Primo quidem, quia ad hoc filius Dei, carne assumpta, venit in mundum, vt pro peccato humani generis satisfaceret. Vnus autem pro peccato alterius satisfacit, dum pœnam pro peccato alterius debitam, in se suscipit. Huiusmodi autem defectus corporales, scilicet mors, fames, sitis, & huiusmodi sunt pœna peccati, quod est in mundum per Adam introductum: secundum illud Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum & per peccatum mors. Vnde conueniens fuit quantum ad finem Incarnationis, quod huiusmodi pœnalitates in nostra natura susciperet vice nostra*, secundum illud Isa. 53. *Vere languores nostros ipse tulit. Secundo, propter fidem Incarnationis astruendam. Cum e-* D *nim natura humana non aliter esset nota hominibus, nisi prout huiusmodi corporalibus defectibus subiacet, si sine his defectibus filius Dei humanam naturam assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem habuisse, sed phantasticam, vt Manichæi posuerunt. Et ideo, vt dicitur Philip. 2. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo. Vnde, & beatus Thomas per aspectum vulnerum est ad fidem reuocatus, vt dicitur Ioan. 20. Tertio, propter exemplum patientiæ, quod nobis exhibet, passiones, & defectus humanos fortiter tolerando. Vnde dicitur Hebr. 12. Sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini, animis vestris deficientes.*

Ad primum ergo dicendum, quod satisfactio pro pecca- E *tis alterius, habet quidem quasi materiam pœnas, quas aliquis pro peccato alterius sustinet: sed pro principio habet habitum animæ, ex quo inclinatur ad volendum satisfacere pro alio, & ex quo satisfactio efficaciam habet. Non enim esset efficax satisfactio, nisi ex charitate procederet: vt infra dicetur. Et ideo oportuit animam Christi, & perfectam esse, quantum ad habitus scientiarum, & virtutum, vt haberet facultatem satisfaciendi: & quod corpus eius esset subiectum infirmitatibus, vt ei satisfactionis materia non deesset.*

Ad secundum dicendum, quod secundum naturalem habitudinem, quæ est inter animam, & corpus, ex gloria animæ redundat gloria ad corpus. Sed hæc naturalis habitudo in Christo subiacebat voluntati diuinitatis ipsius, ex qua factum est, quod beatitudo remaneret in anima, & non deriuaretur ad corpus, sed caro pateretur: quæ conueniunt naturæ passibili, secundum illud, quod Damasc. dicit, quod beneplacito diuinæ voluntatis, permitteretur carni pati, & operari quæ propria. lib. 3. c. 26. & 14.

Ad tertium dicendum, quod pœna semper sequitur culpam actualem, vel originalem: quandoque quidem eius, qui punitur: quandoque autem alterius, pro quo ille, qui pœnas patitur, satisfacit. Et ita accidit in Christo, secundum illud Isaiæ 53. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Ad quartum dicendum, quod infirmitas assumpta à Christo non impediuit finem Incarnationis, sed maxime promouit: vt dictum est. Et quamuis per huiusmodi infirmitates absconderetur eius diuinitas, manifestabatur tamen humanitas, quæ est via ad diuinitatem perueniendi: secundum illud Rom. 5. Accessum habemus per Iesum Christum ad Deum. Desiderabant autem antiqui Patres in Christo, non quidem fortitudinem corporalem, sed spiritualem, per quam & diabolum vicit, & humanam infirmitatem sanauit.

Sensus quæsiti.

QVÆSITI sensum declarat S. D. in textu dicẽs corporis defectus esse mortem, famem, sitim & huiusmodi.

Forma Textus.

CONCL. *est: Conueniens fuit corpus assumptum à Filio Dei humanis infirmitatibus & defectibus subiacere.* Probatur tripliciter. Primo ex fine Incarnationis. Quia ad hoc Filius Dei carne assumpta venit in mundum, vt pro peccato humani generis satisfaceret: ergo conueniens fuit, &c. Anteced. patet ex diuinis scripturis, & ex prima quæstione. Consequentia probatur: quia vnus pro peccato alterius satisfacit, dum pœnam pro peccato alterius debitam in se suscipit: at huiusmodi defectus corporales, scilicet mors, fames, sitis &c. sunt pœna peccati, quod est in mundum per Adam introductum: ergo si venit in mundum vt pro peccato hominis satisfaceret, conueniens fuit, &c. Quod etiam confirmatur auctoritate *Isaiæ 53. Vere languores nostros ipse tulit.* Secundo probatur conclusio ex fidei susceptione: Quia, si Dei filius humanam naturam sine his defectibus assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem assumpsisse, sed phantasticam, vt Manichæi posuerunt: ergo conueniens fuit, &c. Probatur assumpta conditionalis: quia natura humana nõ aliter est nota hominibus, nisi prout corporalib. defectibus subiacet: ergo si sine his defectibus, &c. Confirmatur ex dicto Apostoli *ad Philipp. 2. Exinaniuit semetipsum*, &c. & ex facto S. Thomæ Apostoli *Ioan. 20.* Tertio Probatur ab exemplaritate patientiæ: Quia Filius Dei nobis exemplum præbuit patientiæ, passiones & defectus humanos fortiter tollerando, ergo. Antecedens probatur auctoritate Apostoli *ad Hebræos 12.* vt patet in textu.

Expositio Textus.

DE veritate & sensu conclusionis disputãt hic vberrime aduersus hæreticos Suar. *disput. 32. sect. 1. 2. & 4.* & Vasq. *disp. 59.* & ante eos Med. *artic. seq.* quibus nihil addendum occurrit. Videnda sunt etiam, quæ scribit Suar. *in Comment. circa primam rationem* aduersus modernos hæreticos asserentes Christum passum fuisse pœnas purgatorij, vel etiam inferni: huius enim difficultatis proprius locus est infra *q. 52. art. 4.* vbi eam examinant

Medina & Suar. & Val. *ibidem art.*1.& alij expositores. Legenda sunt etiam, quæ scribit Medina *circa respons. ad* 1.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus necessitatem his defectibus subiacendi assumpserit.

Infra q. 15. *a.* 5. *t.* & 2. *dist.*3. q.1. *a.*2. q.1. *c fi. cap.* 20.

AD *secundum sic proceditur. Videtur, quod Christus non ex necessitate his defectibus subiacuerit. Dicitur enim Isa.*53. *Oblatus est, quia ipse voluit, & loquitur de oblatione ad passionem. Sed voluntas opponitur necessitati. Ergo Christus non ex necessitate subiacuit corporalibus defectibus.*

Præterea, Damasc. dicit in 3. *lib. Nihil coactum in Christo consideratur, sed omnia voluntaria. Sed quod est voluntarium, non est necessarium. Ergo huiusmodi defectus non fuerunt ex necessitate in Christo.*

Præterea, Necessitas infertur ab aliquo potentiori. Sed nulla creatura est potẽtior, quam anima Christi, ad quam pertinebat proprium corpus conseruare. Ergo huiusmodi defectus, seu infirmitates non fuerunt in Christo ex necessitate.

Sed contra est, quod Apost. dicit Rom.8. *Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati: sed conditio carnis peccati est, quod habeat necessitatem moriendi, & sustinendi alias huiusmodi passiones. Ergo talis necessitas sustinendi hos defectus fuit in carne Christi.*

Respondeo dicendum, quod duplex est necessitas. Vna quidem coactionis, quæ sit ab agente extrinseco. Et hæc quidem necessitas contrariatur, & naturæ, & voluntati: quorum vtrunque est principium intrinsecum. Alia autem est necessitas naturalis, quæ consequitur principia naturalia, puta formam, sicut necessarium est ignem calefacere: vel materiam, sicut necessarium est corpus ex contrarijs compositum dissolui. Secundum igitur hunc necessitatem, quæ consequitur materiam, corpus Christi subiectum fuit necessitati mortis, & aliorum huiusmodi defectuum, quia, sicut dictum est, beneplacito diuinæ voluntatis carni Christi permittebatur agere, & pati quæ propria. Hæc autem necessitas causatur ex principijs carnis humanæ: vt dictum est. Si autem loquamur de necessitate coactionis, secundum quidem quod repugnat naturæ corporali, sic, iterum corpus Christi secundum conditionem propriæ naturæ necessitati subiacuit, & claui perforantis, & flagelli percutientis. Secundum vero, quod necessitas talis repugnat voluntati, manifestum est, quod in Christo non fuit necessitas horum defectuum, neque per respectum ad diuinam voluntatem, neque per respectum ad voluntatem humanam Christi absolute, prout sequitur rationem deliberantem: sed solum secundum naturalem motum voluntatis, prout scilicet naturaliter refugit mortem, & etiam corporis nocumenta.

D. 904. Ar.pr. ad 2.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus dicitur oblatus, quia voluit, & voluntate diuina: & voluntate humana deliberata: licet mors esset contra naturalem motum voluntatis humanæ, vt Damasc. dicit.

Ad secundum patet responsio ex dictis.

Ad tertium dicendum, quod nihil fuit potentius, quam anima Christi absolute: nihil tamen prohibet aliquid fuisse potentius, quantum ad hunc effectum: sicut clauus ad perforandum. Et hoc dico, secundum quod anima Christi consideratur secundum propriam naturam, & virtutem.

Sensus quæsiti.

NECESSITAS hic indistincte sumitur, & expectanda est distinctio S.D. *in corpore.*

Forma Textus.

PROPOSITA triplici distinctione respondetur quæsito quatuor conclusionibus.

Prima distinctio est: Duplex est necessitas: Vna coactionis: quæ fit ab agente extrinseco. Explicatur eius ratio dicendo hanc necessitatem contrariari naturæ & voluntati. Alia naturalis: quæ consequitur principia naturalia: quæ sunt materia & forma. Declaratur exemplis: sicut quoad formam necessarium est ignem calefacere, quo ad materiam autem necessarium est corpus compositum ex contrarijs corrumpi.

Secunda distinctio, quæ est subdiuisio primi membri, est: Necessitas coactionis duplicem potest habere repugnantiam, alteram ad naturam & alteram ad voluntatem.

Tertia distinctio, siue subdiuisio, est: Necessitas coactionis voluntati repugnans tripliciter intelligi potest. Primo respectu diuinæ voluntatis. Secundo respectu voluntatis humanæ Christi absolute, prout sequitur rationem deliberatam. Tertio respectu eiusdem voluntatis secundum naturalem motum voluntatis, prout scil. naturaliter refugit mortem, & corporis nocumenta.

PRIMA CONCL. *est: Secundum necessitatem naturalem, quæ consequitur materiam, corpus Christi subiectum fuit necessitati mortis, & aliorum huiusmodi defectuum*: probatur: quia carni Christi permittebatur agere & pati, quæ propria: ergo secundum necessitatem naturalem: probatur consequentia. Quia hæc necessitas causatur ex principijs carnis humanæ, vt dictum est.

SECVNDA CONCL. *si loquamur de necessitate coactionis, secundum quod repugnat naturæ corporali, corpus Christi secundum conditionem propriæ naturæ necessitati subiacuit patiendi.* Probatur: quia corpus Christi fuit clauis perforatum & flagellis percussum.

TERTIA CONCL. *Si sermo sit de necessitate coactionis, prout repugnat voluntati, non fuit in Christo necessitas horum defectuum per respectum ad voluntatem diuinam, neque per respectum ad voluntatem humanam Christi absolute, id est, prout sequitur rationem deliberantem.*

VLTIMA CONCL. *si loquamur de eadem necessitate per respectum ad humanam Christi voluntatem secundum naturalem eius motum, prout scil. naturaliter refugit mortem, & etiam corporis nocumenta, fuit in Christo necessitas horum defectuum.* Duas vltimas conclusiones non probat S. D. sed relinquit eas tanquam ex dictis manifestas.

Expositio Textus.

CAIETANVS hic explicat terminos vltimæ distinctionis: quibus vtitur S. D. in duabus vltimis conclusionibus: hi vero sunt *voluntas deliberata*, & *voluntas naturalis*, siue *voluntas secundum motum suum naturalem*. Quædam mouentur hic ab expositoribus difficultates, quibus singularum conclusionum D.Th. veritas & sensus aperitur.

Prima difficultas est de veritate primæ conclusionis, de qua breuiter hic ait Medina *in* 3. *ratione dubitandi, & a.*4. *dubio* 2. & Suar. *disp.*32. *sect.* 2. & Vasq. latissime *disp.*60. quærens; *An Christus aliquã ex parte corporis habuerit necessitatem mortis naturalis?* cuius resolutionem vide, si placet, apud dictum expositorem.

Posset hic agi de figura cæli in puncto natiuitatis Christi, an eius influxu Christus inclinaretur in mortem violentam illi à Iudæis illatam: Sed nõ est hic locus de hac materia disserendi: videant, qui voluerint, Ioan. Picum *in libro aduersus Astrologos*, & Sixtum Senensem *lib.* 6. *Bibliothecæ annotatione* 10.

Secunda difficultas est de veritate & sensu tertiæ, & quartæ conclusionis: quam versat hic breuiter

Med.

quod est corpus, non beatitudo, quæfruentis, & intelligẽtis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor. Corpus igitur Christi fuit incorruptibile, & absque omni defectu. A

Præterea: Pœna consequitur culpam, sed in Christo non fuit aliqua culpa: secundum illud primæ Pet. 2. *Qui peccatum non fecit*: Ergo nec defectus corporales, qui sunt pœnales, in eo esse debuerunt.

Præterea: Nullus sapiens assumit id, quod impedit ipsum à proprio fine. Sed per huiusmodi defectus corporales, multipliciter videtur impediri finis Incarnationis. Primo quidem, quia propter huiusmodi infirmitates, homines ab eius cognitione impediebantur: secundum illud Isaiæ 53. *Consideravimus eum despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, & despectus*: unde nec reputavimus B eum. Secundo, quia sanctorum Patrum desiderium non videtur impleri: ex quorum persona dicitur Isa. 51. *Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini*. Tertio, quia congruentius per fortitudinem, quam per infirmitatem videbatur & potestas diaboli posse superari, & humana infirmitas posse sanari. Non ergo videtur conveniens fuisse, quod filius Dei humanam naturam assumpserit, cum corporalibus infirmitatibus, siue defectibus.

Sed contra est, quod dicitur Hebr. 2. In eo, in quo passus est, & tentatus, potens est, & eis, qui tentantur auxiliari. Sed ad hoc venit, vt nos adiuuaret: vnde, & Dauid dicebat. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Ergo conueniens fuit, vt filius Dei carnem assumpserit, infirmitatibus humanis subiacentem, vt in ea C *posset pati, & tentari: & sic auxilium nobis ferre.*

Respondeo dicendum, conueniens fuisse, corpus assumptum à filio Dei humanis infirmitatibus, & defectibus subiacere, & præcipue, propter tria. Primo quidem, quia ad hoc filius Dei, carne assumpta, venit in mundum, vt pro peccato humani generis satisfaceret. Vnus autem pro peccato alterius satisfacit, dum pœnam pro peccato alterius debitam, in se suscipit. Huiusmodi autem defectus corporales, scilicet mors, fames, sitis, & huiusmodi sunt pœna peccati, quod est in mundum per Adam introductum: secundum illud Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum & per peccatum mors. Vnde conueniens fuit quantum ad finem Incarnationis, quod huiusmodi pœnalitates in nostra natura susciperet vice nostra*, secundum illud Isa. 53. *Vere languores nostros ipse tulit. Secundo, propter fidem Incarnationis astruendam. Cum e-* D *nim natura humana non aliter esset nota hominibus, nisi prout huiusmodi corporalibus defectibus subiacet, si sine his defectibus filius Dei humanam naturam assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem habuisse, sed phantasticam, vt Manichæi posuerunt. Et ideo, vt dicitur Philip. 2. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo. Vnde, & beatus Thomas per aspectum vulnerum est ad fidem reuocatus, vt dicitur Ioan. 20. Tertio, propter exemplum patientiæ, quod nobis exhibet, passiones, & defectus humanos fortiter tolerando. Vnde dicitur Hebr. 12. Sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini, animis vestris deficientes.*

Ad primum ergo dicendum, quod satisfactio pro pecca- E *tis alterius, habet quidem quasi materiam pœnas, quas aliquis pro peccato alterius sustinet: sed pro principio habet habitum animæ, ex quo inclinatur ad volendum satisfacere pro alio, & ex quo satisfactio efficaciam habet. Non enim esset efficax satisfactio, nisi ex charitate procederet: vt infra dicetur. Et ideo oportuit animam Christi, & perfectam esse, quantum ad habitus scientiarum, & virtutum, vt haberet facultatem satisfaciendi: & quod corpus eius esset subiectum infirmitatibus, vt ei satisfactionis materia non deesset.*

Ad secundum dicendum, quod secundum naturalem habitudinem, quæ est inter animam, & corpus, ex gloria animæ redundat gloria ad corpus. Sed hæc naturalis habitudo in Christo subiacebat voluntati diuinitatis ipsius, ex qua factum est, quod beatitudo remaneret in anima, & non deriuaretur ad corpus, sed caro pateretur: quæ conueniunt naturæ passibili, secundum illud, quod Damasc. dicit, quod beneplacito diuinæ voluntatis, permitteretur carni pati, & operari quæ propria. lib. 3. c. 26. & 14.

Ad tertium dicendum, quod pœna semper sequitur culpam actualem, vel originalem: quandoque quidem eius, qui punitur: quandoque autem alterius, pro quo ille, qui pœnas patitur, satisfacit. Et ita accidit in Christo, secundum illud Isaiæ 53. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Ad quartum dicendum, quod infirmitas assumpta à Christo non impediuit finem Incarnationis, sed maxime promouit: vt dictum est. Et quamuis per huiusmodi infirmitates absconderetur eius diuinitas, manifestabatur tamen humanitas, quæ est via ad diuinitatem perueniendi: secundum illud Rom. 5. Accessum habemus per Iesum Christum ad Deum. Desiderabant autem antiqui Patres in Christo, non quidem fortitudinem corporalem, sed spiritualem, per quam & diabolum vicit, & humanam infirmitatem sanauit.

Sensus quæsiti.

QVÆSITI sensum declarat S. D. in textu dicẽs corporis defectus esse mortem, famem, sitim & huiusmodi.

Forma Textus.

CONCL. *est: Conueniens fuit corpus assumptum à Filio Dei humanis infirmitatibus & defectibus subiacere.* Probatur tripliciter. Primo ex fine Incarnationis. Quia ad hoc Filius Dei carne assumpta venit in mundum, vt pro peccato humani generis satisfaceret: ergo conueniens fuit, &c. Anteced. patet ex diuinis scripturis, & ex prima quæstione. Consequentia probatur: quia vnus pro peccato alterius satisfacit, dum pœnam pro peccato alterius debitam in se suscipit: at huiusmodi defectus corporales, scilicet mors, fames, sitis &c. sunt pœna peccati, quod est in mundum per Adam introductum: ergo si venit in mundum vt pro peccato hominis satisfaceret, conueniens fuit, &c. Quod etiam confirmatur auctoritate *Isaiæ 53. Vere languores nostros ipse tulit.* Secundo probatur conclusio ex fidei susceptione: Quia, si Dei filius humanam naturam sine his defectibus assumpsisset, videretur non fuisse verus homo, nec veram carnem assumpsisse, sed phantasticam, vt Manichæi posuerunt: ergo conueniens fuit, &c. Probatur assumpta conditionalis: quia natura humana nõ aliter est nota hominibus, nisi prout corporalib. defectibus subiacet: ergo si sine his defectibus, &c. Confirmatur ex dicto Apostoli *ad Philipp. 2. Exinaniuit semetipsum*, &c. & ex facto S. Thomæ Apostoli *Ioan. 20.* Tertio Probatur ab exemplaritate patientiæ: Quia Filius Dei nobis exemplum præbuit patientiæ, passiones & defectus humanos fortiter tollerando, ergo. Antecedens probatur auctoritate Apostoli *ad Hebræos 12.* vt patet in textu.

Expositio Textus.

DE veritate & sensu conclusionis disputãt hic vberrime aduersus hæreticos Suar. *disput. 32. sect. 1. 2. & 4.* & Vasq. *disp. 59.* & ante eos Med. *artic. seq.* quibus nihil addendum occurrit. Videnda sunt etiam, quæ scribit Suar. *in Comment. circa primam rationem* aduersus modernos hæreticos asserentes Christum passum fuisse pœnas purgatorij, vel etiam inferni: huius enim difficultatis proprius locus est infra *q. 52. art. 4.* vbi eam examinant

Medina & Suar. & Val. *ibidem art.*1.& alij expositores. Legenda sunt etiam, quæ scribit Medina *circa respons. ad* 1.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus necessitatem his defectibus subiacendi assumpserit.

Infra q. 15. *a.* 5. *t.* & 2. *dist.*3. q.1. *a.*2. q.1. *c fi. cap.* 20.

AD *secundum sic proceditur. Videtur, quod Christus non ex necessitate his defectibus subiacuerit. Dicitur enim Isa.*53. *Oblatus est, quia ipse voluit, & loquitur de oblatione ad passionem. Sed voluntas opponitur necessitati. Ergo Christus non ex necessitate subiacuit corporalibus defectibus.*

Præterea, Damasc. dicit in 3. *lib. Nihil coactum in Christo consideratur, sed omnia voluntaria. Sed quod est voluntarium, non est necessarium. Ergo huiusmodi defectus non fuerunt ex necessitate in Christo.*

Præterea, Necessitas infertur ab aliquo potentiori. Sed nulla creatura est potẽtior, quam anima Christi, ad quam pertinebat proprium corpus conseruare. Ergo huiusmodi defectus, seu infirmitates non fuerunt in Christo ex necessitate.

Sed contra est, quod Apost. dicit Rom.8. *Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati: sed conditio carnis peccati est, quod habeat necessitatem moriendi, & sustinendi alias huiusmodi passiones. Ergo talis necessitas sustinendi hos defectus fuit in carne Christi.*

Respondeo dicendum, quod duplex est necessitas. Vna quidem coactionis, quæ sit ab agente extrinseco. Et hæc quidem necessitas contrariatur, & naturæ, & voluntati: quorum vtrunque est principium intrinsecum. Alia autem est necessitas naturalis, quæ consequitur principia naturalia, puta formam, sicut necessarium est ignem calefacere: vel materiam, sicut necessarium est corpus ex contrarijs compositum dissolui. Secundum igitur hunc necessitatem, quæ consequitur materiam, corpus Christi subiectum fuit necessitati mortis, & aliorum huiusmodi defectuum, quia, sicut dictum est, beneplacito diuinæ voluntatis carni Christi permittebatur agere, & pati quæ propria. Hæc autem necessitas causatur ex principijs carnis humanæ: vt dictum est. Si autem loquamur de necessitate coactionis, secundum quidem quod repugnat naturæ corporali, sic, iterum corpus Christi secundum conditionem propriæ naturæ necessitati subiacuit, & claui perforantis, & flagelli percutientis. Secundum vero, quod necessitas talis repugnat voluntati, manifestum est, quod in Christo non fuit necessitas horum defectuum, neque per respectum ad diuinam voluntatem, neque per respectum ad voluntatem humanam Christi absolute, prout sequitur rationem deliberantem: sed solum secundum naturalem motum voluntatis, prout scilicet naturaliter refugit mortem, & etiam corporis nocumenta.

D. 904. *Ar.pr. ad* 2.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus dicitur oblatus, quia voluit, & voluntate diuina: & voluntate humana deliberata: licet mors esset contra naturalem motum voluntatis humanæ, vt Damasc. dicit.

Ad secundum patet responsio ex dictis.

Ad tertium dicendum, quod nihil fuit potentius, quam anima Christi absolute: nihil tamen prohibet aliquid fuisse potentius, quantum ad hunc effectum: sicut clauus ad perforandum. Et hoc dico, secundum quod anima Christi consideratur secundum propriam naturam, & virtutem.

Sensus quæsiti.

NECESSITAS hic indistincte sumitur, & expectanda est distinctio S.D. *in corpore.*

Forma Textus.

PROPOSITA triplici distinctione respondetur quæsito quatuor conclusionibus.

Prima distinctio est: Duplex est necessitas: Vna coactionis: quæ fit ab agente extrinseco. Explicatur eius ratio dicendo hanc necessitatem contrariari naturæ & voluntati. Alia naturalis: quæ consequitur principia naturalia: quæ sunt materia & forma. Declaratur exemplis: sicut quoad formam necessarium est ignem calefacere, quo ad materiam autem necessarium est corpus compositum ex contrarijs corrumpi.

Secunda distinctio, quæ est subdiuisio primi mẽbri, est: Necessitas coactionis duplicem potest habere repugnantiam, alteram ad naturam & alteram ad voluntatem.

Tertia distinctio, siue subdiuisio, est: Necessitas coactionis voluntati repugnans tripliciter intelligi potest. Primo respectu diuinæ voluntatis. Secundo respectu voluntatis humanæ Christi absolute, prout sequitur rationem deliberatam. Tertio respectu eiusdem voluntatis secundum naturalem motum voluntatis, prout scil. naturaliter refugit mortem, & corporis nocumenta.

PRIMA CONCL. *est: Secundum necessitatem naturalem, quæ consequitur materiam, corpus Christi subiectum fuit necessitati mortis, & aliorum huiusmodi defectuum*: probatur: quia carni Christi permittebatur agere & pati, quæ propria: ergo secundum necessitatem naturalem: probatur consequentia. Quia hæc necessitas caulatur ex principijs carnis humanæ, vt dictum est.

SECVNDA CONCL. *si loquamur de necessitate coactionis, secundum quod repugnat naturæ corporali, corpus Christi secundum conditionem propriæ naturæ necessitati subiacuit patiendi.* Probatur: quia corpus Christi fuit clauis perforatum & flagellis percussum.

TERTIA CONCL. *Si sermo sit de necessitate coactionis, prout repugnat voluntati, non fuit in Christo necessitas horum defectuum per respectum ad voluntatem diuinam, neque per respectum ad voluntatem humanam Christi absolute, id est, prout sequitur rationem deliberantem.*

VLTIMA CONCL. *si loquamur de eadem necessitate per respectum ad humanam Christi voluntatem secundum naturalem eius motum, prout scil. naturaliter refugit mortem, & etiam corporis nocumenta, fuit in Christo necessitas horum defectuum.* Duas vltimas conclusiones non probat S. D. sed relinquit eas tanquam ex dictis manifestas.

Expositio Textus.

CAIETANVS hic explicat terminos vltimæ distinctionis: quibus vtitur S. D. in duabus vltimis conclusionibus: hi vero sunt *voluntas deliberata*, & *voluntas naturalis*, siue *voluntas secundum motum suum naturalem*. Quædam mouentur hic ab expositoribus difficultates, quibus singularum conclusionum D.Th. veritas & sensus aperitur.

Prima difficultas est de veritate primæ conclusionis, de qua breuiter hic ait Medina *in* 3. *ratione dubitandi, & a.*4. *dubio* 2. & Suar. *disp.*32. *sect.* 2. & Vasq. latissime *disp.*60. quærens; *An Christus aliquã ex parte corporis habuerit necessitatem mortis naturalis?* cuius resolutionem vide, si placet, apud dictum expositorem.

Posset hic agi de figura cæli in puncto natiuitatis Christi, an eius influxu Christus inclinaretur in mortem violentam illi à Iudæis illatam: Sed nõ est hic locus de hac materia disserendi: videant, qui voluerint, Ioan. Picum *in libro aduersus Astrologos*, & Sixtum Senensem *lib.* 6. *Bibliothecæ annotatione* 10.

Secunda difficultas est de veritate & sensu tertiæ, & quartæ conclusionis: quam versat hic breuiter

Med.

Med. in prima, & secunda ratione dubitandi, Suarez *in allegata disput. 32. sect. 3.* & Vasq. *disp. 59. cap. 3.* & 4. vide, si lubet eius definitionem apud dictos expositores. A

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus defectus corporales contraxerit.

3. d 15. q. 1. a. 3 & d. 21. q. 1. a. 2. & op 3 cap. 223.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod Christus defectus corporales contraxerit. Illud enim contrahere dicimur, quod simul cum natura ex origine trahimus. Sed Christus simul cum natura humana defectus, & infirmitates corporales per suam originem traxit à matre, cuius caro huiusmodi defectibus subiacebat. Ergo videtur, quod hos defectus contraxerit. B

Præterea: Id quod ex principijs naturæ causatur, simul cum natura trahitur, & ita contrahitur. Sed huiusmodi pœnalitates causantur ex principijs naturæ humanæ. Ergo eas Christus contraxit.

Præterea: Secundum huiusmodi defectus Christus alijs hominibus similatur: vt dicitur Heb. 2. Sed alij homines huiusmodi defectus contrahunt: ergo videtur, quod etiam Christus huiusmodi defectus contraxerit.

Sed contra est, quod huiusmodi defectus contrahuntur ex peccato: secundum illud Roman. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatũ mors. Sed in Christo non habuit locum peccatum. Ergo huiusmodi defectus Christus non contraxit. C

Respondeo dicendum, quod in Verbo contrahendi intelligitur ordo effectus ad causam: vt scilicet illud dicatur contrahi, quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur. Causa autem mortis, & horum defectuum in humana natura est peccatum, quia per peccatum mors intrauit in hunc mundum, vt dicitur Roman 5. Et ideo illi proprie dicuntur hos defectus contrahere, qui ex debito peccati hos defectus incurrunt. Christus autem hos defectus non habuit ex debito peccati: quia vt Augustinus dicit exponens illud Ioan. 3. Qui de sursum venit, super omnes est, de sursum venit Christus, idest, de altitudine naturæ humanæ, quam habuit ante peccatum primi hominis. Accepit enim naturam humanam absque peccato, in illa puritate, in qua erat in statu innocentiæ: & simili modo potuisset assumere humanam naturam absque defectibus. Sic igitur, quod Christus non contraxit hos defectus, quasi ex debito peccati eos suscipiens, sed ex propria voluntate. *Habetur in glos. ord. in hunc locũ* D

Ad primum ergo dicendum, quod caro Virginis concepta fuit in originali peccato: & ideo hos defectus contraxit. Sed Christus naturam ex Virgine assumpsit absque culpa. Et similiter potuisset naturam assumere absq; pœna: sed voluit suscipere pœnam propter opus nostræ redemptionis implendum: vt dictum est. Et ideo habuit huiusmodi defectus, non contrahendo, sed voluntarie assumendo.

Ad secundum dicendũ, quod causa mortis, & aliorum corporalium defectuum in humana natura, est duplex. Vna quidem remota, quæ accipitur ex parte principiorum materialium humani corporis, inquantum est ex contrarijs compositum, sed hæc causa impediebatur per originalem iustitiam. Et ideo proxima causa mortis, & aliorum E *defectuum, est peccatum: per quod subtracta est originalis iustitia. Et propter hoc, quia Christus fuit sine peccato, dicitur non contraxisse huiusmodi defectus, sed voluntarie assumpsisse.*

Ad tertium dicendum, quod Christus in huiusmodi defectibus, assimilatus est alijs hominibus quantum ad qualitatem defectuum, non autem quantum ad causam. Et ideo Christus non contraxit huiusmodi defectus, sicut alij.

Sensus quæsiti.

QVID vocabulo *contrahendi* significetur, explicat S. D. in textu, & Cai. in titulo.

Forma Textus.

CONCL. *est: Christus non contraxit defectus corporales, sed voluntarie suscepit.* Probatur: Illi proprie dicuntur hos defectus contrahere, qui ex defectu peccati hos defectus incurrunt: at Christus hos defectus non habuit ex debito peccati: ergo. Maior probatur: quia causa mortis & horum defectuum in humana natura est peccatum: ergo illi proprie dicuntur contrahere, &c. Antec. probatur ex Apost. *Rom. 5.* Conseq. vero probatur: quia in verbo contrahendi intelligitur ordo effectus ad causam, vt scilicet illud dicatur contrahi, quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur. Minor vero probatur ex dicto seu discursu Augustini *super illud Ioan. 3. Qui de Cælo venit*, &c.

Expositio Textus.

AD intelligentiam maioris propositionis obseruanda est Ethymologia verbi *contrahere*: dicitur enim contrahere, quasi simul cum alio trahere: quod dupliciter intelligi potest: Vno modo, vt contrahere sit trahere simul cum alio trahẽte: Alio modo, vt contrahere sit trahere aliquid simul cum alio tracto ab eodem trahẽte. Si priori modo sumatur contrahere, sensus est, quod cum in nobis corporales defectus ex duplici causa ꝓueniant altera per se & naturali, quæ est ipsa naturalis corporis nostri constitutio: & altera morali vel demeritoria, veluti causa per accidens, idest remouente prohibens, quæ est peccatũ, per quod priuatus est homo iustitia originali defectus iam dictos impediente: ideo illi soli proprie dicuntur hos defectus contrahere, qui vt causæ morales demeritoriæ simul cum causa naturali, quæ est corporis constitutio naturalis, prædictos ad se defectus trahunt, illos in suis corporibus demeritorie causantes. Si autem contrahere sumatur, vt idem sit, quod simul trahere cum alio tracto ab eodem trahente, sensus est: quod homo in sui generatione naturam accipit, & quodammodo trahit peccato primi parentis infectam, & simul cum ea tanquam propria & proxima causa defectus trahit corporales ex ea deriuatos. Priorem sensum accipit Vasq. *in suis notationibus ad hunc art.* & fauet ei tantisper Cai. *circa resp. ad 1.* dicens causam proximam mortis, & aliorum defectuum corporaliũ esse peccatum, Theologice loquendo: remotam autem esse compositionem ex contrarijs: sed posteriorẽ sensum indicant manifeste verba D. Th. dicentis in verbo contrahendi intelligi ordinem effectus ad causam, vt scilicet illud dicatur cõtrahi, quod simul cum sua causa ex necessitate trahitur: igitur contrahere hic idem est, quod aliquid contrahere simul cum alio tracto ab eodem trahente: qui scilicet vnum trahat, tanquam causam (intellige proximam & sufficientem alterius) sicut in proposito quilibet homo contrahit originale peccatum, ex quo, tanquam causa proxima & sufficienti prouenit mors & alij corporales defectus, vt pœnæ ex culpa.

VIDE etiam, quæ circa responsionem ad primum de Beata Virgine notat Medina & post eum Vasquez.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Christus omnes defectus corporales hominum assumere debuerit.

AD quartũ sic proceditur. Videtur, ꝙ Christus omnes defectꝰ corporales hominũ assumere debuerit. Dicit n. Damas. *Sup. q. 12. a. 4. 3. & inf. q. 15. a. 1. c.*

& q.46.a.4 3.& 3.d.1.q. 1.2.& dis 15 q.1.ar.1.& d.22 q.2.2.1 q.1. Et 4. cont.c.55.11 & opus.3.c. 223 & 238. Lib.3.c.6. & 18.ar.1.

Damas. Quod est inassumptibile, est incurabile. Sed Christus venerat omnes defectus nostros curare. Ergo omnes defectus nostros assumere debuit.

Præterea: Dictum est, quod ad hoc, quod Christus pro nobis satisfaceret, debuit habere habitus perfectiuos in anima, & defectus in corpore. Sed Christus ex parte animæ assumpsit plenitudinem omnis gratiæ. Ergo ex parte corporis debuit assumere omnes defectus.

Præterea: Inter omnes defectus corporales, præcipuum locum tenet mors. Sed Christus mortem assumpsit. Ergo multo magis omnes alios defectus assumere debuit.

Sed contra est, quod contraria non possunt simul fieri in eodem. Sed quædam infirmitates sunt sibiipsis contrariæ: vtpote ex contrarijs principijs causatæ. Ergo non potuit esse, quod Christus omnes infirmitates humanas assumeret.

art.1, & 2.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, Christus defectus humanos assumpsit, ad satisfaciendum pro peccato humanæ naturæ: ad quod requirebatur, quod haberet perfectionem scientiæ, & gratiæ in anima. Illos ergo defectus Christus assumere debuit, qui consequuntur ex peccato communi totius naturæ: nec tamen repugnant perfectioni scientiæ, & gratiæ. Sic igitur non fuit conueniens, vt omnes defectus, seu infirmitates humanas assumeret. Sunt enim quidam defectus, qui repugnant perfectioni scientiæ, & gratiæ: sicut ignorantia, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum. Quidam autem defectus sunt, qui non consequuntur communiter totam humanam naturã, propter peccatum primi Parentis, sed causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis: sicut lepra, & morbus caducus, & alia huiusmodi. Qui quidem defectus quandoque causantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu: quandoque autem ex defectu virtutis formatiuæ. Quorum neutrum conuenit Christo: quia, & caro eius de Spiritu sancto concepta est, qui est infinitæ sapientiæ, & virtutis, errare & deficere non potens: & ipse nihil inordinatum in regimine suæ vitæ exercuit. Sunt autem tertij defectus, qui in omnibus hominibus communiter inueniuntur, ex peccato primi Parentis: sicut mors, fames, sitis, & alia huiusmodi. Et hos defectus omnes Christus suscepit, quos vocat Damas. naturales, & indetractibiles passiones, naturales quidem, quia consequuntur communiter totam naturam humanam: indetractibiles autem, quia defectum scientiæ, & gratiæ non important.

Lib.1 orth. fid.c.14. & lib.3.c.10

Ad primum ergo dicendum, quod omnes particulares defectus hominum causantur ex corruptibilitate, & passibilitate corporis, superadditis quibusdam particularibus causis. Et ideo, cum Christus curauerit passibilitatem, & corruptibilitatem corporis nostri, per hoc, quod eam assumpsit, ex consequenti omnes alios defectus curauit.

Ad secundum dicendum, quod plenitudo omnis gratiæ, & scientiæ animæ Christi secundum se debebatur ex hoc ipso, quod erat à Verbo Dei assumpta: & ideo absolute omnem plenitudinem sapientiæ gratiæ Christus assumpsit. Sed defectus nostros dispensatiue assumpsit, vt pro peccato nostro satisfaceret, non quia ei secundum se competerent. Et ideo non oportuit, quod omnes assumeret, sed solum illos, qui sufficiebant ad satisfaciendum pro peccato totius humanæ naturæ.

Ad tertium dicendum, quod mors in omnes homines deuenit ex peccato primi Parentis: non autem quidam alij defectus, licet sint morte minores. Vnde non est similis ratio.

Forma Textus.

PROPOSITA distinctione trimembri respondetur quæsito tribus conclusionibus: ex quibus sequitur quarta directe respondens quæsito.

Distinctio est: Quidam defectus sunt, qui repugnant perfectioni scientiæ & gratiæ: sicut ignorantia, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum. Quidam alij defectus sunt, qui non consequuntur communiter totam humanam naturam propter peccatum primi parẽtis, sed causantur in aliquibus hominibus ex aliquib. particularibus causis: sicut lepra, morbus caducus, & alia huiusmodi. Denique sunt alij defectus, qui in omnibus hominibus communiter inueniuntur ex peccato primi parentis: sicut mors, fames, sitis & alia huiusmodi.

PRIMA CONCL. *Christus non debuit assumere eos defectus, qui repugnãt perfectioni gratiæ & scientiæ.* Probatur: quia Christus defectus assumpsit ad satisfaciendum pro peccato humanæ naturæ: ergo nõ debuit assumere eos defectus, qui repugnant &c. probatur consequentia: quia ad satisfaciendum requirebatur, quod haberet perfectionem scientiæ & gratiæ in anima.

SECVNDA CONCL. *Non debuit Christus eos defectus assumere, qui non consequuntur communiter totam humanam naturam, sed causantur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis.* Probatur: quia tales defectus quandoq; causantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu: quandoque autem ex defectu virtutis formatiuæ: ergo non debuit Christus &c. Probatur consequentia: quia neutra dictarum causarum conuenit Christo: & probatur: quia & caro eius de Spiritu sancto cõcepta est: qui cum sit infinitæ sapientiæ & virtutis, errare & deficere non potest: & ipse Christus nihil inordinatum in regimine vitæ suæ exercuit.

TERTIA CONCL. *Eos omnes defectus Christus suscepit, qui in omnibus hominibus communiter inueniuntur.* Declaratur primo Conclusio ex Damasceno: qui hos defectus vocat naturales, & indetractabiles passiones, &c. Deinde probatur ex assumpto principio, videlicet: Christus defectus humanos assumpsit ad satisfaciendum pro peccato humanæ naturæ: ergo illos omnes & solos defectus assumere debuit, qui consequũtur ex peccato communi totius naturæ, nec tamen repugnant perfectioni gratiæ.

Ex his sequitur *quarta concl.* qua directe respõdetur quæsito, videlicet: *Christus non omnes defectus corporales assumere debuit.*

Expositio Textus.

PLVRA sunt in hoc textu, quorum declarationes breuiter attingemus, aut vnde peti possint, indicabimus. *Primum* est distinctio quo ad primum eius membrum, cui correspondet prima conclusio. Primum enim distinctionis membrũ est, esse quosdam defectus, qui repugnant perfectioni & gratiæ: sicut ignorantia, pronitas ad malum, & difficultas ad bonum: quos ait prima conclusio assumi à Christo non debuisse. Ex his enim defectibus quidam animæ soli conueniunt: vt ignorantia: quidam principaliter, seu primo animæ cõueniunt: vt pronitas ad malum, & difficultas ad bonum: vt patet *ex a.2.q.sequenti*: igitur impertinenter de his defectibus agitur in hoc ar. qui de solis defectibus corporis quærit. *Cui difficultati* respondet Cai. Primo quod, licet S. Thom. hic de defectibus corporis tractet, doctrinam tamen hic vniuersalem inferere de defectibus, quos non debuit Christus assumere propter pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum: quæ est alia lex membris humanis repugnans legi mentis, secundum quam proni sunt sensus hominis in malum, & non quod volumus bonum, hoc agimus: quod autem de ignorantia admiscetur, exempli gratia positum est: Quam solutionem quo ad id, quod in ea præcipuum est, sequuntur Suarez & Vasq. qui addit S. Th. hic non meminisse ignorãtiæ & inclinationis ad malum, vt eas connumeraret inter defectus corporales, sed in exemplum

Dubitatio.

Prima Cai. responsio.

pro

pro confirmatione propositionis, quam assumit ad probandum cõclusionem huius articuli: Quo dicendi modo videtur satisfacere obiectioni Caietani, qui prædictam reijcit solutionem, eo quod dicta vno & eodem contextu distinguat absque legitimo fundamento: dum ignorantiam, vt exemplum, promptitudinem autem ad malum, & difficultatem ad bonum, tanquã vere corporales defectus affirmat hic fuisse cõmemorata: Ait enim Vasq. D. Th hos omnes defectus eadem ratione, siue ad eundem finem commemorasse, scilicet in exemplum. Sed hæc solutio cum sua ratione falsa est, & aduersatur literæ D. Tho. vt patet ex forma supra posita: in qua prima conclusio correspondens primo distinctionis membro de prædictis defectibus manifeste loquitur. Deinde certum est, promptitudinem ad malum, & difficultatẽ ad bonum, non animę soli post peccatum inesse, sed etiam corporeis membris adhærere, iuxta illud Apost. *Rom. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*, &c. igitur hæc mala non solum in exemplum, sed etiam vt veri defectus corporales hic posita sunt.

A

B

2. Cai. resp. *Secundo* itaque *respondet* Cai. nomine ignorantiæ hic intelligi talem corporis complexionem, quæ sit ignorantiæ causa, quatenus tale corporis temperamentum habentes inepti sunt ad scientiam. Sed hanc etiam reijcit Cai. quia talis complexio, cum exorbitet à temperatia humanæ mediocritatis, inter spirituales defectus, qui humanæ Christi naturæ non congruunt, est comparanda.

C

3. respons. *Postremo tandem respondet*, ignorantiam dupliciter sumi posse. Vno modo secundum se: & ita nõ esse defectum corporis, sed animæ Alio modo secundum suam causam occasionalem toti naturæ humanæ: & ita defectus est se tenens ex parte corporis: Nam hoc ipso, quod anima creatur in corpore, non recipit influxũ scientiæ à superioribus, vt Angeli, qui sunt à corpore liberi: sed manet ignorans: in cuius signum (inquit) statim, vt à corpore fuerit anima separata, scientiam recipit à superioribus infusam. Quamuis autem Christus animam à Deo receperit in corpore, non debuit tamen scientiæ defectum accipere, qui animam concomitatur ex hoc, quod fit in corpore: eo quod ab initio perfecta est infusione scientiæ beatæ & infusæ: & ideo S. D hic ignorantiam computat inter eos corporis defectus, quos negat Christo conuenire. *Sed hanc respons.* impugnat Vasq. aliorum argumento: Quoniam hæc ignorantiæ causa communis est toti naturæ in quouis statu huius vitæ, etiam si integra sit: hic vero agit S. Thom. de defectibus naturæ humanæ post peccatũ ex parte corporis, quos Christus assumpsit, non autem de defectibus communibus toti naturæ in quouis statu. *Sed facile diluitur* hæc obiectio: quamuis enim in tertio membro distinctionis, & in tertia conclusione illi correspondẽte sermo sit de solis illis defectibus corporalibus, qui conueniunt omnibus hominibus ex peccato primi parentis, quæsitum tamen siue titulus articuli ad eos solos non arctatur, & prima cõclusio manifeste loquitur de defectibus sciẽtiæ & gratiæ contrarijs, prout se tenent ex parte corporis: constat autem præcipuum defectum oppositum scientiæ se tenentem ex parte corporis esse, quem diximus ex Cai. hoc est enim cæterorum similium homini in statu naturæ lapsæ conuenientium fundamentum. Nã si anima in hoc statu cõmunem omni statui viatoris ignorantiæ causam non haberet, non posset habere ignorantiam ex originali peccato, aut etiam ex corporis temperamento prouenientem,

Obiectio Vasquez ij.

Solutio.

D

E

de qua dicitur: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena cogitatio sensum multa cogitantem.*

Secundum est probatio secundæ conclusionis, quam explicat hic optime Cai.

Tertium est circa eandem probationem assumentem, multos ex illis defectibus particularib. ex inordinato victu causari. Ex quo dicto sumunt hic recentiores occasionem quærendi: *An in Christo fuerit aliquis morbus, puta febris, catarrus, & alij similes?* quam difficultatem tractat hic erudite Med. & post eum Suar. & Vasq. *super hoc art.* qui sententiam suam exprimens ait: Si verum est, quod plerique Medicorum affirmant, non posse accidere mortem naturalem ex sola senectute sine febri, aut aliqua putrefactione, dicendum est Christum assumpsisse necessitatem incidendi in morbum aliquem, sicut etiam assumpsit necessitatem moriendi ex senectute: *sed quoniam indecens est* hoc de Christo sentire, dicendum est Medicorum sentẽtiam intelligendam esse de hominibus peccatoribus: quorum nullus (sine speciali Dei dono) regulam exacte seruat temperantiæ, aut à cæteris cauet morborum causis: Christus autem vt plenus gratia & virtutibus ad eam consequentibus, & speciali suffultus Dei prouidentia, causas omnes morborum facile potuit euitare: atq; ideo, si vsq; ad extremam senectutem vitam produxisset, & morte naturali decessisset, nullo prorsus vnquam morbo, nec etiam in termino vitæ, laborasset.

dubitatio.

dictũ Vasq. reijcitur.

Quartum est circa eandem probationem, quatenus assumit quosdam ex illis defectibus oriri ex defectu virtutis formatiuæ, quærunt expositores: *An Christus defectum assumpserit pulchritudinis: an vero fuerit omnium hominum formosissimus?* Cui quæsito satisfaciunt optime Med. *dubitatione tertia*, Suar. *disp. 32 sect. 2.* & Vasq. *in 1. par. expositionu in fine.*

Vltimum est circa probationem tertiæ conclusionis, quam explicat hic breuiter Cai. §. *vbi nota.* Vide etiam quæ scribit Caiet. *circa respons. ad 1. arg. D. Thom.*

QVÆSTIO QVINTADECIMA.

De defectibus animæ, à Christo assumptis, in decem articulos diuisa.

DEinde considerandum est de defectibus permittentibus ad animam.

Et circa hoc quæruntur decem.

Primo, vtrum in Christo fuerit peccatum.

Secundo, vtrum in eo fuerit fomes peccati.

Tertio, vtrum in eo fuerit ignorantia.

Quarto, vtrum anima eius fuerit passibilis.

Quinto, vtrum in eo fuerit dolor sensibilis.

Sexto, vtrum in eo fuerit tristitia.

Septimo, vtrum in eo fuerit timor.

Octauo vtrum in eo fuerit admiratio.

Nono, vtrum in eo fuerit ira.

Decimo, vtrum simul fuerit viator, & comprehensor.

Ratio ordinis.

DISPVTAT in hac qu. S. D. in primis nouem articulis de defectibus animæ: deinde difficultatem in vltimo articulo proponit ex præcedentibus emergentem: An scilicet Christus, cui vt viatori conueniunt aliqui defectus animæ, fuerit simul secundũ eandẽ animam cõprehensor? Ex defectibus autem animę quidam pertinent ad partem eius superiorẽ: quæ distinguitur in intellectum & voluntatem: quidam autem ad inferiorẽ, quæ distinguitur in sensum & appetitũ: agit Primo S. D. de defectib. pertinentib. ad partẽ animæ

supe-

superiorem: qui, quoniam peiores sunt, facilius A intelligimus eos Christo, quem ex præcedentibus quæstionibus cōstat habuisse plenitudinem gratiæ & veritatis, minime conuenire. Ex ijs autem, qui possunt inesse parti superiori, pessimum est peccatum: quod inficit voluntatem: & ideo primo quæritur: vtrum in Christo fuerit peccatum. Et quoniam in hoc statu naturæ corruptæ peccatum ex duplici causa procedit, scilicet ex fomite & ex ignorantia: ex fomite quidem vt ex causa proxima, ex ignorantia vero vt ex causa remota: idcirco in articulo secundo quæritur: An in Christo fuerit fomes peccati: qui licet sit formaliter in appetitu sensitiuo, redundat tamen quodammodo in volūtatem & ad eam pertinet, quatenus appetitui cōiuncta est, & ab eo quadam ratione mouetur, & trahitur ad consensum, & ita quodammodo fit vnum cum eo. Altera vero peccati causa est ignorantia ex qua vt primo fonte ac primæua radice peccatum pullulat: quæ etiam secundū se magnum est animæ malum: de qua quæritur articulo tertio: sumitur autem hic ignorātia, prout extenditur etiam ad inconsiderationem, & ad omnem iudicij & debitæ cognitionis defectum. Secundo de defectibus agit ad partem animæ inferiorem pertinentibus: & Primo in communi, quærens in art. 4. vtrum anima Christi fuerit passibilis. Secundo in speciali: & primo de pertinentibus ad sensum tactus exteriorem in quinto articulo, quoniam hæc priora & notiora sunt: Deinde de quatuor sequētibus articulis tractat in speciali de diuersis speciebus actuum appetitus sensitiui secundum eorum ordinem naturalem. Primus eorum est tristitia. Secundus est timor. Tertius est admiratio, quæ timor quidam est, qua ratione pertinet ad appetitū sensitiuum: nam de ea, quatenus ignorantiam claudit, agitur in art. 3. postremus est ira, de qua disputatur art. 9.

ARTICVLVS I.

Vtrum in Christo fuerit peccatum.

Inf. q. 32. a. 7. & 3. d. 2. q. 1. cor. fi. & d. 12. q. 1. & quol. 4. q. 11. a. 1.

AD primum sic proceditur. *Videtur, quod in Christo fuerit peccatum. Dicitur enim in Psalm. Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti, longe à salute mea verba delictorum meorum. Sed hæc verba dicuntur ex persona ipsius Christi: vt patet ex hoc, quod ipse ea in cruce protulit. Ergo videtur, quod in Christo fuerint delicta.*

Præterea: Rom. 5. dicit Apostolus, quod in Adam omnes peccauerunt: quia scilicet in eo originaliter fuerunt. Sed Christus etiam originaliter fuit in Adam. Ergo in eo peccauit.

Præterea Apostolus dicit Hebr. 2. quod in eo, in quo Christus passus est, & tentatus, potens est, & his, qui tentātur auxiliari. Sed maxime indigebamus auxilio eius contra peccatum: ergo videtur, quod in eo fuerit peccatum.

Praterea: Secunda ad Cor. 5. dicitur, quod Deus eum, qui non nouerat peccatum, scilicet Christum, pro nobis peccatum fecit. Sed illud vere est, quod à Deo factum est. Ergo in Christo vere fuit peccatum.

Præterea: Sicut August. dicit in lib. de Agone Christiano, in homine Christo se nobis ad exemplum vitæ præbuit filius Dei. Sed homo indiget exemplo, non solum ad recte viuendum, sed etiam ad hoc, quod pœniteat de peccatis. Ergo videtur, quod in Christo debuerit esse peccatum, vt de peccatis pœnitendo, pœnitentiæ nobis daret exemplum.

Cap. 11. t. 3. *Sed contra est, quod ipse dicit Ioan. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, Christus suscepit defectus nostros, vt pro nobis satisfaceret, & vt veritatem humanæ naturæ comprobaret, & vt nobis fieret exemplum virtutis. Secundum quæ tria manifestum est, quod defectum peccati assumere non debuit. Primo quidem, quia peccatum nihil operatur ad satisfactionē, quinimo virtutem satisfactionis impedit: quia vt dicitur Eccl. 34. dona iniquorum non probat Altissimus. Similiter etiam ex peccato non demonstratur veritas humanæ naturæ: quia peccatum non pertinet ad humanam naturam, cuius Deus est causa: sed magis est contra naturam, per seminationem Diaboli introductum, vt Dam. d cit. Tertio, peccando exemplum virtutis præbere non potuit: cum peccatum contrarietur virtuti. Et ideo Christus nullo modo assumpsit defectum peccati, nec originalis, nec actualis: secundum illud, quod dicitur 1. Pet. 2. Qui peccatum non fecit. *Ar. l. 4. 2.* *Lib. 2. c. 30. & li. 3. c. 20*

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Damas. dicit in 3. libro, dupliciter dicitur aliquid de Christo. Vno modo secundum proprietatem naturalem, & hypostaticam sicut dicitur, quod Deus factus est homo, & quod passus est pro nobis. Alio modo, secundum proprietatem personalem, & habitudinalem, prout, scilicet aliqua dicuntur de ipso in persona nostra, quæ sibi secundum se nullo modo conueniunt. Vnde, & inter septem regulas Ticonij, quas Augustin. ponit in 3. de Doctr. Christiana, prima ponitur de Domino, & eius corpore: cum scilicet Christi, & Ecclesiæ vna persona æstimatur. Et secundum hoc Christus ex persona membrorum suorum loquens dicit, Verba delictorum meorum, non quod in ipso capite delicta fuerint. *cap. 25.* *cap. 21. c. 33.*

Ad secundum dicendum, quod sicut dicit Aug 10. super Gen. ad litteram, non omni modo Christus fuit in Adam, & in alijs Patribus, quo nos ibi fuimus. Nos enim fuimus in Adam secundum seminalem rationem, & secundum corpulentam substantiam: quia scilicet, vt ipse ibidem dicit, cum sit in semine, & visibilis corpulentia, & inuisibilis ratio, vtrunque currit ex Adam. Sed Christus visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit: ratio vero conceptionis eius, non à semine viri li, sed longe aliter, ac desuper venit. Vnde non fuit in Adam secundum seminalem rationem, sed solum secundum corpulentam substantiam. Et ideo Christus, non accepit actiue ab Adam humanam naturam, sed solum materialiter: actiue vero à Spiritu sancto. Sicut, & ipse Adam materialiter sumpsit corpus ex limo terræ, actiue autem à Deo. Et propter hoc Christus non peccauit in Adam, in quo fuit solum secundum materiam. *cap. 19. & 20. to. 3.*

Ad tertium dicendum, quod Christus ex sua tentatione, & passione nobis auxiliatus est pro nobis satisfaciendo: sed peccatum non cooperatur ad satisfactionem, sed magis ipsam impedit: vt dictum est. Et ideo non oportuit, quod peccatum in se haberet, sed omnino esset purus à peccato: alioquin pœna, quam sustinuit, fuisset sibi debita pro proprio peccato. *In cor. ar. & q 4 art. 6. ad 1.*

Ad quartum dicendum, quod Deus fecit Christum peccatum: non quidem, vt in se peccatum haberet, sed quia fecit eum hostiam pro peccato. Sicut, & Osea 4. dicitur: Peccata populi mei comedent, scilicet Sacerdotes, quia secundum legem comedebant hostias pro peccato oblatas. Et secundum hunc modum dicitur Isa. 53. quod Dominus posuit in eo iniquitatem omnium: quia sc. eum tradidit, vt esset hostia pro peccatis omnium hominum. Vel fecit eum peccatum, idest, habentem similitudinem carnis peccati: vt dicitur Rom. 8. & hoc propter corpus passibile, & mortale, quod assumpsit.

Ad quintum dicendum, quod pœnitens laudabile exēplum dare potest, non ex eo quod peccauit: sed in hoc, quod voluntarie pœnam sustinet pro peccato. Vnde Christus dedit maximum exemplum pœnitentibus: dum non pro peccato proprio, sed pro peccatis aliorum voluit pœnam subire.

Sensus quæsiti.

QVÆSTIO est de peccato tam actuali, quam originali.

Forma

Forma Textus.

CONCL. *est: Christus nullo modo assumpsit defectum peccati, nec originalis, nec actualis.* Probatur: Christus propter tria suscepit defectus nostros, scilicet vt pro nobis satisfaceret, & vt veritatem humanæ naturæ comprobaret, & vt nobis fieret exemplum virtutis: at secundum hæc tria defectum peccati assumere non debuit; ergo. Maior patet *ex primo articulo præcedentis quæstionis.* Minor probatur, quo ad singulas partes: & primo quo ad primam. Quia peccatum nihil operatur ad virtutem sanctificationis: sed eam magis impedit; ergo. Antecedens probatur: ex illo *Eccles.* 34. *dona iniquorum non probat altissimus.* Quoad secundam vero partem probatur: quia ex peccato non B demonstratur veritas humanæ naturæ; ergo. Antecedens probatur: quia peccatum non pertinet ad humanam naturam, &c. Tertia demum pars probatur: quia peccando exemplum virtutis præbere non potuit; ergo. Antecedens probatur: quia peccatum contrariatur humanæ virtuti. Secundo probatur conclusio ex illo 1. *Petri* 2. *qui peccatum non fecit.*

Expositio Textus.

CHRISTVM neque originali, neque actuali peccato subiacuisse, diuinæ literæ, sacra concilia & patres frequentissime docent. Et peccatum quidem originale ad humanam Christi naturam non fuisse deriuatum, manifeste significat Angelus *Lucæ* 1. dicens: *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei.* Et Apost. *ad Heb.* 7. *cap. Talis decebat, vt esset summus Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Quibus verbis vtrumque peccati genus excludit à Christo. Peccatum autem actuale se nunquam habuisse Christus ipse declarat *Ioan.* 8. dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & Apost. 1. *Cor.* 5. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit,* id est hostiam, siue oblationem pro peccato, vt exponit ibi S. D. post Ambros. & alios; & *Heb.* 4. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* & 1. *Pet.* 2. dicitur: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Loca conciliorum, & S. Patrum notant D Porrecta & Valent. *hic puncto* 2. & Suar. *disp.* 33. *sect.* 1. & Vasq. *disp.* 61 *c.* 1.

Controuersia Vnica.

An possibile fuerit esse peccatum in Christo?

Sent. Doct. DVRANDVS *in* 3. *dist.* 12. *q.* 2. docet absolute fieri potuisse, vt Christus per actus humanæ voluntatis peccaret, si non fuisset anima Christi beata, neque in Dei gratia confirmata. Quam sententiam sequutus est Scotus *in* 3. *eadem distin. q.* 1. *& dist.* 2. *q.* 1. §. *Ad argumenta principalia.* Et Gabriel *dist.* 12. *q. vnica, a.* 2. Pro eadem opinione Vasq. E *disp.* 61. *cap.* 2. allegat Marsilium & Henricum quos tamen inter oppositæ sententiæ defensores recenset Suar. *disp.* 34. *sect.* 2.

Contrariam secundæ opinioni sententiam sequuntur communiter Doctores, cum Magistro *in allegata dist.* 12. Præcipui vero sunt: S. Tho. S. Bonau. Ricar. Palud. Capre. Carthus. Vgo de S. Victore, *lib.* 2. *de Sacram. parte* 1. *c.* 7. & omnes expositores D. Tho. quæ est etiam communis sententia patrum; quorũ dicta recensent Suar. & Vasq. *locis supra notatis.*

Resolutio. Declaratur, ac de-

SVPPONENDVM *est hic primo* duplicem esse in Deo potentiam ratione, seu modo nostro intelligendi distinctam. Altera dicitur ordinaria; qua Deus secundum legem ab ipso constitutam potest aliquid operari. Altera dicitur absoluta: qua nulla præsuppositia lege potest libera & recta sua voluntate aliquid operari. Non est hic quæstio de priori potentia: quia certum est nullam à Deo legem fuisse positam, vt Christus secundum humanam naturam peccare permitteretur, vel vt Deus cum eo concurreret ad actus peccatorum; immo inter leges pro Christo Ecclesiæ Principe à Deo latas, hæc præcipua fuit, vt esset in Christo plenitudo gratiæ & veritatis, nec posset à legis diuinæ rectitudine deuiare. De potentia igitur absoluta quæstio est. *Sed arguit* Vasq. *cap.* 2. Deus non *Obiectio Vasquezij.* est auctor peccati, nec ipse potentia absoluta efficit peccatum, aut cogere potest, aut per se solum efficere materiale ipsius; ergo hæc quæstio non est de potentia absoluta Dei, sed de potentia ipsius humanitatis, quam habet in libero arbitrio. Respond. nullam esse conseq. Nam Deus *Solutio.* in ordine ad peccata duplicem habet potentiam. Alteram permittendi peccata non solum omissionis, sed etiam commissionis, quo ad priuationem debitæ rectitudinis. Alteram concurrendi cum voluntate creata ad actus peccatorum, quo ad eorum entitatem, & bonitatem. Cum enim potentia sit executiua diuinæ prouidentiæ, sicut in Deo duplex est prouidentia, scilicet approbationis, & concessionis, vt ait S. D. *de Veritate, q.* 5. C *a.* 4. & prior est respectu bonorum: Posterior autem est respectu peccatorum, vt explicauimus *p.* 1. *q.* 22. *a.* 2. ita in Deo distinguenda est potentia, sc. operatiua & permissiua: illa in ordine ad bona vt bona sunt, hæc in ordine ad peccata, vt mala sunt: sicut enim prouidentia, sic & potentia opposita respicit. Recte igitur asserunt alij recentiores videlicet Med. Val. Suar. & Aluar. Controuersiam hanc esse de potentia Dei absoluta.

Secundo respondetur potentiam Dei absolutam in re proposita non referri ad peccatum, sed ad conseruationẽ, aut simultatem, vel (vt ita loquar) compatibilitatem vnionis hypostaticæ inter. Verbum, & humanitatem, cum eadem humanitate vt infecta peccato, aut actu peccante.

Secundo obseruandum est, sex esse huius Contro- *Partitio.* uersiæ partes. PRIMA est: *An assumpta humanitas possit peccare vnione simul cum peccato, & post peccatum perseuerante?* SECVNDA est: *An assumi potuerit à Verbo humanitas infecta peccato originali, vel actuali.* TERTIA est: *An fieri possit, vt in vno instanti peccet humanitas, & in eodem instanti dissoluatur eius vnio cum verbo personalis.* QVARTA pars est: *An sit possibile Deum assumere naturam, quæ toto tempore præcedente fuerit infecta peccato in proprio supposito, quæ tamen in ipso assumptionis instanti mundetur ab omni peccato?* QVINTA est: *An possit Verbum assumere naturam expulsa culpa, & remanente reatu?* VLTIMA est: *An assumi possit à Verbo natura à culpa, & reatu purgata, sed habitibus vitiorum subiecta?* Quas singulas eo ordine, quo propositæ sunt, breuiter attingemus.

PRIMA pars *Controuersiæ. An Christus secundum assumptam humanitatem possit secundum Dei potentiam absolutam peccare, vnione simul cum peccato, & post peccatum perseuerante?* Huic quæsito negatiue respondetur ex communi scholasticorum sententia supra notata: quam ex S. Patribus hauserunt: quorum dicta referunt Suar. & Vasq. Primus est Athanasius *in lib. de Incarnatione;* cuius verba refert sexta Synodus *act.* 8. Affirmat autem Athanas. humanam Christi voluntatem assumptione factam fuisse impeccabilem. Secundus est Gregor. Nazian. *orat.* 36. *num.* 46. qui ait, voluntatem humanam Christi, ita fuisse Deificatam per vnio-

fenditur sensus quæstionis contra Vasq. & distinguitur materia Controuersiæ.

nem ad verbum, vt non posset diuinæ repugnare: A quod dictum refert eadem Sexta Synodus *act.* 17. Tertius est Cyril. Alexand. qui *in libro aduersus Antrop. cap* 23. dicit Christum incapacem esse peccati, & *in libro de fide ad Theodosium* ait, animam Christi per vnionem ad Verbum factum esse superiorem omni peccato, & immutabilem. Quartus est Ambr. *in lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento*, vbi ait timendum non esse, ne anima Christi capax esset peccati; quia per vnionem facta est impeccabilis. Quintus est Hilarius: qui *lib.* 10. *de Trin.* ait, ita repugnare Christo peccatum, sicut repugnat Christum non esse Christum. Sextus est Cyprian. *lib. de Christi operibus Cardinalibus, cap. de Ieiunio, & tentatione Christi*, dicens Christum virtute vnionis hypostaticæ caruisse omni sensu & con- B sensu peccati: quod idem affirmat Origenes, *lib.* 2. *Periarcon, c.* 6. declarans hoc exemplo ferri igniti; quod non est capax frigiditatis. Septimus est August. qui *in libro de Correptione, & gratia, & lib.* 1. *contra duas Epistolas Pelagianorum, & lib.* 1 *de peccatorum meritis, cap.* 11. ait humanam Christi naturam, propter vnionem eius cum Verbo personalem, peccare non posse. His adde Anselmum *libr.* 2. *Cur Deus homo, cap.* 10. Fulgent. *libr. de Incarnatione, & gratia, cap.* 7. & 8. Tertull. *lib. de Carne Christi*, dicentes Christum peccare non potuisse: quia non erat purus homo, sed Deus & homo. Eandem veritatem probant recentiores multis argumentis: ex quibus duo præcipua reijcit Vasq. vt minime concludentia. *Primum argumentum* est: Actio animæ Christi & humanitatis assumptæ est actio suppositi diuini: at impium & blasphemum est asserere suppositum diuinum posse peecare; ergo impium & blasphemum est asserere Christum aut eius animam posse peccare. Hoc argumento vtuntur Magister sent. *in* 3. *dist.* 12. *cap.* 2. & *ibi* S. Bonav. *a.* 2. *q.* 1. & 2. Capr. *q.* 1. *a.* 1. & 3. Palud. *q.* 2. Med. & Val. *super hoc a.* Suar. *disp.* 34 *sect.* 2. Aluar. *disp.* 68. & alij. Vt autem pateat huius rationis efficacitas obseruandum est primo, Peccatum omne commissionis esse actionem quandam vitalem defectiuam, peccatum autem omissionis nũquam incurri sine actu voluntatis positiuo, ex quo causatur omissio: exempli gratia, actus ludi D aut venationis causa est omittendi missam, aut custodiam debitam familiæ, naui, ciuitati, arci vel exercitui sibi commissis, & ideo actus ludi & venationis malus moraliter est ex circumstantia temporis, quia tunc exercetur, quando custodiẽda est familia, nauis &c. omnis autem actio vitalis duo sibi vendicat principia proxima; Alterum quo, & hoc est forma siue natura: Alterum quod, & hoc est suppositum: & quoniam hæc duo principia postulat actio vitalis ex intrinseca & quidditatiua sua ratione, adeo vt esse nequeat actio vitalis, nisi cum ordine ad vtrumq; dictum principium, ideo sicut forma & natura causalitatem quandam habet formalem respectu actionis vitalis, quæ per ipsam elicitur, tanquam per principium agendi formale, ita suppositum quandã E participat formalem causalitatẽ hoc ipso, quod actio vitalis, quatenus talis, necessariam includit ad ipsum habitudinem, vt ad principium, quod eam elicit: in quo differt hoc suppositum à quouis alio supposito etiam diuino, actionem illam effectiue causante; nam, exempli gratia, actio intelligendi, loquendi vel ambulandi, soli Petro tribuitur vt illam elicienti; licet enim Deus vt prima causa in eam magis influat & eam magis causet, quam secunda, sola tamen secunda actionem elicit vitalem, vt eius principium illi essentialiter commensuratum & proportionatum; ac proinde sola causa secunda ex tali actione vitali denominatur: dicitur n. solus Petrus actu suæ intellectionis intelligens, & actu suæ locutionis loquẽs, & actu ambulationis ambulans, nõ a Deus.

Prima ratio qua cõtra Vasq. defenditur. C

Ex his sequitur primo, quod si Christi humanitas peccaret, siue committẽdo siue omittendo, Verbum esset actionis principium proximum & elicitiuum vt quod, & vere ac proprie diceretur peccans eo modo, quo supposituũ proprie & formaliter dicitur agens actione per ipsum elicita; nec esset tantum extrinseca denominatio aut nuda idiomatum communicatio, vt affirmant Durandus & Marsilius, afferentes exemplũ de aqua calida calefaciente. Nam aqua secundum se non causat effectiue calorem sed sola caliditas aquæ; ipsa vero aqua præcise se habet vt subiectum sustentans. *Secundo sequitur* recte dictum fuisse à Medina & aliis recentioribus Thomistis, differentiam esse inter mortem & alios corporales defectus ex vna parte, & peccatum ex alia parte, quod mors est malum pœnæ in Deum ordinabile, sed peccatum nec à Deo est, nec ad Deum est ordinabile, cum sit auersio à Deo & contra Deũ, & ideo posse illos absque impietate de Verbo Incarnato prædicari, licet Deo repugnent secundũ propriã eius naturam, ita vt vere ac proprie dici possit Deum Incarnatum fuisse percussum, crucifixum & mortuum, nõ autem ita dici possit Deum peccare vel peccasse; quia priores illi defectus à Deo sunt effectiue; Peccatum vero nullo modo causatur à Deo. *Sed obijcit Vasq.* primo: quia etiam si *Obi. Vasq.* Deus non esset causa mortis, posset ei mors attribui ratione naturæ assumptæ, quam ipse sustẽtat; ergo, etiam si Deus non sit causa peccati, posset ei peccatum attribui ratione assumptæ naturæ, si nihil aliud obsisteret. *Sed hic cauillus soluitur* ex dictis: *Solut.* nam corporales defectus non includunt in sui intrinseca ratione ordinem ad Deum, vt efficientem; quod ex eo patet; quia sine ordine ad Deum concipiuntur, & diffiniuntur; & ideo considerata eorum ratione quidditatiua, præcisa Dei causalitate, non implicat, vt Deum Incarnatum denominent: At peccatũ, cum sit actio vitalis, præscindi nõ potest ab ordine essentiali, quem habet ad suppositum, vt principium quod elicit & causat ipsum peccatum; & ideo peccatum nõ potest denominare suppositum, nisi vt ab eo tanquam efficiente causatum.

Secundum argumentum, quo post D. Thom. *in* 3. *dist.* 12. *q.* 2 *a.* 1. prædicti fere omnes vtuntur ad eãdem veritatem confirmandam, est: quia suppositum cuiuscunque naturæ intellectualis aut rationalis tenetur actiones eius dirigere, & earum defectus impedire; quæ si non præstet, imputantur ei peccata; igitur si Verbum diuinum actiones assumptæ naturæ non dirigat & earum defectus non impediat, peccata assumptæ naturæ Verbo tribuerentur, non per solam idiomatum communicationem, sed etiam tanquam auctori ob dictam causam. Antecedens probatur: quia suppositum rationalis naturæ quatenus est suppositum, est agens vt quod; quatenus autem est rationalis naturæ est agens per intellectum & volũtatem: quod autem agit per intellectum & voluntatem tenetur actiones legi naturali & diuinæ conformare; igitur suppositum omne rationalis & intellectualis naturæ tenetur actiones talis naturæ tanquam suas quas scilicet per intellectum & voluntatem producit, dirigere & earum defectus, quibus à lege naturæ & à lege diuina discordant, impedire. Et confirmatur argumentum Primo: quoniam, vt ait Damascenus, diuinitas & Verbum in Christo regebat animam, & anima corpus:

Afferitur secunda ratio pro eadem veritate, & ostenditur eius efficacitas contra Durandum, & Vasq.

corpus: at operatio mala corporis tribueretur animæ; ergo etiam peccatum animæ tribueretur diuinitati. Secundo confirmatur: quoniam in vno & eodem supposito humano est duplex appetitus, scilicet voluntas & appetitus sensitiuus; & propter identitatem suppositi imputatur homini, non solum id quod fit per voluntatem, sed et id quod fit inordinate per appetitum sensitiuum: quia suppositum per voluntatem potest & debet motus omnes inordinatos appetitus sensitiui reprimere; ergo similiter cum Verbum sit vnum suppositum duarum naturarum, & vnum agens vt quod per duas naturas, atq; adeo vnus rector omnium operationum ab ipso procedentium, consequens fit vt actiones omnes siue bonæ siue malæ, per vtramuis naturam exercitæ illi tribuantur.

Ad cuius ampliorem euidentiam scito, vim prædictæ rationis in hoc positam esse, quod Verbum, vt persona distincta à Patre & Spiritu S. est suppositum, non solum diuinæ sed etiam humanæ naturæ; ac proinde etiam speciali modo, qui non conuenit Patri & Spiritui sancto, Principium est actionum humanitatis. Pater enim & Spiritus S. sunt harum actionum principia, vt simul cum Verbo sunt vna causa vniuersalis omnium operationum, quæ fiunt à causis secundis: at Verbum Incarnatum vt sic, causa est operationum assumptæ humanitatis, vt proprium & proximum earum principium, quod eas efficit per humanitatem; & ideo eadem æterna lege & iustitia, qua tenetur recte agere, & sibi vt vltimo fini ac summæ sapientiæ, & bonitati non aduersari per malam aliquam operationem, tenetur vt suppositum quod agit, ad recte semper operandum. Et quia omne agens liberum agit per intellectum, in quo est sapientia & regula omnium actionum directiua, & per voluntatem per quam inclinatur agens ad operationem determinatam; ideo obligatio ad recte operandum & ad regulandum actiones conuenit supposito, tanquam vtenti regula per intellectum concepta, & voluntatis inclinatione tali sapientia & iudicio regulata & consequenter iusta: quamuis ergo obligatio conueniat voluntati tanquam potentiæ, & principio quo operandi, prius tamen & magis proprie conuenit supposito, vt principio, quod suarum operationum, quas per voluntatem exercet.

Durandi, & Vasq. obiecta soluta.

Ex his euanescunt obiecta Durandi & Vasquezij aduersus prædictam rationem; quæ vere est demonstratio: non enim viderunt, aut visam dissimularunt eius efficacitatem.

Tertia ratio ex Patribus.

Superest iam tertium argumentum, quod affert Vasq. ad eandem veritatem comprobandam ex dictis Patrum collectum: quod ait esse efficacissimum. Natura (inquit) humana hoc ipso, quod Verbo diuino in vnitate personæ copulatur; ita sanctificatur & Deificatur, vt eius etiam opera sanctificentur & Deificentur & non possint non esse digna coram Deo & grata & meritoria, secluso etiam quocunque dono creato; igitur impossibile est naturam sic vnitam peccare. Antecedens est doctrina Patrum locis supra notatis: Cõseq. vero probatur: quia peccatum omne mortale, siue sit actuale siue sit permanens per modum habitus, siue sit originale talis est naturæ, vt illum in quo est reddat Deo inuisum & inimicum & dignum æterna pœna; impossibile est autem vnum & eundem hominem simul esse Deo gratum & inuisum, mereri coram Deo æternæ vitæ præmiũ, & esse dignum æterna damnatione. Et confirmatur: quia non minus pugnat peccatum omne mortale cum gratia vnionis, qua Christus proximè & formaliter sanctificatur, vt idem sit homo & filius Dei naturalis, quam cum gratia habituali, seu adoptionis hominem iustificante: at per Dei potentiam absolutum fieri non potest, vt gratia sit in eadem anima simul cum peccato; ergo multo minus per Dei potentiam absolutam esse poterit gratia vnionis simul in eadem anima, vel natura cum peccato mortali. Et quoniam, vt dictum est, gratia vnionis constituit filium Dei naturalem; atque adeo infinite Sanctum; ideo gratia vnionis in hoc excedit gratiam adoptionis, quod hæc admittit peccatum veniale, illa vero repugnat omni peccato. Quod etiam declarat Origenes *loco supra notato*, & alij S. Patres exemplo ferri igniti, quod nullius est capax frigiditatis. De hac materia multa diximus *supra q. 7. a. 1 Contr. 2.*

Secvnda pars Controversiæ. *An assumi potuerit à Verbo humanitas infecta peccato originali, aut macula ex actuali peccato relicta.* Huius difficultatis solutio sequitur euidenter ex dictis: si enim gratia vnionis magis repugnat peccato, quam gratia adoptionis, cum hæc non admittat peccatum originale, vel actuale mortale, multo magis illa repugnabit peccato omni etiam veniali; quia perfecte Deificat & infinite sanctificat: itaque etiam si Christus per seminalem propagationem fuisset conceptus, non contraheret peccatum originale, quia peccatum originale non contrahitur, antequam ille, qui contrahit, fuerit persona subsistens & existens; cum igitur humana Christi natura subsistat subsistentia Verbi, & per eam Deificetur & infinite sanctificetur, implicat contradictione, ipsam in instãti vnionis, quo fit subsistens subsistentia Verbi, aut etiam post contrahere peccatum originale: & eadem ratione, si esset aliqua natura subsistens personalitate Petri cum aliqua peccati macula, & eam destructa personalitate Petri Verbum assumat, ipso assumptionis actu & vnione cum persona Verbi tolletur maculæ turpitudo, non minus quam per infusionem gratiæ abluatur macula peccati. Nec tamen ex tali naturæ assumptione consequens fieret Deum aliquando peccasse; quod tamen concedit Vasquez fallo innixus fundamento supra cõuulso, videlicet eundem hominem censeri debere, siue eadem humanitas sit simul in tribus suppositis diuinis, siue maneat in proprio supposito dimissa à diuino; & consequenter etiam si destructa propria personalitate assumatur à persona diuina, eo quod (inquit) est eadem natura, & concretum naturæ directe denotat naturam, & connotat suppositum. De qua re satis diximus supra *q. 3. a. 6. & 7 & 1. p. q. 39. a. 3.* Veritas est solam naturæ identitatem non sufficere, sed requiri etiam identitatem suppositi; vt sit idem homo simpliciter, & vt fiat idiomatum communicatio; vt hic etiam affirmat Suarez & alij; & ideo in casu prædicto non esset vera hæc propositio *Deus peccauit.*

Probatur assumi non posse.

Tertia pars Controversiæ. *An fieri possit, vt in vno instanti peccet humanitas, & in eodem instanti dissoluatur eius vnio cum Verbo personalis?* Ratio huius quæsiti est, quia non raro contingit, vt gratiam habens adoptionis in eodem instanti peccet, & gratiam amittat, immo id accidit omni homini post gratiam adoptionis mortaliter peccanti: alioquin gratia semel habita, nunquam posset amitti; quod est hæreticum; & cum Deus nunquã deserat hominem, nisi prius ab eo deseratur, dicendum est peccatũ esse causam amittendæ gratiæ adoptionis. Similiter ergo videtur effici potuisse, vt humanitas Christi peccaret, & in eodem instanti propter tale peccatum dissolueretur eius

Posse humanitatem à Verbo dimitti, & in eod. instanti peccare, non tamen ita, vt peccatum esset causa dimittendi humanitatem.

vnio personalis cum filio Dei, cui quæsito, vt breuissime satisfaciam,

Dico Primo fieri potuisse, vt humanitas dimitteretur à Verbo, & in eodem instanti peccaret: ita tamen, vt peccatum non esset causa dimissionis eius à Verbo. probatur: quia in eodem instanti potuit humanitas Christi habere primum non esse in persona Verbi, & primum esse in persona propria: illud autem instans secundum illud primum esse, esset primum instans plenæ libertatis ad bonum & malum: cum igitur actus peccati elici possit in instanti, consequens est, potuisse in eo casu Christi humanitatem in proprio supposito existentem peccare. Nec talis actus tribueretur authori naturæ: quia non esset simpliciter primus actus illius naturæ: nam prius existens in Verbo multos habuisset actus perfectissimæ Charitatis in Deum.

Secvndo *dico fieri nullo modo posse, vt humanitas dimittatur à Verbo, & ipsa in eodem instanti peccatum incurrat, quod sit causa dimissionis eius à Verbo*: Probatur hoc dictum ex fundamento posito *in prima parte Controuersiæ, in tertia probatione*: quia scilicet humanitas vnione hypostatica sanctificatur infinite & Deificatur cum omnibus suis operibus, quæ dignitatem & valorem ex vnione illa humanitatis, cuius sunt operationes, acquirunt; adeo vt Christi operationes per humanam voluntatem exercitas Damascenus vocet Theandricas, id est Dei viriles: igitur natura sic vnita nulli potest obnoxia fieri peccato, quo mereatur à Verbo separari. Secundo probatur: quia differunt gratia vnionis & gratia habitualis; quod hæc non constituit suppositum; illa vero suppositum constituit, vt est persona composita siue humana, & ex hac sequitur alia differentia; quod gratia habitualis non est ratio seu principium omnis operationis à supposito procedentis, & ideo potest eius suppositum aliquid operari, quo gratia destruatur: sicut etiam alijs accidit habitibus. Gratia vero vnionis est ipsius suppositi operantis constitutiua modo dicto, & ideo nulla esse potest operatio, quę procedat à natura hypostatice Verbo vnita; & non ab ipsa vnione, tanquam supposito sic, id est vt est humanum constitutiua: quia operatio principalius est suppositi, quam naturæ: quoniam huic conuenit vt principio quo, illi autem vt principio quod. Et confirmatur: quia si assumpta natura peccare potuisset, ita vt peccatum esset causa separationis eius à Verbo, vel hæc operatio esset à persona Verbi, vel à persona propria consequente naturam separatam: at neutrũ dici potest; ergo. Maior probatur: quia omnis operatio est operatio suppositi, nec potest natura esse principium quod operationis, vt cõtra Vasquezium ostendimus *supra q.1 a.2. Controu.1.* Minor vero probatur: Primo quo ad primam partẽ: Nam si hæc operatio procedit à diuino supposito per humanitatẽ, necesse est vt in eo instãti, in quo procedit, duret vnio naturæ cum supposito; ergo non potest vnio desinere esse in eo instanti per primum suum non esse; quia vnumquodque agit secundum quod est actu: si ergo suppositum Verbi agit per humanitatem, vt suppositum per suam naturam, necesse est vt in illo & pro illo instanti, in quo agit, sit personaliter humanitati cõiunctum. Quo ad secundam vero partem probatur: quia contradictio est manifesta, quod actio peccati sit à supposito creato naturam dimissam consequente, & quod tale peccatum sit causa dimissionis illius naturæ: quia sequeretur, tunc esse vnionem tollendam per actum peccati, & non esse vnionem, quia peccatum est posterius personalitate creata quæ est posterior separatione humanitatis à Verbo, cum ad eam sequatur. Et hæc est optima probatio: quam immerito Vasquez impugnat *in allegata disp. 61.* innixus illi suo falso principio, videlicet naturam esse principium vt quod suarum operationum. Videnda sunt, quæ supra diximus, *q.7. art.1.* de sanctificatione & dignitate humanitatis, & operationum eius ex vnione hypostatica.

Qvarta Controversiæ *pars. An fuerit possibile assumi naturam, quæ toto tempore præcedente fuerit infecta peccato in proprio supposito, quæ tamen in ipso assumptionis instanti mundetur à culpa?* Huic quæsito satisfecimus *in 2. parte Controu.* Nunc addo in hac assumptione nihil esse, quod diuinam dedeceat maiestatem, aut diuinæ non congruat sapientiæ, vel sit alienum à diuina bonitate, aut non subdatur omnipotentiæ. Non enim Deus hac vnione culpam assumeret, sed expelleret, nec aliquid ageret virtuti, aut honestati contrarium, sed infinitam ostenderet suæ misericordiæ largitatem iuxta illud *Psal. 112. Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus, &c.*

Qvinta pars *Controuersiæ. An possit Deus assumere naturam expulsa culpa, & remanente reatu, saltem pœnæ temporalis?* Duæ sunt inter se pugnantes de proposita difficultate sententiæ. *Prima*, quæ est affirmans, Suarez. habet auctorem; *Secunda*, quæ negat, Vasquez. habet defensorem: Ait ergo Suarez *prope finem dictæ disp. 11.* fieri posse, vt Verbum naturam assumat expulsa culpa, & reatu æternæ pœnæ, quæ simul cum culpa remittitur, remanente reatu pœnæ temporalis. Ad explicationem autem suæ sententiæ distinguit, dicens: Si reatus inuoluat respectum ad propria ipsius debitoris, ita vt significet debitum pœnæ contractum ex operib. ipsius debitoris, sic proprie (inquit) illud debitum, quod intelligeretur manere in Christo, non esset reatus respectu illius; sicut nec illud debitum, quod Christus assumpsit satisfaciendi pro hominibus, est proprie reatus, sed debitum voluntarie assumptum: Respectu tamen assumptæ naturæ debitum illud haberet rationem reatus; eo quod sit contractum per actus eiusdem naturæ in alio supposito, quæ satis probabilia sunt. *Sed arguit* Vasquez dupliciter; *Primo*: Quia hoc ipso, quod natura assumitur, vt quæ adeo est grata Deo & iusta coram ipso, vt digna sit omni bono; ac proinde quæ careat omni malo & pœna; ergo vnione ipsa purgaretur, non solum omnis macula, sed etiam omnis reatus, ad pœnam etiam temporalem omnino tolleretur. *Secundo*, si reatus aliquis in assumpta natura maneret, tribueretur supposito, sicut alia prædicata per communicationem idiomatum; ergo Christus & Deus tunc vere diceretur reus pœnæ temporalis, quod est absurdum. *Quibus potest* facile satisfieri. *Ad primum* enim diceret Suarez consequentiam cum suo consequente veram esse de reatu, seu pœna debita in ordine ad Christum seu suppositum naturæ, non autem de reatu seu pœna debita in ordine ad assumptam humanitatem, quia Christus sicut retenta gratiæ plenitudine & infinita sanctitate, voluntarie assumpsit debitum satisfaciendi pro peccatis omnibus totius humani generis, ita potuit assumere voluntarie debitum satisfaciendi pro peccatis, quæ commissa fuissent ab assumpta natura, antequam assumeretur. *Ad secundum* dico falsam esse conditionalem assumptam. Nam, vt ante diximus, ad communicationem idiomatum requiritur identitas suppositi, quæ non esset in casu proposito.

Probabile esse id fieri posse.

Obiectio Vasq.

Solutio.

Vltima

VLTIMA PARS *Controuersiæ. An assumi potuerit à Verbo natura à culpa, & reatu purgata, sed habitibus vitiorum subiecta?* In hac etiam difficultate dissentiunt duo supradicti expositores: Negat enim Suarez *loco supra notato*, naturam cum talibus habitibus in ea perseuerantibus assumi posse; Vasq. autem ait hoc esse possibile. Mihi tamen opinio Suar. videtur esse probabilior, & diuinæ bonitati ac infinitæ Christi dignitati & sanctitati consonantior. *Et probatur, Primo*: quia non potest Deus assumere errorem vel falsitatem: ergo multo minus assumere poterit habitus vitiorum, qui peiores sunt & magis fugiendi. *Secundo*, quia hæc vitia, nec per se appetibilia sunt, nec ad honestum finem possunt per se conferre. *Tertio*, quoniam his repugnat Deificari & sanctificari, cum ex sui natura ad peccatum inclinent. *Quarto*: quia licet hæc vitia peccata non sint, deordinationem tamen intrinsece claudunt hoc ipso, quod ad peccatum inclinant: ac proinde etiam rectæ rationi repugnant; ergo à Deo optimo, & sapientissimo non possunt assumi.

Probatur id fieri non posse.

His argumentis respondet Vasq. *Ad primum* negat antecedens: sed illud esse verum probat Suarez supra *disp.* 24. *sect.* 3. *in fine* pluribus valde probabilibus argumentis. *Ad secundum* nihil respondet. *Ad tertium* ait Verbum ea tantum assumpta sanctificasse, quæ erant capacia sanctitatis, & iustitiæ quales non sunt habitus vitiosi: & hac (inquit) ratione potuit. Deus assumere naturam alicuius bruti, quam assumptione non sanctificasset: *Sed in hac* respons. duo sunt manifeste falsa. Primum est, non omne assumptibile esse sanctificabile: Nam, cum duplex sit sanctitas, vt supra diximus, *quæst.* 7. *art.* 1. *Controu.* 2. altera quæ fit vnione hypostatica formaliter primo aut secundario, & altera quæ fit per gratiam & virtutes, ac dona ad gratiam consequentia; licet non omne assumptibile sit capax huius posterioris sanctitatis, omne tamen assumptibile hoc ipso quod assumptibile est, capax est prioris sanctitatis, quæ fit vnione ipsa hypostatica; per se primo quidem in iis quæ immediate & secundum seipsam assumuntur, vt est humanitas & eius partes: vnio enim hæc summa sanctitas est possibilis creaturæ communicari. Secundario vero & per quandam participationem deriuatur hæc sanctitas ad accidentia coassumpta, tam ex parte animæ quam ex parte corporis.

Vasquezij responsiones confutantur.

Secundum in eadem responsione falsum est, habitus vitiosos esse negatiue tantum incapaces sanctificationis: cum enim ad peccatum inclinēt, & suapte natura sint inordinati, ac priuati rectitudine, quæ est secundum rectam rationem, repugnantiam habent cum sanctitate positiuam ac proprie dictam.

Ad quartum respondet, ideo teneri quemlibet prudentem pro posse vitiosos habitus euitare, quia ad malum inclinant & præstant facilitatem & promptitudinem ad malum, quod quisque prudens vitare debet: At si Deus hos habitus assumeret, non esset imprudens: quia nullum assumptæ naturæ periculum immineret peccandi. *Hanc vero* responsionem nullius esse valoris patet ex dictis: licet enim nullum delinquendi periculum esset in assumpta natura; quia tamen habitus vitiosi per se mali sunt hoc ipso, quod inclinant ad malum & deordinationem includunt rectitudini rationis oppositam, implicat eos à Deo, qui summa sanctitas & iustitia est, assumi. Et confirmatur: quia peccatum repugnat assumptæ humanitati: quia in eo priuatio est debitæ rectitudinis. Confirmatur secundo: quia habitus & actus non differunt, nisi sicut perfectum & imperfectum; igitur si actus repugnat assumptioni aut vnioni, eidem etiam repugnat habitus: constat autem ex dictis actum vitiosum repugnare assumptæ humanitati; igitur eidem etiam repugnabit habitus vitiosus.

Naz. in D. Thom. 3 partem.

PRIMA CONCL. *Christus, vt homo, siue secundum vnitam sibi personaliter humanitatem, peccare non potuit, nec secundum Dei potentiam ordinariam, nec secundum Dei potentiam absolutam.* Hæc conclusio patet *ex prima parte controuersiæ, & ex dictis supra q.* 7. *art.* 1. *Controv.* 2.

Conclusiones deductæ, & probatæ.

SECVNDA CONCL. *Duæ rationes Thomistarum superius examinatæ, & explicatæ probant optime prædictam conclusionem.* Hæc est contra Vasquezium, & patet ex dictis *in prima parte Controv.*

TERTIA CONCL. *Non fuit possibile Deum assumere humanitatem infectam peccato originali, aut macula ex actuali peccato relicta.* Hæc patet ex secunda parte Controuersiæ.

QVARTA CONCL. *Non fuit possibile humanitatem à Verbo assumptam peccare peccato, quod fit causa separationis, & in eodem instanti à Verbo separari.* Hæc patet ex tertia parte Controv.

QVINTA CONCL. *Posset Deus naturam assumere, quæ in proprio supposito peccauerit, emundando eam à culpa in ipso assumptionis instanti.* Hæc patet *ex* 4. *parte Controv.* & declaratur: quia in eodem instanti potest esse primum non esse culpæ, & primum esse personale Verbi in humanitate.

SEXTA CONCL. *Valde probabile est, posse Deum naturam anteà peccatricem assumere, expellendo ab ea culpam, & relinquendo reatum pœnæ temporalis.* Hæc patet *ex quinta parte Controv.*

VLTIMA CONCL. *Non fuit possibile Deum assumere naturam prius peccato infectam, expulsa macula, & reatu peccati, sed remanentibus in ea habitibus vitiorum.* Hæc patet *ex vltima parte Controv.*

CONTRA *primam concl.* sunt argumenta Dur. & aliorum, quæ referunt & soluunt Capr. *in allegata dist.* 12. Med. *super hoc art.* & Aluar. *disp.* 68.

Argum. & solutiones.

CONTRA *secundam concl.* sunt argumenta Dur. & Vasq. quæ facile diluuntur ex dictis.

CONTRA *tertiam concl.* sunt argumenta, quæ tangunt & soluunt Med. & Aluar. inter argumenta contra primam conclusionem.

CONTRA *quartam concl.* est argumentum supra tactum & solutū; quod etiam affert & soluit Suarez.

CONTRA *sextam concluſ.* sunt duo argumenta Vasq. superius allata & soluta.

CONTRA *vltimam concl.* sunt duo argumenta; quæ tangit Vasq. quorum solutio patet ex dictis *in vltima parte Controv.*

ARTICVLVS II.

Vtrum in Christo fuerit fomes peccati.

AD *secundum sic proceditur. Videtur, quod in Christo fuerit fomes peccati. Ab eodem enim principio deriuatur fomes peccati, & passibilitas corporis, siue mortalitas, scilicet ex subtractione originalis iustitiæ: per quam simul inferiores vires animæ subdebantur rationi, & corpus animæ. Sed in Christo fuit passibilitas corporis, & mortalitas. Ergo etiam in eo fuit fomes peccati.*

Inf. q. 27. *a.* 3 *& 1. & 3. d.* 17. *a.* 1. *q.* 2. *& 4. Pus. 3. c.* 231. *Cap.* 14. *& 15.*

Præterea: Sicut Dam. dicit in 3. *lib. Beneplacito diuinæ voluntati permittebatur caro Christi pati, & operari, quæ propria. Sed proprium est carni, vt concupiscat delectabilia sibi. Cum igitur nihil aliud sit fomes, quam concupiscentia (vt dicitur in Glo. Rom.* 7.) *videtur, quod in Christo fuerit fomes peccati.*

Præterea: Ratione fomitis peccati, caro concupiscit aduersus spiritum: vt dicitur Gal. 5. Sed tanto spiritus ostenditur fortior, & magis dignus corona, quanto magis superat hostem, scilicet concupiscentiam carnis: secundum illud 2. Timoth. 2. Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Christus autem habuit fortissimum, & victoriosissimum spiritum, & maxime dignum corona, secundum illud Apoc. 6. Data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret. Videtur ergo quod in Christo maxime debuerit esse fomes peccati.

q. 7. a. 2. & 9.

Sed contra est, quod dicitur Matth. 1. Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Sed Spiritus sanctus excludit peccatum, & inclinationem peccati, quæ importatur nomine Fomitis. Ergo in Christo non fuit fomes peccati.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, Christus perfectissime habuit gratiam & omnes virtutes. Virtus autem moralis, quæ est in rationali parte animæ, eam facit esse rationi subiectam: & tanto magis, quanto perfectior fuerit virtus: sicut temperantia concupiscibilem, & fortitudo, & mansuetudo irascibilem: vt in Secunda parte dictum est: ad rationem autem fomitis pertinet inclinatio sensualis appetitus in id, quod est contra rationem. Sic igitur patet, quod quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, tanto magis in eo debilitatur vis fomitis. Cum igitur in Christo fuerit virtus secundum perfectissimum gradum, consequens est, quod in eo fomes peccati non fuerit, cum etiam iste defectus non sit ordinabilis ad satisfaciendum, sed potius inclinet ad contrarium satisfactioni.

Alia rationali. c. 2. q. 56. a. 4.

Ad primum ergo dicendum, quod inferiores vires pertinentes ad sensibilem appetitum, naturaliter sunt obedibiles rationi: non autem vires corporales, vel humorum corporalium vel etiam ipsius animæ vegetabilis: vt patet in primo Ethic. Et ideo perfectio virtutis, quæ est secundum rationem rectam, non excludit passibilitatem corporis: excludit autem fomitem peccati: cuius ratio consistit in resistentia sensualis appetitus ad rationem.

Cap. vlt.

Ad secundum dicendum, quod caro naturaliter concupiscit id, quod est sibi delectabile concupiscentia appetitus sensitiui: sed caro hominis (quæ est animal rationale) hoc concupiscit secundum modum, & ordinem rationis. Et hoc modo caro Christi concupiscentia appetitus sensitiui naturaliter appetebat escam, & potum, & somnum, & alia quæ secundum rectam rationem appetuntur: vt patet per Damascen. in 3. lib. Ex hoc autem non sequitur quod in Christo fuerit fomes peccati, qui importat concupiscentiam delectabilium, præter ordinem rationis.

Cap. 14.

Ad tertium dicendum, quod fortitudo spiritus aliqualis ostenditur, ex hoc, quod resistit concupiscentiæ carnis, sibi contrariantis, sed maior fortitudo spiritus ostenditur, si per eius virtutem totaliter caro comprimatur, ne contra spiritum concupiscere possit. Et ideo hoc competebat Christo: cuius spiritus summum fortitudinis gradum attigerat. Et licet non sustinuerit impugnationem interiorem ex parte fomitis, sustinuit tamen exteriorem impugnationem ex parte mundi, & diaboli: quos superando victoriæ coronam promeruit.

Sensus quæsiti.

QVID sit fomes peccati declarat S. D. infra *quæst* 27. *art.* 3. Caietan. & Med. *super hoc artic.* Suarez *in Commen.* & latius Vasquez *disp.* 61. *cap.* 8. quitamen immerito reiicit rationem fomitis in actu primo.

Forma Textus.

CONCL. *est: In Christo non fuit fomes peccati.* Probatur dupliciter. Primo: quia in Christo fuit virtus secundum perfectissimum gradum; ergo in eo non fuit fomes peccati. Antecedens probatur: quia Christus perfectissime habuit gratiam & omnes virtutes. Consequentia vero probatur: quia quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, tanto magis in eo debilitatur vis fomitis; ergo, si in Christo fuit virtus secundum gradum perfectissimū, nullus fuit in eo fomes peccati. Probatur hoc assumptum: quia virtus moralis, quæ est in rationali parte animæ, eam facit esse rationi subiectam & tanto magis, quanto perfectior fuerit virtus; ergo quanto virtus in aliquo fuerit magis perfecta, &c. Antecedens probatur inductiue in temperantia, fortitudine, & mansuetudine. Consequentia probatur: quia ad rationem fomitis pertinet inclinatio sensualis in id, quod est cōtra rationem; ergo. Secundo probatur concl. quia defectus hic, qui nuncupatur fomes, non est ordinabilis ad satisfaciendum, sed potius inclinat ad contrarium satisfactionis; ergo.

Expositio Textus.

HVIVS articuli concl. esse fidei dogma certissimum probant Med. *super hoc art.* Suar. *disp.* 34. *sect.* 2. vbi quædam aduersus hanc veritatem proponit & diluit argumenta: Vasq. *disp.* 61. *c.* 8. eandem concl. late probat ex Sanctorum dictis & Conciliorum definitionibus. Non placet tamen modus loquendi horum duorum expositorum asserentium in Christo fomitem fuisse extinctum, videntur enim supponere fomitem quandoque in Christo fuisse, saltem prius natura, quam extingueretur, aut debitum in eo fuisse fomitem contrahendi; quorum vtrumque falsum esse declarat Christi conceptio facta virtute Spiritus sancti & assumptio in ipso conceptionis instanti facta ad vnitatem Verbi personalem. Si namque personalis hæc vnitas nullum potest in humanitate habitum vitiosum admittere, eo quod ad peccatum inclinet & inordinationem claudat, multo minus fomitem compatitur pro aliquo instanti naturæ, aut debitum contrahendi talem imperfectionem; cuius propria & sola radix est peccatum originale; à quo Christi generatio fuit immunis. Certe magis ac prius ad peccatum fomes inclinat, & prius etiam inordinationem intime claudit, quam habitus vitiosi; igitur fomes magis, quam habitus vitiosi, repugnat assumptæ humanitati.

Controuersia Vnica.

An prima ratio S. Doctoris pro conclusione sit efficax; & an per Dei potentiam absolutam potuerit, aut possit à diuina persona fomes assumi?

RATIO PRIORIS *dubitationis* est: quia non solum in Christo, sed etiam in quibusdam alijs, & præsertim in Ioanne Baptista fuerunt virtutes perfectæ, non in habitu tantum, sed etiam in exercitio: propter quod in diuina scriptura vocatus est iustitia; de eo namque Glossa exponit dictum illud *Psalm.* 84. *Iustitia ante eum ambulabit*: igitur si ratio Sancti Doctoris est efficax, probat etiam in Ioanne nullum extitisse fomitem peccati; *quod* communi Theologorum opinione falsum est. HVIC *dubitationi* respondet Caietanus hanc esse differentiam inter animam Christi & aliorum hominum, quod anima Christi statum habebat innocentiæ, quantum ad elongationem à peccato; & ideo naturalis inclinatio animæ Christi secundum appetitum sensitiuum debuit subijci perfecte rationi per virtutum perfectionem: cæterorum autem animæ, etiam post sanctificationem in vtero, vulneratæ remaneant in inclinatio-

Prima pars controuersia.

Ratio dubitandi.

Et sententia Doctor.

elinatione naturali ad bonum sensitiuæ partis: & ideo non sufficit in alijs virtutis perfectio ad tollendum fomitem, sed in Christo tantum. Quã expositionem, reiiciunt omnes recentiores. Medina duo dicit. *Primum* est, potuisse id, quod fiebat per iustitiam originalem, in Christo suppleri per excellentiam virtutum, & gratiæ plenitudinem; quæ non erat in alijs. *Secundum* est; si prædicta non sufficiebãt, fuisse appetitum Christi sensitiuum impeditum, ne præueniret rationis imperium: Quod dictum sequitur Suarez: vel (inquit) addẽda est virtutibus animæ Christi aliqua perfectio actualis, per quam anima sit ita semper actualiter disposita, vt præuenire possit motiones obiectorum sensibilium. Vasq *disp.* 61 *c.* 8. audacter pronunciat, rationem & causam allatam à S. Th. non esse sufficientem ad excludendum fomitẽ ab assumpta humãitate, & impugnatis prædictis dicendi modis, suam explicationem dicẽs, propriam causam, ob quam non fuerit in Christo fomes peccati, fuisse, aut solam Dei visionem: sicut etiam in statu innocentiæ subiectio appetitus ad rationem non charitati, aut alicui habitui, aut operationi, sed peculiari Dei protectioni est adscribenda.

Resolut. Rationem D. Thomæ sumptã ex perfectione propria gratiæ, & virtutum animæ Christi probare efficaciter conclusionem.

Mihi vero longe aliter dicendum occurrit. Ad cuius euidentiam *Sciendum est*, aliud esse loqui de habitibus virtutum infusis secundum earum rationem & perfectionem absolute & simpliciter consideratam, & aliud esse loqui de eisdem habitibus secundum talem modum & excellentiam singularem, quam habent ex tali subiecto, & principio, ex quo dimanant. Nam, si de virtutum habitibus priori modo consideratis sermo sit, certum est habitum virtutis quantũcunq; perfectum existentem in parte animæ rationali, aut in appetitu sensitiuo, non posse sibi aut potẽtię superiori subijcere totaliter potentiam, in qua residet, aut aliam illi subordinatam, sed semper subditur vsui voluntatis. Nam, vt ait S. D. *in* 1. 2. *q.* 71. *art.* 4. hoc interest inter formam rei naturalis, & habitus animæ; *quod forma rei naturalis ex necessitate producit operationem sibi conuenientem: vnde non potest esse simul cum forma naturali, actus formæ contrariæ; sicut non potest esse cum calore actus infrigidationis, neque simul cum leuitate, motus descensionis, nisi forte ex violentia exterioris mouentis: sed habitus in anima non ex necessitate producit suam operationem; sed homo vtitur eo, cum voluerit: vnde simul habitu in homine existente potest non vti habitu, aut agere contrarium actum, & sic potest habens virtutem procedere ad actum peccati, &* *q.* 78. *art.* 2. ait, vti habitu non esse necessarium, sed subiacere voluntati agentis. Vnde (inquit) habitus diffinitur esse, quo quis vtitur, cum voluerit. Quod alibi sæpe repetit S. D. igitur virtus, quantumuis perfecta, absolute & simpliciter cõsiderata non subijcit totaliter appetitum sensitiuum rationi; ac proinde nec fomitem excludit peccati. Si vero de virtutum habitibus loquamur secundum talem modum & excellentiam eorum singularem illis conuenientem, prout sunt in tali subiecto, & quatenus ex tali principio deriuantur, dicendum est cum D. Tho. partem appetitiuam sensitiuam per eos fieri totaliter rationi subiectam: talis autem modus & excellentia solis conuenit virtutum habitibus assumptæ à Verbo humanitatis. Differunt enim gratia Christi & virtutes à gratia & virtutibus aliorum hominum. *Primo*, quod gratia habitualis fuit quodammodo Christo homini naturalis, vt ait S. Doct. supra *quæst.* 2. *artic. vltimo.* quia causata fuit à diuina natura in Christo existẽte, & eam à natiuitate habuit, & ex proprietate natiuitatis, prout sic conceptus est de Spiritu sancto, vt esset idem naturalis filius Dei & hominis. Quod idem dicendum est de virtutibus & donis ad gratiam consequentibus: Hæc autem non conueniunt gratiæ & virtutibus cæterorum hominum. *Secundo differunt*; quod gratia Christi habitualis est effectus consequens vnionem, vt ait idem S. Doct. *supra q. 6. art. vltim.* iuxta illud *Ioan.* 1. *Vidimus gloriam eius, sicut vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*: quo (inquit) *datur intelligi, quod hoc ipso, quod ille homo est vnigenitus à Patre, habet, vt per vnionem insit illi plenitudo gratiæ, & veritatis: & q.* 3. *art. vlt.* sic loquitur: *Gratia causatur in homine ex præsentia diuinitatis; sicut lumen in aere ex præsentia Solis: vnde dicitur Ezechiel.* 43. *Gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem, & terra splendebat à maiestate eius: præsentia autem Dei in Christo intelligitur secundum vnionem humanæ naturæ ad diuinam personam. Vnde gratia habitualis Christi intelligitur, vt consequens hanc vnionem, sicut splendor Solẽ.* Hoc autem cõstat cæteris hominibus minime conuenire. *Tertia differentia* ex prædictis consequens est, quod gratia Christi est gratia capitalis. Primo: quoniam, vt ait S. D. supra *q.* 9. *art.* 1. omnibus data est gratia per respectum ad gratiam Christi; iuxta illud *Rom.* 8. *Quos præscíuit, hos & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Secundo, quia Christus perfectionem habet quo ad plenitudinem omnium gratiarum, dicente Ioanne: *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis.* Tertio, quia virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ, secundum illud *Ioan.* 1. *De plenitudine eius omnes accepimus*, quod idem dicendum est de virtutum habitibus gratiam Christi consequentibus: Hæc autem gratiæ cæterorum hominum nequeunt conuenire.

Ex his sequitur primo, gratiam habitualem humanitatis personaliter Verbo coniunctæ, vt ita Verbo coniuncta est, vendicare sibi plenitudinem connaturalem, & rationem capitis seu fontis, ex quo cæterorum hominũ gratię deriuantur.

Secundo sequitur, per gratiam excluſam fuisse penitus à Christi humanitate inclinationem peccandi: repugnat enim hæc inclinatio, seu fomes cum naturalitate gratiæ: Si namq; ex tali Christi natiuitate, qua ita conceptus est de Spiritu S. vt esset idem filius Dei & homo, fluit quasi naturaliter gratia, sicut splendor emicat ex Sole, non potest ex eadem natiuitate fluere propensio naturalis ad peccãdum: nulla enim natura inclinari potest simul ad oppositа. Et licet potuerit Deus humanam naturam assumere sine gratia ex vnione hypostatica profluente; quia tamẽ secundum ordinem incarnationis mysterio connaturalem ex vnione gratia deriuatur, vt splendor ex Sole, ideo semper in humanitate sic vnita Verbo esset inclinatio connaturalis ad gratiam & virtutes cũ summa perfectione & plenitudine, cui inclinationi directe contrariatur fomes, qui dicit inclinationem ad peccandum; & ideo etiam in tali assumptione nullus esset fomes in assumpta humanitate. Cum ergo S. D. hic ex summa gratiæ & virtutũ Christi perfectione deducit in Christo nullũ peccati fomitẽ extitisse, de perfectione loquitur virtutibus illis conueniente, non secundũ solam earum rationẽ simpliciter consideratã, sed etiam secundum oẽm perfectionem, quam habet in ordine ad Christũ; ratione cuius habent, vt sint illi connaturales, & vt sint capitales, ac veluti fons perennis, ac minime defectibilis; esse vero connaturale & capitale, maxima perfectio est; & in hoc videtur esse posita vis probationis D. Thom. quam non viderunt prædicti recentiores.

SECVNDA PARS *Controuersiæ. An per Dei potentiam absolutam potuerit cum assumpta humanitate fomes assumi.* Vasquez *in allegata disput. 61. cap. 8. n. 55.* duo dicit. *Primum* est, potuisse, ac posse Deum assumere naturam cum motibus appetitus inordinatis. *Secundum* est; si naturam humanam cum his motibus assumeret, fore vt vere diceretur, naturā humanam assumpsisse cum fomite. Oppositam sententiam, vt probabiliorem sequitur Suarez *disp. 34. sect. 2. in fine.*

Sent. Doct.

Resolut. Id fieri non posse probatur ex fundamento partis præcedentis.

Huius difficultatis definitio pendet ex iijs, quæ diximus pro solutione præcedentis dubitationis: ostendimus enim ex perfectione gratiæ Christi, quæ attenditur etiam penes ordinem ad vnionem hypostaticam, Christi gratiam & virtutes, omnem ab humanitate Christi excludere inclinationem ad peccandum; ac proinde motum omnem inordinatum & fomitem. Et probatur etiam ex doctrina S. Th. *in 3. dist. 12. q. 2. art. 1. & 2.* sic arguendo: Christo repugnat peccare posse, aut habere potentiam peccandi: at si in Christo posset esse fomes, in eo posset esse potētia peccandi; ergo. Maior est. D. Th. *in dictis locis.* Minor probatur: quoniam, vt ait ibi S. D. *art. 2.* Potentia peccandi est potentia ordinata ad peccandum: at fomes est potentia ordinata ad peccandum; quia est appetitus vt inclinatus ad bonum secundum sensum contra ordinem rationis; ergo. Confirmatur primo: quia Christus non solum ex vi vnionis qua erat Deus & homo, sed etiam quia venerat peccata tollere, debuit esse quam maxime distans à peccato; at magis distat à peccato, qui non solum peccare non potest ob extrinsecā Dei protectionem, sed etiam caret omni inclinatione ad peccatum; ergo Christus nullam potuit habere inclinationem ad peccandum. Confirmatur secundo: quia Christus vt homo viator fuit perfectissimum exemplar omnium bonorum operum, & dux & lex ac regula animata, dirigens nos in viam rectam; igitur omnis ei debetur rectitudo, & eidem omnis repugnat obliquitas; at fontes magnam habet obliquitatem & inordinationem; ergo repugnat Christo Deo & homini viatori. Denique confirmatur: Quia Christus ex vi vnionis hypostaticæ magis elongatur à peccato, quam beati: isti ex vi beatitudinis perfectæ carent omni inclinatione ad peccatum; ergo multo magis Christus. Maior probatur: quia magis Deificatur humanitas vnione hypostatica, quam beatus visione beatifica, & perfecta gloria animæ simul & corporis. Minor patet ex dictis in multis præcedentibus Controuersiis, & ex communi doctrina.

Conclus. deducta, & probata.

PRIMA CONCLVS. *Ratio prima S. Doct. in textu probat efficaciter conclusionem.* Hæc patet ex *dictis in 1. p. Controuersiæ.*

SECVNDA CONCLVS. *Nec per Dei potentiam absolutam potuit esse peccati fomes in Christo.* Hęc est contra Vasq. & patet ex dictis in secunda parte.

Obi. 1 cont. 1 concl. fol.

CONTRA *primam conclus.* est ratio dubitandi in principio posita; *cui satisfit*, negando assumptum; quia licet in Ioanne & quibusdam alijs fuerint virtutes secundum earum perfectionem essentialem, & etiam secundum statum heroicum, non tamen habuerunt eum modum perfectionis, & eam excellentiam quam habuerunt in Christo, qui erat Deus & homo: erant enim illi connaturales, & in ordine ad virtutes cæterorum hominū erant exemplares & capitales; & ideo ex sui ratione fomitem excludebant.

Obiect. 2.

CONTRA *eandem conclus.* argumentatur Vasqu. Quia virtutes, quæ sunt in parte animæ nostræ irrationali, non possunt reprimere omnes motus appetitus, & illius inclinationem ad eos omnino impedire, sed solum ipsam inclinationem appetitus minuere, non quidem intrinsece, (sic enim tandem finiretur,) sed extrinsece, ex quo prouenit, vt nunquam finiri aut extingui possit; sicut et per habitus vitiorum minuitur inclinatio ad virtutem, sed non extinguitur; quia non minuitur intrinsece sed extrinsece, scilicet per contrariam inclinationem illi additam: ergo neque in Christo, &c. *Resp.* Antec. verum esse de virtutibus simpliciter & absolute sumptis, non autem vt sunt tali subiecto connaturales: sic enim ratione connaturalitatis oppositā ad peccata inclinationem non tantum extrinsece minuunt, sed etiam per modum intrinsecæ perfectionis excludunt: prout scilicet tale subiectum connaturalem, & sufficientem habet virtutem omnium causam, ex qua veluti proprietates emanant, vt ante diximus. *Solut.*

CONTRA *secundam conclus.* argumentatur Vasquez. *primo:* Quia supposito præsertim increato sustentanti alienam naturam non incumbit peculiaris cura dirigendi illam ad operationem; ergo nihil esset indecens, si Deus, qui posset assumere naturam bruti, assumeret etiam naturam humanam cum motibus inordinatis. Antec. probatur: quia non apparet, qua obligatione teneri possit suppositum diuinum ad reprimendos motus naturæ humanæ, quam assumpsit. *Resp.* falsum esse antec. vt supra ostēsum est. Ad probationem dico suppositum diuinum nulla externa lege teneri, sed naturali suæ sapientiæ rectitudine, qua omnia operatur suæ consona bonitati. *Obi. 1 cont. 2. concl.* *Solut.*

Secundo: Nihil obstat, quo minus natura humana propagata ex Adamo per naturalem generationem, & natura prius infecta peccato originali assumeretur à Verbo cum motibus inordinatis, qui tunc non solum ad peccatum inclinarent, sed etiam à peccato essent ad agonem ex sola Dei voluntate relicti. *Resp.* Negando anteced. quamuis ex Adamo per naturalē generationem propagata, & prius natura peccato infecta potuisset assumi, in ipso tamen assumptionis instanti ex vi assumptionis & vnionis hypostaticæ ab omni peccati macula mundaretur, & ab ea peccati fomes, & omnis inclinatio ad motus inordinatos excluderetur. Cætera ad hunc articulum pertinentia vide apud expositores. *Obiect. 2.* *Solut.*

ARTICVLVS III.

Vtrum in Christi fuerit ignorantia.

AD tertium sic proceditur. *Videtur, quod in Christo fuerit ignorantia. Illud enim vere fuit in Christo, quod sibi competit secundum humanam naturam, licet ei non competat secundum diuinam, sicut passio, & mors. Sed ignorantia conuenit Christo secundum humanam naturam: dicit enim Damasc. in 3. lib. quod ignorantem, & seruilem assumpsit naturam; ergo ignorantia vere fuit in Christo.* *3. d. 17. a. 1.* *q. 3 5.* *Cap 21.*

Præterea: Aliquis dicitur ignorans per notitiæ defectū. Sed aliqua notitia defuit Christo: dicit enim Apost. 2. ad Cor. 5. Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit; ergo in Christo fuit ignorantia.

Præterea: Isa. 8. dicitur, Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci. Puer autem ille est Christus. Ergo in Christo fuit aliquarum rerum ignorantia.

Sed contra: Ignorantia per ignorantiam non tollitur: Christus autem ad hoc venit, vt ignorantias nostras auferret: venit enim, vt illuminaret hos, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent; ergo in Christo ignorantia non fuit.

Respondeo dicendum, quod sicut in Christo fuit plenitudo *q. 7. a. 9. & q. 9. a. 1.*

tudo gratiæ, & virtutis, ita in ipso fuit plenitudo omnis A
scientiæ, vt ex præmissis patet. Sicut autem in Christo ple-
nitudo gratiæ, & virtutis excludit fomitem peccati, ita
plenitudo scientiæ excludit ignorantiam, quæ scientiæ op-
ponitur. Vnde, sicut in Christo non fuit fomes peccati, ita
non fuit in eo ignorantia.

Ad primum ergo dicendum, quod natura à Christo as-
sumptæ potest dupliciter considerari. Vno modo secundum
rationem suæ speciei: & secundum hoc dicit Damasc. eam
esse ignorantem, & seruilem. Vnde subdit: Nam serua
quidem est hominis natura eius, qui fecit ipsam, Dei scili-
cet, & non habet futurorum cognitionem. Alio modo po-
test considerari secundum id quod habet ex vnione ad hy-
postasim diuinam, ex qua habet plenitudinem scientiæ, &
gratiæ secundum illud Ioan. 1. Vidimus eum, quasi vnige-
nitum à patre plenum gratiæ, & veritatis. Et hoc modo B
natura humana in Christo ignorantiam non habuit.

Ad secundum dicendum, quod Christus dicitur non
nouisse peccatum; quia nescivit per experientiam, scivit
autem per simplicem notitiam.

Ad tertium dicendum, quod loquitur ibi Propheta de
scientia humana Christi. Dicit ergo, Antequam sciat
puer, scilicet secundum humanitatem, vocare patrem suũ,
scilicet Ioseph (qui pater eius fuit putatiuus) & matrem
suam, scilicet Mariam, auferetur fortitudo Damasci:
Quod non est sic intelligendum, quasi aliquando fuerit ho-
mo, & hoc nescierit: sed antequam sciat, id est, antequam
fiat homo, scientiam habens humanam, auferetur vel ad
literam, fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, per regem
Assyriorum: vel spiritualiter, quia nondum natus popu-
lum suum sola inuocatione saluabit. vt glo. Hier. ibi expo- C
Serm. 4. to- *nit. Aug. tamen in sermo. de Epi. dicit hoc esse completum*
mo 10. *in adoratione Magorum. Aut enim, Antequam per huma-*
nam carnem humana verba proferret, accepit virtutem
Damasci, scilicet diuitias, in quibus Damascus præsume-
bat: in diuitijs autem principatus auro defertur. Spolia
vero Samariæ idem ipsi erant: Samaria namque pro ido-
lolatria ponitur. Illic enim populus ad idola colenda con-
uersus est. Hæc igitur prima spolia per idololatria detra-
xit. Et secundum hoc intelligitur, antequam sciat, id est,
antequam ostendat se scire.

Sensus quæsiti.

CVM triplex sit ignorantia, scilicet prauæ di-
spositionis, priuatiua, & simplicis negationis D
quæstio hic est de duobus primis tantum igno-
rantiæ modis; qui soli proprie dicunt imperfe-
ctionem & intellectum, cui insunt denominant
imperfectum: ignorantia vero simplicis negatio-
nis proprie dicitur nescientia, quæ sicut non re-
pugnat Angelis beatis, ita nec animę Christi, quę
non attingit omnia, quæ Deus scit scientia sim-
plicis intelligentiæ.

Forma Textus.

CONCLVSIO *est: In Christo non fuit ignorantia.*
Probatur: quia, sicut in Christo fuit plenitu-
do gratiæ & virtutis, ita in ipso fuit omnis plenitudo
scientiæ; ergo, sicut in Christo non fuit fo-
mes peccati, ita non fuit in eo ignorantia. Ante-
cedens patet ex supradictis. Consequentia pro- E
batur: quia, sicut in Christo plenitudo gratiæ &
virtutis excludit fomitem peccati, ita plenitudo
scientiæ excludit ignorantiam, quæ scientiæ op-
ponitur.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt, quæ supra diximus *quæst. 9.*
art. 1. de errore tam intellectus, quam sensus.
Vide etiam, quæ notat Caiet. circa respon-
sionem ad tertium argumen-
tum D. Th.

Controuersia Vnica.

An esse potuerit error, aut ignorantia in Christo secun-
dum Dei potentiam absolutam.

PRÆTER scholasticos supra notatos, *q. 9. art. 1.* *Sent. Doct.*
Controu. 1. vbi eandem proposuimus ac breui-
ter absoluimus difficultatem, Vasq. *disp. 61. c. ap. vlt.*
tria dicit. *Primum* est: si sermo sit de errore, quem
communiter practicum vocant; nempe de eo,
qui præcedit in intellectu, antequam voluntas
peccet, dicendum est in humanitate Christi, nul-
lo modo esse potuisse. Hic autem defectus (in-
quit) non est falsa aliqua affirmatio, aut negatio
de re facienda, sed remissa quædam, & parum ex-
pressa consideratio eius, quod à malo animum
retrahere debet. *Secundum* est: si sermo sit de quo-
uis alio genere erroris speculatiuo, quod citra
culpam est, pronuncio in Christo esse potuisse:
quia nihil obstat, quo minus Deus sit author er-
roris, qui non est peccatum in nobis secundum
propriam rationem erroris, sed est malum pœnę;
licet enim impossibile sit Deum esse auctorem
erroris tanquam testem per se vel per alium, ita
vt ipse testificãs per se, vel per alium aliquem de-
cipiat, potest tamen esse causa erroris cooperan-
do ad errorem per modum causæ primæ, aut et-
iam offerendo causas deceptionis. *Tertium*, quod
ex secundo deducit, est: Deo in assumpta natura
non repugnat habitus inclinãs ad errorem. Suar.
disp. 24. sect. 3. cuius sententiam retulimus *in dicta*
Controuers. partem negantem sibi magis placere
declarat; quam ante eum defendunt Ban. & Val.
2. 2. q. 1 ar. 3. & alij.

CVM, vt ante diximus, triplex sit ignorantia, *Resolut.*
scilicet prauæ dispositionis, priuatiua, & simpli- *Deum nul-*
cis negationis, certum est ignorantiam omnem *lo modo es-*
quæ peccatum implicat aut supponit, Incarnato *se potuisse*
Verbo secundum assumptam naturam minime *causam erroris*
posse conuenire; ignorãtiam etiam simplicis ne- *practici*
gationis Christo secundum humanitatem non *aut specu-*
esse repugnantem, ex eo patet, quod Deus assu- *latiui, coo-*
mere potuit naturam Leoninam; igitur etiam as- *perando ad*
sumere potuit naturam humanam, nulla scientia *errorem vt*
perfectam. Difficultas ergo est de ignorãtia pra- *error est; &*
uæ dispositionis, & de ignorantia priuatiua, quæ *in Christo*
est negatio scientiæ debitæ inesse. Ad cuius evi- *nullum er-*
dentiam *præmittenda sunt* quatuor distinctiones. *rorem, aut*
Prima distinctio est: Duplex est error: Alter specula- *ignorantiã*
tiuus; qui dicit falsam cognitionem de rei quid- *priuatiuã*
ditate, proprietate aut accidente ad operationẽ *esse potuis-*
non ordinatam, siue quæ non est alicuius opera- *se.*
tionis proximè directiua: Alter est error, qui dici-
tur practicus; qui est falsa cognitio, seu magis iu-
dicium præueniens actum voluntatis inordinatum, tam elicitum, quam imperatum. *Secunda di-*
stinctio est: Deum esse causam erroris dupliciter
potest intelligi: Vno modo, tanquam testem per
se vel per alium, quod est Deum asserere falsum
per se ipsum, aut per alium: Alio modo, vt cau-
sam primam cooperando ad errorem, vel etiam
offerendo causas deceptionis. *Tertia distinctio* est:
Non eodem modo loquendum est de errore re-
spectu puræ creaturæ, quantauis sanctitate per-
fectæ, & de errore respectu naturæ intellectualis
existentis in diuino supposito per hypostaticam
vnitatem; vt ex dicendis patebit. *Quarta distinctio*
est: Errorem esse in Christo secundum intelle-
ctum humanum, quatuor modis potest intelligi:
Primo, vt humanitas assumatur cum errore in ea,
genito in ipso instanti assumptionis. Secundo,
vt à Deo sit infusus error post assumptionem
humanitatis. Tertio, vt humanitas post ali-
quod tempus, Deo permittente, incidat in erro-
rem

rem. Quarto, vt humanitas prius extiterit in proprio supposito cum errore, & deinde assumatur à Verbo, errore post vnionem perseuerante. Quibus præmissis; *Sciendum est primo*, effectum deficientem, quatenus effectus deficiens est, non posse à Deo immediate produci, sed tãtum media causa secunda; vt patet de actu blasphemiæ, fornicationis & aliis actibus moraliter malis; cuius ratio est; quia actus deficiens, quatenus talis, dicit ordinem intrinsecum ad deficientem: prima vero causa non potest deficere: Constat autem errorem omnem, tam in actu quam in habitu, esse effectum deficientem; igitur in causam secundam, sc. in hominis discursum & voluntatem deficientem erit error omnis reducendus.

A

Secundo considerandum est, Deum hoc ipso nobis manifestare aliquid, & quodammodo testificari, lumen, ac facultatem naturalem aut supernaturalem ad illud cognoscendum infundit: Vnde *Rom.*1. de sapientibus huius mundi diuinas perfectiones naturali lumine cognoscentibus dicitur. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestauit: inuisibilia enim* Dei, *&c.*

B

Tertio notandum est, illud axioma commune, videlicet, *Intellectus speculatiuus extensione fit practicus*; ex quo infertur intellectum speculatiuum esse primam radicem bonitatis, aut malitiæ in operibus volũtatis, proximam autem esse intellectum practicum per actum vltimum iudicij de operatione hic & nunc exercenda; Vnde S.D. *in* 1.2.*q.* 19.*art.* 3. ait bonitatem voluntatis ex ratione dependere, vt obiectum proponente: Si autem fuerit error in intellectu speculatiuo, impossibile est illum extendi, vt fiat practicus, nisi cum errore: exempli gratia, Philosophus existimat Deum nõ habere prouidentiam horum inferiorum, & ex hoc errore speculatiuo extenditur ad praxim, scilicet ad actum falsæ doctrinæ, & ad operandum contra legem naturæ: cum ergo diuinæ bonitati repugnet esse causam horum peccatorũ, eidem etiam repugnabit errorem speculatiuum in intellectu causare, cum ex tali errore, vt ex prima & sufficienti radice proueniat error practicus, & ex hoc mala sequatur operatio necessario, quo ad specificationem actus.

C

D

Postremo recolenda sunt, quæ supra diximus *art.*1. nimirum actionẽ omnem esse suppositi vt principij quod immediate elicientis & operantis; & suppositum omne teneri ad dirigendas omnes suas operationes, quas efficit mediante natura & facultate: Et licet suppositum diuinum nulla externa lege possit obligari, sua tamen essentiali & intrinseca rectitudine quodammodo tenetur, & quodam quasi vinculo obligationis constringitur ad operationes omnes dirigendes, siue sint per diuinam, siue sint per assumptam ab eo naturam elicitæ.

Coneluſ. deducta, & probata.

PRIMA CONCLVS. *In Christo secundum humanam naturam potuit esse ignorantia simplicis negationis*: Hæc patet ex dictis.

E

SECVNDA CONCLVS. *In Christo non potuit esse error practicus*: In hac conclusione conuenit etiam Vasq. Et probatur: quoniam hic error est proxima causa peccati; ergo sicut Deus non potest esse causa peccati, ita nec errorem practicum potuit in anima Christi causare aut permittere. Secundo probatur ex primo notabili: quoniam error est quidam effectus deficiens; ergo vt talis non potest immediate produci, nisi à causa deficiente: Deus autem non potest esse causa deficiens: ergo.

TERTIA CONCLVS. *Deus non potest esse causa erroris, vt testis per se, vel per alium.* Probatur: quia Deus est summa veritas; ergo non potest esse testis falsitatis. Hanc conclusionem late probant Ban. & Val. *in* 2.2 *q.*1.*a.*3. & consentit Vasq.

QVARTA CONCLVS. *Deus non potest esse causa erroris practici, aut speculatiui, vt prima causa cooperans ad errorem, vt error est.* Hæc est contra Vasquezium. *Contra Vasquez.* Probatur: quoniam ex errore speculatiuo depẽdet error practicus, & ex hoc oritur actio moraliter mala; ergo. Secũdo probatur: quoniã, vt ante diximus, omnis effectus deficiens, vt talis est, debet reduci in causam deficientem, vt propriam & proximam eius causam. Tertio probatur: quia Deus est ipsa summa, & prima veritas; ergo non potest esse causa falsitatis.

QVINTA CONCLVS. *Impossibile est esse errorem aliquem in Christo, simul cum assumpta humanitate in eo causatum.* Probatur: quoniam hic error non minus Deo tribueretur, quam illi tribueretur peccatum Angeli, si in primo suæ creationis instanti peccasset: Nam, vt ait S.D. 1.*p.quæst.*63.*art.*5. illa operatio, quæ simul incipit cum esse rei, est ab agente, à quo habet esse: sicut moueri sursum inest igni à generante.

SEXTA CONCLVS. *Nullus error esse potuit in anima Christi personaliter vnita Verbo.* Probatur: quoniam hic error Verbo tribueretur ob duas prædictas causas. Prima est: quia actiones sunt suppositi vt principij quod proxime & immediate eliciẽtis. Secunda est: quia tenetur suppositum omnes suæ naturæ operationes dirigere, & regulæ rectæ rationis aclegi diuinæ conformare; at posito errore, tollitur recta ratio; ergo nulla remanet in suppositio regula ad dirigendas operationes; ac proinde debita carebunt rectitudine, & erunt peccata; quæ Christo nulla ratione possunt conuenire; vt ostensum est *in primo articulo.*

VLTIMA CONCLVS. *In Christo nulla potuit esse ignorantia priuatiua.* Probatur primo: quia hæc est priuatio scientiæ debitæ, & ideo talis ignorantia, nunquam est sine culpa: pertinet enim ad ignorantiam consequentem voluntatem, quæ distinguitur in ignorantiam affectatam malæ electionis & iuris: qui omnes modi peccatum implicãt; vt patet ex D.Th.1.2.*q.*6.*a.*8. & *q.*76.*a.*3.4. Secundo probatur conclusio: quia ex tali ignorantia sequuntur actiones inordinatæ.

Contra prædictas conclusiones sunt argumenta, quæ referunt & soluunt Ban. & Valent. *locis supra notatis.* Ea vero, quæ tangit Vasq. *in allegato c.* 9. facilem habent ex dictis solutionem. *Argum. & solutiones.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum anima Christi fuerit Passibilis.

3.d.13.q.1. a.2.q.1.2. & d.11.q. 2.ar.1 q.1. & 1.dis.32. li. & opus. 3.c.48. & opu.60.c.3. 60.3. Cap.16.to. 3.text.19. li.4.ar.a. D 194.

AD *quartum sic proceditur. Videtur, quod anima Christi non fuerit passibilis. Nihil enim patitur, nisi à fortiori: quia agens præstantius est patiente, vt patet per Aug.*12. *super Gen. ad literam, & per Philosophum* 3. *de anima. Sed nulla creatura fuit præstantior, quam anima Christi. Ergo anima Christi non potuit ab aliqua creatura pati: & ita non fuit passibilis: frustra enim in ea fuisset potentia patiendi, si à nullo pati potuisset.*

Præterea. Tullius in lib. de Tusculanis quæstionibus dicit, quod passiones animæ sunt quædam ægritudines. Sed in anima Christi non fuit aliqua ægritudo: nam ægritudo animæ sequitur peccatum: vt patet per illud Psal. Sana animam meam, quia peccaui tibi. Ergo in Christo non fuerunt animæ passiones.

Præterea: Passiones animæ videntur idem esse cum fomite peccati, vnde & Apost. Rom. 7. vocat eas passiones peccatorum. *Sed in Christo non fuit fomes peccati: vt supra dictum est. Ergo videtur, quod non fuerint in eo animæ passiones: & ita anima Christi non fuit passibilis.*

Sed

Sed contra est, quod in Psal. dicitur ex persona Christi; A *Repleta est malis anima mea. Non quidem peccatis, sed humanis malis, id est, doloribus, vt gl. ibi exponit. Sic ergo anima Christi fuit passibilis.*

Respondeo dicendum, quod animam in corpore constitutam dupliciter contingit pati. Vno modo, passione corporali: Alio modo passione animali. Passione quidem corporali patitur per corporis læsionem. Cum enim anima sit forma corporis, consequens est, quod vnum sit esse animæ, & corporis: & ideo corpore perturbato per aliquam corpoream passionem, necesse est, quod anima per accidens perturbetur, scilicet quantum ad esse, quod habet in corpore.

q.14. ar. 2. *Quia igitur corpus Christi fuit passibile, & mortale (vt supra habitum est) necesse fuit, vt etiam eius anima hoc modo passibilis esset. Passione autem animali pati dicitur anima secundum operationem, quæ, vel est propria animæ, vel principalius est animæ, quam corporis. Et quamuis etiam secundum intelligere, & sentire dicatur hoc modo anima aliquid pati: tamen sicut in secunda parte dictum* B

3.2.q.22 a. & 3.c.9 to.5. *est proprijssime dicuntur passiones animæ, affectiones appetitus sensitiui: quæ in Christo fuerunt, sicut & cætera, quæ ad naturam nominis pertinent. Vnde Augustinus dicit in 14. de Ciuit. Dei, Ipse Dominus in forma serui vitam agere dignatus, humanitus adhibuit eas, vbi adhibendas esse iudicauit: neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Sciendum tamen est, quod huiusmodi passiones aliter fuerunt in Christo, quam in nobis, quantum ad tria. Primo quidem quantum ad obiectum: quia in nobis plerumque huiusmodi passiones feruntur ad illicita: quod in Christo non fuit. Secundo quantum ad principium: quia huiusmodi* C

Cap. 9. *passiones frequenter in nobis præueniunt iudicium rationis: sed in Christo omnes motus sensitiui appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis. Vnde Augustinus dicit 14. de Ciuit. Dei quod hos motus certissima dispensationis gratia, ita cum voluit Christus suscepit animo humano, sicut cum voluit factus est homo. Tertio quantum ad effectum: quia in nobis quandoque huiusmodi motus non sistunt in appetitu sensitiuo, sed trahunt rationem, quod in Christo non fuit: quia motus naturaliter humanæ carni conuenientes, sic ex eius dispositione in appetitu sensitiuo manebat, quod ratio ex his nullo modo impediebatur*

Cap. 26. in Matt. to. 9. *facere quæ conueniebant. Vnde Hier. dicit super Matth. quod Dominus noster, vt veritatem assumpti probaret hominis, vere quidem contristatus est: sed ne passio in animo illius dominaretur per propassionem, dicitur quod cœpit* D *contristari: vt passio perfecta intelligatur quando animo, id est, rationi dominatur: propassio autem, quando est inchoata in appetitu sensitiuo, sed vlterius non se extendit.*

Ad primum ergo dicendum, quod anima Christi poterat quidem resistere passionibus, vt ei non superuenirent, præsertim virtute diuina: sed propria voluntate se passionibus subijciebat, tam corporalibus, quam animalibus.

Ad secundum dicendum, quod Tullius ibi loquitur secundum opinionem Stoicorum, qui non vocabant passiones quoscunque motus appetitus sensitiui, sed solum inordinatos: tales autem passiones manifestum est in Christo non fuisse.

Ad tertium dicendum, quod passiones peccatorum, sunt motus appetitus sensitiui in illicita tendentes: quod non E *fuit in Christo, sicut nec fomes peccati.*

Sensus quæsiti.

PASSIBILE dicitur aliquid secũdum passionem in seipso receptam: vt autem ait S. D. in textu duplex est passio: Altera corporalis est, altera animalis; quæ est motus seu affectus animæ secundum appetitum sensitiuum. Hic vero motus siue affectus duplex est: Alter qui nascitur ex notitia alicuius disconuenientis; vt fuga, ira, timor, tristitia, dolor, & odium, quæ propriissime passiones dicuntur: Alter effectus est, qui ex cognitione oritur obiecti conuenientis; vt amor, delectatio & gaudium; quæ proprie quidem passiones nuncupantur; non eo tamen gradu proprietatis, quo præcedentes. Quærit hic S.D. de passibilitate animæ Christi, quæ est secundum passiones, tam corporales quam animales, tam primi quam secundi generis: vt patet ex prima & secunda conclusione. Quare non recte Vasquez quæsitum huius articuli restringit ad solos affectus, qui ex alicuius obiecti disconuenientis cognitione nascuntur. *Vasquezii interpretatio reiicitur.*

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione cum subdiuisione alterius membri; respondetur quæsito tribus conclusionibus.

Prima distinctio est: Animam in corpore constitutam dupliciter contingit pati: Vno modo passione corporali; alio modo passione animali. Declaratur vtrumque membrum: & primo quo ad primam partem dicẽdo, quod pati passione corporali, est pati per corporis læsionem: quod probatur: quia vnum est esse animæ & corporis; ergo necesse est, vt corpore perturbato per aliquã corpoream passionem, anima per accidẽs perturbetur, scilicet quantum ad esse, quod habet in corpore: Antecedens probatur; quia anima est forma corporis. Secundum vero membrum declaratur dicendo, quod anima dicitur pati passione animali secũdum operationem, quæ vel est propria animæ, vel principalius est animæ, quam corporis. *Subdiuisio* huius membri est: Duplex est passio in anima; altera secundum intelligere & sentire; & hæc dicitur passio minus proprie: Altera est secundum affectiones appetitus sensitiui; & hæc dicitur passio propriissime. Probatur: quia affectiones appetitus sensitiui propriissime dicuntur passiones, vt dictum est *in prima secundæ, q. 22. ar. 2. & 3.*

PRIMA CONCLVS. *Anima Christi fuit passibilis passione corporali.* Probatur: quia corpus Christi fuit passibile & mortale; ergo: Antecedens patet ex supra dictis. Consequentia patet ex priori membro distinctionis, *& eius declaratione.*

SECVNDA CONCLVS. *est: Anima Christi fuit passibilis passione animali.* Probatur: quia affectiones appetitus sensitiui fuerunt in Christo; ergo. Antecedens probatur dupliciter, primo: Quia cætera omnia, quæ ad naturam hominis pertinent, fuerunt in Christo: at istæ affectiones ad naturam hominis pertinent; ergo. Secundo probatur auctoritate Augustini, vt patet in textu.

TERTIA CONCLVS. *est. Huiusmodi passiones aliter fuerunt in Christo, & aliter in nobis: quia scilicet in Christo fuerunt ordinatæ, in nobis autem inordinatæ.* Probatur ex triplici differẽtia iuxta triplicem modum, quo deordinantur passiones in nobis, non autem in Christo, videlicet ex parte obiecti, vel ex parte principii, vel ex parte effectus, vt perspicue declaratur in textu.

Expositio Textus.

CIRCA distinctionem, aduerte passionem animæ corporalem esse passionem secundum ipsam essentiam animæ, non absolute sumptam, sed prout actu corpus informat. Nam, vt ait S.D. quia vnum est esse animæ & corporis, necesse est, vt corpore perturbato per aliquam passionem, anima per accidens perturbetur, scil. quo ad esse, quod habet in corpore, à quo per alterationem potest separari. Altera vero passio, quæ dicitur animalis, sit in anima secundum potentiam, quæ est appetitus sensitiuus.

De veritate & sensu secundæ, & tertię conclusionis differit erudite & eleganter Medina *super hoc*

hoc art. & post eum Suarez *disp.34. sect.1.* quorum dictis nihil addendum occurrit. A

Vide etiam, quæ de passionibus animæ docet S.Thom. *in 1.2. quæst.22. & seqq.*

ARTICVLVS V.

Vtrum in Christo fuerit dolor sensibilis.

Infr. ar.46. a.6.c. Et 3. d.15.q.2.a. 3.q.1. & veri.q.26. a.8.cor.fi. & octauū. & opus.3.c. 236.

AD quintum sic proceditur. *Videtur, quod in Christo non fuerit verus dolor sensibilis. Dicit enim Hilar.in 10.de Trinit. Cum pro Christo mori sit vita, quid ipse in mortis Sacramento doluisse æstimandus est, qui pro se morientibus vitam rependit? Et infra dicit, Vnigenitus Deus hominem verum, non deficiens à se Deo sumpsit: in quo quamuis, aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut* B *nodi concurrerent, aut suspensio eleuaret, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent. Nonigitur in Christo fuit verus dolor.*

Præterea: Hoc proprium videtur esse carni in peccato conceptæ, quod necessitati doloris subiaceat. Sed caro Christi non est cum peccato concepta, sed ex Spiritu sancto in vtero virginali. Non ergo subiacuit necessitati patiendi dolorem.

1ap.q.a.2. *Præterea: Delectatio contemplationis diuinorum diminuit sensum doloris: vnde, & Martyres in passionibus suis tolerabilius sustinuerunt ex consideratione diuini amoris. Sed anima Christi summe delectabatur in contemplatione Dei, quem per essentiam videbat: vt supra dictum est. Non ergo poterat sentire aliquem dolorem.*

Sed contra est, quod Isa.53. dicitur, Vere dolores nostros ipse tulit.

Respondeo dicendum, quod (sicut patet ex his, quæ in secunda parte dicta sunt) ad veritatem doloris sensibilis, re- *18.q.35.* *quiritur læsio corporis, & sensus læsionis. Corpus autem* *q.14.a.1.* *Christi lædi poterat: quia erat passibile, & mortale: vt supra habitum est. Nec defuit ei sensus læsionis: cum anima Christi perfecte haberet omnes potentias naturales. Vnde nulli dubium debet esse, quin in Christo fuerit verus dolor.*

Ad primum ergo dicendum, quod in omnibus illis verbis & similibus, Hilarius à carne Christi non veritatem doloris, sed necessitatem excludere intendit. Vnde post præmissa verba subdit. Neque enim cum sitiuit, aut esuriuit, aut fleuit, bibisse Dominus, aut manducasse, aut doluisse monstratus est, sed ad demonstrandam corporis D *veritatem, corporis consuetudo suscepta est: ita vt naturæ nostræ consuetudine, consuetudini sit corporis satisfactum, vel cum potum, & cibum accepit, non se necessitati corporis: sed consuetudini tribuit. Et accepit necessitatem per* *q.14.ar.1. & ad 2.* *comparationem ad causam primam horum defectuum, quæ est peccatum: vt supra dictum est, vt scilicet ea ratione dicatur caro Christi non subiacuisse necessitati horum defectuum, quia non fuit in ea peccatum. Vnde subdit, Habuit enim scilicet Christus, corpus, sed originis suæ propriū, neque ex vitiis humanæ conceptionis existens, sed in forma corporis nostri, virtutis suæ potestate subsistens. Quantum tamen ad causam propinquam horum defectuum, quæ est compositio contrariorum, caro Christi subiacuit necessitati horum defectuum: vt supra dictum est.*

q.14.ar.2. *Ad secundum dicendum, quod caro in peccato concepta subiacet dolori, non solum ex necessitate naturalium* E *principiorum, sed etiam ex necessitate reatus peccati. Quæ quidem necessitas in Christo non fuit: sed solum necessitas naturalium principiorum.*

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est, *q.14.ar.1. ad 2.* *virtute diuinitatis Christi, dispensatiue, sic beatitudo in anima continebatur, quod non deriuabatur ad corpus, vt eius passibilitas, & mortalitas tolleretur. Et eadem ratione delectatio contemplationis, sic retinebatur in mente, quod non deriuabatur ad vires sensibiles, vt per hoc dolor sensibilis excluderetur.*

Sensus quæsiti.

QVID sit dolor sensibilis, declarat S.D. in textu, & explicat optime Caiet. & Suar. *in Com.* & Vasq. *disp.62.c.2.*

Forma Textus.

CONCLVS. *est: In Christo fuit verus dolor sensibilis.* Probatur: quia corpus Christi lædi poterat, nec defuit ei sensus læsionis; ergo in Christo fuit verus dolor sensibilis. Antecedens quo ad primã partem probatur: quia corpus Christi erat passibile & mortale. Quo ad secundam vero; quia anima Christi perfecte habebat omnes potentias naturales. Consequentia vero probatur: quia ad veritatem doloris sensibilis requitur & sufficit læsio corporis & sensus læsionis. B

Expositio Textus.

AD HVIVS art. intelligentiam quatuor notanda sunt. *Primum* est, conclusionem D.Th. esse dogma fidei certissimum; vt patet ex illo *Isa. 53. Vere languores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portauit.* Quod etiam affirmant concilia & patres: quorum dicta vide apud expositores.

Secundum est, D. Thom. hic non explicare rationem doloris formalem, sed eius materiam & causas; vt Caiet. aduertit, & post eum Suarez & Vasq. Dolor autem formaliter est passio appetitus sensitiui, consurgens ex corporis læsione sensu percepta; vt hic explicant Caiet. Med. & duo C prædicti expositores: quæ est doctrina D. Th. 1.2. *q.35.a.1. & 2.*

Tertium est, subiectum doloris proprium & proximum esse appetitum sensitiuum; vt affirmat S.D. *in allegato art.1.* & probat Medina, & alii expositores: sed quoniam appetitus sensitiuus est potentia organica existens in composito, necesse est etiam, dolorem esse in ipso composito: & quia dolor sequitur læsionem corporis & lęsionis sensum seu cognitionem, quæ fit immediate per tactum, qui diffusus est per omnes corporis partes, ideo dicitur membrum læsum, puta pes aut manus dolere, quia nimirum actus dolendi sequitur ad læsionem talis membri, & ad sensationem tactus, vt est in tali membro; ac proinde etiam est tactus appetitus sensitiui, non absolute, sed prout D est in tali membro, & actum suum eliciens ex sensatione existente in tali membro: quanquam existimẽ talem sensationem non esse per se sufficientem, sed esse necessarium etiam actum imaginatiuæ, quæ ordine naturæ præcedit in anima potentiam appetitiuam.

Conciliantur dicta D.Thom.

Et ex his facile conciliari poterunt diuersa dicta D. Thom. quæ videntur opposita. Nam *in 3. dist.15. quæst.2. art.3. quæstiunc.1. & 2.* docet in solo tactu esse dolorem; in prima vero *secundæ locis notatis* affirmat, dolorem esse in appetitu sensitiuo: quæ non sunt contraria: nam *in 3.* dicens dolorem esse in solo sensu tactus, non excludit appetitum sensitiuum, qui consequitur ad sensum tactus (dictio enim exclusiua non excludit à concomitantibus) sed excludit alios sensus exteriores; vt patet ibi ex littera D.Thom. ita vt sensus illius dicti sit, dolorem esse actum appetitus sensitiui, quatenus consequitur sensationem tactus, non autem alterius sensus exterioris; vel breuius dicas dolorem esse in solo tactu, tanquam in causa læsioni coniuncta, quia scilicet cognitio alterius sensus exterioris non est simul cum læsione causa doloris; Et quia dolor non causatur in appetitu, nisi ex læsione talis partis, & ex sensatione tactus existentis in tali parte, ideo ibi S. D. *art.2.* ait dolorem esse in sensu tactus, sicut in subiecto, quia scili-

scilicet est in appetitu prout actuat eandem corporis partem ordinate, id est præsuppositа actuatione sensus tactus; sic enim videtur dolor immediate quidem actuare appetitum, mediate vero sensum tactus.

Quartum est ad causandum dolorem vere & proprie dictum non sufficere solum actum imaginationis, vt affirmat Scotus *in 3. dist. 15. q. vnica, & ibidem* Capr. cuius oppositum hic docet S. Th. ponens alteram causam doloris esse corporis læsionem. Videndus est Med. *in fine Comment. præsentis art.*

Vide etiam, quæ *circa respons. ad primum* notant Caiet. & Suar. *in Comm.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum in Christo fuerit tristitia.

Inf. q 46. a. 8. & 3. d. 15. q. 2. a. 3. q 3. c. & 5. & opu. 3. c. 239

AD sextum sic proceditur. *Videtur, quod in Christo non fuerit tristitia. Dicitur n. de Christo, Isa. 42. Non erit tristis, nec turbulentus.*

Præterea: Prouer. 12. *dicitur, Non contristabit iustum quicquid ei acciderit. Et huius rationem Stoici assignabant, quia nullus tristatur, nisi de amissione suorum bonorum: iustus autem non reputat bona sua, nisi iustitiam, & virtutem, quas non potest amittere: alioquin subijceretur iustus fortunæ, si pro amissione bonorum fortuna tristaretur. Sed Christus fuit maximè iustus: secundum illud Hier. 23. Hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus iustus noster. Ergo in eo non fuit tristitia.*

Præterea: Philosophus *dicit in 7. Ethic. cap. 13. & 14. quod omnis tristitia est malum, & fugiendum. Sed nullum malum fugiendum fuit in Christo. Ergo in Christo non fuit tristitia.*

Præterea: sicut Aug. dicit 14. c. 6. to. 5. de Ciu. Dei, tristitia est de his, quæ nobis nolentibus accidunt. Sed nihil passus est Christus contra suam voluntatem, dicitur enim Isa. 53. Oblatus est quia voluit. Non ergo in Christo fuit tristitia.

Sed contra est, quod dicit Dominus Matt. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem. Et Ambros. dicit in 3. de Trin. Vt homo tristitiam habuit: suscepit enim tristitiam meam confidenter: tristitiam nomino, qui crucem prædico.*

Art. præc. ad 3.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, delectatio diuinæ contemplationis, ita per dispensationem diuinæ virtutis retinebatur in mente Christi, quod non deriuabatur ad vires sensitiuas, vt per hoc dolor sensibilis excluderetur. Sicut autem dolor sensibilis est in appetitu sensitiuo, ita & tristitia. Sed est differentia secundum motiuum siue obiectum: nam obiectum, & motiuum doloris, est læsio, sensu tactus percepta: sicut cum aliquis vulneratur. Obiectum autem, & motiuum tristitiæ, est nociuum, seu malum interius apprehensum, siue per rationem siue per imaginationem, (vt in secunda parte habitum est) sicut cum aliquis tristatur de amissione gratiæ vel pecuniæ. Potuit autem anima Christi interius apprehendere aliquid, vt nociuum, & quantum ad se, sicut passio, & mors eius fuit: & quantum ad alios, sicut peccatum discipulorum, vel etiam Iudæorum occidentium ipsum. Et ideo, sicut in Christo potuit esse verus dolor, ita potuit in eo esse vera tristitia. Alio tamen modo, quam in nobis: secundum illa tria, quæ supra assignata sunt, cum communiter de passionibus animæ Christi loqueremur.

Ad primum ergo dicendum, quod tristitia remouetur à Christo secundum passionem perfectam, fuit tamen in eo initiata secundum propassionem. Vnde dicitur Matth. 22.

Art 4.

Cœpit contristari, & mœstus esse. Aliud enim est contristari, aliud incipere contristari, vt Hier. ibidem dicit.

Ad secundum dicendum, quod sicut Augustin. dicit in

cap 7. to. 5.

14. de Ciuit. Dei, pro tribus perturbationibus, scilicet, cupiditate, lætitia, & timore, Stoici tres eupathias, id est,

bonas passiones, in animo sapientis posuerunt, scilicet pro cupiditate voluntatem, pro lætitia gaudium, pro metu cautionem, sed pro tristitia negauerunt aliquid posse esse in animo sapientis: quia tristitia de malo est, quod iam accidit, nullum autem malum existimant posse accidere sapienti. Et hoc ideo est: quia non credebant aliquid esse bonum, nisi honestum, quod homines bonos facit: nec aliquid esse malum, nisi inhonestum, per quod homines mali fiunt. Quamuis autem honestum sit principale hominis bonum & inhonestum principale hominis malum (quia hæc pertinent ad ipsam rationem, quæ est principalis in homine) sunt tamen quædam secundaria hominis bona, quæ pertinent ad ipsum corpus, vel ad exteriores res corpori deseruientes. Et secundum hoc pōt in animo sapientis esse tristitia, quantum ad appetitū̃ sensitiuum secundū̃ apprehensionem huiusmodi malorum: non tamen ita, quod ista tristitia perturbet rationem. Et secundum hoc intelligitur, quod non contristabit iustum quicquid ei acciderit: quia scilicet ex nullo accidente eius ratio perturbatur. Et secundum hoc tristitia fuit in Christo secundum propassionem, non autem secundum passionem.

Ad tertium dicendum, quod omnis tristitia est malum pœnæ, non autem est semper malum culpæ: sed solum quando ex inordinato affectu procedit. Vnde Augustin. dicit 14. de Ciu. Dei. Cum rectam rationem sequuntur istæ affectiones, & quando, & vbi oportet adhibentur; quis eas tunc morbidas, seu vitiosas passiones audeat dicere? *ca. 9. to. 5.*

Ad quartum dicendum, quod nihil prohibet, aliquid esse contrarium voluntati secundum se, quod tamen est volitum ratione finis, ad quem ordinatur: sicut medicina amara non est secundum se volita, sed solum secundum quod ordinatur ad sanitatem. Et hoc modo mors Christi, & eius passio fuit secundum se considerata, inuoluntaria, & tristitiam causans: licet fuerit voluntaria in ordine ad finem, qui est redemptio humani generis.

Forma Textus.

CONCLVS. est. *Sicut in Christo potuit esse verus dolor, ita potuit in eo esse vera tristitia, alio tamen modo, quam in nobis.* Probatur prima pars: quia potuit anima Christi interius apprehendere aliquid, vt nociuum; ergo potuit in eo esse vera tristitia, sicut & verus dolor. Antecedens manifestatur: quia potuit anima Christi interius apprehendere aliquid vt nociuum & quantum ad se sicut passio & mors eius fuit; & quantum ad alios, sicut peccatum discipulorum vel etiam Iudæorum occidentium ipsum. Consequentia vero probatur ex conuenientia & differentia doloris & tristitiæ, ex quibus consurgit quidditas vtriusque. Conueniunt enim, quod sicut dolor sensibilis est in appetitu sensitiuo, ita & tristitia; sed differunt secundum motiua siue obiecta; vt clare patet in textu; ergo sicut in Christo potuit esse verus dolor ex læsione sensus tactus percepta, ita potuit esse in eo vera tristitia ex nociuo interius apprehenso: Probatur hæc consequentia, & simul satisfit obiectioni tacitæ: quia delectatio diuinæ contemplationis, ita per dispensationem diuinæ virtutis retinebatur in mente Christi, quod non deriuabatur ad vires sensitiuas apprehensiuas & appetitiuas; in quibus est dolor & tristitia; ergo sicut, &cæt.

Expositio Textus.

CONCLVS. præsentis artic. est doctrina fidei; vt patet *Matth. 26. & Luc. 22.* Disputat hic breuiter Med. de differentia doloris & tristitiæ: de qua re latius agit S. D. 1. 2. q. 35. *art. 2.* & ibi expositores.

Quomodo autem cum summa delectatione posset in Christo esse dolor, & tristitia declarat optime Medina, *artic. præced.* & Suarez *infra disput.* *Suarez.*

38.*sect.*3.& S.Th.*infra* q.46.*a.*8.& ibi expositores. Vide etiam; quæ scribit Suar.*in Comm.circa respon. ad argumenta D.Th.*

ARTICVLVS VII.

Vtrum in Christo fuerit timor.

Sup.q.7.ar.6.&3.d.15.q.2.a.2.q.3.

AD *septimum sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerit timor. Dicitur n.* Prouer. 18. *Iustus quasi leo confidens, absque terrore erit. Sed Christus fuit maxime iustus. Ergo in Christo non fuit aliquis timor.*

Præterea: Hilarius dicit 10. *de Trin. Interrogo eos, qui hoc ita existimant, an ratione subsistat, vt mori timuerit, qui omnem ab Apostolis mortis timorem expellens, ad gloriam eos sit martyrij exhortatus. Non ergo in Christo rationabile est fuisse timorem.*

Præterea: Timor nō videtur esse, nisi de malo, quod non potest homo vitare. Sed Christus poterat vitare, & malum pœnæ, quod passus est, & malum culpæ, quod aliys accidit. Ergo in Christo non fuit aliquis timor.

Sed contra est, quod dicitur Mar. 14. *Cœpit Iesus pauere, & tædere.*

Respondeo dicendum, quod sicut tristitia causatur ex apprehensione mali præsentis, ita timor causatur ex apprehensione mali futuri. Apprehensio autem mali futuri, si omnimodam certitudinem habeat, non inducit timorem. Vnde Philosophus dicit in 2. *Rhet. quod timor non est, nisi vbi est aliqua spes euadendi. Nam quando nulla spes est euadendi, apprehenditur malum, vt præsens & sic magis causat tristitiam, quam timorem.*

Sic ergo timor potest considerari quantum ad duo. Vno modo, quantum ad hoc, quod appetitus sensitiuus naturaliter refugit corporis læsionem: & per tristitiam, si sit præsens, & per timorem, si sit futura. Et hoc modo timor fuit in Christo, sicut, & tristitia. Alio modo, potest considerari secundum incertitudinem futuri euentus: sicut quando nocte timemus ex aliquo sonitu, quasi ignorantes, quid hoc sit. Et quantum ad hoc timor non fuit in Christo, vt Damasc. dicit in 3. *lib.*

Ad primum ergo dicendum, quod iustus dicitur esse absque terrore, secundum quod terror importat perfectam passionem, auertentem hominem ab eo, quod est rationis. Et sic timor non fuit in Christo, sed solum secundum propassionē. Et ideo dicitur, quod Iesus cœpit pauere, quasi secundum propassionem, vt Hieron. exponit.

Ad secundum dicendū, quod Hilarius eo modo à Christo excludit timorem, quo excludit tristitiam, scilicet quo ad necessitatem timendi. Sed tamen ad comprobandam veritatem humanæ naturæ, voluntarie timorem assumpsit, sicut etiam, & tristitiam.

Ad tertium dicendum, quod licet Christus potuerit vitare mala futura secundum virtutem diuinitatis: erant tamen ineuitabilia, vel non de facili vitabilia secundum infirmitatem carnis.

Sensus quæsiti.

QVID sit timor declaratur in textu.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quæsito duabus conclusionibus.

Distinctio est, timor potest considerari quantum ad duo: Vno modo quantum ad hoc, quod appetitus sensitiuus naturaliter refugit corporis læsionem per tristitiam, si sit præsens, & per timorem, si sit futura. Alio modo potest considerari secundum incertitudinem futuri euentus; sicut quando nocte timemus ex aliquo sonitu, quasi ignorantes quid hoc sit. Declaratur hæc distinctio ex quatuor conditionibus requisitis ad timorem: Est enim timor apprehensio, mali, futuri, incerti seu possibilis euitari. In duabus primis, quæ sunt apprehensio mali, conuenit timor cum tristitia; quæ etiam est apprehensio mali, differt autem in tertia; quia sicut tristitia causatur ex apprehensione mali præsentis, ita timor causatur ex apprehensione mali futuri: hæc tamen tertia conditio non sufficit ad inducendum & constituendum timorem, sed requiritur quarta; quæ est incertitudo seu possibilitas euadendi, vt talis apprehensa. Probatur: quia Arist. *in* 2. *Rhet. c.*5. ait, quod timor non est, nisi vbi est aliqua spes euadendi: quod probat: quia si nulla sit spes euadendi, apprehenditur malum, vt præsens; *& sic magis* causat tristitiam, quam timorem.

PRIMA CONCLVS. *In Christo fuit timor quantum ad hoc, quod appetitus sensitiuus naturaliter refugit futuram corporis læsionē.* Manifestatur à simili: quia in Christo fuit tristitia quantum ad hoc, quod appetitus sensitiuus naturaliter refugit præsentem corporis læsionem.

SECVNDA CONCL. *In Christo non fuit timor secundum incertitudinem futuri euentus.* Probatur ex Damasc. *lib.*3.*c.*23.

Expositio Textus.

DE RATIONE timoris differit S. D. & eius expositores *in* 1. 2. *q.* 41. *&* 42 vbi late declarat & probat ea, quæ breuiter hic tangit, & supponit vt vera. Vide etiam declarationem quartæ conditionis apud Caiet. & ea, quæ circa responsiones ad argumenta notat Suar. *in Comm.*

Controuersia Vnica.

An in Christo fuerit timor vere proprie & absolute dictus.

Ratio dubitandi.

RATIO dubitandi est: quia S. D. ex Aristot. 2. *Rhetor.* ait de ratione timoris esse incertitudinem, deinde secunda conclusione pronunciat in Christo non fuisse timorem secundum incertitudinem: ex quo sequitur in Christo non fuisse timorem secundum propriam & quidditatiuam rationem timoris: ablata enim à re vna essentiali conditione siue differentia, tollitur etiam eius propria ratio: nam vt ait Philos. *in* 10. *Metaph. tex.* 8. species rerum sunt sicut numeri; quibus nihil tam parum potest addi vel minui, quin varietur species.

Et sentent. Doct.

CVI difficultati varie respondent expositores. Caiet. dicit quatuor. *Primum* est, tam primam quam secūdam conclusionem negātem in Christo fuisse timorem secundum incertitudinem, intelligendam esse de Christo simpliciter & absolute sumpto, non autem de eo secundum quid; de Christo autem simpliciter dici non posse simpliciter, quia erat incertus de euentu mali futuri, sed oppositum, videlicet illum fuisse certum de euentu mali futuri, tam quo ad scientiam diuinā, quam quo ad scientiam animæ beatam & infusam. *Secundum* est posse Christo secundum aliquam eius partem, puta rationem inferiorem, aut cogitatiuam tribui incertitudinem euentus; nec propterea tamen posse absolute Christo tribui incertitudinem: quia, vt ante dictum est, oppositum, scilicet certitudo, conuenit illi simpliciter; sicut æthiops, qui est albus secundum dentes, non potest dici albus simpliciter; quia simpliciter niger est. *Tertium* est: in Christo secundum aliquam portionem, id est secundum rationem inferiorem, aut facultatem sensitiuam interiorem, fuisse timorem quo ad incertitudinem euentus: quod est (inquit) esse in Christo timorem secundum quid, quo ad incertitudinem euentus: vbi aduerte particulam illam *secundum quid* non determinare timorem,

sed

sed incertitudinem euentus. Hoc autem explicat Caieta. dicens, potuisse rationem inferiorem apprehendere malum futurum nihil proponendo de certitudine, vel incertitudine euentus, ac per hoc apprehendere malum futurum, vt incertum negatiue: remanebat enim non certum hoc ipso, quod nō proponebatur vt certum: Quod autem ita proponi posset, probat Caietan. quia poterat Christus vt scientia infusa apprehendendo malum futurum, non vtendo illa, vt est scientia certa euentus, & sic apprehendebat malum futurū vt incertum negatiue: & eodem modo poterat malum futurum apprehendi à cogitatiua: quia in Christo non erat redundantia superiorum ad inferiores partes, aut è contra, sed vna quæq; pars sibi propria exercebat; & ideo simul cum incertitudine intellectus negatiua poterat esse eadem incertitudo in cogitatiua, quæ sufficit ad timorē vere & proprie dictum inducendum. *Vltimum* est D. Thom. negare simpliciter in Christo timorem quo ad incertitudinem contrarie. *Ex quibus patet* Caiet. nihil affirmare aut negare de timore, prout est actus voluntatis: quamuis loquatur de incertitudine negatiua, tam vt conuenit intellectui quam vt conuenit cogitatiuæ. *Secundo patet*, quod existente prædicta incertitudine in intellectu, necesse est etiam eandem esse in cogitatiua: quia intellectus non potest cogitatiuæ communicare certitudinem in actu secundo, quam ipse non habet. *Tertio patet* Suar. *in Comm.* & Vasq. *disp. 62. c.* 3. haud fideliter retulisse sententiam Caietan. & multa illi falsò tribuisse.

Medin. duas alias adhibet solutiones. *Prior* est Victoriæ, dicentis D. Thom. in secunda concluſ. dicere voluisse, in Christo magis fuisse pauorem, quam timorem: quia pauor est de re certa, vt patet (inquit) de illis, qui ducuntur ad supplicium: Pauent enim, non timent. *Posterior* solutio ex alijs ab eo relata est, incertitudinem se habere per accidens ad rationem timoris: quia timor est de malo futuro, & futura nobis communiter incerta sunt: sed tamen aliquando certitudo timorem auget: nam, quando certiores sumus de re, quam timemus, magis ingraueſcit timor.

Suarez reiecta sententia Caiet. dicit duo. *Primum* est incertitudinem mali futuri, seu spem euadendi, non esse de ratione omnis timoris veri; quia fuga mali absentis, & aliquādo futuri, etiam si illud malum euitari non possit, est verus timor; quem Damascenus videtur vocasse stuporem. *Secūdum* est actum timoris dupliciter haberi posse. Primo per modum actus absoluti, & efficacis. Secundo per modum cuiusdam actus imperfecti seu simplicis displicentiæ; quæ nolleitas dici solet: & si quidem priori modo fiat, requiri vt malum futurum apprehendatur, vt euitabile, & cōsequenter, vt aliquam spem euadendi relinquat: quia talis actus efficax versatur circa obiectum, quod pensatis omnibus simpliciter existimatur possibile: & de hoc (inquit) modo timoris loquutus est Aristot. vt colligi potest ex ratione, quam subiungit dicens: timor enim ad consulendum inducit; nemo autem de re consulit, de qua nulla est spes. Et quia hic timor supponit ignorantiam mali futuri, ideo vocat illum D. Tho. timorem secundum incertitudinem futuri euentus. At vero alter timor per modum actus simplicis & imperfecti potest (inquit) esse circa malum iudicatum ineuitabile; quia huiusmodi actus imperfectus versari potest circa rem impossibilem: sicut enim potest quis desiderare vitam actu imperfecto, etiam si alias iudicet, non posse hic, & nunc fugere mortem; ita potest eam timere, etiam si illam, vt ineuitabilem apprehendat: & hic fuit in Christo: quem Damasc. dicit esse naturalem, & D. Tho. ait esse simplicem fugam mali futuri; quā sentit esse verum ac proprium timorem ab alijs affectionibus distinctum. Quem dicendi modū, vt proprium latius explicat Vasq. dicens se fuisse illius auctorem, & addit se non videre exponi posse D. Th. eodem modo, quo Arist. explicatus est; qui loquitur de eo timore, ad quem Rhetores mouere debent auditores: hic autem non contingit, nisi quando incertus est euentus, ita vt sit locus consultationi. Nam quando malum certissime creditur futurum esse, non est opus suasione, vt auditores ad timorem inducantur.

Resolut. In Christo non fuisse timorem absolutum & efficacē, sed quendā timorem imperfectū in genere timoris: qui est simplex displicentia & fuga mali.

Breviter absoluenda est hæc difficultas; cū nulla sit in rei veritate contrarietas inter prædictos dicendi modos, sed maximè consonent. Ad cuius euidentiam eadem, quæ supra tacta sunt in singulis referendis opinionibus repetenda, & explicanda sunt fundamenta.

Obseruandum est igitur primo, Duplicem esse modum seu actum timoris proprie dicti. Primus est perfectus in ratione timoris, cum sit absolutus & efficax; quia mouet ad consulendum, & ad inueniendum media, & ad ea inuenta in executione ponenda, vt per malum imminens euitetur. Secundus timor est imperfectus in genere timoris; quia non est absolutus & efficax, sed est simplex displicentia & fuga mali futuri; quæ nolleitas nuncupatur: & de ratione timoris vtroque modo sumpti est incertitudo; non tamen eodem modo sumpta. Pro cuius declaratione

Secundo notandum est ex Caietan. duplicem esse incertitudinem. Quædam est positiua, quæ dicit hæsitationem seu dubitationem de futuritione mali; atque adeo excludit certitudinem cognitionis de futuro malo; & ideo mouet ad consiliādum, quibus modis possit malum, quod imminet, euitari & consequenter etiam, vt ait Aristot. spem habet annexam euadendi: & hæc incertitudo, quia manifestam includit scientiæ imperfectionem, nulla potest ratione conuenire Christo Domino, vt ait *S. D. in secunda concluſ.* Alia est incertitudo negatiua; cuius etiam in Christi humanitate duplex potest esse subiectum, scil. intellectus & cogitatiua. Nam scientia indita animæ Christi erat habitualis; habitus autem est, quo quis operatur, quando vult: itaque poterat Christus non vti scientia euentus futuri mali, quā habebat, atque ita pro tunc nō habere in intellectu certitudinem in actu secundo de euentu mali futuri; quod est habere incertitudinem negatiue, ex qua sequitur eadem incertitudo in cogitatiua; quæ nullam de euētu futuro potest habere certitudinem, nisi ex intellectus certitudine deriuarā. Et sicut ex incertitudine negatiua futuri mali existente in cogitatiua sequitur actus timoris, qui est actus appetitus sensitiui, ita ex eadem incertitudine existente in intellectu sequitur actus timoris in voluntate: cuius oppositum non asserit Caietanus, vt ei perperam duo prædicti expositores imponunt. Cum ergo ait *S. D.* apprehensionem mali futuri, si omnimodam habeat certitudinē, non inducere timorem, dupliciter exponi potest: Primo, vt nomine certitudinis omnimodæ excludat vtramq; incertitudinem, scil. positiuam & negatiuam; & ita verissima est propositio, vt ostendimus. Nec obstat, quod auctoritas Arist. inducta *ex secundo Rhet.* loquatur de incertitudine positiua: quia per notiorem & perfectioré incertitudinem, nō excludendo aliam minus notam, & minus perfectam, probat optime S. D. assumptam propositionem. Secundo exponi potest illa

propositio de certitudine excludente solam incertitudinẽ positiuam: & huic sensui fauet probatio ex dicto Arist. & quia hæc incertitudo, & cõsequenter ẽt timor ad eam consequens dicit imperfectionem, incarnato Verbo minime congruentem, ideo S.D. secunda conclusione negat in Christo fuisse timorẽ secundum incertitudinem, (sc. positiuam) futuri euentus, & affirmat prima cõclusione alium modum timoris proprie dicti: qui in genere timoris est imperfectus, & nullam dicit aut connotat imperfectionem Christo minime congruentem: qui tamen ex incertitudine negatiua virtutis cognoscitiuæ deriuatur. Nam, si nulla esset incertitudo, malum futurum reputaretur vt præsens, & ita causaret actum tristitiæ non autem timoris proprie dicti.

Postremo sciendum est ex D.Th. 1.2.q.40.a.1. quatuor cõditiones esse necessarias ad obiectum spei constituendum. Prima est, vt sit bonum. Secunda, vt sit futurum. Tertia, vt sit aliquid arduum, cum difficultate adipiscibile. Quarta, vt sit possibile adipisci. Quas oẽs cõditiones habuit euasio mali futuri respectu Christi. Nam quandoq; non vtebatur scientia futuri euentus, & ideo potuit sperare euasionem, ac proinde etiam timorem habere de malo futuro: Quod enim euasio futuri mali sit quoddam bonum, ex eo patet, quod carere malo apprehẽditur, & appetitur, vt quoddam bonum: Et probatur ẽt: quia carentia mali opponitur ipsi malo; igitur bonũ quoddam est: Quod a. hæc euasio haberet aliquo modo rationem futuri, saltem vt apprehensa, probatur: quia malum non apprehendebatur vt certo futurum, sed vt incertum negatiue; ergo etiam vt euitabile saltem negatiue; quia sc. non apprehendebatur vt ineuitabile; igitur apprehendebatur sub ratione futuri possibilis: & sic patet etiam vltima conditio. Tertia vero per se nota est: nam euasio mali, puta passionis, erat ardua Christo secundum vires humanitatis, cui malũ hoc imminebat; igitur Christus habere potuit spem euadendi malũ passionis in eo futurũ, secundum humanitatem; & consequenter in eo potuit esse timor inefficax, qui est displicentia simplex & fuga mali futuri: quam recentiores nolleitatem appellant.

Concl. deducta, & probata.

PRIMA CONCLVS. *est: In Christo non fuit timor absolutus & efficax, siue perfectus omnino in genere timoris.* Probatur: quoniam hic timor causatur ex incertitudine positiua futuri mali; hæc autem incertitudo non conuenit Christo; vt patet *ex dictis supra q.11. art.1.*

SECVNDA CONCLVS. *In Christo fuit timor imperfectus in genere timoris; qui scilicet non est absolutus, & efficax, sed est simplex displicentia, & fuga mali futuri: quam iuniores vocant nolleitatem.* Hæc patet ex dictis in secundo, & tertio notabili.

TERTIA CONCLVS. *Vna est relatarum omnium opinionum veritas, diuersis loquendi modis expressa.* Caiet. enim affirmat in Christo fuisse timorem proprie dictum, ex incertitudine negatiua procedẽtem; quem timorem Suarez & Vasquez appellant simplicem displicentiam & fugam mali, & timorem inefficacem. Quod autem dicũt timorem esse posse simul cum certitudine euentus, intelligendum est de certitudine habituali, & de certitudine, prout excludit incertitudinem positiuam, non autem negatiuam; vel de timore loquuntur secũdum incompletam eius rationem, prout sc. dicit fugam & simplicem displicentiam mali futuri absque vlla spe euadendi; quam fugã & displicentiã vocant timorem proprie dictum: S.Th. autem & Caiet. negant hunc actum esse timoris, & ita quæstio videtur esse de nomine: nam prædictum actum esse posse cum certitudine futuri mali, non negant S.D. & Caietan. licet in eo nomen & rationem timoris omnino proprie dicti non admittant; & ideo bene Victoria dixit actum illum fugæ seu displicentiæ de futuro malo non esse timorem, sed pauorem.

Argum. & solutiones.

CONTRA *primam conclus.* produci possent omnia dicta patrum, quæ refert Vasq. ad probandum in Christo fuisse timorem mortis secũdum veram & integram rationem timoris: quibus facile satisfit dicendo, in Christo fuisse timorem secundum veram, propriam & integram essentialiter rationem timoris, non tamen secundum oẽm eam perfectionem, quam natus est habere timor in proprio genere: quia hæc timoris perfectio, cum supponat incertitudinem positiuam, diceret magnam imperfectionem in anima Christi, quia tollere ab ea scientiam futurorum.

Obi. 1 cont. 3. concl.

CONTRA *tertiam conclus.* quatenus approbat sententiam Caiet. argumentatur Vasq. & cum eo Suar. quia, quod iudicatur certum ab intellectu, non potest apprehendi vt incertum positiue aut negatiue à cogitatiua; quia ex intellectu deriuatur certitudo in cogitatiuam: at intellectus Christi iudicabat certo malum, puta mortem esse futuram; ergo nulla incertitudo, ac proinde neque timor esse poterat in cogitatiua. *Resp.* falsam esse minorem simpliciter, & apud Caiet. quia poterat Christus non vti scientia euentuum futurorum, & ita non habere iudicium actuale de malo futuro, & habere incertitudinem negatiuam oppositam certitudini actus secundi; & consequenter etiam habere eandem certitudinem in cogiiatiua, & actum timoris in appetitu sensitiuo.

Solut.

Obiect. 2.

Secundo: Ad integram rationem timoris, quam Caiet. ex Arist. astruere molitur, quæ nimirum sit cum spe euadendi, non sufficit apprehensio illa obiecti abstracta à certitudine & incertitudine, sed necessaria est incertitudo positiua & dubitatio; ita vt sit aliqua spes euadẽdi, & timor, vt definitur ab Aristotele; ergo. *Resp.* duas esse in antecedente falsitates: Prior est Caiet. tribuere Christo timorem iuxta rationem timoris ab Arist. descriptam, & hic in textu relatam: oppositum n. manifeste patet ex discursu Caiet. qui mentem D.Th. declarat, negantis in Christo timorem secũdum incertitudinem. Posterior falsitas est reliquæ partis antecedentis affirmantis necessariam esse incertitudinem positiuam, vt sit aliqua spes euadẽdi, & timor in appetitu: sufficit enim incertitudo negatiua ad spem euadendi cum diuino auxilio, & ad timorem inefficacem; qui, licet sit proprie ac vere timor integram habens essentialiter rationem timoris, non est tamen omnino perfectus in ratione timoris.

Solut.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum in Christo fuerit admiratio.

4 con. 3.c. 33 fin. & Matt. 7. col. 5. fi.

AD octauum sic proceditur. *Videtur, quod in Christo non fuerit admiratio. Dicit n. Philosophus in primo Metaph. quod admiratio causatur ex hoc, quod aliquis videt effectum, & ignorat causam. Et sic admirari non est, nisi ignorantis. Sed in Christo non fuit ignorantia: vt dictum est. Ergo in Christo non fuit admiratio.*

Præterea: Damas. dicit in 2. lib. quod admiratio est timor ex magna imaginatione, & ideo Philosophus dicit in 4. Ethic. quod magnanimus non est admiratiuus. Sed Christus fuit maxime magnanimus. Ergo in Christo non fuit admiratio.

Præterea: Nullus admiratur de eo, quod ipse facere potest.

rest. Sed Christus facere poterat quicquid magnum erat in rebus. Ergo videtur, quod de nullo admirabatur.

Sed contra est, quod dicitur Matth. 7. Audiens Iesus, (scilicet verba Centurionis) miratus est.

Respondeo dicendum, quod admiratio proprie est de aliquo nouo, & insolito. In Christo autem non poterat esse aliquid nouum, & insolitum, quantum ad scientiam diuinam, neque etiam quantum ad scientiam humanam, qua cognoscit res in Verbo, vel qua cognoscit res per species inditas, potuit tamen aliquid esse sibi nouum, & insolitum secundum scientiam experimentalem, secundum quam sibi poterant quotidie aliqua noua occurrere.

Et ideo, si loquamur de ipso, quantum ad scientiam diuinam, & scientiam beatam, vel etiam infusam, non fuit in Christo admiratio. Si autem loquamur de eo, quantum ad scientiam experimentalem, sic admiratio in eo esse potuit. Et assumpsit hunc defectum ad nostram instructionem. Vt scilicet doceat esse mirandum, quod etiam ipse mirabatur. Vnde dicit Augustin. in primo super Genes. contra Manicheos: Quod mirabatur Dominus, nobis mirandum esse significat: quibus adhuc opus est sic moueri. Omnes ergo tales motus eius non perturbati animi signa sunt, sed docentis magisterium.

Ad primum ergo dicendum, quod licet Christus nihil ignoraret, poterat tamen aliquid de nouo occurrere experimentali eius scientiæ, ex quo admiratio causaretur.

Ad secundum dicendum, quod Christus non admirabatur de fide Centurionis, ea ratione, quod esset magna, quantum ad ipsum, sed quia erat magna, quantum ad alios.

Ad tertium dicendum, quod ipse poterat facere omnia secundum virtutem diuinam: secundum quam in eo admiratio non erat, sed solum secundum humanã scientiam experimentalem, vt dictum est.

Forma Textus.

PRIMA CONCLVS. est: *Si de Christo loquamur, quantum ad scientiam diuinam, & scientiam beatã, vel etiam infusam, non fuit in eo admiratio: Si autem loquamur de eo, quantum ad scientiam experimentalẽ, sic admiratio in eo esse potuit.* Probatur: Admiratio proprie est de aliquo nouo & insolito: at in Christo non poterat esse aliquid nouum & insolitum, quantum ad scientiam diuinam, neq; quantum ad scientiam humanam, qua cognoscit res in verbo, vel qua cognoscit res per species inditas; potuit tamen aliquid esse illi nouum & insolitum secundum scientiam experimentalem; ergo. Maior relinquitur vt euidens; & minor etiam patet quo ad scientiam diuinam, beatam & infusam. Quo ad experimentalem autem probatur: quia secundum hanc scientiam poterant quotidie aliqua noua Christo occurrere.

SECVNDA CONCLVS. *Christus hunc defectum assumpsit ad nostram instructionem, vt scilicet doceat esse mirandum, quod etiam ipse mirabatur.* Probatur auctoritate Augustini, vt patet in textu.

Controuersia Vnica.

An in Christo vere, & proprie fuerit admiratio?

Censura Vasq. & aliorum sententia.

CARPIT Vasq. (vt læpe consueuit) S. Thom. doctrinam *in hoc art.* Nam *disp. 62. c. 4.* duo reprehendit: *primum* est, quod S. D. Christo tribuerit admirationem proprie dictam. *Secundum*; quod ad suæ sententiæ confirmationem produxerit dictum Aug. *ex primo super Gen. cap.* 8. contrarium asserentis: Ait autem ipse in Christo fuisse admirationem, quæ non ex ignorantia nascebatur, sed ex eo, quod res occurrens erat rara & insueta, & hanc admirationem fuisse affectum delectationis, ex rei magnitudine prouenientem, & inclinantẽ in laudem: contingit enim (inquit) vt postquam quis miratus est, videns aquam arte in mõtem ascendentem, & inde concepit desiderium videndi causam; si causa sit magni ingenii & artis, atque adeo insueta & rara, visa etiam causa & cognita optime proportione illius cum effectu, adhuc miratur; non quidem stupens ob ignorantiã, sed laudans rei magnitudinem, & quod insueta & insolens sit: & hoc solum genus admirationis affirmat Aug. in Christo concessisse; illam autem admirationem, quæ prouenit ex ignorantia, negasse, dicendo illum admiratum fuisse, quatenus significauit nobis esse mirandũ & nobis exterius signa præbuit admirationis. Quem dicendi modum sequutus est S. Th. *super Matth. 8. c.* exponens illa verba: *Audiens autem Iesus miratus est.* Vbi ait in Christo posse cadere admirationem, quatenus est apprehensio magnitudinis effectus magni per imaginationem: *vnde* (inquit) *admiratus est, id est, magnum admirandum reputauit*: In hoc autem *artic. & in 4. contra gent. cap. 3. ratione q.* 4. admirationem affirmat in Christo proprie dictam. Quam sententiam sequuntur Medin. & Suarez *super hoc art.* & Caiet. *supra Matth. cap.* 8. & alij Thomistæ communiter.

Resolut. In Christo esse potuisse duplex genus admirationis proprie dictæ.

DVOBVS modis ad mentem D. Th. tribui potest admiratio Christo Domino; *Primo* secundum propriam & vulgatam rationem admirationis sæpius expressam ex ipso D. S. præsertim vero *in 1. 2. q. 32. a. 8.* vbi ait, admirationem esse desiderium quoddam sciendi, quod in homine contingit ex hoc, quod videt effectum & ignorat causam, vel ex hoc quod causa talis effectus excedit cognitionẽ aut facultatem ipsius. Ad cuius euidentiã

Obseruandum est primo; Duplicem esse ignorantiam causæ; alteram negatiuam, & alteram priuatiuã, & vtramq; esse posse causam admirationis.

Secundo notandum est effectum omnem supernaturalem reduci in Deum, vt causam agentem supra totum ordinem naturæ, tanquam in propriã & per se primo causam totius supernaturalitatis, ac proinde, vt sic excedẽtem capacitatem seu facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati aut creabilis; & consequenter etiam animæ Christi, secundum suam naturam consideratæ.

Tertio sciendum est effectum nunquam perfecte cognosci, nisi cognita eius per se primo causa; vt patet ex Arist. *in 1. posteriorum.*

Quarto recolendum est, quod supra diximus *art 3. huius q.* videlicet, Christo secundum animam nõ repugnare ignorãtiam simplicis negationis: quã etiam secundum D. Tho. asserendum est in Christo fuisse ante acquisitionem scientiæ experimẽtalis: imo & cum omni scientia creata: quia sc. secundum nullam sciẽtiam creatam sciebat omnia possibilia, nec comprehendebat diuinam essentiam, sapientiam & prouidentiam.

Ex quibus sequitur admirationem Christo secundum humanitatem potuisse conuenire, primo: quatenus visis effectibus supernaturalibus non comprehendebat eorum per se primo causam, sc. Deum, vt est agens supernaturale secundum sapientiam & prouidentiam supernaturalem; & ita miratũ fuisse de fide Centurionis; quia sc. eius effectum vidit, & per scientiam infusam & beatam intuitus est etiam fidem Centurionis & eius magnitudinem; sed eius per se primo causam nescibat: hæc autem erat diuina prouidentia supernaturalis, cuius rationes cuilibet intellectui creato, quantumuis excellenti, sunt occultæ.

Secundo sequitur eũdem actum admirationis in Christo secundum scientiam experimentalem, quæ est ordinis naturalis, esse potuisse, nõ solum

visis effectibus supernaturalibus, quorum causas A per talem scientiam attingere nō poterat; sed etiam visis effectibus naturalibus, antequam discursu rationis ex illis deueniret in notitiam causarum: ita vt saltem in priori instanti naturæ esset admiratio, quā cognitio causæ per effectum; quæ nullus (quod sciam) ex recētioribus attigit. Alius modus, quo tribui potest admiratio Christo Domino est, quem S.D. proponit & probat in textu; videlicet secundum illam poterant animæ Christi quotidie aliqua noua occurrere; quibus visis poterat aut desiderare cognitionem causæ; quæ non est admiratio Christi hominis simpliciter, id est secundum omnem illius scientiam; sed secundum quid, id est, secundum scientiam tantum experimentalem: nam secūdum scientiam beatam B & infusam sciebat omnia modis superius explicatis, cum ageremus de scientia animæ Christi, aut visa re illa noua rara & inconsueta poterat Christus absque vlla ignorantia mirari admiratione laudis de rei magnitudine, supra vires eius naturales existente; ita vt admiratio sit affectus delectationis ex rei nouitate, & magnitudine causatus, & in laudem inclinans, vt ait Vasq. ex Aug. *lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum, ca. 3. & alijs locis ab eo relatis*; quod est alterum genus admirationis à priori distinctum, vt ait Augustinus; & comparatur ad ipsum, sicut perfectum ad imperfectum: quia scilicet excludit ignorantiam & tendentiam ad scientiæ perfectionem, & supponit ipsam scientiæ perfectionem, & dicit delectatio- C nem consequētem nouum cognitionis modum, seu nouam rei cognitionem experimentalem. Quod genus admirationis significat S.D. in probatione primæ conclusionis, dicens admirationem in Christo esse potuisse secundum scientiam experimentalem; quia secundum illam poterant ei quotidie aliqua noua occurrere; & *in respons. ad 1.* sustinet admirationem in Christo absque vlla ignorantia: quæ videtur esse admiratio vltimo descripta ex August. Nec aliud significare voluit S.D. secunda conclusione, & eius probatione ex dicto August. contra Manichæos, quam in Christo non fuisse ignorantiam, scilicet priuatiuam, aut positiuam; ac proinde neq; animi perturbationem in intelligentiæ fluctuatione, aut inordi- D nato affectu consistentem. Non autem excludere voluit S. D. & ante cum Augustin. delectationem ex rei cognitę nouitate & magnitudine prouenientem, & in exteriorem significationē laudis ad nostram eruditionem erumpentem: & bene nota hoc genus admirationis, duas necessario postulare conditiones: Altera, vt res sit & apprehendatur vt noua & insueta: vnde si procedente tempore sæpius occurrant res aliæ similes, aut cesset apprehensio de eadem re, tanquam noua & inconsueta, cessabit etiam admiratio: quod nō aduertit Vasq. Altera conditio est, vt res sit & apprehendatur vt magna, non quomodocunque, sed ita vt excedat simpliciter aut proportionaliter vires apprehendentis naturales; Quas duas E conditiones certum est in Christo, quatenus homo erat, locum habere potuisse.

Concl. deducta & probata.

PRIMA CONCLVS. *In Christo, quatenus homo, potuit esse admiratio proprie dicta, ex ignorantia simplicis negationis prouentens.* Hæc patet ex dictis.

SECVNDA CONCLVS. *In Christo potuit esse admiratio proprie dicta; diuersa tamen rationis à præcedente, prout scilicet dicit affectum delectationis prouenientis ex rei nouitate, & magnitudine vires ipsius cognoscentis naturales excedente simpliciter aut proportionaliter, cum inclinatione ad significationem, & laudem:* vt patet ex facto Centurionis fidem eius indicante; quam Dominus astantibus explicauit, & super omnium Iudæorum illius temporis fidem exaltauit.

VLTIMA CONCLVS. *Non differunt S. Thom. & S. Augustin. in assignanda ratione admirationis in Christo.* Hæc etiam patet ex dictis.

CONTRA *primam concluſ.* argumentatur Vasq. *Arg. & sol. Obi. cont. 1. concl.* Quia Christus per scientiam beatam & infusam sciebat causam fidei Centurionis, nec poterat desiderare cognitionem causæ dictæ fidei per scientiam acquisitam; ergo talis admiratio non potuit esse in Christo. Antecedens quo ad primam partem patet. Quo ad secundam vero probatur: quia hæc cognitio non esset, nisi per lumen fidei; hoc autem repugnat claræ & intuitiuæ visioni, quam Christus habebat per scientiam beatam de causa fidei Centurionis. *Confirmatur:* quia licet *Confirm.* posset Christus alio inferiori modo, scilicet per scientiam acquisitam, causam fidei cognoscere, non diceretur tamen fidem admirari, cum illam perfecte cognosceret; sed diceretur vere mirari, si simpliciter illam non cognosceret & illam scire desideraret. *Resp.* primo: Falsum esse antecedens *Solut.* quo ad primam partem: quoniam, vt ante diximus, Christus per nullam scientiam creatam cōprehendebat diuinam prouidentiam supernaturalem; & ideo nesciebat perfecte causam fidei Centurionis. Secundo dico Christum, licet per scientiam experimentalem viderit effectum fidei Centurionis, non tamen desidera sse per eandem scientiam cognoscere causam illius fidei, sed indistincte & sub conditione; si fieri posset. Tertio dico scientiam experimentalem in Christo ex coniunctione cum scientijs supernaturalibus extensam fuisse etiam ad supernaturalia: & ideo per illam scientiam ex effectibus supernaturalibus potuisse aliquo modo cognoscere causas supernaturales. *Ad confirmat.* negatur antec. Nam, vt *Ad conf.* supra diximus, potuit in Christo esse admiratio secundum vnam scientiam, quæ est admiratio secundum quid, ita vt non esset secundum omnes scientias creatas; quæ esset admiratio simpliciter: secundum quas tamen omnes simul sumptas diximus admirationem in Christo esse potuisse: quia causam supernaturalium non comprehendebat.

CONTRA *secundam concluſ.* argumentatur *Obi. cont. 2. concl.* Idem expositor. Nam ego (inquit) in S. Thoma non inuenio alium modum admirationis, quam natum ex ignorantia causæ. *Resp.* Virum hunc non *Solut.* consideraſſe, aut dissimulasse verba D. Th. supra relata *ex 1. quæst. 32. art. 8.* vbi disiunctiue loquens ait: *admirationem esse desiderium quoddam, quod in homine contingit ex hoc, quod videt effectum, & ignorat causam, vel ex hoc, quod causa talis effectus excedit cognitionem, aut facultatem ipsius.* Ex quibus verbis patet S. Tho. ponere aliam causam admirationis; quia scilicet causa excedit cognitionem aut facultatem, id est potentiam naturalem actiuam ipsius cognoscentis.

CONTRA *tertiam conclusionem* profert Vasquez *Obi. cont. 3. concl.* diuersa loca S. Augustini quibus probatur secunda nostra conclusio, & consequenter etiam tertia: Sed ait hic expositor locum adductum à S. Thom. ex D. Augustin. esse contrarium primæ conclusioni; quia D. Augustin. ait, omnes tales motus in Christo non perturbati animi signa fuisse, sed dicentis magistri; sicut etiam verba veteris Testamenti non Deum infirmum docent, *Solut.* sed nostræ infirmitati blandiuntur. *Respondetur* D. Thomam cum D. Augustino nihil aliud dicere voluisse, nisi admirationem in Christo non fuisse cum illis imperfectionibus, quas habet in nobis: sicut etiam verba, quæ in veteri Testamento

de Deo

de Deo dicuntur, nullam in eo significant imperfectionem, sed diuina nobis significãt secundum modum nobis in cognoscendo naturalem; & affirmando admirationem illam fuisse ad instruendum, non negat veram & propriam rationem admirationis ab eodem Augustin. expressam in multis aliis locis ab ipso Vasq. notatis; iuxta quæ proposuimus secundam nostram conclusionem: Vnde etiam S.D locum illum non attulit ad probandam primam conclusionem; sed eo probauit Secundam, quæ de solo fine loquitur admirationis Christi Domini.

ARTICVLVS IX.

Vtrum in Christo fuerit ira.

3.d.15.q.2.a.2.q.2. AD nonum sic proceditur. *Videtur, quod in Christo non fuerit ira. Dicitur enim Iac 1. Ira viri, iustitiam Dei non operatur. Sed quicquid fuit in Christo, ad iustitiam Dei pertinuit: ipse enim factus est nobis iustitia à Deo: vt dicitur 1. Cor. 1. Ergo videtur, quod in Christo non fuerit ira.*

Præterea: Ira mansetudini opponitur: vt patet in 4. Ethic. Sed Christus fuit mansuetus. Ergo in eo non fuit ira.

Præterea: Greg. dicit in 5. Moral. quod ira per vitium, excæcat oculum mentis, ira vero per zelum, ipsum turbat. Sed in Christo mentis oculus non fuit excæcatus, nec turbatus. Ergo in Christo non fuit, nec ira per vitium, nec ira per zelum. C

Sed contra est, quod Ioan. 2. de eo dicitur esse impletum, quod in Psal. legitur, Zelus domus tuæ comedit me.

Sed contra est, quod Ioan. 2. de eo dicitur esse impletum, quod in Psalm. legitur, Zelus domus tuæ comedit me.

2.2.q.46.a.3.ad 3. Et 3.q.158.a.1.2 & 3. Et Mal.q.12.a.1.&2. *Respondeo dicendum, quod sicut in Secunda parte dictum est, ira est effectus tristitiæ. Ex tristitia enim alicui illata, consequitur in eo circa sensitiuam partem, appetitus impellendi illatam iniuriam, vel sibi, vel alijs. Et sic ira est passio composita ex tristitia, & appetitu vindictæ. Dictum est autem, quod in Christo tristitia esse potuit. Appetitus etiam vindictæ quandoque est cum peccato, quãdo scilicet aliquis vindictam quærit absque ordine rationis: & sic ira in Christo esse non potuit: huiusmodi enim dicitur ira per vitium. Quandoque vero talis appetitus est* D *sine peccato, imo est laudabilis: puta cum aliquis appetit vindictam secundum ordinem iustitiæ: & hoc vocatur ira per Zelum. Dicit enim Augustin. super Ioan. quod zelo domus Dei comeditur, qui omnia peruersa, quæ videt, cupit emendare: & si emendare non potest, tolerat, & gemit. Et talis ira fuit in Christo.*

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Gregor. dicit. 5. Moral. ira dupliciter se habet in homine. Quandoque enim præuenit rationem, & trahit eam secum ad operandum, & tunc proprie ira dicitur operari: nam operatio attribuitur principali agenti. Et secundum hoc intelligitur, quod ira viri, iustitiam Dei non operatur. Quandoque vero ita sequitur rationem, & est quasi instrumentum ipsius & tunc operatio, quæ est iustitiæ, non attribuitur iræ, sed rationi. E

Ad secundum dicendum, quod ira, quæ transgreditur ordinem rationis, opponitur mansuetudini, non autem iræ, quæ est moderata, & ad medium reducta per rationẽ; nam mansuetudo medium tenet in ira.

Ad tertium dicendum, quod in nobis secundum naturalem ordinem, potentiæ animæ mutuo se impediunt; ita scilicet, quod cum vnius potentiæ operatio fuerit intensa, alterius operatio debilitetur. Et ex hoc procedit, quod motus iræ, etiam si fit secundum rationem moderatus, vtcunque impedit oculum animæ contemplantis. Sed in Christo per moderationem diuinæ virtutis, vnicuique potentiæ permittebatur agere, quod erat ei proprium; ita quod A vna potentia ex alia non impediebatur. Et ideo sicut delectatio mentis contemplantis non impediebat tristitiam, vel dolorem inferioris partis: ita etiam econuerso passiones inferioris partis, in nullo impediebant actum rationis.

Sensus quæsiti.

NOMEN & ratio duplex iræ proprie dictæ declaratur in textu.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. *In Christo non potuit esse ira per vitium.*

SECVNDA CONCL. *In Christo fuit ira per Zelum.* Probantur ambæ simul. Ira est passio composita ex tristitia & appetitu vindictæ; & siquidem talis appetitus fuerit cum peccato, dicitur ira per vitium; si vero fuerit sine peccato, dicitur ira per zelum: At in Christo fuit tristitia, & appetitus vindictæ sine peccato; ergo in Christo non fuit ira per vitium, sed in eo fuit ira per zelum. Maior quo ad primam partem probatur: quoniam ira est effectus tristitiæ, quatenus ex tristitia alicui illata consequitur in eo circa sensitiuã partem appetitus repellendi illatam iniuriam vel sibi vel alijs; ergo ira est passio composita ex tristitia & appetitu vindictæ: Quo ad secundam vero partem declaratur: Nam, quando aliquis vindictam quærit absque ordine rationis peccatum est: & ideo dicitur ira per vitium; quando autem aliquis appetit vindictam secundum ordinem iustitiæ, talis appetitus est sine peccato; imo est laudabilis; & ideo congrue vocatur ira per zelum: & probatur etiam ex Augustino; vt patet in textu. Minor relinquitur, vt euidens ex dictis *art. 1. huius quæstionis.*

Expositio Textus.

DE RATIONE tristitiæ disserit S. D. *in 1.2.q.35.* de ira autem *q. 46. & duabus seq.* de qua nonnulla diximus *in 1.p.q. 20. art. 1.* vbi notauimus in formali conceptu iræ claudi ordinẽ ad illatam ab offendẽte tristitiam; & ideo iram proprie de Deo dici non posse.

Circa dictum illud in maiori propositione: Ira est passio composita ex tristitia, & appetitu vindictæ, notat Caiet. & post eum Med. non ita accipiendum esse, vt intelligamus iram esse proprie compositam ex tristitia, & appetitu vindictæ. Primo: quoniam hæ sunt duæ passiones omnino distinctæ, quarum altera, sc. tristitia est in concupiscibili, appetitus autem vindictæ est in irascibili. Secundo: quoniam vtraq; est qualitas simplex: sed dicitur (inquit) ex his duabus affectionibus ira composita: quatenus necessario concurrunt ad eius constitutionem: appetitus quidem vindictæ formaliter; quia ita est formaliter appetitus vindictæ: tristitia vero ad iræ constitutionem cõcurrit causaliter: quia ex tristitia iniuriæ causatur ira.

Quam expositionem impugnat Vasq. quia sequeretur, Deum facere posse, vt in nobis esset ira nulla tristitia præcedente; quod nullus concedet. Probatur consequentia; quia Deus potest supplere causam efficientem: ait autem ipse rationem illius dicti D. Thom. esse; quia obiectum iræ non est solum malum absolute, quod quis alteri inferre cupit, sed malum relatiue nempe quatenus compensat tristitiam procedentem ex iniuria illata: quo fit, vt malum, quod infert ira, dicatur recrutiatio, & ipsa ira dicatur appetitus vicissim dolorem inferendi. *Sed hæc non obstant doctrinæ Caietani.* Nam tristitia formaliter, vt tristitia est, species est doloris, vt ait S. Doctor. 1.2. *quæst. 36. artic. 2.* qui dolor non mouet ad iram, nisi quatenus oritur ex iniuria ab altero accepta:

Obi. Vasq.

Solut.

ira enim est appetitus vindictæ sub ratione iusti vindicatiui; vindicta autem non habet locum, nisi vbi præcessit iniuria; vt ait S.D. *in* 1.2.q.46. *art.*1. ex quibus sequitur iram ex tristitia causari, quatenus ipsa tristitia est de iniuria, siue quatenus habet ortum ex iniuria, vt recompensabili secundum regulam & æqualitatem iustitiæ vindicatiuæ; & ideo diximus *in* 1.*p. loco supra notato*, actum iræ in formali suo conceptu claudere ordinem ad illatam ab altero tristitiam; prout scilicet ea tristitia ortum habet ex iniuria recompensabili, &c. quod voluit etiam significare Caiet. licet non expresserit; quia hic locus non est huius materiæ proprius. Ad obiectionem autem contra Caiet. negatur illatio. Ad eius probationem dico, Deũ posse supplere causam efficientem, quando nulla ei admiscetur causalitas formalis: non enim potest Deus causare visionem sine potentia visiua: quia visio, cum sit actus vitalis, dicit ordinem intrinsecum ad principium proximum vitale, quod respectu visionis non est pure efficiens, sed habet etiam quandam rationem causalitatis seu principij formalis respectu visionis; sic in proposito ira causatur ex tristitia sub ratione iam dicta, non vt causa pure efficienti, sed etiam tanquam à principio quodammodo formali, ob essentialem ordinem, quem habet ira ad tristitiam, sub prædicta ratione consideratam.

Alia, quæ notat Vasq. *disp.* 62. *c.*5. videat, qui voluerit.

A *tem ante passionem secundum mentem plene videbat Deum: & sic habebat beatitudinem, quantum ad id, quod est proprium animæ, sed quantum ad alia deerat ei beatitudo: quia, & anima eius erat passibilis, & corpus passibile, & mortale: vt ex supra dictis patet. Ideo simul erat comprehensor, inquantum habebat beatitudinem propriam animæ: & simul viator, inquantum tendebat in beatitudinem, secundum id, quod ei de beatitudine deerat.*

Ad primum ergo dicendum, quod impossibile est moueri ad finem, & quiescere in fine secundum idem. Sed secundum diuersa nihil hoc prohibet: sicut aliquis homo simul est sciens, quantum ad ea, quæ iam nouit: & addiscens, quantum ad ea, quæ nondum nouit.

B *Ad secundum dicendum, quod beatitudo principaliter, & proprie consistit in anima, & secundum mentem: secundario tamen, & quasi instrumentaliter requiruntur ad beatitudinem corporis bona. Sicut etiam Philosophus dicit in* 1. *Ethic. quod exteriora bona organice deseruiant beatitudini.*

Ad tertium dicendum, quod non est eadem ratio de animabus Sanctorum, & de Christo, propter duo: primo quidem quia animæ Sanctorum non sunt passibiles, sicut fuit anima Christi. Secundo, quia corpora non agunt aliquid, per quod in beatitudinem tendant, sicut Christus secundũ corporis passiones, in beatitudinem tendebat, quantum ad gloriam corporis.

ARTICVLVS X.

Vtrum Christus simul fuerit viator, & comprehensor.

Sensus quæsiti.

C TERMINI in quæsito positi declarantur in textu.

Forma Textus.

q.d 14. *art.* 2. & *d.* 18. *q.*2. & *ver. q.*26. *a.*10. & *q* 29. *a.* 6. & *quol.* 11 *q.*2. *a.*1. & *opus.*3. *c.* 238. & *opus* 18. *c.*7.

AD decimum sic proceditur. *Videtur, quod Christus non fuerit simul viator, & comprehensor. Viatori enim competit moueri ad finem beatitudinis, comprehensori autem competit in fine quiescere. Sed non potest eidem simul conuenire, quod moueatur ad finem, & quod quiescat in fine. Ergo non potuit simul esse, quod Christus esset viator, & comprehensor.*

Præterea: Moueri ad beatitudinem, aut eam obtinere, non competit homini secundum corpus, sed secundum animam: vnde Augustinus dicit in Epistola ad Dioscorum, quod ad inferiorem naturam, quæ est corpus, redundat ab anima, non beatitudo, quæ propria est fruentis, & intelligentis, sed plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor. Sed Christus, licet haberet corpus passibile, tamen secundum mentem plene Deo fruebatur. Non igitur Christus fuit viator, sed purus comprehensor.

Præterea: Sancti, quorum animæ sunt in cælo, & corpora in sepulchris, fruuntur quidem beatitudine secundum animam, quamuis eorum corpora morti subiaceant: & tamen nõ dicuntur viatores, sed solum comprehensores. Ergo pari ratione licet corpus Christi fuerit mortale: quia tamen mens eius Deo fruebatur, videtur quod fuerit purus comprehensor, & nullo modo viator.

E *Sed contra est, quod dicitur Hier.*14. *Quia colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum.*

Respondeo dicendum, quod aliquis dicitur viator, ex eo, quod tendit in beatitudinem, comprehensor autem dicitur ex hoc, quod iam beatitudinem obtinet, secundum illud 1. *Corinth.*9. *Sic currite, vt comprehendatis. & Philipp.*3. *Sequor autem, si quomodo comprehendam. Hominis autem beatitudo perfecta consistit in anima, & corpore: vt in secunda parte habitum est. In anima quidem quantum ad id, quod est ei proprium, secundum quod mens videt, & fruitur Deo. In corpore vero, secundum quod corpus resurgit spirituale: & in virtute, & in gloria, & in incorruptione: vt dicitur* 1. *Corinth.*15. *Christus autem ante passionem secundum mentem plene videbat Deum, & anima eius erat passibilis, & corpus passibile & mortale; ergo habebat beatitudinem quãtum ad id, quod est proprium animæ, & deerat ei beatitudo, & secundum quod deerat ei, in eam tendebat. Maior probatur ex dictis in* 1.2.*q.*4. *art.*4. & ex Apostolo *primæ Corinth.*15. Minor patet ex dictis supra *art.*4 & *sequent. & quæst.*14. *art.*1. & *q.*9. *art.*2. & *quæst.*10. *per totam.*

CONCL. *est: Christus fuit simul comprehensor, & viator.* Probatur: Aliquis dicitur viator ex eo quod tendit in beatitudinem; comprehensor autem dicitur ex hoc quod iam beatitudinem obtinet: At Christus simul habebat beatitudinem, & tendebat ad beatitudinem; ergo erat simul comprehensor & viator. Maior probatur dupliciauctoritate Apostoli, scilicet *primæ Cor.*9. & *Philip.*3. vt patet in textu. Minor probatur: quia hominis beatitudo perfecta consistit in anima & corpore: in anima quidem, quantum ad id, quod est ei D proprium, secundum quod mens videt Deum, & fruitur Deo: in corpore vero secũdum quod corpus resurgit spirituale, & in virtute, & gloria, & in incorruptione. At Christus ante passionem secũdum mentem plene videbat Deum, & anima eius erat passibilis, & corpus passibile & mortale; ergo habebat beatitudinem quãtum ad id, quod est proprium animæ, & deerat ei beatitudo, & secundum quod deerat ei, in eam tendebat. Maior probatur ex dictis *in* 1.2.*q.*4. *art.*4. & ex Apostolo *primæ Corinth.*15. Minor patet ex dictis supra *art.*4 & *sequent. & quæst.*14. *art.*1. & *q.*9. *art.*2. & *quæst.*10. *per totam.*

Expositio Textus.

VIDE, si placet, ea quæ scribit Vasq. *super hoc a.* pro declaratione mentis & verborum S.Th. *Suar. carpit* argumentum, *sed contra* ex auctoritate Hieremiæ, dicens ibi nomen viatoris accipi in communi tantum significatione, non autem vt distinguitur à comprehensore: quomodo sumitur à Theologis. *Sed cum* hic sensus, quem S.D. accipit, nihil habeat absurditatis & sensum eleuet illius propheriæ, & Incarnati Verbi, de quo ibi sermo est, maxime congruat, non erat tam facile reijciendus, vt improprius & alienus; cum præsertim diuina scriptura sub vna litera plures sensus litterales admittat; vt patet ex 1.*q.*1. *a.vlt.* & S. Hieronymus illum sensum indicet manifeste. *Cauil Suarez. reijcit.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO SEXTADECIMA.

De consequentibus vnionem quantum ad ea, quæ conueniunt Christo secundum esse & fieri, in duodecim articulos diuisa.

DEinde considerandum est de his, quæ consequuntur vnionem. Et Primo quantum ad ea, quæ conueniunt Christo secundum se. Secundo de his, quæ conueniunt Christo per comparationem ad Deum patrem. Tertio de his, quæ conueniunt Christo per comparationem ad nos.

Circa primum, duplex consideratio occurrit: Prima quidem de his, quæ conueniunt Christo, secundum esse, & fieri. Secunda de his, quæ conueniunt Christo secundum rationem vnitatis.

Circa primum quæruntur duodecim.

Primo, vtrum hæc sit vera, Deus est homo.

Secundo, vtrum hæc sit vera. Homo est Deus.

Tertio, vtrum Christus possit dici homo Dominicus.

Quarto, vtrum ea, quæ conueniunt Filio hominis, possint prædicari de Filio Dei, & econtrario.

Quinto, vtrum ea, quæ conueniunt Filio hominis, possint prædicari de diuina natura: & de humana ea, quæ conueniunt Filio Dei.

Sexto, vtrum hæc sit vera, Filius Dei factus est homo.

Septimo, vtrum hæc sit vera, Homo factus est Deus.

Octauo, vtrum hæc sit vera, Christus est creatura.

Nono, vtrum hæc sit vera, Iste homo, demõstrato Christo, incæpit esse, vel fuerit semper.

Decimo, vtrum hæc sit vera, Christus, secundum quod homo, est creatura.

Vndecimo, vtrum hæc sit vera, Christus, secundum quod homo, est Deus.

Duodecimo, vtrum hæc sit vera, Christus, secundum quod homo, est hypostasis, vel persona.

Ratio ordinis.

TOTA hæc quæstio agens de consequentibus vnionem, & conuenientibus Christo secundum se, est de modo vere, proprie & Catholice loquendi in mysterio Sacro S. Incarnationis. Procedit autem S. D. à prioribus & notioribus ad ea quæ posteriora & minus nota sunt. Primum autem & notissimum est naturam quamlibet concrete sumptam de suo suppposito prædicari; & quia vna & eadem persona diuina est suppositum diuinæ, & humanæ naturæ; illius quidem naturalite per se primo & ab æterno; huius vero per voluntariam assumptionem secundario & in tempore; ideo primo quæritur de veritate huius propositionis: *Deus est homo*; in qua dictio *Deus* supponit pro persona Filij Dei, vt primo existentis in diuina natura. Secundo quæritur de veritate huius propositionis. *Homo est Deus*; in qua dictio illa *Homo* supponit pro eadem persona, vt est etiam secundario suppositum humanæ naturæ. Ex quibus sequitur alia difficultas ex prædictarum definitione soluenda, videlicet: *An Christus possit dici homo Dominicus*: nam, vt ait S. Doct. art. 3. quod prædicatur de Filio Dei essentialiter, non potest proprie & vere dici de eo denominatiue; de Christo autem Filio Dei prædicatur essentialiter Deus & Dominus, & ideo non debet denominatiue dici homo Dominicus. Deinde S. Doctor transit ad reliqua prædicata prædictis duobus posteriora; quæ sunt in duplici differentia. Nam quædam sunt conuenientia vni suppposito vtriusque naturæ, scilicet Filio Dei & filio hominis; & de his in communi disserit in quarto articulo. Quædam sunt naturis conuenientia, scilicet diuinæ vel humanæ, & de his agit in quinto articulo. Postremo ab articulo sexto, disputationem inchoat de particularibus quibusdam propositionibus; & primo de ijs, quæ subjectum habent absolutum, in articulo sexto, septimo, octauo & nono; secundo de his, quarum subiectum additã habet reduplicationem aut specificationem in reliquis tribus articulis: quorum ordinem in singulorum exordiis indicabimus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum hæc sit vera: Deus est homo.

AD primum sic proceditur. *Videtur, quod hæc sit falsa, Deus est homo. Omnis enim propositio affirmatiua in materia remota est falsa. Sed hæc propositio, Deus est homo, est in materia remota: quia formæ significatæ per subiectum, & prædicatum, sunt maxime distantes. Cum ergo propositio prædicta sit affirmatiua, videtur, quod sit falsa.* 3. d. q. 1. art. 1. & vnic. a. 4. c. fin.

Præterea: Magis conueniunt tres personæ diuinæ adinuicem, quam humana natura & diuina. Sed in mysterio Trinitatis vna persona non prædicatur de alia: non enim dicimus, quod pater est filius, vel econtrario. Ergo videtur, quod nec humana natura possit prædicari de Deo, vt dicatur, quod Deus est homo.

Præterea: Athanasius dicit, quod, sicut anima, & corpus vnus est homo: ita Deus, & homo, vnus est Christus. Sed hæc est falsa, Anima est corpus: ergo etiam hæc est falsa, Deus est homo.

Præterea: Sicut in Prima parte habitum est, quod prædicatur de Deo, non relatiue, sed absolute, conuenit toti Trinitati, & singulis personis. Sed hoc nomen homo non est relatiuum, sed absolutum. Si ergo vere prædicatur de Deo, sequeretur, quod tota Trinitas, & quælibet persona sit homo, quod patet esse falsum.

Sed contra est, quod dicitur Philip. 2. Qui cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo. Et sic ille, qui est in forma Dei, est homo. Sed ille, qui est in forma Dei, est Deus. Ergo Deus est homo.

Respondeo dicendum, quod ista propositio, Deus est homo, ab omnibus Christianis conceditur: non tamen ab omnibus secundum eandem rationem. Quidam enim hanc propositionem concedunt, non secundum propriam acceptionem horum terminorum. Nam Manichæi verum Deum dicunt esse hominem, non quidem verum: sed similitudinarium, inquantum dicunt Filium Dei corpus phãtasticum assumpsisse: vt sic dicatur Deus homo, sicut cuprum figuratum dicitur homo, quia habet similitudinem hominis. Similiter etiam illi, qui posuerunt, quod in Christo anima & corpus non fuerunt vnita, non possunt dicere, quod Deus sit verus homo: sed quod dicatur homo figuratiue, ratione partium. Sed vtraque harum opinionum supra improbata est. Alij vero econuerso ponunt veritatem ex parte hominis: sed negant veritatem ex parte Dei. Dicunt enim Christum, qui est Deus, & homo, esse Deum non naturaliter, sed participatiue, scilicet per gratiam: sicut, & omnes sancti viri dicuntur dij: excellentius tamen Christus præ alijs, propter gratiam abundantiorem. Et secundum hoc, cum dicitur, Deus est homo, ly Deus, non supponit verum, & naturalem Deum. Et hæc est hæresis Photini, quæ supra improbata est. Alij vero concedunt hanc propositionem cum veritate vtriusque termini, ponentes Christum, & verum Deum esse, & verum hominem: sed tamen veritatem prædicationis non saluant. Dicunt enim, quod homo prædicatur de Deo per quandam coniunctionem, vel dignitatis, vel auctoritatis, vel etiam affectionis, aut inhabitationis. Et sic posuit Nestorius Deũ hominem esse: vt per hoc nihil aliud significetur, quã quod

Deus

Deus est homini coniunctus tali coniunctione, quod homo inhabitetur à Deo, & vniatur ei secundum affectum, & secundum participationem auctoritatis, & honoris diuini. Et in similem errorem incidunt quicunque ponunt duas hypostases, vel duo suppositain Christo: quia non est possibile intelligi, quod duorum, quæ sunt secundum suppositum, vel hypostasim distincta, vnum proprie prædicetur de alio, sed solum secundum quandam figuratiuam locutionem, inquantum in aliquo coniunguntur: puta si dicamus Petrum esse Ioannem, quia habent aliquam coniunctionem adinuicem. Et hæ etiam opiniones supra improbatæ sunt. Vnde supponendo secundum veritatem Catholicæ fidei, quod vera natura diuina, vnita est cum vera natura humana, non solum in persona, sed etiam in supposito, vel hypostasi, dicimus hanc propositionem esse veram, & propriam, Deus est homo, non solum propter veritatem terminorum (quia scilicet Christus est verus Deus, & verus homo) sed etiam propter veritatem prædicationis. Nomen enim significans naturam communem in concreto, potest supponere pro quolibet contentorum sub natura communi: sicut hoc nomen homo potest supponere pro quolibet homine singulari. Et ita hoc nomen Deus ex ipso modo suæ significationis potest supponere pro persona Filij Dei, vt etiam in Prima parte habitum est. De quolibet autem supposito alicuius naturæ potest vere, & proprie prædicari nomen significans illam naturam in concreto: sicut de Sorte, & Platone proprie, & vere prædicatur homo. Quia ergo persona filij Dei (pro qua supponit hoc nomen Deus) est suppositum naturæ humanæ, vere, & proprie hoc nomen homo, potest prædicari de hoc nomine Deus, secundum quod supponit pro persona Filij Dei.

Ad primum ergo dicendum, quod quando formæ diuersæ non possunt conuenire in vnum suppositum, tunc oportet, quod propositio sit in materia remota, cuius subiectum significat vnam illarum formarum, & prædicatum aliã. Sed quando duæ formæ possunt conuenire in vnum suppositum, non est materia remota, sed naturalis, vel contingens: sicut, cum dico, album est musicum. Natura autem diuina, & humana, quamuis sint maxime distantes: tamen conueniunt per Incarnationis mysterium in vno supposito, cui neutra illarum inest per accidens, sed per se. Et ideo hæc propositio, Deus est homo, non est neque in materia remota, neque in materia contingenti: sed in materia naturali. Et prædicatur homo de Deo, non per accidens sed per se sicut species de sua hypostasi: non quidem ratione formæ significatæ per hoc nomen Deus, sed ratione suppositi, quod est hypostasis humanæ naturæ.

Ad secundum dicendum quod tres personæ diuinæ conueniunt in natura, distinguuntur tamen in supposito: & ideo non prædicantur de inuicem. In mysterio autem Incarnationis naturæ quidem, quia distinctæ sunt, de inuicem non prædicantur, secundum quod significantur in abstracto (non enim natura diuina est humana,) sed quia conueniunt in supposito, prædicantur de inuicem in concreto.

Ad tertium dicendum, quod anima, & caro significantur, vt in abstracto, sicut diuinitas, & humanitas. In concreto vero dicuntur animatum, & carneum, siue corporeum, sicut, & ex alia parte Deus, & homo. Vnde vtrobique abstractum non prædicatur de abstracto: sed solum concretum de concreto.

Ad quartum dicendum, quod hoc nomen homo prædicatur de Deo ratione vnionis in persona: quæ quidem vnio relationem importat. Et ideo non sequitur regulam eorum nominum, quæ absolute prædicantur de Deo ab æterno.

Forma Textus.

REFERT primo S.D. communem Christianorum omnium, tam Catholicorum, quam hæreticorum confessionem de veritate huius propositionis: Deus est homo, cum multiplici differentia quo ad rationem affirmandi seu confitendi dictam veritatem: secundo respondet quæsito vnica conclusione affirmatiua.

Quo ad primum, dicitur primo, in communi propositionem hanc: Deus est homo, ab omnibus Christianis concedi, non tamen secundum eandem rationem: Secundo referuntur tria genera errorum in afferenda ratione dicta propositionis, iuxta tria ad eius compositionem concurrentia; quæ sunt; subiectum, prædicatum & copula.

Primum genus erroris est circa veritatem prædicati, videlicet Homo, cuius erroris duæ sunt partes, siue species: Altera est hæresis Manichæorum, dicentium Verbum Dei esse hominem, non quidem verum, sed similitudinarium. Explicatur & probatur hanc eorum fuisse sententiam; quia asserebant Dei filium corpus phantasticum
B assumpsisse; ex quo sequitur, quod sicut cuprum figuratum dicitur homo, quia habet similitudinem hominis realem secundum figuram, &c. ita Deus dicitur homo, quia habet similitudinem phantasticam hominis. Altera hæresis est dicentium, in Christo animam & corpus non fuisse vnita: Hi enim non possunt dicere, quod Deus sit verus homo, sed quod sit homo figuratiue, ratione partium. Contra duas has hæreses affert S.D. ea, quæ supra dixit *q.2.a.5.* & *q.5.art.1.* & 2. Secundum genus erroris est circa veritatem subiecti, videlicet Deus, in quo Photinus versabatur, dicens Christum, qui est Deus & homo, non esse hominem naturaliter, sed participatiue scilicet per gratiam, &c. adeo vt cum dicitur Deus est homo, ly
C Deus nõ supponeret verum & naturalem Deum. Tertium genus erroris est circa esse significatum per copulam verbalem dictæ propositionis, scilicet per verbum est: cuius sunt duæ quasi species, quę tamen in vnam coincidunt. Primus error fuit Nestorij, dicẽtis hominem de Deo prædicari per quandam coniunctionem vel dignitatis vel auctoritatis vel etiam affectionis aut inhabitationis, ita vt hac propositione: Deus est homo, nihil aliud significetur, quam quod Deus est homini coniunctus tali coniunctione, quod homo inhabitetur à Deo &c. vt in textu. Secũdus error huic simi is fuit eorum, qui ponunt duas hypostases, vel duo suppositain Christo. Probatur hunc errorem esse similem: quia non est possibile, quod
D duorum quæ sunt secundum suppositum vel hypostasim distincta, vnum proprie prædicetur de alio, sed solum secundum quandam figuratiuam locutionem, inquantum in aliquo coniunguntur, puta si dicamus Petrum esse Ioannem, quia habent aliquam coniunctionem adinuicem.

Quo ad secundum, CONCLVSIO *est: Hæc propositio est vera, & propria: Deus est homo, non solum propter veritatem terminorum (quia scilicet Christus est verus Deus, & verus homo) sed etiam propter veritatem prædicationis.* Probatur: quia de quolibet supposito alicuius naturæ potest vere & proprie prædicari nomen significans illam naturam in concreto: at suppositum, pro quo supponit hoc nomen Deus,
E est suppositum humanæ naturæ; ergo hoc nomẽ homo potest vere & proprie prædicari de hoc nomine Deus, dicendo: Deus est homo. Maior declaratur exemplo: sicut de Sorte & Platone proprie & vere prædicatur homo. Minor vero probatur: quia hoc nomen *Deus*, hic supponit pro persona filij Dei: at hæc est suppositum naturæ humanę; ergo suppositum, pro quo supponit hoc nomen *Deus*, est suppositum humanæ naturæ. Maior hæc declaratur: quia hoc nomen Deus ex ipso modo suæ significationis potest supponere pro persona filii Dei, vt ostensum est *in Prima parte*. Minor probatur ex supposita Catholicæ fidei veritate, quod vera natura diuina vnita est cum

vera

veræ natura humana, non solum in persona, sed etiam supposito, vel hypostasi.

Expositio Textus.

DISSERIT hic late Suar. *disp.* 35. de communicatione idiomatum, quæ consecuta est ex mysterio Incarnationis, vbi examinat ea, quæ per plures huius quæstionis articulos explicat S. D. quod idem præstat Val. *super hoc artic.* & ex parte Vasq. *disp.* 63. & Bell. *tom.* 1. *libr.* 3. *de Incarnat. c.* 8. & *seq.* nos ea, quæ necessaria sunt, suis locis breuiter attingemus.

Vide etiam ea, quæ notat Cai. *circa respons. ad* 4. *D. Thom.*

Controuersia Vnica.

An hæc propositio: Deus est homo, sit propria & per se ac necessaria?

Sent. Doct. DVRANDVS *in* 3. *dist.* 4. *q.* 2. duo dicit. *Primum* est, hanc propositionem: Deus est homo, nō esse ita propriam, sicut hæc: Petrus est homo, sed aliquid habere improprietatis. *Secundum* est, illam non esse per se, & in materia naturali, ac necessaria, sed in materia contingenti: quod secundum prius asseruerat Scotus *in* 3. *dist.* 7. *q.* 2. quem secuti sunt Capr. *dist.* 4 *q.* 2. *ad argumenta Scoti contra secundam concl.* Gabriel *dist.* 7. *q. vnica*, Marsilius *ead. dist. q.* 6. *a.* 3. *ad* 5.

Oppositam sententiam habet S. D. *hic ad primum*; quam sequuntur ac optime defendunt Caiet. Med. & Val. *super hoc a.* Ferrar. *in* 4. *cont. gent. cap.* 45. Suarez & Vasquez *locu supra notatis*, & Aluar. *disp.* 69.

Resolutio prima part. Hanc propositionem: Deus est homo, esse veram & propriam probatur multis argumentis.

DVÆ sunt huius Controv. partes. PRIMA est: *An hæc propositio: Deus est homo, sit propria?* In qua solus vniuersis Theologis aduersatur Durandus: cuius opinionem vt falsam & erroneam confutat erudite Medina, & post eum Suar. *in Comm huius a.* & Vasq. *disp* 63. *c.* 3. & alij recentiores. Præcipua contra Durandum argumenta sunt. Primum: Christus eandem habet specie naturam humanam cum cæteris hominibus, & est homo vniuoce nobiscum; igitur non minus proprie est hæc propositio: Christus est homo, quam hæc: Petrus est homo. Antecedens quo ad primam partem est de fide, & patet *ex q.* 5. Secunda vero eiusdem antecedentis pars sequitur euidenter ex prima, & probat eam Suar. *in Comm. ad hunc a. dubio* 2. Secundum argumentum est: Si dicta propositio est impropria, vel est propter improprietatem prædicati, vel propter improprietatem subiecti, aut propter improprietatem copulæ seu vnionis: at nullum horum dici potest; ergo. Maior probatur: quia primum implicat hæresim Manichæorum: Secundum hæresim Photini: Tertium hæresim Nestorij, vt patet in Textu. Tertium argumentū est: Si ea propositio non est propria, igitur etiam propositiones enuntiantes actiones, & passiones humanitatis, & proprietates hominis, essent impropriæ; at hoc asserere temerarium est & errori proximum; ergo & illud. Maior siue conditionalis assumpta est euidens. Minor autem probatur: Primo quia istæ propositiones: Deus vel Dei Filius natus est de Virgine, est Filius Virginis, passus est, crucifixus & mortuus est, absque vlla absurditate sumi possunt in sensu proprio & maxime consono vnioni hypostaticæ; ergo non sine temeritate nec absque periculo erroris dici possunt improprie. Secundo probatur: quia videtur hæc veritas expresse definita in Concilio Later. sub Martino 5. *consul.* 5. *can.* 3. his verbis: *Si quis secundum S. Patres non confitetur proprie, & secundum veritatem Dei genitricem Sanctam, semperque Virginem, & immaculatam Mariam, &c damnatus sit*: Quibus verbis decreuit concilium Beatissimā Virginem esse vere ac proprie Dei genitricem, & ita ab omnibus esse nuncupandam: quod si B. Virgo proprie dicitur mater Dei, sequitur etiam è contra, Deum esse proprie Virginis filium, & proprie ex ea conceptum & natum, ac proinde etiam esse hominem proprie. Alias similes Conciliorum definitiones & dicta Patrū lege, si lubet, apud Vasq. *in allegata disput. 63. c.* 3. Quibus adde Concilium Ephes. Primum, definiens B. Virgin. esse vere & proprie Matrem Dei. Quartum argumentum est: Ex vnione animæ rationalis & corporis resultat homo proprie; at in filio Dei Incarnatio est vnio animæ rationalis cum corpore; ergo ibi est proprie homo: at non sunt ibi duo suppositā, sed vnū tantum; ergo illud vnum suppositum, nō tantum est proprie Deus, sed etiam est proprie homo. Et confirmatur: quia Deus Incarnatus habet vere ac proprie naturam humanam personaliter sibi cōiunctam; ergo est vere & proprie homo, non minus quam Petrus aut Paulus sit aut dicatur homo. Plures alias probationes afferunt prænominati recentiores.

Sed duo notanda sunt, vt Dur. sophismata facile diluantur. *Primum* est, non solas propositiones essentiales, in quibus est maxima vnitas inter subiectum & prædicatum, sed etiam accidentales, in quibus est minima vnitas, esse proprias, vt hic aduertit Med. *Secundum* est, differre suppositum creatum & connaturale ac proprium alicuius naturæ à supposito diuino terminante humanam naturam, quod illud non præcedit naturam, cuius est suppositum, sed ea posterior est instanti naturæ: suppositum autem diuinū: præcedit humanitatem duratione, cum sit ab æterno, humanitas autem in tempore sit producta, & illi personaliter copulata: ex quo sequitur, vt Verbum post assumptam humanitatem non tantum dici possit homo, sed etiam humanatus, Petrus autem, quī ordine naturæ posterior est humanitate sua indiuidia, dici possit homo, non autem humanatus. Vide infra D. Thom. *a.* 3. *ad* 2.

Propositionem hanc: Deus est homo, secūdum quasdam suppositiones huius nominis, Deus, esse per accidens simpliciter aūt esse per se, & in materia naturali.

SECVNDA PARS *Controuersiæ. An scilicet dicta propositio sit per se, & in materia naturali?* Pro huius partis resolutione supponenda sunt primo ea, quæ late diximus 1. *q.* 39. *a* 4. *Contr.* 2. de suppositione huius nominis, Deus. *Secundo notanda sunt* quinque distinctiones: *Prima* distinctio est: Nomen illud *Deus*, quod est subiectum huius propositionis: *Deus est homo*, potest dupliciter considerari: Vno modo absolute, quatenus scil. secundum suam naturalem suppositionem supponit pro habente Deitatem absque determinatione ad hoc, vel ad illud habens Deitatem: vt cū dicitur Deus Charitas est: Alio modo considerari potest, vt contractum & determinatum per illud prædicatum *homo* ad vnam Deitatis personam, puta filiū, eo quod talia sunt subiecta, quo ad suppositionem, qualia permittuntur à prædicatis: vt cum dico *Deus generat*, nomen illud *Deus* supponit pro solo patre; vt diximus cum D. Thom. & alijs *in* 1. *loco sup. notato.*

Secunda distinctio est: Hoc nomen *Deus* in hac propositione: *Deus est homo*, quatenus supponit p persona Verbi, tripliciter potest considerari. Primo quo ad formam significatam, quæ est Deitas: secundo quo ad personam Verbi, pro qua supponit, tertio quo ad vtrumq; simul, scil. formam & suppositum.

Tertia distinctio est: Hoc nomen *Deus* consideratum quo ad personam Verbi, pro qua supponit, dupliciter sumi potest: Vno modo, quatenus

supponit

ſupponit pro perſona filij Dei, vt eſt hypoſtaſis diuina præcisè: Alio modo, vt ſupponit pro perſona filij Dei, vt etiam eſt hypoſtaſis humana, ſiue ſubſiſtens in humana natura; quæ eſt vera & propria ſuppoſitio huius termini *Deus*, in hac propoſitione, *Deus eſt homo*.

Quarta diſtinctio eſt: Triplex eſt materia propoſitionum: Prima eſt neceſſaria ſeu naturalis, quando extrema neceſſariam & naturalem habent connexionem adinuicem: vt in hac: Homo eſt rationalis, vel homo eſt riſibilis. Secunda eſt contingens, quando ſcilicet extrema contingenter, ſeu accidentaliter vniuntur adinuicem: vt in hac: homo eſt grammaticus. Tertia eſt remota, quando ſcilicet extrema ſunt incompaſſibilia in eodem ſuppoſito, vel pugnant adinuicem: vt in hac: homo eſt lapis, vel homo eſt rudibilis.

Quinta diſtinctio: Duplex eſt propoſitio per ſe, quædam, quæ eſt per ſe ratione formæ ſignificatæ per nomen poſitum à parte ſubiecti: vt hæc, homo eſt rationalis, vel homo eſt riſibilis: quædã eſt per ſe ratione ſuppoſiti tantum & non ratione formæ; de qua nullum proferri poteſt exemplũ, niſi in materia Incarnationis; in qua vnum & idé eſt ſuppoſitum intrinſecum duarum naturarum ſubſtantialium, diuinæ ſcilicet & humanæ; igitur Hæc propoſitio: *Deus eſt homo* eſt per ſe, non ratione formæ ſed ratione ſuppoſiti; quia ſcilic. ratio, propter quam hoc prædicatum *homo* conuenit huic ſubiecto *Deus*, non eſt forma ſeu natura diuina, ſed eſt ſuppoſitum Deitatis, vt ſubſiſtens in humanitate. Differunt hæ propoſitiones: Nam propoſitio, quæ eſt per ſe ratione formæ ſignificatæ, eſt vera cum reduplicatione termini poſiti à parte ſubiecti: Sicut hæc: homo eſt rationalis ſiue riſibilis, eſt vera cum reduplicatione ſubiecti, dicendo homo inquantum homo eſt rationalis aut riſibilis: cuius ratio eſt; quia reduplicatio transfert ſubiectum, quod reduplicatur, in naturam prædicati: prædicatum autem tenetur formaliter. Nam, vt ait Caiet. cum dico: homo inquantum homo eſt rationalis, vel riſibilis, idem eſt, ac ſi dicerem: homo inquantum eſt homo, eſt rationalis: vbi vides ſubiectum illud homo fieri prædicatum, dicendo, inquantum eſt homo: hac autem loquendi forma denotatur humanitatem, quæ forma quædam eſt, eſſe rationem coniunctionis huius prædicati, quod eſt rationale vel riſibile, cum hoc ſubiecto, quod eſt homo. Propoſitio vero, quæ eſt per ſe tantum ratione ſuppoſiti intrinſeci, non eſt vera cum reduplicatione ſubiecti. Hæc enim eſt falſa: Deus, inquantum Deus, eſt homo: nam, vt patet ex dictis, ſignificaretur Deitatem eſſe rationem neceſſariam coniunctionis humanæ naturæ cum Deo; quod eſt falſum: & eadem ratione falſa eſt iſta: Verbum, inquantum Verbum, eſt homo; quia dictio illa *inquantum* reduplicatiue ſumpta denotat formam ſignificatam nomine Verbi, quæ eſt proprietas hypoſtatica Verbi conſtitutiua, eſſe rationem neceſſariam prædicati, cum ſubiecto. Si autem dictio illa *inquantum* ſumeretur ſpecificatiue, vera eſſet hæc propoſitio: Verbum inquantum Verbum, eſt homo: quia ſic nihil aliud denotaretur, quam Verbum ſecundum propriam perſonalitatem ſubſiſtere in humana natura; quod veriſſimum eſt.

PRIMA CONCL. *Hæc propoſitio: Deus eſt homo, eſt æque propria ſicut hæc: Petrus eſt homo.* Hæc eſt contra Durandum, & patet ex dictis in prima parte Cõtrouerſiæ.

SECVNDA CONCL. *In hac propoſitione: Deus eſt homo, nomen illud Deus, ſi ſumatur abſolute, prout ſc. ſupponit pro habente Deitatem indiſtincte, erit propoſitio per accidens.* Probatur: quia accidit Deo eſſe hominem ratione alicuius hypoſtaſis diuinæ, ſicut accidit animali eſſe hominem ratione alicuius animalis, quod eſt homo: ſed hæc non eſt vera & propria ſuppoſitio huius nominis *Deus* in dicta propoſitione, vt hic etiam aduertunt expoſitores poſt D. Thomam.

TERTIA CONCL. *Si in eadem propoſitione ſumatur hoc nomen Deus, vt ſupponit pro perſona Verbi ratione formæ ſignificatæ, quæ eſt diuina natura, aut ratione formæ & ſuppoſiti ſimul, non eſt illa propoſitio per ſe, & in materia naturali.* Probatur Primo: quia omnis propoſitio per ſe, ratione formæ ſignificatæ per terminum poſitum à parte ſubiecti, eſt vera cum reduplicatione eiuſdem termini: at hæc propoſitio, *Deus eſt homo*, non eſt vera cum hac reduplicatione, inquantum Deus; ergo. Maior & Minor patent ex ſupra dictis. Secundo in omni propoſitione per ſe ratione formæ prædicatum eſt de ratione ſubiecti intrinſeca; ſed in hac propoſitione prædicatum nõ eſt de ratione ſubiecti; ergo. Maior patet. Minor probatur: quia humanitas non eſt de intrinſeca ratione Dei, aut alicuius diuinæ perſonæ.

QVARTA CONCL. *Si in dicta propoſitione ſumatur hoc nomen Deus, vt ſupponit pro perſona Verbi, vt eſt hypoſtaſis diuina præciſe, eſt propoſitio per accidens.* Probatur: quia perſona Verbi vere dicitur, & eſt homo, non inquantum eſt hypoſtaſis diuinæ naturæ, ſed prout eſt hypoſtaſis aſſumptæ humanitatis.

QVINTA CONCL. *Si in dicta propoſitione, videlicet Deus eſt homo, nomen hoc Deus ſupponat pro perſona filij Dei, vt eſt ſubſiſtens in aſſumpta humanitate, ſiue vt eſt vnita perſonaliter humanitati, & vt eſt humana perſona, eſt propoſitio per ſe ratione ſuppoſiti in materia naturali:* Probatur: quia ſic prædicatur homo de ſua hypoſtaſi. Secundo probatur: quia ad propoſitionem per ſe ratione ſuppoſiti in materia naturali ſufficit, vt formæ ſignificatæ per extrema propoſitionis conueniant per ſe, ſiue ſubſtantialiter in vnum ſuppoſitum, ita vt ſubſiſtat vtraque forma, ſeu natura vna eiuſdem ſuppoſiti ſubſiſtentia: quod ex eo patet; quia ſubiectum ſtat materialiter pro ſuppoſito, eo quod ſubiectũ habet rationem materiæ, prædicatum autem, cum habeat rationem formæ, ſumitur formaliter; ergo, vt illa propoſitio Deus, aut filius Dei eſt homo, ſit per ſe in materia naturali, ſatis eſt, vt prædicatum cõueniat ſubiecto ratione ſuppoſiti, quamuis illi non conueniat ratione formæ. Tertio probatur: quia veritas dictæ propoſitionis fundatur in vnione hypoſtatica, quæ eſt vnio ſubſtantialis, ſecũdum quam Chriſtus eſt perſona humana: Non minus eſt per ſe hæc: Ieſus eſt homo: ſed hæc manifeſte eſt per ſe in materia naturali; ergo & illa. Maior probatur: quia nomen Deus in dicta propoſitione ſupponit pro filio Dei Incarnato, qui eſt Ieſus Chriſtus; qui eſt perſona compoſita ex duabus naturis, & eſt perſona diuina & humana. Minor probatur: quia in hac propoſitione *Ieſus eſt homo*, ſubiectum ſignificat ſuppoſitum humanæ naturæ, & formaliter importat humanam naturam vnitam diuinitati in eadem perſona: at omnis propoſitio, in qua ſpecies prædicatur de ſuo ſuppoſito, eſt per ſe & in materia naturali; ergo. Alias probationes lege, ſi vis, apud Aluar. & alios recentiores.

VLTIMA CONCL. *Suppoſito myſterio Incarnationis, hæc propoſitio: Deus eſt homo, eſt vera proprie, & per ſe, in materia naturali, & vt talis ſimpliciter admittenda.* Hæc ſequitur euidenter ex dictis.

CONTRA

CONTRA *primam concl.* sunt argumenta Dur. A quæ refert & soluit Med. & quædam etiam Suar. *in Comm.* & Vasq. *in allegata disp. 63. cap. 4.*

CONTRA QVARTAM, & *vltimam* concl. sunt argumenta Scoti & Dur. quæ referunt & soluunt Cai. Med. Suar. Vasq. & Aluar. *locis supra notatis.* Quibus tamen exijs, quæ diximus facile satisfiet.

ARTICVLVS II.

Vtrum hæc sit vera. Homo est Deus.

3. d. 7 qu. 1. art. 2.

AD *secundum sic proceditur. Videtur, quod hæc sit falsa, homo est Deus. Deus enim est nomen incommunicabile. Sed Sap. 13. reprehenduntur idolatræ, de hoc, quod hoc nomen Deus, quod est incommunicabile, lignis, & lapidibus imposuerunt. Ergo pari ratione videtur esse inconueniens, quod hoc nomen Deus prædicetur de homine.* B

Præterea: Quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur de subiecto. Sed hæc est vera. Deus est Pater, vel Deus est Trinitas. Si ergo hæc sit vera, homo est Deus, videtur, quod hæc etiam sit vera, homo est Pater, vel homo est Trinitas. Quas quidem patet esse falsas: ergo, & primam.

Præterea, In Psalm. dicitur. Non erit in te Deus recens. Sed homo est quiddam recens: non enim Christus semper fuit homo. Ergo hæc est falsa, Homo est Deus.

Sed contra est, quod dicitur Rom. 9. Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Sed Christus secundum carnem est homo. C *Ergo hæc est vera, Homo est Deus.*

Respondeo dicendum quod supposita veritate vtriusque naturæ, diuinæ scilicet, & humanæ, & vnione in persona, & hypostasi, hæc est vera, & propria, Homo est Deus, sicut & ista, Deus est homo. Hoc enim nomen homo, potest supponere pro qualibet hypostasi humanæ naturæ: & ita potest supponere pro persona filij Dei, quam dicimus esse hypostasim humanæ naturæ. Manifestum est autem, quod de persona filij Dei vere, & proprie prædicatur hoc nomen Deus, vt in prima parte habitum est. Vnde relinquitur, quod hæc sit vera & propria, Homo est Deus.

Ad primum ergo dicendum, quod idolatræ attribuebant nomen Deitatis lapidibus, & ligni, secundum quod in sua natura considerantur: qui putabant in illis aliquid numinis esse. Nos autem non attribuimus nomen Deitatis homini secundum humanam naturam: D *sed secundum suppositum æternum, quod est etiam per vnionem suppositum humanæ naturæ: vt dictum est.*

Ad secundum dicendum, quod hoc nomen Pater, prædicatur de hoc nomine Deus secundum quod hoc nomen Deus supponit pro persona Patris: sic autem non prædicatur de persona Filij: quia persona Filij non est persona Patris. Et per consequens non oportet, quod hoc nomen Pater, prædicetur de hoc nomine homo, de quo prædicatur hoc nomen Deus: in quantum ly homo supponit pro persona Filij.

Ad tertium dicendum, quod licet humana natura in Christo sit quiddam recens: tamen suppositum humanæ naturæ non est recens, sed æternum. Et quia hoc nomen Deus, non prædicatur de homine ratione humanæ naturæ, E *sed ratione suppositi, non sequitur, quod ponamus Deum recentem. Sequeretur autem, si poneremus, quod homo supponit suppositum creatum, secundum quod oportet dicere eos, qui in Christo ponunt duo supposita.*

Forma Textus.

CONCL. *est: Supposita veritate vtriusque naturæ, diuinæ scilicet & humanæ, & vnione in persona & hypostasi, hæc est vera & propria: Homo est Deus sicut ista: Deus est homo.* Probatur: de persona filij Dei vere & proprie prædicatur hoc nomen DEVS: ergo hæc est vera & propria: homo est Deus. Antecedens patet ex dictis *in prima parte, quæst. 39. art. 3. & 4.* Consequentia vero probatur: quia hoc nomen homo potest supponere pro persona filij Dei: ergo. Probatur hoc assumptum: quia hoc nomen, homo, potest supponere pro qualibet hypostasi humanæ naturæ: at quædam hypostasis humanæ naturæ est persona filij Dei: ergo hoc nomen, homo, potest supponere pro persona filij DEI.

Naz. in D. Thom. 3. partem.

Expositio Textus.

SICVT *diximus propositionem illam: Deus est homo* esse per se in primo modo ratione suppositi: ita de hac propositione *Homo est Deus* dicendum est eam esse per se in primo modo ratione suppositi diuini, pro quo supponit hoc nomen *homo* in dicta propositione, supposito mysterio Incarnationis, vt ait S. D. in textu. Nec aliud pro hac veritate scribendum occurrit præter ea, quæ dicta sunt *in præcedenti Controuersia*, quæ conclusioni & discursui præsentis articuli sunt applicanda.

Vide etiam, quæ notat Caiet. & post eum Medina circa responsionem ad secundum argumentum D. Thomæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus posit dici homo Dominicus.

AD *tertium sic proceditur. Videtur, quod Christus posit dici homo Dominicus. Dicit enim Augustin. in lib. 83. quæst. Monendum est, vt illa bona expectentur, quæ fuerunt in illo homine dominico. Loquitur autem de Christo. Ergo videtur, quod Christus sit homo dominicus.* 3. d. 7. q. 1. art. 2.

Præterea: Sicut dominium conuenit Christo ratione diuinæ naturæ, ita etiam humanitas pertinet ad humanam naturam. Sed Deus dicitur humanatus: vt patet per Damas. in 3. lib. vbi dicit, quod humanatio eam, quæ ad hominem copulationem demonstrat. Ergo pari ratione potest dici denominatiue, quod homo ille sit dominicus.

Præterea: Sicut dominicus denominatiue dicitur à domino, ita diuinus denominatiue dicitur à Deo. Sed Dio. Christum nominat diuinissimum Iesum. Ergo pari ratione potest dici, quod Christus sit homo dominicus.

Sed contra est, quod Aug. dicit in lib. Retrac. Non video vtrum recte dicatur, homo dominicus Iesus Christus, cum sit vtique dominus.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, cum dicitur homo Christus Iesus, designatur suppositum æternum, quod est persona filij Dei: propter hoc, quod est vnum suppositum vtriusque naturæ. De persona autem filij Dei prædicatur Deus, & Dominus essentialiter, & ideo non debet prædicari denominatiue: quia hoc derogat veritati vnionis. Vnde cum Dominicus dicatur denominatiue à Domino, non potest vere, & proprie dici, quod homo ille sit dominicus, sed magis quod sit dominus. Si autem per hoc, quod dicitur, homo Christus Iesus, designaretur suppositum aliquod creatum, secundum illos, qui ponunt in Christo duo supposita, posset dici homo ille dominicus, inquantum assumitur ad participationem honoris diuini: sicut Nestoriani posuerunt. Et hoc etiam modo humana natura non dicitur essentialiter Dea, sed Deificata: non quidem per conuersionem ipsius in diuinam naturam, sed per coniunctionem ad diuinam naturam in vna hypostasi, vt patet per Damas. in tertio lib.

Ad primum ergo dicendum, quod August. verba illa, & similia retractat in lib. Retractat. Vnde post verba præmissa in libro Retractat. subdit, Vbicunque hoc dixi, scilicet quod Christus Iesus sit homo dominicus, dixisse me nollem: postea quippe vidi, non esse dicendum. Quamuis nonnulla ratione posset defendi: quia scilicet posset aliquis di-

cere, quod dicitur homo dominicus ratione humanæ naturæ, quam significat hoc nomen homo: non autem ratione suppositi.

Ad secundum dicendum, quod illud vnum suppositum, quod est humanæ, & diuinæ naturæ, primo quidem fuit diuinæ naturæ, scilicet ab æterno: postea autem ex tempore per Incarnationem factum est suppositum humanæ naturæ. Et hac ratione dicitur humanatum: non quia assumpserit hominem, sed quia assumpsit humanam naturam. Non autem sic est econuerso, quod suppositum humanæ naturæ assumpserit diuinam naturam: vnde non potest dici homo Deificatus, vel dominicus.

Ad tertium dicendum quod hoc nomen diuinum, consueuit prædicari etiam de his, de quibus prædicatur essentialiter hoc nomen Deus. Dicimus enim, quod diuina essentia est Deus, ratione identitatis: & quod essentia est Dei, siue diuina, propter diuersum modum significandi, & verbum diuinum, cum tamen Verbum sit Deus. Et similiter dicimus personam diuinam, sicut, & personam Platonis, propter diuersum modum significandi. Sed dominicus non dicitur de his, de quibus dominus prædicatur: non enim consueuit dici, quod aliquis homo, qui est dominus, sit dominicus. Sed illud, quod qualitercunque est domini, dominicum dicitur: sicut dominica voluntas, vel dominica manus, vel dominica passio. Et ideo ipse homo Christus, qui est dominus, non potest dici dominicus: sed potest caro eius dici caro dominica, & passio eius potest dici passio dominica.

Ratio quæsiti.

HVIVS quæsiti ratio est diuersitas dictorum S. Aug. quæ refertur hic à D. Th. in argumentis: Alia etiam dicta affirmantia poterunt ex aliis locis S. Aug. Med. & Suar. *in Comm.* & Vasq. *disp. 63. cap. 2.*

Forma Textus.

CONCL. *est*: *Non potest vere & proprie dici, quod Christus sit homo dominicus.* Probatur primo: quia de Christo prædicatur Deus & dominus essentialiter: ergo non potest vere & proprie dici, quod Christus sit homo dominicus. Antecedens probatur: quia de persona filij Dei prædicatur Deus & Dominus essentialiter: at hoc nomine homo Christus Iesus designatur suppositum æternum, quod est persona filij Dei: ergo. Consequentia vero probatur: quia prædicatum hoc, Homo dominicus, significat suppositum creatũ participationem habentem honoris diuini: quod probatur: Primo: quia dominicus dicitur denominatiue à domino. Secundo ex hæresi Nestoriana ponẽte in Christo duo supposita, scilicet creatum & increatum: quorum alterum, scilicet creatum erat assumptum ad participationem honoris diuini, & ideo poterat appellari homo dominicus. Secundo probatur eadem consequẽtia: quia natura humana ideo nõ dicitur essentialiter Dea, sed Deificata (non quidem per conuersionem ipsius in diuinam naturam, sed per cõiunctionem ad diuinam naturam in vna hypostasi,) quia diuersa est humana natura à Deitate: igitur ab opposito, quia vnicum est suppositum Dei, & hominis in Christo, debet dici dominus & non dominicus.

Expositio Textus.

Examinantur quatuor propositiones. Prima est. Christus est homo dominicus. Secunda est: Christus est

QVATVOR sunt prædicata denominatiua, quæ nonnulli ex S. Patribus affirmant de Christo. Primo namque dicunt ipsum esse hominem dominicum: ita Aug. *loco notato à D. Thom. in primo argumento, & alibi*, Athan. *in epist ad Epictetũ, in confess. fidei, ante medium.* Epiphan. *hæresi 69. & in Ancorato post medium.* Didimus *lib. 3. de Spiritu S. col. 4. in 6. Tomo Bibliothecæ Sacræ.* Secundo dicunt Iesum Christum esse diuinum & diuinissimum: ita Dionys. *cap. 4. Eccles. Hierarch.* Tertio dicunt Verbum aut Deum vel Dei filium esse humanatum: ita Damasc: *lib. 3. cap. 11. Concilium Constantinop. 1. cap. 7. in confess. fidei, quam recipit Concil. Calced. actione 2.* & S. Th. *hic ad 2.* Quarto dicunt, Christum esse Deum carniferum: sic enim loquitur Athanas. *in serm. de S. Deipara, circa finem*: *Non vocamus hominem Deiferum, sed Deum carniferum.* Quæ singula breuiter sunt examinanda: & PRIMA *propositio* illa: *Christus est homo dominicus*: cuius prædicatum *dominicus* sa. quadrupliciter sumi potest. *Primo*, vt est denominatiuum suppositi essentiali denominatione, quę sumitur ab ipsa Dei natura, vt concepta per modum formæ aut differentiæ essentialis: & ita dici posset, Verbum Dei esse Verbum dominicum, scilicet in Deo supremo domino existens, & habens diuinam naturam: & eadem ratione dici posset Christus homo dominicus, ideſt, habens supremi domini naturam: sic enim nulla significatur distinctio suppositorum in Christo. *Secundo* sumi potest dominicus, prout dicit denominationem suppositi extrinsecam, desumptam ex ordine ad patrem, ad quem persona Christi habet habitudinem, vt Verbum ad dicentem, vt filius ad generantem, vt missus ad mittentem: & ita dici posset Christus homo dominicus, sicut dici posset Verbum dominicum, & filius dominicus. *Tertio* sumi potest prædicatum illud *dominicus* in dicta propositione, prout denominat assumptam humanitatem, ita vt idem sit homo dominicus, quod humanitas dominica, sumendo scilicet hominem pro humanitate, quomodo nonnunquã sumitur ab Augustino & alijs: & ita significatur distinctio realis humanitatis à Deo, & à persona diuina, & verissima est propositio, vt ait S. D. *ad primum* ex Augustino: & in hoc sensu fortasse protulerunt eam prædicti Patres. Sed quoniã hi tres sensus neque consueti neque satis proprij sunt, ideo dicta propositio non esset in aliquo dictorũ sensuum sine declaratione aut limitatione proferenda. *Est igitur postremus sensus* proprius, & vsitatus, vt dictio illa *dominicus* importet denominationem à domino, qui sit aliud ab homine: & ita denotat in Christo distinctionem realem suppositorum, quorum alterum sit diuinum, & alterũ humanum: qui fuit error Nestorij: & ideo merito S. Aug. *in lib. 1. retract. cap. 18. & alibi* dixit se non videre, vtrum recte dicatur *homo dominicus* Christus Iesus, cum sit vtique Dominus, & S. Greg. Naz. *in ep. 1. ad Celidonum, siue oratione.* Sic ait, Apollinaristas nomen illud dominicum Christo tribuisse ad fideles decipiendos, vt cum ipsis crederent Christum esse hominem à Deo diuersum, vt ibi notat Elias Cretensis.

SECVNDA *propositio* examinanda est hæc: *Christus est homo diuinus*: quam vt absolute veram defendit S. D. *hic ad 3.* dicens, consuetum esse hoc nomen *diuinum* prædicari de ijs, de quibus hoc nomen Deus essentialiter prædicatur: dicimus enim, essentia diuina, Verbum diuinum, persona diuina, &c. quæ denominatio non est accidentalis, sed essentialis, cum sumatur ab ipsa diuina natura concepta per modum formæ aut essentialis differentiæ, vt ante diximus. Quando autem dictio illa *diuinus* rebus creatis opponitur, accidentalis est denominatio: quia participationem quãdam importat diuinæ perfectionis: vt cum dicitur, lex aut traditio diuina, vel Plato diuinus: & ideo non videtur extendenda, nec facile vsitanda illa propositio: Iesus siue Christus est homo diuinus, sed cum limitatione aut explicatione proferenda. Quod autem ait Vasq. nullũ esse discrimen

homo diuinus. Tertia est: Deus est humanatus. Vltima est: Deus est carniferus, & declaratur quo sensu qualibet earum sit vera, aut falsa.

Secunda propositio.

men inter hæc duo nomina scilicet *diuinus*, & *dominicus*, quia vtrumque est adiectiuum desumptũ à substantia, & sicut dicimus essentiam diuinam, quia quodammodo est Dei: & Verbum aut personam diuinam, cum tamen essentia sit Deus & Verbum similiter Deus sit: eodem modo (inquit) dici potest essentia & persona dominica, & Verbum dominicum, &c. id verum est, sola vocum significatione cõsiderata: sed obstat vsus, qui maxime debet attendi, propter quem S. Th. *hic ad 3.* vnum negat, & alterum affirmat posse congrue de Christo homine prædicari. Sed ait Vasq. differentiam esse inter has voces *persona*, & *suppositum*, & hanc *Iesus*, quod illæ sunt nomina secundæ intentionis, & nominantia expresse actum ipsum sustentandi naturam, licet materialiter sumantur pro re ipsa, & ideo dici posse personam, aut suppositum diuinum, quia significant aliquid, quod est ipsius Dei: at hoc nomen *Iesus* non est nomen secundæ, sed primæ intentionis, expresse denotans rem, quæ est persona, non denotat aliquid vt Dei aut Domini, & ideo non potest dici diuinus aut dominicus. Sed vt ostendimus *in 1. p. q 29. a. 1.* falsum est nomen personæ & hypostasis esse nomina secundæ intentionis, & significare formaliter actum sustentandi naturam, sunt enim nomina significantia formaliter substantiam primam: vt ait ibidem S. D. *a. 1 2 & 3.*

3. Propositio. *Tertia propositio* examinanda est, *Deus aut Dei filius est humanatus*: quam vt veram & propriam admittit S. D. *hic ad 2.* Ad cuius euidentiam sciendũ est dictionẽ illam *humanatus* dupliciter sumi posse. Primo, vt est denominatiuum à substantia humanitatis: quod etiam dupliciter sumi potest: Vno modo, vt est denominatiuum substantiale: & hoc modo sumitur ab humanitate, tanquam natura constituente personam Verbi, non simpliciter, sed in hoc, quod est esse hominem seu personam humanam: & in hoc sensu vera est propositio dicens Deum aut Dei filium esse humanatum. Alio modo sumi potest idem nomen, vt denominatiuum accidentale ab humanitate, vt accidentaliter vnita Verbo, sicut asserebat Nestorius: & ita falsa & hæretica est propositio, damnata in Concilio Francofordiensi *in epistola ad Episcopos Hispaniæ* dicente, vnam personam esse Deum & hominem, & non hominem Deificum & humanum Deum. Secundo sumi potest dictio hæc *humanatus*, vt participium Verbi *humano*, quod significat fieri hominem: & ita dicendo, Deum esse humanatum, significatur, Deum factum esse hominem: quod fides docet: & in hoc sensu accipiẽdum est dictum Damasc. & Conciliorum *locus supra notatus*: quamuis possit etiam intelligi in priori sensu primi membri, videlicet sumendo humanatum, vt importat denominationem substantialem: quod non aduertit Vasq.

4. Propositio. QUARTA *propositio* examinanda est *Deus est carniferus*: quæ dupliciter intelligi potest. Vno modo, vt significet Deum assumpsisse carnem sine anima, vt asserebant Apollinaristæ: & ita neganda est, vt hæretica: sicut eam negat Naz. *loco supra notato.* Alio modo potest intelligi, vt significet Deum assumpsisse totam, & integram naturam humanam, significatam in scripturis nomine carnis: & ita Catholica est propositio, vt fatetur ibi Naz. *Sed obseruandum est*, Sanctos Athan. & Naz. magis comparatiue loqui cõtra Nestorium, quã absolute. Hoc enim videntur intendere, nimirũ magis appellãdum esse Deum carniferum, quam hominem Deiferum: quia nuncupando hominẽ Deiferum, significatur suppositum creatum in se ipso ferens Deum, quod asserebat Nestorius: dicendo autem Deum carniferum, significatur suppositum diuinum ferens, ideſt sustẽtans carnem, vnitam scilicet sibi personaliter: quod fides Catholica docet.

Videnda sunt, quæ scribunt Suar. *disp. 35. sect. 3.* & Vasq. *disp. 63. cap. 2.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum ea, quæ conueniunt filio hominis, possint prædicari de filio Dei, & econuerso.

AD quartum sic proceditur. *Videtur quod ea, quæ sunt humanæ naturæ, non possint dici de Deo.* Impossibile enim est opposita de eodem prædicari. *Sed ea, quæ sunt humanæ naturæ, sunt contraria his, quæ sunt propria Dei: Deus enim est increatus, immutabilis, & æternus: ad humanam autem naturam pertinet, vt sit creata, temporalis, & mutabilis. Ergo ea, quæ sunt humanæ naturæ, non possunt dici de Deo.*

Præterea: Attribuere Deo ea, quæ ad defectum pertinent, videtur derogare diuino honori, & ad blasphemiam pertinere. Sed ea, quæ sunt humanæ naturæ, defectum quẽdam continent: sicut pati, mori, & alia huiusmodi. Ergo videtur quod nullo modo ea, quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de Deo.

Præterea: Assumi conuenit humanæ naturæ. Non autem hoc conuenit Deo. Non ergo ea, quæ sunt humanæ naturæ de Deo dici possunt.

Sed contra est quod Damas. dicit in 3. lib. quod Deus suscepit ea, quæ sunt carnis idiomata, ideſt, proprietates: dũ Deus passibilis nominatur, & Deus gloriæ crucifixus est.

Respondeo dicendum, quod circa hanc quæstionem diuersitas fuit inter Nestorianos, & Catholicos. Nestoriani enim voces, quæ dicuntur de Christo, diuidere volebant hoc modo, vt ea, quæ pertinent ad humanam naturam, non dicerentur de Deo: nec ea, quæ pertinent ad diuinam naturam, dicerentur de homine. Vnde Nestorius dixit. Si quis Dei Verbo tentat passiones tribuere, anathema sit. Si qua vero nomina sunt, quæ pertinere possunt ad vtranque naturam, de talibus prædicabant ea, quæ sunt vtriusque naturæ: sicut hoc nomen Christus, vel Dominus. Vnde concedebant Christum esse natum de Virgine, & fuisse ab æterno: non tamen dicebant, vel Deum natum de Virgine, vel hominem ab æterno fuisse. Catholici vero posuerunt huiusmodi, quæ dicuntur de Christo, siue secundum diuinam naturam siue secundum humanam, dici posse tam de Deo, quam de homine. Vnde Cyrillus dicit: Si quis duabus personis, seu substantijs, ideſt hypostasibus eas, quæ in Euangelicis, & Apostolicis conscriptionibus sunt diuisit voces, vel ea, quæ de Christo à Sanctis dicuntur, vel ab ipso Christo de semetipso, & aliquas quidem ex his homini applicandas crediderit, aliquas vero soli Verbo deputauerit, anathema sit. Et huius ratio est: quia cum sit eadem hypostasis vtriusque naturæ, eadem hypostasis supponitur nomine vtriusque naturæ: siue ergo dicatur homo, siue Deus, supponitur hypostasi diuinæ, & humanæ naturæ. Et ideo de homine possunt dici ea, quæ sunt diuinæ naturæ, tanquam de hypostasi diuinæ naturæ: & de Deo possunt dici ea, quæ sunt humanæ naturæ, tanquam de hypostasi humanæ naturæ. Sciendum tamen, quod in propositione, in qua aliquid de aliquo prædicatur, non solum attenditur quid sit illud, de quo prædicatur prædicatum: sed etiam secundum quid de illo prædicetur. Quamuis ergo non distinguantur ea, quæ prædicantur de Christo: distinguuntur tamen secundum id, secundum quod vtrunque prædicatur. Nam ea, quæ sunt diuinæ naturæ, prædicantur de Christo secundum diuinam naturam: ea autem, quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de eo secundum humanam naturam. Vnde Augustinus dicit in primo de Trin. Distinguamus quid in Scriptura sonet, Secundum formam Dei, & quid Secundum formã serui. Et infra quid, & propter quid, & quid secũdũ quid dicatur, prudens, & diligens, & pius lector intelliget.

Ad primum ergo dicendum, quod opposita prædicari de eodem secundum idem, est impossibile: sed secundum diuersa nihil prohibet. Et hoc modo opposita prædicantur de Christo, non secundum idem, sed secundum diuersas naturas.

Ad secundum dicendum, quod si ea, quæ ad defectum pertinent, Deo attribuerentur secundum diuinam naturam, esset blasphemia, quasi pertinens ad diminutionem honoris ipsius: non autem pertinet ad Dei iniuriam, si attribuantur ei secundum naturam assumptam. Vnde in quodam sermone Ephesini Concilij dicitur: Nihil putat Deus iniuriam, quod est occasio salutis hominibus: nihil enim abiectorum, quæ elegit propter nos, iniuriam facit illi naturæ, quæ non potest esse subiecta iniurijs, propria vero facit inferiora, vt saluet naturam nostram. Quando ergo abiecta, & vilia sunt, diuinam naturam non iniuriantur, sed salutem hominibus operantur. Quomodo dicis ea, quæ causa nostræ salutis sunt, iniuriæ occasionem Deo fuisse?

Ad tertium dicendum, quod assumi conuenit humanæ naturæ, non ratione suppositi, sed ratione suipsius: & ideo non conuenit Deo.

Sensus quæsiti.

TITVLVM explicat hic optime Caietanus.

Forma Textus.

REFERTVR primo hæresis Nestorianorum, quam duabus distinctionibus & totidē conclusionibus explicat S. D. quas perspicue format Caietanus: deinde duab. conclusionibus respondet quæsito.

PRIMA CONCL. *est: Ea, quæ dicuntur de Christo, siue secundum diuinam, siue secundum humanam naturam, dici possunt tam de Deo, quam de homine.* Probatur primo auctoritate Cyrilli, *quæ habetur in Concilio Ephesino Can. 4. Si quis*, &c. Secundo ratione: quia siue à parte subiecti ponatur Deus, siue ponatur homo, supponitur hypostasis diuinæ & humanæ naturæ: ergo de homine possunt dici ea, quæ sunt diuinæ naturæ, tanquam de hypostasi diuinæ naturæ, & de Deo possunt dici ea, quæ sūt humanæ naturæ, tanquam de hypostasi humanę naturæ. Antecedens probatur: quia in Christo eadem est hypostasis vtriusque naturæ: ergo eadem hypostasis supponitur nomine vtriusq; naturæ, scilicet nomine Dei, & nomine hominis.

SECVNDA CONCL. *Quamuis ea, quæ prædicantur de Christo, non distinguantur quo ad id, de quo dicuntur (scilicet quo ad suppositum) distinguuntur tamen secundum id, secundum quod vtrumque prædicatur: quia nimirum ea, quæ sunt diuinæ naturæ, prædicantur de Christo secundum diuinam naturam, ea autem quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de Christo secundum humanam naturam.* Probatur dupliciter, primo ratione: quia in propositione, in qua aliquid prædicatur de aliquo, non solum attenditur quid sit illud, de quo prædicatur prædicatum, sed etiam secundum quid de illo prædicetur. Secundo probatur authoritate Augustini: vt patet in textu.

Expositio Textus.

HIC articulus magnam habet connexionem cum subsequenti, nec bene potest vnus sine altero declarari: sequentis igitur articuli commentarius erit etiam huius expositio. Vide, quæ notat Aluar. circa secundam conclusionem: quæ est apud eum tertia.

ARTICVLVS V.

Vtrum ea, quæ conueniunt filio hominis, possint prædicari de diuina natura, & de humana ea, quæ conueniunt filio Dei.

AD quintum sic proceditur. *Videtur, quod ea, quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de natura diuina. Ea enim, quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de filio Dei, & de Deo. Sed Deus est sua natura. Ergo ea, quæ sunt naturæ humanæ, possunt prædicari de diuina natura.*

Præterea: Caro pertinet ad naturam humanam. Sed sicut dicit Damas. in 3. lib. dicimus naturam Verbi Incarnatam esse, secundum beatos Athanasium, & Cyrillum. Ergo videtur, quod pari ratione ea, quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de diuina natura.

Præterea: Ea, quæ sunt diuinæ naturæ, conueniunt humanæ naturæ in Christo: sicut cognoscere futura, & habere salutiferam virtutem. Ergo videtur, quod pari ratione ea, quæ sunt humanæ naturæ, possint dici de diuina natura.

Sed contra est, quod Damas. dicit in 3. lib. Deitatem, quidem dicentes non nominamus de ea, quæ humanitatis idiomata sunt id est, proprietates: non enim dicimus deitatem passibilem, vel creabilem. Deitas autem est diuina natura. Ergo ea, quæ sunt humanæ naturæ, non possunt dici de diuina natura.

Respondeo dicendum, quod ea, quæ sunt propria vnius, non possunt vere de alio prædicari, nisi de eo, quod est idem illi: sicut risibile non conuenit nisi ei, quod est homo. In mysterio autem Incarnationis non est eadem natura diuina, & humana, sed eadem est hypostasis vtriusque naturæ: & ideo ea, quæ sunt vnius naturæ non possunt de alia prædicari, secundum quod in abstracto significatur. Nomina vero concreta supponunt hypostasim naturæ: & ideo indifferenter prædicari possunt ea, quæ ad vtramque naturam pertinent, de nominibus concretis. Siue illud nomen de quo dicuntur, det intelligere vtranque naturam: sicut hoc nomen Christus: in quo intelligitur, & diuinitas vngens, & humanitas vncta. Siue solum diuinam naturam: sicut hoc nomen Deus, vel filius Dei. Siue solum naturam humanam, sicut hoc nomen homo, vel Iesus. Vnde Leo Papa dicit in Epistola ad Palestinos: Non interest, ex qua Christus substantia nominetur: cum inseparabiliter manente vnitate personæ, idem sit, & totus hominis filius, propter carnem, & totus Dei filius, propter vnam cum Patre Deitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod in diuinis realiter est idem persona cum natura: & ratione huius identitatis diuina natura prædicatur de filio Dei. Non tamen est idem modus significandi: & ideo quædam dicuntur de filio Dei, quæ non dicuntur de diuina natura: sicut dicimus, quod filius Dei est genitus, non tamen dicimus, quod natura diuina sit genita: vt in Prima parte habitum est. Et similiter in mysterio Incarnationis dicimus, quod filius Dei passus est: non autem dicimus, quod diuina natura sit passa.

Ad secundum dicendum, quod Incarnatio magis importat vnionem ad carnem, quam carnis proprietatem. Vtraque autem natura in Christo, est vnita alteri in persona: ratione cuius vnionis, & diuina natura dicitur incarnata, & humana natura deificata: vt supra dictum est.

Ad tertium dicendum, quod ea, quæ sunt diuinæ naturæ, dicuntur de humana natura, non secundum quod essentialiter competunt diuinæ naturæ: sed secundum quod participatiue deriuantur ad humanam naturam. Vnde ea, quæ participari non possunt à natura humana (sicut esse increatum, aut omnipotentem) nullo modo de humana natura dicuntur. Diuina autem natura nihil participatiue recipit ab humana natura: & ideo ea, quæ sunt humanæ naturæ, nullo modo possunt dici de diuina natura.

Sensus

Sensus quæsiti.

HVIVS quæsiti sensum explicat Cai. declarans eius diuersitatem à præcedenti.

Forma Textus.

DVABVS conclusionibus respondet quæsito: quas vnico probat argumento.

PRIMA CONCL. *est: Ea, quæ sunt vnius naturæ, nõ possunt de alia prædicari, secundum quod in abstracto significatur.*

SECVNDA CONCL. *Ea, quæ ad vtramque naturam pertinent, possunt indifferenter prædicari de nominibus concretis, siue illud nomen, de quo dicuntur, det intelligere vtramque naturam; sicut hoc nomen Christus, siue solum diuinam naturam, sicut hoc nomen Deus, vel filius Dei, siue solum naturam humanam: sicut hoc nomen homo, vel Iesus.* Probantur ambæ simul: Ea quæ sunt propria vnius, non possunt vere de alio prædicari, nisi de eo, quod est idem illi: at in mysterio Incarnationis non est eadem natura diuina & humana, sed eadem est hypostasis vtriusque naturæ, quæ supponitur nominibus concretis vtriusque naturæ: ergo ea, quæ sunt vnius naturæ, &c. Maior manifestatur exemplo: quia risibile non conuenit nisi ei, quod est homo. Minor patet ex præcedentibus. Deinde secundam conclusionem ex præcedentibus probat auctoritate Leonis: vt patet in textu.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt, quæ scribit Cai. de differentia nominum abstractorum & concretorum, & de efficacia discursus D. Th.

Secundo notandæ sunt hic nonnullæ regulæ: quas indicat S. D. in hoc & duobus articulis præcedentibus: quibus alias addemus in subsequentib. Ex quibus omnibus simul sumptis habebit Theologus perfectam atq; tutissimam loquendi formam in hoc sacrosancto mysterio Incarnationis.

1. Regula. PRIMA *regula est: Communicatio idiomatum ex Incarnationis mysterio consecuta non in eo posita est, vt quidquid conuenit diuinæ personæ aut naturæ, conueniat etiam humanæ naturæ, aut è contra: sed in hoc consistit, quod de eadem persona in duabus naturis subsistente dicuntur diuina & humana prædicata.* Hæc deducitur *ex art.* 1. Probatur Prima pars quia communicatio hæc aut esset substantialis aut accidentalis, at neutro modo saluatur vera communicatio idiomatũ in sensu Catholico: ergo. Maior patet. Minor quo ad primam partem probatur: Primo quia ponere solam communicationem accidentalem est cõsentire Nestorio dicenti, vnionem duarum naturarũ in Christo non esse hypostaticam sed accidentalem. Secundo: quia hæc non est vera communicatio idiomatum: nam ex participatione omnipotentiæ Dei humana natura nec vere esset, nec proprie ac vere diceretur omnipotens. Quo ad secundã vero probari potest secundo arg. D. Th. *in art.* 5. Deinde probatur: quia communicatio substantialis diuinarum perfectionum seu attributorum, aut fieret humanitati, quatenus illi vniuntur vt instrumento præcise: & sic approbatur error Nestorij negantis, vnionem hypostaticam in Christo duarum naturarum: aut per hoc fieret quod humanitas per diuina attributa, puta omnipotentiam, æternitatem, sapientiam infinitam &c constitueretur formaliter omnipotens, æterna, sapiens &c. Hoc autem est impossibile, quia hęc cum sint infinita simpliciter, non possunt cõuenire nisi naturæ simpliciter infinitę. Nec differret hæc assertio ab errore Euthychetis asserentis,

Naz. in D. Thom. 3. partem

A vnionem fuisse factam in natura. Relinquitur ergo, vt communicatio idiomatum & proprietatũ in eo posita sit, quod duarum naturarum, diuinæ sc. & humanæ, prædicata de vna & eadem in vtraque natura subsistente persona prędicentur. Colligitur hæc pars ex 2. conclusione primi articuli, & eius probatione.

2. Regula. SECVNDA *regula est: Nomina concreta significantia naturam diuinam. vt hoc nomen Deus, vel attributa vt hæc nomina æternus, omnipotens, infinite bonus, &c. prædicantur de nominibus cõcretis significantibus humanam naturam aut compositum ex vtraque natura.* Hæc patet ex doctrina 2. *art.* & est doctrina fidei tradita in Ephes. Con. *canone* 4. & in symbolis Apostolorum, Nicæni Conc. & Athan. & in Synodo Calced. *actione* 5. & in Synodo 5. generali *can.* 2. *& seq.* & in 6. Synodo generali, *act.* 11. *&* 18. & in Concilio Floren. & est communis doctrina Patrum. Ex hac regula sequitur, vt de homine Christo vere ac proprie dicatur illud omne, quod essentialiter aut personaliter affirmatur de filio Dei: Vnde hæ sunt veræ & propriæ, Christus vel homo, aut hic homo, demonstrato Christo, est Deus, est omnipotẽs, æternus, infinite sapiens, creator &c.

3. Regula. TERTIA *regula est: Nomina concreta significantia naturam humanam, aut eius proprietates, vere ac proprie dicuntur de nominibus concretis significantibus diuinam naturam in concreto, aut suppositum incarnatum, quod est filius Dei. Vnde istæ propositiones sunt veræ ac propriæ: Deus seu Dei filius est homo, natus de Virgine, passus: mortuus* &c. Hæc regula colligitur *ex art.* 1. *huius q.* & pendet ex eodem fundamento, scilicet ex vnitate personæ subsistentis in duabus naturis, & definita est hæc veritas ab Ecclesia *locis notatis pro secunda regula.*

4. Regula. QUARTA REGVLA *est: Nomen abstractum significans humanam naturam non prædicatur de filio Dei, neque etiam de filio hominis: Vnde istæ sunt falsæ: Filius Dei est humanitas. Christus est humanitas, hic homo est humanitas.* Probatur: quia natura humana distinguitur realiter à Verbo, seu filio Dei: ergo. Et de his propositionibus satis diximus in præcedentibus.

5. Regula. QUINTA REGVLA *est: Nomina abstracta significãtia diuinam naturam, aut eius attributa, vere & proprie prædicantur non solum de filio Dei, sed etiam de filio hominis in concreto.* Probatur: quia diuina natura idem est realiter cum supposito Christi: ergo de hoc supposito, quocunq; nomine significetur, potest prædicari natura diuina, & eius attributa etiam abstracte significata: Et confirmatur: quia recte sequitur: Filius Dei est Deitas, at filius hominis est filius Dei: ergo filius hominis est Deitas.

6. Regula. SEXTA REGVLA *est: Prædicata ab humanitate sumpta dici possunt de Deo, tam absolute, quam denominatiue substantialiter: sicut etiam prædicata desumpta à natura diuina dicuntur non solum absolute, sed etiam denominatiue substantialiter de homine Christo: Neutra tamẽ accidentali denominatione prædicantur. Vnde istæ sunt veræ: Deus est humanatus, Deus est incarnatus, Christus est homo diuinus, ille homo, demonstrato Christo, est diuinus, sumendo hæc prædicata, vt denominatiua substantialiter: si vero sumantur, vt denominatiua accidentaliter, falsas reddunt prædictas propositiones: quia significant in Christo vnionem accidentalem, & distinctionem in ipso duarum personarum, aut distinctionem realem personæ Christi à Deo, cuius oppositum docet fides: Et quoniam in hac propositione*: Christus est homo dominicus, *dictio illa* dominicus *proprie, & secundum vsum loquentium est denominatiua accidentaliter, ac proinde significat alteram ex prædictis distinctionibus, ideo absolute falsa est.* Huius regulæ veritas patet ex ijs, quæ diximus *art.* 3.

7. Regula. SEPTIMA REGVLA est, quam statuit S. D. de

Veritate, q.29.a.1.ad 1. dicens: *Illa, quæ nata sunt conuenire personæ ratione suipsius, non possunt dici de Christo si habent repugnantiam ad proprietates personæ æternæ, quæ sola in eo est: sicut patet de hoc nomine, creatura: Ea vero, quæ non sunt nata conuenire personæ, nisi ratione naturæ, vel partis naturæ, possunt dici de Christo, quamuis habeant repugnantiam ad personam æternam: & hoc propter dualitatem naturarum: sicut pati, mori, & alia huiusmodi.* Huius regulæ prima pars comprehendit eam, quæ apud Suaresium est octaua videlicet: Ea prædicata, quæ non possunt homini conuenire, nisi vt supponit pro supposito creato, non possunt prædicari de Deo, aut de Filio Dei, aut de Christo: sicut esse purum hominem, aut filium adoptiuum, & similia. Quæ regula eadem est cum illa, videlicet: Ea prædicata, quæ conueniunt homini, & repugnant hypostasi diuinę, non possunt de Deo aut de Christo prædicari.

8. Regula. OCTAVA REGVLA: *Prædicata, quæ dicuntur de Christo, possunt etiam de filio Dei prædicari, regulariter loquendo.* Probatur: quia idem est suppositū Christi & filij Dei: Dixi *regulariter*: quia quædam sunt propositiones, in quibus prædicata determinant hoc subiectum, *Christus*, vt stet pro cōposito, quatenus tale est: sicut istæ: Christus est persona cōposita ex humanitate & diuinitate: Christus est terminus resultans ex vnione hypostatica duarū naturarum: quamquam dici posset filius Dei, nō absolute, sed quatenus est subsistens in duabus naturis, est persona composita, vt explicauimus supra *q.2.a.4.in expositione textus*.

ALIÆ quædam regulæ colligi possunt ex sequentibus articulis, quas ex singulorum conclusionibus & probationibus deducemus. Vide, quę scribunt Med. & Suar. *disp.35.sect.3 & 4.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum hæc sit vera: Deus factus est homo.

Inf.q 32.a. 3.c.& 3.d.3 q.5.ar.3.c. & d.7. q.2. & op.1.c.18 & op 2.c.6. & Rom.1 l. 2. co. 3.

AD sextum sic proceditur. *Videtur, quod hæc sit falsa, Deus factus est homo. Cum enim homo significet substantiam, fieri hominem, est fieri simpliciter. Sed hæc est falsa, Deus factus est simpliciter. Ergo hæc est falsa, Deus factus est homo.*

Præterea: Fieri hominem est mutari. Sed Deus non potest esse subiectum mutationis: secundum illud Malach. 3. Ego Dominus, & non mutor. Ergo videtur, quod hæc sit falsa, Deus factus est homo.

Præterea: Homo secundum quod de Christo dicitur, supponit personam filij Dei. Sed hæc est falsa, Deus factus est persona filij Dei. Ergo hæc est falsa, Deus factus est homo.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 1. Verbum caro factum est. Et sicut Athanasius dicit in Epistola ad Epictetū, quod dixit, Verbum caro factum est, simile est ac si diceretur, quod Deus homo factus est.

Respondeo dicendum, quod vnumquodque dicitur esse factum illud, quod de nouo incipit prædicari de ipso. Esse autem hominem, vere prædicatur de Deo (sicut dictum est) ita tamen quod non conuenit Deo esse hominem ab æterno, sed ex tempore per assumptionem humanæ naturæ. Et ideo hæc est vera, Deus factus est homo. Diuersimode tamen intelligitur à diuersis, si sit & hæc, Deus est homo, vt supra dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod fieri hominem, est fieri simpliciter in omnibus his, in quibus humana natura incipit esse in supposito de nouo creato. Deus autem dicitur factus homo: eo quod humana natura incepit esse in supposito diuinæ naturæ, ab æterno præexistente. Et ideo Deum fieri hominem, non est Deum fieri simpliciter.

Ad secundum dicendum, quod sicut dictum est, fieri importat, quod aliquid prædicetur de nouo de altero. Vnde quandocunque aliquid de nouo prædicatur de altero commutatione eius, de quo dicitur, tunc fieri est mutari. Et hoc contingit in omnibus, quæ absolute dicuntur: non enim potest albedo, aut magnitudo de nouo aduenire alicui, nisi per hoc, quod de nouo mutatur ad albedinem, vel magnitudinem. Ea vero quæ relatiue dicuntur, possunt de nouo prædicari de aliquo absque eius mutatione: sicut homo de nouo fit dexter absque sua mutatione, per motum illius, qui fit ei sinister. Vnde in talibus non oportet omne, quod dicitur fieri, esse mutatum, quia hoc potest accidere per mutationem alterius. Et per hunc modum ad Deum dicimus, Domine refugium factus es nobis. Esse autem hominem, conuenit Deo ratione vnionis, quæ est relatio quædā, & ideo esse hominem prædicatur de nouo de Deo absque eius mutatione per mutationem humanæ naturæ, quæ assumitur in diuinam personam. Et ideo cum dicitur, Deus factus est homo, non intelligitur aliqua mutatio ex parte Dei, sed solum ex parte humanæ naturæ.

Ad tertium dicendum, quod homo supponit personam filij Dei, non nudam, sed præut subsistit in humana natura. Et ideo quamuis hæc sit falsa, Deus factus est persona filij Dei: est tamen hæc vera, Deus factus est homo, ex eo quod est vnitus humanæ naturæ.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. *est: Hæc est vera: Deus factus est homo.* Probatur: quia vnumquodque dicitur factū id, quod de nouo incipit prædicari de ipso: sed esse hominem vere & de nouo incipit prædicari de Deo: ergo. Maior patet. Minor probatur: quia esse hominem non conuenit Deo ab æterno, sed ex tempore per assumptionem humanæ naturæ: ergo.

SECVNDA CONCL. implicite posita est: *Cum diuerso modo intelligatur à diuersis dicta propositio, sicut etiam hæc: Deus est homo: vt patet supra art. 1. verus sensus est: Deus factus est homo, quia vnitus est personaliter & substantialiter humanæ naturæ:* vt dicitur in responsione ad tertium.

Expositio Textus.

ADVERTE secundam conclusionē in illis verbis *diuersimode tamen*, &c. insinuatam fuisse: quia S.D. innuit propositionem hanc: *Deus factus est homo* esse similiter intelligendam, sicut illa *Deus est homo*: quæ licet à diuersis varie intelligatur, eius tamen verus intellectus est, vt sit prædicatio eius substantialis, cum prædicetur assumpta natura de suo supposito propter vnionem hypostaticam humanitatis cum Verbo, pro quo supponit hoc nomen, *Deus*: Sic igitur in proposito, cum dicitur: *Deus factus est homo*, licet multipliciter possit exponi, sicut exponebatur illa: *Deus est homo*: verus tamen ac legitimus eius sensus est, Deum esse factum hominem, quia verus Deus est vnitus personaliter veræ humanæ naturæ: atq; adeo acquisiuit nouum esse substantiale; quod est esse animal rationale.

Videnda sunt, quæ scribunt Cai. & Suar. *in Com.* circa sensum & proprietatem huius propositionis *Deus factus est homo*: quæ est veritas Catholicæ fidei in Sacris litteris, & Conciliorum definitionibus expressa. Nam *Ioan.*1. dicitur *Verbum caro factum est*, & *Rom.*1. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem*, & ad *Gal.*4. *Factum ex muliere*, & ad *Philip.*2. *In similitudinem hominum factus*, & in Symbolo Niceno: *Et homo factus est.* Et quia valde connexa est huius articuli doctrina cum ea, quæ subsequenti continetur articulo, ideo tangentur ibi, quæ ad huius explicationem videntur esse necessaria.

ARTI-

ARTICVLVS VII.

Vtrum hæc sit vera: Homo factus est Deus.

Locis supra citatis.

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod hæc sit vera, *Homo factus est Deus*. Dicitur enim Roman. 1. *Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis, de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.* Sed Christus, secundum quod homo, est *ex semine Dauid secundum carnem*. Ergo homo factus est filius Dei.

Præterea: Augustin. dicit in primo de Trinit. *Talis erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum.* Sed ratione illius susceptionis hæc est vera, *Deus factus est homo*. Ergo similiter hæc est vera. *Homo factus est Deus.*

Præterea: Gregorius Nazianzenus dicit in Epist. ad Eludonium, *Deus quidem humanatus est, homo autem Deificatus, vel quolibet aliter nominauerit.* Sed Deus ea ratione dicitur humanatus, qua est homo factus. Ergo homo ea ratione dicitur Deificatus, qua est factus Deus. Et ita hæc est vera. *Homo factus est Deus.*

Præterea: Cum dicitur, *Deus factus est homo*, subiectum factionis, vel mutationis non est Deus: sed humana natura, quam significat hoc nomen homo. Sed illud videtur esse subiectum factionis, cui factio attribuitur. Ergo hæc magis est vera: *Homo factus est Deus*, quam ista, *Deus factus est homo.*

Sed contra est, quod Damasc. dicit in 3. l. b. *Non hominem Deificatum dicimus, sed Deum humanatum. Idem autem est fieri Deum, quod Deificari.* Ergo hæc est falsa, *Homo factus est Deus.*

Respondeo dicendum, quod ista propositio, *Homo factus est Deus*, tripliciter potest intelligi. Vno modo, ita quod hoc participium *Factus*, determinet absolute, vel subiectum, vel prædicatum. Et in hoc sensu est falsa: quia neque homo ille, de quo Deus prædicatur, est factus, neque Deus est factus: vt infra dicetur. Et sub eodem sensu hæc est falsa, *Deus factus est homo.* Sed sub hoc sensu non quæritur hic de istis propositionib. Alio modo potest intelligi, vt ly *factus* determinet compositionem: vt sit sensus, *Homo factus est Deus*, id est factum est, vt homo sit Deus. Et sub hoc sensu vtraq; est vera, *Homo factus est Deus*, & *Deus factus est homo.* Sed hic non est proprius sensus harum locutionum: nisi forte intelligatur secundum quod ly homo non habet personalem suppositionem, sed simplicem. Licet enim hic homo non sit factus Deus, quia hoc suppositum, scilicet persona filij Dei, ab æterno fuit Deus: tamen homo, communiter loquendo, non semper fuit Deus. Tertio modo proprie intelligitur, secundum quod hoc participium factus, ponit fieri circa hominem in respectu ad Deum, sicut ad terminum factionis. Et in hoc sensu, supposito quod in Christo sit eadem persona, & hypostasis, & suppositum Dei, & hominis (vt supra ostensum est) ista propositio est falsa: quia cum dicitur, *Homo factus est Deus*, ly homo, habet personalem suppositionem. Non enim esse Deum, verificatur de homine ratione humanæ naturæ, sed ratione suppositi sui: suppositum autem illud humanæ naturæ, de quo verificatur esse Deum, est idem quod hypostasis, seu persona filij Dei, quæ semper fuit Deus. Vnde non potest dici, quod iste homo incipit esse Deus, vel quod fiat Deus, aut quod factus sit Deus. Si vero esset alia persona, vel hypostasis Dei, & hominis, ita quod esse Deum, prædicaretur de homine, & econuerso, per quandam coniunctionem suppositorum, vel dignitatis personalis, vel affectionis, vel inhabitationis (vt Nestoriani dixerunt) tunc pari ratione posset dici, quod homo factus est Deus, id est, coniunctus Deo, sicut, & quod Deus factus est homo, id est, coniunctus homini.

Ad primum ergo dicendum, quod in verbis illis Apostoli hoc relatiuum *Qui*, quod refert personam filij Dei, non debet intelligi ex parte prædicati, quasi aliquis existens ex semine Dauid secundum carnem sit factus filius Dei: in quo sensu obiectio procedebat: sed debet intelligi ex parte subiecti: vt sit sensus, quod filius Dei factus est, scilicet homo, ad honorem Patris (vt Gloss. exponit) existēs ex semine Dauid secundum carnem. Ac si diceret, filius Dei factus est habens carnem ex semine Dauid, ad honorem Dei.

Ad secundum dicendum, quod illud verbum Augustini est intelligendum in illo sensu, secundum quod ex illa susceptione Incarnationis factum est, vt homo esset Deus, & Deus esset homo. In quo sensu ambæ locutiones sunt veræ: vt dictum est.

Et similiter dicendum est ad tertium: nam deificari idem est, quod fieri Deum.

Ad quartum dicendum, quod terminus in subiecto positus tenetur materialiter, id est pro supposito: positus vero in prædicato, tenetur formaliter, id est pro natura significata. Et ideo cum dicitur, *Homo factus est Deus*, ipsum fieri, non attribuitur humanæ naturæ, sed supposito humanæ naturæ, quod est ab æterno Deus, & ideo non conuenit ei fieri Deum. Cum autem dicitur, *Deus factus est homo*, factio intelligitur terminari ad ipsam humanam naturam. Et ideo proprie loquendo, hæc est vera, *Deus factus est homo*: sed hæc est falsa, *Homo factus est Deus*. Sicut si Sortes cum prius fuerit homo, postea factus est albus, demonstrato Sorte, hæc est vera, *Hic homo hodie factus est albus*: hæc tamen est falsa, *Hoc album hodie factum est homo*. Si tamen ex parte subiecti poneretur aliquod nomen significans naturam humanam in abstracto, posset hoc modo significari, vt subiectum factionis: puta si dicatur, quod natura humana facta est filij Dei.

Forma Textus.

PROPOSITA distinctione trimembri cum vna subdiuisione, respondetur quæsito quatuor conclusionibus.

Distinctio est: Ista propositio: *Homo factus est Deus*, tripliciter potest intelligi. Primo, vt hoc participium *factus* determinet absolute, vel subiectum vel prædicatum; ita vt sit adiectiuum subiecti vel prædicati. Secundo potest intelligi, vt ly *factus* determinet compositionem; vt sit sensus: *homo factus est Deus*, id est factum est, vt homo sit Deus, siue hominem esse Deum factum est; ita vt ly *factus* sumatur, vt modus determinans, vt in modalibus. Sed rursus in propositione sic intellecta subiectum, videlicet homo, dupliciter sumi potest: Vno modo, vt habet suppositionem personalem: Alio modo, vt habet suppositionem simplicem. Tertio modo potest intelligi dicta propositio, secundum quod hoc participium *factus* ponit fieri circa hominem in respectu ad Deū, vt ad terminum factionis. Differt hic sensus à primo & secundo, quoniam hic est proprius, illi autem improprij. Specialiter autem differt a primo; quia sub primo sensu non est hic quæstio de dicta propositione.

PRIMA CONCL. *est: si in dicta propositione, hoc participium factus determinet absolute, vel subiectum, vel prædicatum, falsa est propositio*: Probatur: quia neque homo ille, de quo Deus prædicatur, est factus, neque Deus est factus: ex quo sequitur sub eodem sensu, hanc etiam esse falsam: *Deus est factus, est homo*: quia scilicet Deus non est factus.

SECVNDA CONCL. *Si dicto illa factus determinet compositionem, vt sit sensus: homo factus est Deus, id est factum est, vt homo sit Deus, vtraque propositio vera est, scilicet hæc: homo factus est Deus, & hæc: Deus factus est homo.*

TERTIA CONCLVS. *Si in hac propositione: homo factus est Deus, subiectum quod est homo, habeat suppositionem non personalem, sed simplicem, vera est, & fortasse propria propositio.* Probatur: quia, licet hic homo non sit factus Deus, eo quod hoc suppositum, scilicet persona filij Dei, ab æterno fuit Deus, tamen

homo, communiter loquendo, non semper fuit Deus.

QVARTA CONCL. *Si in dicta propositione hoc participium factus sumatur, quatenus ponit fieri circa hominem in respectu ad Deum, sicut ad terminum factionis, propositio propria quidē est sed falsa.* Probatur esse falsam. Primo: quia in Christo est vna & eadem persona & hypostasis & suppositum Dei & hominis; ergo dicta propositio est falsa. Consequentia ꝓbatur: quia ly *homo* habet personalem suppositionem; ergo. Probatur hoc assumptum: quia esse Deum non verificatur de homine ratione humanæ naturæ, sed ratione suppositi sui. Secundo ꝓbatur ex opposita hæresi Nestorianorum verificante dictam propositionem: Quia, si esset alia persona & hypostasis Dei & hominis, &c. vt in textu.

Expositio Textus.

Declarātur tam ex cōmunibus, quam ex propriis fundamentis veritates conclusionū huius & præcedentis articuli.

LITTERAM huius artic. declarat accurate Cai. explicās sensus singulorum membrorum distinctionis & cōclusionum; qui pendent ex varia acceptione & applicatione illius participij *factus*: quam diligentiam imitati sunt Suar. *in Commen.* & Vasq. *disp.* 64. *cap.* 1. qui plura, quam opus sit, verba profundit in explicando secundo diuisionis mēbro cum subdiuisione: verba enim S. Thom. planissima sunt, non autem obscura, vt imponit Vasquez. Suar. etiam cōtra textum affirmat de mente D. Thom. propositionem hanc: *Homo factus est Deus* acceptam in secundo sensu, iuxta secundum eius membrum, sumendo scilicet nomen illud *homo*, vt habet suppositionem simplicem, esse impropriam; cuius oppositum manifeste significat S. D. per illam exceptionem *nisi forte*, &c.

PRO *faciliori autem* huius articuli intelligentia *obseruandum est primo*, duas esse terminorum suppositiones, quas logici vocant accidentales. Altera dicitur simplex, quæ est acceptio termini communis pro re vniuersali significata per ipsum terminum; vt cum dico: homo est species, animal est genus. Dicitur autem hæc suppositio simplex; quia conuenit termino ratione naturæ communis, quæ simplex est simplicitate opposita compositioni personali. Diuersæ namque suppositiones conueniunt termino communi, secundum diuersa esse naturæ cōmunis, quæ habet in se & in indiuiduis. Quatenus ergo tenetur pro natura vt in se est, & vt sic repugnat ei teneri pro indiuiduis, dicitur habere suppositionem simplicem. Altera suppositio dicitur personalis; quæ est acceptio termini communis, aut pro inferioribus omnibus, aut pro vno aliquo vel aliquibus. Et si quidem pro omnibus accipiatur, vt in hac: omnis homo currit, dicitur homo supponere personaliter confuse; sicut etiam secundum aliquos, in propositione, cuius subiectum est indefinitum, vt homo currit, aut indiuiduum vagum vt aliquis homo currit, subiectum habet suppositionem personalem confusam. Si vero per pronomen demonstratiuum ad vnum aliquod suppositum determinetur, vt in hac iste homo est albus, subiectum supponit personaliter determinate; sicut etiam in omni propositione indefinita & singulari, secundum aliquos dicitur supponere terminus communis personaliter determinate, quia verificatur de aliquo vel aliquibus determinate. In hac igitur propositione. *Homo factus est Deus* nomen illud commune *homo* nō potest supponere, nisi personaliter, proprie loquendo, vt ait Caietanus; quia participium illud *factus* cum significet fieri reale, quod non conuenit, nisi homini singulari, trahit hominem ad supponendū personaliter; sicut cum dico homo factus est albus, nomen illud *homo* supponit personaliter; quia oportet vt verificetur de aliquo homine singulari, qui sit factus albus.

Sed præterea obseruandum est diligenter, quod, quāuis logice loquendo differāt hæ duæ propositiones, videlicet: *homo factus est Deus*, & *hic homo factus est Deus*, cum illa sit indefinita, hæc autem singularis; quia tamen vnum singulare tantum humanæ naturæ Deus est, ideo in re posita vnum singulare equiualet omnibus singularibus, ac proinde, sicut ex negatione omnium singularium infertur negatio propositionis indefinitæ, ita in re posita ex negatione huius singularis: *hic homo factus est Deus* infertur negatio huius indefinitæ: *homo factus est Deus*: Potest tamen in dicta propositione nomē illud *homo* sumi (licet minus proprie) vt supponit simpliciter, id est abstrahendo à singularibus: & tunc ad eius veritatem non requiritur, vt aliquis homo sit factus Deus, sed satis est, vt de homine sic absolute sumpto verificetur de nouo esse Deum: & hunc sensum veluti propriū sonat illa propositio: *Deus factus est homo* sumendo ly *factus*, prout determinat compositionem, ita vt sit sensus: *homo factus est Deus*, id est: factum est, vt homo sit Deus. Cum enim talia sint subiecta, qualia permittuntur à prædicatis, & prædicatum illud *factus est Deus* integre sumptum vere dici non possit de homine, vt suppositionem habet personalem confusam aut determinatam, consequens est, vt si dicta propositio, vt exposita est, aliquam possit habere veritatem, eā habeat sumendo nomen illud homo, prout significat & supponit naturam abstrahentem à singularibus; quæ tamen non est eius naturalis suppositio, vt diximus cum D. Thom. & aliis 1. *p. q.* 29. *art.* 4. Et quoniam hic sensus videtur quodammodo propius dictę propositionis, sic expositæ, ideo S. D. dubitatiue loquens dixit: *nisi forte*, &c.

Secundo dicendum est in omni factione & in omni mutatione duo necessario reperiri, scilicet subiectum & terminum; vt patet discurrenti per singula genera factionum & mutationum, tam substantialium, quam accidentalium. In hoc autem admirabili Incarnationis mysterio, quo Deus factus est homo, non solum factio quædam est sine mutatione subiecti, sed in eo etiam quædam realis mutatio est, denominans subiectum, quod secundum eam vere ac proprie dicitur mutari. Et factio quidem est hoc, quod dico, Deum fieri hominem, quæ non est factio relatiua, sed substantialis, vt patet ex dictis supra *quæst.* 2. *artic.* 6. cui factioni nulla est adiuncta mutatio ex parte eius, quod dicitur fieri, tamquam subiectū factionis. Hoc autem est persona Verbi: sed tota mutatio est ex parte termini formalis, quod est humanitas, cui additur esse diuini Verbi personale. Factio enim in re posita non est eius, quod prius non habebat esse simpliciter, & perfectionem habet esse simpliciter, vt contingit in generatione huius humanitatis & huius hominis; Cuius factio mutatio quædam est subiectæ materiæ de vna forma in aliam formam, ex qua vnita materiæ resultat nouum compositum, puta hæc humanitas & hic homo, sed hæc factio, de qua loquimur, est eius quod prius habebat esse simpliciter; quia Verbū ante humanitatis Assumptionem habebat esse simpliciter, scilicet esse diuinum, quod est ipsum esse per essentiam, & per hoc, quod in tempore terminat humanitatem, & fit in humanitate subsistens, acquirit hoc esse substantiale, quod est esse hominem; quod nullam affert diuinæ personæ mutationem: quia terminare naturam non est mutari, sed est communicare subsistentiam: quæ

com-

communicatio sicut nullam dicit imperfectionē, ita nec vllam ponit mutationem in persona communicante, aut in personalitate communicata. Mutatio vero hic interueniens tota est ex parte humanitatis. Hanc autem mutationem Caiet. ait esse relatiuam, & existere in humanitate tāquam in subiecto, cius vero terminum esse Verbum, eo quod Verbum ea sola ratione referatur ad humanitatem, quod humanitas refertur ad ipsum; ita vt tota realitas relationis sit in humanitate; sicut cōtingit in aliis similibus relatiuis tertij modi: Sed quia omnis relatio realis præsupponit suum fundamentum, ad quod sequitur necessario; ideo impossibile est fieri in aliquo mutationem relatiuā, quæ non consequitur alterius extremi mutationem, nisi prius fiat mutatio subiecti ad ipsum fundamentum relationis; fundamentum autem huius relationis humanitatis ad Verbum, quæ dicitur vnio, est vnio, quæ est esse substātiale in compositione consistens, quod est in ipsa humanitate eo modo, quo totum compositum ex natura & supposito dicitur esse in natura. Fit autem in assumpta humanitate mutatio hoc ipso, quod de nouo fit subsistens diuina personalitate, & cum ea componit ineffabiliter, ita vt resultet hoc cōpositum, quod est Deus homo, & homo Deus. Cum igitur in prædictis duabus propositionibus videlicet: *Deus factus est homo, & homo factus est Deus*, participium *factus* non dicat mutationem, sed factionem; cuius subiectum in prima significatur esse Deus, terminus autem homo; in secunda vero subiectum significatur esse homo, terminus autem Deus, prima merito acceptatur vt vera, secunda reputatur vt falsa: Nam prima dicit illud esse factum, quod vere se habet, vt subiectum factionis; Deus enim, vt ante diximus, est subiectū illius factionis, quo Deus filius fit homo, assumēdo & vniendo sibi personaliter humanitatem & eam sustentando; humanitas autem est terminus huius factionis formalis. Secunda vero falsa est; quia in ea Deus significatur, vt terminus factionis, cum tamen neque ratione personæ neque ratione diuinę naturę possit esse terminus circa suppositum hominis, quod significatur hoc nomine *homo*, cum dicitur: *homo factus est Deus*, vt hic etiam Caietanus aduertit.

Tertio notandum est Deum ipsa susceptione humanitatis, seu incarnatione non posse dici mutatum per communicationem idiomatum, cum tamen ex eadem communicatione dicatur genitus, & natus ex Virgine, passus & mortuus, & ab aliis etiam mutationibus denominetur: dicitur enim ætate creuisse, ambulasse, & eadem ratione dici potest localiter mutatus aut motus fuisse. Huius vero differentiæ præcipua ratio est vsus vocabulorum & vitatio erroris. Dicendo namque Deum Incarnatione mutatum fuisse, illorum errori nos assentiri significamus, qui dicebant Deum in carnem fuisse conuersum, aut ex duabus naturis, Diuina scilicet & humana, tertiam resultasse dicendo autem fuisse ex Virgine natum Deum, mortuum, localiter motum vel ambulasse & similia, facile intelligi potest, hæc illi conuenire secundū humanitatem; & in hoc sensu Patres & Ecclesia vsurpāt dicta vocabula. Secundo dici potest nomen mutationis aut mutati, absolute de Deo dictum, aut etiam in ordine ad assumptam naturam denotare ex vi & vsu vocabuli, Deum secundum se esse subiectum mutationis; ac proinde secundū se mutari; quod est erroneum. Cum autem dico, Deus genitus est ex virgine, non potest intelligi Deum esse generationis subiectum; quoniam hoc est materia prima, neque esse terminum generationem productum; quia per illam particulam, *ex virgine*, determinatur dictio illa, *genitus*, ad talē generationem, quæ scilicet est secundum humanam naturam, secūdum quam assimilatur matri: Similiter cum dico: Deus natus est ex virgine, dictio illa, *natus*, determinatur per illam particulam, *ex virgine*, ad temporalem natiuitatem, quæ est secundum humanam naturam, & significatur Deum non secundum se siue secundum diuinam suam naturam, sed secundum assumptam humanitatem ex tempore fuisse natum ex virgine. Cū etiam dico: Deus mortuus est, dictio illa, *Deus*, supponit pro Deo filio Incarnato, duplicem habente vitam, scilicet diuinam & humanam, & cum non possit intelligi Dei filium mortuum fuisse secundum vitam diuinam, consequens est, vt prædicatum illud, *mortuus*, restringat subiectum ad standum pro filio Dei habente vitam humanam. Denique cum dico: Deus ambulauit, mutatus est localiter, & similia alia prædicata, hæc determinant subiectum, vt supponat pro Deo habente naturā humanam, vt sic; & ideo veræ sunt & Catholicæ: talis autem limitatio seu restrictio non fit in illa propositione: Deus assumptione humanitatis seu incarnatione mutatus est, & ideo non est admittenda. Vasq. *disp.* 64. *cap.* 4. circa difficultatem hanc multa dicit, quæ mihi à philosophia, & à veritate prorsus aliena videntur; ea nunc non expedit examinare.

MVLTA *producuntur* ab expositoribus argumenta contra primam conclusionē articuli sexti, & quartam articuli septimi; quæ vide, si placet, apud Caie. Med. & Vasq. *disp.* 64. Vide etiam quæ scribunt Cai. & Suar. circa responsionem ad primum argumentum D. Tho.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hæc sit vera: Christus est Creatura.

Inf q.20. a. 1. ad 1. & 1. & 4. & 3. d.4.q.2 a.2. ad 4. & d. 11 q 1.ar.2. & ai. 11. q. 1. a. 3. ad 2. & 4.con.c. 48. & veri. q 29.a.1. ad 1. & opus.3. c. 223. & 1. Cor.15 l. 2. col.1 fin.

A DOCTAVUM *sic proceditur. Videtur, quod hæc sit vera; Christus est creatura: Dicit enim Leo Papa, Noua, & inaudita conuentio: Deus qui est, & erat, fit creatura. Sed illud potest prædicari de Christo, quod filius Dei factus est per Incarnationem. Ergo hæc est vera, Christus est creatura.*

Præterea: Proprietates vtriusque naturæ, possunt prædicari de hypostasi communi vtriusque naturæ quocunque nomine significetur, vt supra dictum est. Sed proprietas humanæ naturæ est esse creaturam: sicut, & proprietas diuinæ naturæ est esse creatorem. Ergo vtrunque potest dici de Christo, scilicet quod sit creatura, & quod sit increatus, & creator.

Præterea: Principalior pars hominis est anima, quam corpus. Sed Christus ratione corporis, quod de Virgine traxit, dicitur esse simpliciter natus de Virgine. Ergo ratione animæ, quæ creata est à Deo, debet simpliciter dici, quod Christus sit creatura.

Sed contra est, quod Ambros. dicit in libro de Trinit. Nunquid dicto factus est Christus? nunquid mādato creatus est Christus? quasi dicat, non. Vnde subdit, Quomodo autem creatura in Deo esse potest? etenim Deus naturæ simplicis est, non coniunctæ. Ergo hæc non est concedenda, Christus est creatura.

Respondeo dicendum, quod sicut Hieron. dicit ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis. Vnde cum hæreticis, nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori fauere videamus. Arriani autem hæretici Christum dixerunt esse creaturam, & minorem Patre, non solum ratione humanæ naturæ, sed etiā ratione diuinæ personæ. Et ideo non est absolute dicendum, quod Christus sit creatura, vel minor Patre, sed cum determinatione, scilicet secundum humanam naturam. Ea vero, de quibus suspicari non potest, quod diuinæ personæ conueniant secundum

cundum seipsam, possunt simpliciter dici de Christo ratione humanæ naturæ: sicut simpliciter dicimus Christum esse passum, mortuum, & sepultum. Sicut etiam in rebus corporalibus, & humanis, ea, quæ in dubitationem venire possunt, an cõueniant toti vel parti, si insunt alicui parti, non attribuimus toti simpliciter, id est, sine determinatione: non enim dicimus, quod Aethiops est albus, sed quod est albus secundum dentes. Dicimus autem absque determinatione, quod est crispus: quia hoc non potest ei conuenire, nisi secundum capillos.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquando Sancti Doctores causa breuitatis determinatione omissa, nomine Creaturæ vtuntur circa Christum: est tamen in eorum dictis subintelligenda.

Ad secundum dicendum, quod omnes proprietates humanæ naturæ, sicut, & diuinæ possunt aliqualiter dici de Christo. Vnde, & Damasc. dicit in 3. lib. quod Christus, qui Deus est, & homo, dicitur & creabilis, & increabilis, partibilis, & impartibilis. Sed tamen illa, quæ dubitationem habent circa alterutram naturam, non sunt dicenda absque determinatione. Vnde ipse postea alibi subdit, Ipsa vna hypostasis scilicet Christi, & increata est Deitate, & creata est humanitate. Sicut, & econuerso non esset dicendum sine determinatione, Christus est incorporeus, vel impassibilis ad euitandum errorem Manichæi, qui posuit Christum verum corpus non habuisse, nec vere passum esse: sed dicendum est cum determinatione, quod Christus secundum Deitatem est incorporeus, & impassibilis.

Ad tertium dicendum, quod de natiuitate ex Virgine, nulla dubitatio potest esse, quod conueniat personæ filij Dei, sicut potest esse de creatione. Et ideo non est similis ratio vtrobique.

Forma Textus.

RESPONDET primo S. D. quæsito vnica conclusione, deinde proposita, vel magis insinuata vna distinctione, statuit duas regulas.

CONCL. *est: Non est absolute dicendum, quod Christus est creatura, vel minor patre, sed cum determinatione, scilicet secundum humanam naturam*: Probatur: quia cum hæreticis, nec nomina debemus habere cõmunia; ergo non est absolute dicendum, &c. Antecedens probatur: Primo auctoritate Hieronymi; qui dicit, quod ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis. Secundo probatur, quia sic videremur fauere eorum errori. Consequentia vero probatur: quia Arriani hæretici dixerunt, Christum esse creaturam, & minorem patre, non solũ ratione humanæ naturæ, sed etiam ratione diuinæ personæ.

Distinctio est: Ea quæ Christo conueniunt rationæ humanæ naturæ, sunt in duplici differentia: Nam quædam sunt, de quibus dubitari potest, quod diuinæ personæ conueniant secundum seipsam: Quædam vero sunt, de quibus nulla potest esse suspicio, quod diuinæ personæ conueniant secundum seipsam, sed clare constat ea illi conuenire ratione humanitatis assumptæ.

Prima Regula est: Ea, quæ ita Christo conueniunt ratione humanæ naturæ, vt dubitari de eis possit, quod diuinæ personæ conueniant, non possunt simpliciter dici de Christo.

Secunda Regula est: Ea, de quibus suspicari non potest, quod diuinæ personæ conueniant secundum seipsam, possunt simpliciter dici de Christo ratione humanæ naturæ: Manifestatur hæc regula: quia simpliciter dicimus, Christum esse passum, mortuum & sepultum. Deinde probantur ambæ simul ex communi vsu loquendi in rebus corporalibus & humanis, in quibus quædã sunt, quæ secundum se communia sunt toti & parti, ac proinde dubitari potest, an conueniant toti vel parti; vt esse album: Quædam autem propria sunt A vni soli parti; vt esse crispum. Et ea quidem, quæ secundum se communia sunt toti & parti, si alicui parti tantum insunt, non attribuuntur toti simpliciter, id est sine determinatione, quia non dicimus, quod Aethiops est albus; quia facile quis opinari posset illũ esse album secundum se totũ, sed dicimus, quod est albus secundum dentes. Quæ autem propria sunt vni parti, simpliciter, id est absque determinatione, attribuuntur toti: dicimus enim absque determinatione, hunc hominem esse crispum, quia crispitudo non potest homini conuenire, nisi secundum capillos.

Expositio Textus.

B DVO SVNT in hoc discursu, quorum explicatio legenda est apud Caietanum. Primum est illud antecedens: *Cum hæreticis nec nomina debemus habere communia.* Secundum est illud assumptum ad probationem consequentiæ: *Arriani dixerunt Christum esse creaturam, & minorem patre.*

QVÆRVNT hic expositores; an hæc propositio: *Christus est creatura, non ea tantum ratione sit vitanda, quia periculum habeat erroris, sed etiam, quia falsa sit in rigore, & in proprietate sermonis?* Ratio dubitandi est: quoniam ex Sanctis Patribus quidam negant & quidam affirmant, Christum dominũ esse creaturam, & magna est inter Scholasticos concertatio, & S. Doct. hic diuersam videtur habere doctrinam ab ea, quam alibi tradidit, vt notant hic recentiores. Ex quibus Med. & Aluar. affirmant D. Thom. hic & alibi in ea fuisse sententia, C quæ docet prædictam propositionem in Rigore & proprietate sermonis esse falsam. Vasquez autem sequutus Caietanum, ait & pro posse defendit eam esse veram, & solum propter erroris periculum esse cauendam. Cuius argumentis plene satisfacit Aluar. Suar. proposita distinctione nititur vtramque sententiam conciliare, sed eam conciliationem impugnat Vasquez quibusdam non satis efficacibus argumentis. Aliam conciliationem adhibet dictis S. Thom. Bergomas in Aurea Tabula, *dubio* 1213. sed lectori sufficere poterunt ea, quæ scribunt hic Medi. & Aluar. *disp.* 70.

ARTICVLVS IX.

D *Vtrum hæc sit vera, Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse?*

AD nonum sic proceditur. *Videtur, quod ille homo, demonstrato Christo inceperit esse.* Dicit enim Augustinus *super Ioann. Priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse mediator Dei, & hominum, homo Iesus Christus. Sed illud, quod non semper fuit, incipit esse. Ergo ille homo, demonstrato Christo, incepit esse.* 3. d. 12. q. 1. art. vnico.

Præterea: Christus incepit esse homo. *Sed esse hominem, est esse simpliciter. Ergo ille homo incipit esse simpliciter.*

Præterea: Homo importat suppositum humanæ naturæ. *Sed Christus non semper fuit suppositum humanæ naturæ. Ergo ille homo incepit esse.*

Sed contra est, quod dicitur Hebr. vlt. Iesus Christus E *heri, & hodie, ipse, & in sæcula.*

Respondeo dicendum, quod non est dicendum, quod ille homo, demonstrato Christo, inceperit esse, si nihil addatur, & hoc duplici ratione. Primo quidem: quia hæc locutio est simpliciter falsa, secundum sententiam catholicæ fidei: quæ ponimus in Christo vnum suppositum, & vnam hypostasim, sicut, & vnam personam. Secundum hoc enim oportet, quod in hoc, quod dicitur, iste homo, demonstrato Christo, designetur suppositum æternum: cuius æternitati repugnat incipere esse. Vnde hæc est falsa, hic homo

homo incepit esse. Nec obstat quod incipere esse conuenit humanæ naturæ, quæ significatur, per hoc nomen homo: quia terminus in subiecto positus non tenetur formaliter pro natura, sed magis materialiter pro supposito, vt supra dictum est. Secundo, quia etiam si esset vera, non tamen esset ea vtendum absque determinatione, ad euitandum hæresim Arrij: quia sicut personæ filij Dei attribuit, quod esset creatura, & quod esset minor Patre, ita attribuit ei, quod esse inceperit, dicens quod erat, quando non erat.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas ista est intelligendo cum determinatione: vt scilicet dicamus, quod homo Iesus Christus non fuit antequam mundus esset, secundum humanitatem.

Ad secundum dicendum, quod cum hoc verbo incipit, non sequitur argumentum ab inferiori ad superius: non enim sequitur, hoc incipit esse album, ergo incipit esse coloratum. Et hoc ideo, quia incipere, importat nunc esse, & non prius: non autem sequitur, hoc non erat prius album, ergo non erat prius coloratum. Esse autem simpliciter, est superius ad esse hominem: vnde non sequitur, Christus incepit esse homo, ergo incepit esse.

Ad tertium dicendum, quod hoc nomen homo, secundum quod accipitur pro Christo, licet significet humanam naturam, quæ incepit esse: tamen supponit suppositū æternum, quod esse non incepit. Et ideo, quia secundum, quod ponitur in subiecto, tenetur pro supposito, secundum autē, quod ponitur in prædicato, refertur ad naturam, ideo hæc est falsa, Homo Christus esse incepit: sed hæc est vera, Christus incepit esse homo.

Forma Textus.

CONCLVS. *est: Hæc est falsa: Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse.* Probatur dupliciter: Primo, quia in hoc quod dico: Iste homo demonstrato Christo demonstratur suppositum æternum; ergo hæc est falsa: Hic homo, demonstrato Christo, incepit esse. Antecedens probatur: quia secundum sententiam Catholicæ fidei in Christo vnum est tantum suppositum æternum, sicut & vna persona; ergo. Consequentia vero probatur: quia æternitati suppositi siue personæ repugnat incipere esse. *Huic rationi responderi* posset dicendo, quod hoc nomen homo non designat suppositum; sed significat humanam naturam, cui conuenit incipere esse: *Sed hanc responsionem* reiicit S. D. vt falsam: quia terminus in subiecto positus non tenetur formaliter pro natura, sed magis materialiter pro supposito. Secundo probatur conclusio: quia vitandus est error Arij, qui sicut personæ filij Dei attribuit, quod esset creatura, & qđ esset minor patre, ita attribuit ei, quod esse inceperit dicens, quod erat, quando non erat; ergo etiam si esset vera dicta propositio, non tamen esset ea vtendum absque determinatione.

Controuersia Vnica.

De veritate conclusionis: An scilicet hæc propositio: Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse. sit vera in proprietate sermonis?

Sententia Doctorum.

PRIMA *sententia* est Scoti & sequacium; inter quos est Vasq. Hi dicunt dictam propositionem esse veram & propriam.

Secunda sententia est, Dur. dicentis prædicatum illud *incepit esse* distinguendum esse: nam si referatur ad suppositum ratione ipsius suppositi, falsa est (inquit) propositio; si vero ad suppositum referatur ratione humanitatis, vera est.

Tertia sententia est S. Tho. negantis, eam esse veram, sententiam hanc tuentur Capr. Caiet. Medi. Suar. Val. Aluar, & alij non vulgares Scolastici, & est valde consona diuinis scripturis & doctrinæ Patrum.

QVÆSTIO hæc summa cum breuitate est à nobis definienda; quoniam de ea late ac erudite differunt Cai. & Alu.

Resolutio. Ostenditur hanc propositionem: Iste homo, demonstrato Christo, incepit esse, falsam esse in proprietate sermonis.

Notandum est igitur primo ex D. Tho. *hic & supra art. 7. ad 4.* terminum in subiecto positum non teneri formaliter, sed materialiter pro supposito; & quamuis non oporteat, vt propositio vera sit, omnia prædicata dicta de subiecto conuenire supposito ratione suppositi, sed quædam etiam illi possint conuenire ratione naturæ; sicut cum dico: album disgregat; necesse tamen est vt quod dicitur de subiecto, non repugnet supposito, ita vt non sufficiat illud non repugnare naturæ, aut illi conuenire. Cum igitur in hac propositione *Iste homo, siue Christus incepit esse*, hoc prædicatum *incepit esse* repugnet supposito, pro quo supponit subiectum, videlicet *Iste homo*; ideo simpliciter est falsa dicta propositio.

Secundo dicendum est ex Cai. nomen posse dupliciter importare aliquod totum: Vno modo, vt significet per se primo totum ipsum seu compositum catechorematice, & supponat pro illo; vt hoc nomen, ænea sphera: Alio modo, vt significet quidem totum, non tamen principaliter, vel per se primo illud significet aut supponat pro illo, sed principaliter supponat pro altera parte reliquam connotando. Si nomen significet totum primo modo, de hoc toto dici potest simpliciter, quod incipiat esse, quando incipere esse dicitur de vna parte illius cum ordine seu determinatione ad alteram; Vnde si hæc est vera: æs incepit esse sphericum, hæc etiam erit vera: sphera ænea incepit esse: & similiter si hæc vera est, Sortes incepit esse albus; hæc etiam erit vera: Sortes albus incepit esse. Si vero importet totum secundo modo, non potest simpliciter de eo dici, quod incipiat esse, quando incipere esse dicitur de vna parte cū ordine seu determinatione ad alteram, vt in proposito: nam quia *iste homo* siue *Christus* significat totum secundo modo; (significat enim totum hoc, quod est suppositum diuinum, & natura humana, sed pro sola hypostasi supponit, connotando naturam) ideo licet *iste*, videlicet suppositum diuinum, incipiat esse homo, non sequitur tamen, hunc hominem incipere esse; quia daretur intelligi personam incipere esse.

Tertio aduertendum est, propositionem hanc: *Iste homo incepit esse*, habere duas exponentes, alteram affirmatiuam, videlicet; iste homo quandoque fuit; alteram negatiuam, videlicet; Iste homo immediate ante illud tempus non fuit, quæ est propositio de secundo adiacente, & negat pro toto tempore præcedente ab isto homine esse simpliciter, & non tantum esse hominem; quod est negare esse de supposito diuino, pro quo supponit hoc subiectum. *Iste homo*: negatio enim destruit totum id, quod significatur siue importatur per hoc subiectum *iste homo*, scilicet suppositum, pro quo supponit iste homo & humanitatem, quæ formaliter eisdem terminis significatur.

Quarto obseruandum est, quod esse simpliciter potest sumi duobus modis: Primo pro esse substantiali, quod distinguitur contra esse secundum quid, quod est esse accidentale: & in hoc sensu Christum aut Verbum incarnatum esse hominē, est quoddam esse simpliciter; quia est esse substātiale, & non accidentale. Alio modo sumi potest, esse simpliciter, prout est esse sine vlla additione seu determinatione; vt declarat Aristot. *in secundo Topic.* illis verbis *simpliciter dico, quod nullo addito dico*; & in hoc secundo sensu sumitur esse in illa

illa secunda ēxponente, videlicet: iste homo immediate ante illud tempus non fuit; quia prædicatum illud; *non fuit*, tollit esse absque vlla determinatione, & ita significat subiectum absolute non fuisse, non autem significat illud non fuisse hominem, aut aliquod esse tale non habuisse.

Postremo notandum est, SS. Patres, quorum dicta refert Vasquez *disp.*67. cum aiunt, Christum esse nomen hominis, aut ad eam naturam, qua homo est, præcipue pertinere, & similia, nihil aliud voluisse significare, quam Christum esse verum hominem, sicut est verus Deus: Nec tamen per hoc negare voluerunt nomen hoc, Christus vel iste homo, cum ponitur ex parte subiecti, supponere materialiter pro supposito; vt hic etiam aduertit Aluar. *disp.*71.

Conclusio. *Ex quibus* sequitur hæc VNICA CONCLVSIO: *Hæc propositio est falsa: Christus, siue iste homo, demonstrato Christo, incepit esse.* Hæc patet ex dictis.

Argum. CONTRA *hanc conclus.* sunt argumenta Scoti & Dur. quæ referunt & soluunt Capr. Caiet. Medi. & alij. Contra eandem sunt argumenta Vasquezii, quæ refert & soluit Aluar. *in allegata disp.*71.

ARTICVLVS X.

Vtrum hæc sit vera: Christus secundum quod homo est creatura.

3.d.4.q.1.a.2.q.1.c. & q.1.ad 1. Et dist. 10.q.1. ar.1.q.2. & di.11. art.3. AD decimum sic proceditur. *Videtur, quod hæc sit falsa, Christus, secundum quod homo est creatura, vel incepit esse.* Nihil enim in Christo est creatum nisi humana natura. *Sed hæc est falsa Christus, secundum quod homo, est humana natura. Ergo hæc etiam est falsa, Christus secundum quod homo, est creatura.*

Præterea, prædicatum magis prædicatur de termino in reduplicatione posito, quam de ipso subiecto propositionis: sicut si dicam, corpus, secundum quod coloratum, est visibile, sequitur, quod coloratum sit visibile. Sed hæc non est absolute (sicut dictum est) concedenda, homo Christus est creatura. Ergo neque hæc, Christus, secundum quod homo, est creatura.

Præterea, Quicquid prædicatur de quocunque homine, secundum quod homo, prædicatur de eo per se, & simpliciter: idem enim est per se, & simpliciter: idem enim est per se, & secundum quod ipsum, vt dicitur 5. Meta. Sed hæc est falsa, Christus est per se, & simpliciter creatura. Ergo etiam, hæc est falsa, Christus, secundum quod homo est creatura.

Sed contra, omne quod est, vel est creator, vel creatura. Sed hæc est falsa, Christus secundum quod homo, est creatura.

Respondeo dicendum, quod, cum dicitur Christus, secundum quod homo, hoc nomen homo potest resumi in reduplicatione, vel ratione suppositi, vel ratione naturæ. Si quidem resumatur ratione suppositi, cum suppositum humanæ naturæ in Christo sit æternum, & increatum, hæc erit falsa, Christus, secundum quod homo est creatura. Si vero resumatur ratione humanæ naturæ, siue secundum humanam naturam, conuenit sibi esse creaturam, vt supra dictum est. Sciendum tamen, quod nomen sic resumptum in reduplicatione, magis proprie tenetur pro natura, quam pro supposito: resumitur enim in vi prædicati, quod tenetur formaliter. Idem enim est dictu, Christus secundum, quod homo, ac si diceretur, Christus secundum, quod est homo. Et ideo hæc magis est concedenda, quam neganda, Christus, secundum quod homo, est creatura. Si tamen adderetur aliquid per quod traheretur ad suppositum, esset propositio magis neganda, quam concedenda, puta si diceretur, Christus, secundum quod hic homo, est creatura.

Ad primum ergo dicendum, quod licet Christus non sit humana natura: est tamen habens humanam naturam. Nomen autem creaturæ natum est prædicari, non solum de abstractis, sed etiam de concretis: dicimus enim, quod humanitas est creatura, & quod homo est creatura.

Ad secundum dicendum, quod ly homo, secundum quod ponitur in subiecto, magis respicit suppositum: secundum autem, quod ponitur in reduplicatione, magis respicit naturam, vt dictum est. Et quia natura est creata, suppositum vero increatum: ideo licet non cōcedatur ista simpliciter, Homo Christus est creatura: conceditur tamē ista, Christus secundum quod homo, est creatura.

Ad tertium dicendum, quod cuilibet homini, qui est suppositum solius naturæ humanæ, competit, quod non habeat esse, nisi secundum humanam naturam, & ideo de quolibet tali supposito sequitur, si secundum quod homo est creatura, quod sit creatura simpliciter. Sed Christus non solum est suppositum humanæ naturæ, sed etiam diuinæ, secundum quam habet esse increatum: & ideo non sequitur, si secundum quod homo, est creatura, quod sit simpliciter creatura.

Sensus Quæsiti.

DVPLICEM sensum illius particulæ *secundum quod, siue inquantum* declarant expositores infra notandi, dicentes eam posse sumi reduplicatiue aut specificatiue; videtur autem hic sumi specificatiue: quia sic etiam sumitur in conclusionibus, quarum sensus debet sensui quæsiti consonare.

Forma Textus.

PROPOSITA vna distinctione cum differentia membrorum ad inuicem, respōdetur quæsito quatuor conclusionibus.

Distinctio est: Cum dicitur: Christus secundum quod homo, hoc nomen *homo* potest resumi in reduplicatione, vel ratione naturæ. Differunt hi duo modi, quod nomen resumptum in reduplicatione magis proprie tenetur pro natura, quam pro supposito: quod probatur: quia nomen resumitur in vi prædicati; quod tenetur formaliter; ergo magis proprie tenetur pro natura.

PRIMA CONCLVS. *Si hoc nomen homo resumatur ratione suppositi, hæc erit falsa: Christus secundum quod homo, est creatura.* Probatur quia suppositum humanæ naturæ in Christo est æternū & increatum; ergo.

SECVNDA CONCLVS. *Si hoc nomen homo resumatur ratione humanæ naturæ, sic est vera dicta propositio.* Probatur: quia Christo ratione humanæ naturæ, siue secundum humanam naturam conuenit esse creaturam, vt dictum est *art.*8.

TERTIA CONCL. *Hæc magis est concedenda, quam neganda: Christus secundum quod homo, est creatura.* Probatur ex dicta differentia: quia nomen resumptum in reduplicatione magis proprie tenetur pro natura, quam pro supposito, &c.

VLTIMA CONCL. *est: Si nomini homo adderetur aliquid in reduplicatione, per quod traheretur ad suppositum, esset propositio magis neganda* Declaratur in hac propositione: Christus secundum quod hic homo, est creatura: hæc enim tanquam falsa neganda est.

Expositio Textus.

PRO INTELLIGENTIA præsentis articuli tria notanda sunt.

Primum est, dictiones illas *secundum quod*, & *inquantum* dupliciter sumi posse, scilicet reduplicatiue & specificatiue, quas duas acceptiones explicat Med. *super hoc art.* & late Vasq. *disp. 66. cap.*2. sumitur hic à D. Tho. secundo modo, scilicet specificatiue; vt hic obseruat Caiet. & post eum prædicti expositores.

Secun-

Secundum est, secundam & tertiam conclusionem esse veras improprietate sermonis, vt hic aduersus Scotum explicant optime Caiet. Medi. & Vasq. *in dicto cap.* 2. qui omnes referunt & soluunt argumenta Scoti.

Tertium est Vasq. immerito friuolis quibusdam argumentis impugnare vltimam concl. D. Tho. quibus optime respondet Aluar. *disp.* 72. vbi dicta concl. probat duobus efficacibus argumentis.

ARTICVLVS XI.

Vtrum hæc sit vera: Christus, secundum quod homo, est Deus.

3. d 10. q. 1. a. 1. q. 1. & q 3. c.

AD vndecimum sic proceditur. *Videtur, quod Christus, secundum quod homo, sit Deus. Christus enim est Deus per gratiam vnionis. Sed Christus, secundum quod homo, habet gratiam vnionis. Ergo Christus secundum quod homo, est Deus.*

Præterea: Dimittere peccata, est proprium Dei, secundum illud Isa. 43. Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me. Sed Christus, secundum quod homo, dimittit peccata: secundum illud Matth. 9. Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c. Ergo Christus secundum quod homo, est Deus.

Præterea: Christus non est homo communis, sed est homo iste particularis. Sed Christus, secundum quod est iste homo, est Deus: quia in isto homine designatur suppositum æternum, quod naturaliter est Deus. Ergo Christus, secundum quod homo, est Deus.

Sed contra: Illud quod conuenit Christo, secundum quod C *homo, conuenit cuilibet homini. Si ergo Christus, secundum quod homo, est Deus, sequitur quod omnis homo sit Deus: quod patet esse falsum.*

Respondeo dicendum, quod iste terminus, homo, in reduplicatione positus, potest dupliciter accipi. Vno modo quantum ad naturam: & sic non est verum, quod Christus, secundum quod homo sit Deus: quia humana natura est distincta à diuina secundum differentiam naturæ. Alio modo potest accipi ratione suppositi: & sic cum suppositum naturæ humanæ in Christo, sit persona filij Dei, cui per se conuenit esse Deum, verum est quod Christus, secundum quod homo, sit Deus. Quia tamen terminus in reduplicatione positus magis proprie tenetur pro natura, quam pro supposito (vt supra dictum est) ideo magis est ista neganda, Christus, secundum quod homo, est Deus, quam sit affirmanda.

Ad primum ergo dicendum, quod non secundum idem conuenit alicui moueri ad aliquid, & esse illud: nam moueri conuenit alicui ratione materiæ, vel subiecti, esse autem in actu, ratione formæ. Et similiter non secundum idem conuenit Christo ordinari ad hoc, quod sit Deus per gratiam vnionis, & esse Deum. Sed primum conuenit sibi secundum humanam naturam, secundum vero secundum diuinam. Et ideo hæc est vera, Christus secundum quod homo, habet gratiam vnionis: non tamen ista, Christus secundum quod homo, est Deus.

Ad secundum dicendum, quod filius hominis habet in terra potestatem dimittendi peccata, non virtute humanæ naturæ, sed virtute naturæ diuinæ. In qua quidem natura cõsistit potestas dimittendi peccata per auctoritatem: in humana autem natura consistit instrumentaliter, & E *per ministerium. Vnde Chrysost. super Matth. hoc exponens dicit: Signanter dixit, In terra dimittendi peccata: vt ostenderet, quod humanæ naturæ potestatem diuinitatis vniuit indiuisibili vnione: quia, & si factus est homo, tamen Dei Verbum permansit.*

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur, iste homo, pronomen demonstratiuum, hoc nomen homo trahit ad suppositum. Et ideo magis est hæc vera, Christus secundum quod iste homo, est Deus: quam iste Christus secundum quod homo, est Deus.

Naz. in D. Thom. 3. partem.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quæsito tribus conclusionibus.

Distinctio est: iste terminus *homo* in reduplicatione positus potest dupliciter accipi: Vno modo quantum ad naturam; Alio modo ratione suppositi.

PRIMA CONCLVS. *est: Si hic terminus homo in reduplicatione positus accipiatur quantum ad naturam, nõ est verum, quod Christus secundum quod homo, sit Deus.* Probatur: quia humana natura est distincta à diuina secundum differentiam naturæ; ergo.

SECVNDA CONCLVS. *Si idem terminus accipiatur ratione suppositi, verum est, quod Christus secundum quod homo, sit Deus.* Probatur: quia suppositum na- B turæ humanæ in Christo est persona filij Dei; ergo si idem terminus accipiatur ratione suppositi, &c. Antecedens patet ex supradictis. Consequẽtia probatur: quia personæ filij Dei per se conuenit esse Deum.

TERTIA CONCLVS. *Hæc propositio: Christus secundum quod homo est Deus, magis est neganda, quam affirmanda.* Probatur: quia terminus in reduplicatione positus magis proprie tenetur pro natura, quã pro supposito, vt dictum est *in artic. præcedente.*

Expositio Textus.

EX TERTIA conclusione & eius probatione manifeste colligitur, quid simpliciter responderi debeat ad quæsitum. Dicendum est enim, C propositionem illam: *Christus secundum quod homo, est Deus*, falsum esse, vt etiam aduertit Suarez *in Commentario.*

Vide præterea, quæ scribunt Caiet. & Med. *circa resp. ad 3. argum.* de veritate huius propositionis: *Christus in quantum hic homo est Deus*, quam S. D. ait esse veriorem illa: *Christus in quantum homo, est Deus*: cuius oppositum absque legitimo fundamẽto docet Vasquez *disp. 69. cap. 1.* vbi cum Durando *Obiic. Vasq.* sic *arguit*: Pronomen *hic* additum nomini *homo* non determinat ipsum, *vt* significet suppositum, neque alio modo significat naturam quam significabat idem nomen sine illo: solum enim hoc efficit pronomen, vt significetur natura singularis, quæ antea communis significabatur. *Sed facile solutur*: Falsum enim assumit, vt patet *ex resp. S. D. ad Solut.* D 3. & oppositam veritatem, videlicet nomen illud *homo* in reduplicatione positum trahi per pronomen demonstratiuum *hic* ad suppositum, probat optimis argumentis Medina.

ARTICVLVS XII.

Vtrum hæc sit vera: Christus secundum quod homo, est hypostasis, vel persona.

AD duodecimum sic proceditur. *Videtur, quod Christus secundum quod homo, sit persona. Illud enim* 3 d. 10. q. 1. art. 1. Et Rom. 1. le. 3. cor. 5. *quod conuenit cuilibet homini, conuenit Christo, secundum quod est homo: est enim aliis hominibus similis: secundum illud Phil. 2. In similitudinem hominum factus: Sed omnis homo est persona. Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.*

Præterea: Christus, secundum quod homo, est substantia rationalis naturæ, non autem substantia vniuersalis: ergo substantia individua. Sed nihil aliud est persona, quã rationalis naturæ individua substantia, vt Boetius dicit in lib. de duab. nat. Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

Præterea: Christus, secundum quod homo, est res humanæ naturæ, & suppositum, & hypostasis eiusdem naturæ.

Sed omnis hypostasis & suppositum, & res humanæ naturæ, est persona. Ergo Christus, secundum quod homo, est persona.

Sed contra, Christus, secundum quod homo, non est persona æterna. Si ergo Christus, secundum quod homo, sit persona, sequeretur, quod in Christo sint duæ personæ, vna temporalis, & alia æterna. Quod est erroneum, vt supra dictum est.

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, iste terminus homo, in reduplicatione positus, potest accipi, vel ratione suppositi, vel ratione naturæ. Cum ergo dicitur, Christus secundum quod homo, est persona, si accipiatur ratione suppositi, manifestum est, quod Christus secundum quod homo, est persona, quia suppositum humanæ naturæ nihil est aliud, quam persona filij Dei. Si autem accipiatur ratione naturæ, sic potest intelligi dupliciter. Vno modo, vt intelligatur, quod naturæ humanæ competat esse in aliqua persona. Et hoc etiam modo verum est: omne enim quod subsistit in humana natura, est persona. Alio modo potest intelligi, vt naturæ humanæ in Christo propria personalitas debeatur, causata ex principiis humanæ naturæ. Et sic Christus secundum quod homo, non est persona: quia humana natura non est per se seorsum subsistens à diuina natura: quod requirit ratio personæ.

Ad primum ergo dicendum, quod omni homini conuenit esse personam, secundum quod omne subsistens in humana natura est persona. Sed hoc est proprium homini Christo, quod persona subsistens in humana natura eius, non sit causata ex principiis humanæ naturæ, sed sit æterna. Et ideo vno modo est persona, secundum quod homo, alio modo non, sicut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod substantia indiuidua, quæ ponitur in diffinitione personæ, importat substantiam completam per se subsistentem separatum ab aliis, alioquin manus hominis posset dici persona, cum sit substantia quædam indiuidua: quia tamen est substantia indiuidua sicut in alio existens, non potest dici persona. Et eadem ratione, nec humana natura in Christo: quæ tamen potest dici indiuiduum, vt singulare quoddam.

Ad tertium dicendum, quod sicut persona significat quid completum, & per se subsistens in natura rationali, ita hypostasis, suppositum, & res naturæ in genere substantiæ significant quiddam per se subsistens. Vnde sicut humana natura non est per se persona seorsum à persona filij Dei, ita etiam non est per se hypostasis, vel suppositum, vel res naturæ. Et ideo in sensu, in quo negatur ista, Christus secundum quod homo, est persona, oportet etiam negari omnes alias.

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione cum subdiuisione alterius membri respondetur quæsito tribus cõclusionibus.

Distinctio est: Iste terminus homo in reduplicatione positus potest accipi, vel ratione suppositi, vel ratione naturæ, & hoc secundo modo dupliciter: vno modo, vt intelligatur quod naturæ humanæ competat esse in aliqua persona; alio modo, vt naturæ humanæ in Christo propria personalitas debeatur causata ex principiis humanæ naturæ.

PRIMA CONCLVS. *Si iste terminus homo in reduplicatione positus accipiatur ratione suppositi, manifestum est, quod Christus secundum quod homo, est persona.* Probatur: quia suppositum humanæ naturæ nihil aliud est, quam persona filij Dei.

SECVNDA CONCLVS. *Si iste terminus homo accipiatur in ratione naturæ, ita vt intelligatur, quod naturæ humanæ competat esse in aliqua persona, sic vera est dicta propositio.* Probatur: quia omne, quod subsistit in humana natura, est persona.

TERTIA CONCLVS. *Si idem terminus accipiatur ratione humanæ naturæ, ita vt sensus sit, quod naturæ humanæ in Christo propria personalitas debeatur causata ex principiis humanæ naturæ. sic Christus, secundum quod homo, non est persona:* Probatur: quia humana natura non est per se seorsum subsistens à diuina natura; ergo. Probatur consequentia: quia ratio personæ requirit subsistere per se.

Controuersia Vnica.

An hæc propositio: Christus secundum quod homo est persona, sit vera in proprio sensu.

QVÆSTIO est inter Doctores: *an hæc propositio: Christus, secundum quod homo, est hypostasis, aut persona, vera sit in formali, & proprio sensu.* Vasq. *in disp.* 69. *c.* 2. ait in nullo sensu, quem verba proprie reddere possunt, eam esse falsam. *Sententiæ Doctorum.*

S. Tho. autem *in* 3. *dist.* 10. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. docet expresse dictam propositionem in proprio sensu falsam esse: nec oppositum asserit *in hoc art.* Quam sententiam secuti sunt Dur. *eadem dist. & quæst. nu.* 8. *& ibidem* S. Bonau. Palud. & Ricar. Medina *super hoc art.* Eandem docuit Altisiodorensis *lib.* 3 *Summæ, tract.* 1. *cap.* 1. *q.* 8. & Alensis 3. *p. q.* 6 *membro* 3. Qui tamen non conueniunt in assignanda ratione falsitatis dictæ propositionis.

RECOLENDA *est in primis* ea regula S. D. quam tradidit *in duobus articulis præcedentibus*, videlicet, nomen in reduplicatione resumptum magis proprie teneri pro natura, quam pro supposito, & ideo, sicut hæc in proprio sensu, & simpliciter falsa est: *Christus secundum quod homo est Deus*, ita hæc in proprio & formali sensu falsa est: *Christus secundum quod homo est hypostasis aut persona.* Vnde S. Th. *in* 3. *dist.* 10. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. huic quæsito respondens ait: *In Christo non est, nisi vna persona, quæ est ab æterno: nullum autem æternum conuenit Christo, secundum quod homo, proprie loquendo; vt patet ex prædictis: Vnde hæc non est vera: Christus, secundum quod homo, est persona, nisi replicetur suppositum hominis, vt dicatur: Christus, secundum quod iste homo, est persona:* hoc enim *verum est:* & *ad secundum* ait: *Nec etiam Petrus, inquantum homo, est persona, sed secundum quod iste homo; quia hæc non est per se: homo est persona; sed hæc iste homo est persona.* Ex quibus apparet D. Tho. non solum negare hanc in proprio sensu: *Christus, secundum quod homo est persona,* sed etiam hanc: *Petrus secũdum quod homo est persona.* *Resolutio. Ex quadã regula S. D. deducitur nullam ex tribus conclusionibus in textu posse habere proprium sensum, simulque propositionem hanc in proprio, ac formali sensu falsam esse.*

Secundo aduerte: Nullam ex tribus conclusionibus in textu propositis habere proprium sensum. Et de prima quidem patet ex prædicta regula D. Tho. De aliis vero duabus facile probatur eas nõ saluare propriũ sensum dictæ propositionis: quia non saluant prædicationem in recto, sed in obliquo tãtum, quod est detorquere propositionem ad sensus improprios: prædicatio enim affirmatiua propria significat identitatem prædicati cum subiecto, & non solam aliquam coniunctionem, vt significat dicta propositio iuxta secundam & tertiam conclusionem D. Tho. His addit D. Tho. *hic, & in tertio sent.* proposito quæsito an hęc sit vera: *Christus secundũ quod homo est hypostasis vel persona,* adducere argumenta pro parte affirmante, & ea soluere, innuens hoc facto, dictam propositionem similiter esse falsam.

SIT igitur VNICA CONCLVSIO. *Hæc propositio: Christus secundum quod homo est persona aut hypostasis, falsa est in sensu formali & proprio:* Hæc patet ex dictis.

Contra

Obi.1. CONTRA conclus. sunt duo argumenta, quæ refert, & soluit Medina *super hoc artic. prope finem.* Contra eandem conclus. argumentatur Vasquez. *Primo*: quia, etiamsi nomen illud *homo* in reduplicatione positum supponat pro natura concrete significata, indirecte denotat suppositum; ergo

Solut. significat naturam in supposito. *Respon.* falsum esse anteced. vt patet ex Regula D. Thom. supra notata.

Obi.2. *Secundo*: Siue sumatur illa particula *secundum quod*, vt nota specificationis seu determinationis, siue vt denotat aliquam causam, siue vt nota perfectitatis, est vera dicta propositio; ergo. Probat Antecedens, quo ad singulas partes, quas admittimus.

Solut. *Resp.* Nullam esse conseq. nam licet his omnibus modis sit vera dicta propositio, non tamen B est propria ob supra dictam causam; quia scilicet secundum nullam dictarum acceptionum saluatur prædicatio in recto, sed in obliquo tantum, nec significatur identitas prædicati cum subiecto, sed quædam coniunctio aut habitudo, vt patet applicanti, &c.

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

De pertinentibus ad vnitatem in Christo quantum ad esse, in duos articulos diuisa.

DEinde considerandum est de his, quæ pertinent ad vnitatem in Christo in communi. *Nam de his, quæ pertinent ad vnitatem, vel pluralitatem in speciali, suis locis determinandum est: sicut supra determinatum est, quod in Christo non est vna tantum scientia & infra determinabitur, quod in Christo non est vna tantum natiuitas.*

Considerandum est ergo, primo de vnitate Christi quãtum ad esse. secundo quantum ad velle. tertio, quantum ad operari.

Circa primum quæruntur duo.

Primo, vtrum Christus sit vnum, vel duo.

Secundo, vtrum in Christo sit tantum vnum esse.

Ratio ordinis.

ORDINEM huius quæstionis ad præcedentes explicant S. D. & Cai. qui etiam rationem assignat ordinis articulorum in principio, tam huius, quam sequentis articuli. Ad cuius ampliorem D intelligentiam aduerte vnum esse passionem entis, non solum nominaliter, sed etiam participaliter sumpti: cum igitur in Christo sit duplex esse, scilicet esse substantiale in compositione consistens, & esse existentiæ in rerum natura, in primo articulo quæritur de vnitate consequente primũ esse, secundum quod esse indiuisum dicitur Christus quid vnum simpliciter. Deinde quæritur de vnitate, aut pluralitate esse existentiæ, secundum quod esse non dicitur Christus simpliciter vnus aut plura, sed dicitur habens vnum esse existentiæ, vt patet ex secundo artic.

ARTICVLVS I.

E *Vtrum Christus sit vnum, vel duo.*

3.d.6.q.2.a. 1. & d.21.q. 1.a.1.q.2.16. & 4. con.c. 38. fin. & vnio. a.2.2. & 7. & a.3. & 4. per totum, & ar. 5.14. Ca.7,to.3. AD primum sic proceditur. *Videtur, quod Christus non sit vnum, sed duo. Dicit enim Augustinus in primo de Trin. quia forma Dei accepit formam serui, vtrumque Deus propter accipientem Deum: vtrumque autem homo propter acceptum hominem.*

Sed vtrumque dici non potest, nisi vbi sunt duo. Ergo Christus est duo.

Præterea: Vbicunque est aliud, & aliud, ibi sunt duo. Sed Christus est aliud, & aliud: dicit enim Augustinus in Naz. in D. Thom. 3. partem.

A *Enchi. Cum in forma Dei esset, formam serui accepit, vtrumque vnus, sed aliud propter Verbum, aliud propter hominem. Ergo Christus est duo.*

Præterea: Christus non est tantum homo: quia sic purus homo esset. Ergo est aliquid aliud, quam homo: & ita in Christo est aliud, & aliud. Ergo Christus est duo.

Præterea: Christus est aliquid, quod est Pater, & est aliquid quod non est Pater. Ergo Christus est aliquid, & aliquid. Ergo Christus est duo.

Præterea: Sicut in mysterio Trinitatis sunt tres personæ in vna natura: ita in mysterio Incarnationis sunt duæ naturæ in vna persona. Sed propter vnitatem naturæ, non obstante distinctione personæ, Pater, & Filius sunt vnum: secundum illud Ioann. 10. Ego, & Pater vnum sumus. Ergo non obstante vnitate personæ, propter dualitatem naturarum, Christus est duo.

Præterea: Philosophus dicit in tertio Phys. quod vnum, & duo denominatiue dicuntur. Sed Christus habet dualitatem naturarum. Ergo Christus est duo. Tex. 18.

Præterea: Sicut forma accidentalis facit alterum, ita forma substantialis aliud: vt Porphyrius dicit. Sed in Christo sunt duæ naturæ substantiales, humana scilicet, & diuina. Ergo Christus est aliud, & aliud. Ergo Christus est duo.

Sed contra est, quod Boet. dicit in libro de duab. natur. Omne quod est, inquantum est, vnum est. Sed Christum esse confitemur. Ergo Christus est vnum.

Respondeo dicendum, quod natura secundum se considerata, prout in abstracto significatur, non vere potest prædicari de supposito seu persona, nisi in Deo, in quo non dif- D.1081. *fert, quod est, & quo est: vt in Prima parte habitum est. In* C *Christo autem cum sint duæ naturæ, diuina scilicet, &* 1.p.q.3.a.3. & 4. *humana, altera earum, scilicet diuina, potest de eo prædicari & in abstracto, & in concreto: dicimus enim, quod filius Dei, qui supponitur in hoc nomine, Christus, & est diuina natura, & est Deus. Sed humana natura non potest prædicari de Christo secundum se in abstracto, sed solum in concreto, prout scilicet significatur in supposito. Non enim vere potest dici, quod Christus sit humana natura: quia natura humana non est nata prædicari de suo supposito. Dicitur autem, quod Christus est homo sicut, & quod Christus est Deus. Deus autem significat habentem Deitatem: & homo significat habentem humanitatem. Aliter tamen habens humanitatem significatur per hoc nomen homo, & aliter per hoc nomen Iesus, vel Petrus. Nam hoc nomen homo importat habentem humanitatem indistincte, sicut, & hoc nomen Deus, indistincte importat habentem Deitatem: hoc autem nomen Petrus, vel Iesus, importat distincte habentem humanitatem, scilicet sub determinatis individualibus proprietatibus: sicut & hoc nomen filius Dei, importat habentem Deitatem sub determinata proprietate personali. Numerus autem dualitatis in Christo ponitur circa ipsas naturas, & ideo si ambæ naturæ in abstracto prædicarentur de Christo, sequeretur, quod Christus esset duo. Sed quia duæ naturæ non prædicantur de Christo, nisi prout significantur in supposito, oportet secundum rationem suppositis prædicari de Christo vnum vel duo. Quidam autem posuerunt in Christo duo supposita, sed vnam personam, quæ quidem videtur se habere secundum eorum opinionem, tanquam suppositum completum vltima completione. Et ideo quia ponebant in Christo duo supposita, dicebant Christum esse duo neutraliter, sed quia ponebant vnam personam, dicebant Christum vnum masculine. Nam neutrum genus designat quiddam informe, & imperfectum: genus autem masculinum designat quiddam formatum, & perfectum. Nestoriani autem ponentes in Christo duas personas, dicebant Christum non solum esse duo neutraliter, sed etiam duos masculine. Quia vero nos ponimus in Christo vnam personam, & vnum suppositum (vt ex supra dictis patet) sequitur, quod dicamus, quod non solum Christus est vnus* q.2.a.2. & 6. *masculine, sed etiam, quod est vnum neutraliter.*

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud Aug.

non est sic intelligendum, quod ly vtrumque teneatur ex parte prædicati: quasi dicat, quod Christus sit vtrumque, sed tenetur ex parte subiecti. Et tunc ly vtrumque ponitur non quasi pro duobus suppositis, sed pro duobus nominibus significantibus duas naturas in concreto. Possum enim dicere quod vtrũque, scilicet Deus, & homo, est Deus propter accipientem Deum: & vtrumque scilicet Deus, & homo est homo propter acceptum hominem. A

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur, Christus est aliud, & aliud, locutio est exponenda, vt sit sensus, habens aliam, & aliam naturam. Et hoc modo exponit Aug. 3a. 11. 50. 6. *August. in libro contra Felicianum. Vbi cum dixisset, In mediatore Dei, & hominum, aliud Dei filius, aliud hominis filius subdit, Aliud inquam pro discretione substantiæ, non aliud pro vnitate personæ. Vnde Greg. Nazianzenus in Epistola ad Elidonium dicit, Si oportet compendiose dicere, aliud quidem, & aliud, ea, ex quibus Saluator est: siquidem non idem est inuisibile visibili, & quod absque tempore est, quod sub tempore, non autem alius, & alius, absit: hæc enim ambo vnum.* B

Ad tertium dicendum, quod hæc est falsa, Christus est tantum homo: quia non excludit aliud suppositum, sed aliam naturam: eo quod termini in prædicato positi formaliter tenentur. Si vero adderetur aliquid, per quod traheretur ad suppositum, esset vera locutio: puta, Christus est tan- D. 102. *tum id, quod est homo. Non tamen sequitur, quod sit aliquid aliud, quam homo: quia ly aliud, cum sit relatiuum diuersitatis substantiæ proprie refertur ad suppositum (sicut, & omnia relatiua facientia personalem relationem) sequitur autem, ergo habet aliam naturam.*

Ad quartum dicendum, quod cum dicitur, Christus est aliquid, quod esset Pater, ly aliquid, tenetur pro natura diuina: quæ etiam in abstracto prædicatur de Patre, & Filio. Sed cum dicitur, Christus est aliquid, quod non est Pater, ly aliquid tenetur non pro ipsa natura humana, secundum quod significatur in abstracto, sed secũdum quod significatur in concreto: non quidem secundum suppositum distinctum, sed secundum suppositum indistinctum, prout scilicet subsistat naturæ, non autem proprietatibus indiuiduantibus. Et ideo non sequitur, quod Christus sit aliud, & aliud, vel quod sit duo: quia suppositum humanæ naturæ in Christo, quod est persona filij Dei, non ponit in numerum cum natura diuina, quæ prædicatur de Patre, & Filio. C

Ad quintum dicendum, quod in mysterio diuinæ Trinitatis natura diuina prædicatur etiam in abstracto de tribus personis: & ideo simpliciter potest dici quod tres personæ sint vnum. Sed in mysterio incarnationis non prædicantur ambæ naturæ in abstracto de Christo: & ideo non potest simpliciter dici quod Christus sit duo. D

Ad sextum dicendum, quod duo dicitur, quasi habens dualitatem: non quidem in aliquo alio, sed in ipso, de quo duo prædicatur. Fit autem prædicatio de supposito, quod importatur per hoc nomẽ Christus. Quamuis igitur Christus habeat dualitatem naturarum: quia tamen non habet dualitatem suppositum, non potest dici Christus esse duo.

Ad septimum dicendum, quod alterum importat diuersitatem accidentis: & ideo diuersitas accidentis sufficit ad hoc, quod aliquid simpliciter dicatur alterum. Sed aliud importat diuersitatem substantiæ: substantia autem dicitur non solum natura, sed etiam suppositum, vt dicitur in quinto Metaph. & ideo diuersitas naturæ non suffi- E *cit ad hoc, quod aliquid simpliciter dicatur aliud, nisi adsit diuersitas secundum suppositum. Sed diuersitas naturæ facit aliud secundum quid, scilicet secundum naturam, si non adsit diuersitas suppositi.*

Sensus Quæsiti.

TITVLVM optime declarat Caietanus.

Forma Textus.

DVABVS propositis distinctionibus respondetur quæsito vnica conclusione.

Prima distinctio est: Natura tam diuina, quam humana in Christo potest significari dupliciter; scilicet in abstracto, & in concreto: In quibus significandi modis, partim differunt & partim cõueniunt hæ duæ naturæ quo ad posse, vel non posse prædicari de Christo; Differunt enim quo ad prędicari in abstracto: Quia natura diuina potest vere in abstracto prædicari de Christo, non autem humana. Probatur: quia in solo Deo natura secundum se considerata prout in abstracto significatur, vere potest prædicari de supposito: at suppositum vtriusque naturæ, scilicet diuinæ & humanæ est id, quod supponitur nomine Christi; ergo de Christo poterit prædicari natura diuina abstracte significata, non autem humana eodem modo significata; ita vt hæc sit vera: Christus est diuina natura, hæc autem falsa: Christus est humanitas. Maior probatur: quia in solo Deo non differt quod est & quo est. Conueniunt autem hæ duæ naturæ, quod vtraque in concreto significata prædicatur de Christo; ita vt istæ sint veræ: Christus est Deus: Christus est homo. Probatur: quia Deus significat habentem Deitatem, & homo significat habentem humanitatem; ergo. Cõsequentia patet: quia in Christo est vnum suppositum, quod est habens vtramque naturam, & significatur nomine Christi.

Secunda distinctio est: Habens humanitatem dupliciter potest significari, scilicet indistincte & distincte. Primo modo significatur per hoc nomẽ, *homo*, sicut etiam hoc nomine, *Deus*, indistincte importat habentem Deitatem. Secundo modo significatur habens humanitatem per hoc nomẽ, *Iesus*, vel *Petrus*, quod importat habentem humanitatem sub determinatis proprietatibus indiuidualibus; sicut & hoc nomen, *Filius Dei*, importat habentem Deitatem sub determinata proprietate personali.

CONCL. *est: Christus non solum est vnus masculine, sed etiam est vnum neutraliter.* Probatur: quia oportet secundum rationem suppositi prædicari in Christo vnum vel duo: at in Christo est vna tantum persona & vnum suppositum; ergo Christus non solum, &c. Maior probatur: Primo, quia duæ naturæ in Christo, circa quas solas ponitur numerus dualitatis, non prædicantur, nisi prout significantur in supposito, non autem, vt significãtur in abstracto (*nisi altera tantum, scilicet diuina*) ergo oportet secundum rationem suppositi, &c. Consequentia declaratur ex opposito antecedẽtis: quia si ambæ naturæ in abstracto prædicarentur de Christo, sequeretur, ꝙ Christus esset duo. Secũdo probatur eadem maior ex duob. erroribus oppositis veritati Catholicæ: Primus est eorum, qui in Christo dicebant esse duo suppositа, & vnam tantum personam, quæ secundum eorum opinionem videbatur se habere tamquam suppositum completum vltima completione: Hi ergo, quia ponebant in Christo duo suppositа, dicebãt Christum esse vnum masculine: Ratio eorũ erat: quia neutrum genus designat quoddam informe & imperfectum. Secundus error est Nestorianorum ponentium in Christo duas personas, qui dicebant Christum non solum esse duo neutraliter, sed etiam duos masculine.

Expositio Textus.

HVIVS art. concl. est dogma fidei, vt probant hic recentiores ex diuinis litteris, Sacris Cõciliis, ex communi SS. Patrum doctrina. Videndi sunt Med. & Suar. *in Comment.*

NOTANDA *sunt* etiam ea, quæ scribit Caietanus circa discursum D. Th. in textu.

Scito præterea rationem D. Thom. pro concluſ. esse omnium optimam, licet Vasquez *disp.* 70. *c.* 3.

Nullo

nullo solido nixus fundamento pronunciet eam nullius esse valoris: Ad huius etiam conclusionis confirmationem valde conferunt ea, quæ late supra diximus, *q.3.art.7. Controu.* 1. vbi quæsiuimus: An si vna persona plures naturas humanas assumeret, dicenda esset vnus homo, vel plures. Vide etiam ea, quę scribit Vasq. *in dicta disput.* 70. vbi tamen falsam habet doctrinam de suppositione nominis concreti. Aluarez breuiter explicat veritatem, & quærit; *an hæc sit vera: Christus est diuinitas & humanitas*, & probat efficaciter esse falsam.

Vasquezij censura recitatur.

Responsionem ad primum argum. declarat Suar. alteram afferens expositionem verborum Augustini.

In responsionibus ad secundum, & tertium, & septimum argumentum S. D. tria dicit. *Primum* est, Christum non posse dici aliud & aliud, nisi exponendo dictum hoc cum Augustino, vt sit sensus: quod Christus habet aliam & aliam naturam. *Secundum* est diuersitatem naturæ non sufficere ad hoc, vt aliquid simpliciter dicatur aliud, nisi adsit diuersitas secundum suppositum, sed diuersitatē naturæ facere aliud secundum quid, scilicet secūdum naturam, si non adsit diuersitas suppositi. *Tertium* est, vt aliud proprie referri ad suppositum, sicut & omnia relatiua facientia personalem relationem, eo quod sit relatiuum diuersitatis substantiæ. Cuius oppositum videtur supra docuisse, *q.2.ar.3.ad* 1. vbi ait: *Sicut, quod dicitur alterum, & alterum in creaturis, non significat diuersitatem suppositi, sed solum diuersitatem formarum accidentalium, ita, quod dicitur Christus aliud, & aliud, non importat diuersitatē suppositi, vel hypostasis, sed diuersitatem naturarum.* Sed hæc non sunt contraria, & vtrumque verum est sane intellectum. Verum est enim, quod dicitur *hic ad* 5. dictionem illam *aliud* proprie referri ad suppositum; ac proinde solam diuersitatem naturæ non sufficere, vt aliquid dicatur aliud simpliciter, sed tantum secundum quid scilicet secūdum naturam, & simul etiam verum est dictionem illam *aliud* non importare (scilicet necessario) diuersitatem suppositi, quæ est diuersitas substātialis simpliciter, id est absolute dicta, sed posse, quamquam minus proprie, importare solam diuersitatem substantialem naturarum, quæ est diuersitas secundum quid, vt patet ex auctoritate Augustini relata à D. Th. *hic ad primum.*

Conciliantur dicta a S Tho.

Ex quo patet primo defectus Suarezij, qui prædicta loca adduxit, vt vere contraria, cum eis conciliandis nullam interpretationem adhibeat.

Secundo patet error Vasquezij *disput.* 70. *cap.*3. §. *mihi tamen* dicentis posse secundum D. Thom. & aliquos Patres seruata proprietate sermonis affirmari Christum esse aliud & aliud.

Cætera ad explicationem dictarum respōsionū D. Tho. ad secundum, tertium & septimum argumentum lege, si vis, apud Suarezium. Vide etiam quæ scribit Caietanus circa responsionem ad tertium & quartum argumentum.

ARTICVLVS II.

Vtrum in Christo sit tantum vnum esse.

3 d.4.q 1 a. 2.q.1 col fi. & d.6. q. 2. ar. 2. Et vnio. art. 4. & quol. 9. q 2.a: 2. & opu.3.c.210. & 219.

AD secundum sic proceditur. *Videtur, quod in Christo non sit tantum vnum esse, sed duo. Dicit enim Dam.in* 3 *lib. quod ea, quæ consequuntur naturam, in Christo duplicantur. Sed esse consequitur naturam: esse enim est à forma. Ergo in Christo sunt duo esse.*

Præterea: Esse filij Dei est ipsa natura diuina, & est æternum. Esse autem hominis Christi non est diuina natura: sed est esse temporale. Ergo in Christo non est tantum vnum esse.

Præterea: In Trinitate quamuis sint tres personæ, est tamen vnum esse propter vnitatem naturæ. Sed in Christo sunt duæ naturæ, quamuis sit vna persona. Ergo in Christo non est tantum vnum esse, sed duo.

Præterea: In Christo anima dat aliquod esse corpori, cum sit forma eius. Sed non dat sibi esse diuinum, cum sit increatum. Ergo in Christo est aliud esse, præter esse diuinum: & sic in Christo non est tantum vnum esse.

Sed contra, Vnumquodque secundum hoc dicitur ens, secundum quod dicitur vnum: quia vnum, & ens conuertuntur. Si ergo in Christo essent duo esse, & non tantum vnum, Christus esset duo, & non vnum.

Respondeo dicendum, quod quia in Christo sunt duæ naturæ, & vna hypostasis, necesse est, quod ea, quæ ad naturam pertinent in Christo, sint duo: quæ autem pertinent ad hypostasim in Christo, sint vnum tantum. Esse autem B *pertinet, & ad naturam, & ad hypostasim. Ad hypostasim quidem, sicut ad id, quod habet esse: ad naturam autem, sicut ad id, quo aliquid habet esse. Natura enim significatur per modum formæ, quæ dicitur ens ex eo, quod ea aliquid est. sicut albedine est aliquid album, & humanitate est aliquis homo. Est autem considerandum, quod si est aliqua forma, vel natura, quæ non pertineat ad esse personale hypostasis subsistentis, illud esse non dicitur esse illius personæ simpliciter, sed secundum quid, sicut esse album, est esse Sortis, non inquantum est Sortes, sed inquantum est albus. Et huiusmodi esse nihil prohibet multiplicari in vna hypostasi, vel persona: aliud enim est esse, quo Sortes est albus, & quo Sortes est musicus. Sed illud esse, quod pertinet ad ipsam hypostasim, vel personam secundum se, impossibile est in vna hypostasi, vel persona multiplicari: quia im-* C *possibile est, quod vnius rei non sit vnum esse. Si igitur humana natura adueniret filio Dei non hypostatice, vel personaliter, sed accidentaliter (sicut quidam posuerunt) oporteret ponere in Christo duo esse: vnum quidem, secundum quod est Deus, aliud autem, secundum quod est homo. Sicut in Sorte ponitur aliud esse, secundum quod est albus, & aliud, secundum quod est homo, quia esse album non pertinet ad ipsum esse personale Sortis. Esse autem capitatum, & esse corporeum, & esse animatum, totum pertinet ad vnam personam Sortis: & ideo ex omnibus his non fit, nisi vnum esse in Sorte. Et si contingeret quod post constitutionem personæ Sortis aduenirent Sorti manus, vel pedes, vel oculi (sicut accidit in cæco noto) ex his non accresceret Sorti aliud esse, sed solum relatio quædam ad huiusmodi: quia scilicet diceretur esse, non solum secundum ea, quæ* D *prius habebat, sed etiam secundum ea quæ sibi postmodum aduenerunt. Sic igitur, cum humana natura coniungatur filio Dei hypostatice, vel personaliter (vt supra dictum est,) & non accidentaliter, consequens est, quod secundum humanam naturam non adueniat sibi nouum esse personale, sed solum noua habitudo esse personalis, præexistentis ad naturam humanam, vt scilicet persona illa tam dicatur subsistere, non solum secundum diuinam naturam, sed etiam secundum humanam.*

Ad primum ergo dicendum, quod esse consequitur naturam: non sicut habentem esse sed sicut qua aliquid est: personam autem siue hypostasim consequitur, sicut habentem esse. Et ideo magis retinet vnitatem secundum vnitatem hypostasis, quam habeat dualitatem secundum dualitatem naturæ.

Ad secundum dicendum, quod illud esse æternum filij E *Dei, quod est diuina natura, fit esse hominis, inquantum humana natura assumitur à filio Dei in vnitatem personæ.*

Ad tertium dicendum, quod sicut in Prima parte dictum est, quia persona diuina est idem cum natura, in personis diuinis non est aliud esse personæ, præter esse naturæ: & ideo tres personæ non habent, nisi vnum esse. Haberent autem triplex esse, si in eis esset aliud esse personæ, & aliud esse naturæ.

Ad quartum dicendum, quod anima in Christo dat esse corpori, inquantum facit ipsum actu animatum: quod

est dare ei complementum naturæ, & speciei. Sed si intelligatur corpus perfectum per animam absque hypostasi habente vtrumque, hoc totum compositum ex anima, & corpore (prout significatur nomine humanitatis) non significatur, vt quod est, sed vt quo aliquid est. Et ideo ipsum esse est personæ subsistentis, secundum quod habet habitudinem ad talem naturam: cuius habitudinis causa est anima, inquantum perficit humanam naturam, informando corpus.

Sensus quæsiti.

DE ESSE existentiæ sermo est, & quæritur, an dici possit absolute & simpliciter, quod sint in Christo duo esse; an vero sit in eo simpliciter vnum esse, sicut in eo est vna tantum persona, vt hic etiam notat Caietanus, qui late sensum explicat huius quæsiti.

Forma Textus.

CONCLVSIO *est: Secundum humanam naturam non aduenit filio Dei nouum esse personale, sed solum noua habitudo esse personalis præexistentis ad naturam humanam, vt scilicet persona illa iam dicatur subsistere, non solum secundum diuinam naturam, sed etiam secundum humanam.* Ex qua sequitur euidenter intenta conclusio, formaliter responsiua quæsito, videlicet: *In Christo est tantum vnum esse*; quæ virtualiter, & implicite tantum habetur in textu; quatenus scilicet in prædicta conclusione continetur. Pobatur autem dicta conclusio: quia humana natura coniungitur filio Deo hypostatice seu personaliter, & non accidentaliter; ergo secundum humanam naturam non aduenit, &c. Antecedens patet *ex quæst. 2. artic. 6.* Consequentia vero duas habet partes, iuxta duas partes consequentis; cuius prima pars est illa: Secundum humanam naturam non aduenit filio Dei nouũ esse personale: secunda pars est illa: sed solum noua habitudo, &c. Sed rursus prima consequentiæ pars duplicem habet dependentiam ex antecedente, iuxta duas partes ipsius antecedentis; cuius prima pars est, humana natura coniungitur filio Dei personaliter. Secunda vero: & non accidentaliter. Probatur ergo prima consequentiæ pars, quatenus dependet ex prima parte antecedentis: Quia nec esse est ea, quæ ad naturam pertinent in Christo, sint duo, quæ autem pertinent ad hypostasim, sint vnum tantum: at esse pertinet ad hypostasim; ergo, si humana natura coniungitur filio Dei in hypostasi, sequitur, vt secundum humanam naturam non adueniat filio Dei nouum esse personale. Maior probatur: quia in Christo sunt duæ naturæ & vna hypostasis. Minor vero probatur seu declaratur ex differenti modo, quo esse pertinet ad naturam & ad hypostasim. Nam ad hypostasim pertinet, sicut ad id, quod habet esse (*& ideo simpliciter ad ipsam pertinet*) ad naturam autem, sicut ad id, quo aliquid habet esse: Quod probatur: quia natura significatur per modum formæ, quæ dicitur ens ex eo, quod ea aliquid est; sicut albedine est aliquid album, & humanitate est aliquis homo, (*& ideo formæ non conuenit esse simpliciter, sed cum addito, scilicet, vt quo*) Deinde probatur prima consequentiæ pars, quatenus dependet ex secunda parte antecedentis, illa scilicet: non accidentaliter; quia, si humanitas aduenirет filio Dei non hypostatice vel personaliter, sed accidentaliter, sicut quidam posuerunt, oporteret ponere in Christo duo esse, vnum quidem secundum quod est Deus, aliud autem secundum quod est homo; sicut in Sorte ponitur aliud esse secundum quod est albus, & aliud secundum quod est homo &c. ergo ab oppositio, si natura humana coniungitur filio Dei non accidentaliter sed personaliter, sequitur quod secundum humanam naturam non aduenit, filio Dei nouum esse personale. Probatur assumpta conditionalis & consequentia. Quia nihil prohibet in vna hypostasi, vel persona multiplicari esse secũdum quid; esse vero quod pertinet ad ipsam hypostasim vel personam, impossibile est in vna persona vel hypostasi multiplicari: at si humanitas aduenirет filio Dei accidentaliter, non pertineret ad esse personale filij Dei; ergo si humanitas aduenirет filio Dei non hypostatice, sed accidentaliter, &c. Maior quo ad primam partem probatur exemplo Sortis, in quo aliud est esse quo est albus, & aliud quo est musicus. Quo ad secundam vero partem probatur: Quia impossibile est, quod vnius rei non sit vnum esse. Minor vero probatur: quia nullum esse formæ, quæ non pertinet ad esse personale hypostasis subsistentis, dicitur esse illius personę simpliciter; ergo si humanitas aduenit, &c. Antecedens declaratur exemplo: Nam esse album est esse Sortis, non inquantum est Sortes, sed inquantum est albus.

Secundo principaliter probatur consequentia, quatenus est illatio consequentis quo ad secundam partem, videlicet: sed solum noua habitudo, &c. Quia si contingeret, quod post constitutionem personæ Sortis aduenirent Sorti manus vel pedes vel oculi, sicut accidit in cæco nato, ex his non accresceret Sorti aliud esse, sed solum relatio quædam ad huiusmodi; quia scilicet diceretur esse, non solum secundum ea quæ prius habebat, sed etiam secundum ea quæ sibi postmodum aduenirent; ergo si humana natura coniungitur filio Dei hypostatice, consequens est vt secundum humanam naturam non aduenirat illi nouum esse personale, sed solum noua habitudo, &c. Assumpta conditionalis probatur: quia ex hoc quod esse capitatum & esse corporeum, & esse animatum pertinet ad vnam personam Sortis, non fit ex omnibus his nisi vnum esse in Sorte; ergo si contingeret quod post constitutionem persona Sortis, &c.

Expositio Textus.

VNo entimemate cum probationib. antecedentis, & consequentiæ totum comprehendimus huius articuli discursum, vt euidentius appareret deductio conclusionis: Cui vero difficilior visa fuerit hæc forma textus, legat eam quam huic litteræ adhibet Caietanus, quæ planior est, vel hac scilicet Caietani forma seu explicatione vtatur ad intelligentiam materiæ; nostram autem assumat ad efficacitatem discursus perspicue cognoscendam: quam etiam explicat Caietanus *in solutione primæ suæ dubitationis.*

Controuersia Vnica.

An in Christo sit vnum tantum esse existentiæ increatum, an vero præter illud sit etiam aliud esse creatum humanitati proprium?

QVÆSTIO hęc quanquam vna sit ex difficilioribus, quæ circa Sacrosanctum incarnationis mysterium solent à Scholasticis Theologis examinari, adeo tamen antiquorum & recentiorum Thomistarum studiis ac disputationibus fuit illustrata, & solidis fundamentis communita, vt post eorum illustres labores de eadem materia scribendo actum agere videamur. Sed ne iciuni prorsus transeamus, totam hanc materiam breuiter, *Sententia Doctorum.*

ter, dilucide ac ordinata dicendi methodo complectemur, partim proponendo necessaria veritatis fundamenta, & partim indicando Doctores, & loca vnde reliqua diluēdis aduersariorum obiectis opportuna peti possint.

Sunt autem tres de proposita difficultate sententiæ.

Prima docet in Christo duas esse existentias tealiter distinctas, alteram diuinam & increatam, qua Verbum existit, alteram humanam & creatam, qua existit humanitas Pro hac allegari solēt Altisiodorensis *lib.3.summæ tractatu primo, cap.1.q.* 8. Albertus Magnus *in 3.dist.6.quæst.2.art.* 4. Scotus *ibidem quæst.1.* Durandus *qu.2.* Gabriel, Almainus, Ricardus, Heruæus, Paludanus, & alij *in eadem distinctione*, quos secuti sunt quidam recentiores expositores S.Thom. nimirum Suarez *disp.36.* Valentia *super hoc articulo*, & Vasq. *disp.71.*

Secunda sententia est Asturicensis, *quæst.7. de gratia Christi, pag.911. & sequentib.* vbi duas statuit conclusiones: *Prima* est: Humanitas Christi non propria, sed Verbi existentia existit. *Secunda* est: possibile fuit secundum potentiam Dei absolutam, quod Diuinum Verbum assumeret humanitatē, existentem per propriam & sibi connaturalem existentiam, ita tamen, vt humanitas subsisteret subsistentia Verbi.

Vltima sententia est D. Thom. *in hoc artic. & alibi* quam sequuntur & tuentur Capreolus *in tertio dist.6* Caietanus *hic*, Ferrariensis *in 4. contragent. cap.35. & 41.* Medina *in suo Commentario*, Aluarez *disp.14. & 72.* & est communis sententia Thomistarum, pro qua citantur etiam Henricus *quolib. 3.q.2.* Dionysius Carthusianus *in tertio dist.6.q.5.*

Resolutio. Constituitur differētia inter esse essentia, & esse existentia, & esse subsistētia, & declaratur duplex acceptio esse personalis, & ratio existentia, tā in ordine ad suppositum, quam in ordine ad naturam.

PRÆMITTENDVM *est in primis* Controuersiam hanc nō esse de materia fidei, vt hic etiam aduertit Caietanus *prope finem sui Commentarij*: atque ideo quemlibet debere suam cum omni modestia sententiam vt probabilem tueri. Licet enim sententia D.Thom. sit valde consona fidei, opposita tamen, quæ tot illustrib. auctoribus placuit, nulla est acriori censura notanda, quamquā de hoc Asturicensis, veluti dubius nihil audeat affirmare vel negare, sed aliorum id iudicio reseruet.

Secundo obseruanda est differētia inter esse essentiæ, & esse existentiæ, & esse subsistentiæ, seu subsistentiam, quorum rationes & differentias vbertime declarauimus *in prima parte, qu.3.art.3. & 4. Controuersia prima, & quæst.50.art.2. Controuersia 3.* Differunt autem hæc tria realiter in qualibet substantia creata: Essentia enim est ipsa rei natura seu quidditas etiam indiuidualis: subsistentia vero est vltimus eius terminus, quo res fit per sē subsistens separatim, ita vt nec sit inhærens, nec sit alicuius pars, sed sit quoddam totum: per quam etiam subsistentiam res fit existentiæ capax, quæ est vltima actualitas, ad nullam aliam actualitatem habens potentialitatem. Supponimus autem hic in qualibet re creata esse vnum tantum esse existentiæ: sicut etiam est vna tantum subsistentia: vt efficaciter probat Asturicensis *in allegata qu.7.pag.* 904. *& sequentibus.*

Tertio aduertendum est D. Tho. hic vti æquiuoce nomine esse personalis: Nam in illis verbis: *Est autem considerandum, quod si est aliqua forma, vel natura, quæ non pertineat ad esse personale hypostasis subsistentis, illud esse* (quod scilicet affert illa forma, vel natura) *non dicitur esse illius personæ simpliciter sed secundum quid &c.* nomine esse personalis manifeste significat personalitatem seu subsistētiam: Sensus enim dictorum verborum clarus est: si est aliqua forma vel natura, quæ non sit vnita personaliter hypostasi subsistenti, ita vt vna sit hypostasis & formæ seu naturæ subsistentia, esse existentiæ, vel etiam essentiæ illius formæ non dicitur esse illius personæ simpliciter, sed secundum quid: sicut esse album, &c. In conclusione vero videlicet: *Secundū humanam naturam non aduenit filio Dei nouum esse personale, &c.* sumit esse personale pro esse substantiali, vt distinguitur contra esse accidentale, comprehendens nomine esse personalis tam esse essentiæ, quam esse existentiæ: vt hic aduertit subtiliter Caietanus respondens ad argumentum secundum primæ suæ quæstionis, seu dubitationis.

Quarto notandum est ex D. Thom. esse existentiæ pertinere ad naturam & ad hypostasim, sed non eodem modo: nam ad hypostasim pertinet tanquam ad habentem esse: ad naturam autem, vt distinguitur à supposito, pertinet sicut ad eam qua aliquid est: Dixi vt distinguitur à supposito: quia si accipiatur natura vt completa seu terminata per subsistentiam, sic existentia dicitur esse eius vltima actualitas: sed hoc modo sumpta natura idem est, quod hypostasis: Naturam autem esse, qua aliquid habet esse, nihil aliud est, quam naturam esse principium quo immediatū ipsius esse: sicut personam seu hypostasim esse id, quod habet esse, idem est: quod esse subiectum immediate receptiuum ipsius esse.

Ex quo sequitur primo necessario debere prius naturam personari, antequam principiet ipsum esse, nec esse receptiuam ipsius esse, nisi mediante supposito, cui per se primo conuenit, vt subiecto. Nam licet antequam natura intelligatur personata, sufficientem ex se virtutem habeat ad causandam existentiam: quia tamen in illo priori naturæ nondum intelligitur esse subiectum receptiuū ipsius existentiæ, impossibile est eam tunc à natura causari. Ex quo patet differentia inter existentiam & voluntatem: nam quia voluntatis proprium & immediatū receptiuum est natura, quæ in Christo duplex est: ideo ponitur in eo duplex voluntas: Proprium autem & immediatum receptiuum existentiæ non est natura, sed suppositum, quod in Christo vnum tantum est: ideo licet esse sit intimius naturæ, quam voluntas aut volitio, non ponitur in Christo duplex esse, sicut in eo ponitur duplex voluntas & duplex volitio, diuina scilicet & humana.

Secundo sequitur, naturam aut formam existere per hoc, quod est principium essendi, non autem per hoc, quod sit subiectū immediatum existētiæ.

Tertio sequitur intimiorem esse personam naturæ, quam sit existentia: cum prius natura personetur, quam existat: ac proinde non minus, sed multo magis præueniri posse naturam assumptam, ne causet existentiam, quam præuenta fuerit, ne suppositum seu personam cōstitueret: immo ex hoc, quod caret propria personalitate, quę esset subiectum existentiæ receptiuum, necesse est vt etiam propria careat existentia, cuius diuina persona nequit esse subiectum, & ex hoc ipso, quod ad alienam, scilicet diuinam, trahitur persona, necesse est vt ad alienam nempe diuinam trahatur existentiam: cum præsertim vnius rei non possit esse nisi vnum esse substantiale, quod est esse simpliciter: vt hic ait S.D.

Existentiā diuinam aliomodo cōuenire naturā diuinā, & personā, quam existentia creata conueniat naturæ, & supposito: & quomodo existentia diuina in Christo supleat existētiā creatā: & hanc nō præextitisse in assumpta natura.

Quinto notanda est differentia inter Deum & substantias creatas, quod in Deo subsistentia & existentia conuenit per se primo naturæ non solum vt quo, sed etiam vt quod, & ex ea deriuatur ad personas: quæ & ipsæ subsistunt & existunt vt quæ: in substantijs autem creatis subsistentia & existentia per se primo conuenit personæ: quæ sola subsistit & existit vt quod: naturæ vero conuenit solum vt quo, ideſt vt principio existendi:

Ex quo sequitur alia differentia, nimirum in Deo A non esse aliud esse naturæ ab esse, quod est personæ, seu personarum, vt ait S. Doct. *hic ad tertium*: Quod dupliciter verum est: Primo quo ad alietatem secundum rem: quia scilicet non aliud realiter est esse personæ ab esse naturæ. Secundo quo ad alietatem secundum modum: quia scilicet tam naturæ, quam personis in ea existentibus conuenit esse, vt quod: natura enim existit vt quod, sicut & quælibet diuina persona. In creaturis autem, licet esse personæ non sit aliud ab esse naturæ primo modo: quia non sunt in creata substantia duo esse, quorum alterum sit naturæ, & alterum sit personæ, est tamen aliud esse naturæ ab esse personæ secundo modo: quia soli personæ conuenit existere vt quod & per se primo, naturæ B vero conuenit existere tantum vt quo. Ex hoc enim, quod esse conuenit naturæ vt quod, sequitur si idem esse conuenit personæ, illi etiam conueniat eodem modo, scilicet, vt quod: quia supposito non potest esse conuenire, nisi vt quod. Si autem esse conueniat naturæ tantum, vt quo, necesse est vt aliter naturæ conueniat, quam supposito: cui non potest conuenire, nisi vt quod. Quia ergo esse conuenire diuinæ naturæ vt quod, non aliter illi conuenit, quam suppositis, quibus etiam necessario conuenit, vt quod, siue vt quæ sunt vel existunt: Quia vero naturæ creatæ conuenit esse tantum vt quo, necesse est vt aliter ei conueniat, quam supposito, cui necessario conuenit esse vt quod. Tunc autem esse conuenit naturę vt quod, C quando est eadem realiter cum supposito, &c. Et hoc est, quod intendit S. D. *hic ad tertium*, quod etiam subtiliter explicat & probat Cai. *in prima sua quæstione ad quartum argumentum.*

Sexto sciendum est, quod licet existentia diuina nullam rem possit actuare per modum inhærentis: quo modo proprie & stricte sumitur actuare: potest tamen creatam naturam actuare per modum perficientis: quo modo minus proprie & late sumitur actuare. Perficitur enim in Christi humana natura per existentiam Verbi non minus, sed multo magis, quã perficiatur intellectus beati per essentiam diuinam, vt formam intelligibilem illi coniunctam, & quam perficeretur ipsa natura per propriam existentiam: & ideo non re- D manet in statu potentiali ad propriam existentiã, nec ad eam inclinatur: quam tamen ex se naturaliter causaret, si dimitteretur à Verbo: sicut nec remanet in statu potentiali ad propriam personalitatem, nec ad eam inclinatur: quia longe excellentius perficitur Verbi personalitate, quam propria personalitate perficeretur: & ideo dici potest, late loquendo, Christi humanitatem actuari, id est terminari, compleri ac perfici diuina personalitate: vt hic etiam docet Caiet. *in secunda sua q. respondens Aureolo.* Quomodo autem ad naturam dimissam sequeretur propria personalitas & existentia, declarat hic optime Caiet. *in eadem secunda quæst. ad quintum argumentum Durandi.*

Septimo considerandum est partem omnem, tam E integralem, quam essentialem, hoc ipso, quod spectat ad integritatem totius, quod est vnum per se, vnam & eãdem cum ipso toto habere subsistentiam & existentiam: quæ per se primo & adæquate toti conuenit, secundario autem & inadæquate cuilibet eius parti. Cum igitur humanitas Christi sit assumpta, quasi ad integritatẽ personæ Christi, quatenus est persona composita, & ita pertineat ad personam Christi, quasi pars illi substantialiter & indiuisibiliter in vnitate personali copulata, consequens est, vt sicut non affert propriam subsistentiam seu personalitatem, ita nec afferat propriam existentiam, & hoc est, quod ait S. D. *ad secundum* dicens, quod esse æternum filii Dei fit esse hominis, inquantum humana natura assumitur à filio Dei in vnitate personæ: Quę verba explicat optime Caiet. *prope finem sui Commentarij.*

Octauo notanda est differentia inter causam efficientem & alias causas: quod causa efficiens debet necessario præcedere, saltem ordine naturæ, suum effectum secundum actualem existentiam in rerum natura: Aliæ vero causæ non ita necessario præcedunt, sed satis est, vt effectui suo præintelligantur secundum verum esse essentiale, & in eodem instanti temporis existant, in quo producitur in esse earum effectus. Cuius differentiæ ratio est: quia causa efficiens producit effectum realiter omnino ab ea distinctum: & ideo necesse est, vt effectum producendum in seipsa præhabeat virtualiter, antequam ipsum extra se producat: vt autem ita præhabeat, necesse est vt actu præexistat. Causa vero finalis vt sic, solam præexistentiam exigit in intentione, non autem secundum esse in rerum natura: vt patet ex communi philosophorum doctrina: quam explicant Caietanus & alij expositores *in prima secundæ, qu. 1. art. 1.* Aliæ demum duæ causæ, scilicet formalis & materialis, non causant effectum omnino ab eis distinctum, sed ipsum, tanquam eius partes essentiales intime componendo constituant: & ideo non oportet has causas effectũ præhabere in aliqua sua actuali virtute, atque adeo prius existere, quam causent: sed magis è contra necesse est, vt effectui, nempe toti composito subsistentia terminato, prius, ac immediatius conueniat existentia, tanquam supposito, existentiæ receptiuo, cui per se primo conuenit existere, & per ipsũ partibus ad eius integritatem pertinentibus: vt ante diximus.

Qui plura de hoc ordine videre desiderat, legat Asturicensem *in allegata quæst. 7. pag. 923.*

Vltimo recolenda sunt ea, quæ late diximus supra *quæst. 2. art. 8. in 1. Controu.* de differentia & ordine assumptionis humanitatis ad vnitatem Verbi personalem, & creationis animæ Christi, & generationis humanitatis: sunt enim hæc valde necessaria pro diluendis aduersariorum obiectis. Quibus adde terminum generationis & creationis habere esse, vel de nouo productum & acquisitum, vel antiquum nouo modo se habens.

PRIMA CONCL. *Humanitas à Verbo assumpta non habet propriam existentiam, sed existit existentia Verbo.* Hæc patet ex dictis: & probatur etiam ex sexta Synodo Generali, *actione 11. in Epist. Sophronij Hierosolymitani ab vniuersis illius Conc lũ patrib approbata*: cuius verba sunt: *In illo itaque* (scilicet in Verbo) *non in semetipsa habuit existentiam vnam*, & loquebatur ibi Sophronius de Christi humanitate, vt etiam aduersarij fatentur: igitur Christi humanitas propriam non habet existẽtiam, sed existit sola existentia Verbi: his adde verba *ibidem sequenti pagina* subiuncta, videlicet: *Quæ enim extat persona composita ex inconfuso constans temperamento partitionem conuenientium nescit, sed esse vnum, & permanere vnum indiuisum sortitur*, & Paulo inferius: *Est vnum, & duo: vnum secundum subsistentiam, atque personam: Duo vero secundum ipsas naturas, atque earum proprietates: ex quibus esse vnum sortitur natura duplex, & vnum permanere seruauit.* *Concl. deducta, & probata.*

Sed respondet Suarez dupliciter. *Primo*: de humanitate verissime dici eam habere tantum vnicam existentiam, eamque non in se sed in Verbo: qua *sponsio.* etiam responsione vtitur Vasquez. *Secundo* respõdet Suarez, verum sensum Sophronij, eiusque *Suarez, & Vasq. 1.*

inten-

intentionem esse, docere contra hæreticos humanitatem nō prius tempore fuisse in rerum natura existentem, sed in eodem instanti temporis, in quo incepit esse in rerum natura, fuisse Verbo vnitam: & ideo dicere semper habuisse vnam existentiam inuariatam & eiusdem modi, quia non prius per se extitit, & postea in Verbo, sed semper in verbo. *Tertio* respondet Vasquez Sophronium, cum dixit Christi humanitatem habere vnam in Verbo existentiam, dicere voluisse vnam in illo & cum illo habere subsistentiam: quod sibi videtur deducere ex Græcis exemplaribus: Ad verba vero subiuncta respondet Suarez, ea intelligenda esse de vno esse personali.

Confutatio *Sed contra primam* interpretationem illorū verborum *in illo itaque* &c. militat sensus eorum formalis: Nam humanitatem habere existentiam vnam non in semetipsa, sed in Verbo formaliter, non est eam vnitam Verbo personaliter habere propriam existentiam (hic enim sensus valde est materialis,) sed est eam habere existentiā in Verbo, quatenus Verbum est formaliter existens: ac proinde existere formaliter vna & indiuisibili existentia Verbi: Quod luculentius explicant subiuncta verba nimirum: *Sed esse vnum, & permanere vnum indiuisum sortitur*: quibus similia sunt illa: *Ex quibus esse vnum sortitur natura duplex, & vnum permanere seruauit.* Nam primo verbum illud *esse* in vltimis verbis supra notatis nulla ratione videtur intellig posse de subsistentia: nam prius explicatur ibi vnitas subsistentiæ & personæ, deinde subiungitur vnitas ipsius esse, cum dicitur: *ex quibus esse vnum sortitur natura duplex*, &c. Sed dato etiam per Verbum illud *esse* significari subsistentiam, adhuc superest vnitas permanentiæ ibi subiuncta, cum dicitur: *& permanere vnum indiuisum*, de qua etiam antea mētionem fecerat, dicens personam Christi compositam sortitam fuisse vnum esse & vnum permanere indiuisum, id est vnam permanentiam indiuisam. Constat autem permanentiā idem esse quod existentia, quatenus eadem inuariata perseuerat in priori & posteriori parte durationis: vt ex Capreolo declarauimus *in prima parte, q. 10. art. 1. in expositione textus § Quomodo vero*: vbi diximus durationem intrinsecam esse idem realiter cum existentia: quia scilicet existentia, quatenus eadem perseuerat, est ipsa rei duratio, quæ alia extrinseca durationē mensuratur: clarum est autem, permanentiam esse realiter & formaliter ipsam rei durationem intrinsecam: igitur permanentia idem est realiter cum existentia. Cum igitur ait Sophronius, approbante concilio, personam Christi compositam sortitam fuisse *vnum esse & vnum permanere*, sensus clarissimus est: personam Christi compositam sortitam fuisse vnam existentiam: quæ dicitur vnum *permanere*, quatenus inuariata perseuerat: quo modo considerat rationem induit durationis intrinsecæ, scilicet æternitatis respectu diuinæ naturæ & personæ secūdum se consideratæ, æui autem respectu humanitatis: vt explicauimus *in dicta quæst. 10. art. 6.* Et per hæc excluditur etiam interpretatio Suarezij circa eadem vltima verba, & expositio Vasquezij circa ea, quæ primo loco notata sunt. Cuius etiam falsitas elucet ex diuersitate vocabulorum existētiæ, esse, subsistentiæ & personæ: quibus vtitur Sophronius *in illa Epist.* Primis enim duobus communi Theologorum vsu significatur esse existentiæ proprie dictum, quod est vltima actualitas: Posterioribus autem duobus significatur personalitas & ipsa persona: cui per se primo conuenit existentia. Et confirmatur: quia nisi prædictæ vocum diuersitati respōdeat diuersitas rerum significatarum secundum vsum communem Theologorum, erit in illius epistolæ discursu pluriū verborum inutilis repetitio, improprietas & confusio: dum in eodem contextu sumitur esse pro subsistentia, & ei adduntur voces subsistentiæ & personæ: non ergo sumendum est nomen existentiæ pro subsistentia: sic enim in vno & quidem breuissimo contextu verborum, eadem res, scilicet personalitas, tribus vocibus significabitur: nominibus scilicet existentiæ, esse & subsistentiæ: ex quibus duæ priores non personalitatem aut suppositalitatem, sed actualitatem vltimam proprie significant in ea receptam. Legantur attente verba Sophronij supra notata, & erūt manifesta, quę diximus. Eandem expositionem impugnant Asturicensis, *pag. 912.* & Aluarez *disp. 14. Secundam autem* expositionem Suarezij circa verba Sophronij primo loco notata, quibus affirmatur humanitatem in Verbo, non in semetipsa existentiam habuisse, impugnat Vasquez & probat falsum esse, quod ait Suarez, videlicet Sophronium dixisse vnam existentiam, non vt significaret non esse duas, sed vt negaret duos modos existendi, quos humanitas habuisset, si prius extitisset per se, & postea in Verbo: Est igitur ratio Vasquezij: Quia, cū antea perspicuis verbis dixisset Sophronius, carnem Christi simul animatam, & humanitatem productam atque Verbo vnitam fuisse, non est credendum, deinde verba illa primo loco notata ad idem sub obscuris denotandum addidisse. *Vasq. cōtra Suarezium.*

Demum quod affert Vasquez ex græcis exemplaribus ad expositionis suę confirmationem, nihil habet soliditatis, vt etiam ipse significat referendo diuersas illarum græcarum vocum interpretationes.

Secundo probatur conclusio: Quia ex duobus existentibus in actu vltimis suis actualitatibus nō fit vnum per se: at secundum prædictos Theologos vtraque natura in Christo suam habet propriam & vltimam actualitatem: igitur ex illis nō poterit constitui Christus, vt vnum per se: quod est hæreticum. Tertio probatur: quia ex opposita sententia sequeretur Beatissimam Virginē non posse formaliter & proprie nuncupari matrem Dei, sed tantum humanitatis: quod est hæreticū. Probatur sequela: quia secundum dictos Theologos tota Christi humanitas secundum animam & secundum corpus fuit existens prius, quam assumeretur à Verbo: ergo prius natura, quā Deus esset homo, & homo Deus, terminata fuit operatio tota Dei creantis animam, & Beatæ Virginis totam humanitatem (Cathegorematice) concipientis & generantis: Operatio namque B. Virginis in Christi generatione non attigit assumptionem aut vnionem humanitatis cum Verbo: hoc enim est opus Dei mirabiliter operantis. Quemadmodum ergo dicitur Deus animam creasse, antequam intelligatur compositum generatione productum, quia prius natura intelligitur creatio animæ terminata, quam generatio compositi, ita, si prius fuit natura generatio humanitatis ex virgine terminata, quam assumptio, cuius terminus est Deum esse hominem, non poterit vere ac proprie dici Beata Virgo Deum & hominem genuisse, & esse mater Dei: quod est hæreticū. Hæc ratio sic explicata excludit solutiones omnes recentiorum. Hanc rationem late prosequitur Asturicensis, *pag. 914.* & post eum Aluarez *in allegata disp. 14.* Alias probationes lege apud Asturicensem & Medinam, quos imitatur Aluarez, sed omnium optimæ probationes sunt illæ, quæ ponuntur in textu, & explicat optime Caiet.

Secun-

SECVNDA CONCL: *Nec per Dei potentiam absolutam assumi potuit humanitas existens existentia propria.* Probatur: quia solum suppositum est proprium subiectum immediate susceptiuum existentiæ: igitur existentia illa propria humanitatis deberet recipi in aliquo supposito immediate, & cum nō posset recipi in supposito creato, quod in Christo nullū est, reciperetur in persona Verbi, quod est impossibile. Antecedens est S. D. in textu, addita expositione Caiet. Et probatur etiam: quoniam effectus formæ secundarius esse non potest absque primario: vt patet in quantitate: cuius effectus primarius est extensio substantiæ corporeę in ordine ad se: Secundarius vero est extensio eiusdem substantiæ in ordine ad locum: hanc autem posteriorem extensionem fieri sine prima, contradictio est: Cum ergo subsistere sit effectus formæ, prior quam existere, impossibile erit formam, puta humanitatem, in seipsa causare existentiam, non causata prius subsistentia.

Obi. 1. cont. 1. concl. CONTRA primam conclusionem sunt argumenta Scoti, Durandi, & aliorum, quæ referunt, & soluunt Capreolus, Caietanus, Medina & Asturicensis. Contra eandem conclusionem argumentatur Suarez. *Primo*: quidam Epiphanius Episcopus in septima Synodo, *actione 6. to. 3. col. 8.* ita distinguit, naturam ab hypostasi, quod natura dicit tantum humanitatem existentem: hypostasis vero addit subsistentiam. *Respondetur* cum Asturicensi, quod cum Epiphanius dixit naturam esse humanitatem existentem, nihil aliud significare voluit, quam quod humanitas non est sola imaginatione conficta, sed est vera & realis entitas, existentiæ capax, & potens per se existere, nec indigens adminiculo alterius naturæ ad per se subsistendum. Quam responsionem sequitur Aluarez, dicens humanitatem existentem apud Epiphanium esse humanitatem non actualiter, sed radicaliter existentem, idest ex seipsa potentem existere &c.

Obi. 2. *Secundo*: Profert diuersa loca Damasceni, quorum sensum explicant Asturicensis, Aluarez & *Solut.* Vasquez dicens ex illis locis efficax argumentum duci non posse.

Obi. 3. *Tertio arguit*: Humanitas Christi, vt condistincta à Verbo intelligitur esse quædam actualis entitas, quam ipsa secum affert, & illam à Verbo formaliter non recipit: ergo intelligitur esse existens per existentiam propriam & creatam omnino à Verbo distinctam. Consequentia probatur. Primo: quia idem est esse entitatem existentem, quod entitatem actualem. Secundo, quia in intrinseco conceptu entitatis actualis includitur existentia: in intrinseco autem conceptu humanitatis, vt est *Solut. 1.* entitas actualis, non includitur Verbum. *Respond.* & dico, existentiam dupliciter sumi: Vno modo pro vltima actualitate: quomodo communiter sumitur à Thomistis: Alio modo pro effectu formali huius vltimæ actualitatis: qui est entitas qua formaliter res est extra causas suas, & à Scotistis, & aliis vocatur actus entitatiuus: qui realiter nō distinguitur à re, cuius est actus: Est enim ipsa entitas, qua res formaliter est actu extra causas suas: & ideo clauditur in intrinseco rei conceptu. Existentia vero primo modo sumpta extrinseca est à rei conceptu, cuius est existentia. De his duobus modis & eorum differentijs vberrime disseruimus supra *quæst. 4. art. 1. Controuersia prima, quæstiunc. 5. Secundo dico* existentiam secundo modo sumptam causari in humanitate Christi ab existentia *Solut. 2.* Verbi primo modo sumpta, tanquam à principio effectiuo & quasi formali. Dico *effectiuo*: quia Deus per suum esse causat effectiue omne esse creatū, vt eius per se primo causa: dico, *& quasi principio formali*: quia esse principium formale existendi alicui realiter ab eo distincti dicit imperfectionē, absolute loquendo: vt patet in forma & eius existentia respectu materiæ & compositi: quia causat existentiam materiæ & compositi media informatione. Existentia autem Verbi non causat existentiam humanitatis informando ipsam humanitatem, sed eius causat existentiam ad modum principij formalis hoc ipso, quod eam causat in humanitate, vt est vnita hypostatice diuinæ personæ, & vt facta est aliquid ipsius, scilicet eius natura. Quia enim existentia per se primo conuenit supposito, ideo existentia Verbi per se primo causat (scilicet virtualiter, & secundum modum nostrum concipiendi) entitatem Verbi, quæ est existentia secundo modo sumpta: consequenter autem & secundario causat vere & realiter existentiam humanitatis secundo modo sumptam: à qua formaliter & intrinsece denominatur humanitas ens actu extra causas suas. *Tertio* pro re- *Solut. 3.* sponsione formali ad argumentum dico, consequens illud: *ergo intelligitur humanitas esse existens per existentiam propriam, & creatam, omnino à Verbo distinctam*, dupliciter intelligi posse: Vno modo sumendo existentiam primo modo superius explicato: quomodo nomen existentiæ sumitur in Schola D. Tho. & in hoc sensu falsa est consequētia: & ad probationes negatur antecedens vtriusque formaliter loquendo. An autem quomodo existat humanitas per existentiam Verbi primo modo sumptam, iam dictum est. Non enim existit per eam formaliter, sed per eam, vt effectiuo principio, & quasi formali existentiæ secundo modo sumptæ. Alio modo intelligi potest consequens de existentia secundo modo sumpta: & in hoc sensu verum est consequens & consequentia: sed non aduersatur nostræ conclusioni: quæ loquitur de existentia primo modo sumpta. Videnda omnino sunt ea, quæ diximus *in allegata Controuersia*. Quibus adde, existentiam vtroque modo sumptam non esse realiter physice, sed realiter Metaphysice, siue ex natura rei tantum à forma distinctam, & formæ conuenire existentiam tantum, vt quo: ac proinde sicut forma non est formaliter ipsa entitas cōposita: sed est eius principium formale, ita existentia formæ primo, aut secundo modo sumpta, non est formaliter ipsa existentia compositi, aut materiæ, sed est principium eius formale, quia scilicet ab existentia formæ, vt à principio formali causatur, vt effectus in composito & in materia existētia secundo modo dicta, qua formaliter & intrinsece sunt entia realia in rerum natura extra causas suas. Et ad hūc sensum reducenda sunt ea, quæ de existentia diximus *in prima parte, q. 3 art. 4.* Ex his conciliari, saltem ex parte, possent prima & vltima sententia, quæ videntur oppositæ. Huic etiam argumento respondent alio modo Asturicensis & Aluarez: quos lege, si placet.

Contra eandem conclusionem sunt alia quædam argumenta Suarezij, & Vasquezij minoris momenti, quæ referunt & soluunt Asturicensis & Aluarez, sed ex supra notatis omnia facile diluentur.

CONTRA *secundam conclusionem* argumentatur *Obi. 1. cont. 2. concl.* Asturicensis. Primo: Humanitas sic existens manet terminabilis & complebilis per subsistentiam personalem: ergo poterit per diuinam Verbi subsistentiam terminari. Antecedens probatur: quia existentia non aufert ab humanitate dependentiam, quā habet à propria personalitate, nec supplet vicem personalitatis complendo illam naturæ

turæ dependentiam, quam habet à suppositо: ergo manet terminabilis & complebilis per subsistentiam personalem, atque adeo assumptibilis.

Solut. *Respondetur* falsum esse, quod supponit antecedens, videlicet per Dei potentiam effici posse, vt humanitas sit existens & non subsistens, id est habeat existentiam & non habeat subsistentiam: nam, vt supra diximus, impossibile est à forma causari effectum eius formalem secundarium, nō causato prius effectu formali primario: cum igitur subsistentia sit quidam effectus formalis naturæ substantialis, prior existentia, quæ est alius effectus naturæ formalis, non poterit existentia sine subsistentia prius naturam terminante causari.

Obi. 2. *Secundo sic arguit*: Bene intelligitur, posse Deum communicare subsistentiam & non existentiam: ergo intelligi quoque valet communicatio subsistentiæ personalis in humanitate per existentiam creatam præexistente. Antecedens probatur: Cōmunicatio subsistentiæ præcedit naturæ ordine existentiæ communicationem: ergo cum prius non pendeat necessario à posteriori, saltem secundum absolutam Dei potentiam, commode possumus intelligere, quod diuinum Verbum suam illi præexistenti humanitati communicet subsistentiam, non communicando ei existentiam. *Solut.* *Respondetur* in hoc argumento implicari illud idem falsum suppositum, quod implicatur in primo: Supponit enim fieri posse, vt humanitas præexistat per existentiam creatam sine vlla personalitate, & probat eam sic existentem assumi posse: sed falsum est illud suppositum, ob supra dictam causam.

Et hic terminus esto primi nostri voluminis in Tertiam Partem summæ Angelici Doctoris Sancti Thomæ Aquinatis, diuinæ voluntatis interpretis: cuius scripta, & præsertim hoc de Iesv Christo Domino Saluatore nostro eiusdem domini voce diuinitus emissa fuere comprobata, cum exhibitione mercedis: quæ est ipsemet Saluator, Iesus Christus: qui pro sua infinita charitate & valore meritorum immenso, nos hic in terris sua membra constituat, vt in eius visione & fruitione beati cum eo perpetuo regnemus in cœlis.

Societatis Jesv Padsrborna

FINIS.

